SC.9.Pl.S.

BIBLIOTECA VITT. EMANUELE FONDO LEOPARDI (?)
37
12 C
5
MAG 3099

HISTORIA
POLEMICA
DE
GRÆCORUM
SCHISMATE.
TOMUS TERTIUS,
PARS V.

[illegible]tized by

HISTORIA POLEMICA DE GRÆCORUM SCHISMATE

Ex Eccleſiaſticis Monumentis concinnata

LABORE ET STVDIO

P. LAURENTII COZZA A' S. LAURENTIO

Ordinis Minor. Regularis Obſervantiæ, Provinciæ Romanæ
Lectoris Jubilati, ex Guardiani Sac. Montis Sion, ac totius
Terræ Sanctæ ex Cuſtodis, Sacræ Congregat. Indicis
Conſultoris, Supr. Rom. ac Univerſ. Inquiſit.
Qualificatoris, & in Ciſmontana Obſerv.
Familia Vice-Commiſſarii Generalis,

TOMUS III.

In quo præter Hiſtoriam exactè digeſtam, omnes & ſingulæ controverſiæ ab ætate Martini IV. Romani Pontificis, uſque ad Gregorii Papæ XI. tempora exortæ, ſummâ cum diligentia diſcutiuntur,

OBLATUS

Eminentiſſimo, & Reverendiſſimo Domino

D.NO NICOLAO SPINOLA

S.R.E. Cardinali Ampliſſ., ac Collegii Miſſionum
Sancti Bartholomęi in Urbis Inſula
Protectori Vigilantiſſ.

PARS V.

ECCLESIASTICI Cap. 39. verſ. 1.
Sapientiam omnium Antiquorum exquiret Sapiens, & in Prophetis vacabit: Narrationem Virorum nominatorum conſervabit.

ROMÆ, Typis Georgii Placho, propè S. MARCUM, MDCCXX.

SUPERIORUM LICENTIA.

Expenſis D. Laurentii Licca U. J. D.

EMINENTISSIME, AC REVERENDISS. PRINCEPS,

Olemicam *De Schiſmate Græcorum* Hiſtoriam, binis hactenus Voluminibus, publicâ nuper luce donatis, adultam, ad juſtam velut ætatem impigrè adniti jubeo, Tertii Tomi hujus acceſſione; perfectum conſiſtentiæ ſtatum celeriùs aſſecuturam, quò eam initiô deſtinaveram. Et cenſuêre quidem Eruditi Viri, candidè mentem ſuam in Approbationibus exarandis explicaturi, integrum hocce Opus, cùm futurum *Catholicis omnibus utiliſſimum*, tum verò, Miniſtris Evangelicis, in Orientem deſtinandis, profligandoque Schiſmati certâ quadam armaturâ fortium inſtruendis, *Apertum* extiturum *Armamentarium*. Ego verò, PRINCEPS EMINENTISSIME, mentis meæ conſcius, nec propriæ mediocritatis ignarus, tametſi non auſim, tantorum Virorum judicio nihil deferre; verè tamen dixerim, eo illud niti fundamento, quod Operis ipſius, ad omnes univerſim Catholicos pertinentis, concernat indolem, non quod Auctoris domeſticam reſpiciat intentionem. Hæc enim eò collimare æquum fuit, ut meis in Chriſto filiis Franciſcanis, in Sacris maximè Palæſtinæ Locis, aſſiduos cum eo Schiſmate conflictûs inituris, arma id genus multa, è tenebris eruta, excuſsâque ferrugine in ordinem digeſta pararem; & quæ aliàs labore improbo ſingulis quæritanda Tyronibus, vix autem ullis invenienda, nedum appoſitè expedienda fuiſſent, ea, Typis multiplicata, ſingulorum manibus exhiberem.

Probè autem intelligit EMINENTIA VESTRA, Franciſcanos Tyrones eos à me impręſentiarum deſignari, qui e Collegio Franciſcani Conventus Sancti Bartholomæi de Urbe, in Tyberis Inſula, Miſſiones Orientales proſpectant, dùm adoleverint, & in ea velut palęſtræ imagine ſufficienter exerciti, vero tandem illi certamini ſint idonei. Horum, inquam, in rem Eccleſiæ publicam tanto certamini parandorum, ſpecialis me cura diſtinuit; quâ, cùm in eum locum, exercitamento iſtiuſmodi deſtinatum, quantam per Seraphicam licuit Paupertatem, conferri vim Librorum, ad ſacra Dogmata, & eruditionem pertinentium, ſategiſſem; tum è re maximè futurum cenſui, in corpus unum variis ex libris advocare, quod inſtituendis in eum finem Tyronibus, eorumque linguis, & calamis exacuendis, Bibliothecæ inſtar eſſe poſſet, Quem ergo Męcenatem optaſſent alium vota iſthæc mea, niſi Te, PRINCEPS EMINENTISSIME; quem unum, tot inter Purpuratos Patres, ejuſdem Franciſcani Collegii non ita pridem donavit Divina mihi Providentia Protectorem?

Quem verò illa mihi donaſſet alium? quem, inquam, eam in rem ſelectum iri ſuo in Terris Vicario inſpiraſſet ſuaviter,fortiterq;niſi cui dotes omnes,omnibus numeris id genus Protectorem abſoluturas, appoſitâ gratiarum ſerie præcontuliſſet? Præclaram nimirum indolem, in venas Tuas, puriſſimo, nobiliſſimoque Atavorum Sanguine divites, longo annorum curſu derivatam; nec rerum in pace tantum egregiè geſtarum Inſignibus renitentem, ſed & bellicæ SPINOLENSIUM Fortitudinis celeberrima toto Orbe Vexilla explicantem: Morum quoque Tuorum, vel in ipſo juventutis flore, maturitatem; vaſtam mentis Tuæ amplitudinem, & vim ingenii, nullius non generis præclara munera complectentem, rimantem abſtruſa quæque, & fœliciter extricantem negotiorum involucra: Prudentiam denique, Juſtitiam, Æquitatem, cumprimis autem propagandæ Catholicæ Fidei zelum Tuum, atque hoc ipſum Schiſma Græcorum radicitùs extirpandi ſtudium ſolertiſſimum; eximiamque devotionem erga Seraphici Pauperum Patriarchæ Filios, in id operis nullo non tempore adlaborantes, hæreditario velut jure transfuſam in animum EMINENTIÆ TUÆ: Has, inquam, egregias dotes, arcanâ Superni Numinis Providentiâ in Te præconfluere juſſas, Orbi Chriſtiano perſpectiſſimas, atque à Summo in Terris Principe ſacrâ dudum Purpurâ coronatas; jure optimo dixerim, Te mihi unum oſtendiſſe, cùm futurum præfati Franciſcani Collegii Protectorem, tum verò operis hujus, in eundem ſcopum collineantis, præoptandum, tot inter optimos alios, Męcenatem.

Porrò, in tanta Virtutum, Dotiumque Tuarum frequentiâ, quibus velut Sideribus in Orbe Catholico longè, latèque coruſcas, ire mihi per ſingulas, cùm arduum, imperviumque, tum verò nihil duxerim expedire: Neque enim eis, aut ſubduci quidpiam poteſt emeritæ celebritatis, reticentiâ meâ, aut meo, tantæ gloriæ impari, nova ulla ſplendoris gratia conciliari: Sed & Modeſtiam vereor Tuam, PRINCEPS EMINENTISSIME, ut ne quid illa mihi ſuccenſeat, quaſi delatum ſibi voluerim nihil; virtutum cęteroqui omnium, ſi minus Principi, certè amabiliſſimo apud Deum, & homines ornamento. Miſſa ergò fecerim pleraque omnia, in Tuo licèt animo ſublimem quæque gradum aſſecuta, ſatiſque Eminentes effectura Viros, etiam ſingula: Multiplices ipſos, qui *Hominem* in ſuo quemque genere *probant*, prætereo *Magiſtratus*, ad quorum velut lapidem lydium Te Roma novit per omnia probatum, quà in Sacris Congregationibus *Boni Regiminis*, *Baronum*, *Comitum*, & *Camerali*, aliiſque per Urbem Præfecturis, & Judiciariis Poteſtatibus, Forenſem Utriuſque Juris Prudentiam, Integritatem, Dexteritatem, Vigilantiam, Virtuteſque omnes, ad temporalem Chriſtianæ Reipublicæ felicitatem natas, adſtruentibus; quà in concernentibus eximiam morum probitatem, Sacrorum Canonum peritiam, ſanctiores *Eccleſiaſticæ Diſciplinæ* Leges, & zelum pro Domo Dei, *Apoſtolicis*, Tudertinâ, ac Spoletanâ *Viſitationibus*; quà etiam utraſque miſtim Virtutes, Animique heroici Dotes complexu admirando conſociantibus, ad ſtrenuè tuenda, & promovenda in utraque rerum claſſe Sanctæ Sedis jura, cùm in Florentina primùm, dein Polonâ NUNTIATURIS, tum verò in *Apoſtolicæ Cameræ*, cui jam olim præſederas, AUDITORATU. Niſi quòd hæc ipſa, tam varia perinde, ac ſublimia, quæ in præcellen-

tibus etiam Viris conflare velut ſchiſma conſuevêre, tanquam de Primatu contendentia, in Te verò CARDINALIS AMPLISSIME, amico adeo fœdere, ſervatoque graduum ordine conglutinantur; an non in rem veniunt meam, ſponte ſuâ? Non ſanè mihi præſagire aliud videbantur, cùm animum in concordiam eorum tantam adverterem, quàm profligando Græcorum Schiſmati, diſſidentibuſque illorum animis ad unitatem Eccleſiæ revocandis, non alio, quàm Te opus eſſe, cùm Patrono, tum Mæcenate.

Ceterùm, quæ rem omnino conficiunt meam, dum & hæreditariam in Franciſcanos Adminiſtros Protectionem, & ſtudium excidendi Græcorum Schiſmatis adſtruunt in EMINENTIA TUA; neque mihi eſt animus præterire & ne liceret quidem per veritatis in tempore non ſupprimendæ leges, aut per debitam animi gratitudinem. Nimirum, EMINENTISSIMI quondam Pro-Patrui Tui JOANNIS DOMINICI SPINOLA, S.R.E. CARDINALIS, & Eccleſiæ *Mazarienſis* in Sicilia Epiſcopi, non in corde ſolùm, ſed *marmoreis* grati animi *documentis* inſculptam gerimus Munificentiam honorificentiſſimam: Quippe quâ Regularis Obſervantiæ Alumnos complexus eſt adeo, ut minoris æſtimans, magno eos Nomine, Auctoritate, Manu ipsâ protegere, totum ſe illis publicè cohoneſtandis impendit; cùm Ampliſſimæ Diœceſeos fines prætergreſſus, Panormum uſque Purpureos invexit Faſces, Principalis inibi Conventûs Eccleſiam ſolenni ritu conſecraturus. Quid memorem tanti Viri doctrinam, & Paſtorales omnes virtutes alias, quibus, celeberrimâ indictâ Synodo, Diœceſanum in utroque foro ſyſtema ad Tridentinam exegit amuſſim, factus & ipſe ex animo *Forma Gregis*? Viget enim illic etiamnum EMINENTISSIMI PRÆSULIS Diſciplina; Eccleſiaſticis omnibus, & verbo, & opere eam Synodum exprimere ſatagentibus, quam antonomaſticè appellant, *Synodum Cardinalis*: In cujus proinde commendationem haud immeritò dixerim, quod Maximus de Euſebio Vercellenſi: *Quicquid in ea ſancta plebe poteſt eſſe virtutis & gratiæ, de hoc, quaſi quodam fonte lucidiſſimo, omnium rivulorum puritas emanavit.*

Sed totum enimverò *lucidiſſimum* eum *fontem* viſus eſt exhauſiſſe lectiſſimus tunc Adoleſcens, qui præſens omnia intuebatur, EMINENTISSIMUS JOANNES BAPTISTA SPINOLA, Patruus EMINENTIÆ TUÆ; in eos incontaminati candoris flores, & maſculæ virtutis gemmas erumpens, quæ ſuâ ipſorum ſpe, ac fragrantiſſima venuſtate, cùm illectam Diœceſim illam totam in præſentia recreabant, tum futuros uberrimos in rem Univerſalis Eccleſiæ fructus certo quodam ſpecimine portendebant. Non equidem ulli mortalium narrare auſim Viri incomparabilis Dotes magnas,magnę ſpei prętonceptę ſupereffluens adimplementum; quippe quæ recenti adeo memoriâ, neque ullo delendâ tempore, cunctorum oculis etiamnum ſtupentibus obverſantur; mox verò ſtupore diſcuſſo, linguas omnes in ea Viri præconia ſolvunt, quibus *addidiſſe* quidpiam, *decerpſiſſe* ſit. Sed & Religio quædam mihi eſt, illius quaſi Panegyrim intentare, cujus Paſtoralem Januenſis Archiepiſcopatûs ſolicitudinem, zelumque Fidei, ſanioriſque in moribus doctrinæ per Orbem propagandæ, ſimul autem integerrimum, æquiſſimumque *Romanæ Urbis Gubernium*, ad annos multos cunctorum plauſu, & lætitiâ prorogatum, Venerabilis Dei

Ser-

Servus, Summuſque Pontifex INNOCENTIUS XI. ſanctiore primùm encomio commendavit, dein ſacrâ *cum paucis* ornavit Purpurâ; Viros, inquam, inter *Optimos*, ac diuturnâ enimverò meditatione delectos.

Jam ubi quempiam, ſi fieri poſſit, lux tanta lateat; cum in Te, PRINCEPS EMINENTISS. juſſerim intueri; & flores, & gemmas illas in Tua pueritia deprehenſurum, moxq; grandeſcentes in diem fructus, illorum quos dicebam perſimiles, ad ipſam uſq; *Purpurei coloris* maturitatem. Ita, mecum conſpirantibus omnibus, magnarum adeo Virtutum Domi naſcentium EMINENTIÆ TUÆ ex aſſe hæreditas aſſeretur; earum præcipuè, quod nunc quidem attinet, quæ mihi, meiſque, & Lucubrationi huic, publicam grati animi ſignificationem ceteroque conteſtaturis, aptiſſimum profectò conciliant Patrocinium.

Quam in rem, niſi nihil videam, eſt quod in Te ſupra Majores Tuos emineat, Franciſcanorum adversùs Orientale Schiſma pugnantium Protector Optatiſſime: non hoc ipſum tantùm, Tutelaris velut Angeli munus, uni Tibi a SS.D.N. CLEMENTE XI. providentiſſimè concreditum; ſed Apoſtolicus ille genius, ingeniumque, quo, cùm Nuntium ageres in Polonia, Rhutenos, e Schiſmate Græcanico reduces, omnibus comitatis, generoſæque Caritatis officiis proſequebaris; ut per eoſdem, ſuavibus adeo vinculis feliciter implexos, Chriſto, & Eccleſię lucrifaceres, captareſque Schiſmaticos per ea loca alios, benè multos: Cùmque idipſum operis minùs proſperè proceſſurum, altâ rerum expenſione deprehendiſſes, quandiu rerum Eccleſiaſticarum imperitia in Rhutenorum animis dominaretur; effeciſti ſanè apud eundem Sanctiſſimum PATREM, ac perfeciſti, novum ut COLLEGIUM LEOPOLITANUM excitaretur, frequentiorem in dies Alumnorum multitudinem complexurum: unde Epiſcopi, ſacrâ Doctrinâ jam divites, unde Parochi, aliique propagandæ Catholicæ unitatis Adminiſtri ſint impoſterum aſſumendi. Scitè omninò, ac providè: neque enim non erit facile, id genus errantium ad Sanctæ Romanæ Eccleſiæ gremium revocare, ſi eis, comitate allectis, ne ſe neglectos, ac floccipenſos (quod non immeritò timent) arbitrentur; malè-feriati illi prætextûs, admotâ Hiſtoriæ, Dogmaticæque Veritatis luce, diſcutiantur. Quod cùm hoc in Opere, Franciſcanis Miſſionariis meis, imò verò Tuis, Tuiſque illis Leopolitani Collegii ſtudioſis Græci Ritûs, non certè nihil profuturo, adniti pergam; profectò, tam fuit obſervantiæ meæ, Volumen iſtud advolare jubere in ſinum EMINENTIÆ TUÆ; quàm Tuæ erit Humanitatis, cùm illud, tum ejus Auctorem, Religionemque ipſius totam, egregium adeo Patrocinium ambientem, ingenitâ excipere Comitate.

EMINENTIÆ TUÆ,

Ex Conventu Aracęlitano de Urbe,
Die 25. menſis Februarii, 1720.

Humill. Devotiſ. & Obſequentiſ. Servus
Fr. Laurentius a Sancto Laurentio.

IN-

INDEX CAPITUM

Hujus Quintæ Partis.

CAP. I. *De Martini IV. Pontificatu; Michaelis Palæologi defectione, & lata in eum excommunicatione. De Siculis operâ Palæologi deficientibus à Carolo Rege, & excommunicatione ab eodem Martino IV. in præfatos Siculos lata,* pag. 3

CAP. II. *De Michaelis Palæologi obitu, Andronici Imperio, ac ſub eo renovato Schiſmate. De perſecutione excitata à Schiſmaticis adversùs Catholicos Græcos. Regis Siciliæ, & Martini IV. obitu, deinde creatione, & brevi Pontificatu Honorii IV.* 12

CAP. III. *De Nicolai IV. Pontificatu, matrimonio Andronici cum filia Aytonis Regis Armeniæ, deſtitutione, & inſtitutione Patriarcharum Græcorum, jubente Andronico. De Legatis miſſis à Nicolao pro diverſarum Gentium converſione; de capta per Sarracenos univerſa Syria cum tota Terra Sancta; & de Nicolai ſtudio pro illius recuperatione,* 21

CAP. IV. *De Cæleſtini V. electione, ejuſque abdicatione, & Bonifacii VIII. ſubſtitutione; de ejuſdem Bonifacii ſtudio pro eripiendo de Græcorum manibus Imperio; de diverſis eorundem Græcorum cladibus, & de his, quæ geſta ſunt pro recuperanda Syria,* 53

CAP. V. *De Bonifacii VIII. obitu, ac Benedicti XI. ſive potiùs X. electione; ejus ſtudio pro abolendis erroribus exortis in Græcorum Eccleſia in Regno Serviæ, aliiſque in locis ſub ditione Andronici; necnon pro revocando ad Eccleſiæ unitatem Oroſio Serviæ Rege; de Græcorum cladibus, & tractatu pro expeditione facienda contra Andronicum; de literis miſſis à Patriarcha Caldeorum ad ipſum Pontificem, & de illius obitu,* 74

CAP. VI. *De electione Clementis V. ejuſque promiſſis factis Philippo Regi Francorum; de ejus tractatibus pro expeditione facienda, tùm contra Andronicum, tùm pro recuperanda Terra Sancta, ac lata in Andronicum excommunicatione. De jurgiis cum Venetis, & Concilio Viennenſi, ac geſtis in eo. De confuſione Græcorum Eccleſiæ, ac deſtitutione Patriarcharum; de Fide dilatata apud Tartaros operâ Fratrum Minorum; & de Legatione Oroſii Regis Raſciæ ad Pontificem, & Pontificis ad Regem,* 85

CAP. VII. *De obitu Clementis V. electione Joannis XXII. ejus ſtudio pro expeditione mittenda contra Infideles, & Schiſmaticos, & pro dilatanda Fide. De unione Raſcianorum, aliorumque Schiſmaticorum cum S. Romana Eccleſia, & de Græcorum diſſidio in cauſa ſucceſſionis ad Imperium Conſtantinopolitanum per obitum Michaelis Andronici primogeniti,* 110

CAP. VIII. *De continuato Andronicorum diſſidio, ac diverſis Græcorum cladibus; de Andronici ſenioris tractatu pro reconcilianda Eccleſia Græca cum S. Rom. Eccleſia; de amiſſo tandem Imperio, ac ejus infœlici obitu,* 132

CAP. IX. *De reliquo Joannis XXII. ſtudio pro dilatanda Catholica Fide, pro reconciliandis Eccleſiis ſchiſmaticis, ac junioris Andronici cum eo tractatu pro ſuorum Græcorum ineunda unione,* 141

CAP. X. *De Joannis XXII. morte, Benedicti XII. electione; ac de ejuſdem Joannis opinione de ſtatu Animarum ſeparatarum;* 158

CAP. XI. *De Turcarum in Aſia progreſſu; Benedicti Papæ ſtudio pro unione Græcorum; de Tartarorum Legatione; & ejuſdem Pontificis eiſdem Tartaris datis literis,* 191

CAP. XII. *De reaſſumpto ſub Benedicto XII. Unionis tractatu, & conditionibus ex parte Græcorum propoſitis; Pontificis reſponſis; ac exorta Thaborici luminis controverſia,* 207

CAP. XIII. *De Andronici obitu, Benedicti XII. ac Clementis VI. electione,* 219

CAP. XIV. *De ſtudio Clementis VI. pro Græcorum unione, dilatanda Fide; necnon & bello inferendo adversùs Turcas,* 224

CAP. XV. *De perfidia Joannis Cantacuzeni, inito cum Turcis fœdere adversùs Latinos; ac de iterato Conciliabolo in cauſa Thaborici luminis, ac divinarum operationum,* 233

CAP. XVI. *De iterata Cantacuzeni ad Clementem Legatione pro Eccleſiarum unione, ac fœdere ineundo adversùs Turcas,* 238

CAP. XVII. *De Clementis obitu; Innocentii VI. electione; & Cantacuzeni cum Innocentio tractatu pro Eccleſiarum unione,* 243
CAP. XVIII. *De reaſſumpto Imperio à Joanne Palæologo, ejecto Cantacuzeno, ac illius ſtudio cum Innocentio VI. pro Græcorum ſuorum unione,* 258
CAP. XIX. *De Innocentii VI. obitu, Urbani V. creatione, ejuſque ſtudio pro rebus Orientis; ac ſolicitudine pro Græcorum unione,* 264
CAP. XX. *De Joannis Palæologi congreſſu cum Ludovico Hungariæ Rege pro unionis negotio; de ejus Legatione ad Urbanum, & Fidei apud Schiſmaticos propagatione,* 274
CAP. XXI. *De Joannis Palæologi ad Urbem Romam acceſſu, ejuſque S. Rom. Eccl. reconciliatione; ac Urbani ſtudio pro Fidei Catholicæ per diverſas Mundi partes dilatatione,* 285
CAP. XXII. *De Urbani V. obitu, Gregorii XI. electione, ac aliquibus ejus geſtis in ſui Pontificatus exordio,* 301
CAP. XXIII. *De Gregorii XI. ſolicitudine in componendis Chriſtianorum Principum diſſidiis, & promovendi neceſſaria adversùs ferocientes Turcas auxilia, necnon agendi pro Schiſmaticorum, & Infidelium converſione.* 308

Hi-

Imprimatur,
Si videbitur Reverendiſs. P. Magiſtro Sac. Palatii Apoſt.

H. Cervinus Epiſc. Eraclea Viceſgerens.

APPROBATIO.

HIſtoriæ Polemicæ *de Græcorum Schiſmate*, Tomum Tertium, juſſu Reverendiſſimi Patris Magiſtri Sacri Palatii Apoſtolici attentè, & magnâ animi oblectatione perlegi: Quidquid complectitur Fidei regulæ, boniſque moribus apprimè conſentit. Operi multis nominibus proficuo, accurata rerum tractatio, admirationem; prudens Sententiarum delectus, ſuffragium, illuſtre demùm Auctoris ſui nomen Orbi literario longè, latèque notum, pretium apud omnes, & celebritatem conciliabunt. Ita cenſeo. Romæ in Collegio S. Franciſci de Paula, 8. Julii 1719.

Franciſcus Zavarroni Ordinis Minimorum Lector Jubilatus, Sacræ Congreg. Indicis Conſultor, & in Collegio Urbano de Propaganda Fide Theologiæ Scholaſticæ Lector.

Franciſcus Bencini Sacræ Theologiæ Doctor, & in Collegio Urbis de Propaganda Fide Theologiæ Polemicæ Lector, affirmo, ut ſupra.

Im-

Imprimatur.

Fr. Gregorius Selleri Sacri Palatii Apoſt. Magiſter, Ordinis Prædicatorum.

HISTORIA POLEMICA
DE GRÆCORUM SCHISMATE.
PARS QUINTA.

1 *NUllam gravitatem, nullam cõſtantiam, nullum firmum in Græcis hominibus conſilium, nullam deniquè eſſe teſtimonii fidem*, exclamat Tullius Orat. 24. pro Flacco, indèque, etſi in pluribus Græcos excellere fateatur, nec Religionem, nec Fidem colere concludit: *Hoc dico de toto Græcorum genere*, inquit, *tribuo illis literas, do multarum artium diſciplinam; non adimo ſermonis leporèm, ingeniorum acùmen, dicendi copiam: denique etiam, ſi qua ſibi alia ſumunt, non repugno; teſtimoniorum Religionem, & Fidem nunquàm iſta natio coluit; totiuſque hujuſce rei, quæ ſit vis, quæ auctoritas, quod pondus ignorant*. Hanc ſanè hujus Tulliani dicti veritatem in tota hujus Hiſtoriæ ſerie experti ſumus, ac comprobatam vidimus: quæ verò ſequuntur, validiùs comprobabunt. Apparebit nàmque, & Michaelis Palæologi, & Andronici, aliorumque Græcorum, qui tot laboribus, tot diſpendiis, & ærumnis procuratæ unioni conſenſerunt, reiteratis ſacramentis eam receperunt, firmarunt, atque roborarunt, qualis fuerit Fides, quævè Religio; quoniàm non diù ſacramenta ſervarunt, inverecundi, ultraquàm quòd Imperialis dignitas patiatur, mortuo Nicolao, Religione contemptâ, promiſſorum immemores, facti perjurii ad vomitum rediere, prout in hujus partis exordio demonſtrabimus. Sed & quæ indè ſubſecuta ſunt uſque ad Gregorii XI. ætatem, ad effectum tot vices rebelles filios, ad Sanctam Matrem Eccleſiam, operâ & ſtudio piorum Romanorum Pontificum, revocandi, in eadem parte palàm faciemus. Addemus pro fide catholica in univerſum ferè Orbem dilatanda eorundem pariter Romanorum Pontificum ſtudia, & labores; nec non & procuratas expeditiones, tùm pro Terra Sancta recuperanda, tùm pro domanda Schiſmaticorum Græcorum protervia. Clades quoquè Imperii Conſtantinopolitani, & excidia, Deo vindice, ab inimicis Chriſtiani nominis inflicta, aliaque plura inſeremus Viris non ingrata eruditis.

CAPUT I.

De Martini IV. Pontificatu, & Michaelis Palæologi defectione, & latà in eum excommunicatione. De Siculis operà Palæologi deficientibus à Carolo Rege, & excommunicatione ab eodem Martino V. in præfatos Siculos lata.

2 ANno Domini MCCLXXX. Michaelis Imperatoris Græcorum Anno XX. Rodulphi Romanorum Regis Anno VIII. Pontificatus Nicolai Anno III. Indictione VIII. contigit, eundem Nicolaum in Caſtro Suriani apud Viterbium ex hac vita migraſſe die XI. Kalendas Septembris, qui erat octavus dies Aſſumptionis Beatæ Mariæ Virginis. De cujus obitu Auctor ejus Vitæ apub Labæum hæc ſcribit: „ Tandèm, licèt „ cibi, potuſque abſtinentiſſimus eſſet, mor- „ te tamen ſubitaneâ in Octava Aſſumptio- „ nis Suriani ſublatus eſt, cùm Pontifica- „ tum Annis tribus, menſibus octo, & die- „ bus quindecim obtinuiſſet: Indè Romam „ relatus, in Eccleſia Sancti Petri ſepultus „ eſt. *Hæc ille*. Sed quoniàm conſtat ele-

ctum Anno Domini MCCLXXVII. in feſto Beatæ Catharinæ, die videlicèt xxv. Novembris, ut ſuprà fati ſumus, dato ejus obitu die xxii. Auguſti, in octava ſcilicèt Aſſumptionis, Anni MCCLXXX. fit conſequens, ſediſſe non Annos III. ſed II. menſes viii. & dies xxviii. Ac ità corrigendus eſt Longinus, qui ſcribit, ſediſſe Annis II. menſibus ix. & diebus iii. ſicut & Martinus Polonus, qui tribuit Annos II. menſes viii. & dies xxii. Centuriatores verò Centur. xiii. cap. x. obitum Nicolai in Annum ſequentem conſignant, ac Sutrii, non Suriani objiſſe teſtantur: ſed falsò, tùm quo ad Annum, cùm quo ad locum, contradicentibus cæteris, & præcipuè illius ævi Scriptoribus; Bernardus nàmque in Chronico Romanorum Pontificum ad hunc Annum ſcribit: *Nicolaus Papa III. in Caſtro Suriano exiſtens, ſubitò factus apopleticus, ſinè loquela moritur in Octava Aſſumptionis Beatæ Mariæ Virginis*. Et Ptolomeus Lucen. lib. 3. Hiſtor. Eccleſ. cap. 35. *Moritur*, inquit, *apud Surianum, juxtà Viterbium; & tunc Corpus ejus transfertur Romam, & in Baſilica Beati Petri in Cappella Beati Nicolai, quam ipſe ædificaverat, honorificè ſepelitur, Anno Domini MCCLXXX. in Octava Aſſumptionis*. Ità Weſtmonaſterienſis, & alii, quibus ſe ſubſcribit Calviſius, & cæteri Recentiores.

3 Refellendi præterea ſunt antefati Centuriatores, qui luxuriæ maculam ipſi aſpergere nituntur: Habent enim contrà ſe cæteros omnes Scriptores, ejus pudicitiam teſtantes, inter quos Sanctus Antoninus 3. part. cap. 3. §. 3. apertis verbis ſcribit: *Hic igitur Nicolaus, ſecundùm Chronicon Florentinum, in juventute ſua fuit bonæ vitæ & famæ, & adeò honeſtus & caſtus, ut virginitatem ſui corporis ſervaſſe diceretur.* Weſtmonaſterienſis in Florent. Hiſtor. ad hunc Annum, poſtquàm de ejus obitu verba facit, ſubnectit: *Cùm tamèn ſecundùm benedictionem complexionis bonæ, & temperatum modum in vivendo, quem habebat, diutiùs vivere meritò videretur*. Hoc idem teſtantur Joannes Villanus lib. 7. cap. 54. Ricordanus in Hiſtor. Florentin. cap. 204. & alii, adeò enim ſummam in omnibus actionibus modeſtiam, ac honeſtatem monſtravit, ut communi elogio, *Pater compoſitus*, diceretur. Hinc Auctor vitæ ejus apud Labæum cit. *Laudatur*, inquit, *in eo, quod generoſi animi, & ſani conſilii, probatæ vitæ, morumque honeſtiſſimorum fuerit, literarum ſtudioſos amaverit, in diſtribuendis beneficiis perſonarum electionem evitaverit*.

4 Scribit tamen, ergà parentes valdè extitiſſe propenſum, adeoùt ex duobus Nepotibus de Urſinorum Familia, duos Reges in Italia creare decreviſſet: „ Duos Reges, *inquit*, ex Urſinorum Familia creare decreverat, unum Etruriæ, alterum Longobardiæ præfecturum; ille, ut Germanos ultrà Alpes compeſceret; hic, ut Gallorum, & Sicilienſium potentiam retunderet. *Hæc ille*. Et Sanctus Antoninus loco mox cit. ait: *Magni animi fuit, ac calore conſanguineorum, & conſortum, ſcilicet Urſinorum magna aggreſſus eſt, & ardua, ut exaltaret genus ſuum. Et Simonia per eos ſatis manifeſtè in Curia diſcurrebat. Multùm ditavit ſuos conſanguineos, poſſeſſionibus, caſtris, & pecuniis ſuper alios Romanos*. At de duobus Regibus, Jordanus apud Raynaldum ad hunc annum ſub num. 28. hæc ſcribit: „ Tractabat quoquè idem Pontifex cum dicto Rege, ſuper novitatibus faciendis in Imperio, ut videlicèt totum Imperium in quatuor divideretur partes, in Regnum Alemanniæ, quod dabatur poſteris Rodulphi perpetuum; in Regnum Vienenſe, quod dabatur in dotem uxori Caroli Martelli filiæ dicti Rodulphi; de Italia verò præter Regnum Siciliæ, duo Regna fiebant, unum in Lombardia, aliud in Tuſcia; ſed interim Papa mortuus eſt. *Hæc Jordanus*. Sed in his defenditur à Bernardino Tono in Vita m. ſ. Nicolai, ut tradit loco cit. Raynaldus.

5 Cæterùm multa hujus Pontificis egregia opera referunt Scriptores, inter quos copioſiùs Ptolomæus Lucenſis, inquiens: „ Hic Nicolaus III. multas novitates fecit: primò, quià apud Sanctum Petrum ædificavit Palatium multùm ſolemne Pontificale, ubi mādavit fieri domos pro omnibus Officialibus ſuis, ſed præcipuè pro omnibus Pœnitentiariis, qui claudebantur ſub uno Cancello, ubi fecit fieri unum Viridarium de diverſis conſitum arboribus, & magnæ amplitudinis, quod & muro cinxit ampliſſimo, fortiſſimo, & alto, ac Turribus munito, quaſi Civitas eſſet. *Et item*. Hic etiam Palatium Lateranenſe, quod de novo Hadrianus Quintus incœperat, fecit perfici, nec non & Sacram Baſilicam ad Sancta Sanctorum evidentiùs ruinoſam à ſolo terræ opere perpetuo inter ipſam per latera veſtitā marmore, ac in ſuperiori parte teſtudinis, picturis pulcherrimis ornatā fundari juſſit, Capitibus Apoſtolorum cum carne Circumciſionis Domini noſtri Jeſu Chriſti, Capillis quoquè Beatæ Virginis, Capite Beatæ Agnetis, ſeorsùm poſitis; quarum Reliquiarum quælibet in propria capſa erant, & exindè manu ejus propriâ in Palatium ipſum novum de nocte tranſlatis, & cuſtoditis ibidem per religioſas Perſonas, & fide etiam dignas, donec Baſilica fuit completa, commiſit. Demùm autem Romano Populo utriùſque ſexus generaliter, ac multis Prælatis, & aliis innumeris gentibus concurrentibus perſonaliter, argenteas capſas ipſas eas reduxit in Altare ejuſdem Baſilicæ, quam pridiè Nonas Junii conſecravit. Multa virtuoſa eidem attribuunt Hiſtorici, quòd Magnus

„ Eleemoſynarius, quod devotiſſimè celebrabat, & ſemper in Miſſa flebat. De magna prudentia commendabatur, ac in omnibus actibus ſuis multùm maturus, vacantes Eccleſias ſuper omnes prædeceſſores ſuos velociùs expedivit. Notarios etiam, ut Gregorius X. & Joannes XXI. à ſe repulit, nullam eis audientiam dando. *Hactenus Ptolomæus*.

6 De renovato Palatio Vaticano meminit etiam S. Antoninus. Et idem habetur in appendice Martini Poloni, Eccleſiam quoquè Sancti Petri quaſi in totum renovaſſe, idem Ptolomæus eſt auctor, inquiens: „ Hic Eccleſiam Beati Petri quaſi totam renovavit, & numerum Summorum Pontificum fecit deſcribi, ſecundùm Imagines in Eccleſia Beati Petri in loco eminenti, & Beati Pauli, ac Sancti Joannis de Laterano. Auget multùm divinum cultum Eccleſiæ Beati Petri, quantùm ad numerum Canonicorum, & augumentat præbendas. *Hæc ille*.

7 Fuit inſuper ergà Minoritas valdè propenſus, adeoùt Ptolomæus ipſe dicat: *Hic multos Epiſcopos religioſos fecit de Ordine Fratrum Minorum*, additque, *quià ipſos ſpecialiter dilexit, & ipſorum Protector ſemper fuit uſquè ad Papatum*. Et Jordanus addit, ipſum inito Pontificatu, cum Minoritarum clientelam Matthæo Rubeo Cardinali commendaret, dixiſſe ait: „ Si beneficia per nos tibi impenſa, magna inveniantur, & multa, in nullo tamèn ſic è vicino dedimus tibi arrham æternæ vitæ, ſicut in eo, quod tibi modò committimus. Damus enim tibi, quòd te in Paradiſum inducat, merita ſcilicèt Sanctorum Fratrum Ordinis hujus: Damus tibi meliùs quod habemus: Damus tibi deſiderium cordis noſtri, & pupillam oculorum noſtrorum; & hoc dicens, non modò lacrymas fudit, ſed etiam ſingultus Vir tantæ maturitatis continere non valuit. Et extensâ manu proprium Annulum tradidit illi, dicens: Tibi committimus Ordinem Fratrum Minorum: *& illa verba regulæ recitavit*: *Qui ſit Gubernator, Protector, & Corrector iſtius Fraternitatis*: Gubernatione inquiens, & correctione tua non egent, ſed pauperes & imbecilles, & habentes impugnatores, tuâ indigent protectione defendi. *Hæc Jordanus*, cui aſtipulantur univerſi Scriptores Ordinis.

8 Adeò benevolus ergà meum præfatum Minorum Ordinem fuit, ut in eodem Caſtro Suriani, ubi ad declinandos calores æſtivos ſe receperat, & ubi ultimum clauſit diem, præſcriptam à meo Sanctiſſimo Patriarcha Regulam, & vitæ formam, propter nonnullas ambiguitates expoſuit, & declaravit. Teſtatur idem Ptolomæus, præter Ordinis, alioſvè Scriptores, inquiens: „ Propter quam cauſam ipſorum Regulam declaravit per quandam Decretalem, quam fecit, quæ habetur *in lib. 6. de Verborum ſignificat. cap. Exivit, qui ſeminat*. Quod non fuit incongruum, cùm etiam declarari poſſent per ipſum, & Regula Evangelica, & Apoſtolica dicta, ſecundùm ſacrorum Doctorum ſententias; undè quià dubia quædam in dicta Regula videbantur, hæc certiorari voluit in Decretali præfata. *Hactenus Ptolomæus*. Et quidèm præfata Decretalis legitur data Suriani XVIII. Kalendas Septembris, Pontificatus ſui Anno Secundo, ſed ſatis de Nicolao.

9 Ipſo itaque defuncto, ac ejus corpore Romam delato, ut ſuprà fati ſumus, Domini Cardinales convenientes in Palatium Pontificium Viterbii, ubi tunc Curia reſidebat, de ſucceſſoris electione tractaturi, nonnulla triſtia evenère; quoniàm Officiales Viterbienſes ſumptis armis, ingreſſi Palatium, impiè manus injecerunt in duos Cardinales, Matthæum ſcilicèt de Rubeis, Tituli Sanctæ Mariæ in Porticu, & Jordanum Tituli Sancti Euſtachii, quos vi tractos, in quadam ejuſdem Palatii Camera ſub arcta recluſerunt cuſtodia. Hæc quidèm apparent ex literis Honorii IV. lib. I. Epiſt. cur. 18. ubi ait: „ Cum Romana Curia dudùm Viterbii reſidente, præfata Eccleſia per fœlicis recordationis Nicolai prædeceſſoris noſtri obitum, Paſtore vacaret, ac nos, & fratres noſtri, de quorum numero tunc eramus, ipſius Eccleſiæ Cardinales conveniſſemus ſolicitè in Palatio Epiſcopatus Viterbienſis pro electione de Summo Pontifice celebranda; & ſtuderemus omnimodè impedimenti cujuslibet obicem ſubmovere, ut ſupernâ favente clementiâ celeriter provenire contingeret, quod tunc Mundi neceſſitas, ac noſtrum, & ipſorum Fratrum fervens deſiderium exquirebat; memorati Viterbienſes, ut præconceptum virus evomerent, & quam gerebant iniquitatem interiùs, exteriùs revelarent, pulſatâ campanâ, ſumptis armis, & ſceleſtibus actibus datâ licentiâ, in furoris ſpiritu ad prædictum Palatium concurrentes, ac humanitatis, & reverentiæ debito à ſe penitùs relegato, in Palatium ipſum clamoribus terribilibus editis irruentes, graſſantes in Patres, in Paſtores atrociſſimè ſævientes, dilectos filios noſtros Matthæum, Sanctæ Mariæ in Porticu, & Jordanum, Sancti Euſtachii Diaconos Cardinales, columnas quidèm Eccleſiæ omnique reverentiâ pertractandos, quamquàm Viterbienſes prædicti firmitèr promiſiſſent, ſe tunc ad incluſionem, vel arctationem prædictorum fratrum nullatenùs proceſſuros, injectis in nonnullos ex eiſdem fratribus manibus violentis, & non non levibus, dictis Matthæo, & Jordano Cardinalibus irrogatis injuriis, in una ex Cameris ejuſdem Palatii, obſtructis oſtiis

„ & feneſtris illius, auſu ſacrilego incluſe- „ runt, nonnullis ex aliis fratribus ſupradi- „ ctis, dùm præſumptioni tàm temerè, tàm „ deteſtandis aggreſſibus refragari ſolicitè „ niterentur, indecenter, & irreverenter im- „ pulſis, ac eiſdem Matthæo, & Jordano Car- „ dinalibus ſub dura & ſuſpecta nimis carce- „ rali cuſtodia poſitis, tandèm prædicto Jor- „ dano ab hujuſmodi cuſtodia, quamvis ſub „ certis pactis, & conditionibus relaxato, „ præfato Matthæo Cardinali, diebus pluri- „ mis ſic ab illis injurioſè detento, per dies „ aliquot cibaria inhumaniter ſubtraxerunt „ eidem, pane & aquâ dumtaxàt, juxtà ipſo- „ rum diſpoſitionem nefariam reſervatis, non „ permittendo, quòd proprius Confeſſor ac- „ cederet ad eundem. *Hæc ille*.

10 Jordanus verò meminit tantùm incarcerationis Cardinalis Matthæi, nullâ de Cardinali Jordano factâ mentione, fortè quià incarceratio Matthei diuturnior, & arctior fuit; Scribit tamèn hæc omnia patrata à Viterbienſibus annuente Richardo de Annibaldenſibus nobili Romano, Præfecturam Viterbii tunc exercente: „ In electione Martini IV, „ *inquit*, accidit turbatio, quòd D. Mat- „ thæus de Rubeis Cardinalis fuit ſingulari- „ ter recluſus in quadam Camera per Offi- „ ciales Viterbienſes, conſentiente D. Ri- „ chardo nobili Viro Romano de Annibal- „ denſibus, dicto de Larota, qui tunc erat „ Dominus Viterbii. Cardinales autem tunc „ non includebantur ſecundùm formam Con- „ ſtitutionis, quæ revocata fuerat per Joan- „ nem Papam; recluſio tamen erat ſponta- „ nea, ut in electionibus aliorum Prælato- „ rum fieri ſolet. Ex hac igitùr violentia „ omnes Auctores ſentẽtiam excommunica- „ tionis incurrunt, & Civitas ſuppoſita in- „ terdicto; & ex tunc Curia ibidem reſiden- „ tiam facere noluit. *Hactenus Jordanus*.

11 Addit Sanctus Antoninus 3.par.cap.4. in exordio, prædicta acta fuiſſe in odium Urſinorum, qui ſub Pontificatu Nicolai in maximam elevati fuerant potentiam; & quidèm annuente etiam Carolo Siciliæ Rege, præſente Viterbii, cui Nicolaus fuerat infenſus, vel ipſe Nicolao, à quo & Senatoria fuerat exutus dignitate, & Vicariatu privatus Etruriæ, ut cap. 3. §.4. idem Antoninus fusè ſcribit: Itaquè loco ſuperiùs citato ait Sanctus Antoninus: „ Nicolao III. ex hu- „ manis ſublato, cùm de ſucceſſore deligen- „ do inter Patres agitaretur; aſſumpti nuper „ à Nicolao Cardinales, Italicum; altera ve- „ rò factio, & ipſa per ſe potens à Rege ſub- „ levata atque impulſa, Gallicum cupiebat. „ Aliquot menſes cum eo modo certaſſent, „ neque de Pontifice conveniri poſſent, Vi- „ terbienſes infenſi Urſino generi ex ſupe- „ riori dominatu, ſeditione factâ ad arma ie- „ runt, novoſque ſibi Magiſtratus, pulſis „ veteribus, creaverunt; indè cæco, amenti- „ que furore, Conclave, quo Patres incluſi „ erant, irruentes, duos Urſinos Cardinales „ per vim detractos, non ſinè contumelia ab- „ duxerunt. Abductus eſt etiam cum his „ Latinus ille, quem Legatum nuper Flo- „ rentiæ pacis auctorem fuiſſe ſuprà mon- „ ſtravimus; ſed hic poſtmodùm Conclavi „ redditus eſt. Duo autem Urſini privato „ carcere detenti; quod factum dicitur, ſe- „ cundùm Chronicon Florentinum, de vo- „ luntate Regis Caroli, qui quærebat habe- „ re Pontificem Gallicum; & propter hoc „ auditâ morte Nicolai III. ex Etruria Vi- „ terbium acceſſit. Cardinales autem deten- „ ti in carcere, fuerunt D. Matthæus, & „ D. Jordanus, ambo de Urſinis. *Hactenus Sanctus Antoninus*. Cæterùm, de Latino detento, & indè relaxato, nulla mentio habetur in literis Honorii ſuprà recenſitis, ubi Jordanum relaxatum ſcribit, detento indè in duriori cuſtodia Matthæo. Jordanus verò addit, Richardum de Annibaldenſibus ſummâ cum humilitate veniam petiiſſe, eamque obtinuiſſe: „ Prædictus autem Richardus, „ *ait*, cum multa humilitate venit de domo „ propria Romæ nudis pedibus, & cum cor- „ rigia ad collum uſquè ad domum D. Mat- „ thæi, humiliter veniam petens; & idem „ Cardinalis ejus abſolutionem impetravit. *Hæc ille*.

12 His porrò de cauſis diù vacavit Sedes, donec inſpirante Patre Luminum, conſenſerunt Domini Cardinales in Simonem Cardinalem, Tituli Sanctæ Cæciliæ, Gallum natione, patriâ Brienſem, de Agro Turonenſi, quondàm Turoni Canonicum, qui licèt non genere Nobilis, ſecundùm carnem, moribus tamen & virtutibus nobiliſſimus fuit, vir utique pius, & ſanctus; de quo Sanctus Antoninus 3.part. cap.4. in principio hæc ſcribit: „ Demùm poſt vacationem Sedis quimeſtrem „ electus fuit in Papam, qui dictus eſt Marti- „ nus IV. natione Gallicus; & ſi non nobi- „ lis generis, ſecundùm carnem, tamen mo- „ ribus generoſus & magnanimus, & cupi- „ ditate pro ſe, vel ſuis alienus; Eccleſiaſti- „ cique juris zelator. *Et paulò poſt*. Cùm „ autem Germanus ejus, *ſubnectit*, ad ipſum „ acceſſiſſet gratiâ viſitationis, & congratu- „ lationis, ſperans fortè aliquid ab eo ma- „ gnum obtinere, quàm citiùs eum remiſit „ ad propria cum modicis muneribus, & mo- „ deratis expenſis, dicens, quæ habebat ut „ Papa, bona eſſe Eccleſiæ, non ſua, undè „ nec diſſipare vellet indiſcretè donando. *Hactenùs S. Antoninus*.

13 Creatus eſt in feſto Cathedræ Sancti Petri, die nimirum XVIII. menſis Januarii, Sede vacatâ per menſes quinque minùs dierùm trium, hoc eſt ab Octava Aſſumptionis, die videlicèt XXII. Auguſti, ad uſque XVIII. Januarii, & nomen ſibi indidit Martini IV. licèt tamèn ſecundùm ſeriem appellari de-

buiſ-

ſet Martinus II, quemadmodùm & Joannes, de quo ſuprà, XX, dici debuerat, licèt XXI. dictus fuiſſet. De ejus creatione Martinus Polonus lib. 4. hæc ſcripto demandavit: „ Martinus IV. natione Gallus, eligitur Anno „ Domini MCCLXXXI. in die Cathedræ „ Sancti Petri; Hic vocabatur Simon, Tituli „ Sanctæ Cæciliæ Presbyter Cardinalis, „ fuitque per Urbanum Quartum promotus „ ad Cardinalatum, & per eundem Urbanum „ primò, & ſecundò, & per Gregorium „ Papam X. in Franciam miſſus Legatus, & „ per plures annos ibi Legatus extitit. *Hæc ille*. Verùm clariſſimum & ineluctabile teſtimonium de ſuæ creationis tempore habetur in ſuis Encyclicis literis datis poſt ſuam coronationem ex Urbe Veteri, quas exhibet Raynaldus ad Annum Dom. MCCLXXXI. ſub num. 7. & in quibus de ſua creatione hæc leguntur: „ Memorato ſiquidèm prædeceſſore „ noſtro, prout Domino placuit, ab „ hac luce ſubtracto, ejuſque corpore delato „ ad Urbem, ibiq; in Apoſtolorum Principis „ Baſilica, ubi ſepeliri delegerat cum „ Exequiarum ſolemnitate debitâ tumulato, „ nos, & fratres noſtri de vacatione ipſius „ Eccleſiæ Viterbii, ubi tunc Romana reſidebat „ Curia, in Epiſcopali Palatio concordi „ voto convenimus, proviſioni ejuſdem „ Eccleſiæ propenſiorem daturi operam, „ prout neceſſitas exigebat. Circà hoc autem „ pluribus tractatibus habitis, poſt aliquanti „ temporis moram, quam caſus varii, „ & diverſæ circumſtantiæ induxerunt; „ demùm in feſto Cathedræ ipſius Apoſtolorum „ Principis iidem fratres noſtri per „ viam Scrutinii ad electionem celebrandam „ electam, concorditer in nos, tunc Tituli „ Sanctæ Cæciliæ Cardinalem unanimiter „ concordantes, ad Summi Apoſtolatus apicem, „ & ipſius Cathedræ nos eligere conſcenſum.

14 Invitum, ac reluctantem onus ſuſcepiſſe, ac ſuæ electioni annuiſſe, ſubjungit, inquiens: „ Quam nos, ut eſt, ſpeculum „ exiſtimantes eò non immeritò altitudinis „ grandioris, quò eidem inſidens conſtitutus „ ſuper omnia ſpeculator locatus altiùs, proſpectare „ longiùs, cuncta ſpeculari tenetur „ attentiùs, & totius Orbis ambitum curæ „ ſuæ commiſſi non tàm præſentiâ, quàm „ providentiâ circuire; extirpare vitia, virtutes „ inſerere, pro viribus Eccleſiarum obviare „ periculis, providère commodis, & „ ſaluti ſpecialiter contendere animarum; „ ſtatus eminentiam, & immenſitatem imminentis „ oneris penſabamus; tantò ex hujuſmodi „ vocatione redditi proindè magis attoniti, „ quantò ab altioris gradus appetitu „ fueramus ab olim fixo propoſito alieni, arbitrati „ ſemper tutioris fore conſilii nobis „ altiora non quærere, in domo Domini humiliter „ habitando, de propria ſalute curare, „ quàm periculosè ſuper univerſalem „ omnium curam erigi, & ad tanti faſtigii „ ſolicitudinem elevari. Hinc inſufficientiæ „ noſtræ conſideratio contrahebat animum, „ & à tanti aſſumptione laboris dexteram retrahebat, „ ſuadebat inſtantiùs potiùs tantæ „ molis pondus effugere, quàm eorundem „ fratrum inſtantiæ conſentire.

15 „ Verùm in contrarium conſcientiâ „ ſuadente non eſſe vocationi Domini, quam „ tantò veriſimiliùs eorundem fratrum adeò „ unanimis concordia prætendebat, quantò „ diutiùs ipſorum fuerant vota diſcordia, „ contumaciter reſiſtendum; nè ipſa Dei Eccleſia „ eò prolixiùs viduitatis diſpendiis „ gravaretur, quò aliàs ſpes erat incertior de „ ipſius proviſione vicina; tandèm variis allegatis „ excuſationibus, nec admiſſis, ſed ab „ eiſdem fratribus in eo fervore voluntatis „ anxiæ, importunitatiſque multimodæ obauditis, „ ut manus ad exuendum nos Clamydem, „ qua tegebamur, extenderint, nec „ ipſius rupturæ pepercerint; ſub ſpe Unigeniti „ Filii Domini Jeſu Chriſti humilitatis „ noſtræ colla ſubjecimus jugo Apoſtolicæ „ ſervitutis. *Hactenus ipſe Pontifex*.

16 Ex hactenùs deductis conſtat, hanc electionẽ incidiſſe in Ann. Dñi MCCLXXXI. Imperii Michaelis Palæologi XXI. Rodulphi Romanorum Regis IX. Indictione IX. menſe Januarii, ut fati ſumus, die XVIII. licèt Calviſius ſcribat die XXIV. Anno XXII. Imperii Palæologi; qui & coronatum dicit die XXIII. Martii, Dominicâ *Lætare*, & in Paſchate ſex creaſſe Cardinales. In die verò Coronationis concordat cum Jordano, qui ſcribit coronatum X. Kalendas Aprilis, non tamen Viterbii; undè poſt ſuam electionem, quoniàm prædicta Civitas ob ſcelus in antedictos Cardinales patratum, ſuppoſita erat Interdicto, cum univerſa Curia diſceſſit, tranſtulitque ſe ad Urbem Veterem: Cupiebat pius Pontifex Romæ coronari impellente ad hoc mirâ ergà Sanctum Petrum devotione, at Civitate illâ inteſtinis Civium diſcordiis turbatâ, nec valens Pontifex ſuorum Legatorum operâ tàm citò controverſias ſedare, coactus fuit in præfata Urbis Veteris Civitate demùm coronari: *Hic*, ait Jordanus, *poſt ejus promotionem à Viterbio diſcedens, noluit ibidem conſecrari, ſed ſe tranſtulit ad Urbem Veterem, & ibi conſecratus fuit X. Kalendas Aprilis*. Et Auctor ejus Vitæ apud Labæum, ait: *Creatus eſt Pontifex VIII. Kalen. Martii, Anno Domini MCCLXXXI. tempore Rodulphi Imperatoris; Viterbii coronari recuſavit, quòd propter violentiam illatam, illa Urbs Interdicto ſubjaceret; ſed Orvieti XXIII. Martii inauguratus eſt. Ipſo die Paſchæ ſex Cardinales creavit*. Ubi errare videtur circà tempus illius creationis, cùm dicat creatum VIII. Kal. Martii, nimirum die XXII. Februarii, in quam incidit feſtum Cathedræ Petri in Antiochia, non Romæ;

Die

Die enim, in quem occurrit Feſtum Cathedræ Sancti Petri Romæ, creatum tradunt cęteri Scriptores: Si enim præfata electio prorogata fuiſſet uſque ad antedictum Februarii diem, Sedes non quinque poſt Nicolai obitum, ſed ſex integros vacaſſet menſes, cùm tamen idem Auctor in Vita Nicolai ſcribat, poſt illius obitum Sedem vacaſſe menſibus quinque, ſicut cæteri pariter Scriptores adnotant.

17 Sub hoc itaque Pontifice Michael Palæologus ad vomitum reverſus, Schiſmaticis adhęſit; apparuit namque qua cordis ſinceritate ſe egerat in concilianda Eccleſia Græca cum Latina, quo fine tractatus prædictæ unionis incœpiſſet: certè non alia de cauſa, niſi, ut hoc pio Religionis prætextu, Romani Pontifices Latinorum arma, præcipuè Caroli Siciliæ Regis diverterent, nè pro recuperando deperdito Imperio Conſtantinopolitano moleſtiam ei inferrent. Hanc ſimulationem Palæologi detegit Gregoras lib.5. cujus verba ſupra retulimus, & modo pauca repetemus: Scribit nàmque Palæologum agentem cum ſuis, qui unioni diſſentiebant, dixiſſe: *Cœptam eſſe rem nullo ſtudio novitatis, ſed propter difficultates temporum: Eſſe autem prudentiæ, impendentes præcavere calamitates; & ſi quid ad graviora mala avertenda novandum ſit, non eſſe cunctandum*. Excuſſo indè timore, facilè adhæſit ſui Regni ſchiſmaticis quovis contempto Sacramento.

18 Adhùc vivente Nicolao, eodem ipſo tempore, quo ſacramentum pro ſtabili unione utriuſque Eccleſię renovarat, fœdus injit cum Petro Aragonæ Rege adversùs Carolum Regem Siciliæ: mediatores verò fuère Joannes de Procida, & Benedictus de Zacharia Januenſis; undè ſcribit Jordanus apud Raynaldum ad hunc annum ſub num:28. „ Tractatur compoſitio inter Palæologum, & Petrum Regem Aragonum, qui filiam Manfredi habebat uxorem, vocatam Conſtantiam. Mediatores autem compoſitionis fuerunt Benedictus de Zacharia Januenſis, & Dominus Joannes de Procida, qui fuit unus de principalioribus in auferendo Regnum Regi Carolo. Dùm verò paratur Exercitus, Papa ſcribit ad ſuggeſtionem Regis Caroli Regi Aragonum, quærens, cùr paret Exercitum. Reſpondit ille, linguam ſibi amputaturum, ſi ſecretum manifeſtare putaret. *Hæc Jordanus*. Utrumque notat Calviſius, ſed diſtinguit tempora; nàm ſub Nicolao tractatum fœdus adnotat, & ſub Martino paraſſe Exercitum. Sub Anno enim MCCLXXX. ait: *Joannes Procida olim Prorex in Sicilia, profugerat ad Petrum Aragonū poſt occiſum Manfredum. Hic ſub hoc Nicolao Pontifice, qui Gallis infeſtus erat, navigat ad Palæologum Imperatorem Conſtantinopolitanum, & fœdus impetrat pro Aragoniis*. Sub anno verò ſequenti, poſtquàm de Martini creatione verba feciſſet, ſubjungit: *Hic reſtituit Regi Carolo Senatoriam dignitatem, & per Legatum à Petro Aragonio inquirit, cùr tanto apparatu Claſſem ædificaret; à quo reſponſionem accepit, ſe tunicam interiorem laceraturum, ſi conſcia eſſet ſui conſilii*.

19 Cęterùm hujus rei Hiſtoriam confirmatam legimus teſtimonio antedicti Gregoræ Scriptoris Græci, qui omnia, quæ acciderant inter Carolum, & Palæologum, & quomodò hic illum ſuperaverit, diffusè deſcribit eodem lib.5. ſub titulo: *Latinorum adversùs Romanos expeditio*: „ Carolus, *inquit*, Imperatori perpetuas ſtruebat inſidias, eaſque perducendi ad exitum, occaſionem captabat. Cùm autem hinc Joannem Sebaſtocratorem Theſſalię Principem, indè Illirios bellum inferre illi cerneret; ſibi quoquè Terra, Marique Romanos invadendi opportunitatem, & deſtinata exequendi dari ratus eſt. Itaquè magnâ claſſe inſtructâ, terreſtres copias majores parat; iiſque virum fortem Roſoſulem præponit, qui Jonio Mari trajecto, nihil ſpectabat magis, quàm ut Caſtello Bellogrado, & opportunioribus Macedoniæ locis expugnatis, impunè Bizantium uſquè progrederetur. Neque enim fore quemquam, qui cum tantis Exercitibus, & armis tàm firmis congreſſus ſinè malo diſcederet.

20 „ Quod cùm ad Imperatorem perlatum eſſet, non cunctandum ratus, & armis, & pecuniis, & conſiliis reſiſtendum illi cenſuit. Undè apparet, quantò prudentiâ ſit armis potentior, & ingenii ſolertiâ milite numeroſo. Primùm enim omnis generis opibus miſſis, Siciliæ Regem Fridericum (*lege Petrum*) ad bellum Carolo faciendum concitavit, ut eum, vel claſſem, ſi aliud non poſſet domi retinere, & de vicino quàm externo bello magis ſolicitum eſſe cogeret. Id quod maximum & efficaciſſimum opus viſum eſt. Ac navales copias Regis hoc aſtu Imperatoris dexteritas fecit irritas. Deindè ſupplicationibus per omnes Eccleſias indictis, Romanas copias, quæ tùm erant, contrà Roſoſulem mittit. Quibus abeuntibus, neque conſultum, neque tutum viſum eſt, aperto marte congredi cum hoſte tàm potente, & firmiſſimis armis munito; ſed inſidiis, & velitationibus è loco ſuperiore laceſſendum eſſe, &, ut ſuperbi, & impatientes eſſent, concitandos, ut per indignationem nullo ordine, ſolutâque acie erumperent. Nàm Italorum à multis ſæculis ea diſciplina eſt, ut cum ordine conſervato invadant hoſtem, firmus ſit murus, & inexpugnabilis; ſin à conſueto ordine conſervato nonnihil receſſerint, nihil prohibebat, quominùs ſtatim ab hoſtibus capiantur. Neque rarò inſitus illis faſtus, & rationis expers iracundia magnoperè lęſit.

21 „ Quæ cum Romanis olim nota eſſent, talibus eos dolis circumveniebant, „ ac frumentarios mulos ex inſidiis cædebant, & mercatum, qui illos ſequebatur „ impediebant, & velitationibus è tumulis „ eos qui aquabantur occidebant. Roſoſules „ autem copias ſuas à Belligradi obſidione „ ad tutiorem reducere locum ſuo ſpiritu indignum judicabat: prætereaque turpiſſimum ducebat, manſiſſe diù, vacuumque „ reverti, ſed ira inflammatus, cum paucis „ omninò invadit eos, qui aquationem infeſtam reddebant, quos noſtri cùm vidiſſent, promptiſſimè deſcenderunt: iiſque „ circumdatis, equos ſagittis confixerunt, „ equites verò omnes in Romana caſtra vivos perduxerunt. Quæ res Latinos vehementèr perturbavit; Romaniſque cauſa „ fuit, in eos turbatos impetum faciendi. „ Ità inſigni victoria ſpem omnem potiuntur. *Hæc Gregoras.*

22 Ex qua quidem narratione licèt conjici, Palæologum timore Regis Caroli unionem procuraſſe, ut ex eodem Gregora oſtenſum eſt; ut nimirum hac via Pontificis operâ Carolus deſiſteret ab infeſtando Imperio Conſtantinopolitano, eoque timore perſeverante, unioni operam dediſſe, omniaque Sacramenta, & Acta ſupra recenſita peregiſſe: Cùmque poſteà comperiſſet adhuc à Caroli armis infeſtari, nec optatum finem ex ea unione conſequi poſſe, Regnum ſuum ex alia parte civilibus bellis impugnari, propter eos, qui præfatæ unioni ex Græcis potentioribus adverſabantur, facilè fuit ei reſilire, præcipuè ſuperato Carolo, factus certus res Caroli in tali ſtatu conſtitutas, attento fœdere inito adverſum eum cum Petro Aragone Rege, parante Eexercitum, ad effectum recuperandi Siciliæ Regnum, conſcius inſuper de proditione, quam Joanne de Procida in eodem Siciliæ Regno contra eundem Carolum, & Gallos ea in Inſula degentes meditabatur, ut moraliter impoſſibile videretur, poſſe in futurum, vel minimam à præfato Carolo recipere moleſtiam. Sic ergò ſtantibus rebus, nec Eccleſiam Romanam curans, nec Pontificem ampliùs attendens, ad Schiſma priſtinum cor vertit, & animum.

23 Et licèt ſub Nicolao Papa, ipſe, & filius ejus Andronicus profeſſionem Catholicæ fidei renovaſſet, & novo firmaſſet Sacramento, ſimulatè hæc omnia egiſſe manifeſtum eſt: nàm in ea forma, quam ſupra recitavimus, nec ipſe, nec Andronicus, proceſſionem Spiritus Sancti à filio, exprimere voluerunt, licèt in Concilio Lugdunenſi, hoc in profeſſione fidei Græcorum exprimendum decretum fuerit, licèt in formula à Sancta Romana Eccleſia ad Græcos miſſa, expreſſa contineretur; & licèt hoc in mandatis ipſemet Nicolaus ſuis dediſſet Apocriſariis: Quod apertè indicat in corde hunc errorem Græcos reſervaſſe, cætera autem ſimulatè tantùm egiſſe. Immò eodem tempore quoad Nicolaum præfatam confeſſionem miſit Palæologus, & filius ejus Andronicus, fœdus tractabat cum Petro Aragonio, contra Eccleſiæ Romanę jura, de occupando Siciliæ Regno, quod erat Eccleſię Romanæ Stipendiarium, & jure fiduciario ab eadem Eccleſia Carolo traditum. Inſuper, & eodem tempore, miſit ad Pontificem Marchum, & Marchetum, ea cum inſtructione. ſupra à nobis recenſita, fortaſſe alterata circa Civiles motus ſui Imperii cauſa præfatæ unionis, ut oſtenderet hac via, ſe habuiſſe legitimam cauſam recedendi ab unione à qua juxtà mentem ſuam receſſurus erat. Cùm tamen præfatæ profeſſionis literæ, non ad manus Nicolai, qui jam deceſſerat, nec, Legatio apud eundem Nicolaum abſolvi potuiſſet, ſed omniā ſub Martino Papa exequi oportuiſſet: Hic conſcius Palæologi infidelitatis, nec Legationem præfatam attendit, nec novam fidei profeſſionem admiſit, diù luſa, immò deluſa Sancta Romana Eccleſia, & Paleologum apud Urbem Veterem in Platea Eccleſiæ Cathedralis ejuſdem Civitatis, in Feſto Dedicationis Baſilicæ Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, die videlicèt XVIII. menſis Novembris, ſui Pontificatus, Anno I., ſolemniter excommunicavit, pronunciata excommunicatione ſub infraſcriptis verbis.

Martinus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, ad certitudinem præſentium, & memoriam futurorum.

24 „ Michaelem Palæologum, qui Græcorum Imperator nominatur, tanquam „ eorundem Græcorum antiquorum Schiſmaticorum, & in antiquo Schiſmate conſtitutorum, & per hoc hæreticorum, nec, „ non, & hæreſis ipſorum, ac Schiſmatis „ antiqui fautorem, de fratrum noſtrorum „ Conſilio denunciamus, præſente fidelium „ multitudine copioſa, excommunicationis „ ſententiam latam à Canone incurriſſe, ac „ ipſius fore ſententiæ vinculo innodatum.

25 „ Cæterùm univerſis, & ſingulis Regibus, Principibus, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, & cæteris omnibus, „ cujuſcumque ſint præeminentiæ, conditionis, aut ſtatus; necnon Univerſitatibus „ Civitatum, Caſtrorum, & aliorum Locorum, diſtrictiùs inhibemus, cum eodem „ Michaele Palæologo, in hujuſmodi excommunicatione manente, ſocietatem, vel „ confœderationem aliquam contrahere ſub „ quovis ingenio, vel machinatione præſumant: vel etiam ei alias in his pro quibus „ excommunicatus eſt denunciatus à nobis, „ præſtare conſilium, auxilium, vel favorem, publicum vel occultum. Et ſi ſecum „ præſumptum fuerit, omnes ſingulares perſonas

„ ſonas contrarium facientes: non obſtante „ qualibet indulgentia ſub quacumque for- „ ma Verborum vel expreſſione ipſis ab Apo- „ ſtolica Sede conceſſa, vel impoſterum con- „ cedenda, quam quoad hoc viribus, volu- „ mus omninò carere, ſententiam excom- „ municationis, quam ex nunc in ipſos fe- „ rimus, volumus incurrere ipſo facto: Ter- „ ras autem ipſorum, necnon univerſitates „ prædictas, quæ ſecus attentare præſum- „ pſerint, prout expedire viderimus, Eccle- „ ſiaſtico ſubiicere curabimus Interdicto, ad „ privationem omnium bonorum, quæ à qui- „ buslibet tenentur Eccleſiis, & ad pœnas „ alias ſpirituales & temporales, prout uti- „ le putabimus, proceſſuri: & nihilominùs „ ſocietates confœderationum ipſas, etiamſi „ pœnarum & juramenti adjectione, vel „ quacumque fuerint alia firmitate vallata, „ decernimus irritas, & inanes.

26 „ Ut autem hujuſmodi noſter proceſ- „ ſus ad communem omnium notitiam dedu- „ catur, chartas, ſivè membranas proceſ- „ ſum continentes eundem, in Majoris Ur- „ beveteranæ Eccleſiæ appendi, vel affigi „ oſtiis, ſeù ſuperliminaribus faciemus, quæ „ proceſſum ipſum quaſi Sonoro Præconio, „ & patulo indicio publicabunt, ita quod „ idem Palæologus, & alii contra quos pro- „ ceſſus ipſe contigit, nullam poſſint poſt- „ modùm excuſationem prætendere, quod „ ad eos talis proceſſus non pervenerit, vel „ quod ignoraverint eumdem, cum non ſit „ veriſimile remanere quo ad ipſos incogni- „ tum vel occultum, quod tam patenter om- „ nibus publicatur. *Actum apud Urbem Ve-* „ *terem, in Platea dictæ Majoris Eccleſiæ,* „ *in Feſto Dedicationis Baſilicæ Principis* „ *Apoſtolorum, Pontificatûs noſtri Anno I.* Hactenus ſententia excommunicationis in Palæologum: Quæ etiam habetur in Bullario Romano.

27 Jordanus verò, Martinum à Carolo Siciliæ Rege impulſum, Palæologum excom- municaſſe, ſcribit, inquiens: *In inſtantiam Regis Caroli, Papa Palæologum excommuni- catum denuntiari jubet, quia juxtà promiſſum & ſequentem requiſitionem ad obedientiam Ro- manæ Curiæ non venerat: ex quo non parva incommoda ſecuta ſunt.* Idem tradit Ptolo- mæus Lucenſis, addens: *Quod quidem fa- ctum fuit, dicto Carolo Regi cauſa ſcandali, & ruinæ, ut jam patebit; necnon & ipſi Ec- cleſiæ fuit plurimum damnoſum.* Cæterum San- ctus Antoninus hoc non dicit: ſcribit ſolùm excommunicaſſe Palæologum, non tamen di- cit ad inſtantiam Regis Caroli: ſed quia Ro- manæ Eccleſiæ non parebat: *Ipſe etiam*, in- quit, *excommunicationis ſententiam fulmina- vit contra Palæologum* (quem Pallialo eum vocat) *Imperatorem Græcorum, & contra Græcos omnes: qui Eccleſiæ Romanæ non pa- rebant* Neque alii Scriptores id cum Jordano, & Ptolomæo aſſeverant. Sed quoniàm Marti- nus utpotè Gallus, addictus erat Carolí, cui & ſenatoriam dignitatem qua exutus fue- rat à Nicolao, reſtituit, aliaque beneficia contulit, potuit falſa fama invaluiſſe apud aliquos minùs Pontifici & Gallis affectos: Martinum, inſtante Carolo, in eam deſcen- diſſe ſententiem. Quod ſi ità eſſet, Grægo- ras Græcus, qui geſta Caroli adverſus Pa- læologum diligentèr ſcribit, non præteriiſſet ſub ſilentio rem adeò notabilem; utpotè Schi- ſmaticus, non omiſiſſet, & ipſum cenſurare Pontificem, quaſi, ut Regi Carolo gratificaret, Catholicum Imperatorem Romanæ Eccleſiæ addictum injuſtè, & ſine cauſa excommuni- caſſe: ſiluit hæc omnia, utpotè, conſcius de Palæologi Schiſmate, non habens in hoc unde cenſurare Pontificem ex more contra Schiſmaticos gladio ſuo utentem. Nèc ejuſ- modi excommunicatio cauſa fuit Caroli rui- næ, quoniàm non ex hoc motus Palæologus fœdus injerat cum Petro Aragonæ Rege, & mediante Joanne Procida ſeditionem machi- navit in Sicilia: ex qua ſeditione, & ex quo fœdere, ſubſecuta fuit Caroli ruina, ad quam Ptolomæus reſpicit: quoniàm ante latam ex- communicationem, & ſub ipſo Nicolao præ- deceſſore Martini, fœdus cum Petro injerat, & de ſeditione eum Joanne Procida tractatum habuerat, ut ſupra diſtinguendo tempora cum Calviſio fati ſumus. Non ergò Martinus, ut Carolo inſtanti ſatitfaceret, Palæologum excommunicatum denunciavit, ſed quia pro- miſſa non implevit, ſacramenta non ſervavit, Schiſmaticis adhæſit, & ad priſtinum rediit Schiſma.

28 Intereà Carolus aſſumpto Crucis ſi- gno cogitabat valido cum exercitu transfre- tare in ſubſidium Terræ Sanctæ, ut Martini literæ, incipientes: *Cum ſicut ex parte ve- ſtra.* Sub datis apud Urbem Veterem xv. Kal. Aprilis, ſecundo ſui Pontificatus anno ad ipſum Carolum, & Filium ejus Primoge- nitum Salernitani Principem, ejuſdem cum Patre nominis, apud Raynaldum, ad an- num Domini MCCLXXXII. ſub num. 5. pa- tentèr docent: Verùm ex ſeditione orta in Inſula Siciliæ hujuſmodi expeditio effectum ſuum haud ſortita eſt: Etenim Siculis rebel- lantibus, opera, & ſtudio Joannis Procidæ. Conſilio quoque Petri Aragonæ Regis, ut ſupra innuimus omnes Gallos, cujuſcumque ſtatus, conditionis, & ſexus extiterint, uno die per univerſam Inſulam trucidarunt, ad- vocato inde præfato Petro Aragonæ Rege, cui ſe Inſulani ſpontè ſubmiſerunt. Facinus de- ſcribit Jordanus his verbis: „ Eodem anno „ (*videlicèt MCCLXXXII.*) Siculi rebel- „ larunt contra Regem, interfectis multis „ Gallorum, qui erant in Panormo: ſuc- „ cenſa eſt primo ſtupenda rabies, propter „ enim enormitates Gallorum cunctos inibi „ commorantes, mares, & fœminas, ſenes, & pue-

„ & pueros morti tradunt; & quod eſt magis horrendum, cæteras mulieres impregnatas à Gallis ſcindunt, ut fœtus interimant. *Hæc ille*. Auctor Vitæ Martini m.ſ.apud citatum Raynaldum ſimilia ſcribit, inquiens: „ In Regno Siciliæ, Panormitani ſuccenſi rabiæ Gallicos, qui morabantur ibidem, omnes tam mares, quàm fœminas, & ſenes, & juvenes in prædicti Regis contemptum occiderunt: & quod deteſtabiliùs fuit, latera aperientes mulierum, quæ dicebantur à Gallicis concepiſſe, partus occidebant antequam naſcerentur. *Hactenus hic Auctor*.

29 Huic defectioni manus dediſſe Palæologum, narrat D. Antoninus par.3. titul.20. cap.4. §.1. ubi agens de Caroli mente pro recuperando Imperio Conſtantinopolitano, & de parata Claſse, ait: „ Inter cæteros autem fuit quidam vocatus Joannes de Inſula Procida miles, qui & Dominus fuerat dictæ Inſulæ: Vir utique ſagax, & aſtutus. Hic mente concepit impedire tranſitum Caroli in Conſtantinopolim. Quod, & fecit. Profectus ergò iſte ad Palæologum Imperatorem Conſtantinopolitanum, oſtendit ſibi imminere periculum maximũ amiſſionis Imperii propter potentiam Caroli, & præparationem quam faciebat contra eum cum adjutorio Eccleſiæ. Sed ſi vellet manus apponere ad Theſaurum ſuũ, & expenſas facere opportunas, impediret Carolum utique ab opere ſuo cum adjutorio Regis Aragonum, quod obtineret, ſi pecunias ei deſtinaret. Et ipſe etiam operam daret, ut Siculi ſe ſubtraherent à Dominio Caroli: qui utique eum non diligebant, nec Gentem ſuam. Palæologus Imperator, quamvis ſibi videretur quaſi impoſſibile potentiæ Caroli reſiſtere, ut deſperans de aliorum auxilio,aquievit conſilio ejus. Et deſtinavit quoſdam ex ſuis Græcis cum Domino Joanne in Siciliam cum magnis pecuniis, & lapidibus pretioſis ad alliciendum homines: Qui cauto modo, & ſecretò applicarent. Dictus Dominus Joannes locutus eſt cum aliquibus principalioribus Baronibus ſibi notis: quos ſibi conſtabat Dominium Francorum odiſſe: & aperuit eis tractatum. Eoſque induxit ad ſcribendum Regi Aragonum, rogando, & recomendando ſe ei, ut eos eriperet de ſervitute Francorum, & quia parati erant rebellionem excitare, & tradere ei dominium Siciliæ. *Hæc S. Antoninus*. Addens hujuſmodi tractatum factum eſſe ſub Nicolao Papa, ipſum verò Nicolaum horum conſcium, conſenſum ſuum adhibuiſſe, ac dilatam poſtea executionem ob Pontificis mortem ſcribit inſuper, Petrum Aragonæ Regem, qui conſiliis, & petitionibus Siculorum aquieverat, parando Claſſem, ſimulaſſe ſe velle Sarracenos Africanos invadere, reverà tamen ad effectum præbendi Siculis poſtulatum auxilium, ac ſibi Inſulam Siciliæ ſubiiciendi. Cauſas porrò Siculorum odii in Gallos recenſet ſub §.2.inquiens: „ Cum igitur, ut ait Leonardus in hiſtoria Floren. poſt victum Conradinum, recuperatamque Siciliam: Civitates, quæ ſe rebellaverant, in Regis Caroli fidem poteſtatemque rediiſſent, Præfecti ad eas gubernandas viri Gallici, feroceſque natura, atque ſuperbi, innumeras Siculis inferebant clades, tantaque erat Gubernatorum petulantia, ut non jam liberorum hominum, ſed mancipiorum loco haberentur. Pro leviſſimis rebus, ac ſæpè pro verbo liberiùs emiſſo, ſupplicia aderant crudeliſſima: Delatorum plenæ erant Urbes, laquei, & ſecures in leviſſimis habebantur pœnis. Ad hæc avaritia Gallorum inexhauſta, & auri cupido inſatiabilis, nocentes pariter, innocenteſq; pervadebant, nec ullus rapinarum erat modus: Divitiæ pro crimine læſæ majeſtatis habebantur, ut quiſque ampliſſimo erat patrimonio, ità in periculum acerrimè vocabatur. Id genus hominum rebellionis auctor fuiſſe: id maledixiſſe Regi: id Conradini Imaginem domui habuiſſe accuſabatur. Jacturæ fortunarum jam in conſuetudinem venerant; optabiles quidem, modo ſupplicia, excarnificationeſque ceſſarent. His accedebant libidines, non Majorum modò, verùm etiam Miniſtrorum in uxores & filias Siculorum ſine ullo reſpectu, & verecundia, ut cuique placitum fuerat. Hanc duriſſimam ſervitutem aliquot annis perpeſſæ Civitates: tandem ſuperante patientiam magnitudine injuriarum, in furore vertuntur. *Hæc ille*.

30 Hanc ſeditionem excitatam abſente Carolo, & in Etruria commorante, auctor eſt idem Antoninus, qui in progreſſu hujus hiſtoriæ cuncta recenſet, quę egerat Carolus pro domandis Siculis, licèt fruſtrà,& cum ipſo Aragonæ Rege jam in Siciliam perſonaliter conſtituto. Accidiſſe verò die 30. Martii anni MCCLXXXII. ſecunda Sancti Paſchatis die, notat Caluiſius, ſcribens ſub prædicto anno: „ Interim Siculi conſtituto tempore, quando feria ſecunda Paſchatis, die xxx. Martii, Veſperè Campanæ pulſarentur, omnes Gallos, inter quos fuerunt ducenti nobiles, duarum horarum ſpatio in tota Sicilia, tanta crudelitate occidunt, ut etiam prægnantes ex Gallis occiderentur, nè quid Gallici ſanguinis ſupereſſet: *Subjungit idem de Petro Aragono*, Petrus certior factus de hac re ſtatim in Siciliam tranſit, & ſe Regem Sicilię & Apuliæ coronari jubet. *De Carolo verò hæc ſubnectit*: Carolus quidem citò advenit, & Meſſanam aggreditur, ſed re infe-

„ infecta diſcedit. *Haſtenus ille*. Cùmque præfatum Regnum Stipendiarium eſſet Apoſtolicæ Sedis, & jure fiduciarum ab eadem traditum fuiſſet Carolo, Pontifex ſolemni Dominicæ Aſcenſionis feſto die ex Cardinalium Sacri Senatus Conſilio, in Platea Eccleſiæ Cathedralis Urbis Veteris anathematis ſententiam in Panormitanos, ac alios omnes tulit, qui Regnum Siciliæ invadere auſi fuerint, vel conjuratorum partibus adhæreſcerent, vel opem aliquam præberent, ſequentibus conceptam verbis, videlicèt.

Martinus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, ad certitudinem præſentium, & memoriam futurorum.

31 „ Cogit nos temporis qualitas, & ne-
„ quitia plurium deteſtanda ſolicitat, ut
„ infraſcriptorum prædeceſſorum noſtrorum
„ geſta, quæ pleniùs in Archivio conſervan-
„ tur Eccleſiæ, ipſius providere quieti cau-
„ tiùs ſtudeamus. Sanè fælicis recordatio-
„ nis Innocentius Papa IV. prædeceſſor no-
„ ſter, culpas graves, immò graviſſimas,
„ ac multiplices, & manifeſtos exceſſus, quō-
„ dam Friderici olim Imperatoris Romano-
„ rum propenſi maturitate Conſilii, recti
„ judicii cenſura dijudicans, eique ſecun-
„ dum prava ſua opera reddens, ipſum ho-
„ nore Imperii, Regno Siciliæ, Ducatu
„ Apuliæ, ac principatu Capuæ, generali
„ ſuper hoc congregato Lugdunenſi Conci-
„ lio approbante, ac juſtitia exigente pri-
„ vavit; prout in univerſalem Mundi noti-
„ tiam non eſt dubium deveniſſe. Nec ab
„ eadem creditur veriſimiliter alienum, qua-
„ liter Fridericus ipſe, aucto ſuperbiæ ſpi-
„ ritu, quamquam ſic dignè depoſitus, ſic
„ juſtè privatus, ſententiæ hujuſmodi pri-
„ vationis prolatæ in eum pertinaci animo
„ parere contemnens, Regnum, & Impe-
„ rium ſupradicta poſt ejuſdem prolationis
„ ſententiæ occupata detinere præſumpſit.
„ Qualitèr autèm poſt jam dicti Friderici
„ obitum, quondam Conradus natus ejus, pa-
„ ternæ malitiæ imitator dictum Regnum
„ præſumptuoſis auſibus occupavit; & tan-
„ dem prædicto Conrado humanis rebus
„ exempto, quondam Manfredo olim Prin-
„ ceps Tarantinus ejuſdem, ut dicitur Fri-
„ derici filius, qui etiam abſque privatione
„ prædicta non injuſtè legitimè ſucceſſionis
„ participium perdidit, quia ipſum partus
„ legitimum non agnovit, utpotè de dam-
„ nabili commixtione ſuſceptum, ad occu-
„ pationem prædicti Regni temerarias, &
„ occupatrices manus extendit.

32 „ Gravibus ergò, & enormibus ad-
„ modum per potentiam, & malitiam eo-
„ rundèm, injuriis irrogatis Eccleſiæ, ipſa-
„ que in ſuis afflicta multiplicitèr fidelibus,
„ reſpexit Altiſſimus Sponſam ſuam, & con-
„ vertens illi nubilum in ſerenum, ſceleſtam
„ prædicti Friderici domum, quæ conſue-
„ verat, quantumvis malis, abundare per-
„ ſonis, ſic penè redegit in nihilum, ſic il-
„ lam jacturam multimodæ diſſipationis op-
„ preſſit, ut de ipſa niſi ſcintilla unica re-
„ maneret; Conradinus videlicèt Conradi
„ filius ſupradicti, qui cum in eo malitia
„ ſuppleret ætatem, ipſeque annorum ſuo-
„ rum curricula nequitiâ ſuperaret, proge-
„ nitorum ſuorum nefarios actus ſequens, ac
„ illorum profanas inquitates amplectens,
„ mentiſque ambitioſæ vitio Imperium ex-
„ pectens, ſibi Regnum intitulando Siciliæ,
„ ſe ipſius Regni Regem denominare temère
„ præſumebat; Et cum nonnullis Eccleſiæ
„ inimicis Lombardis, Tuſcis, Marchianis,
„ & Apuliis, præcipuè de Regno profugis
„ prælibato, fraudolentis ſe implicando com-
„ merciis, in Urbe, Lombardia, Tuſcia,
„ & per alia diverſa Loca ſuas diſſeminare
„ literas præſumebat, ſub expreſſione ſui
„ proprii Nominis, & præmiſſæ intitulatio-
„ nis temère ſigillo Regiæ Majeſtatis impreſ-
„ ſas, per quas commovere populum, con-
„ citare gentes, ac turbare pacem Eccleſiæ
„ nitebatur, in ipſius Eccleſiæ, & chariſſi-
„ mi in Chriſto filii noſtri Caroli Siciliæ Re-
„ gis Illuſtris grave præjudicium, & diſcri-
„ men. Unde piæ memoriæ Clemens Papa
„ prædeceſſor noſter, cum ſibi de his eviden-
„ tiùs conſtitiſſet; diligentèr attendens mul-
„ tam ipſius Conradini malitiam, & ſuorum
„ conatuum perverſorum, volens obviare
„ principiis, certum habuit contra eum in
„ hac parte proceſſum, prout vidit rationa-
„ bilitèr expedire, ac negotii qualitas per-
„ ſuaſit. Demum præfato Conradino ſubla-
„ to de medio, eidem Regno pax rediit, au-
„ rora tranquillitatis illuxit, ſedatis turba-
„ tionis fluctibus, quos ipſius Conradini
„ prava ſtudia ſuſcitarant.

33 „ Sed ſicut nuper, non ſine multa
„ turbatione, fide dignorum relatu perce-
„ pimus, nonnulli protervè aſſumentes, ad
„ noſtram, necnon Eccleſiæ, dictique Re-
„ gis turbationem, & ſcandalum aſpirantes,
„ in prædicto Regno ignē turbationis emor-
„ tuæ reaccendere moliuntur: ad id ſua ſtu-
„ dia inique congerunt, ad id ſuarum vi-
„ rium potentiam coacervant, manus præ-
„ ſemptuoſas apponunt, & etiam occulti
„ favoris auxilium largiuntur. Teſtatur hæc
„ inter cætera horrendi ſceleris feralis imma-
„ nitas de novo in Civitate Panormitana pa-
„ trati; ubi ſic debachatus eſt gladius, fer-
„ rum infremuit, furor incanduit, rabies
„ inſanivit, manus truculenta deſævijt quod
„ ſicut rumor meſtus enunciat, non ſuffecit
„ virorum, ac mulierum multitudinem ini-
„ bi cædi dari, niſi, & hi, quos nondùm in
„ lucem natura produxerat, maternis aper-

tis

„ tis uteris, necarentur, trucidarentur innati, & deliteſcentibus viſceribus genetricum impiè præfocationis exitium inferretur.

34 „ Quià ergò præfatum Regnum Siciliæ ad Romanam Eccleſiam ſpectare dignoſcitur, ſuique juris, & proprietatis exiſtit; ac propter hoc nos, qui unà cum Eccleſia ipſa medullitùs in hac parte contingimur, & quaſi cujuſdam acerbæ punctionis aculeo excitamur; volentes tàm gravibus hujuſmodi malorum initiis, prout poſſumus, obviare, nè tàm horrenda principia convaleſcant, præſente hac fidelium multitudine copioſa, de fratrum noſtrorum conſilio, univerſos, & ſingulos cujuſcumque præeminentiæ & dignitatis, conditionis, aut ſtatus, monemus attentè, diſtrictè præcipientes eiſdem, nè in prædicto Regno, vel ejus parte, nos, & eandem Eccleſiam, & præfatum Siciliæ Regem, qui prædictum Regnum ab eadem tenet Eccleſia, per ſe, vel per alium, aut alios moleſtent, ſeù impetant, aut perturbent, occupando, vel invadendo hoſtilitèr faciant Regnum ipſum, vel aliquam partem ejus.

35 „ Præcipimus inſuper univerſis, & ſingulis Chriſtifidelibus, ſpecialiter autem Marchionibus, Comitibus, Baronibus, Civitatibus, Communitatibus, & Univerſitatibus Caſtrorum, Villarum, & aliorum quorumcumque locorum Italiæ, & maximè juriſdictioni temporali Eccleſiæ Romanæ ſubjectis, nè prædictis in occupatione, vel invaſione ejuſmodi prorsùs intendant; nè cum armis, vel ſinè armis ad turbandam in prædicto Regno pacem ejuſdem Romanæ Eccleſiæ, ac præfati Regis Siciliæ, in eadem, præſtent eis occupatione, vel invaſione prædictis conſilium, auxilium, favorem, publice, vel occultè; & nè ſuper hoc ſocietatem, conjurationem, aut fœdus aliquod ineant cum eiſdem. Si qui autem contrà monitionem, & præcepta noſtra, præmiſſa per ſe, vel per alium, aut alios quocumque dolo, fraude, arte, vel machinatione fecerint, cujuſcumque ſint preeminentię, dignitatis, conditionis, aut ſtatus, excommunicationis ſententia, quam ex nunc in illos proferimus, ipſo facto ſe noverint innodatos. Civitates quoquè, & Communitates quaslibet, quæ contrà montiones, & præcepta noſtra prædicta, quocumque dolo, fraude, ingenio, arte, vel machinatione venire preſumpſerint, Eccleſiaſticæ ſententiæ Interdicti, quam ex nunc in illos proferimus, volumus ſubjacere.

36 „ Apertè quoq; prædicimus Patriartriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, & aliis inferioris gradus Prælatis, quòd ſi contrà monitionem, & præcepta noſtra præmiſſa, vel eorum aliquid venire tentaverint, nos eos omni Eccleſiaſticæ dignitatis honore, cæteros autem Clericos, non prælationis officium, ſed dignitatis forſitàn, vel perſonatus, aut alicujus Eccleſiaſtica Beneficia obtinentes, & obtentis privare curabimus, & inhabiles reddere ad alia obtinenda, prout nobis facti qualitas ſuggeret, & juſtitia ſuadebit. Laicis verò cujuſcumque præeminentiæ, dignitatis, conditionis, aut ſtatus, & præcipuè Juriſdictioni temporali Eccleſiæ Romanæ ſubjectis, denunciamus expreſsè, quòd ſi contrà monitiones, & præcepta noſtra hujuſmodi per ſe, vel per alium, ſeù per alios, temerè veniendo ea non curaverint obſervare, nos tantæ temeritatis audaciam non intendentes relinquere impunitam, ipſos feudis, & aliis omnibus, quæ à prædicta, & aliis Eccleſiis, ac perſonis Eccleſiaſticis obtinere noſcuntur, privare, & Vaſſallos eorum, quos habent, à fidelitatis juramento, quo tenentur eiſdem reddere penitùs abſolutos; & perſonis eorum citrà mortis, & mutilationis periculum expoſitis, ad expoſitionem bonorum eorum procedere, Deo auctore, curabimus, prout eorundem culpæ exigerint, & videbimus expedire.

37 „ Cæterùm quià predicta Civitas Panormitana, & nonnulla Caſtra, ſeù Villæ illarum partium contrà præfatum Regem Carolum, qui Regnum ipſum ab eadem tenet Eccleſia, rebellionis ſpiritum aſſumpſiſſe dicuntur; Nos circà illa nolentes in hoc juris rigorem obſervare, ſed uti potiùs manſuetudinis lenitate, quam in actibus noſtris libenter amplectimur, intendentes, ac volentes eadem ab ejuſmodi erroris initio paternis ſtudiis revocare; Communitatibus Civitatum, & Caſtrorum, ac Villarum prædictarum diſtrictè præcipimus, ut ſublato cujuslibet difficultatis, & dilationis objectu, ad noſtra mandata, & Eccleſiæ, ac Regis prædictorum redire procurent; eiſdemque Communitatibus diſtrictè præcipimus, ut prædictos moleſtatores, & turbatores, occupatores, ſeù etiam invaſores, aut dantes eiſdem in prædictis conſilium, auxilium, vel favorem in Civitatem, Caſtra, & Villas, ſeù diſtrictus eorum quovis modo recipiant, vel receptent, nec ipſorum, vel alicujus eorum dominio, vel regimine quomodolibet ſe ſubmittant, neque ipſis, vel eorum alicui contrà nos, & eandem Eccleſiam, ac Regem prædictum impendant in prædictis conſilium, auxilium, vel favorem publicum, vel occultum. Nos enim confœderationes, ſeù colligationes quaslibet, ſi quæ inter Communitates eaſdem, vel ipſos, & quoſcumque alios initas, vel factas ſuper occupatione, vel invaſione prædictis, pe-

„ penitùs diſſolventes, ac juramenta de illis „ ſervandis, vel alio quocumque modo prędictis, hinc indè præſtita relaxantes omninò; Communitatibus ipſis apertè prædicimus, quod niſi pręmiſſa curaverint quantociùs adimplere, contrà eas, & Civitates, „ & Caſtra, & Villas earum ſpiritualiter & „ temporaliter, Auctore Domino, procedemus, quòd pœna dicente cognoſcere poterunt quàm ſit temerarium, & ſuperbum „ mandatis Apoſtolicis contraire. Ut autem „ hujuſmodi noſter proceſſus &c. *ſicut ſub num.* 30. Datum apud Urbem Veterem in „ Platea dictę majoris Eccleſiæ in die Aſcenſionis Domini, Pontificatus noſtri Anno „ ſecundo.

38 Cùm verò hac monitione parùm, aut nihil profuiſſet, rebellibus in ſua rebellione perſiſtentibus, Petro Aragonæ Rege eis favente, ac Regnum ſibi uſurpante, idem Pontifex juſtè motus ſententiam excommunicationis, & privationis Regnorum in ipſum Petrum fulminavit, cui ſententiæ ſubjecit Civitates, Caſtra, Villas, & Univerſitates, qui præfatæ monitioni parere neglexerunt. Poſt enim longum proceſſum publicatum in eadem Platea majoris Eccleſiæ antefatæ Civitatis Urbis Veteris XII. Kalendas Aprilis, tertiò ſui Pontificatus Anno, in fine ſic pronunciat: „ Nevè ſinè vindicta gravis adeò „ creſcat inſania, dignum putavimus, ut memoratum Petrum nepotem Regem Aragonum, tantamque ipſius proterviam ultrix „ ſententia proſequatur. Et ideò Regnum „ Aragoniæ, cæteraſque terras Regis ipſius „ de fratrum ipſorum conſilio exponentes, ut „ ſequitur, ipſum Petrum Regem Aragonum eiſdem Regno, & Terris, Regioque „ honore ſententialiter, juſtitiâ exigente, „ privamus, & privantes exponimus eadem „ Regnum, & Terras occupanda Catholicis, „ de quibus, & prout Sedes Apoſtolica duxerit providendum, in dictis Regno, & „ Terris ejuſdem Eccleſiæ Romanæ, ut prę- „ mittitur, jure ſalvo. Vaſſallos ipſius, ut „ præmiſſa declarant, à juramento fidelitatis, ſi quo tenebantur eidem, jàm abſolvimus, denunciantes penitùs abſolutos, & „ denuò ab eodem, & à quolibet fidelitatis „ vinculo, & homagio expreſſiùs abſolventes; ac eoſdem, Petrum quondam Regem, „ Siculos, complices, & fautores eorum, „ omneſque alios ſingulares, qui prædictas „ monitiones, inhibitiones, comminationes „ damnabiliter contempſerunt, præmiſſis „ excommunicationibus; Univerſitates verò, Civitates, Caſtra, & loca cætera denunciamus Interdicti ſententiis ſubjacere, „ ipſos, & ipſa ex cauſis eiſdem, & propter „ continuatam, auctamque ipſorum contumaciam ſimilibus ſententiis ſupponentes. *Hactenus ſententia lata in Petrum Aragonum Regem*.

39 Sed ut ad Palæologum redeamus, ipſe Martinus poſt latam in eum excommunicationem in feſto Dedicationis Baſilicæ Principis Apoſtolorum: iterùm in feſto Aſcenſionis in Platea Eccleſiæ majoris Urbis Veteris renovavit, cui & ſubjecit eos, qui ſub ſpecie commercii in legis fraudem, ferre auſi fuerint ad præfatum Palæologum, aut vendere *arma, equos, ferrum, lignamina, naves, galèas, aliaque vaſa, aut qualibet alia, per quæ dictus Palęologus ad præſtandum favorem ſchiſmaticis, & ſchiſmati validior, efficacior, & inſtructior reddi poſſet*. Deniquè tertiò eandem excommunicationis ſententiam in eundem Palæologum pronunciavit, recurrente feſto Dedicationis Baſilicę Principis Apoſtolorum, apud Montem Flaſconem ante Eccleſiam Sancti Flaviani, ut videre eſt apud Raynaldum ad Annum Domini MCCLXXXII. num. 8. & 10. Etità adeò iteratæ ſententiæ, bis, & ter, ſatis oſtendunt, non inſtante Carolo Palæologum excommunicaſſe; nàm ſemèl ſuffeciſſet, ut Carolo ſatisfaceret, ſed quià reverà ad priſtinum ſchiſma redierat, quod poſteà validiùs renovavit, impius & ſceleſtiſſimus Andronicus, ut capite ſequenti demonſtrabimus.

CAPUT II.

De Michaelis Palæologi obitu, Andronici Imperio, ac ſub eo renovato ſchiſmate; De perſecutione excitata à Schiſmaticis adversùs Catholicos Græcos; & Regis Siciliæ, & Martini IV. obitu; deindè creatione, & brevi Pontificatu Honorii Quarti.

40 CUm Michael Palęologus ſe à Papa excommunicatum accepiſſet, ſuoſque Legatos Theophanem, & Leonem, hos enim miſiſſe ad Apoſtolicam Sedem auctor eſt Pachimerius lib. 6. Hiſtor. Græcorum) ſinè honore dimiſſos: *Ægrè tulit*, ait idem Pachimerius, *adeò ut Diacono pro conſuetudine Papæ commemorationem facere Imperator ſilentium impoſuerit*. Sciudere inſuper cuncta præterita acta, fœderaque cogitabat cum Sancta Romana inita Eccleſia, & utiquè reſcindiſſet, & cunctos ad priſtinum ſchiſma revocaſſet, niſi complures Nobiles, qui unionis cauſâ multa paſſi erant, reſtitiſſent: *Quarè*, ſubjungit antefatus Pachymerius, *fœdus cum illis ictum diſſolvere cogitabat, & diſſoluiſſet utiquè, niſi conſiliis obſtitiſſet multa ipſum eorum cauſa toleraſſe, & vix ad exitum perduxiſſe, ut ſi è veſtigio decantans opus deſtruxiſſet*. Et fortè nihil tunc hac in re publica, ac univerſali defectione, innovare auſus eſt, occupatus contrà Joannem Sebaſtocratorem Theſſaliæ Principem, qui per idem tem-

tempns ab ipſo defecerat, adversùs quem iracundiâ inflammatus expeditionem paraverat, adjunctis copiis ſuis quatuor delectorum Scytharum millibus, ut præfatum Principem, qui ſæpè, & pluriès reconciliatus defecerat, prorsùs deleret, omnemque militarem ætatem, quæ Theſſaliæ præſidio erat, trucidaret, atque occideret, prout ſcribit Gregoras lib. 5. Hiſtor. licèt in ea expeditione morte præventus, meditata exequi minimè potuiſſet: *Sed priuſquàm*, ait Gregoras, *conſilium hoc ad rem conferretur, mors conatum illius interrupit*.

41 At quomodò mors hujus Principis acciderit, idem Scriptor his verbis declarat:
„ Cùm propè Lyſimachiam, juxtà Pagum,
„ qui inter Pachomium, & Allagem (loco-
„ rum hæc nomina ſunt) ſitus eſt, verſare-
„ tur, ibiquè Scythicum Exercitum inſpi-
„ ceret, Romanoſque Duces deligeret, eoſ-
„ que quid agendum eſſet moneret, morbo
„ cordis corripitur, qui brevi mortem de-
„ nunciaret, ac Medicorum omnia judicia
„ confunderet, & turbaret, & artis præſi-
„ dia aſpernaretur. Ferunt & ipſum mortis
„ metu, eos, qui adeſſent percontatum, quo
„ nomine locus ille vocaretur? Cùm Pacho-
„ mii, & Allages nomen audiſſet, cum alto
„ ſuſpirio dixiſſe: Hic ſibi finem inſtare vi-
„ tæ, quæ mutationem fato decretam eſſe,
„ & ſeipſum graviter accuſaſſe, quòd non ità
„ pridèm honeſtum quendam virum, nomine
„ Pachomium, excæcaſſet: propterea quòd
„ vulgò ferebatur oraculum de Imperatore,
„ ſub vitæ mutationem Pachomium illi ſuc-
„ ceſſurum; quo deceptus, & Imperii cupi-
„ ditate amens, Pachomium Imperio inuti-
„ lem efficere feſtinarat. *Hactenus Gregoras*.

42 Pachymerius verò hæc alia habet:
„ Ut itaquè, *inquiens*, dies obitus acceſſit,
„ & mors jàm, & potiſſimùm à Medicis ex-
„ pectabatur, Actuario Cabaſilei non tutum
„ videbatur de diſcrimine verba facere: id
„ enim non minima pars mortis ab ægrotis
„ reputatur, quaſi in ſimilibus verba facti
„ cauſa ſint; ex alia verò parte permittere,
„ ut imparatus abiret, indecorum valdè exi-
„ ſtimabatur: Quarè Andronico Imperato-
„ ris filio rem aperit, & decretum, & pericu-
„ lum pandit, Imperatorem vitam ultrà non
„ producturum. Ille quoq; inauſpicata ſug-
„ gerere non audebat: nihilominùs præpara-
„ tionem hoc modo comminiſcitur. Nàm-
„ que ſtatim Dominicæ mortis Symbola præ-
„ parantur, quæ accipiens ex Clero, & piis
„ aliis, Sacerdos amicto indutus, ut par erat,
„ nihil illi de ſimilibus cogitanti aſtat; nàm-
„ que tùm Imperator fortè fortunâ versùs
„ parietem conſpexerat, res ſuas, quibus
„ ſanus, & validus mentis erat, ut poterat
„ penſitans.

43 „ Stabat igitùr Sacerdos ex alia par-
„ te, ſacra dona manibus tenens, tantùm
„ illius ad ſe converſionem expectans; Im-
„ perator ſivè quidpiam ſimile ſubodorans,
„ ſivè quid aliud in pectore volutans, ad Sa-
„ cerdotem revolutus, ſtatim atque vidit,
„ factum deprehendit. Et quid eſt hoc? *in-*
„ *quit*. Cùm Sacerdos reſponderet pro eo
„ auxilium à Deo imploraturum, donaque
„ ſanctitatem parerent, deferre; Imperator
„ interrupto ſermone, animos ſumit, aſſur-
„ git è lecto, cingulum poſcit, ſanctum Sym-
„ bolum recitat, nec non, *Domine libera*
„ *me ex hac hora*, effatus, neceſſariaque ad
„ Deum altiſſimum pronuncians, ſacroſan-
„ ctam communionem aſſumit; rursùmque
„ recumbens, paululùm cunctatus, animam
„ efflat.

44 „ Defunctus, tùm Tocharorum, tùm
„ familiarium lacrymis cohoneſtatur. Illius
„ cadaver ſubitò, qui in id deſtinati erant,
„ noctu cùm procuraſſent, ad novum Mona-
„ ſterium penès ea loca ſitum deferunt. Sic-
„ que Imperator defungitur, qui integros
„ annos quinquaginta & octo vixerat, re-
„ gnaverat verò viginti quatuor, dies minùs
„ viginti; Nàmque Imperii rubra Inſignia
„ Induit. Januarii die primò, ut dictum eſt,
„ diem obiit Decembris undecimo, die Pa-
„ raſceve. Sicque ipſius nota completur,
„ quæ H. triplici Græcorum elemento com-
„ plebatur, quæ erat illius teſſera. Innue-
„ bat porrò cognomen, nàmque ille erat Pa-
„ læologus, locum, in quo obiturus erat,
„ qui Pachomii Pagus nuncupabatur; præ-
„ tereàque poſtremum ſui obitus diem, Pa-
„ raſcevem ſcilicèt, qua iſta peracta ſunt,
„ undecimo, ut dictum eſt, Decembris die,
„ Anno VICIO DCCLXXXXI. *Hactenus Pa-*
„ *chymerius de Michaelis obitu*.

45 Caruiſſe ab exordio nedùm Imperatoriâ, verùm honorificâ Sepulturâ, ſcribit Gregoras, & quidèm hoc ab Andronico filio factum fatetur, in odium unionis cum Latina Eccleſia per ipſum Michaelem procuratæ:
„ Imperator, *inquit*, illis in locis, quæ dixi,
„ præter ſpem ſuam fato functus eſt, Anno
„ ab Orbe condito Sexies milleſimo ſeptin-
„ cēteſimo nonageſimo primo, Annos LVIII.
„ natus eſt. At filius ejus Imperator Andro-
„ nicus, quamvis adeſſet, Patrem Impera-
„ toriâ ſepulturâ adeò non honoravit, ut nè
„ plebejâ quidèm ſit dignatus; præterquàm
„ quòd juſſit, ut noctu pauci quidam cada-
„ ver procùl à Caſtris abductum, multa ter-
„ ra obruerent: id modò cavens, nè Impe-
„ ratorium à feris diſcerparetur. In cauſa
„ erat, quòd dùm viveret, à recta Eccleſiæ
„ doctrina deſciviſſet, ut ſuprà expoſuimus:
„ quod factum filius, etſi Patrem adamabat,
„ & pietate filios omnes, atque obſervantia
„ ſuperabat, ex animo, ut poſteà dicemus,
„ clàm oderat. Ac Michaelis Palæologi hic

exi-

„ exitus fuit, viri naturâ decori, cum gravitate quadam, & dignâ Principe majeſtate. Erat porrò in eo robur corporis, & rei militaris peritia, diuturni temporis parta exercitationibus. *Hactenùs Auctor ſchiſmaticus*, cui de ſepultura non conſentit Pachymerius, licèt & ipſe Scriptor Græcus afferens, primò humatum in Monaſterio quodam novo circà ea loca ſitum. Addit infrà Gregoras cadaver Michaelis, jubente Andronico, nè fortè à Lætinis furaretur, in Urbem Selybriam delatum.

46 Deindè poſt varias diſſenſiones habitas inter Arſenii ex una parte, & Joſephi ex altera, ex Patriarcharum ſectatores, petentibus Arſenitis, præfatum cadaver Conſtantinopolim translatum, refert idem Gregoras, inquiens: „ His peractis Arſenii ſtudioſi petiverunt, ut cadaver illius in Urbem referretur. Ea poſtulatio minimè ſimplex fuit, ſed à magno conſilio profecta, uti; ſcilicèt factum illud Arſeniatis palàm honorificum eſſet, & Joſephitis verò clàm ignominioſum: facilè tamèn impetratum eſt. Cùm autem funus ad Eugenii portam uſq; perlatum eſſet, & Patriarcha cum omni Clero, & Imperator cum toto Senatu deſcenderunt, atque ità cum hymnis inſignibus,& facibus in Divinæ ſapientiæ ampliſſimam ædem eſt perlatum. Sed poſteà Theodora Michaelis Imperatoris è ſorore Eulogia neptis, primùm Muzalonis, deinde Raulis, utriuſque Protoveſtarii, uxor, impetravit, ut in Divi Andreæ Monaſterio, quod ipſa renovarat, reponeretur. *Hactenus Gregoras*. Quarè corrigendus eſt Jordanus ſcribens, corpus Michaelis adhùc inſepultum jacère, dùm ait: *Tunc factus eſt tumultus magnus in Conſtantinopoli per Calogeros, acclamantes, Palæologum non debere ſepeliri in Cœmeterio, qui Latinis adhæſit; & uſquè nunc inſepultus manet*. Apparet nàmque ex Gregoræ teſtimonio, cadaver Michaelis cum pompa Conſtantinopoli in Templo Sanctæ Sophiæ funeratum. Cæterùm Calogeres, quos ſcribit proclamaſſe, non debere ſepeliri in Cœmeterio, Joſephitas fuiſſe, ex allegatis à præfato Gregora, deduci poteſt, non tamèn prævaluiſſe conſtat ex eodem pariter Grgora.

47 Ex hactenùs itaquè deductis ſequitur, Michaelem vitâ functum Anno Domini MCCLXXXIII. qui coincidit cum Græcorum Anno ſexmilleſimo ſeptincenteſimo nonageſimo primo, ſui Imperii Anno XXIII. Rodulphi Romanorum Regis Anno IX. Pontificatus Martini Papæ IV. Anno IV. Indictione XII. inchoata à Septembri proximo, die XI. menſis Decembris, feria VI. ſuæ ætatis Anno LVIII. cùm imperaſſet Ann. XXIII. menſes XI. dies verò X. Auctores Græcos in hac ſupputatione ſequitur Calviſius, qui ad Annum Domini MCCLXXXIII. ſcribit: *Michael Palæologus Imperator Conſtantinopolitanus moritur die* XI. *Decembris, cùm imperaſſet poſt Laſcharem Annis XXIV. mortuus eſt Anno Conſtantinopolitano* 6791. *palpitatione cordis, Annos natus LVIII.* Et ità corrigendi ſunt complures Latini Scriptores, qui Palæologi obitum ad poſteriora tempora contulerunt.

48 Sublato, ut fati ſumus, Michaele, ſumma rerum potitus eſt Andronicus ejus filius, jàm conſors Imperii, qui ſtatim, qualis erat, apparuit; & quæ in cauſa unionis, vivente Patre, egerat, ſimulatè, & nè adverſari Patri videretur, ſchiſma tamen fovens in corde, egiſſe demonſtravit: primùm in Caſtris ipſis, indè in Regia Urbe, ubi cunctos ad priſtinum ſchiſma revocare conatur, & quos exules Pater ſchiſmaticos fecerat, ab exilio revocavit; & datis edictis publicis, ad priſtinum ſtatum ſchiſmatis Eccleſias univerſas traducere eſt aggreſſus: Bechus autem Patriarcha hanc conſpiciens mutationem, Sede ſuâ relictâ, in Monaſterium Panacranti clàm ſe contulit; ſtatimque Imperator loco Bechi ſuffecit Joſephum illum, qui ſub Michaele nolens aſſentiri unioni Eccleſiarum, deturbatus, & exauctoratus fuerat: Quæ quidèm omnia Gregoras in principio lib. 6. Hiſtor. Roman. his verbis exponit: „ Ipſe (ſcilicèt Andronicus) Bizantium rediit, juſtiſque peractis, in componendo Eccleſiæ ſtatu ante omnia elaboravit; quod conſilium Patre ſuperſtite ſedulò diſſimulatum, per occaſionem protulit, & quis eſſet, oſtendit. Proindè caduceatoribus, & edictis quolibet miſſis, Eccleſiæ correctionem nunciabat; Et qui Eccleſiæ ſtudio exulabant, aut malè tractati fuerant, eos revocabat, Intereà Bechus Sede clàm relictâ, ſecedit, ſeque in Panacranti Monaſterio concludit, veritus, nè in hac ſubita mutatione à nonnullis diſcerparetur. In ejus verò locum ſtatim ſuffectus eſt Joſeph, qui loco illi ceſſerat, morbo, & ſenio confectus, & morti proximus. *Hactenùs Gregoras*.

49 Verùm nec ipſi Schiſmatici inter ſe concordes fuere, in duas ſciſſi factiones, quarum una Joſepho adhærebat Patriarchæ, altera Arſenio Joſephi anteceſſori, licèt jàm vitâ functo, quærentes, qui Arſenio nitebatur adversùs Joſephum, quaſi injuſtè adhùc, Arſenio ſuperſtite, Sedem ejus occupaſſet; reclamantes Joſephitæ Arſenium à toto Pontificum Concilio canonicè depoſitum. Ad quas ſedandas rixas & diſſenſiones, ut videlicèt paci conſuleret, & quià morbo, & ætate confectus inhabilis erat ad onus ſuſtinendum, Joſephus Throno ceſſit, & paulò poſt exceſſit è vita. Ità idem Gregoras, inquiens: „ Nàm eo (*ſcilicèt Diabolus*) redegit populum, ut in binas, & ternas ſectas ſcinderetur, quorum alii Joſepho Patriarchæ, alii

Ar-

„ Arſenio olim mortuo niterentur: à quo
„ Joſepho ſacris interdictum dicerent, quòd
„ ipſo vivo Sedem occupaſſet: illis recla-
„ mantibus, canonicè depoſitum eſſe Arſe-
„ nium à toto Pontificum Concilio: Alii
„ utrique factioni, alia crimina obiicerent:
„ Itaque Joſephus duabus de cauſis cedere
„ eſt coactus, tũ, ut paci eorũ quibus moleſtus
„ erat conſuleret; tùm quod Patriarchæ munus
„ obire nequibat, totius Corporis viribus
„ morbo, & ſenio exhauſtis. *Hæc ille*.

50 Joſepho porrò datus eſt ſucceſſor Georgius Cyprius, qui ut idem Gregoras, ait, elegantes Græcæ litteraturæ numeros, & Atticam illam linguam longo jam tempore oblivionis gurgite demerſam, ingenii dexteritate, ac ſingulari ſtudio in lucem produxit, ac velut ab inferis revocavit. Erat enim tunc ex Imperatorii Cleri Collegio, nondùm ſacris initiatus, & quoniàm nemo ex Epiſcopis, qui unionis aſſenſerant manus in eum imponere voluerunt, per aliquod tempus Patriarchalia jura, quæ cum Sacerdotio nihil conjunctum habebant, adminiſtravit: ſed poſtea advenientibus Conſtantinopolim Moziles, & Debrorum Epiſcopis, illo cauſa fungendi Legatione pro Ætoliæ Principe, hoc aliis de cauſis: & qui nullo pacto ſub Michaele unioni aſſenſum præbuere; ordinatus priùs Gregorius in Diaconum, & Sacerdotem ab Epiſcopo Heracleæ, ab eodem, præfatis duobus Epiſcopis Muzyleno, & Debreno adjutoribus conſecratus eſt Patriarcha.

51 At non proinde factionum Principes quievere, adhuc contra ſeſe rixabantur: nec eis novi Patriarchæ placuit promotio, quem criminare inceperunt, *quod viginti natus annos è Cypro ad Romanos mores ſe contuliſſet: & quaſi Latinorum inſtituta probaret, ſuſpectus eſſet, & à Latinis Lector creatus fuiſſet*, ut in terminis tradit Gregoras. Imperator verò, ut omnia hæc ſcandala de medio amoveret, diſſentientium animos, aliqua media via, in concordiam revocaret, juſſit omnes convenire Atramytium, quæ Civitas eſt ſita ad latum Heleſpontiaci freti, ut ibi velut in quadam Synodo diſſentientium examinarentur opiniones, & ſententiæ, liteſque terminarentur, & jurgia. Cùmque ad prædictum conveniſſent locum, nec poſt varia verborum certamina concordari poſſent, placuit omnibus à Deo judicium quærere medio miraculo. Sed factum hoc ab ipſo Gregora audiamus: „ Cæterùm, *inquit*, cum
„ Atramytii, ut dictum eſt conveniſſent,
„ omnibus poſt multa verborum certamina
„ placuit, ut utrorumque opiniones, unde
„ magnæ illius contentionis rationes germi-
„ naſſent, duobus libris inſcriberentur, ac
„ Deo judicium per ignem, & miracula com-
„ mitteretur. Cum autem per totam noctem
„ ſtetiſſent, & Deum ſedulò deprecati eſſent
„ in ipſo magno Sabbato libros in medio
„ Templo in ignem conjecerunt. Ac utra-
„ que ſanè factio ſperabat ſuum Codicem in-
„ violatum permanſurum. Sed vana ſpes
„ illa fuit. Ignis enim utrumque comple-
„ xus, ſtatim in Cineres redegit: Idque
„ Dei judicium fuit, & deriſus eorum om-
„ nium, qui rem ſeriam in nugis agerent,
„ & Eccleſiam alieno tempore turbarent.
„ Quod cum vidiſſent, ipſis quoque omni-
„ bus viſum eſt, repudiata contentione,
„ ſpectare concordiam, & pacem, & fau-
„ ſtam comprecationem à Gregorio Patriar-
„ cha admittere. *Hactenus Gregoras*.

52 Sic ergò ſedata Schiſmaticorum diſcordia, in eo cætu, ſanè Diabolo præſidè, decreta eſt perſecutio adversùs Catholicos, eos ſcilicèt, qui Michaeli in Decreto unionis conſenſerunt; & tam crudeliter, omni ſemota clementia, quinimmò humanitate, ſævitum eſt in eos, quod ipſemet Gregoras, qui hiſtoriam deſcribit, quamvis Schiſmaticus, facinus deteſtatur: „ Poſt Atramyttenum
„ illud rixoſum librorum incendium, *inquit*
„ *Gregoras*, omnes ii qui ſtudium Religionis
„ ſimulabant, Metropoles, & cæteras di-
„ gnitates partim jam partiti, partim parti-
„ turi, abrogationem Pontificum, & Cle-
„ ricorum omnium, qui Michaeli aſſenſi
„ fuiſſent, in univerſum decreverunt: for-
„ tunâ non moderate, nèc humanitèr uſi.
„ Nam cùm plerique ex circumforanea, &
„ malè educata, & contumaci turba eſſent,
„ quibus paulò antè, nè vultum quidem Im-
„ peratoris intueri licuiſſet, nunc verò be-
„ nigniſſimè ab illo accepti eſſent: ſuæ con-
ditionis obliti ſunt, ab ebriis nihil diffe-
rentes. Nam poteſtate accepta ab Impe-
„ ratore, quippe qui eis propter ardentem
„ uniendæ Eccleſiæ cupiditatem nihil non
„ concederet: planè ſecuri jam, eos omnes
„ contra quos infame illud ſuffragium laturi
„ erant, velut oves in magnum Blachernium
„ Templum congregarunt: qui cum ſuppli-
„ cibus, & verbis, & geſtibus commiſera-
„ tionem elicere ſtuderent, & ſimilia vete-
„ rum humanitatis exempla, quàm alia,
„ tùm duplicis illius Iconomachiæ proferrent,
„ quòd illis cùm graviùs deliquiſſent, hu-
„ manos eos experti eſſent, qui orthodoxam
„ ſententiam defendiſſent, & ſuum quique
„ locum retinuiſſent, ab immanitate decre-
„ ti ſui non recedendum putaverunt: ſed om-
„ nem Clementiam, omnem miſericordiam
„ improbitatis fluctus in Maris Athlantici
fundum dejecerunt.

„ 53 „ Tanta invidia in ſacro illo cætu,
„ tantaque acerbitas initiò ſtatim præclaræ
„ illius concordiæ graſſabatur. Quis autem
„ adeò durus eſt, & animo adamantino, ut
„ contumeliam illam, & maximam in hu-
„ manitatem referre queat, qua contra mi-
„ ſeros Epiſcopos, & Sacerdotes uſi ſunt?
„ Nam poſt verborum convicia Præſides in-
ferio-

„ ferioribus imperabant, ut direptos illis pileos humi abiicerent, ter acclamantes, *Indignus eſt*: Aliis verò aliorum veſtes exuere, eaſque à fimbria inverſas ad caput applicare, atque iterum ter acclamare, *Indignus eſt*: Deinde alapis impactis, tanquam Sicarios vi extrudere Sacro Loco. At humanus Jeſus, & ſervator, etiam Latronem admiſit: & Proditoris pœnitentiam, modò ipſe voluiſſet, deſideravit, & expectavit: Proinde ſerò illi quidem, ſed juſtas tamen pœnas luerunt. Neque enim novorum iſtorum Legislatorum ullus in ſua dignitate deceſſit: ſed turpiſſimè ſuis pulſi ſedibus, ut poſteà dicemus, præ animi ægritudine vitam abruperunt. *Hæc Gregoras*.

54 Hujus porrò præcipuum auctorem ipſum fuiſſe Pſeudo-Patriarcha Gregorium, ut Schiſmaticis, illis præcipuè, qui ſub Michaele unionem repudiarant, rem gratam faceret: ut ſe ipſum quoque hac via purgaret, qui ſub Michaele cum Meliteniote, & Metochite Imperatorii Cleri Diaconis, pro Eccleſiarum unione, magno ardore, & omnimodis ſtudiis laboravit indubium eſt: Erat enim ille idem Gregorius Cyprius, de quo Gregoras, lib. 5. ſcribit coadiutorem fuiſſe Bechi pro prædicta ſtabilienda unione: licèt poſtea Monachus paulò ante factus, mutato nomine, Gregorius appellari voluiſſet: unde non immeritò erat Schiſmaticis ſuſpectus, ut ergò talem de ſe à Schiſmaticorum mente deleret ſuſpicionem, nefariis omnibus aquievit eorundem ſuggeſtionibus. Deinde, quoniàm Bechi facundia & acùmen, ut idem Gregoras ſcribit, ſtimulabat Gregorium, egit perfidus ille, ut Bechus in exilium amandaretur: quod & factum eſt, jubente Andronico, relegatuſque eſt ad radices Olympi, omni deſtitutus humano auxilio: Ex quo loco clamaſſe, idem Gregoras teſtatur, ac poſtulaſſe cauſam ſuam recognoſci: „ Itaque, *ait*, ab omni parte deſtitutus, publico judicio cauſam diſceptari poſtulabat: forſitan (*Schiſmaticus ſubjungit Auctor*) ut aut Judices præſentia conſpectuque ſuo, & oratione mitigaret, aut ſaltem oſtenderet, quàm immiſiricordes, & duri eſſent. Quæ cum audiſſet Imperator, non negligenda eſſe judicavit, nè injuriam homini fieri vulgus ſuſpicaretur. *Et paulò poſt*. Viſum igitur eſt, *ſubjungit*, Proceribus, & eruditis omnibus, tam profanis, quàm Eccleſiaſticis, in Regiam convocatis, illuſtre de illo, in tanto theatro, judicium fieri oportere.

55 Ducto Becho in judicium, acerrime de verò dogmate diſputaſſe, proſequitur Gregoras, qui ut Schiſmaticis victoriam tribuat, ait: *Fortaſſe mendacium veritatem viciſſet, & curioſitas virtutem ſuperaſſet, niſi Gregorius Patriarcha, & Muzalo magnus Logotheta, doctrinæ copia; & Sacræ Scripturæ ſententiis reſtitiſſent, & ingentem illam exitioſæ linguæ tempeſtatem ſedaſſent*. Sic Schiſmaticus Græcus Scriptor conviciis inſectatur Sanctiſſimum Patriarcham Bechum: Rectè Tullius lib. 2. de Finibus ſcribit: *Sit iſta in Græcorum levitate perverſitas, qui maledictis inſectantur eos, à quibus de veritate diſſentiunt*. Pachimerius licèt, & ipſe Schiſmaticus, diſputatum refert de Spiritus Sancti proceſſione, & cum Becho in Judicium ductos egregios illos Confeſſores, & Archidiaconos, qui olim cum ipſo Georgio, tunc tamen Gregorio Cyprio, unionem Eccleſiarum promoverant ſub Michaele, Conſtantinum ſcilicèt Melitiniotam, & Gregorium Metochitam: Quorum ſententiam de prędicto dogmate Gregorium Patriarcham exquiſiviſſe, tradit, & quid illi reſponderint prodit, inquiens: „ Cum reſumpſiſſet ſermonem Patriarcha Gregorius: Quidnam illud eſt, ait, quod opinantur, qui circa te ſunt? Namque erant cum eo, qui multo ante Archidiaconi munere fungebantur, Conſtantinus Meletiota, & Metochita Georgius Archidiaconi. Tum illi: ſi ſincerè Theologiam addiſcere cupis, & opinionem, quam & corde tenemus, & ore profitemur, hæc eſt, quam quilibet, nec à Theologia aberrans tenet; in eaque nos ad extremum uſque ſpiritum perſiſtemus. Quod ſi eam quoque, quæ Patrum eſt, expoſcis nullo modo fidei Symbolo adverſariam, ſed explicationem, & declarationem potiùs eorum, quæ in Symbolo ſunt, profitemur. Invenimus in ſacris literis Spiritum Sanctum exhiberi, dari, mitti, provenire eum ex Patre per Filium, in nonnullis etiam Patribus habetur procedere. Ait verò, & magnus Damaſcenus Joannes: *Et productor per Verbum Spiritus, agnoſcimus autem idem eſſe, & productorem, & cauſam*. Et poſteà: *Patrem cauſam per Filium Spiritus dicimus, cum productor in locum cauſæ accipiatur*. *Hactenus ille, apud Pachimerium*.

56 Sed Gregoras loco mox citato apertum ſubjungit mendacium, dùm ait poſt diſputationem initam, Bechum victum, unionem Eccleſiæ Orientalis cum Occidentali, & Romana improbaſſe. *Cùm Bechus*, inquit, *poſt multas diſputationes, atque applauſus, nullam pro ſe clementem ferri ſententiam, nullam ſuorum commodorum rationem haberi cerneret: unionem apertè improbavit*. Conſtantiam tamen Bechi, & duorum Sociorum non eſt auſus, ità aperta fronte celare Pachimerius, quos in dogmate de proceſſione Spiritus Sancti à Patre, Filioque firmos extitiſſe tradit: Cùm enim Schiſmatici ea in diſputatione urgerent Bechum, ut concordiæ ſtudio, ſua dimiſſa opinione, cum ipſis ſentiret, reſpondiſſe, ait: „ Quemadmodùm vul-

„ vultis, eum ipſe pacem æquè, ea vosper-
„ optem, ſimplici, ac minimè curioſo ſermo-
„ ne ſententiam feram. Nos itaque dicta,
„ quæ Patrum, tempore id poſcente com-
„ perientes, ut tuis, ac rectæ fidei conſonis
„ animum advertimus, & eum, qui Spiri-
„ tum Sanctum ex Patre procedere confite-
„ tur, exoſculati ſumus, & nunc exoſcu-
„ lamur: quippe ea Salvatoris verba ſunt,
„ & Synodi, noſque quotidie, ità confite-
„ mur. Præterea eum quoque, qui Spiri-
„ tum ex Patre per Filium procedere dicit,
„ ut eſt ſeptima Univerſalis Synodus, quæ
„ ità ſentit, excipimus. Eum porrò, qui
„ Patrum dicta in prætio, & dignitate non
„ habet, audaciæ condemnamus. *Et poſt*
„ *alia*. Quare, quod à me poſcitis, *ait Be-*
„ *chus*, & me, & hos, qui unà mecum ſunt,
„ cogitis Patrum dogma, tam antiquum,
„ & à multis dicto comprobatum reiicere,
„ & de his, vos curam habere dicitis, non
„ mihi videtur rationi conſonum. *Hactenus*
Bechus, *apud eundem Pachimerium*.

57 Cæterùm nullo pacto unionem improbavit Joannes Bechus, qui pro confeſſione orthodoxæ fidei, exul, & carceratus ultimum clauſit diem. Teſtatur in primis Chamata apud Raynaldum ad Annum Domini MCCLXXXIV. ſub n. 48. ubi tradit, tùm ipsũ, tùm Socios ejus renuiſſe ſubſcribere Tomo contra Occidentalem Eccl. compoſito à Gregorio Cyprio, & aliis Schiſmaticis, & hac de cauſa cum præfatis Sociis fuiſſe carceribus mancipatum: „ Tomo à Cyprio Patriarcha-
„ tum obtinente, *ait Chamata*, & Orientalis
„ Eccleſiæ habenas præter jus omne mode-
„ rante, cum ſuis ſequacibus adversùs Oc-
„ cidentalem Eccleſiam damnationem am-
„ biente compoſitum, cui impio iniquo, &
„ peſſimo Tomo pius, Orientalis Eccleſiæ
„ Pontifex, & ejuſdem magnæ Eccleſię Char-
„ tophilax, & dictus Diaconus Metochita,
„ quod Tomus ille inderiſionem Eccleſiarum
„ expoſitus malignè fuerat, nolentes ſub-
„ ſcribere, carceribus traduntur. *Hactenus*
ille. Qui poſtea addit præfatum Tomum, à præfato Metochita licèt in carcere detento, ad veritatis Catholicæ comprobationem, fuiſſe ſapienter refutatum.

58 Teſtatur deinde Pachimerius lib. 7. qui de Io: Becho Meliteniota, & Metochite abſoluta antedicta diſputatione, ſcribit, primùm in Monaſteri um fuiſſe detruſos in cuſtodia, deinc propter eorum conſtantiam in exilium amandatos: „ Illos itaque, *inquit*, tunc
„ diſſoluta Synodo Coſmidii Monaſterium
„ habuit, convenientibus carceribus cuſto-
„ diiſque circummunitos. Ad eos mittens
„ Impeiator, ut quieſcerent hortabatur, &
„ cauſæ ſuæ juribus neglectis, ut libitum fo-
„ ret utinam traducerent, ſua præmuniti
„ benevolentia: ſin minùs exilia ipſis mina-
„ batur, & malis, atque ærumnis affligendos:
„ neque enim fieri poſſe, ut aliter quàm ſta-
„ tutum eſſet fieret: eos autem turpitudine,
„ atque infamia notatos, vitam perdere, niſi
„ reſipiſcentes pacem amplecterentur. Hæc
„ Imperator ſæpius denunciante, & bona
„ promittente. Illi neque triſtium metu ter-
„ riti ſunt, neque bonorum promiſſionibus
„ delinivit; quin utrique vires adumentes,
„ promptos ſe exhibebant ad omne id, quod
„ Imperatori placuiſſet: libentiùs enim om-
„ nia ſe paſſuros, quàm cum ita condem-
„ nantibus fœdus inituros. Porrò magis, ac
„ magis in eos concitabatur Imperator, om-
„ ninò pertinaces, & obſtinatos. Cum ita-
„ que nihil illi reliquum eſſet, quo dilinire
„ eorum animos poſſet, tandem exiliis agen-
„ dum eſſe dixit: ſicque ad Arcem S. Grego-
„ rii in Aſtaceno ſinu naviganti dextra ſitam
„ navigio impoſitos abduci, ibique clauſos,
„ commiſſoſque Cœltis Cuſtodibus, & ne-
„ ſcio, cui ex procitonibus Imperatoris, re-
„ linqui, rebus neceſſariis deſtitutos. *Ha-*
ctenus Pachimerius. Ex quibus apertè evincitur in Catholica ſententia conſtanter permanſiſſe cum ſuis Comilitonibus Bechum, quos omninò pertinaces, & obſtinatos, auctor iſte Schiſmaticus aſſerit in ea adversùs Imperatorem ſtetiſſe, minas illius parviſacientes. Immò ipſe Gregoras ſibimet contradicit, cum ſcribat unionem apertè Bechum improbaſſe: ſubdatque ſtatim: *Quaproptèr denuò in exilium*, *in Oppidolum quoddam Bithyniæ maritimum*, *unà cum Meliteniote*, & *Metochita mittitur*: Quare meo videri poteſt dici, fortaſſe Gregoram loqui de nova Schiſmaticorum unione inter ſe, non de unione cum Eccleſia Latina inita ſub Michaele, & novam illam improbaſſe Bechum, & propterea in exilium amandatum: nam ſi unionem cum Eccleſia Latina improbaſſet, egiſſet ad Schiſmaticorum, & Imperatoris placitum, eiſque conſenſiſſet, atque eorum opinioni adhæſiſſet, unde hujus rei cauſa non fuiſſet in exilium miſſus. Denique idem Pachimerius lib. 9. aſſerit Joannem Bechum ſub Andronico in carcere obiiſſe, atque per contemptum in eodem carcere ſepultum. Ante cujus obitum, ſua manu ſcripſit profeſſionem ſuæ fidei ſupra Articulum de Proceſſione Spiritus Sancti ſub titulo Teſtamenti, ubi teſtatur non ob aliam cauſam, quam ob fidem Catholicam carceri addictum fuiſſe: Quod quidem Teſtamentum Leo Allatius exhibuit, & ex eo recenſet Raynaldus ad hunc annum ſub num. 49. tenoris ſequentis, videlicèt.

Teſtamentum Conſtantinopolitani Patriarchæ Joannis.

59 ,, Multi homines in exilio, & carce-
,, re, vitæ curſum conficiunt: qui licèt fortè
,, nihil præterea habeant, de quo teſtantur;
,, nihilominus ſub teſtamenti forma facinus
,, abnegant, quod in exilium, aut carcerem
,, deducti ſunt; nihil inde aliud ſibi procu-
,, rantes, ſed tantummodò maleficium, cu-
,, jus cauſa multi ſimiles pœnas luunt, re-
,, pellentes. Mihi autem, & peccatori, de-
,, que ſede, quam ineffabili Dei judicio ob-
,, tinueram, pulſo, & exiliis, & carceri-
,, bus ad extremum uſque ſpiritum condem-
,, nato, tantum abeſt, ut curæ ſit, cum mi-
,, ſerum inopſque Teſtamentum conficere de-
,, beam, ut horum mihi cauſâ facinus ab-
,, negem, ut etiam ſtudio id confitear, quod
,, jam extrema neceſſitate preſſus teſtor; at-
,, que confiteor: quemadmodùm enim aliis
,, ad amolitionem dedecoris, facinoris abne-
,, gatio plurimùm facit, ſic mihi ad eundem
,, ſcopum reſponſio vertitur.
60 ,, Quando enim à Patre per Filium
,, proceſſionem Spiritus Sancti, à Patre per
,, Filium exiſtentiam ſentire, & aſſerere de-
,, lictum mihi, pro quo è Patriarchico ſolio
,, depellerer, appictum eſt, dignumque exi-
,, lio, & carcere; quibus tandem è vita tru-
,, derer; facinus non detrecto, non inficior
,, ut opprobrium, & dedecus non amolior;
,, & ſi in quoquam infamiâ dignum cenſetur,
,, illius ipſe infamiæ coronâ cingi minimè re-
,, cuſo. Quomodo enim dedecus pro dog-
,, mate recuſarem, quod in dedecus ipſius
,, Chriſti, adverſarii nobis appingunt? Ete-
,, nim ſi nullum deducus Scriptura Chriſti
,, enuntiat, hoc ipſe nullum aliud eſſe affir-
,, mo. Illi quippe, qui à Scripturarum exa-
,, mine anguſtiantur, coguntur per Filium
,, proceſſionem Patrum eſſe ſententiam affir-
,, mare; nec rectè in proceſſionis homony-
,, mia ambulant à Scripturis arctati, hypo-
,, ſtaticam Patris proprietatem proceſſionem
,, edicentibus, nihilominùs tamen ex ſolo
,, Patre inverecundè nimis exiſtentiam ſpiri-
,, tum habere aſſerentes, omni neceſſariæ de-
,, monſtrationis, vi contra ipſam proceſſio-
,, nem redarguuntur: idem enim eſt dicere
,, exiſtentiam, quam, ut ipſi ajunt, ex ſo-
,, lo Patre habet Spiritus Sanctus, & inſtru-
,, mentaliter per Filium tranſire, tanquam
,, id, quod conſequitur hanc ſententiam, &
,, verbis tantum nudis proprium Filii, re ta-
,, men vera ab ipſo alienum conſtituere. Cum
,, nulla fuerit ratio, quæ ſuadere valeat pro-
,, prium eſſe Filii, quod ex ipſo non eſt, aut
,, per ipſum propriam exiſtentiam non ha-
,, bet.
61 ,, Hæc itaque dico abſurda, ac im-
,, pia, ut verum fatear, dicta inſtrumentale
,, Patri miniſterium Filii in proceſſione Spi-
,, ritus, & Spiritus ex Filio alienatio neceſ-
,, ſariò demonſtantur ex iis, quæ dicunt, qui
,, ex ſolo Patre Spiritum exiſtentiam habere
,, aſſerunt, & per Filium proceſſionem ſecun-
,, dum Scripturarum examinis anguſtiam
,, cum proprietate proceſſionis inducias ire
,, non valentes, in opprobrium, ut ego di-
,, co, Chriſti, ex Patre per Filium proceſ-
,, ſionem prævertunt. Et quidem oppro-
,, brium Chriſti excogitari poſſet immaniùs,
,, quam miniſteriale eundem Organum Pa-
,, tris fateri? Planè hæc Ariana ſunt. Et ego
,, vitans, opprobrium non refugio, licèt non
,, nemini dedecus videatur, ex Patre per
,, Filium proceſſionem, ex Patre per Filium
,, exiſtentiam tenere, & palàm profiteri. Et
,, hanc confeſſionem huic meo teſtamento
,, præfigo. Deinceps verò teſtor, non opes,
,, non divitias, non poſſeſſiones, quibus om-
,, nibus ex una cum throno ſpoliatus ſum,
,, propriis alieniſque diſtribuens; ſed hæc
,, quæ mihi ſuppetunt, modica, & dejecta
,, miniſtris, qui in carcere unà mecum per-
,, ſtiterunt, quorum unus Flii, alius Servi
,, loco eſt, ſecundum meum elargior judi-
,, cium. Joannes humilis miſeratione Divi-
,, na Archiepiſcopus Conſtantinopolitanus,
,, ob verum autem Patrum dogma, *ex Patre*
,, *ſcilicèt per Filium proceſſionem Spiritus San-*
,, *cti*, exilio carcereque mactatus, hoc meum
,, Teſtamentum propria manu ſcripſi, ſubſcri-
,, pſique. *Hactenus Ioannis Becbi Teſtamen-*
tum.

62 Verùm ex hactenus deductis licèt
coniici, Andronicum pro diſſolvenda inita
ſub ejus Patre unione, cui, & ipſe ſubſcripſe-
rat, eo uſum prætextu, nè ex ea unione co-
gerentur Græci Spiritum Sanctum profiteri à
Patre, & Filio procedere, cùm ſupra hoc
tantum dogma certatum ſit ab ipſis Schiſma-
ticis cum Ioanne Patriarcha, & hujus tan-
tum cauſa Sanctiſſimum Confeſſorem paſſum
exila conſtet, & carcerem: Ipſum verò An-
dronicum, Michaelem quoque ejus Patrem,
in ſuis repetitis, & juratis fidei profeſſioni-
bus ad Romanos miſſis Pontifices, nullo pa-
cto voluiſſe exprimere hunc fidei articulum,
ſe nimirum profiteri Spiritum Sanctum à Pa-
tre, & Filio procedere, non obſtantibus eo-
rundem Romanorum Pontificum hortationi-
bus, monitionibus, præceptis, & manda-
tis, ex prædictis eorumdemque Principum
fidei profeſſionibus clarum, & manifeſtum
fit: Et ſanè non ſine dolo; cùm enim omnia,
cogente potiùs neceſſitate, quàm excitante
pietate, ut ex hiſtoriæ hujus ſerie apparet,
ſimulatè non in veritate, ludendo, & illu-
dendo, quæ acta ſunt per eos in præfata unio-
nis cauſa egiſſent, viam ſibi apertam ſinere
voluerunt, ut minori cum dedecore, ſpecio-
ſoque aliquo prætextu, poſſent pro libitu
initam reſcindere unionem, omniaque per
eos

eos acta retrotrahere, proteſtantes in eo caſu ſe receſſiſſe, quoniàm cogi videbantur ab Eccleſia Romana præfato ſubſcribere articulo, dogmaque hæreticum (ut ipſi Græci debachantur) profiteri, quod ſuis in fidei confeſſionibus nunquàm hactenùs profiteri voluerunt. Hæc ſunt, ut ait Tullius lib. 1. ad Quintum fratrem, Epiſt. 2. *Græcorum hominum ingenia ad fallendum parata*.

63 Intereà verò Carolus Siciliæ Rex, Fogiæ die VII. menſis Januarii, ineunte Domini Anno MCCLXXXV. magnâ cùm devotione ſumptis Eccleſiaſticis Sacramentis, ut ſcribit Sanctus Antoninus part. 3. titul. 20. cap. 4. §. 9. Deo reddidit ſpiritum, cùm regnaſſet in Siciliæ Regno Annos XIX. ut habetur in m. ſ. Chronic. Sueſſan. Cujus corpus translatum fuit intùs majorem Eccleſiam Neapolitanam die XXIII. ejuſdem menſis, prout legitur in eodem Chronic. & confirmat loco mox citat. antefatus Sanctus Antoninus. Quo mortuo, addit Ptolomæus Lucenſis, *omnia navigia ſunt diſperſa: Legatus autem ſe ibidem firmat ad firmamentum Regni. Inſuper, & Rex Franciæ cum Militia Comitem Atrebatenſem illùc tranſmittit ad defenſionem Patriæ. Interim verò Princeps Salernitanus, hoc eſt, Filius Regis Caroli, qui & poſteà Rex Carolus dictus eſt, in Cataloniam vinctus deducitur. Hæc ille.* Calviſius pariter ſub eodem anno ex Nangio, conſignat Caroli obitum, inquiens: *Carolus, qui Siciliam, & Aquilã obtinuerat Annis ferè XVII. jàm pulſus à Petro Aragonio, & adverſarum multitudine fractus, moritur die ſeptima Januarii*.

64 Eodem anno, & paulò poſt, ad Superos evocatus, deceſſit Martinus IV. ſui Pontificatus Anno V. Andronici Orientis Imperatoris Anno II. Rodulphi Romanorum Regis Anno XIII. Indictione XIII. die IV. Kalendis Aprilis, Feria IV. poſt Dominicam Reſurrectionis, horâ noctis VI. poſtquàm rexerat Eccleſiam Annis IV. menſe 1. diebus verò VII. Auctores verò diſcrepant inter ſe de die hujus Pontificis obitus; nàm Auctor vitæ ejus ex m. ſ. Bibliothecæ Vallicellanæ, apud Raynaldum ad hunc annum, ſub num. 12. Kalendis Aprilis objiſſe tradit: *Martinus Papa*, inquit, *objit in Peruſio Kalendis Aprilis, in Oct. Paſchæ Anno Dom. MCCXXXV. ferturque à quibuſdam, miraculis claruiſſe poſt mortem*. Sanctus Antoninus part. 3. tit. 20. cap. 5. in principio, ſcribit objiſſe die 24. Martii, immò & anno ſequenti, nimìrum MCCLXXXVI. inquiens: *Poſtquàm Martinus Quartus appoſitus eſt ad Patres ſuos Peruſi* XXIV. *die Martii, ibiquè honorificè ſepultus, Anno Domini MCCXXXVI. de menſe Aprilis, Domini Cardinales canonicè elegerunt in Summum Pontificem Honorium Quartum*. Auctor verò Appendicis ad Martinum Polonum, lib. 4. in Vita Martini, apud Raynaldum loco mox citat. ſtatuit obitum Martini feriâ IV. poſt Dominicam Reſurrectionis antefati Anni MCCLXXXV. Ait enim, & quidèm oculatus teſtis: „ Die Reſurrectionis „ Domini, quæ fuit in die Annunciationis „ Virginis Mariæ (*ſcilicèt 25. Martii*) poſt„ quàm celebraſſet, ſolitamque refectionem „ cum ſuis Cappellanis ſumpſiſſet, arripuit „ eum infirmitas occulta, ex qua, licèt ſe „ graviter pati diceret, ejus Phyſici morbum „ & cauſam in eo nullam, nullumque mor„ tis indicium aſſerebant eſſe. ipſe verò die „ Mercurii proximè ſequenti (*die videlicèt* „ XXVIII. *Martii*) circà noctis horam quaſi „ ſextam, debitum conditionis exſolvens hu„ manæ, ad Dominum, ut certis opinatur „ indiciis, tranſmigravit. *Hæc ille*.

65 Cui porrò ſententiæ aſtipulatur noſter Wadingus ad hunc annum ſub num. 1. ubi ſcribit: *Peruſii hoc anno Martinus IV. lentâ febri ſenſim vexatus, objit* IV. *Kal. Aprilis, in quem incidit feria* IV. *poſt feſtum Reſurrectionis Dominicæ, horâ ſextâ noctis*. Et hæc quidèm opinio, ut veriſſima comprobatur ex literis Honorii Papæ ejus ſucceſſoris de ſua electione datis ad Mediolanenſem Archiepiſcopum, & cæteros ſuffraganeos Epiſcopos, in quibus inter plura ait: „ Nuper „ ſiquidèm IV. Kalendas Aprilis fœlicis re„ cordat. Martino Papa prædeceſſore noſtro, „ prudentiæ, ac ſcientiæ, multarumque alia„ rum virtutum dono pollente, per naturalis „ mortis occaſionem de nequam ſæculi hujus „ anguſtiis liberato, & ipſius corpore cum „ debita exequiarum ſolemnitate ſepulto, „ primâ die dicti menſis cum fratribus no„ ſtris, de quorum numero tunc eramus, li„ berè nullâ incluſionis coactione præambu„ lâ, quam aliquandò in Eccleſię ipſius va„ cationibus damnabilis præſumpſit abuſus, „ convenimus ad tractandum de ſubſtituendi „ electione Paſtoris. *Hæc ille*. Quarè corrigendus eſt etiam Nangius, qui ſcribit deceſſiſſe XXV. Martii, & poſt Nangium Calviſius, & alii hos ſequuti, qui in eundem inciderunt errorem.

66 Nęvum tanto Pontifici adſcribit Calviſius, quòd ſummo odio perſecutus fuerit Germanos: *Hic*, inquit, *tanto odio perſecutus eſt Germanos, ut ſępè exoptaverit, ſe Ciconiam eſſe, aut Lucium, Germanos autem, vel ranas eſſe, vel piſces*. Centuriatores verò ex more inſectandi Roman. Pontifices Centuria XIII. cap. 10. confictis criminibus, famam & ſanctitatem ejus obſcurare niſi ſunt, cùm tamèn Deus vitæ illius integritatem, & ſanctitatem miraculis conteſtatam feciſſet, prout communiter ferunt Scriptores, ut Platina, Genebrardus, Maſſonus, Binius, Cicarelli, Joannes Baptiſta de Glen, Brandius, Joannettus, Quercetanus, Schedel; Riocha, Ciaconus, Andreas Victorellus, agentes de Martino IV. Item Trithemius in Chronica

Hiſſaugienſi, Cardinalis Ægidius Viterbien. in m.ſ. Chronica, Sæculo XX. Paulus Nangius in Chronico Citizenſi ad Annum MCCLXXXVI. Gualter. in Tabula Chronologica Sæculi XII. Spondanus in Epitome Annalium ſub Anno MCCLXXXV. Bzovius Tom. XIII. Annalium ad eundem Annum, §.1. Friſonus lib.1.Galliæ Purpuratæ in Martino IV. & cæteri alii, quibus addo teſtem oculatum ſuprà relatum, apud Martinum Polonum lib.4. ſcribentem in Martino Quarto; „ Nàm diverſarum afflicti paſſionum, & ſpecialiter viſus, auditus, & loquelæ proſtrati „ juxtà feretrum, in quo exiſtit ſepultum, „ infrà paucos dies, videntibus, & aſſiſtentibus Clericis, & Laicis quampluribus, multi ſunt ſanati; nec adhùc quandò hæc Scriptura fuit proſtracta, XII. menſis Maji, „ ceſſabant ibìdèm miracula; veriùs immò „ diebus ſingulis occurrenti populoſæ fidelium multitudini miſericorditer à Domino „ largiuntur. Et qui ſcripſit hæc, vidit ea. *Hactenus ille*. Et ipſe Nangius idem teſtatur, inquiens: *Diverſarum afflicti paſſionum, & morborum ad tumulum ejus venientes, multis videntibus, ſunt ſanati*.

67 Hic porrò amantiſſimus fuit Minorum Fratrum, & Prædicatorum, ut Martinus Polonus notat, inquiens: *Religiones dilexit Minorum maximè & Prædicatorum*; quapropter antè obitum, Fratrum Minorum Habitum poſtulavit, ac cum eo ſepeliri voluit, ut Wading. ſcribit ad hunc annum ſub nu. 1. mandavitque ſuo teſtamento, ut corpus ejus deferretur ad Eccleſiam Sancti Franciſci Aſſiſii, relicto inter alios ſui teſtamenti executore Jacobo Cardinali Sabellio, qui poſteà in Pontificatu ei ſucceſſit, appellatus Honorius IV. ut dicemus; qui, ut voluntas antedicti Martini adimpleretur, jàm Pontifex electus ſui Pontificatus Anno I. ſcripſit ad Peruſinos, hortans, mandans, & præcipiens, ut ſecundùm voluntatem ultimam Martini, permitterent illiùs corpus liberè transferri ad præfatam Sancti Franciſci Eccleſiam. Datæ ſunt literæ Romæ apud Sanctam Sabinam Kalendis Februarii, incipientes, *Sincera, & antiqua illa*, quas Wadingus ex Regeſto Vaticano recitat ad Ann.Dom.MCCLXXXVI. ſub num.3. Licèt Peruſini, nè tanto privarentur theſauro, diverſis interpoſitis appellationibus rem in longum protraxerunt, donec vitâ functo Honorio, nemo ampliùs pro hujuſmodi inſtiterit translatione, manſitque apud Peruſinos; & noſter Piſanus teſtatur apud Wadingum loco mox citat. quod dùm aliquot poſt annis reſarciretur Templum, inventum fuerit corpus omninò integrum, & Habitus Minoriticus, quo ſepultus fuit prorsùs illæſus.

68 Itaquè tumulato Martino, Domini Cardinales convenientes pro ſucceſſoris electione, ſummâ conſenſione die ſecunda Aprilis renunciarunt Romanum Pontificem Jacobum Cardinalem Tituli Sanctæ Mariæ in Coſmedin Diaconum, patriâ Romanum, de nobili, & antiqua Sabellorum Familia, qui Honorius IV. appellari voluit. Sanctus Antoninus 3.part. titul. 20. cap.5. in principio, menſem tantùm creationis Honorii deſignat, non diem: *De menſe Aprilis*, ait, *Domini Cardinales canonicè elegerunt in Summũ Pontificem Honorium IV. de Familia Sabellorum Nobilibus Romanis*. Martinus Polonus, creatum dicit ſecunda die Aprilis, inquiens: *Honorius IV. natione Romanus, de Sabellenſibus, priùs Diaconus Cardinalis, electus fuit Peruſii Anno MCCLXXXV. die ſecunda Aprilis*. Hoc idem teſtatur ipſemet Honorius in ſuis ſupracitatis literis, quæ fuerunt Encyclicæ, in quibus refert, poſt tumulatum Martinum conveniſſe Dominos Cardinales die 1. Aprilis tractaturos de ſucceſſoris electione, & indè ſubjungit: „ Et poſt Miſſarum ſolemnia, „ ex more, in honorem Spiritus Sancti celebrata, tractatu aliquo habito, tandèm in „ craſtinum Scrutinii viâ electâ concorditer, „ factoque, ac publicato Scrutinio, quod „ nec ſequens habuit, ſicut nec oportuit, „ nec præcedens votorum fratrum eorundem „ directorum in nos, eo tempore Sanctæ Mariæ in Coſmedin Diaconum Cardinalem, „ tanta eſt inventa concordia, & de unanimi omnium eorum voluntate, adeò con„ cors de nobis in Summum Pontificem electio ſubſecuta, quòd nos de tàm grandi, „ tàmque inexpectata, immò & nobis omninò inopinatâ novitate pluſquàm verbis exprimere poſſimus, attoniti facti ſumus, „ velut in mentis exceſſu. *Hæc ille*. Cùm itaquè dicat, primâ Aprilis conveniſſe, ac in craſtinum ſecutam electionem, conſtat apertiſſimè, electum fuiſſe die ſecundâ Aprilis, Sedem verò poſt Martini obitum quatuor tãtùm vacaſſe diebus. Non ergò ſecuta eſt prefata electio in Dominica octava die poſt Paſcha, ſed feriâ ſecundâ poſt octavam Paſchæ. Martinus Polonus, fuiſſe hominem temperatum, & magnæ diſcretionis, tradit. Ptolomæus Lucenſis appellat hominem ſapientem, nulli læſivum, & ſuis benè profectivum. Concordant omnes in eo, quod dicunt morbo podagrico plurimùm laboraſſe, adeò ex eo impeditum in manibus, & pedibus, ut nonniſi quibuſdam adhibitis inſtrumentis celebrare poſſet.

69 Poſt ſuam creationem noluit Peruſii conſecrari, & coronari, ſed Romam ſe contulit, & apud Sanctum Petrum conſecratus eſt, & coronatus, ac indè in Monte Aventino nobili extructo Palatio, habitationem elegit; ſic Ptolomeus inquiens: *Statim creatus, in Urbem ſe transfert, & in Monte Aventino, juxtà Sanctam Sabinam magna fabricat Palatia, & ibìdem Sedem Pontificalem conſtituit, totuſque ille mons renovatur in ædificiis*.

Hac

Hac de cauſa complures ejus literæ leguntur datæ apud S,Sabinam ,

70 Sub hujus Pontificatu , vitâ functo Carolo Siciliæ Rege , ut fati ſumus , in tuto Imperium ſuum eſſe conſtitutum Andronicus cogitarat , ſicque ſchiſma fovere , & catholicos vexare proſequebatur . Ad minuendas verò ſui Ærarii expenſas , maritimam Claſſem dimiſit , id quod malorum omnium , quæ paulatim Imperio ſuo acciderant , cauſa fuit . Sic Gregoras lib.6, inquiens : „ Cùm pericula omnia, propter quę Romana Claſſis tantoperè aucta fuiſſet , propulſata eſſent ; ac præter cætera etiam Carolus Italiæ Rex , omnium malorum caput , objiſſet ; inanem eſſę navium ſumptum , qui Fiſcum pluſquàm cætera omnia exhauriret . Quod cùm Romanis evidentem perniciem afferret , tamèn in præſentia opportunum eſſe viſum , atque utiliſſimum , animis pecuniæ ſitientibus , & præter ea omnia Imperii præſidia, & firmamenta contemnentibus . Hoc Romanis malorum principium extitit , & immobile fundamentum ; hoc Latinos , Romanorum vires priùs , ut invictas metuentes , confirmavit , & animoſiſſimos reddidit . *Hæc Gregoras* . Cùm verò Honorius non diù in Pontificatu vixiſſet , nihil ab eo actum cum Græcis ſcripto proditum legitur , detentus etiam in componendis Siciliæ Regni rebus propter continuatam Sicilienſium rebellionem , foventibus Conſtantiâ Manfredi quondàm filiâ , & Jacobo filio quondàm Petri Regis Aragonum , quos cum præfatis Sicilienſibus anathemate percuſſit in die Cœnæ Domini , repetitâ excommunicatione contrà Jacobum in die Aſcenſionis Domini noſtri Jeſu Chriſti , & ſuppoſitâ universâ Inſulâ Eccleſiaſtico Interdicto .

CAPUT III.

De Nicolai IV. Pontificatu , matrimonio Andronici cum filia Aytonis Regis Armeniæ , deſtitutione , & inſtitutione Patriarcharum Græcorum , jubente Andronico ; De Legatis miſſis à Nicolao per diverſarum Gentium converſione , de capta per Sarracenos univerſa Syria , cum tota Terra Sancta , & de Nicolai ſtudio pro illius recuperatione .

71 HOnorius exacto ſuo Pontificatus biennio , carnis debito ſoluto migravit ad Dominum Anno ab Incarnatione Domini MCCLXXXVII. in die Cœnæ Domini , ſepultus in Eccleſia S.Petri juxtà ſepulchrum Nicolai III. in die Paraſceve objiſſe , III.Nonas Aprilis, ſcribit Auctor vitæ ejus apud Labæum , de quo ait : „ Ad extremum vir bonus & integer , ſcientiæ & honeſtatis verus amator , quandò Petri naviculam fœliciter duobus annis , & uno die rexiſſet , naturæ debitum in Monte Aventino , in quo ſe continebat , perſolvit , III. Nonas Aprilis , Anno Chriſti MCCLXXXVII. ac indè ad Sanctum Petrum ad ſepeliendum delatus eſt . Sedes propter Cardinales diverſis morbis exagitatos , decem menſibus vacavit . *Hac ille* . Conſentit Calviſius ex Honuphrio , ad eundem annum ſcribens : *Interim Honorius hic moritur die* III. *Aprilis* , *cùm ſediſſet Annis duobus* , *& vacat Sedes menſibus decem* . Ptolomæus Lucenſis de ejus obitu agens, inquit: „ Anno Domini MCCLXXXVII. Honorius moritur apud Sanctam Sabinam , & in Eccleſia Beati Petri, juxtà ſepulchrum Nicolai III. honorificè ſepelitur , quamvis dùm adhùc viveret, apud Sāctam Sabinam continuatam reſidentiam faceret,niſi in æſtate, quià tunc ſe Tiburim cum Curia transferebat . Sedit autem annis duobus , & diebus aliquibus , & vacavit tunc Eccleſia à Cœna Domini, quià tunc mortuus eſt Honorius , uſquè ad Cathedram Sancti Petri, in qua electus eſt Nicolaus . *Hæc Ptolomæus* . Et ità Scriptores univerſi concordant in die obitus , quoniàm eo anno dies Cœnæ Domini incidit in diem III. Aprilis, Paſchatis verò ſolemnitas in diem VI. ejuſdem menſis . Ut enim Cyclus Paſchalis demonſtrat , eo in anno Luna Paſchalis incidit in Kalendis Aprilis , Dominica verò proximè ſequens in VIII. Aprilis . Et ità in Pontificatu vixit Annis duobus , ac duobus pariter diebus . Ejus porrò corpus translatum eſt ad Baſilicam Sanctæ Mariæ de Aracœli , conditum in Sacello Sanctiſſimo meo Patriarchæ Franciſco dicato , in tumulo muſivo opere elaborato , nullâ tamèn adhibitâ inſcriptione , neque translationis memoriâ , licèt in ſuperiori parte tumuli habeatur expreſſa hujus Pontificis effigies , ut cunctis Sacellum illud viſitantibus, apparet .

72 Convenerunt autem Domini Cardinales poſt Honorii obitum , apud Sanctam Sabinam tractaturi de ſucceſſoris electione ; cùmque non tàm citò concordes ad electionem deveniſſent, ſupervenientibus æſtivis caloribus , plures ex Cardinalibus adverſâ valetudine tenti ſunt , nonnulli verò gravitati morbi ſuccubuere , quos nominat Ptolomęus Lucenſis , inquiens : „ Recluſerunt ſe Cardinales in Sancta Sabina ; & quià in æſtate locus infirmus erat , multi Cardinales infirmati ſunt ibidem , & mortui circà ſex Cardinales , vel ſeptem ; inter quos fuit D.Jordanus de Urſinis , D.Comes de Mediolano , D.Ugo Anglicus , D.Gervaſius Andegavienſis , & Decanus Piſanus , & D.Antonius. Indè omnes redierunt ad propria .

BIBLIOTECA NAZ ROMA VITTORIO EMANUELE

pria. *Hæc ille*. Itaquè diſſolutus hujus rei cauſâ conventus fuit; ſed ad proprias ædes redeuntibus Cardinalibus, ſolus Hieronymus de Aſculo Cardinalis Prænestinus, ex Ordine Fratrum Minorum remanſit ibidem: *Dominus autem Hieronymus cùm eſſet Cardinalis*, ait Jordanus, *imminente electione Summi Pontificis, clauſis Cardinalibus in Sancta Sabina poſt mortem Honorii, cæteris propter infirmitatem locum fugientibus, ſolus ibi remanſit, & ſanus*. Et ferunt Scriptores, hunc noxii aeris periculum eâ ratione propuliſſe, ut medio æſtu ignes ubiquè in Palatio voluerit accendi, per quos aerem perpetuò reddebat puriorem.

73 Sedata porrò hyemis frigoribus Epidemiâ, ac redeuntibus Dominis Cardinalibus ad Conclave, ad eaſdem Sanctæ Sabinæ ædes, magnâ Cardinalium conſenſione, univerſis ſuffragantibus, renunciatus eſt Romanus Pontifex idem D. Hieronymus (quem aliqui perperàm Joannem vocant) Presbyter Cardinalis Prænestinus, ex Minorum Ordine, ut præfati ſumus, qui cùm in Cardinalium numero à Nicolao III. ex Miniſtro Gen. prçfati Ord. adſcriptus fuiſſet, Nicolaus IV. appellari voluit. De quo apud Labæû in ejus vita ſic habetur: „ Nicolaus IV. patriâ Aſculanus, Ordinis Minorum Generalis, dictus „ ante Hieronymus, Religionis, & pacis amator, ex Cardinale Presbytero Sanctæ Sabinæ, creatus eſt Pontifex Maximus VIII. „ Kalendas Martii, Anno MCCLXXXVIII. „ ſub Imperio Rodulphi Imperatoris. *Hæc ille*. Jordanus verò de eodem Nicolao, quem dicit natione Marchianum, quià ejus patria in Provincia Marchiæ ſita, ait: „ Hic vocatus eſt Hieronymus, magnus literatus, „ & valdè religioſus. Factus fuit Generalis „ Minorum, demùm Epiſcopus Prænestinus, „ poſteà Papa. *Sanctus Antoninus* 3. *part.* „ *tit.*20. *cap.*6. *in initio*: Defuncto igitùr Honorio, ut dictum eſt, *inquit*, Anno Domini „ MCCLXXXVII. (*ſupple* 1288.) in feſto Cathedræ Sancti Petri canonicè fuit „ electus in Pontificem Summum Nicolaus „ Quartus de Eſculio Marchiç oriundus, qui „ priùs vocabatur Hieronymus. Hic Ordinis „ Minorum fuit, qui propter ſuam eminentem ſcientiam, & morum probitatem priùs „ Generalis Miniſter Ordinis, exindè in Cardinalem aſſumptus; poſtmodùm creatus eſt „ Summus Antiſtes. *Hæc Antoninus*.

74 Conſignando itaquè creationis hujus Pontificis tempus, apparet creatum Anno Domini MCCLXXXVIII. Imperii Rodulphi Romanorum Regis Anno XVI. Andronici Imperatoris Græcorum Anno V. Indictione I. die verò XIII. Februarii; nàm ipſe in ſuis Encyclicis literis datis VII. Kalendas Martii apud Lateranum, incipien. *Judicia Dei, abyſſus multa*, de ſua electione ſic habet: „ Fœlicis ſiquidem recordationis Honorio Papâ IV. prædeceſſore noſtro, ut „ Domino placuit, ab hac luce ſubtracto, „ ejuſq; corpore cum Exequiarum ſolemnitate debitâ tumulato, nos tunc, ut prætangitur, Epiſcopus Prænestinus cum fratribus noſtris aliis in Curia Romana præſentibus, in Palatio Sanctæ Sabinæ de Urbe, in quo prædeceſſor ipſe reſederat, concordi voluntate convenimus ſubſtitutioni „ Romani Pontificis ſoliciti vacaturi. Circà „ quod licèt impedimenta varia, & præcipuè „ diverſarum, & prolixarum infirmitatum „ anguſtia, quæ quamplures de ipſorum fratrum Collegio vexavere diutiùs, & proh „ dolor! nonnullos etiam ſubtraxeſunt, aliquandiù conatibus noſtris obſtiterint; demùm tamèn in I. Dominica prçſentis Quadrageſimæ nobis, & reliquis fratribus tempore ipſo præſentibus convenientibus in „ Palatio ſupradicto, electâ concorditèr viâ „ Scrutinii, & uno tantùm facto, publicatoque Scrutinio, illo, qui concordiam in „ ſublimibus ſuis fecit, ut ſupponit devota „ credulitas, aſſiſtente, tanta finaliter in votis „ eorundem fratrum eſt inventa concordia, „ quòd de ipſorum omnium unanimi voluntate ad conſcendendam Petri Cathedram, „ ſecuta eſt de humilitate noſtra concors electio, & communis, fratribus ipſis inſtantibus importunè, ut electioni conſentiremus „ eidem. *Hæc ille*.

75 Ex hiſce Pontificiis literis conſtat, creatum non die XXII. Februarii; nàm ſi Dominica prima Quadrageſimæ eo in anno incidit in diem XIII. Februarii, quoniàm ſecundùm Cyclum Paſchalem dies Cinerum incidit in IX. Februarii, & Paſcha in V. Kalendas Aprilis, ideſt in diem XXVIII. Martii: ſicque conſtat, primam Dominicam Quadrageſimæ illius anni incidiſſe in diem XIII. Februarii. Raynaldus tamèn exiſtimat irrepſiſſe errorem in literis Papalibus ex Amanuenſis fortè incuria, & loco primæ Dominicæ legendum eſſe, *ſecunda Dominica præſentis Quadrageſimæ*; & ideò nè in hoc recederet à Scriptorum illorum ſententia, aſſerentium creatum VIII. Kalendas Martii, & aliorum adnotantium feſtum Cathedræ Sancti Petri in Antiochia, quod in præfatum incidit VIII. Kalendarum Martii diem. At hoc etiam admiſſo errore, neque conciliantur Scriptorum ſententiæ, quoniàm prædicto anno ſecunda Quadrageſimæ non incidit in VIII. Kalendas Martii, aut XXII. diem Februarii, & feſtum prædictæ Cathedræ Antiochenæ, ſed in XX. Februarii, videlicèt X. Kalendas Martii. Proindè mihi veroſimile videtur, nullum errorem irrepſiſſe in præfatis Nicolai literis, ac reverà creatum Pontificem Nicolaum die XIII. Februarii, in Dominica prima Quadrageſimæ illius anni, coronatum indè die XXII. Februarii in prælibato Cathedræ feſto, Auctores verò deceptos, diem Coronationis pro crea-

creatione adnotaſſe. Et hæc mea conjectura comprobari poteſt, ſi attendatur dies quo antedictæ Nicolai literæ leguntur datæ: In fine enim earum dicitur. *Datū Laterani* VIII. *Kal. Martii*, *Pontificatus noſtri anno primo*. At non eſt veroſimile creatum VIII. Kalend. Martii, & VII. Kal. ejuſdem menſis, die immediatè ſequenti Encyclicas feciſſe ad Orbem Chriſtianum literas, & ideo veriùs exiſtimo coronatum VIII. Kalend. Martii, & poſt ſuam Coronationem de more Encyclicas feciſſe, VII. ſcilicèt Kalend. Martii, creatum tamen anteà, & quidem prima Dominica: nam etiam ſi in ſecunda, adhuc videtur improbabile poſt triduum, & nondum coronatum ſæpedictas miſiſſe literas. His verò ſtantibus Sedem ab obitu Honorii vacaſſe concludi debet menſibus x. & diebus x. à die ſcilicèt III. Aprilis MCCLXXXVII. ad XIII. uſque diem Februarii MCCLXXXVIII.

76 Hoc itaque regnante Pontifice, Andronicus Imperator Græcorum, ut rebus ſuis conſuleret, pacemque firmam, atque ſtabilem cum Caroli quondam Siciliæ Regis hæredibus, & ſucceſſoribus, nè ab eis amplius pro Imperio recuperando in favorem Philippi quondam Balduini II. filii, vel illius hæredum moleſtaretur, poſſetque impoſterum quietè, & pacificè Græcorum ſive Conſtantinopoli frui Imperio, quovis ex Latinorum parte excuſſo timore, egit cum Roberto Comite Atrebatenſi Regni Siciliæ loco Caroli, primi Caroli filii tunc captivi detenti apud Regem Aragonum moderatore de deſponſando filio ſuo primogenito cum Catharina filia antedicti Philippi, pro qua re Legatos miſit, & Oratores ad præfatum Robertum, ut ſuo nomine poſtularent prædictam Catharinam in uxorem pro dicto ſuo filio Michaele. At Robertus honorificè ſuſceptis Oratoribus reſpondit ſe rem tantam, inconſulto Pontifice, & Francorum Rege perficere non potuiſſe, ipſis verò, conſultis ultimatam daturum reſponſionem: indeque ſcripſit ad Nicolaum exponens Andronici poſtulata, & reſponſionem Oratoribus datam, expectans illius conſilium, & ſententiam, quemadmodùm fecit cum Galliæ Rege. Placuit Nicolao tractatus, fortè ſperans ex hoc Matrimonio res Eccleſiæ Grecorum in ſeniorem ſtatum reducturas: Reſcripſit proinde Roberto, probans illius prudentiam ex data pro tunc Oratoribus reſponſione, mandatque inde, nè ab eo tractatu recedat, donec recipiat ſuper eodem negotio Regis Francorum reſponſionem: eâque acceptâ, etiamſi Rex conſentiret, præcipit, nè ad Concluſionem procedat donec Apoſtolicæ Sedis accedat beneplacitum. Nicolai literas exhibet Raynaldus ad hunc annum ſub num. 18. ad hunc modum ſe habentes.

Dilecto Filio Nobili Viro Roberto Comiti Atrebatenſi Bajulo Siciliæ per Sedem Apoſtolicam Conſtituto.

77 „ Literas tuas recepimus, quas nobis tua devotio deſtinavit, & earum tenore pleniùs intellecto, perpendimus in eis inter alia contineri, quod Procuratores, & Nuncii Nobilis Viri Andronici Palæologi ad tractandum, firmandum, & complendum Matrimonium inter Nobilem Virum Michaelem ipſius Primogenitum, & dilectam in Chriſto Filiam Catharinam Domicellam natam claræ memoriæ Philippi Imperatoris Conſtantinopolitani ad tuā præſentiam acceſſerunt, aſſerentes, quod ex hujuſmodi Matrimonio inter eundem Palæologum, ac ejus hæredes, ac ſucceſſores claræ memoriæ Caroli Regis Siciliæ ex altera, & utriuſque partis ſubditos pax perpetua poterit provenire. Cùmque prędicti Nuncii, apud te circa præmiſſum tractatum inſiſterent, tu tanquam honoris Eccleſiæ Romanæ, & chariſſimi in Chriſto filii noſtri Regis Francorum Illuſtris Zelator præcipuus, provide cogitans, quod hujuſmodi negotium ſine ipſorum Eccleſiæ, ac Regis conſilio, & conſenſu expediri commodè non poterat, nec debebat, decreviſti ſuper hoc fore noſtrum, & ejuſdem Regis beneplacitum requirendum.

78 „ Nos itaque tuæ devotionis prudentiam dignis in Domino laudibus commendantes, nobilitatem tuam rogamus, & hortamur attentè per Apoſtolica tibi ſcripta mandantes, quatenus à tractatu prędicto, donec ſuper hoc dicti Regis reſponſionem receperis; & recepta reſponſione prædicta ipſam nobis ſtudeas intimare, ad conſummationem dicti negocii, etiam ſi contingat dictum Regem ſponſalibus hujuſmodi conſentire, nullatenus proceſſurus, niſi priùs noſtrum ſuper hoc habueris beneplacitum, & conſenſum. Datum Reate III. nonas Junii. Anno I. *Hactenus Nicolai literæ*.

79 Verùm hujuſmodi tractatus haud fortitus eſt effectum, & quidem propter conditiones à Rege Siciliæ propoſitas, quas nimis arduas exiſtimavit Andronicus, ut ſcribit Gregoras lib. 6. cap. *de Patriarcha Joanne*, hujus meminit tractatus, inquiens: „ Hoc tempore Legatos ad Imperatorem mittit primùm Italię Rex, quia Filiā è Balduini Filia, quem Conſtantinopoli pulſum fuiſſe ſupra oſtendi, ſuſceperat, eam novo Imperatori deſpondere cupiebat. Poſt ſimili ratione Armenię, quæ Ciliciæ finitima eſt, Rex, ſororem per Legatos offert, annos natam XIII. ſed cum Regis Italiæ Legatio propter ea quæ poſtulabat, quę

„ quæ concedi non debebant, repudiata eſ-
„ ſet, Legati deliguntur ejus ætatis doctiſ-
„ ſimi viri. *Miſſi ſcilicèt ad Armeniæ Regem cum quo tractatum perſecerunt, ut ipſe ſubjungit, inquiens*, loquens de prædictis Oratoribus: „ Aegis digreſſi, itineribus, & in-
„ tervallis certis ad Regiam pervenerunt.
„ Ubi dies complures commorati, ex ſen-
„ tentia, omnia confecerunt. Ac nè ſim ver-
„ boſior, Maria Regis ſorore accepta, Spon-
„ ſam Imperatori adducunt. *Hactenus Gregoras*. Sed in hac narratione apertum intexuit mendacium, aſſerens Italię Regem Oratores ad Andronicum primùm miſiſſe pro deſponſanda filia è filia Balduini, quoniàm ex recitatis literis Nicolai conſtat nec in mẽtem veniſſe Italię Regi, nec Bajulo Caroli Comiti antefato hujuſmodi tractandi Matrimonium, ipſum recepiſſe Legationem Imperatoris Græcorum poſtulantis prædictam Catharinam, Philippi filiam, non filiam filiæ Balduini, ut ait Gregoras, in uxorem Michaeli Primogenito ſuo, quem jam Imperatorem inauguraverat; ac reſpondiſſe, non poſſe tractatum perficere, Pontifice Romano, & Rege Francorum inconſultis.

80 Matrimonium porrò cum Maria ſorore Aytonis Armeniæ Regis, nonniſi ſexennio poſt initum conſtat, ex iis, quę refert Marinus Sanutus lib.3. par.13. cap.2. Quod quidem Matrimonium cauſa diverſorum extitit malorum, propter exhortas inter Regem, & fratres diſſenſionem, unde bella, inde excidium totiùs Armeniæ Regni: „ Chri-
„ ſtiani, *ait Sanutus*, ultramarini, licèt im-
„ piorum cladibus lacerati, in Armenia ma-
„ xima ſcandala concitant inter ſe. Cùm
„ enim Ayton Rex Armeniæ Conſtantinopo-
„ lim pergeret, quia filius Andronici, ejus
„ ſororem deſponſaverat, ducens ſecum fra-
„ trem Thoros, Sebath, alter frater Re-
„ gni diadema ſibi impoſuit MCCXCIV. ex
„ eo motus, quod Ayton nunquam corona-
„ ri voluit; ſed magis Fratrum Minorum
„ ſumpſiſſet habitum, & Frater Joannes ex
„ tunc communiter vocaretur. Cum igitur
„ rediiſſet Ayton, ab Armenis repellitur.
„ Cognitâ causâ, in Cyprum primò, dein-
„ de in Conſtantinopolim navigat, & inde
„ pergit ad Tartaros, ut de fratre ponat quæ-
„ relam: ſed hunc ille prævenit, & ad gra-
„ tiam captandam, Tartaram duxit uxorem,
„ & in reditu fratres Aytonum, & Thoros
„ capiens, & cunctis bonis expolians in Ar-
„ meniam duxit: Thoros cum Chorda ar-
„ cùs ſtricto gutture ſuffocari fecit; & vi-
„ ſum Ayton abſtulit, quem ille nutu Dei
„ recuperavit; quod attendens Conſtans
„ Quartus frater, indoluit vehementer, &
„ aggreſſus Regem ſenibat, perſonaliter cœ-
„ pit, & carceri mancipavi; & Aytonem
„ libertati reſtituit. Ille liber effectus, am-
„ bos fratres ſub tuta Cuſtodia miſit ad Con-
„ ſtantinopolitanum Imperatorem rogans, nè
„ eos ſineret evagari. *Hæc ille*. At ex hujuſmodi Civilibus, & domeſticis diſſenſionibus Regnum viribus debilitatum, facilè fuit Sarracenis illud occupare: unde ſubjungit Sanutus: „ Sarraceni autem MCCXCIX.
„ Armeniam diſcurrerunt, caſtra, & loca
„ fortiſſima occupantes: frater verò Joan-
„ nes (*ideſt Ayton*) ſe, ſuoſque in monti-
„ bus ſalvans, in arcto poſitus, Tartaro-
„ rum implorat auxilium; eoſque contra
„ Sarracenos inſtigat, oſtendens plurimam
„ aquiſituros prędam; nec verendas eorum
„ acies auro, argentoque fulgentes, in qui-
„ bus plus lucri, quàm periculi invenirent.
Hactenus Sanutus.

81 De ſuſcepto ab Aytone Minorum Fratrum habitu, conſentiunt ferè Scriptores omnes, Bartholomæus Piſanus lib.8. conformit. Rodulphus fol. 272. Marianus lib. 4. capit.5. Hieronymus Platus lib.2. de Bono Statu Relig. Cap. 26. Genebrardus ad Annum MCCCV. Et alii quibus ſuffragatur S.Antoninus 3.par. titul.24. cap.9. §.13. in fine, inquiens: „ Quo tempore Rex Armeniæ Joan-
„ nes dimiſſo Regno nepoti ſuo Leoni ex ma-
„ gna devotione Ordinem Minorum intra-
„ vit. Sed quia contra Regnum infideles Tur-
„ chi inſurgebant, & dictus Leo ei reſiſtere
„ non valebat, zelo fidei ſucceuſus, arma
„ cum habito aſſumpſit, & infideles quam-
„ plurimos fugat, & proſternit. Demum ab
„ infidelibus occiſus fuit. *Hæc ille*. Totidem ferè verbis idem ſcribit Marianus citatus: De cujus obitu Hieronimus Platus loco pariter mox cit. ait: „ Cùm Turcę in eam Pro-
„ vinciam irruperent, nec poſſet Leo reſiſte-
„ re, Ioannes Dei cauſam agi videns, armis
„ novo modo ſuper Religioſam tunicam in-
„ jectis, perrexit ad Bellum, in quo Chri-
„ ſti hoſtes ex finibus cum magna ſtrage eje-
„ cit ille quidem, ſed dum victoriam ſequi-
„ tur ità Dominum viſum eſt, ut in pugna
„ quadam occiſus ad Cœli præmia evolaret.
„ *actenus Platus*.

82 Cavendum eſt ab errore nonnullorum hiſtoricorum ſcribentium, hunc Aytoneum Armeniæ Regem habitum Monachorum Pręmonſtratenſium ſuſcepiſſe, Machariumque appellatum: Hunc enim non fuiſſe ipſum Armeniæ Regem, ſed nepotem, vel conſanguineum ipſius, qui univerſis interfuit bellis, Aytonem pariter appellatum, & qui hiſtoriam ſcripſit Armenię, ipſemet teſtatur in prædicta hiſtoria, ubi cap.30. & 31. apud Galanum in prima part. Conciliat. Eccleſiæ Armenæ cum Romana cap.27. recenſito priùs fœdere inito cum Caſſano Tartarorum Rege, apud Niniven Regnante, & enarratis auxiliis ab eodem Caſſano præſtitis Aytoni Regi ad debellandos Turcas, & deinde deſcripta præfati Caſſani morte, hæc ſubjungit: „ Propter Caſſani obitum Rex Armeniæ fuit

plu-

„ plurimùm conturbatus; ex eo enim ipſius „ inimici magnam in ſuperbiam elevati fue- „ rant. Cùmque Sultanus eundem Regem, „ ac ejus gentem odio nimis haberet, ſingu- „ lis annis, & ferè unoquoque menſe multos „ mittebat de Civitate Baldach (*ideſt Baby- „ lonia*) ad totam Armeniæ Regionem de- „ populandum, & præcipuè omnes agrorum „ fructus; ut numquam aliàs Regnum Ar- „ meniæ adeò ingentia damna ſubjerit. Sed „ Omnipotens & miſericors Deus, qui non „ deſerit ſperantes in ſe, Chriſtianorum ca- „ lamitatum miſertus fuit. Unde accidit, „ quod menſe Julii ſeptem millia Sarraceno- „ rum ex melioribus, quos haberet Sulta- „ nus invaſerunt Regnum Armeniæ, ipſum „ totum vaſtando, ac deſtruendo, uſque ad „ Civitatem Tharſi, in qua natus erat Pau- „ lus Apoſtolus. Cum autem illius Provin- „ ciȩ prædis onuſti reverterentur, occurrit „ illis Rex cum ſuo Exercitu propè Civita- „ tem Giazæ, & prælium cum eis inivit. „ Tandem voluntate, & miſericordia Dei, „ non induſtria, aut viribus hominum, ità „ Sarraceni ſuperati fuerunt, ut ex tanto „ numero, vix fugere potuerint trecenti, re- „ liquis omnibus, aut mancipatis, aut neci „ traditis, quamvis ob magnam ipſorum au- „ daciam arbitrati priùs fuiſſent, ſe unico „ hauſtu totum Regnum Armeniæ, cum „ Chriſtianis in eo exiſtentibus, fuiſſe de- „ glutituros. Actum eſt hoc Dominica, die „ XVIII. Julii: poſt quam cladem non am- „ pliùs auſi ſunt Sarraceni in Regnum Ar- „ meniæ ingredi; immò Sultanus Ægipti „ Nuncios miſit ad Regem, & cum eo fœde- „ ra pacis compoſuit.

83 „ Ego autem Aytonus fui prȩſens „ omnibus rebus prædictis: & quamvis mul- „ to anteà animum induxiſſem, ut habitum „ regularem ſuſciperem; non potui tamen „ propter negotia, & vexationes Regni Ar- „ meniæ, ſalva ratione mei decoris, conſan- „ guineos & amicos meos in tot neceſſitati- „ bus deſerere. Poſtquam verò Deus per „ ſuam miſericordiam, gratiam mihi conceſſit, „ ut Regnum illud, ejuſque Populum Chri- „ ſtianum poſt multos meos labores in tran- „ quillo, ac pacifico ſtatu relinquerem; ſta- „ tim perſolvere volui votum, quod jampri- „ dem nuncupaveram. Quare venia mihi à „ Rege, aliiſque meis conſanguineis, & ami- „ cis præſtita in eodem Campo, in quo Deus „ triumphum, & victoriam Chriſtianis de „ ſuis inimicis conceſſerat, inde diſceſſi, „ venique in Cyprum in Monaſterium Epi- „ ſcopii, ubi ſumpſi habitum regularem Or- „ dinis Præmonſtratenſis, Anno Domini „ MCCCV., ut qui in mea juventute mili- „ taveram ſæculo, abjectis deinde ejuſdem „ ſæculi pompis, reliquum vitæ meȩ in Dei „ ſervitio inſumerem,

84 „ Deo itaque gratias refero, quod „ Armeniæ Regnum temporibus his in tran- „ quillo, bono, & pacifico ſtatu conſiſtat, „ præſertim ſub novi Regis Domini Leonis „ filii Haytonis regimine: qui illuſtratus „ virtute, & indoleglorioſa, ſpeculum præ- „ ſefert gratioſum gentibus univerſis: quare „ in ſpem certam adducimur, fore, ut ope „ Divina, Regis hujus adoleſcentis ætate, „ qui majores ſuos probitate antecellit, Re- „ gnum Armeniæ reſtituatur in priſtinum. „ *Hæc Ayton*. Ex qua hiſtoria ſine contradi- „ tione liquet Haytonem Regem habitum ſumpſiſſe Seraphicum; Alterum verò illius conſanguineum ejuſdem nominis, Ordinem ingreſſum Præmonſtratenſem. De noſtro verò Haytone Rege, Toſſinianus lib. 2. hiſtoriæ Seraph. hoc diſtichon ſcripſit.

Hunc vidit Regem, ſtupuitque Armenia, Veſtem
Franciſci Regnis ante tuliſse ſuis.

Galanus verò loco mox citato cap. 29. ſcribit Aytonem hunc, unà cum Leone Rege proditione cujuſdam nefarii Tartari occubuiſſe: „ Leo, *inquit*, Rex Armeniæ, ejuſque „ Religioſus, ac Longævus pater; Hayton, „ à nefario quodam Tartaro, dolo pacis (ne- „ ſcio, qua ſanè cauſa) improviſo noctu in- „ vaſi ſunt, & occiſi. Conturbatis tanta cla- „ de Armeniis, quod præſertim Rex ipſo- „ rum è vivis nulla relicta prole, ſublatus „ eſſet; Oſcinus, Haytonis germanus, ac „ reliquos inter fratres natu minimus, ſce- „ ptrum, Regnumque nepotis moderandum „ ſuſcepit. *Hæc ille*. Quod ſi hæc vera ſunt, non in prælio occubuiſſe infertur: niſi velimus dicere in ipſo campo. Poſt initum prælium, & partâ jam victoriâ, præfatâ occubuiſſe proditione. Sed ſi bene perpendantur dicta Haytonis Iunioris ſupra recenſita colligi debet nequaquam in prælio occubuiſſe Haytonem, cùm de illius obitu, vel minimam faciat mentionem, aſſeratque Sultanum fœderis ineundȩ cauſa Legatos ad Regem miſiſſe: illamque pugnam cum Sarracenis ſub Aytone extremam fuiſſe pariter indicat. Cum itaque oculatus teſtis, nihil de occiſo Aytone in prælio referat, veroſimile eſt, Latinos Scriptores deceptos fuiſſe fortè fama delata in Occidente, quod eſſet occiſus, creditum fuit, hoc in prælio accidiſſe. Ejus corpus translatum in Aquitaniam ibique miraculis claruiſſe ſcribit Volateranus lib. 21. Antropol. Titul. de Eremitis.

85 Intereà verò Conſtantinopoli inſtituebantur, & deſtituebantur Patriarchæ, Schiſmaticorum more, nullâ Eccleſiaſticâ obſervatâ regulâ, contemptiſque Sacrorum Conciliorum Canonibus: Omnium primus poſt Schiſma renovatum deſtitutus eſt peſſimus ille Gregorius Cyprius, loco Joannis Be-

Bechi Imperiali auctoritate ſubſtitutus, primarius Schiſmatis fautor crudeliſſimus aliorum perſecutor, ut ſupra fati ſumus. Is à Deo deſtitutus, à ſuis derelictus, omnibus infenſus redditus, amicis, & inimicis prorsùs odioſus factus, & apud omnes contemptibilis, juſto Dei judicio, ſedi cedere coactus eſt, ut ipſemet Schiſmaticus Scriptor Gregoras cogitur fateri. Qui lib. 6. ſub titulo *de Patriarchæ contumelia*, ſcribit: ,, Sed
,, cum Gregorio etiam dolores inſtarent, &
,, immiſericordiæ pœnæ luendæ eſſent, quod
,, Becho opem imploranti, & omnia con-
,, ceſſurum pollicenti (in hoc mentitur Schiſ-
,, maticus iſte) ſi qua ſui ratio haberetur,
,, & auxilium negaſſet, & miſero calamita-
,, tes augure non dubitaſſet. Sed multis un-
,, dique fluctibus jactato, ipſe à tergo alias
,, procellas excitaſſet, & accumulaſſet; in-
,, dignum ſua doctrina facinus, cætera om-
,, nibus laudibus dignus. Sed cum hic quo-
,, que affligendus eſſet, quid à providentia
,, moderante cuncta fit? Deſtituitur & ipſe
,, à Deo, ut caſtigetur. & aſperſam labem
,, eluat, & purus ad alteram vitam tranſeat.
Hæc ille.

86 Non negat Judicium Dei fuiſſe, ut pœnas criminum lueret, tamen ex parte laudare non ſinit propter ejus, ut ait, virtutem; & eodem tempore calumniam in Bechum pronunciat, dum fatetur fuiſſe paratum convenire cum eo: Cum ſemper conſtantiſſimum in Catholica fide extitiſſe ex dictis apparet manifeſtiſſimè. Nè ergò afferat in Schiſmatis ab eo procurati crimen Juſto Dei judicio talia paſſum, crudelitati dumtaxat attribuit ejus mala, quaſi Becho omnia pollicenti, ideſt parato aſſentiri innovato Schiſmati, non pepercerit, immò & pœnas auxerit. Subjungit poſteà, referens quomodo ab omnibus deſertus fuerit; inquiens: ,, Sed apparebat
,, utique, Deum ad utilitatem omnium di-
,, rigentem, noluiſſe viro illi etiam cætera
,, ex ſententia ſuccedere. Itaque vires ad-
,, verſariorum augentur, certamenque ac-
,, cenditur, ut è parva ſcintilla magnum
,, oriatur incendium. Primùm non minima
,, Pontificum, & Clericorum pars eum de-
,, ſtituit: deſtituitur, & ab iis quos cæte-
,, ris præferebat, Chila Epheſino, & Da-
,, niele Ciziceno, quibus ob eruditionem
,, juſtò majores honores detulerat, princi-
,, patu illis inter cæteros Sacerdotes, & Pon-
,, tifices decreto; idque Patriarcha iniquio-
,, re animo tulit, quod ii, quos aliorum in ſe
,, convicia refutaturos putabat, & loco mu-
,, ri firmiſſimi ſibi futuros, præter ſpem ini-
,, mici extitiſſent. *Et paulo poſt*, ait: Cum
,, fidiſſimos ſibi, & chariſſimos infeſtos eſſe
,, cerneret, neque adeſſe defenſorem videret,
,, non Imperatorem, non ullum potentem:
,, tandem Dei judicium eſſe intellexit, & ſen-
,, tentiam divinitùs in ſe latam confirmari,
,, Proinde contentionibus, & ſoliis valere
,, juſſit, in Hodegium Deiparæ Monaſterium
,, in ocium ſe contulit. *Hactenus Gregoras*. Subnectit inde, & Chilam Epheſium, & Danielem Cyzicenum debitas luiſſe pœnas, Clericis ſuis fidiſſimis, atque chariſſimis adversùs inſurgentibus, & apud Imperatorem quærelas deſulentibus, à quo vocati in Regiam Urbem, Eccleſiis, & redditibus privati, coacti ſunt ibidem miſerè vitam ducere, donec præ doloris magnitudine occubuerint.

87 Loco verò Gregorii Cypri, ſuffectus eſt Patriarcha Athanaſius quidem nomine qui, ut ait Gregoras eodem lib. 6. Titul. *De Athanaſio Patriarcha*, ocioſam in Gani montibus vitam agebat, homo rudis literarum, & morum Civilium; ſed quantum ad Monaſticam vitam bonus, naturâ tamen auſterus, ac ideò rigidus in Clerum, præcipuèque in eos, qui contra Gregorium Patriarcham inſurrexerunt; ,, Sed malè tractari utique, *ait Gre-*
,, *goras*, tùm Pontifices, tùm Clericos opor-
,, tebat; & dignas improbitate ſua luere pœ-
,, nas, tùm prior illa (*in Bechum ſcilicèt*)
,, quàm ea, qua contra Gregorium Patriar-
,, cham uſi fuerunt: Nam cùm Patriarchi-
,, cum ſolium conſcendiſſet, ſtatim in eos,
,, primos trucem conjecit oculum, & Zelo
,, Divino, atq; exacerbato plenum. *Et in-*
,, *fra*, Qui Conſtantinopoli inventi ſunt, eos
,, in ſuam quemque Metropolim miſit, ut ibi
,, ævi reliquum exigerent: nè, inquit, hic
,, deſidentes, aliquid mali contra vos ipſos,
,, & me conſuatis. *Et in fine*. Dicebat enim
,, æquum eſſe, ut ſuam quiſque Eccleſiam
,, paſceret, ut Patriarcha Conſtantinopoli-
,, tanam: & ut præſentes ovium ſuarum cu-
,, ram agerent, non autem emolumentis in-
,, de acceptis in Urbe morarentur. *Ità Gre-*
,, *goras*. Sic, Deo vindice, ob receſſum ab unitate Sanctæ Matris Eccleſiæ Romanæ, in invicem inſurgentes ſeſe paulatim deſtruebant, uſus Deus benedictus altiſſima ſua providentia ad rebellos Græcos Eccleſiaſticos puniendum, eorumdem Eccleſiaſticorum miniſterio, ut in praxi experirentur illius Divini oraculi veritatem: *Caſtigabo inimicos meos cum inimicis meis*.

88 Hic porrò quadriennium tantùm Pontificatum tenuit; univerſis adverſus eum inſurgentibus Epiſcopis, & Monachis, & cujusvis generis Eccleſiaſticis, coactus eſt, & ipſe Sedem dimittere, & Monaſterium repetere, ad quod, ut incolumis reduceretur, neceſſe fuit, ut ab Imperatoris Satellitibus ſociaretur in via. Hæc idem Gregoras loco mox citato ſub titulo: *Athanaſii recuſatio Patriarchatus*, ubi ait: ,, Non multo poſt,
,, inde reverſo Imperatore, ſcriptam reſi-
,, gnationem offert Athanaſius Patriarcha,
,, quartum jam annum eo Sacerdotio fun-
,, gens: Cujus cauſa erat, omnium Ponti-

ficum

„ ficum, & Monachorum, & Laicorum tu-
„ multus, ſpiritualem illius rigorem non fe-
„ rentium; eique principio clàm, poſt etiam
„ apertè, & abſque larva maledicentium;
„ qui eum jamjàm diſcerpturi videbantur,
„ nî ſolio cederet. Sperabat ille quidèm, ſe
„ ope Imperatoris convinciatores ulturum;
„ deindè ſpe, neſcio quomodò, fruſtratus,
„ petit, atque impetrat Satellites, à quibus
„ in Monaſterium ſuum Xerolophum inco-
„ lumis reducatur. *Hactenus Gregoras*.

89 Athanaſio porrò datus eſt ſucceſſor Joannes Monachus Sozopolitanus, de quo hæc Gregoras ſubnectit: „ Erat autem qui-
„ dam Monachus, nomine Joannes, qui olim
„ è legitima uxore liberos ſuſceperat; eâque
„ amiſsâ, Monaſterium ingreſſus, ætate pro-
„ vectus, naturâq; ad virtutem optimè com-
„ poſitus ob morum ſimplicitatem, ſed Græ-
„ carum literarum planè rudis, recens So-
„ zopoli in Urbem profectus. Is decreto Im-
„ peratoris, & ſacri Collegii ſuffragiis, Pa-
„ triarchicam Sedem occupat: Sub quo im-
„ probi Monachi res ſuas è tempeſtatis nau-
„ fragio, in tutum portum perveniſſe puta-
„ bant, hyeme in ver commutatâ. Is Mi-
„ chaelem Andronici filium Imperatorio dia-
„ demate coronavit. *Hactenus ille*. Subjungens de Legatione miſſa pro matrimonio ineundo inter Michalem, & filiam Philippi Balduini hæredem, ſicut ſuprà fati ſumus. Undè, licèt Gregoras, nec tempus adnotet, nec diſtinguat, quo anno ea, quæ narrat, acciderint, ex dictis tamèn inferri poteſt, omnia ſuprà recenſita eveniſſe intrà quinquennium Imperii Andronici, intrà quod tempus Conſtantinopolitana Civitas quatuor vidit Patriarchas, Joannem Bechum initio primi anni ſui Imperii deſtitutum; Gregorium Cyprium infrà eundem annum elevatum, & expulſum; Athanaſium indè poſt quadriennium fortaſsè nondùm abſolutum, ad priſtinam monaſticam vitam reverſum; ac deniquè Joannem hunc Sozopolitanum, quem conſtat, Thronum conſcendiſſe Anno V. Imperii Andronici, Domini MCCLXXXVIII. Rodulphi Regis Romanorum XVI. Pontificatus verò Nicolai I. Si nàmque hic Joannes coronavit Michaelem, & poſt coronatum, actum eſt de eo deſponſando cum Balduini nepote, cùm ex literis Nicolai IV. ſuprà recenſitis conſtet, hujuſmodi tractatum habitum fuiſſe primo ſui Pontificatus anno, fit conſequens, Joannem Sozopolitanum ad Patriarchicum Thronum evectum Anno V. Imperii Andronici, qui incidit in Annum primum Nicolai IV. & in Annum Domini prænotatum. Et quoniàm Gregoras ſcribit, Athanaſium quarto Anno fuiſſe abdicatum, neceſſe eſt aſſeri, Gregorium Cyprium vix annum in ſolio abſolviſſe.

90 Circà hæc eadem tempora obſtinata Græcorum ſchiſmaticorum perfidia, duos ex meo Seraphico Minorum Ordine Religioſos miræ perfectionis viros, ſcientiâ pariter divinarum literarum claros Martyres fecère: Erant hi Frater Conradus de Saxonia, & Stephanus de Hungaria, qui apud Montes Caſpios in Ormetia, ſivè Ormeria, vel Vivaria ſchiſma Græcorum deteſtantes, in publicis concionibus complures ex audientibus ad rectam fidem traducebant: Cujus rei causâ indignati, qui tenaciter ſchiſma profitebantur, ut ab inceptis deſiſterent, comminati ſunt, verùm illi zelo animarum, & fidei propagationis incenſi, minas contempſerunt. Cùmque perfidi illi reſiſtere haud potuiſſent ſpiritus ſapientiæ, qui in eis loquebatur, cernentes in dies augeri converſorum numerum, eos interficere decreverant. Abeuntes ergò prædicti Religioſi, ex more, ad locum, ubi coràm maxima populi multitudine diſputationem, & Concionem habere conſueverant, ab hæreticis, & ſchiſmaticis in via inſidiantibus intercepti ſunt, atque vulnerati, indeque jugulati; qui mortem læto animo ſuſcipientes, & Sanctiſſimum nomen Jeſu in ore habentes, victores ad Cœlum evolarunt, ut quędam pia fœmina in viſione conſpexit. Horum Athletarum pro Chriſto ſic occiſorum, meminerunt Wadingus ad Annum Domini MCCLXXXIV. num. 2. Gonzag. 3. part. Orig. Seraph. Relig. in Provincia Saxoniæ Sanctæ Crucis, Toſſinianus lib. 1. Hiſtor. Seraph. Salazar. lib. 2. Chronic. Prov. Caſtellæ, cap. 9. & 12. Algeriza in Arbor. Epilogic. totius Ord. Franciſcani, Piquetus in Catalog. Viror. Illuſtr. Ordin. Minor. Boſius tom. 1. de Signis Eccleſ. lib. 7. cap. 3. Sæcul. 14. & alii. Paſſos verò Anno Domini MCCLXXXVIII. ſcilicet Anno primo Nicolai IV. adnotatur in firmamento trium Ordinum Tract. 1. Et in Memorali ſub XIII. Miniſtro Generali; Marcus verò Uliſſip. in 2. part. Chronic. Minorum lib. 5. cap. 16. ſcribit, paſſos anno poſteriori, ſcilicèt Domini MCCLXXXIX. Decebat nàmque ſanguine ejuſdem Ordinis Fratrum confirmari apud Græcos veritatem primatus Romani Pontificis, quorum ſtudio, & labore ad illius cognitionem, Deo auxiliante, devenerant, & qua, Diabolo inſtigante, tàm citò receſſerant.

91 Cæterùm, dùm ſic Græcorum Eccleſia propter ſchiſma reaſſumptum impræceps ruebat, multæ aliæ gentes, agnitâ veritate, ſub eodem Pontifice Nicolao IV. & veram fidem amplecti viſi ſunt, & Sanctam Romanam Eccleſiam recognoſci, ut omnium Eccleſiarum Chriſti Matrem; Nàm & Argo Tartarorum Rex (qui in Aſia majori, ſeù Taurіſio, occiſo patruo ſuo Mahumeto à Chriſti fide Apoſtatâ, Regnum ſuſceperat) de chriſtiana fide in ſuo Imperio ſtabilienda Legationem miſit ad Romanum Pontificem, quam gratanter ſuſcepit Nicolaus IV. ſui Pontificatus Anno I. ut ex literis ejuſdem Nicolai ad eum redditis,

tis, liquet; In quarum exordio hæc habet; „ Ad ſummi Præſulatus officium nuper nobis ſupernæ diſpoſitionis arbitrio, quo cœleſtia pariter, & terrena diſpoſitionem, ordinemque ſuſcipiunt, evocati; Venerabilis frater noſter Berſauma Epiſcopus in partibus Orientis, nobilis vir Sahadinus, Thomas de Anfuſis, & Uguetus Interpres, tuæ Magnitudinis Nuncii ad noſtram præſentiam accedentes, Regias nobis literas præſentarunt. Nos autem Nuncios ipſos, & literas libenti animo, vultuque ſereno recepimus intuitu deſtinantis, & tàm quæ in literis continebantur eiſdem, quàm quę Nunciorum prædictorum facta coràm nobis, & fratribus noſtris propoſitio reſeravit, benignè audivimus, & intelleximus, diligenter gaudentes quamplurimùm, & exultantes in Domino, in cujus manu corda ſunt Principum terrenorum, quòd te clementer gratiæ ſuæ dono præveniens, illo tui pectoris intima fœcundavit affectu; quod ſicut & literarum ipſarum tenor aperuit, & eorundem patefecit aſſertio Nunciorum, ad dilatandos Chriſtianitatis fines fervens dirigitur deſiderium mentis tuæ, quodque de gentibus tuæ ditionis ſubjectis Imperio, fidei cultoribus Chriſtianæ te bebenignum, & benevolum exhibes, eoſque non ſinè laudis humanę præconio, & diſpoſitionis indiciis ad ſalutem, quæ de bono ſemper in meliùs deduci cupimus, in augumentum favore proſequeris gratioſo, De quo Celſitudini Regiæ tantò gratiarum uberiores exſolvimus actiones, quantò id plenior, & benignior operatur affectus, & ex munificentia provenire dignoſcitur ampliori. *Hæc ille*, alia poſteà ſubnectens; Datæ ſunt Romæ apud Sanctum Petrum IV. Nonas Aprilis ſui Pontificatus Anno primo. Et quoniàm præfatus Rex inter alia per ſuos Nuncios intimare fecit eidem Romano Pontifici ſe in votum habere, recuperatâ ſanctâ Civitate Hieruſalem, ac de Sarracenorum ereptâ manibus, ibidèm ſacro Baptiſmatis regenerari lavacro, Nicolaus ob hanc rationem breviorem aliam fecit ad eundem Epiſtolam, tenoris ſequentis.

Argoni Regi Tartarorum Illuſtri gratiam in præſenti, quæ perducat ad gloriam in futuro.

92 „ Intelleximus referentibus Venerabili fratri noſtro Berſauma Epiſcopo in partibus Orientis, nobili viro Sabadino, Thoma de Anfuſis, & Uqueto Interprete Laicis, tuæ Magnitudinis Nunciis, quod ſi Regnum Hieroſolymitanum de manibus liberari contigerit impiorum, in Civitate Hieroſolymitana renaſci deſideras lavacro baptiſmali. Nos autem tuam, tuorumque ſalutem propenſiùs cupientes, hujuſmodi tuum ſalubre, laudandumque propoſitum, multipliciter in Domino commendamus. Verùm quià magna ſpe ducimur, quod ſacro à te ſuſcepto baptiſmate, faciliùs, Domino favente, proveniet Regni memorati liberatio, quià etiam ſalutis tuæ commodis expedire dignoſcitur, ut conceptum propoſitum perducere ſtudeas, ſublato dilationis obſtaculo, ad effectum, Celſitudinem tuam excitandam attentè duximus & hortandam, quatenùs tibi ſalubriter conſulens, & exhortationibus noſtris, quæ de puri pectoris intimo prodeunt, laudabiliter acquieſcens, ad baptiſmum promptus acceleres, illumque ad laudem Dei, tuæque ſalutis profectum, feſtinus ſuſcipere non omittas, tantò ampliùs proindè Domino placiturus, quantò celeriùs & libentiùs ad ſuſceptionem ejus procedere te continget, quantòque plures ad eam tuo exemplo laudabili provocabis. Datum Romæ apud Sanctum Petrum IV. Nonas Aprilis Anno primo. *Hæc Nicolaus*, qui pariter intelligens, Tartarorum Reginam ſacrum ſuſcepiſſe baptiſmum, ſcripſit ad eandem ſequentes literas.

Chariſſimæ in Chriſto filiæ Tuctani Reginæ Tartarorum Illuſtri, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

93 „ Habet chariſſima filia, fide dignæ relationis expreſſio, quòd tu catholicæ fidei lumine illuſtrata, eam non ſolùm ſtudiis obſervare ſolicitis comprobaris, ſed alios etiam ad agnitionem illius excitando, & ejus terminos dilatando, opem, & operam curioſa non deſinis exhibere. Hæc ſunt profectò quæ te reddunt in conſpectu Divinæ Majeſtatis acceptam, quæ tibi laudis humanæ præconium vendicant, & augent multiplicitèr famam tuam, dùm ex his pietatis divinæ clementiam, quæ te de tenebris infidelitatis ereptam ad viam vitę reduxit, & ad veritatis ſemitam revocavit, tanquàm benedicta, & reverens filia recognoſcis. Excitamus igitur Magnitudinem tuam, & hortamur in filio Dei Patris, quatenùs mentis tuæ oculis erectis ad Dominum, cujus obſequiis ſalubriter adhæſiſti, præmiſſa de bono in meliùs ſemper proſequaris, & quaſi apis argumentoſa procurare non ceſſes, ut eo gratior, & præmiis digna majoribus occurras Domino Deo tuo, quo uberiores bonorum operum in ejus horreum manipulos introduces. Datum Romæ apud Sanctum Petrum IV. Nonas Aprilis, Anno primo. *Haſtenùs literæ*; & ſimiles fecit ad Elgagem pariter Tartarorum Reginam, ſacro quoquè baptiſmate renatam, hortans ad conſtantiam in colenda fide chriſtiana, eamque latiùs propagandam;

Inte-

Interim Sabadinus Archaon unus ex Regis Tartarum Legatis in ſuperioribus literis nominatur, vir apud Tartaros magnæ nobilitatis, in hac ſua Legatione Romæ Sacro Fonte Baptiſmatis regenerari voluit, indeque Apoſtolicam efflagitanti benedictionem, impertiit Nicolaus ſequentibus literis.

94. „ Te nuper ad noſtram præſentiam „ accedentem affectione paterna recepimus, „ & benignè audivimus, quæ coram nobis „ proponere voluiſti; lætantes in Domino, „ quod ſi fidei Catholicæ lumine illuſtratus, „ & lavacro regenerationis aſperſus, in iis „ ſalubri ſtudio diceris delectari, quæ ſint „ in oculis Divinæ Majeſtatis accepta, & in „ tuæ ſalutis cedant augumentum, & dila„ tationem fidei Chriſtianæ. Duximus ita„ que ſolicitudinem tuam excitandam atten„ tiùs, & hortandam, quatenus præmiſſa „ de bono ſēper in melius proſequaris, ut eo „ gratioſior occurras Domino Deo tuo, quo „ majori exititeris cumulo meritorum. Cæ„ terum quia benedictionis noſtræ munus „ exhiberi tibi humiliter poſtulaſti, nos tuis „ devotis præcibus benigniùs annuentes, be„ nedictionem noſtram in remiſſionem tuo„ rum tibi concedimus peccatorum. Datum „ Romæ apud S. Petrum Idibus Aprilis, „ anno primo. *Hactenus Nicolaus*.„ Quas literas cum antecedentibus exhibet Raynaldus ad Annum Domini MCCLXXXVIII. & ante Raynaldum Wadingus ex Regeſto Vaticano, ad eundem pariter annum.

95 Eodem Anno Pius Pontifex propagandi ſtudio Catholicam fidem apud Sclavones, & Illyricos, quibus in partibus, cum in Minoribus eſſet, Officium Provincialatus Ordinis Minorum exercuerat, familiaritatem quandam cum Rege contraxerat, duos ad eum ex Minorum præfato Ordine delegit fratres, Marinum ſcilicèt, & Cyprianum, ut cæteros quoque in Chriſtianæ fidei dogmatibus inſtruerent, datis ad Uroſium Regem præfatum literis incipientibus. *Æterni Patris immenſa benignitas*, in quibus inſeruit formulam Catholicæ fidei profitendæ, eamque ſcilicèt, quam in ſuperioribus miſſam ad Græcos retulimus, & tranſcripſimus. In quarum literarum fine, ait: „ Cæterùm quia „ humana renitente natura, uno eodemque „ tempore diverſis locis perſonaliter adeſſe „ nequimus, nè ullatenus negligentiæ re„ linquamus abſentes, ad eos viros provi„ dos, & diſcretos tranſmittimus vice no„ ſtra ipſorum miniſterio circa illos Apoſto„ licæ ſervitutis debitum exolventes, pro„ pter quod viros electos de Fratrum Mino„ rum Ordine, viros utique pauperes in hoc „ mundo, in fide devotos, in lege Domini „ pleniùs eruditos, dilectos ſcilicèt filios „ Fratres Marinum & Cyprianum, latores „ præſentium, ad te duximus deſtinandos, „ ut tu, tuuſque populus ipſum Dei Filium „ Jeſum Chriſtum, ſuam glorioſam Matrem, „ ac fidei Chriſtianæ obſervationem, ipſo„ rum fratrum ſalutaribus traditionibus ple„ niùs agnoſcatis, Fides autem Catholica „ hæc eſt: *Credimus Sanctam Trinitatem*, & „ cætera, ut in literis ad Græcos. *Datum* „ *Reate x. Kalend. Auguſti anno primo*. Erat „ tunc Elena Sclavorum Regina Voroſii Re„ gis, ac Stephani, qui cum fratre regna„ bat, Mater quæ fidei Chriſtianæ & dog„ mata Catholica ſectabatur. Ad hanc enim „ per eoſdem fratres literas miſit Nicolaus à „ Raynaldo, & Wadingo ex Vaticano Re„ geſto ad eundem annum exhibitas, teno„ ris ſcilicèt ſequentis.

Chariſſimæ in Chriſto Filiæ Elenæ Reginæ Sclavorum Illuſtri, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

96. „ Gratias agimus gratiarum omniũ Largitori, quod ſicut accepimus, & utique acceptamus ipſo menti tuæ timorem ſui nominis, & amorem miſericorditer inſpirante, ab eo, qui ſolus habet in regno hominũ poteſtatem dignitatis regalis, gloriam recognoſcens in Deum ſinceram habes fidem, ac ejus Eccleſiam Zelo pietatis Catholicæ veneraris. Hanc itaque fidem vigere in tua progenie cupientes, magnificos viros Stephanum, & Uroſium Illuſtres Reges Sclavorum natos tuos, per noſtras literas hortandos duximus, & monendos, ut piè conſideranter, quod una eſt fides extra quam nullus omninò ſalvatur, & ſine qua Deo impoſſibile eſt placere, ad ipſius venias fidei unitatem, eamque fideliter teneas, & obſerves (nihilominus populum *ut habetur in literis ad Voroſium*) tuæ ditioni Regis æterni poteſtate ſubjectum, ad eandem unitatem reducas, & in illius obſervatione tuo exemplo laudabili, & piis exhortationibus ſtudeas conſervare. Ità quod ex hoc à Patre luminum æterni conſequaris luminis claritatem.)

97. „ Cæterùm, ut iidem Reges, eorumque populus, ipſum Dei Filium Jeſum Chriſtum, ſuam glorioſam Matrem, ac fidei Cchriſtianæ obſervationem ipſorum Fratrum ſalutaribus traditionibus pleniùs agnoſcant, dilectos Filios Fratres Marinum, & Cyprianum de Fratrum Minorum Ordine, viros utique pauperes in hoc mundo, in fide divites, & in lege Domini pleniùs eruditos, cum prædictis noſtris literis deſtinamus. Ideòque celſitudinem tuam rogamus, & hortamur attentè in remiſſionem vobis peccaminum injungentes. quàtenus prædictos Reges natos tuos, ut devotè redeant ad prædictæ fidei unitatem, & humiliter ſuſcipiant noſtra, & prædictorum fratrum ſalutaria monita, ſedulis exhor-

„ exhortationibus inducere non omittas, ipſoſque in obſervantia, & perſeverantia fidei prælibatæ foveas; & confortes, ita, quod in tui ventris fructu lætari, & benedicta inter mulieres vocari à Domino merearis. Prædictos quoque fratres habens pro Divina, & noſtra reverentia propenſius commendatos, ſic eos favore benevolo proſequaris, quod tua propter hoc devotio dignis poſſit in Domino laudibus commendari. Datum Reate VI. Idus Auguſti, anno primo.

98 Cùm porrò antedicti Argonis Tartarorum Regis Nuncii eidem expoſuiſſent Nicolao, ex parte ejuſdem Regis, Cham magnum Tartarorum Principem, permaximè exoptaſſe, ut ad ipſum ſuumque Populum inſtruendum ergà Eccleſiam Romanam & fidem Chriſtianam plurimùm propenſos, mitterentur Religioſi aliqui Latini, Pius Pontifex ſedulè hæc attendens, cum ad ſuam præſentiam ex Aſia reverſus, acceſſiſſet frater Joannes à Monte Corvino ex Minorum Ordine, quem olim Palæologus Legatum miſerat ad Gregorium X. in Concilio Lugdunenſe, & pro Gentium converſione, in Aſiæ Provinciis, multùm, & magno cum fructu laboraſſet, expoſuiſſetque optimam earundem Gentium propenſionem recipiendi Catholicam, & Chriſtianam fidem; decrevit eundem Joannem iterum in Aſiam remittere aliis cum Sociis, tùm ad magnum Cham Tartarorum, tùm ad Argonem ſupradictos, indè ad alios Principes, & Primates Orientales, collatâ ei, & Sociis Apoſtolicæ Sedis Apocriſiariorum dignitate. Itaque anno ſui Pontificatus ſecundo præfatum Joannem, & Socios expedivit, ſequentibus munitum literis, videlicèt ad magnum Tartarorum Cham, ſic ſe habentibus.

Cobyla Cham, magno Principi Tartarorum Illuſtri, gratiam in præſenti, quæ perducat ad gloriam in futuro.

99 „ Gaudemus in Domino Princeps egregie, ſibique devotas, & uberes gratiarum referimus actiones, quod ipſe, in cujus manu corda ſunt Principum terrenorum, te, prout lætanter audivimus, ſuæ dono gratiæ clementi pietate præveniens, in illo tui pectoris intima fœcundavit affectu, quod ad Chriſtianitatis terminos ampliandos dirigitur deſiderium mentis tuæ.

100 „ Dudùm ſiquidem poſt noſtræ promotionis initia, certos Nuncios ad noſtram præſentiam ex parte magnifici Principis Argonis Regis Tartarorum illuſtris tranſmiſſos accepimus, nobis apertè referentes, quod ad perſonam noſtram, & Romanam Eccleſiam, & etiam gentem, ſeu populum Latinorum, grandis devotionis affectum magnificentia tua gerit, dictique Nuncii ex parte regia cum inſtantia petierunt, ut aliquos Religioſos Latinos ad tuam præſentiam mitteremus. Nos autem, tam gratis, & acceptis de tanto tamque ſublimi Principe rumore intellectis, exultavimus in Domino vehementer, cùm tuæ ſalutis augumentum, tuique nominis gloriam ſinceris affectibus cupiamus; Patri luminum, à quo eſt omne datum optimum, & omne donum perfectum, humiliter ſupplicantes, ut tui pectoris intima de bono ſemper in melius munere ſuæ inſpirationis illuminet, ac ſuæ gratiæ rore perfundat ad laudem ſui glorioſi nominis, & honorem.

101 „ Volentes igitur votis regiis benignè annuere in hac parte, ac deſiderantes admodum, ut ad ſuſcipiendam Chriſtianam fidem, quam prædicta tenet, & ſervat Eccleſia, promptus accedas, præſto te offeras, ſtudioſiùs occurras, cum ſine ipſius comitante ſuffragio placere Altiſſimo nemo poſſit: Ecce dilectum Filium fratrem Joannem de Monte Corvino cum ejus Sociis de Ordine Minorum latorem præſentium ad te duximus deſtinandum, cum inſtantiâ poſtulantes, ut ipſum, & Socios ſupradictos benignè habeas commendatos eis, quorum doctrinæ, cum ſalutis commoda ſuggerat, te inſeparabiliter cupimus adhærere, ſuper ſalubri commiſſo illis negotio, quod ſalutem reſpicit animarum, Regii favoris auxilium impenſurus, ut ejus fulti præſidio utiliùs & efficaciùs habere ſe valeant in eodem, tuque à Domino, qui pro minimis grandia recompenſat, æternæ beatitudinis præmia conſequaris. Datum Reate III. Idus Julii anno ſecundo. *Hactenus literæ*. Ad Argonem porrò Tartarorum Regem alias dedit per eundem Apocriſiarium, & Socios literas tenoris ſequentis.

Argoni Regi Tartarotum Illuſtri, gratiam in præſenti, quæ perducat ad gloriam in futuro.

102 „ Inter cætera deſideria cordis noſtri, hoc novimus eſſe potiſſimum, hoc propenſiùs affectamus, ut cuncti Reges, & Principes Orbis Terræ, cæterique gentium populi, ſic ſalubriter dirigant greſſus ſuos, ſic providè ſuorum operum moderentur habenas, ut poſt vitæ præſentis exitum, quę nullius certitudinis ſtatum habet, ſalus læta proveniat animarum, ideoque uberibus perfundimur gaudiis, cùm illos perpendimus fore diſpoſitos ad complacendum Altiſſimo per laudabilium exercitum actionum.

103 „ Sanè dilectus Filius frater Joan-
„ nes de Monte Corvino, de Ordine Mino-
„ rum, lator præſentium, ad noſtram de
„ Orientalibus partibus præſentiam veniens,
„ attentè relationis officio, noſtro Apoſtola-
„ tui patefecit, quod tu tanquam à Domi-
„ no, in cujus manu ſunt corda Terreno-
„ rum Principum, inſpiratus, & ſpecialis
„ gratiæ dono præventus, erga hos, & Ro-
„ manam Eccleſiam, ac etiam alias Chriſtia-
„ norum Eccleſias, magnæ devotionis geris
„ affectum. Adjecit etiam dictus frater, quod
„ ſibi ejuſque Sociis, dum in tuis partibus
„ morarentur, Chriſti proſequentes obſequia
„ humanitatem grandem, & benignitatem
„ exuberem, tua clementer exhibuit magni-
„ tudo, quodque degentibus in terris tuæ
„ ditionis ſubjectis Imperio fidei cultoribus
„ Chriſtianæ, te benignum, & benevolum
„ exhibes, eoſque non ſine ſonoro præconio,
„ & diſpoſitionis indiciis ad ſalutem, quæ
„ de bono ſemper in melius deduci cupimus
„ in augmentum, ſedulæ tuitionis auxilio
„ confoves, & favore proſequeris gratioſo.
„ Nos autem, tam gratis, & acceptis ru-
„ moribus intellectis, lætati fuimus in im-
„ menſum, cum tuæ ſalutis augumentum
„ ſinceris affectibus cupiamus. Celſitudini
„ Regiæ tanto providè profuſiores gratias
„ referentes, quanto id uberioris benignita-
„ tis Zelus exequitur ex munificentia pro-
„ veniri ampliori.

104 „ Porrò, Princeps Egregie, ſicut
„ magnificentiæ Regię per alias noſtras lite-
„ ras tibi per Venerabilem Fratrem noſtrum
„ Roban Berſaumam in partibus Orientis
„ Epiſcopum, & nonnullos alios tuos Nun-
„ cios ad nos miſſos, duximus intimandum.
„ Nos, qui quamvis inſufficientibus meritis
„ Vicarii Chriſti ſumus, & Petri Apoſtolo-
„ rum Principis ſucceſſores, quamplurimum
„ cupimus, & ardenti deſiderio affectamus,
„ ut quos Baptiſmalis unda non diluit, &
„ fidei Chriſtianæ religio non includit, er-
„ roris invio; per quod greſſibus periculoſis
„ oberrant, omninò relicto, ad rectitudi-
„ nis ſemitam revocentur, & fidem ſervent
„ fideliter ſupradictam.

105 „ Hæc eſt enim, ſicut magnifi-
„ centiæ Regiæ per jam dictas notificavimus
„ literas, fides recta, fides vera, quæ fælicitatis
„ ſperandæ fiduciā repromittit, & ſine cujus
„ ſuffragio placere Domino nemo poteſt. Hęc
„ eſt, quæ reatus expurgat, quæ commoda
„ ſalvationis impendit, & per quam æterna
„ gaudia, bonis concurrentibus actibus,
„ aquiruntur. Per hanc hoſtis antiquus de
„ Arce mentis expellitur. Hæc corda puri-
„ ficat, & infidelitatis nubilum ſuæ radiis
„ expiat claritatis. Hæc eſt virtutum om-
„ nium fundamentum, Sydus irradians,
„ Stella micans, Solem juſtitiæ, intelligen-
„ tiæque præveniens, per quam dies oritur
„ gratiæ, per quam dies gloriæ ſubſequitur.
„ Excitamus itaque magnitudinem Regiam,
„ & hortamur attentè, tibique, cujus in
„ hac parte ſalutem exquirimus, ſano & ſin-
„ cero conſilio ſuademus, quatenus alta, &
„ ſedula meditatione recogitans, quam fra-
„ gilis, & caduca humanæ naturæ conditio,
„ quàm plena periculis, quàm expoſita ca-
„ ſibus, quàm ſit inſtabilis ſtatus ejus; Con-
„ ſiderans etiam quod à lege mortis, qua
„ nihil certiùs cernitur, nihil habetur incer-
„ tiùs hora ejus, nullus excluditur, nullus
„ effugit metas ſuas, nullus à Domino red-
„ ditur exemptus illius, promptus exurgas,
„ præſto te offeras, paratus accedas ad agni-
„ tionem Chriſtianæ fidei, ac ſuſcipiendum
„ Baptiſmatis Sacramentum, ad laudem Di-
„ vini nominis, tuæ ſalutis profectum, &
„ augumentum fidei ſupradictę: ut lucis ſuę
„ radio illuſtratus, ejus triumphalis efficia-
„ ris Athleta, illius fines amplificans, ter-
„ minoſque dilatans; ut poſt vitæ præſentis
„ ergaſtulum, à porta inferi libereris, & ejus
„ diris cruciatibus, pœniſque graviſſimis
„ evitatis, æternæ beatitudinis præmia, quæ
„ omnem delectationem excedunt, tanquam
„ Princeps emeritus conſequaris.

106 „ Cæterùm prælibatum Fratrem
„ Joannem, & ejus Socios ad partes ipſas
„ ſalubre proſequuturos negotium, quod cœ-
„ perunt, fiducialiter remittentes, inſtan-
„ ter expoſcimus, ut eos intuitu Dei, & ob
„ reverentiam Apoſtolicæ Sedis, & noſtram
„ benignè habeas commendatos, eis ſuper
„ hujuſmodi executione negotii favorem re-
„ gium impenſurus, cujus fulti præſidio,
„ utiliùs, & efficaciùs ſe habere valeant in
„ hac parte, quodque aliquos ex ipſis tecum
„ jugiter teneas, qui tibi tuoque proponant
„ populo Verbum Dei, & de ſalute tractare
„ valeant animarum. Datum Reate Idi-
„ bus Julii, anno ſecundo. *Hactenus Nico-
lai ad Argonem literæ.* Ex quarum ultimo
paragrapho certò certiùs fit, tam magnam,
tantarumque Gentium converſionem incœ-
ptam à prædicto Fratre Joanne, & Sociis
fuiſſe, quos ad effectum perficiendi eos Ni-
colaus ad eaſdem gentes remiſit. Scripſit in-
ſuper Nicolaus Gydoho alteri Tartarorum
Principi, & ipſo in voto habenti Baptiſmum,
quem pariter Pontifex hortatur, nè differat
illum ſuſcipere. Literæ verò ſic ſe habent.

Caydono Principi Tartarorum Illuſtri, gratiam in præſenti, quæ perducat ad gloriam in futuro.

107 „ Ad ea, quæ tuæ ſalutis augumen-
„ tum reſpiciunt, tuique nominis titulos in
„ Orbem Terrarum attollunt, celſitudinem
„ tuam libenter inducimus, operamque ſo-
„ licitam impertimur. Sanè, Princeps egre-
giæ,

„ gię, tuis aperiri ſenſibus affectamus, quod
„ Dei Filius Jeſus Chriſtus ad ima Mundi,
„ ut hominem, quem ad Imaginem & ſimili-
„ tudinem ſuam de limo Terræ formaverat,
„ de ſervitutis nexibus, in quos ipſum im-
„ pegerat maligna ſuggeſtio, liberaret, cle-
„ menti dignatione deſcendens, veſtem no-
„ ſtræ mortalitatis aſſumpſit, ut proprii aſ-
„ perſione cruoris incendia perpetui crucia-
„ tùs extingueret, ac ſuos mortis æternæ
„ tenebris abvolutos, vitæ perennis effice-
„ ret poſſeſſores, qui commiſſæ ſibi Lega-
„ tionis à Patre in regione peccantium piis
„ ſtudiis exercens, officium, Mundumque
„ ſalutaribus inſtitutis informans, tandem
„ poſt Sanctæ Converſationis, & operatio-
„ nis exempla, poſt Evangelicæ inſtructio-
„ nis eloquia, poſt doctrinæ ſalutaris effe-
„ ctum, diræ mortis ultrò ſupplicium ſubiit,
„ dieque tertia reſurrexit à mortuis glorio-
„ ſus, ut mortem noſtram moriendo deſtrue-
„ ret, ut vitam reſurgendo benignus repa-
„ raret, qui priùſquam pateretur, Claves
„ Regni Cœlorum Beato Petro Apoſtolorum
„ Principi, & per eum duxit ſuis ſucceſſo-
„ ribus committendas, per hoc eis tam ſubli-
„ mis poteſtatis auctoritatem impendens, ut
„ quodcumque ſuper Terram ligarent, ha-
„ beretur ligatum in Cœlis, & quodcum-
„ que ſolverent ſuper Terram ſolutum exi-
„ ſteret in eiſdem.

108 „ Unde nos, licèt inſufficientibus
„ meritis, Chriſti Vicarii, & ejuſdem ſucceſ-
„ ſores in terris, diſponente Domino con-
„ ſtituti, magno deſideramus affectu, ut fi-
„ dei Chriſtianæ cultores ſalutaribus acti-
„ bus immorentur, ac illi quos fides eadem
„ non agnovit, ad rectitudinis ſemitam, au-
„ ctore Domino revocentur, eamque ſoli-
„ citè ſervent fidem, cum ipſa ſit vera fides,
„ & recta ſine cujus comitante ſuffragio pla-
„ cere Domino nemo poteſt, quæ reatus ex-
„ purgat, ſalutis commoda elargitur, quæ
„ corda, menteſque purificat, & infidelita-
„ tis obſcurum ſuæ radiis expiat claritatis.

109 „ Excitamus itaque magnitudinem
„ tuam, & attentiùs hortamur ſano & ſin-
„ cero tibi conſilio ſuadentes, quatenus ſe-
„ dula meditatione recogitas, quàm ſit fra-
„ gilis & caduca humanæ naturę conditio,
„ quàm plena periculis, quantis expoſita
„ caſibus, quam inſtabilis ſtatus ejus, con-
„ ſiderans etiam, quod à lege mortis nullus
„ excluditur, cùm omne quod naſcitur mo-
„ riatur, promptus exurgas, præſtò te of-
„ feras, paratus accedas ad agnitionem Chri-
„ ſtianæ fidei, ad ſuſcipiendum Baptiſmatis
„ Sacramentum, laudem Divini nominis,
„ tuæ ſalutis profectum, & augumentum
„ fidei ſupradictæ: ut lucis ſuæ radio illu-
„ ſtratus, ejus triumphalis efficiaris Athleta,
„ illius fines amplificans terminoſque dila-
„ tans, ut poſt vitæ præſentis ergaſtulum à
„ porta inferi libereris, & ejus duris crucia-
„ tibus: pœniſque graviſſimis evitatis, æter-
„ næ Beatitudinis præmia, quæ omnem dul-
„ cedinem ſuperant, & omnem delectatio-
„ nem excedunt, tanquam Princeps Catho-
„ licus conſequaris. Datum Reatæ III. Idus
„ Iulii, anno ſecundo. *Hactenus ad Caydo-
num Nicolaus. Erat quoque inter Barbaras
illas Tartarorum Gentes quidam vir nobilis
Piſanus, qui, neſcio qua de cauſa ex Italia
in eas profectus eſſet regiones, Zelo Chri-
ſtianæ fidei ſuccenſus, quamvis Laicus, mu-
nia, ut ità dicam, Apoſtolici præconis exer-
cebat, ſolicitè fidei dilatandæ incumbebat,
operamque & ſtudium omne pro animarum
adhibens converſione, ad quem pariter ut à
bene incœptis non deſiſteret, ſed in laudabili
Chriſti obſequio fœliciter laborantibus adeſ-
ſet & auxilio, ſequentes per eoſdem Fratres
ſcripſit literas,

Nobili Viro Jolo de Piſis.

110 „ Lætamur in Domino, quod ſicut
„ habet fide digna relatio, ad dilatandos
„ Chriſtianæ fidei terminos laudabiliter, &
„ ſolerter intendens, illos ad agnitionem
„ ipſius, qui nondùm ſunt ejus lumine illu-
„ ſtrati, ſollicitè inducendo, quodque cun-
„ ctis Religioſis per partes ipſas habentibus
„ tranſitum impendis intuitu Jeſu Chriſti
„ conſilium, auxilium, & favorem, exhi-
„ bendo te nihilominùs illis ſpecialem, &
„ pręcipuum protectorem, de quo laudandę
„ ſolicitudinis ſtudium tanto ampliùs com-
„ mendamus, quantò magis ſalutem appe-
„ timus ſingulorum. Excitamus itaque dili-
„ gentiam tuam, & hortamur in Domino Je-
„ ſu Chriſto, quatenùs circa hujuſmodi ſa-
„ lubres tuos actus, & opera ſedula ſolici-
„ tudinis ſtudium largiaris, ut exinde tan-
„ to acceptior, & gratior tuo reddi valeas
„ Salvatori, quantò per te plures ab erroris
„ invio ad veritatis ſemitam, & ab infideli-
„ tatis nubilo ad claritatem Catholicæ fidei
„ reducentur. Nos autem Benedictionem
„ noſtram tibi tenore præſentium in tuorum
„ remiſſionem dirigimus peccatorum. Da-
„ tum Reatæ III. Idus Julii, anno ſecundo.
Hactenus ad Iolum literæ.

111 Hæc porrò miſſio, ſive ad Tartaros
Legatio haud infructuoſa fuit, proſperè nam-
que, & ad Pontificis mentem ſucceſſit, tam
Cobyla, quam Argone Sacramentum Ba-
ptiſmi ſuſcipientibus, ut ex eis quæ tradit
Marinus Sanutus, lib.3. par.13. Cap.5. & 8.
coniici licèt. Is enim agens de Tartarorum
Origine, & proceſſibus, recenſita hiſtoria,
quomodo ſe David Indorum Regi, cui pa-
rebat, ſubduxerant ſub *Cyngi* ab eis conſti-
tuto Duce & Domino, ſub nomine *Chaam*,
quod in eorum lingua Imperatorem, & Re-
gem ſignificat, progreditur ad enarrandam
illius

illius ſucceſſionem , aitque huic *Cyngi* , qui fulmine percuſſus interiit , ejus filium *Octotam* nomine,in Principatu ſucceſſiſſe,qui aviditate dilatandi Imperium , ex tribus filiis , quorum nomina *Jochim* unus , *Batbo* alter , *Cagaday* tertius , primum convenienti cohoneſtatum Exercitu contrà Occidentalem Aſię plagam miſiſſe ; ſecundum contrà Aquilonem ; tertium verò contrà Meridiem , ſibi reſervatâ majori Aſiâ occupandâ . Mortuo verò Octota ſucceſſiſſe ei tradit alterum filium, cujus nomen *Guyo* , quo brevi ſublato, Mangonem ejus conſanguineum virum conſilii, atque in armis ſtrenuum, Imperium arripuiſſe, quem plures occupaſſe Provincias, ſcribit. Hoc porrò in Mari Catay , cùm ad occupandam quandam Inſulam proceſſiſſet, ſubmerſo, Cobylam ejus fratrem regnaſſe illius loco ait, & hunc chriſtianum fuiſſe dicit, ac XLII. Annis imperitaſſe . Ait ergò : „ Hic (*ideſt* „ *Mango*) plures ſubjugavit Provincias , & „ cùm per Mare Catay ad occupandam „ quandam Inſulam proceſſiſſet , perforatâ „ ab adverſariis ſub aqua navi , cum multis „ ſubmerſus eſt ; & ſucceſſit illi frater Cobyla , „ qui Annis XLII. tenuit Imperium „ Tartarorum . Hic chriſtianus fuit, & fundavit „ in Regno Catay Romam Civitatem „ majorem, vocatam *Jong*, ubi continuè immoratus . „ *Hæc ille* . Subjungit porrò , ut ſuprà etiam fati ſumus , Mangonem Cobylæ fratrem operâ Aytonis Armeniæ Regis chriſtianam fidem amplexum , baptiſmum ſuſcepiſſe. Cùm verò Cobylam Mangoni ſucceſſorē chriſtianum fuiſſe teſtetur, ſequitur talem effectum eveniſſe poſt receptas Nicolai literas, quoniàm ex præfatis literis apparet nondùm anteà baptizatum .

112 Mangoni verò ſucceſſit Halao frater, qui Regnum ſubegerat Perſarum, de quo Sanutus cap. 7. ait : „ Poſt hoc occupaverunt „ Tartari Regnum Perſarum;baptizato enim „ cum univerſâ domo ſua , multiſque Proceribus „ Mangone , Halaoni fratri aſſignat „ militiam , & profectus eſt : Hic cum Rege „ Armeniæ (*ſcilicèt Haytone*) flumen „ magnum Phyſon petranſiit ; & infrà ſpatium „ ſex menſium totum Regnum Perſarum „ ſuæ ditioni ſubjecit . *Et poſt aliqua* . „ Erat quoquè ei uxor chriſtiana,vocata *Dotouſcaton* , „ de ſtirpe illorum trium Regum , „ qui venerunt Chriſtum, Stellâ prçviâ,adorare . „ Hæc à viro ſuo impetravit , Templa „ Sarracenorum ubiquè proſterni , ac inhiberi „ à quoquam coli ſpurciſſimum Mahumeth ; „ factique ſunt Sarraceni ſub maxima „ ſervitute . *Et infrà* . Dùm vellet ad Regnum „ Hieroſolymitanum conquirendum „ procedere , de morte Fratris Mangonis „ Chaam recepit Nuncium, aſſerentem, quià „ Tartari ejus expectarent adventum ; ut in „ Sede fratris pro Domino collocarent.Tunc „ dimiſſo pro cuſtodia Regni Syriæ , cum „ duodecim millibus Tartaris *Guiboga* ad „ Orientis partes revertitur ; ſed receptis „ Nunciis , quod alterum fratrem Gabilam „ (*hic eſt Cobyla*) Chaam conſtituiſſent, apud „ Tauriſium reverſus eſt . *Hæc Sanutus* . Ex quo apparet , ſublato Mangone magno Tartarorum Chaam , in Perſia regnaſſe Halaonem , in Tartaria verò Cobylam , de quo ſuprà locuti ſumus .

113 Halaone indè vitâ functo , regnavit pro eo in Perſide Abaga illius filius : „ Interim , *ait Sanutus in fine cap. 7.* Soldanus „ Babiloniæ (*videlicèt Ægypti*) contrà *Guiboga* „ exercitum duxit , & in bello interfecit , „ obtinuitque Regnum Syriæ . Halao „ verò, hæc audiens , accerſitis Armenis , & „ Georgianis , dùm vellet in Syriam proficiſci , „ vitâ exceſſit , ſucceſſitque illi filius „ Abaga, Anno Domini MCCLXIV. à Cobyla „ Chaam avunculo ſuo confirmatus,vocatus „ eſt Abaga Chaam. *Hæc ille*, qui ſubjungit fuiſſe virum prudentem , proſperèque rexiſſe , baptizari tamen renuiſſe . Et hic , ut ſuprà fati ſumus , Legatos miſit ad Gregorium X. in Concilio Lugdunenſi , ſed eo unà cum fratre veneno ſublato , Anno Domini MCCLXXXII. ſucceſſit alter ejus frater , nomine *Tangodomor* in pueritia baptizatus , factus poſteà Sarracenus , *Mahumeth Chaam* voluit appellari . Hic Tartaros ad infamem ſectam allicere eſt conatus , Chriſtianos verò crudeliter perſecutus,quorùmEccleſias à fundamētis evertit. Reprehēſus à Cobyla Magno Tartarorum Chaam , quòd à progenitorum receſſiſſet veſtigiis , irâ , & idignatione repletus, nepotem interfecit, & Argonem Abagæ filium in carcerem , ibique occiſurum includi fecit ; at operâ amicorum patris elapſus, perſecutus eſt Tyrannum,quem captum, coràm ſe trucidari fecit , imperavitque loco illius Anno Domini MCCLXXXV. & à Cobyla Magno Tartarorum Imperatore confirmatus, obtinuit, ut Chaam vocaretur .

114 Ad hunc ergò Argonem ſcripſit Nicolaus , de quo hæc ſubjungit Sanutus : „ Hic fuit aſpectu pulcherrimus , fortis robore , „ & prudens in agendis ; Chriſtianorum „ Eccleſias reparavit ; redieruntque ad „ ejus obedientiam Reges Armeniæ , atque „ Georgiæ , qui à Mahumetho receſſerant . „ Rogatus quoquè pro Terræ Sanctæ liberatione, „ reſpondit ſe velle cum vicinis omnibus „ pacis inire fœdera , ut ſecurus opus „ illud perficiat : Sed dùm hæc aguntur , „ quarto Anno Regni ſui vitâ exceſſit , „ MCCLXXXIX. *Hæc ille* . Errat tamen in deſignando Anno obitus Argonis, ut inferiùs patebit .

115 Cæterùm ex eodem Sanuto conſtat nonnullos de Regia Stirpe ſacro regenerationis lavacro ablutos ; nàm licèt *Quægatus* ejus frater , qui immediatè ſucceſſit in Regno hanc gratiam non fuiſſet conſecutus , propter

ejus turpes mores: erat enim quaſi animal brutum, gulæ, & luxuriæ deditus, cujus rei causâ ſexto ſui Regni anno à ſuis ſuffocatus fuit: *Baydo* tamen ejus conſanguineus, qui poſt *Quegatum* regnavit, chriſtianus fuit; undè de hoc hæc ſubjungit Sanutus: „ Cui „ ſucceſſit (*ſcilicèt Quegato*) conſanguineus „ *Baydo* chriſtianus fidelis, qui citò mortuus „ eſt. Hic præcepit, ut nullus Sarracenus „ legem Mahumeti inter Tartaros prædica- „ ret. Sarraceni itaquè ad Gazenum miſe- „ runt, quià ſi vellet Chriſti fidem relinque- „ re, & legem ſumere Mahumeti, dominium „ illi conferrent. Ille honoris avidus cuncta „ promittit, & contrà *Baydonem* hoſtiliter „ vadit. Ante commiſſum verò bellum, cun- „ cti Sarraceni *Gazeno* ſe jungunt: Sic *Bay-* „ *do* captus, & interfectus eſt, regnavitque „ pro eo *Gazenus* Argonis filius. *Hæc ille*. Et ità palàm conſtat etiam Gazenum fuiſſe chriſtianum, & ferè omnes de familia Argonis ſacri baptiſmatis lavacro eâ tempeſtate fuiſſe renatos; Nàm de Gazeni filio idem teſtatur præfatus Sanutus in fine Cap. VIII. inquiens: *Poſt hæc Gazenus moritur, & ſucceſſit ei frater Carpanda: hic filius fuit Dominæ Chriſtianæ, & baptizatus; ſed poſt mortem matris cultum ſumpſit ſpurciſſimi Mahumeti.* Hucuſquè de Tartarorum origine, & progreſſu, ac ſucceſſione Marinus Sanutus. At de hoc clariùs inferiùs.

116 Sed ad Nicolaum redeamus, cui non ſatis viſum fuit ad unam gentē tantùm Evangelicos Operarios deſtinare, zelo divini cultus, & animarum ſalutis inflammatus, ad univerſas ferè totius Orientis gentes, eaſq; variis infectas erroribus amandare curavit. Regnabat eâ tempeſtate in Armenia Hayton, chriſtianus, & chriſtianæ Religionis propagator, eamque ſui Regniculi profitebantur, devii tamen à Sancta Matre, & Apoſtolica Eccleſia Romana. Cùmque ad ſuas partes migraſſet antedictus frater Joannes à Monte Corvino, Regique, & Populo aperuiſſet extrà Sanctam Romanam Eccleſiam non adeſſe ſalutem, informaſſetque, quam fidem habere debuiſſent, ut ſalutem conſequi poſſent: Divinâ tacti gratiâ, ſe in unitate fidei cum Sancta Romana Eccleſia uniri optarunt; cujus rei gratiâ ipſemet Rex, & alii omnes eidem fratri Joanni expoſuerunt, ſe plurimùm deſiderare Sanctæ Romanæ Eccleſiæ adhærere, unionemque cum ea inire. Ille verò reverſus, ut præfati ſumus, inter alia, hoc quoquè Nicolao ſignificavit: Qui nullâ interpoſitâ morâ diverſas ſcripſit literas, inſerens in eis fidei formulam ab ipſis profitendam, eam ſcilicèt, quam prædeceſſores ad Græcos miſerant, ad Regem ſcilicet, ad Reginæ ſororem, Mariam, ad Toroſum, & alios Regis fratres, ad Leonem Regis Comeſtabulum, ad ejuſdem Mareſcallum, & ad populum univerſum. Verùm, quæ ad Regem datæ ſunt, & ad Mariam ſororem, ex Wadingo, & Raynaldo ad Annum Dñi MCCLXXXIX. exhibemus; & primò ad Regem datæ ſic ſe habent.

Chariſſimo in Chriſto filio Regi Armeniæ Illuſtri, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

117 „ Gerentes in terris, licèt inſufficientibus meritis vices Chriſti, grandi, nec „ immeritò lætitiâ, & exultatione perfundimur, cùm ad noſtram pervenire contingat „ audientiam, quòd corda Regum, & Principum terrenorum Summi Regis, per quem „ Potentatus altitudine præeminent, beneplacitis ſe coaptant. Nuper etenim audivimus, & lætati ſumus in Domino vehementer, dilecto filio fratre Joanne de Monte Corvino, de Ordine Minorum, latore „ præſentium, nobis ex parte Regia referente, quòd ergà Romanam Eccleſiam cunctorum Matrem fidelium, & Magiſtram „ ferventis devotionis geris affectum, quòdque ad habendum cum eadem Eccleſia, „ tanquàm Princeps catholicus chriſtianus „ unionem, in te voluntatis vigere dignoſcitur promptitudo. Subjunxit quoquè fratris memorati relatio, quod claræ memoriæ Pater tuus, veluti obedientiæ filius, & „ catholicus chriſtianus mortem ſubjit temporalem.

118 „ Reverà fili chariſſime, tàm gratis, „ tàmque acceptis rumoribus intellectis, cor „ noſtrum in Domino uberibus gaudiis exultavit, cùm animarum ſalutem, quam in „ cunctis mortalibus ex debito Paſtoralis „ officii exquirimus, votis ferventibus cupiamus. Rogamus itaquè Celſitudinem „ Regiam, & hortamur in Filio Dei Patris, „ quatenùs mentis oculis erectis ad Dominum, tuæque intentionis propoſito directos ſalubriter ad exercitium laudabilium „ actionum devotionem, & voluntatem prædictas dignis præconiis attollendas ſtabili „ mente continues, ac intrà tui pectoris thalamum ſummoperè ſtudeas conſervare.

119 „ Nos enim te tanquàm filium prædilectum ad unionem lætanter recepimus „ Eccleſiæ memoratæ, penès Magnitudinem „ Regiam precibus inſiſtentes uberibus, eamque paternis exhortationibus excitantes, „ ut ejuſdem Romanæ Eccleſiæ, dictiq; fratris, & ſociorum ſuorum doctrinam, quæ „ ſalutis commoda ſumminiſtrat, in omnibus „ promptus, & efficax exequaris, ad receptionem celerem, & efficacem executionem „ illius, Prælatos, & Populum Armenorum „ Regiæ ditioni ſubjectum ſolicitis ſtudiis „ inducendo. Sic te in præmiſſis curâ vigili „ habiturus, ut à Domino proindè præmium „ conſequi valeas pro minimis grandia largiente, tui nominis fama incrementa ſuſcipiat, & Sedis Apoſtolicæ gratiam, quam li-

„ libenter ad filios devotos extendimus, uberiùs merearis.

120 „ Ceterùm magnitudinem Regiam „ plenis proſequimur actionibus gratiarum, „ quod ſicut ejuſdem fratris patefecit aſſertio, ipſum & Socios ſupradictos benignè „ recipiens, eis multæ humanitatis affectum „ exhibuit, eoſque gratioſi favoris impendio „ extitit proſequuta, petentes inſtanter, ut „ eos clementer habeas commendatos, ut ad „ laudem Divini nominis, & animarum ſalutem, utiliùs, & efficaciùs opus proſequi „ valeant inchoatum. Ut autem in fide Chriſtiana, quam tenet, & ſervat Romana „ Mater Eccleſia, pleniùs & efficaciùs valeas „ informari, dictam fidem, & ejus formam „ præſentibus fecimus annotari, quæ ſunt „ hęc. Credimus Sanctam Trinitatem, Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, „ unum Deum Omnipotentem, *& cætera ſicut in formula miſſa ad Græcos ſupra à nobis exhibita*. Datum Reate Nonis Julii, Pontificatus noſtri anno ſecundo. *Hactenus literæ*.

121 Ad aliqualem hiſtoriæ Armenorum elucidationem, cum nonnulla confusè à nobis ex Sanuto in ſuperioribus à num. 84. recenſita fuerint, notandum eſt. Hunc Haytonem, ad quem Nicolaus præfatas miſit Epiſtolas, alium fuiſſe ab altero Haytone, de quo ſupra fati ſumus. Illum verò Leoni Primo ſucceſſiſſe tradunt Hiſtorici, quem ab Archiepiſcopo Moguntino Apoſtolicæ Sedis Legato in Syria Coronam Regiam accepiſſe, Acta Innocentii III. demonſtrant, unde Belluacenſis in ſpecul. hiſtor. lib. 31. cap. 29. Agens de Regibus Armeniæ Minoris, ait: „ Hujus „ Armeniæ Regnum, aquiſierant paucis ante temporibus duo Fratres de majori Armenia, Leo ſcilicèt, ac Robinus (*vel Rupinus*) & Robinus quidem, major natu, „ prior in ea regnavit, vel potiùs præfuit; „ moriturus verò Regnum, & Filiam ſuam, „ ejuſdem videlicèt Regni hæredem, fratri „ ſuo Leoni commiſit, ejuſque fidei credidit: „ ac ipſe Leo Regnum in ſe ipſum retorſit, „ quin potiùs de Baronia Regnum ſibi facere „ voluit, nàm anteà, ut dicitur, Rex ibi „ non erat, ſed Baro, qui Sultano Turciæ „ ſub Tributo ſerviebat. Itaque ad petitionem ipſius Leonis, Avus Domini de Trouſtot perrexit ad Curiam Romanam, & ad „ Imperatorem Othonem, petens ab ambobus, ut ipſum in Regium hominem reciperent. Eccleſia verò ſub conditione, ſalvo ſcilicèt heredis jure, recepit ipſum in „ Regium hominem, & Otho ſimiliter. Porrò Archiepiſcopus quidem Theutonicus, „ videlicèt Moguntinus, attulit eidem Leoni coronam, ſub tali conditione, ut omnes pueros infra duodecim annos exiſtentes, ipſe Leo poni faceret ad literas Latinas. Tunc ergò Rex Leo dedit Eccleſiæ in „ dotem Caſale Eſtelicæ, Caſtrum Paperon, „ & alia multa Caſalia, pluraque alia. Hæc „ autem omnia juraverunt Barones ſe firmiter ſervaturos. Factum eſt autem hòc (*puta donatio, & Baronum juramentum*) Anno Domini MCCXLII.

122 „ Porrò idem Leo ter infirmus ter „ fecit omnes Barones ſuos Robino nepoti „ ſuo jurare, tanquam verò & ultimo Domino ſuo, & juſto heredi Regni Armenię, „ filiam tamen ſuam, cui Regnum relinquere diſpoſuerat, fratri Antiocheni Principis in conjugium dedit, & poſtea ipſum „ dolosè interfecit. Ipſo autem Leone mortuo, quidam Baro ejuſdem Armenię Conſtans nomine, filiam ejus violenter rapuit, „ & poſtmodùm eamdem invitam filio ſuo „ Haytoni Matrimonio copulavit, eique cum „ illa Regnum tradidit. Porrò filiam Robini, quæ Regnum hæreditario jure poſſidere debuit, Philippus miles de Monteforti uxorem accepit: unde & merito ad illud „ aſpirat, ipſumque ut juſtum eſt, aquiſiturum ſe ſperat. Idem etiam Conſtans diverſis dolis, & machinamentis, ſexaginta „ duos Barones Armeniæ majoris interfecit; „ Sultani quoque Turciæ Matrem, atque Sorores, quas idem Sultanus ipſi, tanquam „ ſuo homini Regio, & fideli, utpotè Chriſtiano, cauſa refugii miſerat à facie Tartarorum, ipſe reverà infidelis, & iniquus „ miſit eiſdem Tartaris in favorem ipſorum: „ & ille quidem in ipſo itinere dicitur obiiſſe. Itaque Sultanus ipſe terram ejus intravit, & Urbem Tarſum obſedit; ſed ibidem infirmatuus, mortuus eſt, & in Urbe Regali Satellia ſepultus. *Hæc Belluacenſis*.

123 Hic porrò Hayton regnavit annos XLV. quibus elapſis dimiſſo Imperio Leoni ejus filio, habitum Religionis aſſumpſit, hæc in Hiſtoria Orientali par. 2. cap. 17. apud Ramuſium, ubi habetur: „ Hayton autem poſtquam annos quadraginta quinque Armenium Regnum tenuerat, illud reliquit, ac „ tradidit D. Leoni filio ſuo, ex Ægipti „ carceribus liberato: & ipſe renuncians pompis hujus ſæculi, eſt Religionem ingreſſus. *Hæc ille*.

Subjungens obiiſſe inde Anno Domini MCCLXX. Et de Leone illius ſucceſſore, quem aliqui *Livonum nominant* tale ſcribit Encomium. *Leo autem Rex Armeniæ ſupramemoratus, fuit valdè ſapiens, atque prudens & ſuum Regnum provide gubernavit. Dilectus fuit nimis, tam à ſua Gente, quàm à Tartaris, & ex animo ſemper ſtuduit deſtruere Saracenos*. Initia Regni Leonis II. auſpicantur ab Anno Domini MCCLXX. quo Anno Haytonem obiiſſe narrat Auctor hiſtoriæ Orientalis mox laudatus. Sanutus autem lib. 3. par. 12. cap. 12. Haytonis obitum conſignat ſub Anno MCCLXXII. Hunc porrò Leonẽ II.

invitatum à Gregorio X. ad Concilium Generale Lugdunenſe, ejuſdem Gregorii literæ lib.2. Epiſt.1. teſtantur, quibus literis præfatus Gregorius rogavit, ut ad ſe integra Acta Nicænæ Synodi, quæ Armeno idiomate ſcripta habet, unà cum aliis Conciliis, ac peritiſſimis interpretibus mitteret. Id quod pariter ejus Patriarchæ ſcripſit lib. 2. Epiſt. 2.

124 Defuncto Leone II. ſucceſſit in Armeniæ Regno Hayton hujus nominis ſecundus, Leonis filius. Hic ſui regiminis initio, per Joannem à Monte Corvino, de quo ſuprà, poſtulavit Summum Pontificem, ut in Eccleſiæ Romanæ communionem admitteretur, & ad hunc Haytonem ſunt directæ ſupraręcenſitæ Nicolai literæ. Hic eſt ille Hayton, qui ſororem ſuam deſponſavit Andronici filio Michaeli, cui frater ejus Sembath rebellaverat. Hic pariter eſt ille Rex, qui Minorum Fratrum Religionem eſt ingreſſus, nec unquàm coronari voluit, ut ex Sanuto ſuprà meminimus, concordantibus temporibus; nàm, ut ſcribit Sanutus jam relatus, Sembath coronam Regni aſſumpſit Anno Domini MCCXCIV. inquiens: *Sembath alter frater Regni diadema ſibi impoſuit Anno Domini MCCXCIV. ex eo motus, quòd Hayton nunquàm coronari voluerit, ſed magis Fratrum Minorum ſumpſiſſe habitum, & Frater Joannes ex tunc communiter vocaretur.*

125 Ità ergò conciliantur Scriptorum ſententiæ aſſerentium, Haytonem habitum Religionis Præmonſtratenſis ſumpſiſſe, & aliorum, qui ſcribunt, habitum ſumpſiſſe Fratrum Minorum; nàm illi loquuntur de Haytone primo, alii vero de hoc Haytone ſecundo. Quoniàm ille Hayton, qui Hiſtoriam Orientalem ſcripſit, teſtis oculatus, qui & de Stirpe Regia fuerat, ut ſuperiùs fati ſumus, apertè ſcribit, Haytonem primum Habitum Premonſtratenſium Ordinis aſſumpſiſſe; *Hayton autem*, inquit, *poſtquàm annos quadraginta quinque Armeniæ Regnum tenuerat, illud reliquit, ac tradidit Domino Leoni filio ſuo ex Ægypti carceribus liberato; & ipſe renuncians pompis hujus ſæculi, eſt Religionem ingreſſus, & vocatus fuit Macharius, mutato proprio nomine, juxtà conſuetudinem Armenorum; & poſt modicum temporis ſpatium requievit in pace Anno Dom. MCCLXX.* Conſtat ergò, hunc Haytonem longè ante Nicolai tempora diem ultimum clauſiſſe, & quidèm in pace, non cæſum in prælio, nec à proditoribus interfectum.

226 Porrò ſecundus hic Hayton, de quo Sanutus ſcribit, Minorum habitum ſuſcepiſſe, Joannis aſſumpto nomine, vixit utiquè ætate Nicolai, & multò etiam poſt, qui, ut præfati ſumus, obcæcatus à Sembath fratre ejus, viſum divinitùs recuperavit, & libertati reſtitutus, fratres ſub tuta cuſtodia ad Imperatorem Conſtantinopolitanum cuſtodiendos mandarat: Regnum verò commiſit Leoni hujus nominis III. de quo loquitur alter Hayton Hiſtor. Orientalis Scriptor ſuprà relatus, dùm ait: *Deo itaque gratias refero, quòd Armeniæ Regnum temporibus his in tranquillo, bono, & pacifico ſtatu conſiſtat, præſertim ſub novi Regis Domini Leonis filii Haytonis regimine.* Et hunc Haytonem cum Leone Rege proditoriè ſublatum ſcribit Galenus, inquiens: *Leo Rex Armeniæ, ejuſque religioſus, ac longævus Pater, Hayton, à nefario quodam Tartaro, dolo pacis (neſcio qua ſanè cauſa) improviſò noctu invaſi, & occiſi ſunt.* Leoni porrò huic ſucceſſit in Regno Oſcinus Haytonis germanus inter fratres natu minimus.

127 Itaque facilis fuit æquivocatio de hiſce duobus ejuſdem nominis Regibus, qui dimiſſo Regno religioſam vitam ſelegerunt, unus in Ordine Præmonſtratenſium, alter in Ordine Minorum, utriſque ejuſdem nominis ſuccedentibus Regibus, Leone videlicèt ſecundò Haytoni primo, & Leone tertio Haytoni ſecundo. Alter verò Hayton, qui Hiſtoriam ſcripſit Orientalem, & Habitum pariter Ordinis Præmonſtratenſis in Inſula Cypri aſſumpſit, fuit Curchi Princeps Haytonis ſecundi conſanguineus, & juſſu Clementis V. ſcripſit Hiſtoriam Orientalem, ut ex præfatione illius operis apparet, ubi ait: *Non habuiſſem audaciam conſulendi ſuper tàm arduo negotio, niſi de mandato veſtræ Sanctitatis proceſſiſſet.* Ex his ergò lector corrigat quæ in ſuperioribus dixi cum aliqua confuſione de Haytone Rege, & Minorita, ſecutus Wadingum, qui ut concordaret Auctorum opiniones circà Haytonem Præmonſtratenſem, & alterum Minoritam, exiſtimavit pro Præmonſtratenſi voluiſſe intelligi Haytonem ſcriptorem Hiſtoriæ Orientalis, Principem Curchi; quandò reverà loquuntur de Haytone Armeniæ Rege, primò tamen hujus nominis, juxtà ea, quæ modò adnotata ſunt. Sic damus Ordini Præmonſtratenſi ſuum Armeniæ Regem, non negato altero ejuſdem Regni Rege noſtro Minoritico Ordini. Sed redeundum eſt ad Nicolaum Papam ſcribentem ad Mariam ſororem Reginæ Armeniæ ad hunc modum.

Dilectæ in Chriſto filiæ nobili mulieri Mariæ ſorori claræ memoriæ Reginæ Armeniæ.

128 „ Nuper ad Apoſtolatus noſtri præ- „ ſentiam dilectus filius frater Joannes de „ Monte Corvino de Ordine Minorum, la- „ tor præſentium, de Armeniæ partibus re- „ diens, ubi Chriſti proſecutus obſequia, & „ Animarum ſalutem, juxtà datam ſibi à Do- „ mino gratiam, extitit operatus, grata, & „ accepta quampluribus de tuis laudabilibus „ actibus, piiſque ſtudiis nobis referre cura- „ vit, inter cætera exprimendo, quod ad ob-

ſer-

„ ſervandam fidem catholicam, quam Romana tenet, & obſervat Eccleſia, & ejus unionem ſtabilem proſequẽdam fervens dirigitur deſiderium mentis tuæ, de quo tantò majorem concipimus intrà noſtri pectoris arcana lętitiam, quantò propenſiùs tuæ ſalutis diligimus incrementum.

129 „ Hortamur igitur nobilitatẽ tuam, „ & excitamus in Domino Jeſu Chriſto, quatenùs mentis oculis erectis ad Deum, & ad ſalutis & pietatis opera directo propoſito ad obſervationem fidei chriſtianæ, dictæque proſecutionem continuam unionis efficaciter, & reverenter intendas, aliaque ſtudeas exercere ſolicitè, quæ divinæ ſint placita Majeſtati, ad obſervationem & proſecutionem ejuſdem, juxtà datam tibi à Domino gratiam cæteros inducendo, ac fratrem, & ejus ſocios ſupradictos ad partes redeuntes eaſdem, præfata proſecuturus obſequia; & alios etiam chriſtianos in partibus ipſis degentes, habendo benignè, ac favorabiliter commendatos; dictiſque fratri, & ſociis tuum in hac parte præbendo auxilium opportunum, ſic ſemper de bono in meliùs proceſſura, quod ab Altiſſimo gratior tibi uberioribus digna præmiis lætanter occurras, quò majorum fueris fulta ſuffragiis meritorum. Cæterùm, quià te ſincerà in Domino charitate complectimur, tuæque ſalutis affectamus augumentum, tibi noſtræ benedictionis munus in remiſſionem concedimus peccatorum. Datum Reate ſecundo Idus Julii, Pontificatus noſtri Anno II. *Hactenus litera Nicolai ad Mariam*.

130 Hæc verò Pontificis ſolicitudo ergà Armenorum Regem, & Populum, ac Apoſtolicorum Nunciorum labores, & ſtudia pro eorundem rectâ fide, & unione non fruſtrà abière; quoniàm Gregorius Silenſis Armeniorum Patriarcha obedientiam exhibuit Romano Pontifici, Sembath quoquè frater Haytonis pro eo tempore, quo, excluſo fratre, regnavit, eandem obedientiam reddidit Apoſtolicæ Sedi miſſis ad Bonifacium VIII. Nunciis, ut ejuſdem Papæ literæ, tùm datæ ad Sembath, incipientes, *Regiæ Serenitatis Nuncii*, ſub datis Reate III. Nonas Octobris, ſui Pontificatus Anno IV. Ex lib. 4. Epiſtol. 261. tùm ad Gregorium Patriarcham, incipientes, *Ex literarum tuarum*, ſub datis pariter Reate VII. Kalendas Novembris, eodem Anno IV. ex præfato lib. 4. Epiſtol. 271. clarum exhibent teſtimonium. Univerſa deindè Armenia, reverſo ad Regnum Haytone, ſub Leone Rege ſe Romanæ Eccleſiæ univit, celebrato primùm generali conventu apud Siſen, poſtea ſub Oſcino Rege, & Conſtantino Patriarcha in Urbe Adano; operam dantibus in hoc Adanenſi Concilio inclyti Ordinis Prædicatorum Sanctiſſimi Patriarchæ Dominici religioſis Viris à Joanne XX. miſſis; quoniàm nonnulli, inſtigante Sathana, ſublatis Haytone, & Leone, decretis Sinenſis Concilii adverſari conabantur, prout ex Armenorum Hiſtoria Galanus par. 1. Concil. Eccleſ. Armen. cum Romana, cap. 29. accuratè ſcribit.

131 Sed quoniàm præfatus frater Joannes à Monte Corvino cum ſuis ſociis peragratus erat etiam Jacobitarum Regionem, Æthyopiæ, Georgianorum, Hiberorum, & Neſtorianorum terras, ad effectum reducendi ad agnitionem veræ, & catholicæ fidei, ut & qui Chriſtum agnoſcebant, diſſiti tamen ab Eccleſia Romana, eidem Eccleſiæ in unitate fidei copularentur. Et reverſus, ut præfati ſumus, eidem Nicolao retulerat etiam has gentes diſpoſitas reliquiſſe ad parendum Apoſtolicæ Sedi, veram profitendi, & orthodoxam fidem, & cum Sancta Romana Eccleſia unionis fœdus ineundi. Pontifex non ſurdus factus auditor, hiſce acceptis, ſtatim literas fecit ad Imperatorem Æthiopiæ, ad Populum ſuum, ad Demetrium Georgianorum Regem, ad Davidem Regem Hiberorum, ad Jacobitarum Patriarcham, & ad Populum Neſtorianorum, ferendas per eundem fratrem Joannem à Monte Corvino, & ſociis, ut qui opus inceperant, in Domino perficerent: quæ quidèm literæ cùm ferè ejuſdem tenoris ſint, tùm à Wadingo, tùm à Raynaldo ad Annum Domini MCCLXXXIX. ſolùm exhibentur, quæ datæ ſunt ad Imperatorem, & Populum Æthyopiæ, ad Patriarcham Jacobitarum, & ad Dionyſium Epiſcopum in Taurïſio ſub dominio Argonis Regis, quas & nos exſcribemus. Itaq; ad Imperatorem Æthyopiæ ſcripſit ad hunc modum.

Chariſſimo in Chriſto filio Imperatori Æthyopiæ Illuſtri, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

132 „ Summi Paſtoris, qui pro ſuis ovibus animam poſuit, diræque mortis ſpontè pati ſupplicium voluit, ut nos ab hoſtis laqueo liberaret, vices, licèt inſufficientibus meritis, gerentes in terris, cunctorum ſalutem appetimus, ſolerter exquirimus, ſolicitè procuramus, ut poſt vitæ præſentis ergaſtulum fidelium animæ in cœleſtibus paſcuis collocentur. Cùm itaquè fides catholica, quam Romana tenet, & ſervat Eccleſia, ſemitam præparet, pandatque aditum ad ſalutem, Celſitudinem tuam hortamur attentè, ac excitamus in Filio Dei Patris, quatenùs mentis oculis erectis ad Dominum, & ad ſalutis, & pietatis opera directo propoſito ad obſervandam chriſtianam fidem, & proſequendam ipſius Eccleſiæ unionem, ferventer, & efficaciter intendas, aliaque ſtudeas operari ſolicitè, quæ in conſpectu Altiſſimi ſint accepta, ſic de bono ſemper in meliùs, adju-

„ juvante Domino, proceſſurus, ut poſſis ad „ æternæ beatitudinis gaudia pervenire. „ Cæterùm, quià Celſitudinem tuam ſincera „ in Domino charitate complectimur, tuæ„ que ſalutis affectamus augumentum, tibi, „ tuiſque noſtræ benedictionis munus im„ pendimus in veſtrorum remiſſionem pecca„ torum. Datum Reate v. Idus Julii, Pon„ tificatus noſtri Anno ſecundo. *Hactenus Epiſtola ad Imperatorem Æthyopiæ*, quam ſub iiſdem terminis datam ad Populum Æthyopiæ, mutato titulo, & perſona in numero ſingulari, verſâ in plurali recitat. Quæ porrò datæ ſunt ad Patriarcham Jacobitarum ſic ſe habent.

Venerabili fratri Patriarchæ Jacobitarum ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

133 „ Diſponente Summi Regis arbitrio, „ cujus providentiæ Magnitudo cœleſtia, ſi„ mùl, & terrena diſponit, ad apicem Apo„ ſtolicæ dignitatis aſſumpti, grandi deſi„ derio ducimur, ut ſic cunctorum greſſus „ mortalium ſalubriter dirigantur: Sic illi „ ſuorum operum moderentur habenas, ut „ accepti reddantur Altiſſimo, ejuſque ſalus „ proveniat animarum. Quid enim illa ju„ cundiùs? Quid deſiderabilius? Quid in „ terris pretioſiùs fore dignoſcitur, cùm ſi „ totius Orbis quis ſibi Dominium vindicet, „ prout Evangelica teſtatur auctoritas, nihil „ profit, ſi detrimentum animæ patiatur. „ Quamobrèm multiplici reddimur attentio„ ne ſoliciti, ut univerſi per Mundum populi „ conſtituti Chriſto Dño ſub chriſtianę fidei „ Religione commilitent, quam ſacroſan„ cta Romana Eccleſia tenet firmiter, & ob„ ſervat, quæ vitæ ſemitam prę parat, pan„ ditque aditum ad æterna gaudia prome„ renda &c.

134 „ Speramus inſuper, ut & tu, cui mul„ tus, ut dicitur, ſubjectus eſt Populus, „ magno deſiderio ferveas, & ſolerter ex„ quiras, ut per laudabilium exercitium „ actionum ſic ſuo Creatori complaceat, ut „ ſalutis commoda mereatur, quòd abſque „ ipſius obſervatione fidei, quæ reatus ex„ purgat, maculas diluit, nequit penitùs „ provenire. Idèoque fraternitatem tuam „ paternis exhortamur affectibus, & in Fi„ lio Dei Patris tibi ſinceris mentibus ſua„ demus, quatenùs ad obſervandam fidem „ Catholicam, quam ſicut præmittitur, tenet „ & ſervat Romana Eccleſia inconcuſsè, ac „ etiam ad ipſius Eccleſiæ unionem, ſublato „ cujuslibet tarditatis obſtaculo, & nexibus „ difficultatis effractis feſtinus acceleres, „ promptus advenias, occurras ſpontaneus, „ ſtudioſus accedas, eò majoris retributionis „ prę mium proinde conſecuturus à Deo, quò „ plures ad id tuo exemplo laudabili evoca„ bis, cum facili trahi ſoleat in exemplum „ à ſubditis, quòd agi conſpicitur à Præ„ latis.

135 „ Speramus etenim, magnâque fiducià ducimur, quòd præmiſſa libenter, & „ efficaciter adimplebis ſubjectum tibi popu„ lum ad ea diligenter, & ſolicitè inducendo, „ cùm ſicut dilectus filius frater Joannes de „ Monte Corvino de Ordine fratrum Minor. „ lator præſentium, multa bona, multaq; lau„ dabilia opera, quæ lętanter audivimus, de „ tuis ſtudiis nobis duxerit referenda. Suſci„ pe igitur reverenter exhortationem ſince„ ram, & ſalubrem devotus amplectere Chri„ ſti Vicarii ſuadelam, ſic te laudabiliter ge„ rere ſtudeas ad honorem & gloriam om„ nium Conditoris, ut in conſpectu ejus red„ daris acceptior cumulo meritorum. Cæte„ rùm inſtanter expetimus, ut eundem fra„ trem, & ejus ſocios ſpecialiter habeas com„ mendatos, ipſosque benignè, ac favorabili„ ter proſequaris, ut tali & tanto muniti „ præſidio utiliùs & commodius in miniſterio „ ſe gerere valeant, quod exercent, & ad „ laudem Divini Nominis opera efficaciùs „ proſequi Jeſu Chriſti. Ut autem in fide „ Chriſtiana prædicta pleniùs, & meliùs va„ leas alios informare, dictam fidem, & ejus „ formam præſentibus fecimus annotari, quæ „ talis eſt: Credimus Sanctam Trinitatem, „ Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, & „ *cætera, ſicut in ſæpèdicta forma ad Græcos* „ *tranſmiſſa*. Datum Reate Nonis Julii, „ Pontificatus Noſtri anno ſecundo. *Hactenus Nicolaus ad Patriarcham Jacobitarum*. Quas verò ſcripſit ad Dionyſium Epiſcopum, omittit Raynaldus, recitat Wadingus ad præfatum Annum MCCLXXXIX. ſub num. XIII. & ſunt tenoris ſequentis.

Venerabili Fratri Dionyſio Epiſcopo in partibus Orientis, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

136 „ Affluentis devotionis affectu, & „ zelo reverentiæ filialis, promptæque obe„ dientiæ ubertate pollebant miſſæ nobis tuæ „ fraternitatis literæ, quas Apoſtolatui no„ ſtro, cùm tuæ devotâ recommendatione „ perſonæ nobis in Chriſto chariſſimæ, dile„ ctus filius frater Joannes à Monte Corvino „ de Ordine Minorum, lator præſentium „ præſentavit. Nos autem literas ipſas læti „ ſuſcepimus, & exultantibus animis, earum „ tenore pleno collegimus intellectu, Patri „ luminum, à quo eſt omne datum optimum, „ & omne donum perfectum, gratiarum actio„ nes devotas, & uberes referentes, quòd ad „ obediendum humiliter fidei Chriſtianæ, „ quam ſacroſancta Romana Eccleſia cuncto„ rum Mater, & Magiſtra fidelium tenet fir„ miter, & obſervat, fervens dirigitur, prout „ ex eiſdem perpendimus literis, deſiderium „ mentis tuæ.

137

137 „ Rogamus igitur & hortamur at-
„ tentiùs tuæ ſinceritatis conſtantiam, tibiq;
„ pro tuę ſalutis augumēto cum inſtantia ſua-
„ demus, quatenùs erectis ad Deum, digna
„ dignis præmia largientem, hominis inte-
„ rioris obtutibus, poſitâque in eo anchorâ
„ ſpei tuæ prædictam fidem, per quam ad ſu-
„ pernorum gaudia Civium aditus panditur,
„ ſtabiliter teneas & obſerves, eique inſepara-
„ biliter adhærere procures, ipſamque in Ec-
„ cleſiæ tuæ libris conſcribi fideliter faciens,
„ gregem Dominicum tuæ gubernationi
„ commiſſum in ea diligenter & ſolicitè in-
„ ſtruas, & informes, ut tandem poſt tuæ
„ peregrinationis excurſum, vitæque præ-
„ ſentis fugitivæ miſeriam, æternæ beatitu-
„ dinis gloriam meritorum fultus auxilio
„ conſequaris.

138 „ Proſequimur autem donis uberi-
„ bus gratiarum multę benignitatis & huma-
„ nitatis affectum, quem circa eundem fra-
„ trem & ſocios, Chriſti operarios ſervos Dei
„ per effectum operum, prout ejuſdem fratris
„ profitetur aſſertio, hactenùs oſtendere ſtu-
„ duiſti; apud te precibus inſiſtentes, ut ipſos
„ opportuni favoris gratia, & conſuetę bene-
„ volentię ubere pro Divina, & Apoſtolicę
„ Sedis, ac noſtra reverentia proſequi non de-
„ ſiſtas, ut ad laudem & gloriam Summi Re-
„ gis, & animarum profectus, quos ſpecialiter
„ expetunt, utiliùs & efficaciùs in miniſterio
„ ſe gerere valeant, quod exercent, tuque
„ proinde à Domino prę̨mium, quod propriis
„ recompenſat actibus, conſequaris.

139 „ Licet autem prę̨libatę fidei ſeriem
„ pridèm tibi noſtris inſertam litteris du-
„ xerimus deſtinandam, quia tamen amplo
„ deſiderio ducimur, ut ejus sēper tibi recen-
„ tior, promptiorque memoria, nè, quod ab-
„ ſit, oblivioni ſubjaceat, habeatur, ſeriem
„ ipſam præſentibus etiam fecimus annotari.
„ Suſcipe igitur reverenter exhortationem
„ ſinceram, & ſalubrem devotus amplectere
„ ſuadelam Vicarii Jeſu Chriſti, ſic te in
„ præmiſſis gerendo ſolicitè, ſic ea efficaciter
„ adimplendo, ut in conſpectu Altiſſimi red-
„ daris aptior cumulo meritorum, & Sedis
„ Apoſtolicæ gratiam uberiùs merearis, tuo-
„ que exemplo laudabili ad æternæ vitæ læ-
„ titiam promerendam ſubditorum tuorum
„ pectora provocētur. Fides autem prædicta
„ & forma ejus hæc ſunt: Credimus Sanctam
„ Trinitatem, Patrem, & Filium, & Spiri-
„ tum Sanctum, *& cætera, ut ſuprà*. Datum
„ Reate Nonis Julii, Pontificatus noſtri an-
„ no ſecundo. *Hactenus Nicolaus ad Diony-
ſium Epiſcopum*.

140 Intereà hoc regnante Pontifice deleti ſunt de promiſſionis terra Chriſtiani, exigentibus namque peccatis, aggravata eſt ſuper eos manus Domini: Anno Itaque Domini MCCLXXXVIII. à Soldano Babyloniæ *MelecMeſſor*, menſe Aprilis capta eſt Civitas Tripolis, deſideratis ſeptem millia chriſtianis, cæteris ſolâ fugâ ſalvatis. Deinde eodem præcipiente Soldano, igni tradita eſt, ac in univerſum diruta die XXV. Aprilis, quam reædificare juſſit in loco nuncupato, *Mons Peregrinus*, mille paſſus à mari. Defuncto interea prę̨fato Melec, *Seraf*, ſumpto paterno ſcetro, anno Domini MCCXCI. die V. Aprilis cum exercitu ſexaginta millia equitum, & centum ſexaginta millia peditum, venit Ptolemaydem, eamq; obſedit, ac die XVIII. Maii feria VI. dato generali aſſaltu per omnē circuitum, Civitatem obtinuit, occiſis in ore gladii quotquot invenère, aliis igne abſumptis, aliis verò in mare ſubmerſis: *Erat quoque in Mari tempeſtas valida*, ait Sanutus lib. 3. par. 12. cap. 21. *ut ad magna navigia accedere non valerent* (*qui* nimìrum fugam arripiebant) *undiq; erat tremor & pavor, & gemitus mortis. Soldanus quoque ad quatuor partes Civitatis fecit ignes accendi, ut ferro & igne conſumeret univerſa*. Scribit Sanctus Antoninus 3. par. titul. 20. cap. 6. §. 9. Juſto Dei judicio deletos Chriſtianos: „ Neque
„ hoc accidit, *inquit*, ſine magno & juſto judi-
„ cio Dei: nam habitatores ejus, etſi nomine
„ Chriſtiani, re autem infidelibus erant de-
„ teriores, repleti omni iniquitate & laſci-
„ viâ; ideo in præſenti Deus ſupplicia red-
„ didit, ne in æternum eos puniret, qui in
„ tàm ſæva morte ad Deum ſunt converſi,
„ & nè impœnitentes ex ejs diutiùs viventes
majores ſibi acquirerent cruciatus. *Hæc ille*.
Sanutus quoque mox relatus propter iniquitatem habitantium in ea, captam & dirutam Urbem, & deletos Chriſtianos exagerat, inquiens: „ Nunc luit peccata, ſed non ab-
„ luit civitas ſcelerata, gratiis Divinis in-
„ grata. Ad ipſam confluebant Reges & Prin-
„ cipes terræ; ad ipſam mittebant ſuccur-
„ ſum tributariæ cunctæ partes occiduæ: &
„ nunc contra eam pugnant omnia elementa.
„ Terra enim ejus ſanguinem devorat, quæ
„ chriſtiano ſanguine tota madeſcit, Mare
„ abſorbet populum; ædificia conſumit, ignis,
„ aer, fumo, caligine tenebratur. *Hactenus
Sanutus*.

141 Duas externas præfatæ cladis cauſas aſſignant Scriptores, violatam ſcilicet Soldano Babyloniæ treguarum fidem, & dominantium in eadem Civitate Chriſtianorum diſcordias, voluntatumvè diverſitatem. De prima cauſa hæc Sanutus loc. cit. ait. „ Cùm
„ verò carnalia, cæteraque peccata continuè
„ augerentur in fractoribus fœderis baptiſ-
„ malis, nec de malis vellent conteri, nec
„ per pœnitentiam ad viam redire juſtitiæ,
„ aſſumpſit *Seraf* paternum propoſitum, eò
„ ardentiùs commotus, quòd XIX. Sarra-
„ cenos Mercatores Ptolemayde, in loco
„ vocato, *Laſunda*, juſta cambium, contra
„ fidem treguarum crucesignati gladio pere-
„ merunt, ac poſcenti juſtitia denegata ſit.
Hæc ille. Altera cauſa notatur à S. Antonino lo-

loco ſupra relato, ubi recenſitâ morte Guilielmi è Belloico ſupremi Templariorũ Magiſtri, & Chriſtianarum copiarum Ducis, venenato telo transfixi, ſubjungit: „ Ex ejus „ morte tota Civitas commota eſt, & contrita: & quia ubi multitudo, ibi confuſio, „ cùm ſcilicet non ineſt ordo, ideò cum multorum ibi eſſent dominia, & ſine ordine, „ orta intèr eos diſcordia de cuſtodia, cùm „ omne Regnum in ſe ipſum diviſum deſoletur ſecundùm doctrinam Chriſti, idèo „ defertâ defenſione Civitatis quilibet conatus eſt evadere manus Sarracenorum nè caperetur. *Ita S. Antoninus*.

142 Utramq; cauſam complectitur Ptolomæus Lucenſis lib.14. cap.23. ubi agens de capta à Sarracenis Ptolemayda, ait: „ Cauſa „ autem iſtius captionis duplex fertur; una „ fuit diverſitas voluntatum in Dominis, „ quia non ſimul concordabant in regimine, „ ſive defenſione terræ; Erant autem ibidem „ ſex, vel ſeptem dominia, videlicèt Templarii, Hoſpitalarii, Teutonici, Conſul Piſanus, Rex Cypri, Rex Carolus, item „ Patriarcha. Propter hanc igitur diverſitatem Soldanus invaleſcit ad expugnandam „ Civitatem; cùm tamen inexpugnabilis diceretur. Secunda cauſa fuit ſtultitia Cruceſignatorum; Nicolaus enim Papa poſt „ perditionem Tripolitanam fecit prædicari „ Crucem per regiones, & ſubitò tranſeunt „ ſine capite in Achon; Cumque viderent „ Sarracenos portantes merces, injuriabantur „ eiſdem, & aliquandò ſpoliabant eos, interdùm verò occidebant; propter quam causã provocatus eſt Soldanus. *Hactenus Ptolomæus*. Hanc eandem cauſam idem prælaudatus S. Antoninus, nimirum par.3. titul.20. cap. 6. §. 9. recensère non omittit, inquiens: „ Violatæ ſunt treguæ per Chriſtianos contra Sarracenos deferentes mercimonia, & „ victualia ſub immunitate treguæ, ipſis prædatis & occiſis ibi, & in aliis caſalibus vicinis dictæ Civitati. Eâ propter Soldanus „ miſit oratores ſuos ad Dominos illos, qui „ erant in Acri querelam faciens de treguis „ violatis & damnis illatis, petens emendam „ injuriarum: Et quòd mitterentur ei aliqui „ ex illis, qui primi fuerant ad frangendum „ treguam, ut de illis ſupplicium paterentur: Quod illi denegarunt. Et propter hoc „ ad vindicandum injurias venit ad obſidionem Acri.

143 De Monialibus Clariſſis, Fratribuſque Minoribus eâ in Civitate captione pro Chriſto occiſis, idem Sanctus Antoninus pariter 3.part. tit. 24. cap.9. §.11. hanc narrat hiſtoriam, videlicèt: „ Circà idem tempus, „ Anno ſcilicèt Domini MCCXCI. Civitas „ Achon capta fuit per Sarracenos, occiſis „ ibi, vel captis pluſquàm triginta millia „ Chriſtianorum utriuſque ſexus. Cùm autem eſſet in Achon ſolemne Monaſterium „ Sanctæ Claræ Sororum, & Abbatiſſa captam Civitatem audiſſet, & Sarracenos „ intraſſe, zelo caſtitatis viriliter effecta „ omnes ſorores ad Capitulum convocavit, & prima facto ſermone ſalubri, nè „ à Sarracenis deluderentur, omnes ad Martyrium animavit; & ait: *Filiæ meæ, & ſorores contemnamus vitam iſtam; & ut immaculato Sponſo, immaculato corde, & corpore fortes in fide Domino noſtro Jeſu Chriſto nos valeamus offerre, & pretio proprii ſanguinis vitam interminabilem comparemus, quod me videritis facere, hoc & vos faciatis*. Virilis ergò mulier, gladio ſuo „ ſibi naſum proprium mutilavit, & fluente „ ſanguine totam faciem cruentavit. Animantur ſorores ad ſimilia, & facies ſuas diverſimodè vulnerantes ex cruore virgineo „ aſpectum horribilem aſpicientibus intulerunt. Quid plura? Intrant Sarraceni Monaſterium, evaginatis gladiis ſanguinem „ Chriſtianorum ſitientes. Occurrerunt Virgines ſacræ intrepidè non decorem, ſed „ horrorem canibus illis offerentes; qui primo videntes, obſtupuerunt, deindè horrentes omnes gladiis peremerunt; nempè „ in eo, quod ſe vulneraverunt, niſi excuſentur ex ſpeciali inſtinctu Spiritus Sancti „ hoc feciſſe, ſecundùm communem legem „ graviter peccaſſent. Fratres etiam Minores Conventus, qui ibi erant, interfecti „ ſunt à Sarracenis. *Hactenus Sanctus Antoninus*.

144 Captâ itaquè Ptolemayde, Soldanus facilè cæteras, quæ Chriſtianis parebant Civitates, Caſtra quoq; occupavit: „ Eodem „ die, *ait Sanutus cap.*12. quo Ptolemayda „ capta eſt, Tyrii Civitatem vacuam in Veſperis relinquentes victoribus, ſinè ictu „ gladii, abſquè tumultu belli occupandam „ liberè, aſcenſis navibus, reliquerunt: In „ craſtino verò Sarraceni intraverunt, nemine prohibente, feceruntque quod libuit. „ *Et infrà ſubjungit*: Templarii autem, qui „ priùs fugerant, Sydonem adeunt, & muniunt Caſtrum Maris. Contrà quos Soldanus unum Admiraldum tranſmiſit, nomine *Segei*, qui cùm eos ex parte terræ „ ſuperare non poſſet, in Lycia præparavit „ navigia. Quod cernentes Templarii timore percuſſi, ad Tortoſæ Inſulam primò, „ Cyprum deindè confugerunt. Admiraldus „ verò Caſtrum dirui juſſit. Tunc qui Baruthi erant Nuncios illi tranſmittunt, petentes quid de eis intenderet; reſponditque Subdolus *Segei*, cùm inter eos eſſet „ tregua conventio, & Soldanum, ideò ſibi „ per confines ſuos tranſeunti feſtivè occurrant. Illi dùm juſſa perficiunt, trucidantur, capiuntur, catenìſque nectuntur, diruitque muros Civitatis, & Caſtrum. Poſt „ hæc parvo elapſo tempore, Caſtrum Peregrinorum à Chriſtianis relinquitur, & à

Sar-

„ Sarracenis deſtruitur. Tunc omnis Syria „ amiſſa eſt, cunctique Chriſtiani habitatores Terræ promiſſionis, aut morte extincti „ ſunt, aut profugi, exuleſque ſuis demeritis indè ad Inſulam Cypri habuere refugium; illicque ſecùm manente, quam ſecùm in conſcientia portaverant, ſarcinâ „ peccatorum, & causâ deſolationis præfatæ, in multa anguſtia, multoque tremore „ miſeram vitam agunt. *Hactenus Sanutus*. Et itá finis rerum Chriſtianorum in Syria.

145 Conatus eſt Nicolaus pro poſſe damna reſarcire, datis mœſtiſſimis ad Occidentales Chriſtianos Principes literis, ut ipſos in Sarracenos concitaret, quæ apud Raynaldum legi poſſunt, præcipuè ad Annum MCCXCI. miſiſſe Pontificem in Inſulam Cypri xx. Triremes, auctor eſt Sanutus lib. 3. par. 13. cap. 1. inquiens: „ Cùm ad aures Summi Pontificis, Romanique Capituli, nova tàm infœlicia pervenerunt, afflictis fidelibus in Inſula „ Cypri xx. Galeas continuè tranſmiſerunt. „ Cyprenſes verò alias munierunt; quarum „ xxv. ad prœoccupādum quoddam Caſtrum, „ vocatum *Quandelor*, perrexerunt, quòd „ Turchi præſentientes taliter munierunt, „ ut nihil eis nocere potuerint. Indè autem „ recedentes, Alexandriam perrexerunt, & „ diebus aliquot immorantes, cùm nihil egiſſent, in Cyprum reverſæ ſunt. *Hæc Sanutus*. Alii ſcribunt, præfatum Pontificem ſexaginta millia Crucesignatos in Terræ Sanctæ ſubſidium ſuis ſumptibus, de exactis videlicèt decimis, miſiſſe, ut videre eſt apud Auctorem Annalium Colmarienſium ad hunc annum. Conſtat nàmque, non ſolùm literis excitaſſe Occidentales Principes ad præfatum ferendum ſubſidium, verùm, & univerſos Chriſtifideles, miſſis Encyclicis, quæ habentur in Bullario Romano v. hujus Pontificis, incipientes: *Illuminet ſuper vos Dominus vultum ſuum*. Sub datis apud Urbem Veterem Nonis Auguſti, ſui Pontificatus Anno IV. Alias fecerat pariter Encyclicas anteriores, ſub datis IV. Kalendas Aprilis, quibus hortabatur fideles ad accipiendam Crucem, & militandum pro Chriſto adversùs Infideles ſub vexillo Eduardi Anglorum Regis, qui, ut ait, in ſecundis literis transfretare debuerat Anno Domini MCCXCIII. in feſto Sancti Joannis Baptiſtæ, aſſignato ab eodem Pontifice termino: *Terminum*, ait, *feſtum videlicet Nativitatis Beati Joannis Baptiſtæ (quod erit, Anno Domini MCCXCIII. & ei ad transfretandum perſonaliter, nec non ad dictum generale paſſagium Crucesignatis, & Crucesignandis, omnibus duximus præfigendum) humiliter acceptavit*. Rex ſcilicèt Eduardus. Hæc tamen pii Pontificis ſtudia fruſtrà abiêre. Eo nàmque defuncto, diutiùs vacante Sede, ut infrà dicemus, Rex Angliæ arma adversùs Sarracenos parata in Gallos vertit: Veneti quoquè, & Januenſes propè Ajacium Urbem Armeniæ minoris nobiliſſimam, idem fecere, arma in invicem vertentes. Mutuis ergò Chtiſtianorum Principum diſcordiis furentibus, manſit apud Barbaros Syria, & univerſa Terra promiſſionis, ſub quorum jugo adhùc in præſens gemit, undiquè vaſtata, & contrita.

146 Eodem anno idem Nicolaus literas Argonis Tartarorum Regis, de quo ſuprà, accepit per Nuncium ab eodem Rege deſtinatum, quibus auxiliares copias Latinorum poſtulabat pro delendis Sarracenis. Quarè Pontifex duos alios ex Ordine Fratrum Minorum deſtinavit Nuncios, Fratrem ſcilicèt Guillelmum de Chyerio Pœnitentiariū Pontificium, & Fratrem Matthæum de Civitate Theatina, binis per eoſdem ferendis, & contradendis datis ad eundem Regem literis, quarum prima ſic incipit.

Magnifico viro Argoni Regi Tartarorum Illuſtri gratiam in præſenti, quæ ducat ad gloriam in futuro.

147 „ Solitâ benignitate recepimus literas, quas nobis per dilectum filium nobilem virum *Chaganum*, tuum Nuncium „ direxiſti, & ea, quæ continebantur in ipſis „ pleno collegimus intellectu. Nos autem „ Celſitudinis Regalis affectibus, quos in „ beneplacitum Domini dirigi cupimus, annuentes ſuper contentis in literis ſupradictis favorabiles, & affectuoſas literas, prout à nobis inſtantiùs poſtulaſti, chariſſimo „ in Chriſto filio noſtro Eduardo Illuſtri Regi Angliæ, duximus dirigendas.

148 Poſt hæc iterùm, quemadmodùm & in aliis fecerat ad eundem datis literis ſuprà recitatis, paternæ & ex intimo cordis affectu, hortatur, ut baptiſmum ſuſcipiat, nè diutiùs differat, & exemplo Nicolai ſui filii, jàm baptizati, ad illum recipiendum excitare conatur. In fine porrò prænominatos commendat Apoſtolicos Nuncios, inquiens: „ Ad hæc „ dilectos filios Fratres Guillelmū de Chyerio Pœnitentiarium noſtrum, & Matthæum „ de Civitate Theatina, Ordinis Minorum, „ latores præſentium, quos ad præſentiam „ Regiam pro tua, tuæque gentis ſalute deſtinamus, pro Apoſtolicæ Sedis, & noſtrâ „ reverentiâ benignè recipias, & favorabiliter proſequaris, illoſque diligenter audias, & conſiliis ipſorum ſalubribus efficaciter acquieſcas. Datum apud Urbem „ Veterem XII. Kalendas Septembris, Anno IV. *Hactenus literæ*, quas ex Vaticano Regeſto integras recitat Wadingus ad hunc Annum ſub num. v. Biduo poſt, alias eidem ſcripſit literas, quas Raynaldus exhibet ad hunc pariter Annum ſub num. 32. & in quibus agit de chriſtiana clade in Syria, & de ſtudio adhibito, ſivè adhibendo pro recupe-

ratione Terræ Sanctæ, curans ſimùl excitare eundem Regem ad idem opus præſtandum. Sic ergò præfatæ literæ ſe habent.

Magnifico viro Argoni Regi Tartarorum Illuſtri, gratiam in præſenti, quæ perducat ad gloriam in futuro.

149 „ Præcurrentis famæ relatibus, quæ „ literarum, & Nunciorum de more prævenit miſſionem, ad notitiam Regiam credimus jàm perductum, qualiter etiam non ſinè totius Chriſtianitatis opprobrio, Terra Sancta funiculus hęreditatis Dominicę, ac ſacratiſſimæ, & alia loca ejus ad manus devenerunt alienas, inter quæ, proh dolor! Acconenſis Civitas veniſſe dignoſcitur in ruinam. *Et poſt plura*. Cùm igitur ad recuperandam de manibus impii Terram ipſam ferventibus ſtudiis intendentes, cunctos Orbis terræ catholicos Reges, & Principes per noſtras literas excitemus, ob reverentiam Jeſu Chriſti opem pro viribus impendant, & operam ad hujuſmodi negotium celeriter, & fœliciter promovendum; & chariſſimus in Chriſto filius noſter Eduardus Rex Anglorum Illuſtris, prout ad tuam notitiam forſitàn jàm pervenit, vivificæ Crucis aſſumpto ſignaculo in brevi, auctore Domino, in manu potenti transfretare intendat; ac per univerſas Chriſtianitatis Provincias contrà nefandiſſimos Sarracenos ordinaverimus facere proponi ſolicitè verbum Crucis; firmaque nobis credulitas ſuggerat, quòd prætactum negotium, ſi tuæ potentiæ brachio fulciatur, votivum & feſtinum ſortietur effectum; Magnitudinem tuam rogamus, & hortamur attentè, inſtanter petimus, & requirimus confidenter, quatenùs promptis, & reverentibus animis ſacrum baptiſma recipiens, & divinis beneplacitis te coaptans, ad recuperationem celerem dictæ Terræ, ac etiam ad ſuorum hoſtium nequitiam & ſuperbiam conterendam, tuæ potentiæ vires exerceas, prout utiliùs Regiæ Magnitudo prudentiæ viderit expedire; ad id ſubditos tibi populos ſolicitis ſtudiis inducendo, ut tuo, & aliorum Regum, & Principum, ac aliorum fidelium auxilio ſuffragante, celeriùs recuperatio eadem valeat provenire, tuque ab eo, qui dat gratias, & præmia elargitur, condignæ retributionis impendia conſequaris, & præter humanæ laudis ſonora præconia tibi exindè proventura, nos Magnitudinem Regiam non immeritò commendemus. Ad hæc, multæ benignitatis affectum, quem Chriſtianis in partibus ipſis morantibus favorabiliter exhibes uberibus gratiis proſequentes, petimus, ut hujuſmodi affectum Regia Celſitudo continuet circà illos. *Poſteà commendat eoſdem duos Nuncios Minoritas, quorum monitis, ut aſſentiatur,* „ *conſulit*. Dat. apud Urbem Veterem x. „ Kal. Septembris, Anno IV.

150 Ex recitatis hiſce literis conſtat, non rectè Sanutum lib. 3. par. 13. cap. 8. tempus conſignaſſe obitus Argonis, quem ſcribit exceſſiſſe anno quarto Regni ſui, & Domini MCCLXXXIX. Sabellicum quoq; Ennead. 9. lib. 7. & Gordonum in ſua Chronologia, erraſſe apparet, dum mortuum dicunt Anno Domini MCCLXXXVIII. In errorem porrò Marini Sanuti abiit quoque Calviſius. Ex præfatis namque Nicolai literis certum ſit, adhùc Argonem ſuperſtitem fuiſſe Anno Domini MCCXCI. Nicolai Papæ anno IV. quo datæ leguntur: Et cui Argon paulò ante Nuncium ſuum deſtinaverat. Erant autem Argonis plures filii, inter quos præcipuè recenſentur, Nicolaus Saronus, & Caſſanus; ex his verò, Nicolaus erat ſacro regenerationis lavacro ablutus, nondùm tamen ſic renati alii duo. Ad omnes tamen Nicolaus Papa per eoſdem Religioſos Apoſtolicæ Sedis Nuncios literas miſit gratulatorias, ad Nicolaum propter ſuſceptum Baptiſmum, hortatorias ſimul, ut in recepta Chriſtiana fide conſtanter perſeveret, inſerens in ejs ſeriem fidei orthodoxæ profitendæ, quam Sancta Romana Eccleſia tenet & docet, eam ſcilicèt ſæpèdictam olim miſſam ad Græcos. Ad alios verò duos fecit literas hortatorias excitando illos ad fidem Chriſtianam amplectendam, & ſacrum quamprimùm Baptiſmum ſuſcipiendum. Quæ ergò datæ ſunt ad Nicolaum, ſic ſe habent.

Dilecto Filio Nobili Viro Nicolao Nato magnifici viri Argonis Regis Tartarorum Illuſtris.

151 „ Exultat cor noſtrum in Domino, „ à quo Univerſorum Chariſmatum dona manant, quod ſicut fide dignis aperitur aſſatibus, tu ſupernæ Claritatis radio illuſtratus, & Cæleſtis gratiæ benedictione præventus ad fontem Baptiſmatis, non ſine laudum ſonoro præconio promptis animis convolaſti, quòd eò acceptiùs, & gratiùs noſtris accedit affectibus, quo te ſinceriùs gerimus in viſceribus charitatis, tuæque ſalutis & honoris augmentum votis ferventibus affectamus. Rogamus igitur nobilitatem tuam, & hortamur in Filio Dei Patris, quatenùs circà Dona, & laudabilia opera & virtutes, per quæ Cælorum Regnum acquiritur, tanquam benedictionis filius, vigilantibus, & continuis ſtudiis te exercens Chriſtianam fidem, cujus præcelſis inſigniis te ſalubriter decoraſti, ſub mètis conſtantia, & ſinceræ devotionis affectu, ſtudeas obſervare, ut clara tuæ profeſſionis initia obſervationis continuæ laudabilis commendet effectus, cæterique tuo ſa-

„ ſalubri exemplo inducti ad ejuſdem aſſumptionem fidei propenſiùs excitentur, tuque „ poſt vitæ præſentis curricula, quæ nullius „ certitudinem ſtatus habent, æternæ Beatitudinis præmia, quæ ſuis electis reſervavit Altiſſimus, conſequaris. Cæterùm tibi affectuosè conſulimus, & attentè ſuademus, quòd in habitu, ſeu veſtibus, vel victu, nè inde materia diſſenſionis, aut ſcandali, contra te forſitan in Gente tua valeat ſuboriri; nullam mutationem facias; ſed in eis conſuetudinem illam ſerves, quam ante Baptiſmi lavacrum obſervaſti. Vt autem ipſius fidei ſeries tibi pleniùs innoteſcat, eam tibi annotatam inferiùs deſtinamus, quæ talis eſt: Credimus Sanctam Trinitatem, *& cætera, ſicut in ſuperioribus, ſed uſque ad illa verba*. Quibuſcumque aliis ſemper ſalva &c. Cæterùm dilectos filios fratres Guillelmum de Chyerio Pœnitentiarium noſtrum, & Matthæum de Civitate Theatina, Ordinis Minorum, latores præſentium, quos ad tuam præſentiam, & etiam ad partes tuas pro gentis tuæ ſalute dirigimus, pro Apoſtolicæ Sedis & noſtrâ reverentiâ benignè recipias, & favorabiliter proſequaris, impendendo eiſdem ſuper commiſſis ſibi Negotiis, cùm ab eis fueris requiſitus, auxilium, conſilium, & favorem. Datum apud Urbem Veterem XII. Kal. Septembris, Anno IV. *Hactenus literæ*. Quæ verò ad Saronem, & Caſſanum datæ, ſunt tenoris ſequentis.

Nobili viro Saroni Nato Magnifici viri Argonis Regis Tartarorum Illuſtris, gratiam in præſenti, quæ perducat ad gloriam in futuro.

152 „ Paſtoralis officii commiſſi Nobis à Domino debitum exigit, ut te ad ea, quæ tuæ ſalutis profectus, & honoris incrementa reſpiciunt, tibique in Orbe Terrarum laudum titulos afferunt, ſolicitis inducamus ſtudiis, & affectuoſis exhortationibus excitemus. Sanè tuæ Magnitudini cupimus aperiri, quòd Salvator Noſter Dei Filius Jeſus Chriſtus, de Summis Cœlorum ad ima Mundi, ut hominem, quem plaſmaverat, de nexibus ſervitutis eriperet, in quos ipſum impegerat maligna ſuggeſtio, clementi dignatione deſcendens, veſtem noſtræ mortalitatis aſſumpſit; ut proprii aſperſione cruoris incendia perpetui cruciatus extingueret, ac ſuos mortis æternæ tenebris obvolutos, vitæ perennis efficeret poſſeſſores, qui Mundum ſalutaribus inſtitutis informans, tandèm poſt ſanctæ converſationis, & operationis exempla, poſt Evangelicę inſtructionis eloquia, ad doctrinæ ſalutaris effectum diræ mortis ultrò ſupplicium ſubiit, & die tertiâ reſurrexit à mortuis glorioſus, qui priuſquã pateretur, Regni Cœlorum Claves Beato Petro Apoſtolorum Principi, & per eum ſuis duxit ſucceſſoribus committendas, per hoc eis tàm ſublimis poteſtatis auctoritatem impendens, ut quodcumque ſuper terram ligatum redderent, ligatum haberent in Cœlis, & quodcumque ſolverent ſuper terram, ſolutum exiſteret in eiſdem. Undè Nos, licèt inſufficientibus meritis Chriſti Vicarii, & ejuſdem Sancti Petri ſucceſſores in terris, diſponente Domino, conſtituti, affectu deſideramus eximio, ut fidei Chriſtianæ cultores ſalutaribus actibus immorentur: ac ii, quos fides eadem non agnovit, ad rectitudinis ſemitam, Auctore Domino, revocentur. Eandemque ſolicitè ſervent fidem, cùm ipſa ſit vera fides, & recta, ſine cujus comitante ſuffragio placère Domino nemo poteſt, quæ reatus expurgat, ſalutis commoda tribuit, quævè corda, menteſque purificat, & infidelitatis obſcurum ſuæ radiis expiat claritatis.

153 „ Excitamus itaque nobilitatem tuam, & attentiùs exhortamur, ſanò & ſincero tibi conſilio ſuadentes, quatenùs ſedulâ meditatione recogitans, quam ſit fragilis & caduca humanæ naturæ conditio, quàm plena periculis, quantis expoſita caſibus, quàm inſtabilis ſtatus ejus. Conſiderans etiam, quòd magnifici Principis Argonis Tartarorum Illuſtris tui Patris affectio ſincera dirigitur ad chriſtianam fidem, prout lętantes accepimus, aſſumendam, quòdque dilectus filius nobilis vir Nicolaus frater tuus, de ſua ſalute ſolicitus, & divinis beneplacitis ſe coaptans, ſacrum baptiſma ſuſcepit, ſedulòque recogitans, quòd à lege mortis mordentis omnia nullus excluditur, cùm omne quod naſcitur, neceſſariò moriatur, promptus aſſurgas, præſtò te offeras, paratus accedas ad agnitionem chriſtianæ fidei, ac ſuſcipiendum baptiſmatis Sacramentum, ad laudem Divini Nominis, tuæ ſalutis profectum, & augumentum fidei ſupradictæ, ut lucis ſuæ radio illuſtratus, te ſolertèr exerceas ad ejus fines laudabiliter ampliandos, ut poſt vitæ præſentis ergaſtulum à porta Inferi libereris, & ejus diris cruciatibus, pœniſque graviſſimis evitatis, æternæ beatitudinis præmia perpetuis duratura temporibus conſequaris, & extollatur glorioſè in ſæculo nomen tuum.

154 „ Ad hæc multæ benignitatis affectum, quem chriſtianis in partibus illis morantibus favorabiliter exhibes, uberibus gratiis proſequentes, petimus, ut hujuſmodì affectum tua nobilitas continuet circà illos. Cæterùm dilectos filios Fratres Guillelmum de Chyerio Pœnitentiarium noſtrum, & Matthæum de Civitate Theatina, Ordinis Minorum, latores præ-

„ ſentium, quos ad tuam præſentiam deſti-
„ namus pro tua, tuæque gentis ſalute, pro
„ Apoſtolicæ Sedis, & noſtrâ reverentiâ, be-
„ nignè recipias, & favorabiliter proſequa-
„ ris, illoſque diligenter audias, & ſalubri-
„ bus ipſorum conſiliis efficaciter acquieſcas.
„ Datum apud Urbem Veterem x. Kalendas
„ Septembris, Anno IV. *Hactenùs Nicolaus ad Saronem*; ex Vaticano Regeſto apud Wadingum. Similem ex eodem Regeſto Vaticano, & ſub eiſdem omninò terminis exhibet Raynaldus datam ad Caſſanum alterum Argonis filium. Quæ porrò ab eodem Nicolao Papa ſcripta eſt ad Reginam Tartarorum, tàm à Raynaldo, quàm à Wadingo, Epiſtola, recitatur, quæ ità ſe habet.

Chariſſimæ in Chriſto filiæ Aniebohamini Reginæ Tartarorum Illuſtri, ſalutem.

155 „ Gaudemus in Domino, à quo
„ univerſorum Chariſmatum dona manant,
„ quòd tu, ſicut habet fide digna relatio,
„ chriſtianæ fidei radio illuſtrata, ipſam &
„ intentis obſervas ſtudiis, & ad ejus agni-
„ tionem, ac terminos ampliandos attenta,
„ & ſolicita exhibes opem, & operam effica-
„ cem. Reverà chariſſima Filia, per hujuſ-
„ modi laudanda opera, & ſalubria ſtudia in
„ conſpectu Regis Æterni grata redderis, &
„ accepta, & dilatabuntur in ſæculo ſonora
„ præconia famæ tuæ. Excitamus igitur in
„ Domino Magnitudinem tuam, & horta-
„ mur in Filio Dei Patris, quatenùs mentis
„ tuæ oculis erectis ad Dominum, cujus ob-
„ ſequiis ſalubriter adhæſiſti, præmiſſa de
„ bono ſemper in meliùs proſequaris, ut eò
„ gratior, & præmiis digna majoribus oc-
„ curras Domino Deo tuo, quo uberiores
„ bonorum operum in ejus horreum manipu-
„ los introduces.

156 „ Cæterùm cùm nobiles viros Sa-
„ ronem, & Caſſanum fratres, filios viri
„ Magnifici Argonis Regis Tartarorum Il-
„ luſtris, ad aſſumendam fidem catholicam
„ per noſtras exhortatorias literas excite-
„ mus eos, ut precibus noſtris animis prom-
„ ptis obtemperent, prudenter inducere ſtu-
„ deas, prout tibi Dominus miniſtrabit.
„ Cùm autem dilectos filios Fratres Guillel-
„ mum de Chyerio Pœnitentiarium noſtrum,
„ & Matthæum de Civitate Theatina, Ordi-
„ nis Minorum, latores præſentium ad par-
„ tes ipſas pro ſalute gentis ipſarum fiducia-
„ liter deſtinemus, ipſos pro noſtra, & Apo-
„ ſtolicæ Sedis reverentiâ benignè recipias,
„ & favorabiliter proſequaris, eis ſuper com-
„ miſſis ſibi negotiis tuum favorem, & auxi-
„ lium, cùm ab eis requiſita fueris impen-
„ ſura. Nos enim benedictionem noſtram ti-
„ bi tenore præſentium in tuorum remiſſio-
„ nem dirigimus peccatorum. Datum apud
„ Urbem Veterem Idibus Auguſti, Anno
„ quarto.

157 Hanc ergò Reginam, chriſtianam fuiſſe, literæ præfatæ teſtantur; nec hanc ſolam, ſed aliam quoquè Tartarorum Reginam, nomine *Datbanicatum*, chriſtianæ militiæ nomen dediſſe, aliæ Nicolai literæ, ſed ejuſdem tenoris, totidèmque verbis ad eam datæ pariter ſignificant. Extant & Nicolai ſimiliter literæ datæ ad *Tagbarzar*, Exercitus Tartarorum Ducem, nondùm baptiſmate initiatum, ſed ejuſdem tenoris, ac ſub iiſdem verbis; ac leguntur literæ ad Saronem, & Caſſanum datæ, ex quibus colligitur, eo tempore, quo Græci ab orthodoxa fide receſſerant, apud Tartaros maximum incrementum ſuſcepiſſe. An Argon deniquè baptizatus fuerit, apud Scriptores non legitur, deceſſiſſe tamen poſt ultimas receptas Nicolai literas credendum eſt, cùm poſteà nulla ampliùs de eo mentio habeatur. Qui tamèn ei ſucceſſit in Imperio, *Quegatus* ſcilicèt peſſimus in moribus vir, alienus creditur fuiſſe à fide Chriſti, ſed parvo tempore regnavit, propter ejus vitia interfectus, ut ex Sanuto diximus ſuprà num. 119. *Baydo* tamen, qui poſt *Quegatum* regnavit, chriſtianus fuit, & fidelis, ait idem Sanutus, poſteà Caſſanus Baydonis ſucceſſor, quem præfatus Sanutus *Gazenum* nominat, & ad quem Nicolaus Papa ſcripſit, baptiſmum ſuſceperat. Id quod ex ſæpèdicto Sanuto colligitur, dùm ait, Sarracenos ſe illi parere exhibuiſſe, ejecto Baydone, dummodò fidem chriſtianam abjuraſſet, & mahumethanam amplexus fuiſſet legem, ut in præcitato loco diximus. Verùm hoc addendum eſt, adhæſiſſe quidèm Caſſanum Sarracenorum poſtulatis, verbo, ut Regnum acciperet, in effectu tamen ſectam Mauhemethi non eſſe ſecutum, ut ex iis, quæ ſubjungit Sanutus, evincitur, cùm ait:
„ Sic Bayto (*ideſt Baydo*) captus, & inter-
„ fectus eſt; regnavitque pro eo Gazenus
„ (*ſcilicet Caſſanus*) Argonis filius, qui in
„ Regni exordio mala intulit Chriſtianis;
„ ſuſtinuitque, ut Sarraceni Eccleſias Chri-
„ ſtianorum deſtruerent; ſed in Dominio fa-
„ ctus ſecurus, chriſtianis multa bona con-
„ tulit, & multos Sarracenorum Proceres
„ interfecit, eò quòd de lege Mahumeti eum
„ ſæpiùs moleſtarent. *Hæc Sanutus lib. 3. part. 13. cap. 8.* ut oſtendat, Caſſanum ſimulatè adhæſiſſe Sarracenis, Regni ſcilicèt cupiditate, chriſtianam fidem tamèn nunquàm reliquiſſe. Sed eo mortuo, Anno ſcilicèt MCCCIV. ut ſcribit Ayton cap. 45. Hiſtor. Orient. Et fratri ſuo jure teſtamenti relicto Regno, chriſtiana Religio apud Tartaros Perſidis plura mala ſuſtinuit. Erat nàmque prædictus frater, utiquè baptizatus, ille idem Nicolaus, ad quem Papa Nicolaus literas fecerat, appellatus tartarico nomine, *Carbagauda*: Sed ſuſcepto Regno, & mortuâ matre,

tre, relicto Chriſto, infami adhæſit Mahumeto. Indicat hæc idem Sanutus; clariùs tamen rem explicat Aytonus, loco mox citato, inquiens: „ Poſt hæc Caſſanus diem „ clauſit extremum, & ſucceſſit ſibi in Re- „ gno Carbaganda frater ſuus. Hic Car- „ baganda fuit filius cujuſdam bonæ memo- „ riæ Dominæ, quæ fuit vocata, *Eroqkaton*, „ quæ fuit in fide Chriſti devotiſſima & fide- „ lis, & quamdiù vixit, faciebat ſibi Divina „ Officia quotidiè celebrari, & tenebat chri- „ ſtianum Presbyterum, & Sacellum; undè „ iſte Carbaganda fuit baptizatus, & nomi- „ natus in ſuo baptiſmate Nicolaus; & quam- „ diù mater ejus vixit, in fide Chriſtiano- „ rum permanſit: Sed poſt obitum Dominæ „ matris ſuæ dilexit ſocietatem Sarraceno- „ rum; undè fide Chriſtianorum relictâ, ad- „ deſit ſectæ perfidi Mahumeti. *Hactenus ille*.

158 Nec ſolùm Tartaros ad fidem Chriſti ſuſcipiendam excitavit Nicolaus eodem quarto ſui Pontificatus Anno, ſed Bulgaros quoquè ad ineundam cum Sancta Romana Eccleſia unionem maximè ſolicitavit, datis literis ad Georgium Imperatorem Bulgarorum, & ad Archiepiſcopum ejuſdem Regionis, qui olim coràm Palæologo Imperatore ad agnoſcendam Romani Pontificis ſupremam auctoritatem, ſacramento ſe obſtrinxerat. Ad Regem ergò, ſivè Bulgarorum Imperatorem ad hunc modum ſcripſit Nicolaus.

Magnifico Principi Georgio Imperatori Bulgarorum Illuſtri, gratiam in præſenti, quæ perducat ad gloriam in futuro.

159 „ Ad curam Dominici gregis, ejus „ diſpoſitione vocati, qui cœleſtia, & terre- „ na virtutis ſuæ magnitudine providè mo- „ deratur, jugi reddimur attentione ſoliciti, „ ut univerſi mortales ſic in ſemitis manda- „ torum Domini greſſus ſuos dirigant, quod „ poſt curſum vitæ tranſitoriæ fœlicitatis „ æternæ bravium aſſequantur. Sanè ad hu- „ juſmodi bravium aſſequendum neceſſe eſt „ cuilibet, ut obſervet, & teneat firmiter „ fidem catholicam, quam tenet, profitetur, „ & docet Sacroſancta Romana Eccleſia Ma- „ ter Fidei & Magiſtra, ſinè qua nemo po- „ teſt Deo placere, nec ad perpetuæ Beati- „ tudinis gaudia pervenire. Hæc ſiquidèm „ fides charitatis eſt vinculum, & totius Re- „ ligionis ſanctiſſimæ fundamentum. Hæc „ peccatus expurgat, mentes purificat, tene- „ bras infidelitatis fugat, nubem erroris eli- „ minat, commoda ſalutis impendit, & æter- „ næ vitæ præmia ſuis Sectatoribus repro- „ mittit. Hæc, ut vera tenet Religio, alibi, „ quàm in communione ipſius Eccleſiæ Ro- „ manæ, quæ diſponente Jeſu Chriſto, no- „ ſtræ ſalutis auctore, ſola ſuper omnes Ec- „ cleſias ſummum, & præcipuum obtinet „ Principatum, ad ſalutem haberi non poteſt, „ ſicut in Arca Noe, per quam catholica Ec- „ cleſia deſignatnr, ſpiritualiter extitit figu- „ ratum, in qua cæteris pereuntibus, ii dum- „ taxàt, qui ſe receperunt infrà ipſam, ſal- „ vi ſuperinundante generali diluvio exti- „ terunt.

160 „ Quià verò, Princeps egregie, nos „ qui, licèt immeriti ejus, qui de ſupernis „ Cœlorum Sedibus ad ima Mundi deſcen- „ dens, carnem noſtræ mortalitatis aſſum- „ pſit, ut proprii aſperſione cruoris huma- „ num genus perpetuæ morti obnoxium à „ mortis nexibus miſericorditer liberaret, „ vices in terris gerimus, illa, quæ tuæ ſa- „ lutis augumentum reſpiciunt, tuumque „ nomen apud Deum, & homines magnifi- „ cant, & extollunt, totis deſideriis affecta- „ mus; Serenitatem tuam, cujus in hac par- „ te ſalutem exquirimus, attentè rogandam „ duximus, & in Jeſu Chriſto Dei Filio ſa- „ lutaribus monitis exhortandam, quatenùs „ fidem hujuſmodi, quam, ſicut præmitti- „ mus, tenet ipſa Romana Eccleſia & obſer- „ vat, inconcuſſam teneas, ipſam totis ni- „ ſibus, totiſque affectibus amplecti ſtudeas, „ & populos Imperio tuo ſubjectos ad tenen- „ dam eandem ſalubriter dirigas & inducas. „ Per hæc enim te Deo reddes acceptum, „ tibi æternæ retributionis acquires meri- „ tum, & magnificabis multipliciter in gen- „ tibus nomen tuum. Cæterùm, ut fides hu- „ juſmodi, & ejus forma Serenitati pleniùs „ innoteſcat, ipſam fecimus præſentibus an- „ notari, quæ tales ſunt. Credimus San- „ ctam Trinitatem, & cætera, ſicut in for- „ mula fidei ad Græcos. Datum apud Ur- „ bem Veterem x. Kalendas Aprilis, Anno „ quarto. *Hactenùs ad Imperatorem Bulgarorum*. Ad Patriarcham, ſivè Archiepiſco- „ pum ſic ſcripſit.

Nicolaus Epiſcopus &c. Archiepiſcopo Bulgarorum, gratiam in præſenti, quæ perducat ad gloriam in futuro.

161 „ Miſericors, & miſeriator Dominus, „ piâ miſeratione attendens humanum genus „ mortis perpetuæ nexibus, in quos ipſum „ impegerat inimici doloſa ſuggeſtio, miſe- „ rabiliter obvolutum, ut eam à morte libe- „ raret perpetua, & æternæ vitæ beatam „ conſtitueret poſſeſſionem, de excelſo ſolio „ ſancto ſuo ad ima Mundi deſcendit, ubi „ veſtem noſtræ mortalitatis indutus, ultrò „ morti ſe obtulit, & poſtmodùm die tertiâ „ reſurrexit, mortem noſtram deſtruens „ moriendo, & vitam reparans fœliciter reſur- „ gendo: Deinde de Mundo aſcenſurus in

Cœ-

,, Cœlum, ne gregi Dominico tanti aſper-
,, ſione cruoris, redempto cura deeſſet Paſto-
,, ris, Beatum Petrum Apoſtolorum Princi-
,, pem; & poſt eum omnes ejus in perpetuum
,, ſucceſſores Vicarios ſuos in terris conſti-
,, tuens, eis decrevit ſui gregis curam, & ſoli-
,, citudinem committendam.

162 ,, Sanè cùm nos, licèt inſufficentibus
,, meritis, ſimus ipſius Dei omnipotentis
,, Vicarii, & ejuſdem Apoſtolorum Principis
,, ſucceſſores, ex debito Paſtoralis officii, jugi
,, ſolicitudine attenti reddimur, ut univerſi,
,, quos per propagationem carnis humanæ
,, natura produxit in eſſe, ii potiſſimùm, quos
,, ſacri Baptiſmatis unda conſperſerit, actus
,, ſuos diſponant in lumine veritatis, & per
,, rectam mandatorum Domini gradientes
,, ſemitam, æternæ Beatitudinis gaudia con-
,, ſequantur. Porrò ad hanc Beatitudinem
,, aſſequendam neceſſariò exigitur, ut fides
,, Catholica, quam tenet, profitetur, &
,, docet ſacroſancta Romana Eccleſia, Mater
,, fidei, & Magiſtra, cui, licèt immeriti, præ-
,, ſidemus, firmiter & inviolabiliter tenea-
,, tur. Hæc enim charitatis eſt vinculum, &
,, totius Religionis ſanctiſſimæ fũdamentum.
,, Hæc reatus expurgat, mentes purificat,
,, tenebras infidelitatis fugat, nubem erroris
,, eliminat, commoda ſalutis impendit, &
,, æternæ vitæ gaudia ſuis ſectatoribus repro-
,, mittit. Hæc quippè alibi ad ſalutem habe-
,, ri non poteſt, quàm in communione ipſius
,, ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ, quæ Divi-
,, nis & Apoſtolicis oraculis univerſis Eccle-
,, ſiis eſt prælata, & ſuper omnes Summum
,, & præcipuum obtinet Principatum.

163 ,, Quia verò, Nos ea, quæ ſalutis
,, tuæ, ac populi, cui præes, incrementum
,, reſpiciunt, totis deſideriis affectamus,
,, fraternitatem tuam rogandam duximus, &
,, in Chriſti viſceribus exhortandam, quate-
,, nùs fidem hujuſmodi, quam, ſicut præmi-
,, ſimus, Romana tenet Eccleſia, & obſervat,
,, inconcuſsè prædices, teneas, ipſam prom-
,, ptis affectibus amplecti ſtudeas, & Magni-
,, ficum Principem Georgium Imperatorem
,, Bulgarorum Illuſtrem, cui ſuper hoc, ſa-
,, lutem zelantes ipſius, noſtras literas ex-
,, hortatorias deſtinamus; nec non, & popu-
,, los tuæ, ac ipſius ditioni ſubjectos ad fidem
,, tenendam eandem dirigas & inducas. Te-
,, net enim probabiliter noſtra credulitas,
,, quòd in iis juxtà Dei, & noſtrum benepla-
,, citum proſequendis exhibebis te volunta-
,, rium, facilem atque promptum, cum tu
,, (ſi tamen ille ſis, qui tunc erat Archiepiſco-
,, pus Bulgarorum, olim coràm quondàm
,, Magnifico viro Michaele Palæologo Impe-
,, ratore Græcorum Illuſtri, eo tempore
,, Conſtantinopoli reſidente, profeſſus fueris
,, in Palatio de Blachernia, deinde coràm
,, Nobis, ſicut à tua excidiſſe memoria non
,, credimus, Oraculo vivæ vocis te Papæ
,, Romano immediate ſubeſſe dixeris, tunc-
,, que ad hoc, ad quod te nunc inducimus,
,, diſpoſitus videbaris.

164 ,, Exhortationem igitur hujuſmodi,
,, frater Chariſſime, quæ de Charitatis radi-
,, ce procedit, devotè ſuſcipias, & ſtudio
,, efficaci adimplere procures, ut in retribu-
,, tione juſtorum extrema, tantò remunerari
,, donis potioribus merearis, quantò in hor-
,, reum Patris familias uberiores in te, ac aliis
,, bonorum operum manipulos introduces.
,, Cæterùm, ut fides, & ejus forma fraternitati
,, pleniùs innoteſcat, ipſam fecimus præſen-
,, tibus annotari, quæ talis eſt: Credimus
,, Sanctam Trinitatem, *& cætera, ut ſupra.*
,, Datum apud Urbem Veterem x. Kal. Apri-
,, lis, Anno IV. *Hactenus literæ.* Et quo-
niàm, huic tam optato negotio operam dabat
Elena Serviæ Regina, certioratus Nicolaus
per Nuncium ab ea miſſum, ſummè gaviſus
eſt, ac ad eam fecit ſequentes literas.

Chariſſimæ in Chriſto Filiæ Elenæ Reginæ Serviæ Illuſtri.

165 ,, Gaudemus, Filia Chariſſima, &
,, Patri luminum proinde ad gratiarum aſſur-
,, gimus ſupplices actiones, quòd ſicut per
,, dilectum filium Marinum Archidiaconum
,, Antibarenſem, tuæ Celſitudinis Nun-
,, cium, lætâ mente ſuſcepimus, Tu lumine
,, fidei Catholicæ divinitùs illuſtrata, ipſam
,, non ſolùm obſervare devotis affectibus
,, comprobaris, ſed alios etiam ad illius agni-
,, tionem, & ejus terminos propenſiùs dila-
,, tandos opem, & operam multæ ſolicitu-
,, dinis ſtudio non deſinis exhibere: propter
,, quòd in conſpectu Dei omnipotentis, cujus
,, cauſam proſequeris, te nimirùm reddis
,, acceptam, & attollis in Gentibus multi-
,, pliciter nomen tuum.

166 ,, Sanè cùm dilectus Archidiaconus
,, Nobis ex parte tuæ Celſitudinis duxerit
,, ſupplicandum, ut Magnifico Principi Geor-
,, gio Imperatori Bulgarorum Illuſtri, cum
,, quo ſuper reductione ipſius ad devotionem
,, ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ, ac fidei
,, Catholicæ unionem proponis habere collo-
,, quium hac æſtate, noſtras exhortatorias
,, literas ſcribere dignaremur. Nos hujuſ-
,, modi tuæ Serenitatis ſalubre propoſitum
,, condignis laudum præconiis attollentes,
,, eidem Imperatori, juxtà præfatæ ſuppli-
,, cationis oraculum, nec non Venerabili fra-
,, tri noſtro Archiepiſcopo Bulgarorum, ut
,, noſtris, ac tuis in hac parte deſideriis ſatiſ-
,, fiat, poteſt exiſtere plurimùm fructuoſus,
,, noſtras exhortatorias literas, prout expe-
,, dire vidimus, duximus dirigendas.

167 ,, Celſitudinem itaque tuam, filia
,, Chariſſima, rogamus, & in Jeſu Chriſti
,, viſceribus paternis affectibus, ſinceriſque
,, mentibus exhortamur, quatenus ad eum,

qui

,, qui poteſt facere mundum de immundo,
,, quique *Montes*, viros videlicèt eminentes,
,, de tuæ dignitatis faſtigio præſumentes,
,, *tangit*, eorum cordibus ſanctæ inſpiratio-
,, nis gratiam miſericorditer influendo, &
,, *fumigant*, Deo devotionis ſacrificium offe-
,, rendo, erigens oculos tuæ mentis, & in
,, ipſo ponens anchoram tuæ ſpei, negotium
,, hujuſmodi tàm laudabile, tàmque ſalubre
,, ad Dei laudem, Catholicæ fidei exalta-
,, tionem, & tui honorem nominis viriliter
,, proſequaris, ut quantò in horreum Domi-
,, nicum uberiores bonorum operum mani-
,, pulos in te, ac aliis reportaveris, tantò à
,, retributione bonorum omnium Remune-
,, ratori donis potioribus merearis. Datum
,, apud Urbem Veterem x. Kalendas Aprilis,
,, Anno IV. *Hactenus litera ad Serviæ Regi-*
,, *nam*.

168 Miranda eſt tanta Summi & pii Paſtoris ſolicitudo pro omnium ferè Gentium converſione, ut ex hactenùs deductis apparet: ſed mirandum eſt, nullam ſolicitudinem, nullumvè ſtudium adhibuiſſe pro revocandis ad verum Chriſti ovile miſeris Conſtantinopolitani Imperii Græcis, recenter ab unitate reſciſſis. Per univerſum ferè Orbem operarios Evangelicos deſtinavit, ad Tartaros, ad Perſas, ad Æthyopes, ad Armenos, ad Georgianos, ad Iberos, ad Jacobitas, ad Neſtorianos, aliasque valdè diſtantes Orbis nationes, Datis ad earundem Regionum Principes, Reges, Imperatores, Patriarchas, Archiepiſcopos, & Præſules literis, paternis refertis hortamentis, ut ad amplectendam, erroribus quibuſvis amotis, orthodoxam fidem, excitarentur: ſolos Græcos Imperii Conſtantinopolitani neglexit; Ad quos, nec literas conſtat ſcripſiſſe, nec Apoſtolicos viros, ut eos ab erroribus revocarent, miſiſse. Apparet namque eos reliquiſse, ſecundum deſideria cordis eorum, ut irent in adventionibus ſuis, Deo ſic permittente, juſtiſſimo, ac rectiſſimo judicio, in pœnam eorum perfidiæ, & tot vices violati ſacramenti. Videtur namque Nicolaum imitatum Apoſtolos Chriſti, qui propter duritiam cordis Judæorum, ipſis relictis Judæis converſi ſunt ad prædicandum Gentibus: Et optimè in caſu aptari poſſunt Pauli, & Barnabæ verba adverſùs contradicentes Judæos prolata, Actorum cap. 13. verſ. 46. *Vobis oportebat primùm loqui verbum Dei, ſed quoniàm repellitis illud, & indignos vos judicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad Gentes.*

DUBIUM INCIDENS.

An Clariſſæ illæ, quæ captà Ptolemayde, ſe mutilarunt, & ſic mutilatæ hoſtibus ſe interimendas exhibuerunt, talia ſine peccato egerint?

169 Duabus de cauſis ſibi mutilando manus intuliſſe, & facie cruentatâ hoſtibus ſe exhibuiſſe præfatas Clariſſas, tradit Antoninus, ut hac ſcilicet via in ſe Sarracenorum vitarent ſtupra, & intactâ Virginitate, ad Sponſum Chriſtum, cui illam devoverant, migrarent. At hujuſmodi causâ non potuiſſe cohoneſtare actum contrà Divinum & naturale jus perpetratum, multorum ſententiâ comprobari poteſt. Clamant namque ſacra eloquia Geneſ. cap. 9. *Quicumque effuderit ſanguinem humanum, effundetur ſanguis illius: Ad Imaginem quippe Dei factus eſt homo.* Unde & in Decalogo, Exodi 20. & Deuteronom. 6. Divina lege ſcriptum eſt: *Non occides*; quo non ſolùm prohibetur nequis alterum occidat, verùm nè ſeipſum quiſpiam occidat, ſecundùm S. Auguſtini doctrinam lib. 1. de Civit. cap. 20. inquiens; ,, Prohibitos nos eſſe in-
,, telligendum eſt, ubi lex ait: *Non occides*;
,, præſertim, quia non addit: *Proximum tuum*,
,, ſicut falſum teſtimonium, cùm vetaret;
,, *falſum*, inquit, *teſtimonium non dices ad-*
,, *versùs proximum tuum*. Nec ideò tamen ſi
,, adversùs ſeipſum quiſquam falſum teſti-
,, monium dixerit, ab hoc crimine ſe puta-
,, verit alienum; quoniàm regulam diligen-
,, di proximum à ſeipſo dilector accepit;
,, quandoquidèm ſcriptum eſt: *Diliges pro-*
,, *ximum tuum ſicut teipſum*. Porrò ſi falſi
,, teſtimonii non minùs reus eſt, qui de ſeip-
,, ſo falſum fatetur, quàm ſi adversùs proxi-
,, mum hoc faceret; cùm in eo præcepto,
,, quo falſum teſtimonium prohibetur, ad-
,, versùs proximum prohibeatur, poſſitque
,, non rectè inelligentibus videri non eſſe
,, prohibitum, ut adversùs ſeipſum quiſ-
,, quam falſus teſtis aſſiſtat; quantò magis
,, intelligendum eſt, non licere homini ſe-
,, ipſum occidere, cùm in eo, quod ſcriptum
,, eſt, *non occides*, nihilo deindè addito, nul-
,, lus, nec ipſe utiquè, cui præcipitur, in-
,, telligitur exceptus? *Et poſt alia, refutatâ*
,, *Marcionis ſententiâ, qui ad beſtias quoquè*
,, *non occidendas hoc conatus extendere præce-*
,, *ptum, ſubjungit*, reſtat, ut de homine in-
,, telligamus, quod dictum eſt: *non occides*,
,, non alterum, ergò nec te; neque enim
,, qui ſe occidit, aliud quàm hominem occidit.
Hactenus S. Auguſtinus.

170 Eandem tradit doctrinam, lib. 1. contrà duas Epiſtolas Gaudentii cap. 13. ubi Donatiſtam ſe occidentem perſtringit, inquiens:
,, De quantalibet innocentia glorieris, te-
,, ipſum innocentem, occidendo, innocens
eſſe

„ eſſe non poteris, niſi fortè mihi reſpon-
„ deas, & dicas: cùm me occido, non inno-
„ centem utiquè occido, quià ipsâ volunta-
„ te, quam me occidere ſtatuo, reus efficior
„ animo, priuſquàm corpus occidero. Hoc
„ ſi dicis, verum dicis, & miris modis te ac-
„ cuſando defendis. Cùm enim te oſtendis
„ in te occidendo, priùs ipſo propoſito fieri
„ nocentem, proculdubiò facinore perpetra-
„ to, nemo te convincet, quòd occideris in-
„ nocentem. Hac itaque ratione colligitur,
„ quòd cùm multi innocentes ab aliis occi-
„ dantur, à ſeipſo nullus innocens occida-
„ tur. Eâ quippè cogitatione, qua occidere
„ ſeipſe molitur, innocentiâ priùs expolia-
„ tur, ut cùm ſe occidit, non innocens mo-
„ riatur. *Hæc ille*. Et in Epiſt. *61*. ad Dul-
citium, loquens de Donatiſtis, qui diverſis
generibus mortis ſe ſuâ ſponte tradebant, ait:
„ De mortibus autem furioſiſſimis, quas qui-
„ dam eorum ipſi ſibi inferunt, de quibus ſo-
„ lent deteſtabiles & abominabiles eſſe mul-
„ tis, etiam ſuis, quorum mentes dementia
„ tanta non poſſedit, eis ſecundùm ſcriptu-
„ ras, rationemque Chriſtianorum ſæpè re-
„ ſpondimus, quoniàm ſcriptum eſt (*Eccleſ.*
„ 14. *verſ.5. Qui ſibi nequam, cui bonus?* Aut
„ certè in eiſdem poſitis tentationibus, mori
„ volentem occidat & proximum, qui ſibi
„ expedire, & licere putat occidere ſeipſum;
„ quoniam Scriptura dicit: *Diliges proxi-
„ mum tuum tanquàm teipſum*. Nullis autem
„ jubentibus legibus, vel legitimis poteſta-
„ tibus, non licere alterum occidere, etiam
„ volentem & petentem, & vivere jàm non
„ valentem, ſatis indicat Scriptura Regno-
„ rum; ubi Rex David Regis Saulis inter-
„ fectorem juſſit occidi, cùm ille dixiſſet ab
„ eo jàm ſaucio, atque ſemivivo petitum ſe
„ fuiſſe, ut hoc faceret, & animam corporis
„ nexibus obluctantem, ſolvique cupientem,
„ uno ictu vulneris, ab illis cruciatibus libe-
„ raret. Proindè, quià omnis, qui ſinè ulla
„ legitimæ poteſtatis auctoritate hominem
„ occidit, homicida eſt, quiſquis ſeipſum oc-
„ cidit non ſit homicida, ſi non homo eſt.
Hactenus S. Auguſtinus eo in loco.

171 Lactantius quoquè lib. 3. cap. 18. apertè eandem tradit doctrinam, inquiens:
„ Si homicida nefarius eſt, quià hominis ex-
„ tinctor eſt, eodem ſcelere obſtrictus eſt,
„ qui ſe necat, quià hominem necat, immò
„ verò majus eſſe id facinus exiſtimandum,
„ cujus ultio Deo ſoli ſubjacet. *Et item*. Si-
„ cut in hanc vitam non ſpontè noſtrâ veni-
„ mus, ità rursùs ex hoc domicilio corpo-
„ ris, quod nobis aſſignatum eſt, ejuſdem juſ-
„ ſu nobis recedendum eſt, qui nos in hoc
„ corpus indixit tamdiù habituros, donec
„ jubeat emitti, qua ratione nulli liceat ſe-
„ ipſum occidere. *Hactenùs Lactantius*. Et
conſonant, quæ Tullius, licèt Ethnicus, ſcri-
bit lib. 1. Tuſcul. Quæſt. ubi allatis Socratis,
& Catonis exemplis, qui ſibi manus intule-
rant, ſubjungit: „ Vetat enim dominans
„ ille in nobis Deus injuſſu hinc nos ſuo de-
„ migrare. Quùm verò cauſam juſtam Deus
„ ipſe dederit, ut tunc Socrati, nunc Ca-
„ toni (*horum facta, quaſi jubente Deo, ex-
„ cuſat*) ſæpè multis, nè ille medius Fidius
„ vir ſapiens lætus, ex his tenebris in lucem
„ illam exceſſerit; nec tamen illa vincula
„ carceris ruperit, leges enim vetant; ſed
„ tanquàm à Magiſtratu, aut ab aliqua pote-
„ ſtate legitima, ſic à Deo evocatus, atque
„ emiſſus exierit. *Hæc Tullius*. Sed Augu-
ſtinus chriſtanus, & Sanctus Doctor, factum
Catonis improbat, non laudat, lib. 1. de Ci-
vit. cap. 23. ubi hanc materiam ab exemplis
illorum, qui ſeipſos interemerunt, examinans,
ait.

172 „ At enim multi ſe interemerunt,
„ nè in manus hoſtium pervenirent. Non mo-
„ dò quærimus, utrùm ſit factum, ſed utrùm
„ fuerit faciendum. Sana quippe ratio etiam
„ exemplis anteponenda eſt, cui quidèm &
„ exempla concordant, ſed illa, quæ tantò
„ digniora ſunt imitatione, quantò excellen-
„ tiora pietate. Non fecerunt Patriarchæ,
„ non Prophetæ, non Apoſtoli: quia & ipſe
„ Dominus Chriſtus, quandò eos, ſi perſecu-
„ tionem paterentur, fugere admonuit de
„ Civitate in Civitatem, potuit admonere,
„ ut ſibi manus inferrent, nè in manus per-
„ ſequentium pervenirent. Porrò ſi hoc ille
„ non juſſit, aut monuit, ut hoc modo ſui ex
„ hac vita migrarent, quibus migrantibus
„ manſiones æternas ſe preparaturum eſſe
„ promiſit, quælibet exempla opponant Gen-
„ tes, quæ ignorant Deum, manifeſtum eſt
„ hoc non licere colentibus unum verum
„ Deum. Sed tamen etiam illi prǽter Lucre-
„ tiam, de qua ſuprà ſatis quòd videbatur
„ duximus, non facilè reperiunt, de cujus
„ auctoritate præſcribant, niſi illum Cato-
„ nem, qui ſe Uticæ occidit: non quia ſolus
„ id fecit, ſed quia vir doctus, & probus
„ habebatur, ut meritò putaretur rectè etiam
„ id fieri potuiſſe, vel poſſe quod fecit.

173 „ De cujus facto quid potiſſimùm
„ dicam, niſi quòd amici ejus, etiam docti
„ quidam viri, qui hoc fieri prudentiùs
„ diſſuadebant, imbecillioris, quàm fortioris
„ animi facinus eſſe cenſuerunt? Quo demõ-
„ ſtraretur non honeſtas turpia præcavens,
„ ſed infirmitas adverſa non ſuſtinens. Hoc
„ & ipſe Cato in ſuo clariſſimo filio indica-
„ vit. Nam ſi turpe erat ſub victoria Cæſaris
„ vivere, cùr auctor hujus turpitudinis Pater
„ Filio fuit, quem de Cæſaris benignitate
„ omnia ſperare præcepit? Cùr & non illum
„ ſecum coegit ad mortem? *Hæc & alia ibi
„ S. Auguſtinus*.

174 Præſtat quoquè in medium afferre, quæ Joſeph, ut tradit Ægeſippus lib. 3. de Excidio Urbis Hieroſolymæ, cap. 17. ſociis di-

dixit conſulentibus moriendum ſpontaneâ
ſibi illatâ morte, nè in Romanorum hoſtium
manus inciderent, & graviora ſupplicia capti-
vi ſuſtineri cogerentur, aut ab inimicis ipſis
occiderentur: ,, Sed objicitis, *inquit*, mihi
,, mortem maturam, cùm in poteſtatem ho-
,, ſtium fuero deductus. Quid ergò lucrifa-
,, ciam, ſi quòd ab hoſte metuo, hoc ipſe mihi
,, inferam, cùm poſſit accidere, ut quod ſua-
,, detis mihi facere, non faciat inimicus?
,, *Et poſtea*. An quia graviora ſupplicia exa-
,, cturus eſt adverſarius, ideò præveniendum
,, putatis? vel quia ſtrenuum arbitramini,
,, ut in nos ipſi ferro utamur? Sed imbecilli-
,, tatis ſuffragium eſt, non virtutis trophæum,
,, captare lucrum ſuppliciorum. In hoc igitur
,, inhæremus, quòd nec inſignia habeat forti-
,, tudinis, nec profectum utilitatis. Quid
,, autem attexam violari Depoſiti Religio-
,, nem? Deus omnipotens Theſaurum nobis
,, optimum dedit, atque incluſum in hoc vaſe
,, fictili, & conſignatum commiſit nobis
,, cuſtodiendum quoad ipſi placeat repoſcere.
,, Nonnè in utroque crimen eſt, vel reiicere
,, depoſitum, non repoſcente; qui dederit,
,, vel repoſcenti negare? ſi hominis depoſitum
,, violare, pœna infamiæ eſt, quantò magis
,, violare depoſitum Dei? Depoſitum Dei
,, in anima eſt in hoc corpore, anima, quæ
,, mortis iſtius capax non ſit. Non enim ullo
,, mortis vinculo aſtringitur, atque alliga-
,, tur, ſed videtur mortem operiri, cùm ſol-
,, vitur corpore, atque de commiſſo ſibi
,, contubernio ſejungitur. Cùr igitur ante
,, repetitum depoſitum mortem irrogamus,
,, & animam quaſi inutilem nobis remitti-
,, mus, atque è domo noſtra excludimus, &
,, Corpus ſine decore, & gratia ſuî in terram
,, reſolvimus? Cur exeundi hoc præceptum
,, non expectamus? *Et paulo poſt*. Eſt ergo,
,, qui prohibeat, niſi præceptum acceperit?
,, ſi nullum præceptum, nullum viaticum.
,, Et quomodo perveniemus ſine viatico?
,, Quis nos recipiet in illum purum & ſecre-
,, tum locum? Quis nos admittet ad illa ſan-
,, ctarum animarum conſortia. *Et infra*. Hæc
,, non ſolùm moribus hominum, ſed etiam
,, legibus interdicta accepimus: namque alii
,, inſepultos projici jubent eos, qui ſe in
,, ferrum dejecerunt. Dignum eſt enim, ut
,, qui Patris imperium non expectaverunt,
,, priventur quaſi quodam matris gremio,
,, terræ Sepulchro. Alii dexteram manum
,, abſcindunt defunctis, ut ſeparetur à mem-
,, bris ſui corporis, quæ adversùs corpus ſuum
,, veſano militavit furore. Sed hunc exitum
,, ſacrilegi ferunt, aut proditores, vel per-
,, cuſſores parentum, qui verum Patrem non
,, agnoverunt, nec ſe ſe cognoſcunt. Ideo
,, aut penitùs ſepeliri prohibentur, aut non
,, toti ſepeliuntur. Animas quoque eorum
,, non Paradiſus recipit, ſed inferorum tene-
,, bræ, ſævaque ſupplicia. *Hæc & alia Ioſephus*

175 Eadem Sententia eſt apud Platonem
in Phædone, poſt Initium, ubi Socratem in-
troducit de hoc argumẽto cum Cebete diſpu-
tantem; Cebete namque aſſerente ſe ſemper
audiviſſe, nefas eſſe homini ſibi manus inferre,
ſententiam Socratis omninò non rejecit, ſed
ſuâ reſponſione firmavit, inquiens: ,, At qui
,, videri quidèm poteſt id ſic abſurdum. For-
,, taſsè tamen quamdam habet rationem.
,, Profectò ſermo ille, qui de hiſce rebus in
,, arcano habetur, quòd nos homines ſumus
,, in quadam Cuſtodia, neque decet quem-
,, quam ex hac ſeipſum ſolvere, neque aufu-
,, gere, magnus quidem mihi videtur, neque
,, cognitu facilè. Verum tamen id mihi, ò Ce-
,, bes, rectè dici videtur, Deos quidem cu-
,, ram habere noſtri: Nos verò homines unam
,, quandam ex poſſeſſionibus eſſe Deorum:
,, An non ita tibi videtur? Mihi quidem,
,, inquit Cebes: Non igitur, inquit, & tu ſi
,, quòd ex mancipiis tuis ſeipſum perimet,
,, quùm tu minimè ſignificaſſes, velle te, ut è
,, vita excederet iraſcereris illi? Et ſi pote-
,, ſtatem haberes, pœnâ quâdam afficeres?
,, Omninò, inquit: Fortaſsè igitur hoc mo-
,, do non præter rationem eſt, non priùs de-
,, cere ſeipſum interficere, quam Deus
,, neceſſitatem aliquam impoſuerit, qualem
,, nobis impoſuit in præſentia.

176 ,, Conſentaneum id quidem appa-
,, ret, inquit Cebes; Quod verò dicebas
,, modò, Philoſophos perfacile velle mori.
,, Abſurdum, ò Socrates, videtur eſſe, ſi
,, quidem quod nunc diximus, rationem ha-
,, bet, Deum videlicèt noſtri curam gerere:
,, Nos verò ejus eſſe poſſeſſionem. Nullam
,, enim id rationem habet, prudentiſſimos
,, videlicèt homines non ægre ferre eâ curâ ſe
,, amoveri, quam illi præſtant Dii optimi
,, omnium rerum gubernatores. Numquam
,, enim putaret vir prudens ipſum ſe meliùs
,, eſſe curaturum, ſi liber evaſerit: ſed demens
,, aliquis forſitàn id putaret, fugiendum
,, ſcilicet eſſe à Domino: neque cogitaret
,, non eſſe id quòd bonum eſt fugiendum, ſed
,, in eo maximè permanendum. Ideoque abſ-
,, que ratione fugeret. Qui verò mentem ha-
,, bet, ſemper apud eum, qui ſit melior eſſe
,, cupit. Atque ita, ò Socrates, contrarium
,, ejus quod paulò ante dicebatur, probabi-
,, liùs eſt. Sapientes enim decet graviter mor-
,, tem ferre, Inſipientes verò libenter. *Ha-*
,, *ctenus ex Platone*.

177 Ex hoc enim teſtimonio S. Auguſti-
nus lib. 1. de Civitate Dei cap. 22. improbat
factum *Clembroti*, ſive *Ambraciotes*, ut
Lactantius lib. 3. cap. 18. nominat, qui lecto
Platonis libro de Immortalitate animæ, ſe
præcipitem dedit de muro ex hac vita ad eam,
quam credidit meliorem migraturus. *Quod
tamen magnè potiùs factum quàm bene* (inquit
Auguſtinus) *teſtis ei potuit eſſe Plato ipſe*,
quem legerat, *qui profectò id præcipuè*, *potiſſi-*

mumquè feciſſet, vel etiam fieri præcepiſſet, niſi eà mente, quâ immortalitatem animæ vidit, nequaquam faciendum, quin etiam prohibendum eſſe judicaſſet. Corrigitur etiam impium factum ab Ethnico Poeta Callimacho hoc Epigrammate.

Vita vale, muro præceps delapſus ab alto,
Dixiſti moriens Ambrociota puer:
Nullum in morte malum credens: ſed ſcripta Platonis;
Non ità erant animo percipienda tuo.

Lucretiam quoq;illam,nobilis generis,Romanã Collatini uxorem,& Bruti proprinquam,à Tarquinii Regis filio per vim adulteratam, reprehendit Auguſtinus, licèt à Romanis laudatam, quòd, ut infamiæ adulterii maculam ablueret, ſibi manum intuliſſet: *Quòd ergo*, ait Sanctus Doctor, *ſeipſam, quoniam adulterium pertulit, etiam non adulterata occidit, non eſt pudicitiæ Charitas, ſed pudoris infirmitas. Puduit enim eam turpitudinis alienæ in ſe commiſſæ, etiamſi non ſecum: & Romana mulier laudis avida, nimiùm verita eſt, nè putaretur quòd violenter eſt paſſa, cùm viveret, libenter paſſa ſi viveret.*

178 Ad hæc porrò ſubjungit Auguſtinus, Chriſtianas fœminas ſimilia paſſas, non ſic ſe egiſſe, nec ſecutas Lucretiæ exemplum: ,, Non hoc, *inquit*, fœminæ Chriſtianæ fecerunt, quæ paſſæ ſimilia, vivunt tamen, nec in ſe ultæ ſunt crimen alienum, nè aliorum ſceleribus adderent ſua, ſi quoniam hoſtes in eis concupiſcendo ſtupra commiſerant illæ in ſeipſis homicidia erubeſcendo committerent. Habent quippe intùs gloriam caſtitatis, teſtimonium conſcientiæ: habent autem coràm oculis Dei ſui, nec requirunt ampliùs, ubi quid rectè faciant, non ampliùs habent, nec devient ab auctoritate legis Divinæ, cùm malè devitant offenſionem ſuſpicionis humanæ. *Hactenus S. Auguſtinus.*

179 Hinc cap. 25. ejuſdem libri, apertè tradit, neque ad vitandum ſtuprum licere alicui ſibi manus inferre: Cùm enim ſeipſum occidere, peccatum ſit graviſſimum, non rectè agit, qui in præſenti peccat, nè in futurum peccet: ,, Quis ergò tam malus error obrepit, *inquit*, ut homo ſe occidat, vel quia in eum peccavit, vel ne in eum peccet inimicus: cùm vel peccatorem, vel peccaturum ipſum occidere non audeat inimicum? At enim timendum eſt, & cavendum, nè libidini hoſtoli ſubditum corpus illecebroſiſſimâ voluptate, animum alliciat conſentire peccato. Proinde, inquiunt, non iam propter alienum, ſed propter ſuum peccatum, antequàm hoc quiſque committat, ſe debet occidere. Nullo modo quidèm hoc faciet animus, ut conſentiat libidini carnis ſuæ alienâ libidine concitatæ, qui Deo potiùs, ejuſque Sapientiæ, quàm corporis concupiſcentiæ ſubjectus eſt. Verumtamèn ſi deteſtabile facinus, & damnabile ſcelus eſt, etiam ſeipſum hominem occidere, ſicut veritas manifeſta proclamat, quis ita deſipiat, ut dicat: Iam nunc peccemus, nè poſtea fortè peccemus: jam nunc perpetremus homicidium, nè fortè poſtea incidamus in adulterium? *Et paulò poſt.* Hæc dixi propter eos, vel eas, quæ non alieni, ſed proprii peccati devitandi causâ, nè ſub alterius libidine, etiam excitatæ ſuæ fortè conſentiant, vim ſibi, qua moriantur, inferendam putant.

180 Admonet porrò idem Sanctus Doctor in Epiſtola data ad Victorianum Præsbyterum, 122. Sanctas Virgines à Barbaris in captivitatem ductas, ad Deum oportere confugere, auxiliumque ab eo poſcere, nè patiatur, Ancillas ſuas ab hoſtibus corrumpi, aut illorum libidinoſis conatibus proſtitui: Quod ſi invitę comprimantur,nec mentis,nec corporis pudicitiam amittere declarat: ,, Donet ergò eis Dominus, *ait*, ut ei dicant, quod Azarias dixit in conſequentibus precum ſuarum: Non eſt in hoc tempore Princeps, & Propheta,& Dux(*& cætera,quæ habentur apud Danielem cap.3. à verſic.38.*) Hæc illis dicentibus, & ad Deum ingemiſcentibus omninò ſuis aderit, qui ſuis adeſſe conſuevit, & aut nihil in earum caſtiſſimis membris libidine hoſtili perpetrari permittet; aut ſi permittet, cùm earum animus nullâ conſenſionis turpitudine maculatur, etiam carnem ſuam defendet à crimine. Et quid quid in ea,nec commiſit, nec permiſit libido patientis, ſolius erit culpa facientis, omniſque illa violentia non pro corruptionis turpitudine, ſed pro paſſionis vulnere deputabitur. Tantùm enim in mente valet integritas caſtitatis, ut illa inviolata, nec in corpore poſſit pudicitia violari, cujus membra potuerunt ſuperari. *Hæc Auguſtinus*;& repetit in Epiſtola 180. data ad Honoratum Epiſcopum de fuga in Perſecutione, inquiens: ,, Magis timeamus nè ſenſu interiori corrupto, pereat caſtitas fidei, quàm nè fœminæ violenter conſtrupentur in carne: quia violentiâ non violatur pudicitia, ſi mente ſervatur, quoniam nec in carne violatur, quando voluntas patientis ſuâ turpiter carne non utitur, ſed ſine conſenſione tolerat quod alius operatur.

181 Fusè inde eandem tradit Doctrinam in ſæpe citato lib.1. de Civit. cap.18. ubi ait: ,, Cùr autem homo, qui mali nihil facit, ſibi malè faciat, & ſeipſum interficiendo, hominem interficiat innocentem, nè alium patiatur nocentem: atque in ſe perpetret peccatum proprium, nè in eo perpetretur alienum? At enim, nè vel aliena polluat libido metuitur. Non polluet,ſi aliena erit. Si autem polluet, aliena non erit. Sed cum pudicitia virtus ſit animi; comitemque habeat fortitudinem, quàm potiùs

quæ-

„ quælibet mala tolerare, quàm malo con-
„ ſentire decernat? Nullus autem magnani-
„ mus & pudicus in poteſtate habeat, quid
„ de ſua carne fiat, ſed tantùm quid annuat
„ mente, vel renuat. Quis tandem ſanâ men-
„ te putaverit ſe perdere pudicitiam, ſi fortè
„ in apprehenſa & oppreſſa carne ſua exercea-
„ tur, & expleatur libido non ſua? Si enim
„ hoc modo pudicitia perit, profectò pudi-
„ citia virtus animi non erit, nec pertinebit
„ ad ea bona, quibus benè vivitur. *Et paulò*
„ *poſt*. Si autem animi bonum eſt, etiam
„ oppreſſo corpore non amittitur. *Et item*.
„ Hinc potiùs admoneamur, ita non amitti
„ corporis ſanctitatem, manente animi ſancti-
„ tate, etiam corpore oppreſſo, ſicut amit-
„ titur corporis ſanctitas violatâ animi ſan-
„ ctitate, etiam corpore intacto. Quam-
„ obrèm, quia non habet, quòd in ſe morte
„ ſpontaneâ puniat fœmina ſine ulla conſen-
„ ſione ſua violenter oppreſſa, & alieno com-
„ preſſa peccato: quantò minus antequàm
„ hoc fiat, nè admittatur homicidium cer-
„ tum, cùm ipſum flagitium, quamvis alie-
„ num, adhùc pendet incertum? *Hactenus S. Auguſtinus*.

182 Ex hactenùs deductis fit certum, ſecundùm communem legem, nemini licere, nec alium, nec ſeipſum occidere, nullâ de cauſa, nec ad vitandum peccatum futurum, nec pro conſervanda pudicitia, aut intacta Virginitate, licèt probabiliter, immò & quaſi certò pudica aliqua virgo cognoſceret, vivendo, ſe à Barbaris, & hoſtibus ſtuprandam. Ac ita ſequendo hanc communem legem, præfatas Clariſſas Ptolemaydenſes, ſe pro ſervanda Virginitate mutilando, mutilitas & cruentatas hoſtibus exhibendo, non rectè, nec ſine peccato, ſe gerere potuiſſe concludi oportet. Nec dicas, eas non ſibi ad necem manus intuliſſe, quoniam conſtat, non à ſemetipſis, ſed à Barbaris occiſæ, mutilaſſe tamen ſe ſe. Quoniam, nec licet alicui membrum proprii corporis abſcindere, ſicut non licet, & grave peccatum eſt, ſi hoc agat in alium: eadem ratione, quâ non licet alium occidere, non licet ſeipſum occidere: ſic ſi non licet proximum in membris mutilare, nec licebit hoc perpetrare in ſeipſum. Et Beatus Auguſtinus lib. I. contra Gaudentium cap. 19. probat, hoc pariter non licère, ex verbis Apoſtoli ad Galatas cap. 4. dicentis. *Teſtimonium vobis perhibeo, quia ſi fieri poſſet, oculos eruiſſetis, & dediſſetis mihi*. Ubi ſubjungit Sanctus Doctor, inquiens: *Cùr enim & hoc fieri non poſſet, niſi quia juſtè fieri nullo modo poſſet?* Hinc Sancta Eccleſia, eos, qui ſeipſos, etiam ob ſervandæ Caſtitatis motivum abſcindunt damnat, & irregulares omninò efficit, ut Can. I. Concilii Nicæni. Et quidem non ob defectum naturæ, ſed propter culpam, quoniam per vim ab aliis abſciſſos, Canon poſſe ordinari, decernit, quemadmodùm & de ſectis à Medicis ſtatuit: ratio abducitur in Canone 21. Apoſtolorum, *quia ſui ipſius homicida eſt, & Dei conditionis inimicus*. Et de Laicis ſancitur pœna, Can. 24. Apoſtolorum: *Laicus ſemetipſum abſcindens, annis tribus communione privetur*: Et cauſam affert: *quia ſuæ vitæ inſidiator extitit*. Non ergò licet alicui ſeipſum mutilare, etiam ad bonum finem.

183 Sed fortaſsè dicet aliquis, Chriſtum in Evangelio, Matthæi cap. 5. docere oculùm ſcandalizantem eſſe eruendum, manum, vel pedem ſimilia perpetrantes, eſſe abſcindendos: *ſi oculus tuus dexter ſcandalizat te, erue eum, & proiice abs te*. Et item. *Si dextera manus tua ſcandalizat te, abſcide eam, & proiice abs te*. Et rationem allegat, ſubjungens: *Expedit enim tibi, ut pereat unum membrorum tuorum, quàm totum corpus tuum mittatur in gehennam*. Licebit ergo, ſecundùm Catholicam hanc doctrinam, ad vitandam offenſionem, & futurum peccatum, cuilibet ſibi membrum aliquod corporis abſcindere, nè propter illius membri offenſionem totum corpus pereat, & in gehennam mittatur.

184 Ad hæc dicendum, non litterali ſenſu verba illa accipienda, nec de corporeo oculo, ac corporeis membris loqui ibi Salvatorem. Dicit quoque idem Dominus, Matthæi cap. 19. *Sunt Eunuchi, qui ſeipſos caſtraverunt propter Regnum Cælorum*. Et tamen non licet alicui ſeipſum caſtrare, ſibique virilia amputare: nam & Origenes propter hanc ſententiam abſciſſus, damnatus eſt ab Epiſcopo Demetrio, de quo Euſebius lib. 6. Hiſt. & Epiphanius in Panario plura ſcribunt. Quoniam Domini ſententia non literali ſenſu, & de corporali caſtratione eſt intelligenda. Unde Beatus Hieronymus exponens allegata Chriſti verba, Matthæi cap. 5. ait: *Per dexteram autem, & cæteras corporis partes, voluntatis affectus initia demonſtrantur*. Et paulò poſt. *In dextero oculo, & dextera manu, fratrum, uxoris, & liberorum, atque affinium, & propinquorum monſtratur affectus*. Cohærent verba S. Joannis Chryſoſtomi Homil. XVII. in cap. 5. Matthæi, ubi ait: *Propterea iſta mandavit, cùm utique non de membrorum diſturbanda compage diſſerat: abſit. Nuſquam enim carnis crimen id eſſe enunciat, ſed utique malum arguit voluntatis*. Et paulò poſt. *Quòd ſi de membris iſta loqueretur, nequaquam vel de uno, vel de dextero id oculo, ſed indifferenter de utroque*. Et inde. *Quam igitur ob cauſam dexterum poſuit, & manum adjecit? ut ſcilicet diſceres, non de membris eſſe ſermonem, ſed his potiùs, qui nobis familiaritate junguntur. Et ſi igitur tantùm aliquem diligas, ut eo dextri oculi utaris vice, aut ita tibi quempiam eſſe utilem putes, ut eum dexteræ manus ducas loco, & hi tamen animæ tuæ fortaſſis incommodent: etiam iſtos à te, inquit, abſcinde*.

185 His tamen non obſtantibus, tùm in Sacra Scriptura quoſdam laudari legimus,

qui ſe ipſos occiderunt, quoſdam pariter ut Sanctos in Sancta Dei Eccleſia,qui ſimilia licèt egiſſent, venerari novimus. Sampſon namque inter veteris Teſtamenti Sanctos recenſetur ab Apoſtolo in Epiſtola ad Hebræos, cap. xi. *Deficiet enim me tempus*, inquit, *enarrantem de Gedeon,Barac,Sampſon,Jephte, David, Samuel,& Prophetis: qui per fidem vicerunt regna, operati ſunt juſtitiam, adepti ſunt repromiſſiones*: Et tamen hiſtoria libri Judicum, cap. 16. tradit, Sampſonem mortem ſibi voluntariam intuliſſe, ut & Philiſteos unà ſecum occideret, apprehenſis namque duabus columnis, quibus Domus, ubi Philiſthiim congregati erant, clamaſſe, ait Scriptura: *Moriatur anima mea cum Philiſthiim*, inde excuſſis, ruiſſe Domum, ipſumque cum Philiſthiim occubuiſſe, ſubiungit. Eleazarus quoque, ut tradit hiſtoria Machabæorum lib. 1. cap. 6. Cùm vidiſſet unam ex beſtiis loricatam, ac exiſtimaſſet ſuper eam ſedere Antiochum Regem: *Cucurrit*, ait Scriptura, *ad eam audacter in medio legionis, interficiens à dexteris, & à ſiniſtris, & cadebant ab eo hùc atque illuc. Et ivit ſub pedes Elephantis, & ſuppoſuit ſe ei: & occidit eum: & cecidit in terram ſuper ipſum, & mortuus eſt illic*. Hunc tamen mirè laudat S. Ambroſius lib. 1. de Officiis, cap. 40. ubi recenſitâ huius viri hiſtoriâ,ait: „ Quanta igitur vir-
„ tus animi! Primò, ut mortem non time-
„ ret; deinde, ut circumfuſus legionibus
„ inimicorum, in confertos raperetur ho-
„ ſtes, medium penetraret agmen, & con
„ temptâ morte ferocior, abjecto clypeo,
„ utraque manu vulneratæ molem beſtiæ
„ ſubiret, ac ſuſtineret, poſt infra ipſam
„ ſuccederet, quò pleniori feriret ictu,
„ cuius ruina incluſus magis quàm oppreſ-
„ ſus ſuo eſt ſepultus triumpho. *Et in fine*
„ *concludens*: Itaque, inquit, Eleazarus,
„ hæredem virtutis ſuæ pacem reliquit.
Hæc ille. Antiochus namque Eupator, territus unius viri fortitudine, pacem Iudæis dedit, ut eadem ſacra recenſet hiſtoria.

186 Deinde idem Sanctus Ambroſius lib. 3. de Virginibus, quærit: *Quid ſuper eorum meritis, exiſtimandum ſit, qui ſe præcipitavere ex alto, vel in fluvium demerſerunt, ne perſecutorum inciderent manus, cùm Scriptura Divina vim ſibi Chriſtianum prohibeat inferre*. Et inde nonnullas Virgines, quæ ſibi manus intulerunt, ne à Tyrannis raptæ violarentur, inter Martyres adnumerat: *Et quidem*, ſubjungit, *de Virginibus in neceſſitate cuſtodiæ conſtitutis tandem habemus aſſertionem, cùm martyrii extet exemplum*. Ac ſtatim in medium adducit Pelagiæ Antiochenæ exemplum, ac ſororum eius; Hæ namque Virgines unà cum Matre, ut corpora inviolata ſervarent, intentata à perfidis ſatellitibus ſtupra, vitarent, in flumen ſe præcipites dederunt: quibus martyrii palmam nequaquàm ademptam, teſtatur Ambroſius, ac eas magnis laudibus exornat. Euſebius verò lib. 8. hiſtor. cap. 12. antiquæ editionis, alias 24. ex verſione Chriſtoforſoni, harum meminit, licèt ſuppreſſo nomine. Et cap. 17. eiuſdem antiquæ editionis, ſcribit de Sophronia nobili Romana, Religione Chriſtiana, Præfecti Urbis uxore, quæ, nè à Tyranno Maxentio violaretur, ſibi mortem indidit, quam plurimùm laudat, & extollit. De Sancta Apollonia, Eccleſiaſtica narrat hiſtoria, quòd ſuâ ſponte in rogum paratum à Tyranno ſe injecit. Et inter Martyres eam Sancta Eccleſia recepit.

187 His verò ſtantibus, ait Sanctus Auguſtinus lib. 1. de Civitate Dei, cap. 21. à peccato homicidii eſſe eos exemptos,qui,Deo jubente, ſeipſos interimunt: „ Quaſdam
„ verò exceptiones, *iniquit*, eadem ipſa
„ Divina facit auctoritas, ut liceat homi-
„ nem occidi; ſed his exceptis, quos Deus
„ occidi jubet, ſive datâ lege, ſive ad per-
„ ſonam pro tempore expreſſa juſſione. *Et*
„ *infra*: Nec Sampſon aliter excuſatur,
„ quòd ſeipſum cum hoſtibus ruinâ domus
„ oppreſſit: niſi quia ſpiritus latenter hoc
„ juſſerat, qui per illum miracula faciebat.
Hæc ibi Auguſtinus, qui, & libro contra Gaudentium, cap. 31. idem de Sampſone repetit, inquiens: „ Quòd cum inimicis occi-
„ dit & ſeipſum, quando ſuper ſe, atque
„ illos evertit domum, mortem, quam mox
„ ab eis fuerat perpeſſurus, communem vo-
„ luit cum illis habere, quam non poſſet
„ evadere. Quod quidem non ſuâ ſponte
„ fecit, ſed hoc ſpiritui Dei tribuendum
„ eſt, qui uſus eſt eo, ut faceret, quando illi
„ affuit, quod facere non poterat quamdiù
„ idem ſpiritus defuit.

188 De Sanctis porrò Virginibus, quæ ſibi manus intulerunt, vel in fluminibus præcipites necaturæ ſe dederunt, ad vitandos ſuæ pudicitiæ inſectatores, quas, ut Chriſti Martyres Sancta veneratur Eccleſia: cap. 26. ejuſdem libri, hæc habet Auguſtinus: „ Sed quædam, ait, inquiunt,
„ Sanctæ fœminæ tempore perſecutionis, ut
„ inſectatores ſuæ pudicitiæ devitarent, in
„ rapturum, atque necaturum ſe flumen pro-
„ jecerunt: eoque modo defunctæ ſunt,
„ earumque martyria in Catholica Eccle-
„ ſia veneratione celeberrimâ frequentan-
„ tur. De his nihil temerè audeo judicare.
„ Utrùm enim Eccleſiæ aliquibus fide di-
„ gnis teſtificationibus, ut eorum memo-
„ riam ſic honoret, Divina perſuaſerit au-
„ ctoritas, neſcio: & fieri poteſt, ut ita ſit.
„ Quid ſi enim hoc fecerunt non humani-
„ tùs deceptæ, ſed divinitùs juſſæ, nec er-
„ rantes, ſed obedientes: Sicut de Sampſo-
„ ne aliud nobis fas non eſt credere. Cùm
„ autem Deus jubet, ſeque jubere ſine ullis
„ ambagibus intimat, quis obedientiam in

cri-

„ crimen vocet? Quis obſequium pietatis accuſet? *Hæc S. Doctor.*

189 Itaque, etſi non licet cuilibet ſibi manus intulere privatâ auctoritate, licet tamen, jubente Deo, ac Spiritu Sancto ſuggerente, ſicut, & Pelagiæ licuit, & Apolloniæ, & Sampſoni, nec ab Eccleſia reprobantur, nec à Sancta damnantur Scriptura. Numquid ergo damnandæ erunt Clariſſæ Ptolemaydenſes? Abſit, ut hoc dicamus. Spiritu Dei certè inſpiratas talia perpetraſſe fatendum eſt, nam non una fuit, non duæ, vel tres, ſed quinquaginta, & ſecundùm aliquos, ſeptuaginta: Non enim probabile eſt, tot ſacratas fœminas in idem conſenſiſſe, nec quidem unâ reluctante, niſi in eis idem Dei Spiritus adfuiſſet, qui ad id excitaret. Nam conſenſus omnium in electionem arguit ſpecialem Spiritus Sancti impulſum, ut ait D. Ambroſius relatus à Paſchali II. in Epiſt. 96. ad Henricum Anglorum Regem: *Ubi univerſorum poſtulatio congruit, dubitare nos non oportet, ibi Dominum Jeſum, & voluntatis auctorem, & petitionis arbitrum fore*. Et quoties, nemine diſcrepante, univerſi electores in unum conſentiunt, nullo peracto etiam ſcrutinio cenſetur electio facta per communem inſpirationem, videlicet ſpeciali influxu Spiritus Sancti: ſic ergo ſi præfatæ Clariſſæ Matris monitis, & hortamentis auditis, pro ſervanda pudicitia in idem conſenſerunt, nè quidem unâ reluctante, concludi licebit, Spiritus Sancti afflatu motas talia egiſſe, quæ ad conſervandam pudicitiam in tàm imminenti periculo agenda putarunt. Ac proinde ſine crimine, & cum Virginitatis laurea, & quaſi Martyrii, ad Sponſum migraſſe piè credendum eſſe, cenſeo; nam idem Beatus Antoninus ex hoc motivo eas excuſat. Sicut Beatus Auguſtinus excuſat alias fœminas, quas ſupra recenſuimus.

CAPUT IV.

De Cœleſtini V. electione, ejuſque abdicatione, & Bonifacii VIII. ſubſtitutione; de ejuſdem Bonifacii ſtudio pro eripiendo de Græcorum manibus Imperio; de diverſis eorundem Græcorum cladibus; & de his, quæ geſta ſunt pro recuperanda Syria.

190 INeunte Anno V. Pontificatus Nicolai IV. Anno nimirum Domini MCCXCII. Andronici Imperatoris Græcorum Anno IX., & I. Adulphi Romanorum Regis, Indictione v. obiit idem Nicolaus Papa, de quo Sanctus Antoninns 3. par. titul. 20. cap. 7. in principio, ait: *Anno Domini MCCXCII. Nicolaus Papa IV. appoſitus eſt ad Patres ſuos: reputatus rectus homo, & ſanctæ converſationis*. Et iterùm titul. 24. cap. 9. §. 7. de eodem fuſiùs agens, ejus miro modo commendat virtutes, & quomodo ante Cardinalatum, & poſt ſe geſſerit Cardinalatum ſcribit, inquiens: „ Qui Cardinalis effectus, humilitatis gloriam, quæ priùs in eo relucebat, ita prudenter ſervavit, ut miro modo communiter, & humiliter ageret, & honorem nihilominùs dignitatis maturitate honeſtiſſimâ retineret. Confeſſus eſt ſæpè, multùm tamen ſobriè, ſed certò, ut dicebat ſermone, quod potiùs vellet coquinam fratribus facere, quàm Cardinalatùs faſtigio præeminere, ſeque aliter obſtiturum fuiſſe gradui illi, niſi offenſam ordinis timuiſſet. *Hactenus Sanctus Antoninus*. Vetus porrò Epitaphium humili ſuo appoſitum ſepulcro, exſcriptum à Wadingo ad hunc annum ſub num. 6. ſervaſſe eandem animi moderationem etiam in Pontificatu, ſatis demonſtrat, licèt ex rudi, & inconcinno carmine exaratum; ſic ſe habens.

Hic tumulus tumulat humilem, qui faſcibus auctus,
Sic moriens ſtatuit oſſa manere ſua.
Hunc Franciſcus alit, cardo ut ſit, almaque Petri.
Sedes magnificat; Gratia Dei beat.
Quartus Papa fuit Nicolaus: Virginis ædem.
Hanc lapſam reficit, ſitque vetuſta nova.
Petrus Apoſtolus ſocium, Franciſcus alumnum.
Protegat omnipotens, matre rogante beet.

191 Menſe Decembri fato functum Nicolaum, ſcribit Trithemius in Chronico Hirſaugienſi, ubi ſediſſet Annos IV. menſem unum, & dies VIII. Ex quo idem refert, auctor Vitæ Nicolai apud Labæum, & Binium, qui, & obiiſſe tradit Anno Domini MCCXCI. Verùm hic auctor ſibi non cohæret: Scribit namque, Nicolaum creatum Pontificem Anno Domini MCCLXXXVIII. menſe Feburario, die XXII. videlicet VIII. Kal. Martii. Non ergo hoc ſtante potuit ſediſſe Annos IV. menſem I. & dies VIII. conſignato ejus obitu menſe Decembri Anni Domini MCCXCI. Hoc pacto ſediſſe neceſſe eſt aſſeri Annos III. & menſes circiter decem. Hinc errat quoque Jacobus Cardinalis S. Georgii ad Velum Aureum, apud Raynaldum ad hunc annum ſub num. 17. Conſignans ejuſdem Pontificis obitum ſub Anno Domini MCCXC. inquiens: *Anno Domini MCCXC. Nicolaus Papa IV. Pontificatus ſui annum quintum agens, ipſiuſque quinti principio, ſenio confectus, Romæ obiit*. Si enim agebat Annum V. ſui Pontificatus, ut recte adnotat, non potuit obiiſſe Anno MCCXC.

192 Itaque aſſerimus cum communiori Scriptorum ſententia, ut jam fati ſumus, Nicolaum obiiſſe Anno Domini MCCXCII. in die Paraſceve, ſcribit Bernardus, vel in die Paſchæ, ut notat auctor Appendicis ad Martinum Polonum. Die IV. Aprilis, ait Calviſius ex Onufrio, quæ quidem opinio concordat cum illa Bernardi aſſerentis, obiiſſe in die Paraſceve, quæ eo anno incidit in diem IV. Aprilis. Et ita legitur in novo Epitaphio recenti Mauſoleo exculpto ubi habetur: *Obiit Pridie Non. April. MCCXCII. Pontif. ſui An. V.* Et ita, data ejus creatione ſub die XXII. Februarii, ſequitur ſediſſe Annos IV. menſem unum, dies verò VIII. vel IX. ſi verò concedatur creatum die XIII. Februarii, ut ſupra oſtendimus, ſediſſe dicendum erit Annos IV. menſem unum, dies verò XVIII.

193 Poſt ejus obitum tumulatus fuit ad Caput Baſilicæ Eccleſiæ S. Mariæ Majoris in cornu Euangelii humili Sepulchro in ipſo pavimento ex porphyreticis lapidibus ornato, ibique jacuit, donec reperto illic corpore, dum chorus reficeretur, Frater Felix Perettus à Monte Alto, Odinis Minorum, Cardinalis S. Hieronymi Illyricorum, qui poſtea fuit Papa Sixtus V. transferre curaverit, ac in nobili à ſe extructo mauſolæo, variis diſcoloribuſque lapidibus exornato recondi in eadem ipſa Eccleſia, ſive Baſilica hac ſupra appoſita inſcriptione.

Nicolao IV. Aſculano Piceno Pont. MAX. cùm in neglecto diù Sepulcbro ferè Latuiſſet.
Frater Fælix Perettus Cardinalis de Monte Alto in Ordinem, & Patriam Pietate Poſuit MDLXXIV.

Deinde in baſi ejuſdem Mauſolei nouum hoc Epitaphium inſculpi fecit, nimirum.

„ Nicolaus IV. Ordinem Minorum Profeſſus, Philoſophus, & Theologus Egregius, Conſtantinopolim à Gregorio X. miſſus, Græcos ad R. E. communionem, Tartaros ad Fidem reduxit, poſt S. Bonaventuram Generalis, Sanctitate, & Doctrinâ, Ordinem propagavit, Nicolai III. Nuntius inter Francorum, & Caſtellæ Reges Pacem conciliavit; Sanctæ Pudentianæ Cardinalis, Legatus Honorii IV. in Galliam, Senatoriam P. R. Dignitatem Sedi Apoſtolicæ reſtituit. Factus Pontifex Remp. ſublatis diſcordiis compoſuit, Chriſtianos Principes Sacro Fœdere junxit. Ptolemaydem Copiis adivit. Flaminiam in Pontificis iterùm Ditionem redegit. Publicum in Monte Peſſulano Gymnaſium inſtituit. Probos, & Eruditos in Cognatorum loco tantùm habuit. Lateran. & hanc Baſilicam ſtructuris, & opibus auxit. Tandem Juſtitia, & Religione Orbem Terræ moderatus, Magn. Sanct. obiit Pridie Non. April. MCCXCII. Pont. ſui An. V.

194 Igitur defuncto Nicolao, non modica exorta eſt inter Dominos Cardinales diſſenſio, adeout, ne quidem de loco, ubi convenire eos ad eligendum Succeſſorem oportebat, concordari potuerint: cauſam verò tanti diſſidii tradit S. Antoninus 3. par. titul. 20. cap. 7. in initio, ubi relato Nicolai IV. obitu, ſubjungit: „ Poſt cuius mortem vacavit annis duobus, & menſibus tribus Sedes Petri ex diſcordia Cardinalium. Nam una pars eorum, quorum Caput erat Dominus Matthæus de Urſinis, petebat fieri aliquem ad complacentiam Regis Caroli: Alia pars, cuius caput Dominus de Columnenſibus alium fieri cupiebat. Et propter hoc quærentibus illis quæ ſua, non quæ Ieſu Chriſti, tantùm dilata eſt electio. *Hactenus S. Antoninus*. Jacobus verò Cardinalis ad Vellum Aureum, apud Raynaldum ad eundem annum ſub num. 18. idem recenſens, ait: „ Cardinales verò, numero duodecim, Romani ſex, Italici quatuor, Gallici duo erant, qui Pontificis perſolutis obſequiis, propoſitoque clauſim inter eos, ſecluſis extraneis per Latinum tunc Hoſtienſem Epiſcopum, Romanâ ſtirpe clarum, exhortationis verbo perlucido, adeò haud concordes, ut nec loco conſiſtere eodem convenirent, nec ante ſecundum annum, tertiique partem tertiam vacationis hujuſmodi Antiſtitem Summum crearent: Sed nunc uno, nunc alio Urbis loco, viciſque interceptis pro electionis Miniſterio conveniebant, *Hæc ille*.

195 Exortâ interea in Urbe Roma ſeditione, Cardinales perterriti aliò, & aliò ſegregati ſe contulere: „ Inteſtina, *ait idem Scriptor*, Romæ interea, proh dolor! exorta bella, affligenſque ultra ſolitum æſtas, morbum ingruebat, unoque è Patribus Gallo febribus deficiente, Campanus ex illis unus, idemque poſt hæc futurus Bonifacius VIII. gravi longâque chronicâ concuſſus infirmitate, itaut de ejuſdem diffideretur curatioue: Dei tamen nutu ad majora reſervatus, ad patrium ſolum Anagniam diſceſſit. At alter Hugo Aluernus unicus ſuperſtes Gallus; & tres alii è Patribus Italici timore perculſi, Româ digreſſi, Reate æſtivavère Romani verò ſex Patres conſanguinitate juncti, ſed volitis diſcreti, Urbe conſtitere præcipua. Septembris autem tranſactis caumatibus, Campanus, Portuenſis quoque natione Tuder, Sabinenſis etiam Paſchate è Patribus unus Parmenſis natu, Roma reverſi, nec adhùc conſenſu unanimes reperiuntur fore. *Ita Jacobus*.

196

196 Cùmque jam elapſo anno nulla ſpes adeſſet diſcordiæ, abſceſſerunt Româ plurimi ex Patribus, tribus dumtaxat exceptis, ac Reate ſe contulerunt: Sed timor invaſit, nè Schiſma in Sancta Eccleſia exoriretur: ad quod vitandum per Arbitros, compromiſſo facto, decretum eſt, ut omnes Peruſium convenirent, acturi ibi de Pontificis electione: „ Schiſmatis inceſſit timor, *ait* „ *idem Auctor*, nè vel Romani tres tunc in „ Urbe commorantes loci, ut fatebantur „ privilegio, ut qui alios non Romanos ſcri- „ ptis præſolicitaverant, nevè etiam alii „ Romani tres, cæterique Patres Reate „ longè numero plures in electionem pro- „ rumperent: Sed nolens ſuam, quam pre- „ tioſo Unigeniti redemit cruore, perire „ Deus Eccleſiam, Schiſmatis pericula ade- „ mit. Nam ex compromiſſi vi in exteros „ communiter collatâ, Patres pro electionis „ inſtantis negotio, electo per arbitros Peru- „ ſii loco, perque eoſdem, feſto videlicet „ Beati Lucæ Evangeliſtæ tunc ſatis proxi- „ mo, ſecundo ſcilicet vacationis anno, „ termino aſſignato convenerunt: Eoque „ Peruſii, quo Cardinales convenère tem- „ pore, Romæ ſub quadam pacis umbra „ quies apparebat, dùm partium concordiâ „ ad gubernacula Urbis in Senatores gene- „ ris nobilitate clari duo aſſumpti, Petrus „ ſiquidem Stephani actoris genitor, de „ quo ſupra diſſeruimus, & Oddo de San- „ cto Stacchio alter.

197 Conſiſtentibus ergo Peruſii, habitiſque compluribus de Pontificis electione tractatibus, nec in unum de Collegio conſentire potuerunt, ſic diù manebat Eccleſia viduata Paſtore: Sic diſcrepantes ad invicem erant, ut nec precibus Caroli Regis ex Gallia redeuntis, ac ad eos declinantis flecti potuerint: „ Tunc etiam Rex Carolus, „ *ait Jordanus*, de Provincia veniens, per „ Peruſium tranſit: ad eligendum Pontifi- „ cem Cardinales precibus inducit: Dura „ quoque verba cum Domino Benedicto „ Gajetani habuit: nihil tamen profecit. „ *Hæc ille*. Porrò Carolo diſcedente anno jam tertio ab obitu Nicolai, ad perſuaſionem Latini Epiſcopi Hoſtienſis, non valentes in unum de Collegio convenire, elegerunt in Romanum Pontificem, Petrum de Murrone, virum Sanctitate tunc celeberrimum, vitam ſolitariam agentem ſub Regula Sancti Benedicti in Monte de Murrone propè Sulmonam in Aprutio. De qua electione hæc ſcribit S. Antoninus 3. par. titul. 20. cap. 8. in initio: „ De menſe Julii „ exiſtentibus Cardinalibus in Conclavi „ Peruſii, & arctatis, ſecundùm Ordinatio- „ nes Eccleſiæ, ad providendum Eccleſiæ de „ Paſtore, in hoc convenerunt, non eligere „ aliquem ex Collegio Cardinalium: Sed „ elegerunt canonicè quemdam Sanctum „ virum Religioſum, vocatum fratrem Pe- „ trum de Murrone de Abrutio: qui here- „ miticam vitam tenens, vitam valdè au- „ ſteram agebat. Qui ob majorem Mundi „ contemptum, cùm plura Monaſteria inſti- „ tuiſſet Religioſorum, Solitudinem dili- „ gens, habitationem ſibi elegit in Monti- „ bus Murronis ſuper Sulmonam. *Hacte-* „ *nus Antoninus*.

198 Præfatam electionem, ſuadente Cardinali Latino, ut præfati ſumus, factam eſſe ſcribit Ptolomeus Lucenſis, inquiens: „ Ad perſuaſionem Domini Latini Epiſcopi „ Hoſtienſis, & poſt receſſum Regis, vota „ ſua dirigunt Cardinales in quemdam Ere- „ mitam de Abrutio, cuius nomen frater „ Petrus de Murrone; ipſumque in Sum- „ mum Pontificem eligunt, qui vocatus eſt „ Cœleſtinus Quintus. Hic Regi Carolo „ multùm devotus, in quadam ſylva ſuum ha- „ buit habitaculum: vir maximæ abſtinen- „ tiæ, & orationis, totus Deo conſecra- „ tus. *Hactenus Ptolomæus*. Infra Octavam Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, creatum ſcribit Jacobus Cardinalis, ſupra recenſitus, nec ſine prodigio cælitùs emiſſo, accidiſſe teſtatur, inquiens: „ Lapſis „ vacationis confeſtim annis duobus, quar- „ tâque tertii parte, menſis Julii principio, „ infra Apoſtolorum Octavam, nactâ miri- „ ficè fratris Petri de Murrone Eremitæ „ viſionis cujuſdam occaſione, eodem Lati- „ no inter fratres, Patreſvè cœtus, viſionis „ ipſius ex inopino verbum movente, ſu- „ bitò Dei nutu idem Religioſæ, & miræ „ Sanctitatis vir frater Petrus à Murrone „ Eremita, Ordinis S. Benedicti, in Cella „ in Monte de Murrone ſuper Sulmonem „ ſita manens, in Summum, unanimi voto „ & conſenſu Patrum eſt electus Pontificem. *Hæc Iacobus*.

199 Hæc porrò electio accidit Annó Domini MCCXCIV. Imperii Andronici Anno XI. Adulphi Romanorum Regis Anno III. Indictione VII. menſe Julio, feriâ ſecundâ, die v. ejuſdem menſis, prout habetur in Inſtrumento Electionis, ubi dicitur: „ Notum „ facimus, quòd Anno Domini MCCXCIV. „ menſe Julii, die Lunæ, v. menſis ejuſdem, „ Apoſtolicâ Sede per obitum fœlicis recor- „ dationis Nicolai Papæ IV. vacante, poſt „ diverſos tractatus diverſis temporibus ha- „ bitos per nos ſuper electione Summi Pon- „ tificis, quibus non acceſſit, effectus, in „ communi Conſiſtorio, ſolito more conveni- „ mus, abſente venerabili fratre noſtro Pe- „ tro tituli S. Marci Presbytero ſupradicto, „ qui erat in Hoſpitio ſuo infirmitate, ſeù „ debilitate detentus; demùm inter nos ex „ inſperato, ſeu improviſo de Venerabili, ac „ Religioſo Patre fratre Petro de Murrone, „ Ordinis Sancti Benedicti, celebris ſanctita- „ tis viro habitâ mentione, omnes, qui tunc præ-

„ præſentes eramus in Conſiſtorio ſupradicto, „ ad perſonam ejus intentæ conſiderationis „ intuitum dirigentes, in ipſum quaſi Divinitùs inſpirati, non ſine lacrymarum effuſione, nullo prorſus diſcordante, conſenſimus. *Hæc inter alia ibi*.

200 Ita ergo tanti viri celebratâ electione, miſſi ſunt ad eum ex Sacro Cardinalium Collegio Legati, Archiepiſcopus Lugdunenſis, Urbevetanus, & Portuenſis Epiſcopi, cum duobus Notariis Apoſtolicis, cum eorundem Cardinalium literis, ac Electionis Inſtrumento, in Apuliam ad ipſum electum Pontificem, ad quem pariter mox acceſſit Carolus Martellus Hungariæ, & Siciliæ Rex: Cùmque præfati Legati, ad eum venientes certiorem reddidiſſent de ſua in Romanum Pontificem electione, Petrum ſecedere cogitavit, ut ait Patriarcha lib.2. de vita ſolit. ſect. 3. cap. 18. ſed ſubitò populi multitudine circumventus, exequi quod cogitaverat non eſt permiſſus. Egerant Legati, ut Peruſium accederet coronaturus; verùm diverſis de cauſis nequaquam acquievit; & Cardinalium Cœtum advocavit, ut Aquilam Apuliæ Metropolim convenirent, ubi peracta eſt illius Coronatio die XXIX. Auguſti, in feſto ſcilicet Decollationis S. Joannis Baptiſtæ, eodem Carolo Rege præſente, nomine aſſumpto Cœleſtini V. Ita Petrus Aliacus Cardinalis lib. 2. cap. 12. inquiens: „ In dicta Civitate „ Aquilæ vocato Cardinalium cœtu, Pater „ Sanctus in feſto Decollationis S. Joannis „ Baptiſtæ coronam, aliaque Apoſtolica ſuſcepit inſignia: & quia in terris habitans, „ in Cœleſtis erat, & cum Apoſtolo verè „ dicere poterat: noſtra converſatio in Cœlis „ eſt; in ſua Coronatione, Deo, ut credimus „ inſpirante, Cœleſtini nomen accepit. *Hæc* „ *ille*.

201 His peractis menſe Septembri, intentus ad Eccleſiæ reformationem, duodecim creavit Cardinales pro majori parte ultramontanos, ad inſtantiam Caroli Regis, ait S. Antoninus loco ſupra cit. *Hic*, inquit, *menſe Septembri ſequenti, intendens ad reformationem Eccleſiæ, duodecim Cardinales creavit, pro majori parte ultramontanos, ad inſtantiam, ut dicitur, Caroli Regis Apuliæ, & Siciliæ*. Septem natione Gallos extitiſſe, quinque verò Italos, ſcribit Jacobus Cardinalis ad Vellum Aureum in ſuo carmine, inquiens.

Venerat ecce dies ignota ad culmina tollens,
Qua Cœleſtinus proceres augere Senatus
Flagitat, & votum complet, nam bis repetitos
Sex creat, & Gallos ſeptem, paucoſque Latinos
Quinque tamen.

Ptolomæus Lucenſis lib. 24. cap. 19. eandem promotionem factam ad inſtantiam Caroli Regis confirmat, aſſeritque, ex Italis tres fuiſſe de Regno Neapolis. Poſt hæc vero, ſubjungit S. Antoninus, profectus eſt cum univerſa Curia Neapolim, ibique à Carolo Rege magno cum honore receptus. Sed cùm „ hic, *ſubnectit*, non eſſet peritus, licèt ſanctitate ornatus, pompæ mundialis inimicus, „ jam ſibi perſuadebatur à Cardinalibus, & à „ Rege, ut ex quo non poſſet proficere Eccleſiæ in reformatione ejus, propter malitiam temporis, ut non dicam hominum, „ quod fuerat intentum in ſua promotione, „ Papatui cederet. Ipſe etiam ut humilis „ cernens ſe non ſufficientem ad tantum onus, „ appetebat ſarcinam illam graviſſimam deponere, ut ſibi ſoli, & Deo vacaret. *Hæc* „ *Antoninus*.

202 At prælaudatus Ptolomæus Lucenſis oculatus teſtis, de Cœleſtini Pontificatus abdicatione hæc ſcripto reliquit: „ Quamvis „ Cœleſtinus faceret opera Sancti viri, quia „ per ſtatum Pontificalem non receſſerat ab „ innocentia primi ſtatus, ſed eadem humilitas, eadem puritas perſeveravit in ipſo, „ licèt modus vivendi eſſet immutatus propter dignitatem, decipiebatur tamen in ſuis „ Officialibus quantùm ad gratias, quæ fiebant, quorum ipſe notitiam habere non „ poterat, tùm propter impotentiam ſenectutis, quia ætatis decrepitæ, tùm propter „ inexperientiam regiminis circa fraudes, & „ hominum verſutias, in quibus Curiæ multùm vigent; unde inveniebantur gratiæ „ aliquandò factæ tribus, vel quatuor, vel „ pluribus perſonis, membrana etiam vacua, „ ſed bullata. Hoc igitur percipientes quidam de Collegio, jam incipiunt querulari, „ & Eccleſiæ fluctuationi attendere, ac etiam „ eidem Pontifici inſinuare ſub prætextu ſuæ „ ſanctitatis, quantum periculum imminebat.

203 „ Interim autem Rex Carolus, ut „ tradunt, ordinavit cum Cœleſtino, ſive „ cum beneplacito Collegii factum eſt, quòd „ Curia transferretur Neapolim. Vadens „ igitur illùc, multùm ſtimulatur ab aliquibus „ Cardinalibus, quòd Papatui cedat, quòd „ etiam Roma ſub ipſo periclitatur, & ſub „ eo confunditur. Quibus ſtimulis concitatur „ Sanctus Pater. Quod cùm perpendiſſet „ Rex & Clerus, mandat fieri proceſſionem „ à majori Eccleſia uſque ad caſtrum Regis: „ cui proceſſioni ego interfui. Ubi convenerunt multi Epiſcopi regionis, omnes Religioſi, & totus Clerus: cùmque perveniſſet „ proceſſio ad dictum Caſtrum, ubi dictus „ Pontifex morabatur, exclamavimus, more „ ſolito, pro benedictione: ipſe verò pro reverentia proceſſionis, ad feneſtrã acceſſit cum „ tribus Epiſcopis. Datâ igitur benedictione, „ unus Epiſcopus proceſſionis prædictæ, à „ Sancto Pontifice audientiam petit, loquens „ in perſona Regis, & totius Regni quantùm „ ad Clerum & populum, me præſente, ſupplicans humiliter eidem vice, & nomine om-

„ omnium ſupradictorum, voce altiſſimâ & tubali, quia proceſſio tota audierat inferiùs platea, Papa autem ſuperiùs in feneſtra; quòd cùm ipſe eſſet gloria dicti Regni, nullâ perſuaſione ad reſignandum conſentiret. Ad quæ verba, ex mandato Papæ, unus ex Epiſcopis, qui cum ipſo erat, reſpondit, quòd non intendebat, niſi aliud appareret, undè conſcientia urgeretur. Tunc dictus Epiſcopus prolocutor pro Rege & Regno, altè incipit, *Te Deum laudamus*, & tota proceſſio proſequitur ipſum uſque in finem: & ad propria redeunt: quòd fuit quidem, ut mihi conſtat, circa feſtum Beati Nicolai. Hoc autem non obſtante, adhùc aliqui Cardinales mordaciter infeſtant, quòd periculum animæ ſuæ imminebat, ſi Papatum tenebat propter inconvenientia & mala, quæ ſequebantur ex ſuo regimine: ad quæ verba movetur Sanctus. *Hæc ille*.

204 Ex qua quidem narratione conſtat, Carolum Regem non ſuaſiſſe Cœleſtino abdicationem, ut indicare videtur Beatus Antoninus, ſed magis diſuaſiſſe. Primarium autem inter Cardinales ſuaſorem, Benedictum Cardinalem Cajetanum, qui eidem ſuccedere ſperabat, & jam cum Carolo Rege tractatum habuerat, extitiſſe, idem Sanctus Antoninus eſt Auctor, ſcribens: „ Inter cæteros Cardinales, unus erat vocitatus Dominus Benedictus, qui erat multùm literatus, in agibilibus Mundi ſagax & expertus, qui multùm videbatur anhelare ad illius Summi Præſulatus honorem, & jam cum Carolo Rege & Cardinalibus hoc tractabatur, ſciens igitùr deſiderium Pontificis de Renunciatione, ſuaſit ei, ut antequam ad hoc procederet: Ad tollenda ſcandala, quæ poſſent contingere, priùs faceret Conſtitutionem, qua declararetur, quòd Romanus Pontifex poſſet, cùm vellet, pro ſalute ſua cedere Papatui, & renunciare. Exemplum inducens Clementis Papæ, qui creatus Pontifex à Beato Petro, renunciavit Papatui, nè illud in conſequentiam & exemplum duceretur; ut per voluntatem & electionem prædeceſſoris ſucceſſor in dignitatibus Eccleſiaſticis inſtitueretur. Unde Linus poſt Petrum ſedit, & poſt Linum Cletus, poſt quem electus Clemens, tunc Sedem accepit.

205 Placuiſſe hoc Cœleſtino, ſubjungit Antoninus, Decretumque edidiſſe, quòd Decretum confirmavit poſtea Bonifacius VIII. Cœleſtini ſucceſſor, ut habetur in Cap. *Quoniam aliqui Curioſi, Titul.7. extra de Renunciatione in 6.* Et quidem hæc omnia peracta ſuaſione Benedicti Cardinalis Cajetani, tradit etiam Ptolomæus Lucenſis lib.24. cap. 33. inquiens: „ Dominus Benedictus cum aliquibus Cardinalibus Cœleſtino perſuadet, ut officio cedat, quia propter ſuam ſimplicitatem, licèt Sanctus Vir & vitæ magni foret exempli, ſæpiùs adverſis confundebantur Eccleſiæ, in gratiis faciendis, & circa regimen Orbis. *Hæc ille*. Apocripha ſanè & fabuloſa ſunt, quæ à nonnullis relata habentur, de voce ab Impoſtore per tubam oblongiorem noctu immiſſam, ut ad renunciandum Papatui, quaſi voce Divinâ incitaretur: & alia plura inepta ab imperitis ſcriptoribus evulgata.

206 Porrò edito antedicto Decreto, octavo die convocato Sacro Cardinalium Collegio, ſedens in Cathedra, atque ſilentio indicto, ſcriptam ſuæ renunciationis formam, alta & intelligibili voce recitavit, hiſce ſcilicet verbis conceptam: *Ego Cœleſtinus Papa V. motus ex legitimis cauſis, ideſt, cauſà humilitatis, & melioris vitæ, & conſcientiæ illeſæ, debilitate corporis, defectu ſcientiæ, & malignitate plebis, & infirmitate perſonæ, & ut præteritæ conſolationis vitæ, poſſim reparare quietem, ſponte ac libere, cedo Papatui, & expreſsè renuncio loco, & dignitati, oneri & honori, dans plenam & liberam facultatem ex nunc Sacro Cœtui Cardinalium eligendi, & providendi dumtaxat canonicè Univerſali Eccleſiæ de Paſtore*. His recitatis, ac depoſitis Papalibus & Apoſtolicis inſignibus, è ſolio deſcenſus, humili & infimo loco conſedit. Accidiſſe hæc Die XIII. Decembris ejuſdem Anni, in feſto ſcilicet S. Luciæ, notat Jacobus Cardinalis ad Vellum Aureum ſæpè citatus, cùm Pontificatum tenuiſſet menſibus quinque, diebus verò IX. à quinta ſcilicet die menſis Julii, in quam inciderat ejus electio, ad XIII. uſque Decembris.

207 His peractis, Domini Cardinales, juxtà Conſtitutionem Gregorii X. in Concilio Lugdunenſi, renovatam ab ipſo Cœleſtino, eodem die ingreſſi conclave, de ſucceſſoris electione tractatus habere incœperunt: ac die XI. ab eorum ingreſſu, favore accedente Caroli, renunciatus eſt Romanus Pontifex antedictus D. Benedictus Caietanus, patriâ Anaginus Luitfredi Cajetani filius, Presbyter Cardinalis tituli Sanctorum Silveſtri & Martini, univerſis conſentientibus Cardinalibus: *Vir nobilis ſecundùm ſæculum*, ut ait S. Antoninus, *prudens, & literatus, zelator magnus, & conſervator jurium Eccleſiæ*. De qua electione idem Sanctus Antoninus, eodem cap. VIII. tituli XX. §. 1. ait: „ Dominus Benedictus Cardinalis de Cajetanis, qui ſatis videbatur ambire Pontificatum Romanum, propter quòd dicitur ſuaſiſſe Cœleſtino de renunciatione; ſolicitus erat ad hoc procurandum cum Cardinalibus, & cum Rege Carolo, non expectans quidem ſe vocari à Domino tanquam Aaron. Unde & nocte quâdam cum modica comitiva, ne agnoſceretur, acceſſit ad Palatium ejus, offerens ipſi omne auxilium Eccleſiæ in recuperatione Regni Siciliæ, ſi operam daret cum Cardinalibus ami-

„ amicis ſuis, ut eum eligerent. Rex autem „ ſub hac ſpe ordinem dedit, ut Cardinales „ noti ejus ipſum omninò, aliis poſtpoſitis, „ eligerent. Cùm igitur eſſent in Conclavi „ Neapolim, Dominus Matthæus de Urſinis, „ & Dominus Jacobus de Columnenſibus, „ qui erant capita partium Cardinalium, per„ pendentes factum, primi vocem dederunt „ præfato Domino Benedicto, quos alii ſe„ cuti ſunt. Sicque creatus eſt Romanus „ Antiſtes in Vigilia Nativitatis Dominicæ. „ *Hactenus S. Antoninus*. Scrutinio & acceſſione electum in Vigilia Nativitatis Domini, XXIV. videlicet die menſis Decembris, labente Anno Domini MCCXCIV. ſcribit etiam in ſui operis præfatione, antefatus Cardinalis Jacobus ad Vellum Aureum, inquiens: „ Poſt hujuſmodi Cœleſtini ceſſio„ nem die XI. Vigilia ſcilicet Natalis Domi„ ni, quæ labentis tunc MCCXCIV. Anni „ ultimo decurrebat die, Bonifacius VIII. „ tunc Benedictus Cajetanus nomine, Ana„ gniâ ortus, profundæ juris utriuſque ſcien„ tiæ, longique in illis exercitii, doctæque „ experientiæ, in Romanæ Eccleſiæ moribus „ veteranus, Cardine etiam inſignis, in „ Summum Pontificem Scrutinio, acceſſio„ neque eligitur. *Hæc ille*.

208 Ita electo D. Benedicto in Romanum Pontificem, appellari voluit Bonifacius VIII. Renuit coronationis inſignia Neapolim recipere, precibus Caroli Regis in hoc nequaquam acquieſcens, ſed Romam, eodem comitante Carolo, ac etiam Hungariæ Rege, coronaturus proficiſcitur; ac inde in Baſilica Sancti Petri magnâ cum pompa ejus peracta eſt coronatio. Cùmque poſt hæc non defuiſſent viri pertinaces, qui Petro de Murrone ſuaderent, ut ſe tanquam Pontificem gereret, quaſi illius renunciatio, & Bonifacii electio non ſubſiſteret; ipſe Bonifacius, quamvis humilitas ac vera Sanctitas Petri ejuſmodi contemneret ſuaſiones, periculum nè ſchiſma in Eccleſia introduceretur attendens, curavit in tuto prædictum ſeferare Petrum; juſſit proinde latitantem ac fugientem virum inquiri, & inventum in arcta cuſtodia recludi fecit: *Inventum ipſum reducunt*, ait Ptolomæus Lucenſis lib. 24. cap. 35. *ac in Cuſtodia ponitur, & tenetur præ cavendo ſcandalo Romanæ Eccleſiæ, quia apud aliquos muſſitabatur, an cedere potuiſſet: & ſic poterat ſchiſma in Eccleſia generari*. Et idem aſſerit Jordanus, tradens poſitum in Cuſtodia ad cautelam vitandi diſſidii. At Petrus de Aliaco Cardinalis in Cœleſtini vita, ubi fusè rem deſcribit, ait duriùs quàm par erat à Bonifacio tractatum fuiſſe Cœleſtinum: „ Miſſus eſt ad Caſtrum Fumonis, *inquit*, & „ fortiſſima turri recluſus: & adhibitis ſex „ militibus, & aliis triginta ſatellitibus ad „ ejus Cuſtodiam, die, noctuque ita teneba„ tur arctatus, ut nulli hominum ad eum „ patère poſſet acceſſus. Petiit autem, ut duo „ ſibi darentur fratres, cum quibus Divinum „ ageret Officium: qui ei conceſſi, illius Car„ ceris anguſtiam diù ferre non valentes, „ inde extrahebantur infirmi. Erat enim „ tanta turris arctatio, ut vir Sanctus ubi „ habebat pedes, dùm Miſſam celebraret, ibi „ caput reclinaret, dùm dormiendo quie„ ſceret.

209 Voluit Deus hac quoque tam grandi tentatione ſervi ſui ſanctitatem & animi probare conſtantiam, nam alacriter cuncta hæc toleravit adverſa, ac mirâ cum patientia, nullâ ex ore ejus unquam eruptâ quærelâ, donec eidem placuit Altiſſimo illum ad ſe vocare præmia æterna largituro: Nec quidem multò poſt à ſua recluſione, ad Dominum migravit Cœleſtinus, aliquibus dumtaxat exactis menſibus: quoniam, teſte Jacobo Cardinali ad Vellum aureum, in præfatione ſui operis, Anno Domini MCCXCV. primo Pontificatus Bonifacii, XIV. Kalen. Junii ultimum clauſit diem, ſepultus inde Ferentini in Monaſterio ſui Ordinis Fratrum: poſt cujus obitum ſanctitatem ſervi ſui pluribus voluit Deus conteſtatâ miraculis. Scribit Aliacenſis ſupra relatus, in ejus camerula ante obitum Crucem aurei coloris in aere pendentem apparuiſſe, teſtimonium ferentibus ipſis militibus ad Cuſtodiam deputatis: „ Quidam mi„ lites, *inquit*, qui eum cuſtodiebant in car„ cere, tùm Papæ, quàm aliis pluribus retu„ lerunt, quòd à feria ſexta uſque ad horam „ mortis ejus viderunt ante Januam cameru„ læ ejus Crucem coloris aurei, non affixam „ alicubi, ſed mirabiliter pendentem aere. *Hæc ille*, qui tradit, die Sabbati expiraſſe. Cujus miraculi meminit etiam Jacobus Cardinalis in ſuo carmine, inquiens.

Vivis in abſceſſu, rutilans in limine parva;
Parva tamen, quia parvus erat, nam mente ſubextans
Crux micat, inſignis viſa eſt vertigine verſa,
Ut magis eniteat, juſſiſque in ſingula ſubdi
Hunc doceat, memoremque Crucis memoremque laborum:
Huncque crucifixum Mundo, Mundumque viciſſim.

Petrarcha addit, Cœleſtini animam viſam à Roberto Salentino, ejuſdem Sancti viri Diſcipulo, Cœlum conſcendere: *Animam è carcere gemino*, ait, *ad ſydereas ſcandentem ſedes, conſpexiſſe dicitur, ignarus rerum & miraculo ſtupens*.

210 Itaque poſt Cœleſtini ad Dominum tranſitum, Bonifacius quovis excuſſo timore, in ſua ſede roboratus, inter ea grandia, ad quæ animum adjecerat, unum fuit de bello inferendo Græcis pro recuperando Imperio Conſtantinopolitano: probè namque noverat, experientiâ duce atque magiſtra, Græcos in ſua permanſuros perfidia, donec Imperatores

tores Græci eis imperitarent: proinde curandum, ut præfatum Imperium ad Latinos & Catholicos Principes reverteretur, ſub quorum dominatu, vellent, aut nollent Græci, cogerentur Sanctæ Romanæ Eccleſiæ colla ſubmittere. Non ergo Apocriſiarios, ſed armatos milites ad tot vices rebellem Gentem mittere excogitavit. Et hac de cauſa ſolicitavit nuptias Catharinæ Balduini quondàm hæredis, quæ Imperatrix Conſtantinopolitana, propter jura paterna in eam derivata, appellabatur, cum Friderico filio Petri Regis Aragonum, ut unà cum ea dotale Conſtantinopolitanum acciperet Imperium, eripiendum inde communibus armis ſchiſmatico Andronico. De qua re extant Bonifacii literæ, datæ ad eandem Catharinam, exſcriptæ ex Codice Vaticano a Raynaldo ad Annum Domini MCCXCV. ſub num. 29. ad hunc modum ſe habentes.

Chariſſimæ in Chriſto filiæ Catharinæ Imperatrici Conſtantinopolitanæ Illuſtri.

211 „ Poſtquàm Divina Miſeratio nos „ ad apicem Summi Apoſtolatus aſſumpſit, „ ferventibus curavimus ſtudiis, & indefeſ„ ſis ſolicitudinibus laborare, ut catholici „ Principes Orbis terræ, ad invicem diſſiden„ tes ad pacis, & tranquillitatis commoda „ reducantur. Sed cùm inter alia Principum, „ & aliorum ipſius Orbis ſcandala, inter cha„ riſſimum in Chriſto Filium noſtrum Caro„ lum Siciliæ Regem Illuſtrem, Patruum „ tuum, & quondàm Petrum, olim Regem „ Aragonum; ac de eo præſenti vita ſubtra„ cto, inter dilectos filios Jacobum, & Fri„ dericum natos ejus ſuper Regno Siciliæ ſu„ ſcitatâ diſcordiâ, & gravia, quæ contige„ runt percula mentem noſtram continuis ve„ xaverunt anguſtiis, laborioſos deduximus „ dies ac noctes, nec mirum, inſomnes, ut „ hinc indè firma pax, & plena concordia „ cum beneplacito chariſſimi in Chriſto filii „ noſtri Philippi Regis Francorum Illuſtris, „ auctore Domino proveniret. Demùm ita„ què, Divinæ Gratiæ cooperante virtute, „ Jacobo, & Friderico prædictis redeuntibus „ ad gremium Sanctæ Matris Eccleſiæ reve„ renter tractatus pacis & concordiæ, pro„ miſſionibus de Matrimoniis contrahendis, „ obligationibus, conventionibus, pactis, „ & pœnis hinc indè firmatus advenit, ſicut „ in Inſtrumento publico, & Apoſtolicis li„ teris indè confectis pleniùs continetur; ex „ quo Terræ Sanctæ ſubventio, pax rena„ tis fonte Baptiſmatis, magnaque tran„ quillitas, & tibi maximè proventura ſpe„ ratur.

212 „ Profectò, Filia chariſſima, dùm in „ hujuſmodi tractatu pacis eſſemus, ac mul„ ta & varia, nova & vetera, ſicut negotii „ miniſtrabat arduitas, in crebram memora„ tionem conſideratio noſtra deduceret, oc„ currit memoriæ noſtræ frequenter de in„ clytæ recordationis Balduino Avo, & Phi„ lippo Patre tuis Imperatoribus Conſtan„ tinopolitanis rememorantes in eis devotio„ nem puram, & filialem affectum, quibus „ ipſi ergà Romanam Eccleſiam Matrem ſuã „ efficacibus ſtudiis viguerunt; gravia quo„ que corporum, rerumque diſpendia, quæ „ à Græcis pertulere ſchiſmaticis, laboran„ tibus in opprobrium Fidei chriſtianæ; ma„ ternam etiam benevolentiam recenſentes, „ qua ipſos Eccleſia prædicta, ſicut chariſſi„ mos ejus filios, & chriſtianiſſimos Princi„ pes compaſſionis affectu extitit proſecuta; „ Sicque penſantes infrà noſtri pectoris ar„ cana ſolicitè de tui ſtatus, tuæque proſpe„ ritatis augmento, cùm ob olim etiam, dùm „ nos minor ſtatus haberet, ad tui revela„ tionem honoris noſtrà plurimùm intentio „ verſaretur; diffudimus undiquè, & in lon„ gum protendimus conſiderationis noſtræ „ reſpectum, qualiter tibi poſſet ſalubriùs „ Imperii tui Conſtantinopolitani recupera„ tio provenire; qualiter ille ſchiſmaticus „ Grecorum populus, ab olim in devium „ prolapſus erroris, reduci commodiùs va„ leat ad ſemitam veritatis, & gremium San„ ctæ Romanæ Eccleſiæ, ac ſubjectionem „ Imperatoris Conſtantinopolitani Catho„ lici, veri dicti Populi Domini tempo„ ralis.

213 „ Cùmque inter cæteros Mundi Ma„ gnates ad id utiles circumſpectio librata „ diſcerneret, cum prædicto Rege Siciliæ Pa„ truo tuo, qui te affectu paterno, purâ ſin„ ceritate proſequitur, collatione ſuper hoc, „ & diſcuſſione habitâ diligenti, cogitavi„ mus, quòd nulli meliùs pro hujuſmodi „ tuo conſequendo commodo jungereris, „ quàm Friderico prædicto, qui penſatis om„ nibus, & eò maximè, quòd inter prædi„ ctum Jacobum fratrem ejus, & filiam dicti „ Regis matrimonium eſt firmatum; ad præ„ dicti recuperationem Imperii utilior his „ temporibus videbatur. Sicque tractatu „ de contrahendo Matrimonio inter te, & „ eundem Fridericum non in diſcurſu, ſed „ cum deliberatione maxima proſecuto, ſub „ firma fiducia, ut à noſtris, & dicti Regis „ ſuper hoc tui ſenſus non diſcrepent; ſed ad „ id cum promptitudine voluntatis tuus aſ„ ſenſus accedat, cùm reſpicere tui culmi„ nis incrementa fœlicia dignoſcatur; idem „ Rex pro parte tua, & Procuratores ejuſ„ dem Friderici pro eo cum juramentorum „ præſtatione ſolemniter promiſerunt, ut in„ frà menſem Septembris proximò futurum, „ per verba de præſenti matrimonium hujuſ„ modi compleatur; Nosque præmiſſorum „ conſideratione, pro ipſius recuperatione „ Imperii eidem Friderico in caſu prædicti

,, Matrimonii contrahendi magnum pecunia-
,, rum ſubſidium duximus promittendum;
214 ,, Celſitudinem itaquè tuam mone-
,, mus, rogamus, & hortamur attentè, qua-
,, tenùs diligenti meditatione conſiderans; &
,, prudenter advertens, quòd id pro tua uti-
,, litate præcipuè, ac pro tui relevatione
,, ſtatus factum, & ordinatum exiſtit, men-
,, tem, & animum tuum ad ipſius Matrimo-
,, nii perfectionem exponas, & propter hoc
,, perſonaliter ſtatim ad præſentiam noſtram
,, accedas. Et ecce dilectum filium Joannem
,, Abbatem Monaſterii Sancti Germani de
,, Pratis propè Pariſios Ordinis Sancti Bene-
,, dicti, latorem præſentium, virum utiquè
,, providum & diſcretum, ac tui honoris fer-
,, vidum zelatorem, de legalitate cujus, &
,, circumſpectione confidimus, ad te pro-
,, ptereà deſtinamus, ut te ad præſentiam
,, noſtram honorificè, ac feſtinanter adducat,
,, & diligentiùs ſuper præmiſſis informet, ac
,, aliis, quæ exponenda tibi ſecretiùs ſibi du-
,, ximus injungenda, cui fidem credulam te
,, volumus exhibere. Speramus quidèm in
,, illo, qui bonorum eſt omnium elargitor,
,, quòd ex hoc tibi ſperatus honor, & opta-
,, tus fructus adveniet, idque cedet ad lau-
,, dem Dei, & generaliter ad ſtatum proſpe-
,, rum Populi chriſtiani. Datum Anagniæ,
v. Kalend. Julii, Anno I. *Haſtenus Bonifacii literæ*.

215 Sed fruſtrata eſt Pontificis ſpes, ad alia tendens Fridericus, quàm ad recuperandum Imperium Græcorum; quoniàm à Siculis, in odium Regis Gallorum, acclamatus eſt Rex, & quidèm contrà Eccleſiæ jura Regnum illud ſibi uſurpavit, undè indignationem Pontificis incurrere meruit, qui, licèt monitus, reſipiſcere, ac Pontificis juſſis parère renuit. At Græci non proindè à cladibus exempti fuere, non tamen à Friderico illatis, ſed ab Alanis, ſivè Meſſagetis primùm; à Turcis poſteà, indè à Venetis, iterùmque à Turcis; De illatis à Meſſagetis damnis hæc ſcribit Gregoras lib. 6. *Meſſagetæ uſque ad Heleſpontum, Chriſtianorum agros populantes, deſcenderunt, atque inde in Europam trajiciunt*, De Turcis verò, Imperium infeſtantibus, ſtatim ſubnectit; *Nec enim multi dies interceſſerunt, cum Imperatore Bizantium reverſo, Barbari deſcenderunt, ferè omnibus ad oram uſque Lesbiam occupatis*, Subjungit poſteà de Venetis, qui offenſi à Græcis, quòd in Regia Urbe nonnulli ex ſuis trucidati fuiſſent; alii verò omnibus facultatibus ſpoliati, ſatisfactionem ab Imperatore poſtularunt; quæ cùm fuiſſet eis denegata, vim intulerunt, non ſinè gravi Græcorum damno, ac ignominia; ,, Veneti, *inquit*, cum Trire-
,, mibus armati, ad Ceras progreſſi, ad Se-
,, ptentrionale littus appulerunt è regione
,, Palatii; & indè Legatis miſſis, pecuniam
,, repetebant, qua Urbem incolentes Vene-
,, tos, nullis affecti injuriis, mulctaſſent; ſe
,, plura, invitis Romanis, erepturos minitan-
,, tes, niſi ſpontè, quod æquum eſſet, redde-
,, rent. Sed cùm Imperator renuiſſet, Ro-
,, manâ potentiâ per ludibrium contemptâ,
,, omnes ædes è regione Urbis vacuas habi-
,, tatoribus (qui adventu illorum non expe-
,, ctato, migrarant) & manipulos frumenti
,, aliquot in arcis incenderunt; quod non
,, aliud fuit, niſi ludibrium quoddam, &
,, ſubſannatio Imperatoris. Sic enim acci-
,, dit, ut tenui aurâ è Septentrione aſpiran-
,, te, flamma excitaretur, & multo fumo
,, Regia compleretur. Poſtridiè digreſſi, in
,, eo fuerunt occupati, ut onerarias, in Ur-
,, bem euntes, interciperent, & è Proponti-
,, dis Inſulis prædas agerent, viros etiam in
,, altum ſublatos, ante Palatii muros flagel-
,, larent, ut cujusque cognati ſpectantes
,, illud, captivos magno pretio redimerent.
,, Ità Veneti majore pecuniâ, quàm poſtula-
,, rant conquiſitâ, domum redierunt. *Haſtenus Gregoras*.

216 Majora inde à Turcis illata ſuſtulit infeliciſſimum Græcorum Imperium, in varias ſciſſum partes, quas illi in invicem partiti ſunt, ut idem Gregoras initio lib. 7. tradit, inquiens; ,, Sub hoc tempore in Oriente ma-
,, ximæ calamitatum, & turbulentiſſimæ tem-
,, peſtates extiterunt. Nam cùm nulli ibi
,, Romanorum Exercitus eſſent, Turcha-
,, rum Satrapæ conjunctis viribus incurſa-
,, runt omnia uſque ad Mare quodlibet, &
,, ad ipſas Ægas commigrarunt; Maximam
,, partem virorum ſimùl & mulierum, item
,, infantes, jumenta, opes, Turci recens
,, occuparunt. Qui verò clàm evaſerant, in
,, proximas Urbes confugerunt; nonnulli
,, etiam nudi & inopes fretum trajecerunt.
,, At Turci jàm initâ concordiâ, omnes in
,, Aſia Romanorum Provincias ſorte diſtri-
,, buerunt. Carmano Aliſurio pleraq; Me-
,, diterranea Phrygiæ obvenerunt uſque ad
,, Philadelphiam, & proximè Antiochiam
,, ad Meandrum fluvium ſitam, Quidquid
,, inde eſt Smyrnam uſque, & ad interiorem
,, Joniæ oram Sarchani cuidam obvenit;
,, Nam Magneſiam, Prienen, & Epheſum,
,, alius, nomine Saſan, interceperat, A' Ly-
,, dia, & Ætolia uſque ad Myſiam ad Hele-
,, ſpontũ ſitam, Calames, & filius ejus Ceraſus
,, obtinebant; quæ circà Olympum ſunt, &
,, Bithyniam omnem, Atman. A' flumine
,, Sangario ad Paphlagoniam uſque, Amurii
,, filii inter ſe partiti ſunt. *Hæc Gregoras de partito à Turcis Imperio*.

217 Ex tunc enim auſpicia accepit Turcharum Imperium, auctum indè propter Græcorum perfidiam, atque diſſidia. Laonicus Chalcocondila lib. 1. de Rebus Turcicis, eandem partitionem ſubacti Imperii inter ſeptem Turcarum Duces recenſet, poſt initum in invicem fœdus: ,, Cùm igitur, *inquit*, ut fœ-

de-

„ dere tenebantur, communi conſenſu, viribusq; communibus bella aggrederentur, tanta ipſius inter omnes virtus emicuit, ut brevi plurimas opes acquireret, Regnumque ſibi pararet haùd aſpernendum (*loquitur de Orthogulo Othomani Patre.*) Hi autem cùm forent Duces numero ſeptem, initio regionem, quam tùm armis ſubjecerant, inter ſe ſe diviſerunt: poſteà partitionem ſorti committentes, Caramano obtigiſſe Mediterraneam Phrygiæ, Ciliciam uſque ad Philadelphiam. Sarchani ſors addixit maritimam Joniæ regionem, quà Smyrnam uſque patet. Lydia uſque ad Myſiam obvenit Calami, & filio ſuo Caraſi. Bithyniam autem cum his regionibus, quæ Olympum reſpiciunt, nactus eſt Othomanus cum Tecie (*hunc Gregoras Atman appellat*) Paphlagoniam cum his regionibus, quæ vergunt ad Euxinum Pontum, acceperunt Amuri filii, ſic ſorte partitionem regente. *Hæc ille.* Subjungens poſteà, Othomanum hunc Orthogulis filium, ex Oguziorum familia, apud Sogatham vicum in Myſia ortum, Turcarum Othomanorum Imperium fundaſſe, inquiens.

218 „ Accepi prætereà, Othomanum Orthogulis filium primum generis hujus ex iſto vico oriundum extitiſſe; qui indè profectus, & Urbes Aſiæ cœpit; & Pruſam Miſiæ Urbem opibus florentem, fame expugnatam, Regni Sedem conſtituit. Poſtremò operibus multis fortiter, & ſplendidè peractis, relinquens liberos, & Regnum illuſtre, naturæ debitum exolvit Pruſæ. Hic primus iſtius generis, optimè, quæ ad Regni ſalutem attinet, diſpoſuit. Et, ut Regnum ſibi faceret quàm maximè firmum, & opportunum, ſatellites elegit, quos Regis januas, ſivè portas nuncupavit (*iſti ſunt Janizari Regis januæ, & corporis Cuſtodes.*) Et cùm jam omnibus propter iſtam potentiam formidinis eſſet, ſubditos facilè imperio continuit, cùm omnes ad nutum, quandò vocarentur, præſtò eſſent, & impigrè ea, quæ januæ Regis imperarent, obirent. Commemorant Orthogulem iſtum, virum per omnia extitiſſe generoſiſſimum; & cum propter res ſuas præclarè adminiſtratas auguſtior homine, & quaſi divinus reputaretur, poſteris reliquit inſigne cognomentum, ut Othomanidę, ſivè Othomani filii vocentur. *Hactenus ille*, de Othomanorum origine, & Imperio. Patet ergò Othomanorum Imperium initia ſumpſiſſe circà Annum Dom. MCCC. ſub Pontificatu Bonifacii VIII. & Imperio Andronici, Michaelis Palæologi filii, ſchiſmatis renovatoris, ſub quo, ſic Deo vindice, plurimùm Græcorum res attritæ ſunt.

219 Non minorem jacturam eodem tempore res Eccleſiæ Græcorum expertæ ſunt; quoniàm illorum Patriarcha Joannes Sozopolitanus factus cunctis ludibrium, ab omnibus habitus in contemptum, mœrore confectus, Throno ceſſit. Ità Gregoras ad calcem lib. 6. inquiens; „ Joannes autem Patriarcha, cùm ſe ob inſcitiam & ſimplicitatem contemni cerneret, & manifeſtis interdùm conviciis à Pontificibus inceſſi, mœore & animi puſillitate victus, ſcriptam offert Imperatori Solii abdicationem, quandoquidèm opem ſibi ferre nollet. Digreſſus aliquandiù in Sanctiſſimæ & Beatiſſimæ Dei Genitricis Monaſterio quievit; deindè in patriam Sozopolim ſe ſe contulit, ibiq; ævi reliquum tranquillè exegit. *Hæc de Joannis abdicatione.* At vacaſſe Sedem per annum, indicat idem Scriptor initio lib. 7. poſteàq; ad Thronum iterùm evectum tradit, volente, ac jubente Principe, Athanaſium olim exturbatum, quem propter quoddam vaticinium, ſpiritum Dei habere conteſtabatur Imperator: „ Sequente anno, *ait*, dicunt, Athanaſium, qui Patriarchatum Joanni ceſſerat, Imperatori clàm nunciaſſe, ſe Numinis indignationem impendere Romanis vidiſſe; hortatumque eſſe, ut tribus continuis noctibus Deum deprecaretur. Cùm autem poſtridiè Terręmotus factus eſſet, dixiſſe Imperatorem, eam eſſe prædictam ab Athanaſio Numinis indignationem: ac poſt affirmaſſe, neminem Patriarchico Solio digniorem eſſe. Neque enim, niſi divinitùs illuſtratum, futura præviſurum fuiſſe; perſuaſumque habere, cùm primùm is reſtitutus eſſet, hoſtes quàm longiſſimè receſſuros, & Veris temperiem hybernas tempeſtates conſecuturam, Romanoſque fines facilè propagatum iri.

220 Perturbaſſe cunctorum animum hujuſmodi Imperatoris propoſitum, ſubjungit Gregoras, ægrèque tuliſſe, ut iterùm Athanaſius Solium conſcenderet: præfato vaticinio nequaquàm credidiſſe, ſed Imperatore in ſententia perſiſtente: adhæſiſſe tandèm quoſdam ex Pontificibus, & Monachis, & ità prefatum Athanaſium Thronum iterùm obtinuiſſe: „ Ea res, *inquit*, ferè omnes Pontifices, Sacerdotes, Abbates, Clericos, ac parùm abeſt, quin dicam Prætores, & omnes eos, qui publicum aliquod munus ſuſtinebant, Viri ſeveritatem recordatos, haùd mediocriter perturbavit: Itaquè Imperatori de Terręmotu, & vaticinatione Athanaſii concionanti fidem habere non poterant; ſed ſubmurmurabant, quòd illius deſiderio illa confingeret, & falſam illi auctoritatem conciliaret, ut ſui deſiderii probabilem habere cauſam videretur: Sed tamen benignitate, & eloquentiâ, quoſdam è Pontificibus, & Monachis in ſuas partes pellexit, & cum iis pedes ad Athanaſii cellam, juxtà Xerolophum abit; & cùm eo, uti par eſt, collocatus, perſuaſit, ut Patriarchica Inſignia admitteret. Neque

„ que enim alia manuum impoſitione, ap-
„ plauſuſvè, & triumphis eſſe opus, quæ illi
„ jam pridèm abundè contigiſſet, quamvis
„ interim eam ex mœrore repudiaſſet. His
„ ità geſtis, ſeptimo die, Athanaſius in Pa-
„ triarchicum Solium redit. *Hactenus Gregoras*.

221 Eodem Bonifacio ſedente in Solio Petri, capta eſt Syria univerſa à Caſſano Tartarorum in Perſide Rege unà cum Sanctâ Hieruſalem Civitate, victis, ac deletis Sarracenis, ut ſcribit S. Antoninus 3. par, titul.20. cap. 8. §.VIII. inquiens: „ Anno
„ autem Domini MCCXCVIII. de menſe
„ Januarii Caſſanus Imperator Tartarorum
„ venit in Syriam contra Soldanum Baby-
„ loniæ, ſecùm copias ducens ducentorum
„ millium Tartarorum inter equites, & pe-
„ dites, ex conductu Regis Armeniæ, &
„ Regis Georgiæ, qui erant inimici Sarra-
„ cenorum: & ipſi Reges erant Chriſtiani,
„ ad recuperandam Terram Sanctam, &
„ auferendam à Sarracenis. Hoc autem cùm
„ cognoviſſet Soldanus, ex Ægypto deſcen-
„ dit in Syriam cum centum millibus equi-
„ tum Sarracenorum abſq; alia multitudine
„ innumerabili de Syria eum adiuvante.
„ Et ſibi invicem occurrentes pugnam horri-
„ bilem,injerunt inter ſe. Demùm ceſſit vi-
„ ctoria Caſſano Imperatori Tartarorum ex
„ induſtria, & ſagacitate pugnandi. Nam
„ ipſe cum modica parte, & fortiori ſuo-
„ rum equitum, deſcendentes de equis in pe-
„ dibus ſteterunt, quouſquè Sarraceni emit-
„ tendo continuò ſagittas evacuarunt pha-
„ retras ſuas. Et nè Sarraceni ſagittas, quas
„ Tartari emittebant contra eos reſumerent,
„ eaſdem contra eos jacèrent, ordinavit,
„ quòd ſagittæ Tartarorum eſſent ſine cuſ-
„ pide: & cordæ arcuum ſuorum pallottas
„ cereas continerent. Quo facto expreſſo,
„ ſigno dato, aſcenderunt equos ſuos Caſ-
„ ſanus cum ſuis, & terribiliter aggreſſi
„ Sarracenos ſunt, adeoquòd citò debellavit
„ eos, fuga ſe ſervantes, qui evadere po-
„ tuerunt, plurimis Sarracenorum occiſis,
„ aliis captivatis: & omni eorum ornatu, &
„ rebus magni valoris ibi eis ablatis à Tar-
„ taris. His peractis,omnes Civitates Syriæ,
„ & inter cæteras Civitas Sancta Hieru-
„ ſalem ſe Caſſano ſubdiderunt. Qui devo-
„ tè viſitavit Sanctum Domini Sepulchrum.
„ *Hæc Sanctus Antoninus*.Similia tradit Haytonus par. 2. hiſtor. Orient. cap. 26. licèt hæc accidiſſe aſſerat Anno Domini MCCXCIX. die Mercurii, ante feſtum Nativitatis Domini, cui aſſentiendum eſt, utpote oculato Teſti, qui eidem Bello interfuit. Additque poſt victoriam pręfatam,jubente Caſſano Rege Armeniæ, & Malay, unum ex Tartarorum Ducibus cum quadraginta millibus equitum inſecutos fuiſſe Sultanum uſque ad deſertum Ægypti, diſtans per duodecim dietas à Campobelli: poſt hæc verò, eodem Caſſano cogitante obſidere Civitatem Damaſci, ſubjungit, Damaſcenos ſuâ ſponte illi ſe dediſſe: *De Conſilio*, inquit, *Sapientum, & concordi omnium voluntate, ſuos ad Caſſanum Nuntios tranſmiſerunt* (ſcilicet Damaſceni) *qui dederunt ſibi multa dona, & ei claves Civitatis etiam obtulerunt, ab eo miſericordiam implorantes*.

222 Deinde idem Caſſanus Oratores miſit ad Bonifacium VIII. ad Regem Franciæ, alioſque Chriſtianos in Europa Principes, ut copias mitterent pro retinenda, & conſervanda Terra Sancta jam per eum conquiſita, ut ſubjungit Sanctus Antoninus, inquiens: „ Cùm autem non poſſet moram tra-
„ here in Syria, quia oportebat eum in Per-
„ ſidem redire, ex eò quòd quidam Domini
„ inſurrexerant ex ipſis Tartaris, contra eum
„ bella moventes. Deſtinavit tamen interea
„ ſuos Oratores in partibus Occidentis, ad
„ Bonifacium VIII. & ad Regem Franciæ; &
„ aliis nationibus Chriſtianorum, ut mitte-
„ rent copias Chriſticolas in Syriam, ad reti-
„ nendum Civitates Syriæ, & Hieruſalem
„ conquiſitas per eum. *Hæc Antoninus*. Cujus Legationis meminit quoque Paulus Æmilius in Philippo Pulchro, aſſeritque, Bonifacium acceptis Legatis antefatis, ſcripſiſſe ad Philippum Regem de Bello Sacro redintegrando. Conſtans Sententia Caſſani fuit, ut Terra Sancta Chriſtianis traderet, ut Hayton ſcribit cap. 43. vbi ait, diſpoſitis, ac ordinatis Bajulis, & Rectoribus ſuper qualibet Civitate, antedictum Caſſanum advocato Armeniæ Rege, dixiſſe ei; „ Libenter tradidiſſemus terras, quas aquiſi-
„ vimus, cuſtodiendas Chriſtianis, ſi veniſ-
„ ſent, & ſi venerint, Cotuloſſæ dabimus
„ in mandatis, quod eis reſtituat omnes
„ Terras, quas hactenus tenuerunt, & ad
„ reparationem caſtrorum det eis ſubſidium
„ opportunum. *Hæc ille*. Dolet S.Antoninus de Chriſtianorum Principum ignavia, Terræ Sanctæ recuperationem negligentium, immò poſſeſſionem: Recenſitâ namque antefatâ Caſſani Legatione, ſubiungit, inquiens:
„ Quod cùm expoſuiſſent Oratores ejus, &
„ placuiſſet audientibus, nihil tamen exe-
„ cutioni mandatum ex neglectu eorum
„ magis attendentium ad ſuas animoſitates
„ proſequendas, in ſe invicem laniando
„ Chriſticolas, & ambiendo aliena dominia,
„ quæ ſua ſunt potiùs unaquâque communi-
„ tate quærente, quàm ea, quæ Jeſu Chri-
„ ſti, & ob hoc de ampliatione cultus Divi-
„ ni, & dilatatione Chriſtianæ Religionis
„ parùm curando. Et ubi tunc cum modicis
„ expenſis, & ſine magnis copiis, captâ Sy-
„ riâ à Caſſano, potuiſſet à fidelibus illùc
„ miſſis retineri, nullâ proviſione ſuper hoc
„ factâ, cum magna erubeſcentia fidelium,
„ & non levi crimine incuriæ, & omiſſionis,

poſt-

„ poſtmodùm amiſſa eſt; nec adhùc poſtea „ recuperata, nec in via recuperandi. *Hactenus S. Antoninus.*

223 Ita ergo Terræ Sanctæ conſervationem, ac Religionis amplificationem negligentibus Regibus, & Occidentis Chriſtianis Principibus, ad illorum erubeſcentiam, dedecus, & confuſionem, quædam præclaræ, ac nobiles Januenſes fœminæ ad id perficiendum aggreſſæ ſunt, quæ virili animo indutæ, zelo fidei, ac Divini cultus inflammatæ, ex bonis ſuis Claſſem parandam curarunt, ac etiam in militum obſequium perſonaliter transfretare decreverunt; ſub nobilium quorundam virorum conductu, qui ab eiſdem excitati, prompti ſe exhibuerant ad transfretandum. Datæ ſunt hac de re Litteræ ad Bonifacium VIII. miſſæ per Fratrem Philippum Saonenſem Ordinis Minorum, quas Pontifex gratanter accepit, eiſque infraſcriptas reſcripſit literas ex Regeſto Vaticano exſcriptas à Wadingo, ac inſertas ad calcem tom. 3. ſuorum Annalium in Regeſto Pontificio videlicet.

Noblibus viris Benedicto Zacharia, Lanfranco Tartaro, Jacobo Lomellino, & Joanni Blanci, Civibus Januenſibus.

224 „ Receptis litteris veſtris per dilectum filium Fratrem Philippum Saonenſem Lectorem Ordinis Fratrum Minorum, „ ipſarumque conſiderato tenore, ac diligenter auditis, quæ dictus frater nobis „ expoſuit oraculo vivæ vocis, exultavit cor „ noſtrum in Domino magnâ nobis ex iis lætitiæ materiâ prebitâ admirationis, & „ laudis. Sanè attendentes devotionis fervorem, charitatis incendium, ſanctūq; propoſitum nobiliū Mulierum A. de Carmendino, „ I. de Ghiſulphis, M. de Grimaldis C. Franctæ A. de Auria, S. Spinulæ S. & P. de Cibo, „ & P. de Cariæ, & multarū aliarū mulierum, „ Sociarum, & Sequacium Januenſium, quæ „ Divinitùs inſpiratæ, ordinaverunt per ſuccurſum Marini Stolii ſub veſtro Ducatu „ Terræ Sanctæ ſtatui miſerabili ſubvenire „ per particulare paſſagium, celeriter, auctore Domino, faciendum, petitionibus „ quibuſdam per eundem fratrem pro veſtra, „ & ipſarum nobilium mulierum parte porrectis, ſicut decuit, & expedire vidimus „ tanto negotio, duximus annuendum, „ prout hoc expreſſiùs in aliis noſtris literis „ continetur. Nobilitatem itaque veſtram „ monemus, rogamus, & hortamur attentè „ obſecrantes in Filio Dei Patris, quatenùs „ cum dictarum mulierum Subſidio, aperiatis viſcera pietatis ad dictæ Terræ Sanctæ „ ſuccurſum, ſicut Athletæ ſtrenui Crucifixi, ut in præſenti Divinam conſequamini gratiam, & in futuro gloriam ſempiternam, & ſic Divina vobis, & mulieribus „ ipſis, adſiſtente virtute, in inſtanti autumno „ poſſit hujuſmodi particulare paſſagium „ fieri, quod multùm Nobis eſſet acceptum. „ Tu Benedicte Zacharia, qui fuiſti nobis „ familiarior ab antiquo, cum uno ex prædictis nobilibus tuis conſociis in hoc facto „ ad præſentiam noſtram accedas, præcedens „ dictum Stolium aliquibus diebus, ut Tu, „ & Socius per Nos poſſitis ſuper agendis „ pleniùs informari, & circa Romanam, vel „ Terræ laboris plagam jungi Stolio memorato. Datum Anagniæ v. Idus Auguſti, Anno VII. *Alias eiſdem pariter dedit tenoris ſequentis literas, nimirum.*

Nobilibus Viris &c.

225 „ Marino Stolio quaſi particulari „ paſſagio ſub veſtro Ducatu, Duce Deo, in „ Subſidium Terræ Sanctæ contra Soldanum „ Babylonicum, hoſtes fidei, ac perfidos „ Sarracenos, fautores, & adjutores eorum, „ maximè contra illos impios Chriſtianos, „ qui ad terras dicto Soldano ſubjectas contra prohibitionem Apoſtolicæ Sedis accedunt, & redeunt ab eiſdem profecturo cum „ ſubſidio nobilium mulierum Januenſium, „ quæ Divinitùs inflammatæ, cum ſuis Sociabus atque Sequacibus, de bonis propriis negotio tàm pio ſubveniunt, quarum nonnullæ diſponunt in hujuſmodi paſſagio perſonaliter proficiſci ad exhibendum humanitatis obſequia bellatoribus „ Crucifixi, Nobilitatem veſtram rogamus, „ monemus, & hortamur attentè obſecrantes „ per viſcera miſericordiæ Dei noſtri Patris, „ ut hujuſmodi negotium proſequamini propter Deum, & animarum veſtrarum ſalutem, & prædictæ Terræ ſuccurſum, fideliter, & ferventer; & ad hoc ipſum eos, „ qui in paſſagio prædicto tranſibunt, & „ alios inducatis, ſecundùm gratiam, quam „ Filius Dei Dominus Jeſus Chriſtus cœlitùs vobis dabit, quærentes, quæ ejus ſunt, „ non quæ veſtra. Ad hæc Nobilibus viris, „ qui vobiſcum in dicto Stolio, ſeù paſſagio „ transfretabunt, ac illis etiam, qui vobis „ in iſto negotio, Deo auctore, ſe jungunt, „ per Apoſtolica ſcripta diſtrictè præcipiendo mandamus, quatenùs ad reædificationem, & reparationem alicujus Caſtri, Civitatis, vel loci muniti, ſitorum in dicta Terra Sancta, vel quavis parte Syriæ, præſertim maritimorum occupatorum, & deſtructorum per hoſtes fidei à tempore ultimi Concilii Lugdunenſis, celebrati ſub fœlic. record. Gregorio Papa X. prædeceſſore noſtro, ſub quovis titulo, vel quæſito colore ad utilitatem veſtram, vel quarumcumque ſingularium ſæcularium perſonarum, ac cujuſvis Univerſitatis, vel „ Communis maximè Tripolitanæ Civitatis, nullatenus procedatis abſque Apoſtolicæ

,, licæ Sedis licentia ſpeciali, per ejus paten-
,, tes literas apparente. Nos enim de tali-
,, bus, auxiliante vobis Divinâ potentiâ,
,, opportuno tempore diſponemus, ac etiam
,, Cathedralibus Eccleſiis dictarum Terræ
,, Sanctæ, & Syriæ de Paſtoribus idoneis
,, providere curabimus, prout videbimus
expedire. *Datum ut ſupra*. Ad eaſdem inde prænobiles fœminas alias pariter fecit literas, ſic ſe habentes,

Dilectis in Chriſto Filiabus Nobilibus Mulieribus, A. de Carmedino, I. de Ghiſulphis, M. de Grimaldis, C. Franetæ, A. de Auria, S. Spinulæ, S. & P. de Cibo, P. de Caris, & aliis earum Sociabus, & Sequacibus Januenſibus,

226 ,, Ex veſtrarum, & dilectorum filio-
,, rum nobilium virorum Benedicti Zacha-
,, riæ, Jacobi Lomellini, Lanfranchi Tarta-
,, ri, & Joannis Blanci Civium Januenſium
,, literarum tenoribus, & relatione dilecti
,, filii Fra. Philippi Saonenſis Lectoris, Or-
,, dinis Minorum, percepimus quòd vos, &
,, aliæ quamplurimæ mulieres Civitatis Ja-
,, nuenſis, Divino Spiritu inflammatæ pro-
,, vidè attendentes, quòd Caſſanus Magnus
,, Tartarorum Imperator cum multitudine
,, ſui exercitus, licèt Paganus, Regnum Hie-
,, roſolymitanum intraverat ad expellendos
,, de Terra Sancta Soldanum Babylonicum,
,, ejuſque ſequaces incredulos, & eâ Chri-
,, ſtiano cultui reſtitutâ, cantica Domini de-
,, cantarentur in ipſa exultationis, & lau-
,, dis; quòdque Reges, & Principes, &
,, alii Chriſtiani potentes, & ad arma do-
,, ctiſſimi ad ſubveniendum dictæ Terræ pie-
,, tatis quodammodò viſcera clauſiſſe vi-
,, dentur, obturantes aures ſuas clamoribus
,, exulum, qui Terram ipſam hactenus ha-
,, bitarunt, quorum raucæ factæ ſunt fau-
,, ces in expetendo lacrymabiliter Terræ ſæ-
,, pedictæ ſuccurri, induitis mente viros, in
,, corpore fragili, decernentes ſibi veſtro-
,, rum largitione bonorum per viam marini
,, Eſtolii ſubvenire ſub ducatu nobilium
,, prædictorum, & nonnullæ veſtrum fœmi-
,, neos animos ſupergreſſæ, ad perfectiora
,, feruntur, diſponentes quaſi paſſagio trans-
,, fretare. *Et poſt aliqua*. Ut reformato
,, corpore humilitatis earum conformentur
,, Chriſti corpori claritatis, ſecundùm ope-
,, rationem, qua poteſt etiam ſubiicere ſibi
,, omnia, qui in Cœlis ſedens ad dexteram
,, Dei Patris interpellat pro nobis, & exau-
,, ditur pro ſua reverentia: Non enim Pater
,, æternus denegare quicquam poteſt Filio
,, coæterno. Devotionem igitur veſtram,
,, & Charitatis incendium, ſanctumque
,, propoſitum dignum in Domino laudibus
,, commendantes, deſideriis veſtris libens
,, ter occurrimus, & nonnullas petitione-
,, ad robur, & juvamen negotii pro parte
,, veſtra petitas à vobis ad exauditionis gra-
,, tiam, prout decet, & expediens vidimus,
,, liberaliter duximus admittendas, prout in
,, aliis noſtris literis ſuper hoc confectis
,, pleniùs continetùr, ſperantes in Domino,
,, quòd multiplicabit vobis ſocias, & alia
,, tribuet incrementa, per quæ recuperabi-
,, tur dicta Terra, & reſtituetur cultui Chri-
,, ſtiano, quam Dominus proprio Sanguine
,, conſecravit, & ipſo largiente, qui poteſt,
,, vobis multiplicabitur gratia in præſenti;
,, & eo duce, qui novit, pervenietis ad æter-
,, nam gloriam in futuro. *Datum, ut ſupra*.

227 Caſſanum paganum appellat, quia tunc fortè nondùm ſacro baptiſmate renatum, quem poſtea baptizatum cujuſdam miraculi occaſione ſcribit S. Antoninus 3. par. cap. 8. §. 9. ubi de illo verba faciens, ait:
,, Hic demùm Chriſtianus effectus, Baptiſma
,, ſuſcepit, & ad hoc induxit multos ex ſuis.
,, Cauſa autem ſuæ converſionis ad fidem,
,, miraculum fuit, quod hic ſequitur ad
,, conſolationem fidelium enarrandum. *Deinde* ſubnectit, præfatum Caſſanum nupſiſſe filię Regis Armeniæ mulieri Chriſtianæ, & piæ aliundè pulcherrimæ, in qua ſuper omnes plurimùm ſe complacuit: ,, Ex qua citò filium
,, ſuſcepit, *proſequitur Antoninus*, ſed ita
,, deformem, & turpem, ut vix in eo huma-
,, nitas appareret. Caſſanus ſuper hoc con-
,, ſilium ſumens cum Satrapis, & Sapienti-
,, bus ſuis collatione ſimul factâ, ab eis re-
,, ſponſum accepit, hoc ideò accidiſſe, quia
,, ex adulterio conceperat, & ideò ipſa cre-
,, mandam eſſe cum prole ſua. Determina-
,, tione eâ factâ, quamvis hoc grave eſſet Caſ-
,, ſano propter amorem ad illam conceptum,
,, populus quoque Civitatis condoleret, cùm
,, rogus ad hoc pararetur, ſibique ſignificata
,, eſſet mors ſua, poſtulavit illa hanc ſibi gra-
,, tiam fieri, ut more Chriſtianorum ſibi li-
,, ceret confeſſionem facere, & Communio-
,, nem Sacram ſuſcipere, & filium illum
,, ſuum baptizari. Quibus peractis, & par-
,, vulo illo baptizato in debita forma, ſubi-
,, tò puer mutatus eſt in alterum, & appa-
,, ruit ita pulcher, & gratioſus, ſicut qui-
,, cumque alius in Orbe reperiri poſſet. Ex
,, tàm evidenti prodigio nimis lætificatus
,, Caſſanus, non ſolùm immunem eſſe voluit
,, uxorem ſuam cum prole à morte, ſed eam
,, quoque Imperatricem decrevit, & cum
,, magna ſolemnitate ipſe cum innumerabili
,, populo Tartarorum credentes in Chri-
,, ſtum, Baptiſmum ſuſceperunt: & in teſti-
,, monium veritatis prædictorum quidam
,, Florentinus origine, nutritus in partibus
,, illis à pueritia, deſtinatus fuit orator cum
,, pluribus Tartaris ad referendum iſta Do-
,, mino Papæ Bonifacio, & Principibus fide-
,, lium. *Hactenus S. Antoninus*. Ex qua narratione apparet, ante ejus obitum Caſſanum

ſanum baptiſmum ſuſcepiſſe, aliamque ad Bonifacium Papam Octavum miſiſſe Legationem.

228 Præterea Bonifacius, præter recitatas literas, ſcipſit etiam varias literas ad Porchettum Spinolam ex Ordine Fratrum Minorum, olim Archiepiſcopum Januenſem, tunc propter ejus renunciationem, ejuſdem Eccleſiæ adminiſtratorem, quatenùs convocato Clero, & populo Januenſi, proponeret verbum Crucis, ac exemplo prædictarum Nobilium fœminarum, alios quoque ad idem præſtandum excitaret. Literæ verò eidem eodem tempore datæ, ad hunc modum ſe habent.

Dilecto Filio Fratri Porchetto Spinolæ Adminiſtratori Eccleſiæ Januenſis.

229 „ En quod expectabamus, invenimus, vidimus, mulieres ſcilicet fortes ſe „ per pietatis, & virtutum opera exercentes, „ ſuorum pœnitentiæ, & laborum panem „ portantes de longe, de exilio, ſcilicet præſentis peregrinationis ad patriam, & ſurgentes de nocte mundialium tenebrarum, „ ut domeſticis fidei, Crucis adverſarios dent „ in prædam, & quaſi non habentes hìc manentem Civitatem, futuram inquirant; „ accinxerunt fortitudine lumbos ſuos, brachium ſuum virilibus operibus roborarunt, „ quorum lucernæ non extinguentur in nocte, manus ſuas miſerunt ad fortia, & „ palmas ſuas aperuerunt inopibus, impendendo ſubventionis auxilium exulibus, „ Terræ Sanctæ pauperibus, à frigoribus „ nivis ſuis domibus non timebunt, cum „ ſint veſtitæ duplicibus, dabitur ei de fructu operum ſuorum, & in portis earum „ opera laudabuntur: quæ ſunt hæ, & laudabimus eas? in vita ſua mirabilia facientes. Iſtæ ſunt nonnullæ nobiles Januenſes, & ipſarum ſociæ, ac ſequaces, „ quæ divinitùs inſpiratæ in ſexu fragili viriles animos induerunt, exurgentes in dictæ Terræ ſuccurſum, ut ſtent cum Chriſto conſtanter in acie adversùs malignantes, & adversùs operantes iniquitatem, „ qui, proh dolor! terram inhabitant memoratam. O' miracula, ò prodigia! Fœminæ præveniunt viros in ſæpèdictæ Terræ „ ſuccurſum. Hæ amictæ Sole, temporalia „ ſub pedibus ſuis ſternunt ſignificata per „ Lunam. Reges, & Principes Mundi ſuccurrere etiam invitati, effugiunt, fœminæ imbecilles ultrò ſe offerunt. Undè hoc? „ De ſursùm utique à Patre Luminum, à quo „ omne datum optimum, & omne donum „ perfectum deſcendit. An non in mulieribus iſtis innovata ſunt ſigna, & mirabilia „ immutata?

230 „ Accepimus nàmque, quòd prædictæ mulieres, & ipſarum ſociæ, & ſequaces decreverunt ſuorum largitione bonorum per viam Marini Eſtolii præfatæ Terræ ſtatui ſubvenire ſub ductu dilectorum „ filiorum nobilium virorum Benedicti Zacheriæ, Jacobi Lomellini, Lanfranchi „ Tartari, & Joannis Blanoi, Civium Januenſium, & nonnullæ ipſarum fœmineos „ animos ſupergreſſæ, ad perfectiora feruntur, diſponentes perſonaliter in particulari quaſi paſſagio transfretare, ad exhibendum obſequia bellatoribus Crucifixi, „ per quos Chriſtianitatis hoſtes, auxiliante Deo, poterunt impugnari, & in ipſa „ Terra morari, ad calcandas hujus Mundi „ paſſiones, potiùs eligentes affligi cum populo Dei, quàm temporalis vitæ jucunditatem habere, aſpicientes in remunerationem, quam oculus non vidit, nec auris „ audivit, & in cor hominis non aſcendit.

231 „ Cùm igitur tàm luminoſa opera „ non ſint ponenda ſub modio, ſed ſuper „ Candelabrum, ut ea, quæ ſunt in Domo „ Dei, videant, & provocentur ad imitationem ipſorum, diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus congregatis Clero & populo Januenſi, ad eorum „ deducas notitiam ſupradicta, & ad imitandum tàm ſalubria opera, ſecundùm à Deo „ tibi conceſſam prudentiam inducas eoſdem, „ & tàm in Civitate Januenſi, quàm in ejus „ Provincia, riparia, & diſtrictu, per te, vel „ alium, ſeù aliòs ea denunties & denunciari facias, prout videris expedire. Cæterùm „ nolumus te latère, quòd in adjutorium tàm „ fructuoſi negotii porrectæ ſunt nobis nonnullæ petitiones, pro parte virorum nobilium, & mulierum prædictarum, quas, prout „ expedire ipſi negotio vidimus, duximus „ liberaliter admittendas, prout in noſtris „ aliis literis continetur, & volumus, quòd „ hoc etiam per te, vel alium, ſeu alios deducas in publicam notitiam diligenter, „ in præmiſſis te taliter habiturus, quòd „ exinde retributionis æternæ præmium conſequaris à Deo, & nos tuam prudentiam „ meritò commendare poſſimus. Qualiter „ autem proceſſeris in præmiſſis, & utilitatem „ & fructus, quos proventuros ex his, Deo „ auctore, confides, nobis ſerioſiùs reſcribas. *Datum Anagniæ v. Idus Auguſti, Anno VII.* Quæ porrò conceſſit præfatis nobilibus viris, ac mulieribus, aliiſque cum ipſis transfretantibus exhibet in altera ad eundem Porchettum data Epiſtola, quæ ſic ſe habet.

Dilecto Filio Fratri Porchetto Spinolæ &c.

232 „ In Concilio Generali Lugdunenſi, „ & poſtea ſæpiùs extitit laboratum, ut generale paſſagium fieret in Terræ Sanctæ ſuc-

„ ſuccurſum, contra perfidos Sarracenos, quod hucuſquè diverſis occaſionibes, ſive cauſis extitit impeditum,& adhùc ad ipſum generale paſſagium via prompta, ut noſter deſiderat animus, non apparet. Verùm altitudo divitiarum Sapientiæ & ſcientiæ Dei, cujus incomprehenſibilia ſunt judicia, & inveſtigabiles ejus viæ, nec humanis limitibus clauditur, nec arctatur. Undè non multos ſapientes, ſecundùm carnem, non multos potentes, non nobiles multos, ſed quæ ſtulta ſunt Mundi, Deus elegit, ut confundat ſapientes, & infirma Mundi elegit, ut confunderet fortia, & ignobilia Mundi, & contemptibilia Deus elegit, & ea, quæ non ſunt, ut ea quæ ſunt, deſtrueret, ut non glorietur omnis caro in conſpectu ipſius, & hoc præſentis temporis videtur eſſe parabola, ut *Omega* revolvatur ad *Alpha*, dum potentibus atque nobilibus, & ſapientibus deficientibus in Terræ Sanctæ præfatæ ſuccurſum, in ſexu debili, ſtulto quodammodò, ac infirmo & contemptibili terræ memoratæ ſuccurritur, Omnipotenti Deo in manu fœminea faciente ſalutem, nobilibus mulieribus Januenſibus, aliis ſociabus, & ſequacibus earumdem inſpiratis Divinitùs, ut per Marinum ſtolium terræ ſuccurrerent memoratæ ſuorum largitione bonorum, ſub ducatu dilecti filii Benedicti Zachariæ,Lanfranchi Tartari, Jacobi Lomellini, & Joannis Blanci nobilium Civium Januenſium nonnullis ex mulieribus ipſis diſponentibus transfretare, bellatoribus Crucifixi obſequia impenſuris, quarum devotionis fervorem, & charitatis incendium, ſanctumque propoſitum commendantes dictorum nobilium & mulierum precibus inclinati, infraſcripta, ut excitentur ad animi imitandum ſanctum propoſitum duximus concedenda.

233 „ De omnipotentis igitur Dei miſericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum meritis, & auctoritate, ac illa, quam nobis, licèt immeritis, ligandi, atque ſolvendi tribuit poteſtate confiſi, omnibus de Civitate, Diœceſi, Provincia, Riparia, & diſtrictu Januenſi, & de Civitatibus,& terris ad duas legales dietas vicinis, verè pœnitentibus, & confeſſis, qui ſigno vivificæ Crucis aſſumpto, à te, vel ab aliis, quos ad id duxeris deputandos, in propriis perſonis, & expenſis, aut in expenſis alienis in perſonis propriis, illis etiam, qui ſecundùm facultatum ſuarum vires, ſine fraude in expenſis ſuis mittendo alium, vel alios bellatores, ad expugnationem proceſſerint prædictorum, & in hujuſmodi expugnatione, perſeveraverint congruo tempore: Illis inſuper, qui occaſione proſecutionis hujuſmodi, mortem incurrerent illam, ſuorum omnium remiſſionem concedimus peccatorum, quæ dudùm in Generali Concilio transfretantibus in dictæ Terræ Sanctæ ſubſidium, per Sedem Apoſtolicam eſt conceſſa.

134 „ Inſuper concedimus, ut illi, vel illæ, quæ de prædictis, Civitate, Diœceſi, Riparia, ſeù diſtrictu, Civitatibus & terris, ut præmittitur, ipſis vicinis, quæ in memoratæ terræ ſubſidium aſſumpſerunt hactenùs ſignum Crucis, illùc perſonaliter profecturi, poſſint hujuſmodi ſignum reſumere, & cum dicto ſtolio,ſeu paſſagio transfretare, & Domino reddere vota ſua, illam Indulgentiam habituri, quam haberent, ſi in paſſagio generali tranſirent, ſi qui verò fuerint, qui licèt perſonaliter ad ejuſmodi expugnationem ire non velint, ſeù ire non poſſint, aliàs tamen aliquid de bonis à Deo ſibi collatis obtulerint, vel offerent in ſubſidium negotii ſupradicti, vel naves, vel galeas faciendo, aut alio quovis modo in ipſo negotio præſtabunt auxilium, conſilium, vel favorem, eos hujuſmodi remiſſionis gratiâ volumus eſſe participes ſecundùm quantitatem ſubſidii & devotionis affectum. *Datum,ut ſupra*. Sed, & tertiam fecit ad eundem Epiſtolam, qua mandat ei, ut verbum Crucis prædicari faciat, ac transfretare volentes in ſubſidium Terræ Sanctæ, Cruce conſignet: Ita ſcribens.

Fratri Porchetto Spinulæ Ordinis Minorum, Adminiſtratori Eccleſiæ Januenſi.

235 „ Sperantes in Domino, quòd per Marinum ſtolium,ſeù quaſi particulare paſſagiũ Terrę Sanctę miſerabili ſtatui ſuccurreretur in brevi, procurantibus,& operantibus hoc nonnullis nobilibus Mulieribus, earundemque ſequacibus, & ſociabus Januenſibus, & ad hoc exponentibus bona ſua, quarum nonnullæ diſponunt, duce Domino, in dicto ſtolio, ſeu paſſagio perſonaliter transfretare; tibi, de cujus bonitate, ſcientia, fidelitate, ac circumſpectione confidimus, prædicandi Verbum Crucis per te, vel per alium, ſeù alios in Civitate, Diœceſi, Provincia, Riparia, & diſtrictu Januenſi, eiſque infrà duas legales dietas vicinis Civitatibus, Caſtris, terris, ac locis, & dandi Crucis ſignaculum volentibus illud devotè recipere, plenam auctoritate præſentium concedimus facultatem. Tu verò in præmiſſis ſtudeas ſic prudenter, & ſic ſolicitè te habere, ac ſpeciali ſuper acceleratione Eſtolii, ſeu particularis paſſagii ſupradicti, quam ferventer appetimus, quod à Deo exinde de retributionis æternæ præmium conſequaris, noſque ex hoc tuam prudentiam meritò commendare poſſimus reſcripturus nobis quod ſuper his feceris, & quommodò tàm pium negotium proſperè,Deo auctore, procedet. *Datum Anagniæ* IV. *Idus Auguſti, An-*

Anno VII. Denique ſcripſit Miniſtro Provinciali Fratrum Minorum Provinciæ Januenſis, mandans, ac præcipiens, ut transfretaturis in ſubſidium Terræ Sanctæ, provideat de Religioſis idoneis, ſufficienti numero, qui valeant Eccleſiaſtica adminiſtrare Sacramenta, aliaque pia opera exercere in ſpirituale eorundem transfretantium iuvamen, & ſolatium, ſcribens in hunc videlicet modum.

Miniſtro Provinciali Fratrum Ordinis Minorum Provinciæ Januenſis.

236 „ Qui fecit ſalutem in manu fœminæ „ & per eam capite Holophernis abſciſſo, „ Civitatem Sanctam Hieruſalem de manu „ hoſtium liberavit, creditur nonnullis nobilibus mulieribus Januenſibus, earumque „ ſociabus, ſeù ſequacibus inſpiraſſe, ut de „ Terræ Sanctæ ſuccurſu, cui Reges, & „ Principes, & alii Chriſtiani potentes, & „ ad arma doctiſſimi obturatis cordibus non „ ſuccurrunt, efficaciter cogitarent, quæ per „ Marinum ſtolium, & quaſi particulare paſſagium ad partes illas, Duce Deo, perventurum in brevi, eidem terræ ſuccurrere „ decreverunt, ad hoc bona propria expendendo, & earum aliquæ diſponunt perſonaliter transfretare ad impēdendum humanitatis obſequia bellatoribus Crucifixi. „ Talium itaque devotis fervoribus, & charitativis affectibus libenter occurrimus, & „ earum pium propoſitum dignis favoribus „ confovemus. Ideoque diſcretioni tuæ in „ virtute Obedientiæ diſtrictè præcipiendo „ mandamus, quatenus auctoritate noſtrâ de „ conſilio Diſcretorum Fratrum tui Ordinis „ aſſumas aliquos Fratres ejuſdem Ordinis „ de Januenſi, & aliarum Civitatum vicinarum Conventibus in numero congruo, viros utique literatos, bonæ converſationis „ & vitæ, & in dicto ſtolio, ſeù paſſagio, „ tranſmittas eoſdem, auctoritate prædictâ „ concedens eiſdem, ut perſonis in dicto ſtolio, ſeù paſſagio transfretantibus, & aliis, „ quæ jungentur eiſdem Eccleſiaſtica Sacramenta miniſtrent, ipſoſque inſtruant, & „ informent verbo pariter, & exemplo percepturi exinde à Deo gratiam in pręſenti, & „ æternam gloriam in futuro. In his te taliter habiturus, quòd à Deo præmium conſequaris: noſque devotionem tuam meritò „ commendare poſſimus, reſcribas autem nobis quidquid ſuper his feceris, & quomodò confidis hujuſmodi negotium, Divina „ favente clementia, proſperè proceſſurum. „ *Datum Anagniæ* IV. *Idus Auguſti*, *Anno VII.*

237 Cæterùm irriti redditi ſunt Chriſtianorum conatus pro Syria iterùm poſſidenda, vel recuperanda, reverſo namque Caſſano in Meſopotamiam, adveniente proxima æſtate, proditione cujuſdam Capchick, cui commiſerat cuſtodiam Damaſci, univerſa Syria defecit à Caſſano, & Soldano ſe ſubmiſit Babyloniæ, prout Ayton in præfata ſcribit Hiſtoria Orientali cap. 43. inquiens: „ Æſtivo verò tempore adveniente, Capchick prædictus, qui ergà Caſſanum jamdudùm conceperat falſitatem, occultè miſit ad Soldanum, quòd redderet ſibi Damaſcum & alias „ terras, quas Caſſanus, & Tartari occupaverunt in Syria. Et Soldanus promiſit „ Capchick, quòd ſi ea, quæ promiſerat, „ adimpleret, ſibi daret perpetuò dominium „ Civitatis Damaſci, & de Theſauro ſuo „ etiam magnam partem, & ſororem ſuã ſibi „ traderet uxorem. Et ita poſt modicum temporis ſpatium Capchick rebellis effectus, „ fecit omnia caſtra Tartaris rebellare: ſpes „ enim illorum æſtus æſtivi temporis, in quo „ Tartari non poterant equitare, neque ſuis „ ſubſidium impertire. *Hæc Ayton*. Auditâ defectione Syriæ Caſſanus, adveniente hyeme magnum exercitum ad Euphratis ripas congregavit, ulturus pro ſibi irrogata à Syris injuria; verùm rem ad effectum perducere nequivit, infirmitate correptus; & licèt convaleſcens, anno altero iterùm expeditionem paraſſet, præventus à Sarracenis, ut tradit Sanutus lib. 3. par. 13. cap. 8. omnem terram devaſtantes, ceſſit à propoſito: „ Sarraceni, „ *inquit*, Caſſani timentes adventum, cùm „ in bello non confiderent ſe eſſe pares, totam „ terram eorum combuſſerunt ante faciem „ Tartarorum; itaquòd collectis frugibus, & „ aliis in terra creſcentibus, ac animalibus „ in Caſtris, & munitionibus congregatis, „ reſiduum totum ignibus devaſtarunt, ut „ cùm Tartari venirent, non invenirent victualia, neque pabula pro jumentis. Quandò Caſſanus intellexit ea, quæ fecerant „ Agareni, & qualiter diſſipaverunt terram „ totam, cogitans, quòd equi illis in terris „ taliter devaſtatis non poſſent ſuſtentari, „ accepit conſilium remanendi ſuper littora „ fluminis Euphratis illâ hyeme, & veris tempore veniente, dùm herbæ inciperent pullulare, & perficere iter ſuum. *Hæc ille*, qui inde totam proſequitur Hiſtoriam, enarrans, quomodò anno inſequenti mala ceſſerint Tartaris in obſidione Damaſci, & quomodò inglorii receſſerint. Ayton verò cap. 45. tradit, poſt hæc Caſſanum diem clauſiſſe extremum, relicto Regno Carbogandæ ejus filio, de quo ſupra mentionem fecimus, qui licèt baptizatus, factus Apoſtata, Sarracenorum legi adhæſit: Ac ita univerſa Syria cum Sancta Hieruſalem Civitate manſit in Sarracenorum manibus nunquam ampliùs erepta, manetque & adhùc, ita Chriſtianorum exigentibus peccatis, ſub eadem tyrannide, ac infidelium barbaro dominio. Caſſanum verò obiiſſe Anno Domini MCCCIV. ſub Benedicti XI. Pontificatu, referunt ſcriptores.

DUBIUM INCIDENS.

An Cœleſtinus Papa V. potuerit cedere, aut ſe Pontificatu abdicare.

238 Agitatam hanc controverſiam ante Cœleſtini V. renunciationem, conſtat ex ejuſdem Cœleſtini Sanctione, qui ad hanc eliminandam dubietatem decrevit, id Romano Pontifici licere, ut Bonifacius VIII. declaravit *in cap. Quoniam, tit. 7. de Renunciat. in 6.* „ Quoniam aliqui curioſi diſceptantes de „ his, quæ non multùm expediunt, & plura „ ſapere, quàm oporteat, contrà doctrinam „ Apoſtoli, temerè appetentes, in dubita- „ tionem ſolicitam, an Romanus Pontifex, „ cùm ſe inſufficientem agnoſcit ad regen- „ dam univerſalem Eccleſiam, & Summi „ Pontificatus onera ſupportanda, renun- „ ciare valeat Papatui; ejuſque oneri, & „ honori deducere minùs providè videban- „ tur: Cœleſtinus Papa V. prædeceſſor no- „ ſter, dùm ejuſdem Eccleſiæ regimini præ- „ ſidebat, volens ſuper hoc hæſitationis cu- „ juslibet materiam amputare, deliberatio- „ ne habitâ cum ſuis fratribus Eccleſiæ Ro- „ manæ Cardinalibus, de quorum numero „ tunc eramus, de noſtro, & ipſorum om- „ nium concordi conſilio & aſſenſu, Aucto- „ ritate Apoſtolicâ ſtatuit & decrevit, Ro- „ manum Pontificem poſſe liberè reſignare. „ Nos igitùr, nè Statutum hujuſmodi per „ temporis curſum oblivioni dari, aut du- „ bitationem eamdem in recidivam diſcepta- „ tionem ulteriùs deduci contingat, ipſum „ inter Conſtitutiones alias, ad perpetuam „ rei memoriam, de fratrum noſtrorum con- „ ſilio duximus redigendum. *Hæc ille.*

239 Et hanc ſententiam exemplo Clementis Papæ I. comprobatam apparet, qui electus à Petro in ſui ſucceſſorem, Papatui renunciavit, electus indè Linus, Cletus poſteà, & deniquè poſt Cletum, iterùm Clemens. Electum porrò Clementem à Petro, conſtat ex prima ejuſdem Clementis Epiſtola ad Jacobum fratrem Domini data, ubi in principio de Petri obitu, ejuſque ante obitum geſtis verba faciens, inter alia ait: „ Hic „ inquam, pro pietate pati volens, præſen- „ tem vitam finivit. In ipſis autem diebus, „ quibus vitæ finem ſibi imminere præſenſit, „ in conventu fratrum poſitus, apprehensâ „ manu meâ, repentè conſurgens, in auri- „ bus totius Eccleſiæ hæc protulit verba; „ *Audite me, fratres & conſervi mei, quoniam* „ *ut edoctus ſum ab eo, qui miſit me, Domino* „ *& Magiſtro meo Jeſu Chriſto, dies mortis* „ *meæ inſtat, Clementem hunc Epiſcopum vo-* „ *bis ordino, cui ſoli meæ prædicationis, &* „ *doctrinæ Cathedram trado.* Et poſt alia ſubdit Clemens; Hæc eo dicente, ego procidens ad pedes ejus, rogabam excuſans me, „ & declinans honorem Cathedræ, vel po- „ teſtatem. At ille reſpondens: *Pro hoc,* inquit, *nè me rogaveris. Hoc enim fieri ſta-* „ *tutum eſt mihi, & eò magis, quod excuſas:* „ *quia hæc Cathedra eum, qui cupit eam, &* „ *audacter expetit, non requirit, ſed ornatum* „ *moribus, & in verbis eruditum.*

240 Hoc idem relatum habetur *cauſ. 8. quæſt. 1. cap. Simon Petrus.* Et Joannes Papa III. in Epiſtola ad Epiſcopos Germaniæ, cap.2. „ Si autem Petrus, *inquit*, Princeps „ Apoſtolorum adjutores ſibi adſcivit Li- „ num, & Cletum, non tamen poteſtatem „ Pontificis, aut ligandi, aut ſolvendi eis „ normam tradidit, ſed ſucceſſori ſuo Sancto Clementi, qui Sedem Apoſtolicam „ poſt eum, & poteſtatem Pontificalem, tradente ſibi Beato Petro, tenère prome- „ ruit. *Hæc ille.* Et totidèm verbis habetur apud Gratianum, eadem *cauſ.* 8. *quæſt.* 1. *cap.*1. *Si Petrus.* Ubi Gloſa; *Videns autem Clemens, quòd hoc eſſet pernicioſum exemplo, quòd aliquis ſibi eligeret ſucceſſorem, renunciavit Papatui, & tunc electus fuit Linus: Eo mortuo, electus eſt Cletus; quo mortuo, denuò fuit Clemens electus.* Altera autem Gloſa in cap. *Quoniam, de Renunciat. in 6.* mox cit. affert nedùm Clementis, verùm & Marcellini exemplum, inquiens; „ Contrarium verum „ eſt, ut hìc vides, & probatur ex eo, quia „ Marcellinus renunciavit Papatui, cui ſub- „ ſtitutus fuit Marcellus, 21. *Diſtinct. cap.* „ *Nunc autem.* Item Clemens renunciavit „ Papatui, cui ſucceſſit Linus, & eo mor- „ tuo Cletus, & illo mortuo, iterùm ſucceſ- „ ſit Clemens, ut in Chronicis, & vide de „ hoc 8. cauſ. cap. 1. quæſt. 1. *Hæc Gloſa.* Et cauſ. 7. quæſt. 1, cap. 12. *Nunc autem*, idem repetit; ubi quærens; *Numquid Papa poteſt renuntiare?* Reſpondit; *Utique; Nam Marcellinus renuntiavit*, Diſtinct. 21. cap. Nunc autem. *Et Clemens Papa; ſed poſt Linum, & Cletum iterùm recepit Cathedram.*

241 At in contrarium nonnulli ſentiebant tempore Bonifacii, exemplum Clementis nequaquàm admittentes, quoniam in Eccleſiaſticis Tabulis, non certò conſtare videtur, Petrum, ſucceſſorem in ſua Cathedra ſelegiſſe Clementem. Epiſtolam verò Clementis præfati data poſt Petri obitum ad Jacobum fratrem Domini, ſuſpicione ſuppoſitionis non carere, cùm, teſte Divo Hieronymo in lib. de Viris Illuſtrib. in Jacobo, conſtet hunc occiſum Anno VII. Imperii Neronis; Petrum verò Martyrium conſumaſſe ultimo Neronis anno, ſcilicèt, illius Imperii XIII. communis eſt Scriptorum ſententia; Ac ideò non videtur, Clementem poſt Petri obitum, & poſt Annum XIII. Neroni potuiſſe literas ſcribere ad Jacobum fratrem Domini, ſexennio ante vitâ functum. Epiſtolam pariter Joannis III. ad Epiſcopos Germaniæ, omninò ſuppoſititiam eſſe tradunt Eruditi. Et primò,

quia

quia in fine illius legitur; *Data XIV. Kalend. Auguſti, Juſtino VI. & Narſete viris clariſſimis Conſulibus*; ac proindè Anno VII. Imperii Juſtini, Domini verò DLXXII. Eo namque anno objiſſe Joannem, ferunt Scriptores, non tamen perveniſſe ad XIV. Kalendas Auguſti, cujus obitum Anaſtaſius conſignat in diem III. Idus Julii. Ex quibus infertur, eam exaratam poſt Joannis obitum. Abeſt quoquè à vero, quod in ea Epiſtola legitur, Cletum ſcilicèt, & Linum ſolùm fuiſſe Chorepiſcopos, quos univerſa antiquitas, Epiſcopos, & Romanos Pontifices extitiſſe teſtatur; Immò tempore Joannis Papæ III. nomen Chorepiſcoporum apud Gallos, & Germanos penitùs abolitum fuerat: Et ita non videtur veroſimile, Joannē integram de Chorepiſcopis, & illorum officio Epiſtolam ad eas voluiſſe mittere Provincias, in quibus jam nullus reperiebatur Chorepiſcopus. Et hiſce de cauſis viri docti hanc Epiſtolam non genuinam Joannis fatentur, ſed ſuppoſititiam, licèt Gratianus nonnulla ex ea deprompta in ſuo inſeruerit decreto.

242 De Marcellino verò, datâ veritate Hiſtoriæ, de qua dubitat Sanctus Auguſtinus, de unico Baptiſmo contra Petilianum, lib. 6. eò quòd ad Idola deflexerit, ac in Templo Veſtæ, & Iſidis, Herculi, Jovi, & Saturno thurificaverit, metu tormentorum, vigente tunc diriſſimâ Diocletiani in Chriſtianos perſecutione: & convictus in plena trecentorum Epiſcoporum Synodo, apud Sinveſſam in quadam Grypta celebratâ, teſtimonio ſeptuaginta duorum fide dignorum, ſi vera & genuina ſunt illius Synodi Acta, proprio ore confeſſus eſt peccatum ſuum, ſententiamque in ſe tulit, & indignum ſe Sacerdotio eſſe pronunciavit: „ In ſinu trecentorum „ Epiſcoporum, *inquiunt Acta*, caput cine„ re convolutum habens Marcellinus Epiſco„ pus Urbis Romæ, voce clarâ clamans dice„ bat: *Peccavi coràm vobis, & non poſſum eſſe* „ *in ordine Sacerdotum, quoniam avarus corru*„ *pit me auro. Subſcripſerunt igitur ejus dam*„ *nationem, & damnaverunt eum extrà Civitem*. His peractis, idem Marcellinus pœnitentiâ ductus, pro Chriſti fide, capite truncatus, jubente Diocletiano, ſeù veriùs Maximiano, pro fide Chriſti martyrio coronatus eſt, ut Acta ejuſdem Marcellini teſtantur. Itaque Marcellini ceſſio deduci non poteſt in exemplum, quaſi ex hoc liceat Romano Pontifici Pontificatui liberè, ac ſpontè cedere; quoniàm illa ſpontanea ceſſio dici non poteſt, ſed magis depoſitio propter commiſſum ſcelus, externæ ſaltem Idololatriæ, ipſomet in ſe depoſitionis ſententiam ferente, cui poſteà cæteri ſubſcripsère, non ſecùs ac ſi Pontifex in alium ſententiam tuliſſet, cui reliqui Epiſcopi adhæſiſſent. Nec tamen ſubitò electus eſt ſucceſſor, nam nonniſi poſt Marcellini martyrium, & quidèm poſt ſeptem vacantis Sedis menſes, quibus elapſis, Marcellus renunciatus eſt Romanus Pontifex.

243 I. Deindè, qui Bonifacio adverſabantur, rationibus quoquè probare nitebantur, non potuiſſe Cæleſtinum Papatui cedere, ejuſque ceſſionem nullam, ac prorsùs irritam fuiſſe; quoniàm arguebant, Papatus à ſolo Deo eſt; & quæ à Deo, vel ab alio Superiori committuntur, à nullo poſſunt inferiori removeri; Et ſic Papalis poteſtas, quæ à ſolo Deo committitur, à nullo inferiori removeri poſſe videtur.

244 II. Item, nullus poteſt auctoritatem & poteſtatem aliquam ſpiritualem auferre, quam conferre non poteſt; ſed auctoritatem Papalem nullus conferre poteſt, niſi Deus; Ergò neque eam auferre. Sed ſi teneret renuntiatio, auferretur Papalis poteſtas: Ergò renuntiatio non videtur fieri poſſe.

245 III. Item depoſitio Epiſcoporum, translatio eorum, & abſolutio per ceſſionem, ſoli Papæ eſt reſervata, ut ait Innocentius III. in cap. Inter corporalia, extrà de Translat. Epiſcopor. lib. 1. tit. 7. cap. 2. nec etiam ipſi conceditur, niſi in quantùm Papa quodammodò Deus eſt, ideſt Dei Vicarius: *Non enim humanâ, dicitur in Textu, ſed potiùs divinâ poteſtate conjugium ſpirituale diſſolvitur, cùm per translationem, depoſitionem, aut ceſſionem auctoritate Romani Pontificis (quem conſtat eſſe Vicarium Jeſu Chriſti) Epiſcopus ab Eccleſia removetur; & ideò tria hæc, quæ præmiſimus, non tàm Conſtitutione Canonicâ, quàm Inſtitutione Divinâ ſoli ſunt Romano Pontifici reſervata*. Ergò remotio Papæ, quia Papatus omnes dignitates excellit, per Superiorem Papa voluit ipſe Deus tantummodò fieri, ideſt per ſemetipſum: Nulla enim ratio capit, quòd Deus voluerit, inferiores dignitates per ipſum Deum tantùm, aut per harum Superiorem dignitatum tolli poſſe, nec per ipſum Superiorem, niſi in quantùm ipſe Superior, ſcilicèt Papa, eſt Dei Vicarius; & tamen voluerit ipſum Papatum, quæ eſt ſumma dignitas, quæ propriè Chriſti eſt, nedùm per inferiorem Deo, ſed etiam per inferiorem ipsâ dignitate tolli poſſe: Et ſic ſolus Deus videtur tollere poſſe Papatum, & nullus alter, ſicut multipliciter videtur colligi ex Textu prædictæ Decretalis.

246 IV. Item: ſumma virtus creata per nullam virtutem creatam tolli poſſe videtur; ſed Papatus eſt ſumma poteſtas in Creatura: ergò per nullam virtutem creatam tolli poſſe videtur.

247 V. Item, nec Papa, nec tota Creaturarum univerſitas poteſt facere, quòd aliquis Pontifex non ſit Pontifex: ergò multò magis non videtur poſſe facere, quòd Summus Pontifex non ſit Summus Pontifex; nam minùs eſt tollere ſimpliciter Pontificem, quàm Summum Pontificem: Ergò cùm ſimpliciter Pontificem nullus poſſit tollere, niſi Deus,

nec

nec Summum Pontificem videtur aliquis poſſe tollere, niſi Deus: quod fieret, ſi renuntiare poſſet ità, quòd valeret.

248 VI. Item, Papa non eſt Papa, niſi per legem Divinam, & non per legem alicujus Creaturæ, nec omnium Creaturarum ſimul: Ergo nullo modo videtur, quòd Papa poſſit eximi, quin ſit Papa: nec enim Papa, ex quo conſenſit & ſubjecit ſe legi ſponſæ, poteſt eſſe non Papa per aliquam creaturam, neque per omnes ſimùl, ut videtur.

249 VII. Item: nullus poteſt tollere votum alicujus, ſeù ab ipſo abſolvere, niſi ille, qui eſt ſupra votum. Sed Papatus eſt quoddam votum maximum ſuper omnia vota: nam vovet Papa de facto ipſi Deo, quòd curam habebit univerſaliter Gregis ſui, totius ſcilicet Univerſalis Eccleſiæ: & quòd de ipſis reddet rationem: ergo ab iſto voto ſolus Deus eum abſolvere poſſe videtur. Ergo Papa nullus videtur poſſe fieri non Papa, niſi omninò à ſolo Deo aliquâ ratione: nullus enim alicui obligatus poteſt ab obligatione ſeipſum abſolvere, qua tenetur obnoxius, maximè ſuperiori obligatus. Sed Papa nullus habet ſuperiorem, niſi Deum, & per Papatum ſe Deo obligavit: ergo à nullo poſſe videtur abſolvi, niſi à Deo.

250 VIII. Item: nullus videtur ſeipſum abſolvere poſſe. Sed ſi valeret renunciatio, videtur, quòd ſeipſum abſolvere poſſet: ergo non valet renunciatio Papatus.

251 IX. Item: Papalis obligatio non videtur tolli poſſe, niſi per majorem poteſtatem, quàm ſit Papalis: ſed nulla potentia creata eſt major quàm Papalis. Ergo fieri non poteſt per Papam, nec per aliquid aliud, niſi per Deum, ut qui ſemèl eſt Papa, non ſit ſemper Papa, dum vivit, ut videtur: Item nulla dignitas Eccleſiaſtica poſt legitimam confirmationem poteſt tolli, niſi per ejus ſuperiorem. Sed Papa, ſolus Deus eſt major: ergo à ſolo Deo tolli poſſe videtur.

252 X. Item: Apoſtolus vult, & probat, Sacerdotium Chriſti eſſe æternum: & ad vivere in æternum in Sacerdote, ſequitur ipſum eſſe Sacerdotem in æternum. Ergo nullo modo poteſt eſſe vita Summi Pontificis & Summi Sacerdotis ſine Summo Sacerdotio. Ergo renunciare non poteſt, ut videtur. Et nimis extraneum, & à ratione remotum apparet, quòd Summus Pontifex, qui eſt verus ſucceſſor & Vicarius Jeſu Chriſti, qui eſt Sacerdos in æternum, poſſit abſolvi ab alio, quàm ab ipſo Deo: & quòd quamdiù vixerit non maneat Summus Pontifex: & quòd aliquo modo poſſit eſſe vita Summi Sacerdotis ſine Summo Sacerdotio, ut videtur.

253 XI. Item: ſi diceretur, quòd vita Summi Sacerdotis eſſet ſine Summo Sacerdotio, argumentum Apoſtoli, ubi dicit: ſecundùm legem Moſaicam plures facti ſunt Sacerdotes; penitùs nullum videretur eſſe, ſed falſitatem contineret: nam poſſet argui contra ipſum, quia Chriſtus ſempiternum habet Sacerdotium, reſpondet Apoſtolus; eò quòd manet in æternum; dico tibi, Beate Apoſtole, non eſt verum, quia poteſt in vita ſua renunciare, & non erit Sacerdos ampliùs: Ex hac poſitione quòd Papa renunciare poſſet, totius Scripturæ ſacræ, & verbi Apoſtoli falſitas ſequi videretur.

254 Hæc itaque potiſſimæ ſunt rationes allegatæ ab iis, qui Bonifacio VIII. adverſabantur, & per univerſum Mundum divulgatæ, Anno Domini MCCXCVII. Quibus addebatur, quòd dato etiam, poſſe Romanum Pontificem renunciare Papatui, id quòd non admittebant illi, attamen irritam fuiſſe illam Cœleſtini renunciationem fatebantur propter diverſas fraudes, quæ in ea interveniſſe aſſerebantur: *In renunciatione ipſius multæ fraudes*, ajebant, *& doli, conditiones & intendimenta, & machinamenta, & tales, & talia interveniſſe multipliciter aſſeruntur, quod eſt, quòd poſſet fieri renunciatio, de quo meritè dubitatur, ipſam vitiarent & redderent illegitimam, & inefficacem & nullam*. Petierunt inſuper, univerſale Concilium celebrari, ut in eodem cauſa examinaretur, ac Synodicâ ſententiâ definiretur: *Propter quod*, ſubjungebant, *petimus inſtanter & humiliter generale Concilium congregari, ut in eodem de his omnibus veritas declaretur, omniſque error abſcedat*.

255 Verùm his non obſtantibus conſtans & firma ſententia eſt, quam Sancta Romana Eccleſia amplectitur, & tenet, poſſe Romanum Pontificem liberè & ſpontè cedere Papatui, ac dignitati Pontificiæ renunciare. Et quidem in caſu ſchiſmatis ſæpè factum Eccleſiaſtica tradit Hiſtoria, & non ſolùm quandò dubitatur de vero Pontifice, verùm etiam quandò conſtat unum eſſe verum Pontificem, alium vero Antipapam, ſi aliâ viâ ſchiſma tolli non poteſt. Undè in ſchiſmate Urbani VI. qui verus & legitimus fuerat Pontifex, & ut talis habitus, receptus, & retentus à Sancta Romana Eccleſia; In electione ſucceſſoris, Domini Cardinales ſe juramento obſtringebant, quemquem ex ipſis electum in Papam, liberè ceſſurum Papatui pro bono Eccleſiæ, quoties contigiſſet Antipapam pariter ceſſurum. Hinc in Concilio Generali Conſtantienſi Joannes XXIII. quem hactenùs Romana eadem Eccleſia pro legitimo habuit Pontifice, & per quem eadem generalis Synodus indicta fuit, coactus eſt pro bono Eccleſiæ Papatui cedere. Immò in Seſſione v. Synodali Decreto ſancitum fuit, præfatum Joannē non ſolùm potuiſſe, ſed debuiſſe Papatui cedere propter evidentem utilitatem unionis Eccleſiæ: „ Item declarat, decernit, ſtatuit, & „ definit dicta Sancta Synodus, *dicitur ibi*, „ quòd dictus Dominus noſter Papa renuntiare tenetur, nedùm in quocùmque caſu „ in ſchedula oblationis ſuæ comprehenſo, ſed

etiam

„ etiam in quocumque, in quo ſua renunciatio afferre poteſt magnam & evidentem utilitatem ad bonum unionis Eccleſiæ Dei. „ *Hactenus ibi*. Si enim allegata argumenta valerent, ſequeretur, in nullo caſu poſſe Romanum Pontificem cedere Papatui, quoniam in quocunque caſu eſt Supremus, nec Superiorem habet in Terris, Summus eſt Sacerdos, lege Divinâ eſt talis, & competunt ea omnia, quæ in relatis argumentis ſunt expreſſa, ut de ſe patet. Et ſic injuſtè Patres Synodi Conſtantienſis decreviſſent, Joannem XXIII. debuiſſe, nedùm potuiſſe Papatui cedere, agnitum licèt priùs pro vero, & legitimo Pontifice. Sententiam quoque depoſitionis in eum in præfata ſeſſione latam, propter illius fugam, nullam, & irritam fuiſſe aſſeri oporteret, quoniam, qui liberè officio renunciare non poteſt, ex eò quia Superiorem non habet in Terris, minùs deponi ab eodem officio poteſt, propter eandem rationem, quia Superiorem non habet in Terris: Et tamen licuiſſe Patribus ad tollendum ſchiſma, licèt Joannes ſchiſmaticus non eſſet, ex facto ipſo ab univerſa Eccleſia approbato, conſtat manifeſtè.

256 Deinde conceſſum eſt Epiſcopis inferioribus pluribus de cauſis poſſe Epiſcopali dignitati cedere, & præcipuè, quandò eam retinendo, vel ſuæ officeret, vel ſubditorum ſaluti: ergò non eſt talis facultas deneganda Romano Pontifici, quoties ſine ſuæ, vel ſubditorum ſalutis diſpendio, Pontificiam dignitatem retinere non poteſt: Paſtores namque conſtituti ſunt in Eccleſia pro animarum cura habenda, ut nempe illarum invigilent ſaluti: Semèl autem quòd ad hoc ſe inſufficientes agnoſcunt, conceſſa eſt eis poteſtas ſe abdicandi, nam meliùs eſt Eccleſiam relinquere alteri regendam, quàm eam retinere cum animarum diſpendio. Undè ſi Epiſcopus habituali infirmitate detinetur, qua inſufficiens videatur effectus ad curam habendam ſuarum ovium: habet quoque poteſtatem dimittendi Eccleſiam, ut *in Cauſ.7. queſt. 1. cap.13. Qualiter ordinati, & cap.14. Quamuis triſtè*. Unde, & in cap.11. ex Evariſto Papa Epiſt. 2. dicitur: *Sicut vir non debet adulterare uxorem ſuam, ita nec Epiſcopus Eccleſiam ſuam, ideſt, ut illam dimittat, ad quam ſacratus eſt, abſque inevitablii neceſitate*. Et ita accedente hujuſmodi neceſſitate, poteſt illam dimittere: non obſtante, quòd in eodem textu, unio Epiſcopi cum ſua Eccleſia aſſimiletur conjunctioni viri cum ſua uxore. At non eſt major conjunctio Papę cum Univerſa Eccleſia, quàm ſit Epiſcopi cum ſua particulari Eccleſia: non ergò deneganda eſt Papæ reſpectu Univerſalis Eccleſiæ ea facultas, quæ reſpectu unius particularis Eccleſiæ conceſſa eſt uni Epiſcopo: ergò in iis caſibus, in quibus licet Epiſcopo Eccleſiam dimittere, licebit quoque & Romano Pontifici.

257 Præterea, ut tradit Joan: Andr. in 6. Decretal. ad cap. 1. de Renunciat. Papatus non eſt nomen Ordinis, ſed dignitatis, & officii: unde Papa electus, & nondùm conſecratus, verus eſt Papa, etiamſi nondùm eſſet Sacerdos, aut Epiſcopus ordinatus, & poteſt omnia exercere, quæ Papalis Juriſditionis ſunt, licèt non ea, quæ ordinis ſunt, ut patet ex Nicolao II. in Conſtit. ædita in Conclio Lateranenſi de elect. Pontific. relat. diſt.23. cap.1. In Nomine Domini: *Planè*, ibi, *poſtquàm electio fuerit facta, ſi bellica tempeſtas, vel qualiſcumque hominum conatus malignitatis ſtudio reſtiterit, ut is, qui electus eſt in Apoſtolica Sede, juxta conſuetudinem inthronizari non valeat: electus tamen, ſicut verus Papa, obtineat auctoritatem regendi Romanam Eccleſiam, & diſponendi omnes facultates illius, quod Beatum Gregorium ante ſuam conſecrationem feciſſe cognovimus*. Cùm autem poteſtas Papalis non ordinem, ſed juriſdictionem addat ſuper Epiſcopalem, quæ mobilis eſt, quoniam nihil eſt, quod imprimatur in anima habentis talem poteſtatem: & juriſdictio ſit res, quæ augeri, & minui poteſt: ſequitur quòd etiam deleri, vel tolli poteſt; ac proinde poterit Papa renunciare, quia ſolam tunc amittit juriſdictionem, quæ ut dictum eſt, deleri, & tolli poteſt.

258 Item ſpirituale conjugium inter Prælatum, & Eccleſiam reſpicit bonum publicum, & commune: Atqui ſi Prælatus non poſſet renunciare Eccleſiæ ſuæ, ſi eſſet ineptus, & inſufficiens, grande malum ſequeretur Reipublicæ; & quantò Prælatus majus bonum Reipublicæ reſpicit, ſicut eſt Papa, tantò, & majus eſſet malum, ſi inſufficiens licèt & ineptus, renuntiare, & cedere non poſſet. Immò quod ex Charitate inſtitutum eſt, contra charitatem militaret, ſi Præſidens inutiliter ad malum, & confuſionem Eccleſiæ, & ad damnum animæ ſuæ reſignare non poſſet. Nec omninò eſt paritas de indiſſolubilitate carnalis conjugii, quoniam, ut idem Joannes Andreas ait: carnale conjugium reſpicit bonum privatum, ſcilicet contrahentis: & ſi conſideretur ipſius diſſolutio, fortè ipſi homini eſſet bonum, quia meliorem uxorem acciperet: ſed ex hoc ſequeretur malum univerſale, quoniam cùm communiter homines plùs ducat concupiſcentia, quàm ratio, multi uxores dimitterent, nec ſic de prole haberetur cura, ſicùt nunc.

259 Sed aliqui putant, neceſſarium eſſe, ut Cardinales renunciationem acceptent, ſine qua acceptatione non valere fatentur: *Sed quia*, ait Joannes Andreas loco mox citato, *Papa, ſe obligavit Eccleſiæ, quam Cardinales repreſentant, viſum eſt aliquibus Cardinalium conſenſum eſſe neceſſarium*. Iſti namque dicunt duo eſſe in acceptatione Papatus, unum Jus ſuum, quod aquiritur; aliud verò, jus Eccleſiæ, cui obligatur: Et cuilibet licet renun-

renunciare juri ſuo in omni eo, in quo non eſt alteri ſubditus, nec obligatus: ut in cod. de Pactis, l. Si quis. Et in cap. de Epiſc. & Cleric. Ergo, inquiunt, Papa ex parte ſua Papatui renunciare poteſt; ſed quia ſemèl ſe obligavit Eccleſiæ, ex illa parte renunciare non poteſt, niſi de aſſenſu Cardinalium, qui in omnibus, quæ ad Papam ſpectant, vicem Eccleſiæ repræſentant: quoniam Papa, ex quo acceptavit, eſt obligatus Eccleſiam regere, niſi Eccleſia ipſa conſentiat, & per conſenſum Papa ſalvatur ab obligatione. Dicunt inſuper, quòd obligatio, quæ eſt inter Prælatum quemcumque, & ſuam Eccleſiam, magis aſſimilatur ſponſalibus, quàm matrimonio, quantùm ad vinculum, & quemadmodùm ſponſalia per conſenſum utriuſque diſſolvuntur, ſic diſſolvitur vinculum Prælati cum ſua Eccleſia: quoniam eſt merè humanus contractus, nil Divini involvens, ad differentiam contractus Matrimonii, ubi operatur, vel intervenit Sacramentum, ratione cujus redditur prorſus indiſſolubilis. Undè præcitatus Joannes Andreas ait: *Sicut creatio Papæ fit per Cardinales, ſic, & in eorum manibus reſignatio. Et ſi opponatur regulam non procedere in matrimonio carnali. Reſpondetur, quòd ibi tranſit in Sacramentum Eccleſiæ, propter quòd ex conſenſu, ſequitur indiſſolubile vinculum, quod non eſt in Spirituali conjugio.*

260 Ad Argumenta in contrarium ſuperiùs adducta præfatus Joannes Andreas reſpondet, aitque ad primum, Papalem poteſtatem dupliciter conſiderari, uno modo prout ligatos, & ſolutos in Terra ligat, & ſolvit in Cœlo, & hoc eſt ſimpliciter à Deo: alio modo, prout hæc poteſtas eſt in iſto, vel in illo, quæ etiam à Deo eſt, qui operatur omnia in nobis. In hoc tamen, vel in illo eſt per cooperationem humanam, per conſenſum videlicet eligentium, & electi: ideò deſinere eſſe poteſt in hoc, vel illo per humanam operationem: ſicut anima rationalis à ſolo Deo eſt per creationem: at quòd ſit in hoc, vel illo corpore cooperatur natura, corpus diſpenſando, & organizando: ac ideò etiam per operationem naturæ poteſt deſinere eſſe in hoc corpore naturaliter, & violenter. Solus etiam Deus dat gratiam, & tamen homo poteſt ſibi auferre gratiam per ſuum actum: nam qui creavit te ſine te, non ſalvabit te te ſine te. Et per hoc patet reſponſio ad Secundum argumentum: Cùm enim Deus conferat magis huic, quàm illi auctoritatem Papalem per conſenſum humanum, eo retractato conſenſu, poterit Deus illam auferre.

261 Ad tertium conceditur Epiſcoporum ceſſionem, tranſlationem, & depoſitionem eſſe ſoli Papæ reſervatam, ſecundùm Decretalem, *Inter corporalia*, in argumento allegatam: quia in Terris habent Papam ſuperiorem: unde, & in cap. *Inferior, diſt.* 21. dicitur: *Inferior ſedes ſuperiorem abſolvere non poteſt, ſola ergo potior inferiorem convenienter abſolvit.* Sequitur ergò ex hoc, quòd Papa non habens in terris ſuperiorem, à nemine ex ſuis inferioribus abſolvi poſſe: Poterit ergò à ſe ipſo abſolvi, juſtâ interveniente causâ: in cujus ceſſione præſupponitur Dei voluntas, ſicut præſupponitur in ejus aſſumptione. Sicut enim ex quo in Terris Superiorem non habet, à nemine judicari poteſt, at contra ſe poteſt ſententiam ferre: ut de Macellino tradit Nicolaus Papa I. *in cap. Nunc autem, eadem diſt.* Itemque de Xiſto Papa, cui Valentinianus in Concilio tribuit liberam facultatem ſeipſum judicandi, ut in eodem cap. ſemèl autem conceſſo, quòd Papa poſſit ſemetipſum judicare, aut in ſemetipſum ſententiam ferre, ſequitur, quòd poſſit ſeipſum deponere, ac multò magis, juſtâ adueniente causâ, Pontificatui cedere. Et in caſu ceſſionis poteſtas Papalis non ab aliqua Creatura aufertur ei, ſed à Deo, mediante tamen ſpontaneâ ceſſione. Et per idem patet reſponſio ad quartum: quia utique nulla Creatura poteſt facere, quòd Pontifex non ſit Pontifex, nec ſit Summus Pontifex ſemèl jam electus, & aſſumptus, ſed poteſt hoc Deus facere, accedente conſenſu ipſius Pontificis, ipſo namque Pontifice cedente, Deus præſupponitur conſentire, & propter ſuam ceſſionem à Deo aufertur illi poteſtas Pontificia. Et per idem pariter patet reſponſio ad quintum: Ad quod etiam addit Joannes Andreas: *quòd Pontifex eſt nomen ordinis fundatum ſuper charactere, ſed eſſe Summum, eſt nomen dignitatis, cui cedendo deſinit eſſe Summus, ſed non deſinit eſſe Pontifex.*

262 Ad ſextum, concedimus, Papam eſſe talem per legem Divinam, non tamen ſequi dicimus ex hoc Papatui cedere non poſſe: quoniam lex Divina materialiter eſt mutabilis in iſto, vel illo: nam quòd Papatus ſit in iſto, vel illo, ut dictum eſt, pendet à cooperatione creaturæ. Et ita quòd Papa ſit ſuper omnes, eſt ex Divina lege, & hoc eſt immutabile: ad hanc namque legem nulla cooperatur creatura, pendet enim à ſola Dei voluntate: At quòd iſte ſit Papa, mutabile eſt, quoniam non à ſolius Dei voluntate pendet; ſed procedit ab eligentium, & electi conſenſu, at electo retractante conſenſu, retractationi conſentientibus electoribus, hic, qui erat Papa, poteſt non eſſe Papa. Concedimus etiam Papam ſe legi ſubjeciſſe: ſed ex hoc ſequi dumtaxat perpetuari in iis, quæ ſunt ordinis, & ſequuntur characterem, non autem in iis, quæ ſunt juriſdictionis, juxtà ſuperiùs dicta.

263 Ad ſeptimum verò dicendum, votum Papæ de gerenda cura gregis, intelligi quamdiù erit in Papatus officio. Hoc eodem pacto voto ſe obſtringunt ceteri Prælati, precipuèq; Epiſcopi, pro regenda Eccleſia ſibi commiſ-

ſa,

ſa, nec proinde ſequitur non poſſe Eccleſiæ ſuæ cedere: Votum ergò ceſſat per renuntiationem: tale namque Votum connectitur dignitati, non perſonæ nudæ, & ita depoſitâ dignitate, ceſſat voti obligatio; ſicut deſtructo principali, deſtruitur acceſſorium: Et patet etiam de juramento præſtito à Rectoribus Civitatis, cui adſtringuntur pro tempore, quo gerunt officium. Et juramentum de officio ſemper gerendo, eſſet illicitum, quia poſſet eſſe contra bonum commune, ut idem notat Joannes Andreas.

264 Ad octavum reſpondeo, aliud eſſe ſe à peccatis abſolvere, aliud ab officio: qui ſe à peccatis abſolvit, aſcendit, non deſcendit; qui verò ſe ab officio abſolvit, deſcendit. Nemo eſt, qui poſſit ſeipſum abſolvere à peccatis: multi tamen ſunt, de quibus non eſt controverſia, qui poſſunt ab officio ſe abſolvere; & ideo hæc non tenet conſequentia: nullus non poteſt ſeipſum abſolvere, ergò Papa non poteſt renunciare Papatui; quoniam ſi valeret, utique valeret hæc conſequentia: ergò nullus poteſt renunciare officio ſuo, ſicut nullus poteſt ſeipſum abſolvere: cùm autem hæc ſit falſa, falſa eſt, & allegata in argumento conſequentia. Nullus ergò poteſt ſeipſum à peccatis abſolvere, quia præceptum Domini eſt, Jacobo dicente in ſua Catholica Epiſtola: *Confitemini alterutrum peccata veſtra*. Quod & Leproſorum exemplo voluit Dominus oſtendere, Matthæi cap. VIII. & Lucæ cap. V. quos in Jordane lavatos, miſit inde ad Sacerdotes, *ut oſtenderent ſe Sacerdotibus*. Indicans fortaſsè in illo lavacro contritionem in pœnitente neceſſariam, ut deleantur inde per Sacramentalem abſolutionem à Sacerdote impertiendam, peccata. At Domini præceptum non invenimus, quòd nullus poſſit ſeipſum ab officio abſolvere.

265 Ad Nonum, de poteſtate Papali negatur, non poſſe tolli niſi per ſuperiorem poteſtatem; quoniam jura loquentia, quòd nulla dignitas Eccleſiaſtica poſt confirmationem tolli non poteſt niſi per Superiorem, locum habent in eis diginitatibus, quæ Superiorem habent: Et ita Gloſa in *cap. Quoniam, de Renunciat. in 6.* in terminis notat, inquiens: *Jura loquentia, quòd obtinens adminiſtrationem Eccleſiaſticam non poteſt renunciare, niſi in manibus Superioris, intelliguntur, quandò renuncians habet ſuperiorem*.

266 Ad decimum denique, & undecimum, reſpondetur, quòd Sacerdotium Chriſti dicitur æternum, quia res oblata in Chriſti Sacerdotio eſt æterna, ait Joannes Andreas. Sacri tamen expoſitores ajunt loqui, Paulum de Sacerdotio ipſius Chriſti, quod æternum eſt, quia Chriſtus æternus eſt: Cæteri verò Sacerdotes non ſuccedunt Chriſto in Sacerdotio, ſicut ſuccedebant in Sacerdotio Aaronico: & Levitici Ordinis, quorum unus alteri vitâ functi ſucedebat. Nec ipſe Papa in Sacerdotio ſucceſſor Chriſti dici poteſt; quoniam ſucceſſor verè dicitur, qui in mortui locum, vel amoti, vel abeuntis, officium obtinet, & poteſtatem: Non ſic Pontifex dici poteſt Chriſto ſuccedere, qui à mortuis ſuſcitatus, manet Sacerdos in æternum: & ita rectè dicitur Pontifex Chriſti Vicarius, conſtitutus in Sacerdotali officio pro diſpenſandis Sacramentis: unde Apoſtolus 1. ad Cor. cap. 4. *Sic nos*, inquit, *exiſtimet homo, ut Miniſtros Chriſti, & diſpenſatores Myſteriorum Dei*. Non enim Chriſtus æternus Sacerdos excludit alios ſibi ſubordinatos Sacerdotes, tanquam ſuos Vicarios, Miniſtros, & Judices, per quos Dei judicium exerceatur in Terris, & per eoſdem perpetuò uſque ad finem Mundi offeratur Sacrificium Miſſæ, in quo ipſe Chriſtus Victima eſt, & offerens principalis: unde Concilium Trid. Seſſ. 22. cap. 2. *Una enim*, inquit, *eademque eſt hoſtia, idem nunc offerens Sacrificium, Sacerdotum Miniſterio, qui ſeipſum tunc in Cruce obtulit, ſola offerendi ratione diverſa*. Itaque ex hoc, quòd Sacerdotium Chriſti æternum ſit modo jam explicato, non inde infertur, Papam eius Vicarium, non poſſe Papatui renunciare: non enim per hoc, quòd renunciet, derogatur perpetuitati Sacerdotii Chriſti, ut ſatis demonſtratum eſt.

267 Concluditur ergò, poſſe Papam ſuo officio, ſuæque Pontificiæ dignitati cedere: verùm nùm expediat, altera eſſet controverſia: *Omnia mihi licent*, ait Paulus, 1. ad Corinth. *cap. 6. ſed non omnia expediunt*: non enim expedit dignitati Pontificiæ renuntiare, ſive propter humilitatem, ſive ſub ſpecie perfectionis vitæ ſolitariæ ducendæ. Hoc palàm fatentur Patres Concilii Aquiſgranenſis, ſub Ludovico Pio Imperatore, & Stephano IV. Papa, celebrato Anno Domini DCCCXVI. lib. 1. de Inſtit. Canonicorum, cap. XVII. *Qui nimirum culmen regiminum, ſi vocati ſuſcipere renuunt, ipſa ſibi plerumquè dona adimunt, quæ non pro ſe tantummodò, ſed etiam pro aliis acceperunt*. Et poſtea allegatis verbis Chriſti Petro: *Si diligis me, paſce oves meas*, ſubnectitur: *ſi ergò dilectionis eſt teſtimonium, cura paſtoris, quiſquis virtutibus pollens, gregem Dei renuit paſcere, Paſtorem Summum convincitur non amare*. Et poſt aliqua ejuſdem argumenti, dicitur: *Sunt nonnulli, qui magnis muneribus ditati, dum ſolius contemplationis ſtudiis inardeſcunt, parere utilitati proximorum in prædicatione refugiunt: Secretum quietis diligunt, ſeceſſum ſpeculationis appetunt: de quo ſi diſtrictè judicentur, ex tantis proculdubiò rei ſunt, quantis venientes ad publicum prodeſſe potuerunt. Qua enim mente is, qui proximis profuturus eniteſceret, utilitati cæterorum ſecretum præponit ſuum: quandò ipſe Summi Patris Unigenitus,* ut

ut multis prodeſſet, de ſinu Patris egreſſus eſt ad publicum noſtrum?

268 Deinde agitur de his, qui ex ſola humilitate Prælaturas refugiunt, de quibus ſic habetur: *Sunt nonnulli, qui ex ſola humilitate refugiunt, nè his, quibus ſe impares æſtimant, præferantur: Quorum profectò humilitas, ſi cæteris quoque virtutibus cingitur, tunc ante oculos Dei vera eſt, cùm ad reſpuendum hoc, quod utiliter ſubire præcipitur, pertinax non eſt. Neque enim verè eſt humilis, qui ſuperni nutus arbitrio, ut debeat præeſſe, intelligit, & tamen contemnit. Divinis diſpoſitionibus ſubditus, atque à vitio obſtinationis alienus, cùm ſibi regiminis culmen imponitur, ſi jam donis præventus eſt, quibus & aliis proſit, & ex corde debet fugere, & invitus obedire.* Et cap. XVIII. *multis intercipit Satanas fraudibus eos, qui vitæ & ſenſus utilitate præſtantes, præeſſe, & prodeſſe aliis nolunt: & dum eis regimen animarum imponitur, renuunt, conſultiùs arbitrantes otioſam vitam degere, quàm lucris animarum inſiſtere. Quòd tamen decepti agunt per argumentum Diaboli, fallentis eos per ſpeciem boni, ut dum illos à Paſtorali officio retrahit, nequaquàm proficiant, qui eorum verbis & exemplis inſtrui poterant.* Ergò, ſi ſecundùm hactenùs allegata non expedit, immò non licet oblatam Eccleſiam, ſub pretextu humilitatis, aut ſanctioris vitæ in ſolitudine ducendæ reſpuere; multo magis his de cauſis expediet, aut licebit ſuſceptam jam Paſtoralem curam dimittere.

269 Neque expedit, nec licet Eccleſiam dimittere, aut ſe ab illa abdicari propter malorum infeſtationes, videlicet, dum Eccleſia à malis infeſtatur, ſibi conſulendo, ac ſeligendo vitam in ſilentio & quiete ducere. Expreſsè namque non licere, definitum eſt in *cap. Suggeſtum* 46. cauſ. VII. quæſt. 1. deſumpto ex Epiſtola 2. Liberii, in cujus fine ait: *Non ſit, qui vos decipiat, aut ſeducat in ſubtilitate ſermonis, ut plebes vobis commiſſas relinquatis, & alicui propter malorum hominum opprobrium, quieti vos tradatis, & vos ſolummodò ſalvetis, & filios orphanos relinquatis.* Neque licet in perſecutionibus id facere, ad eas vitandas, ut habetur in Cap. ſequenti ejuſdem Cauſ. *Sciſcitaris itaque.* Et quidem hiſce in caſibus ad tempus non licet dimittere Eccleſiam: à fortiori ergò non licebit perpetuò dimittere, ut accidit in renunciatione. Unde Sanctiſſimos Romanos Pontifices non legimus, deſeruiſſe, aut dimiſiſſe Eccleſiæ regimen, nec propter malorum hominum turbationem, nec Paganorum crudeles perſecutiones: tunc temporis Eccleſiam dimittere, eſſet, quæ ſua ſunt quærere, non, quæ Jeſu Chriſti, nec illam ſe habere charitatem oſtenderent, de qua Paulus ait: *Non quærit quæ ſua ſunt*, ut optimè notat Auguſtinus in Epiſtola 180. data Honorato, in qua fusè hanc pertractat materiam, quandò liceat, vel non liceat, tempore perſecutionis Paſtoribus Eccleſiam ſibi commiſſam deſerere.

270 Tradit porrò Gloſa *in cap. Quàm periculoſum*, cauſ. VII. quæſt. 1. Cornelium Papam voluiſſe Papatui renunciare propter tribulationes, quas à Novatiano ſuſtinebat; Cyprianum verò non eſſe faciendum conſuluiſſe, quoniam ſibi eſſet periculoſum, ſi in tanta tribulatione Eccleſiam deſeruiſſet. Textus deſumptus eſt ex Epiſtola 73. Cypriani, data Jubajano, in cujus fine ait: *Quàm periculoſum ſit autem in divinis rebus, ut quis cedat juri ſuo, & poteſtati, Scriptura ſancta declarat, cùm in Geneſi, Eſau primatus ſuos inde perdiderit, nec recipere id poſtmodùm potuerit, quod ſemel ceſſit.* Utiquè periculoſum eſt Papatui præcipuè renunciare, propter mala, quæ ipſi etiam Eccleſiæ evenire poſſent. Semper enim ſecum affert ſchiſmatis periculum. Et licèt adeſſet juſta renuntiandi cauſa, cautè tamen procedendum eſſet: ne plùs mali eveniat Eccleſiæ poſt renunciationem, quàm ſub Papa minùs ſufficenti: inſufficentia Pontificis, ſi ſuppleri poſſet per idoneitatem Miniſtrorum, conſultiùs mihi videtur, non expedire eum propter inſufficentiam perſonalem ſemel electum & inthronizatum renunciare. Itaque in hoc caſu prudenter penſanda ſunt omnia, quòd ſi omnibus penſatis, appareat ex hujuſmodi renunciatione nihil utilitatis proventurum Eccleſiæ, non erit expediens, ut fiat renunciatio, nec licebit Pontifici renunciare. Hæc pro meo modulo.

CAPUT V.

De Bonifacii VIII. obitu, ac Benedicti XI. ſivè potiùs X. electione; ejus ſtudio pro abolendis erroribus exortis in Græcorum Eccleſia in Regno Serviæ, aliiſque in locis ſub ditione Andronici; necnon pro revocando ad Eccleſiæ unitatem Oroſio Serviæ Rege; de Græcorum cladibus, & tractatu pro expeditione facienda contra Andronicum; de literis miſſis à Patriarcha Caldeorum ad ipſum Pontificem, & illius obitu.

271 Anno Dñi MCCCIII. Bonifacii VIII. Pontific. Anno IX. Alberti Roman. Regis, Anno V. Andronici Imperatoris Græcorum, Anno XX. Indict. 1. Bonifacius prædictus poſt magnam tribulationem, Romæ ultimum clauſit diem V. Idus Octobris, die videlicet XI. dicti menſis, cùm ſediſſet Annos VIII. menſes IX. dies verò XVIII. ſepultuſque apud S. Petrum in Sacello, quod ipſe exſtruxerat. Ultima Bonifacii tribulatio, ejus fuit in Civitate Anagniæ captura per Sciarram Columnenſem, alioſque miſſos à Philippo Pulchro Galliarum Rege, qui à Pontifice in pluribus offenſus putabatur, præcipuèque propter diverſas in eum editas ab eo-

eodem Bonifacio Conſtitutiones, & Bullas: & quoniam proptet ſpreta Apoſtolica monita & mandata, declaratus Eccleſiæ inimicus, per Legatum, & Apoſtolicas literas, & Nuncios, vocaverat Epiſcopos omnes & Prælatos Franciæ ad Urbem, cauſâ celebrandi Concilium, ac in eo de jure procedendi adversùs ipſum Philippum Regem, ut ſcribit S. Antoninus 3. par. titul. 20. cap. 8. §. 20. Addens, Philippum Gallicorum Prælatorum Cœtũ in Gallia convocaſſe, & ejuſdem Regni Baronum, in quo contra Papam coràm Legato Pontificio appellavit ad Generale Concilium, in pluribus Bonifacium accuſantem, præcipuè de hæreſi, de ſimonia, de homicidio, aliiſque enormibus criminibus, quorum cauſa de jure à Papatu deponendum eſſe affirmavit. Poſt hæc verò, de capiendo Pontifice ſecretum conſilium habuit cum Columnenſibus, apud ipſum degentibus, qui erant Pontifici infenſi, utpotè ab eo in pluribus maximè vexati, & à quo duo ex eadem familia fuerant dignitate Cardinalitia privati: Factâ porrò hujus patrandi ſacrilegii deliberatione, miſit in Tuſciam Wilhelmum quemdam Provincialem cum Sciarra Columnenſi, aliiſque Italis, & Gallis, & cum magna pecuniæ ſumma, partim numerata, partim à Mercatoribus exigenda: qua mediante, facilè eis fuit complures in ſuam proditionem trahere, ac ipſos Pontificis Concives Anagninos, ut manus darent, corrumpere. Plures etiam nobiles Romani tracti ſunt in conjurationem, nec ab ea immunes fuerunt quidam ex Cardinalibus: unde factum eſt, ut ex inopinatò, Bonifacio nihil cogitante, pervenientes conjurati ſtipati militibus Anagniam, Palatium Pontificium ingreſſi, meditatum ſcelus executioni demandarent. At quomodo hæc ſe habuerint, cùm alii aliter, ac aliter enarrent, nos ex eodem D. Antonino Hiſtoriam recenſemus, qui in eadem par. 3. titul. 20. cap. 9. §. 21. ſic factum deſcribit.

272 „ De menſe igitur Septembri, Anno Domini MCCCIII. Qui dicebatur Sciarra de familia Columnenſium cum gentibus armatorum equitum ccc, peditum plurimorum, ſtipendio conductorum ex pecuniis Regis Franciæ, cum Dominis de Cechano, & de Supino, & aliorum Baronum de Campania, & filiis Dominæ Maſſiæ de Anagnia, & cum notitia aliquorum ex Cardinalibus, qui in conjuratione iſta erant (ut à quibuſdam dicebatur) unâ igitur dierum de mane tempeſtivè intravit Sciarra præfatus Civitatem Anagniæ cum copiis & vexillis, cum armis Regis Franciæ. Diſcurreruntque per Civitatem, nemine reſiſtente, quinimmò populus totus Anagniæ ſecutus eſt rebellionem factam Papæ, ut ingratiſſimus, & vexilla Regis. Pervenientes autem ad Papale palatium, ipſum cœperunt ſine contradictione, quia talis inſultus, & rei aggreſſus fuit populo improviſus, & familiaribus Papæ: undè nullam faciebant cuſtodiam. Bonifacius autem Papa rumoribus auditis, cernens ſe derelictum & quaſi ſolitarium, Cardinales enim aufugerant timore ducti, & abſconderant ſe, & fortè aliqui hujus conſcii. Hoc affectabant etiam ex ſuis familiaribus.

273 „ Animadvertens igitur Civitatem captam & Palatium ſuum, judicavit ſe mortuum; ſed ut magnanimus & imperterritus, ait: *Ex quo proditoriè, ſicut Jeſus Chriſtus captus ſum, & deditus in manibus inimicorum ut occidar, ut Papa mori decerno*. Et fecit ſe parari veſtibus ſacris cum Pallio, ſeù ammanto Beati Petri, & Coronâ aureâ, à Conſtantino Sylveſtro Papæ collata, & cum Clavibus, & Cruce in manibus reſedit in Papali Throno. Ad quem accedens dictus Sciarra cum aliis ſuis inimicis, verbis contumelioſis aggreſſi ſunt Pontificem, & deriſerunt circumſtantes eum & familiares ejus, qui cum ipſo ramanſerant. Inter alios eum illuſit Dñs Guilhelmus de Lungaretho, qui pro Rege Franciæ tractatum duxerat capturæ Pontificis; & minatus eſt ei, quòd ligatum ipſum duceret Lugdunum, ut in Generali Concilio ſolemniter deponeretur. Cui Papa non corde deficiens, reſpondit: *Patienter feram me condemnari, & damnari, & deponi per Patarenos*, cujuſmodi ipſe erat cum progenitoribus ſuis, ut Patarenis igne combuſtis. Quibus verbis confuſus Dominus Guilhelmus, cum rubore reticuit. Domino autem diſponente ob dignitatem Apoſtolicæ Sedis, nemo ex inimicis ejus auſus fuit mittere in eum manus, ſed indutum ſacris veſtibus, dimiſerunt ſub honeſta cuſtodia, & ipſi inſiſtebant prædæ diripientes theſaurum ejus, & Eccleſiæ, quem in Palatio Papæ invenerunt.

274 „ Permanſit Pontifex ipſe cuſtoditus tribus diebus: tertiâ autem die ſurrexit à cuſtodia liber ſine precibus alicujus, aut procuratione, Domino illuſtrante, & velamen ſuæ cæcæ ingratitudinis à Populo Anagniæ auferente. Recognoſcentes ergò errorem ſuum Cives Anagniæ, cum populo arma corripuerunt in favorẽ Antiſtitis, clamantes per Urbem: *Vivat Papa, & moriantur proditores*: & diſcurrentes per Civitatem Anagniã, ejecerunt Sciarram de Columna, ſuoſque complices de ea, pluribus ex eis captis, & aliis occiſis. Liberatus igitur Pontifex Bonifacius cum familia ſua, dolore nimis abſorptus ex tanto dedecore, cum tota Curia inde diſcedens, Romam remeavit ad Sanctum Petrum, diſponens Concilium convocare ob injuriam ſibi, & Eccleſię factam, vindicandam contra Regem Franciæ. Sicut & Sanctus Sylverius Papa fecit contra ejus detentores & proſcriptores. Sed creſcente infirmitate ex dolore concepto, carnes ejus corrodente, non poſt

„ multos dies migravit è ſæculo. In Eccleſia „ Sancti Petri ad introitum ejus honorificè „ ſepultus fuit. *Hæc Antoninus*. Cum quo concordant nobiliores Hiſtorici, qui & fatentur hujuſmodi proditionem executioni demandatam VII. die Septembris, in Vigilia nimirum feſti Nativitatis Beatæ Mariæ Virginis.

275 Deinde poſt aliqua, ſubjungit idem Sanctiſſimus Scriptor Antoninus: „ Subitâ „ autem capturâ Papæ divulgatâ eſt per Orbem; Sed & Curſores miſſi ſunt ad Regem „ Franciæ, ut de re ei valdè grata. Cùm autem „ per Civitatem Morianenſem, quæ eſt poſt „ tranſitum montium, tranſiret Nuncius, iſta „ referens, Epiſcopus Civitatis, qui erat „ Religioſæ & Sanctæ converſationis, hæc „ cùm audiſſet, coràm multis ait: *Hoc novum* „ *dabit magnum gaudium Regi Franciæ, ſed* „ *extrema gaudii luctus occupabit: nam propter* „ *tantum exceſſum, notabile judicium Dei irruet ſuper eum, & progeniem ejus: magnas* „ *ipſe luet pœnas, & adverſa multa patietur,* „ *& plurimi inſurgent contra eum, & filios ejus.* „ Quod totum impletum eſt non multò poſt „ tempore: Et hoc ideo ſcriptum eſt, ut hoc „ exemplo cæteri illud obſervent oraculum: „ *Nolite tangere Chriſtos meos: Qui enim vos* „ *tangit*, ait Deus per Prophetam, *tangit quaſi* „ *pupillam oculi mei*. Hæc Antoninus, ſimilia tradit Joannes Villanus lib.8. cap.64.

276 Sanè nonnulli Scriptores, aut falsâ vulgi famâ, aut ex evulgatis à Bonifacii æmulis decepti, ſatis indigna de hoc ſcripſerunt Pontifice, inter quæ illud, quòd ex dolore & dedecore propter ſuam capturam actus in rabiem, proprias roſiſſet carnes: Quod quidem ſplendidum mendacium cunctis manifeſtum apparuit, dum occaſione reſtaurandi partem Baſilicæ Vaticanæ, ubi præcipuè corpus ejus reconditum fuerat, effoſſo ſepulchro, repertum fuit, univerſis admirantibus adſtantibus, ejus corpus ſacris indutum veſtibus, integrum & incorruptum, licèt ab ejus obitu trecentis elapſis annis, ut per publicum Inſtrumentum, per Grimoaldum Notarium confectum ad perpetuam rei memoriam, cunctis conſtare poteſt, ad hunc modum ſe habens.

In nomine Domini. Amen.

277 „ Anno à Nativitate ejuſdem Domini Noſtri Salvatoris Jeſu Chriſti MDCV. „ Indictione III. die verò Martis XI. menſis „ Octobris, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini Noſtri, Domini „ Pauli divinâ providentiâ Papæ V. Anno „ ejus I. &c. Amotâ ſtatuâ Bonifacii, inſtar „ defuncti quieſcentis, cum thiara tribus coronis ornata, aliiſque Papalibus infulis, & „ tabulâ marmoreâ, quæ arcam cum ſtemmatibus ejuſdem Bonifacii, undarum ſcilicet „ duarum Cœrulei coloris per obliquum in „ campo aureo tegebat, reperta fuit capſa „ lignea ex abiete intùs, in qua erat Corpus „ ſupradicti Domini Bonifacii Papæ VIII. „ alta à terris palmis X. in majori navi, inter „ portas Ravennianam, & judicii capſa lignea „ longa palmis VIII. cum dimidio, lata palmis II. & unciis V. delata fuit in ſacrarium, „ ubi, præſentibus Dominis Vicario, Canonicis, Archiepiſcopo, Epiſcopo, & Duce, „ ac magno Populo, meque Notario &c. fuit „ aperta, & viſum ab omnibus corpus ipſius „ recolendæ memoriæ Bonifacii VIII. adhùc „ integrum & incorruptum, ſacris veſtibus „ ornatum. *Et infra*.

278 „ Bonifacii VIII. Corpus menſuratum eſt in longitudine, à vertice capitis ad „ plantam pedis, palmorum VII. & quartorum „ trium. Caput in rotunditate palmorum „ duorum & quarti unius, ut periti Medici, „ ac Chirurgi affirmarunt; ex majori parte „ calvum erat, præſertim in ſummitate; Cutem Capitis, necnon membranas ſuperiores & inferiores, tegentes oculos, genas „ pingues, frontem latam, mentum ſine barba (nam vivus raſus erat) Cartilagines, „ aurium mediocres foris prominentes habebat, facies, quamvis naſus & labia corrupta, ſeveritatem magis, quàm hilaritatem „ oſtendebat; Dentes omnes & quidem magnos & firmos, præter duos ſub labio ſuperiori, cui viventi deerant, habebat: ſano „ ac robuſto fuit corpore, ut periti judicarunt.

279 „ In cingulo palmorum trium cum „ dimidio, manus habebat longas & pulchras „ palmi unius brevis, cum unguibus longis, „ ſignis venarum, & nervorum; adeout videntibus ſummam iniiceret admirationem, quomodò per tot Annorum curricula tam integræ & incorruptæ conſervatæ fuiſſent. Pedum quilibet palmum unum continebat. „ Genua, tibiæ, & reliqua Corporis cum „ carne exiccata ſana & incorrupta cernebantur &c. Acta ſunt hæc Romæ in Baſilica „ S. Petri, & in ſacrario ejuſdem reſpectivè, „ Templo ſcilicet rotundo, quod antiquitùs „ dicebatur S. Andreas, hora XXIV. die, Anno, menſe, Indictione, ac Pontificatus, de „ quibus ſupra.

280 Ex hac itaque publica deſcriptione manifeſtum fit, Bonifacium non carnes ſibi roſiſſe actum in rabiem, ſi etiam poſt Annos CCC. abſque carnis læſione apparuit corpus ejus. Id verò, quod ſcribit S. Antoninus: *Sed creſcente infirmitate ex dolore concepto, carnes ejus corrodente*, non rectè intelligi debet, quòd ipſe carnes corroſerit, ſed ad ipſam infirmitatem verba illa ſunt referenda, & ad carnis pruritum: nempe quòd carnes ipſæ per infirmitatem ex dolore conceptam prurichant, ſive corrodebant. Cæterùm quævis contraria explicatio indicans corroſionem carnium per ra-

rabiem Bonifacio factam, ex præfata corporis recognitione, in quo nulla viſa eſt carnium corroſio, probatur evidenter falſa.

281 Itaque tumulato Bonifacio, conclave ingreſſis Dominis Cardinalibus, paucis vacantis Sedis elapſis diebus, mirâ omnium conſenſione renunciatus eſt Romanus Pontifex Nicolaus Epiſcopus Cardinalis Hoſtienſis, ex inclyta Prædicatorum Ordinis familia, aſſumpto nomine Benedicti XI. licèt veriùs dicendus eſſet X. vir fuit pietate, religione, ac ſapientiâ conſpicuus, de quo Sanctus Antoninus ejuſdem Inſtituti profeſſor, par.3.tit.20.cap.9. in princ. ait: „ Hic autem priùs vocatus eſt
„ Nicolaus, qui in ſæculo fuit viliſſimæ con-
„ ditionis de Triviſio (aliàs Tarviſio) & inde,
„ Venetias acceſſit, pueros docens gramma-
„ ticalia, ut paupertatem ſuam ſuſtentaret.
„ Ingreſſus autem Ordinem Prædicatorum,
„ non ſegniter converſatus, virtutibus, &
„ ſcientiæ ſe dedit, ut in modico tempore do-
„ ctiſſimus evaſerit, magnæ memoriæ, & acris
„ ingenii, omnibus amabilis. Et in Ordine
„ per omnes dignitates gradatim aſcendens,
„ ex Subpriore Prior effectus, ex Prioratu
„ Conventuali ad Provincialem aſcendens;
„ inde in Magiſtrum Ordinis Generalem ele-
„ ctus, à Bonifacio VIII. propter ſcientiam,
„ & probitatem ſuam inter Cardines terræ
„ conſtitutus, demùm Cathedram Petri aſcen-
„ dit. *Hæc Sanctus Antoninus*. Invitum onus ſuſcepiſſe, teſtatur ipſemet in ſuis Encyclicis literis, in quibus recitatis excuſationibus pro ſua inſufficientia Dominis Cardinalibus allegatis, ſubjungit: *Sed fratres ipſi noſtræ reſiſtentiæ obviantes, noſtris excuſationibus non admiſſis nos ad conſcendendum Petri Cathedram multæ importunitatis inſtantia devicerunt*.

282 Ejus porrò creatio incidit in diem XI. Kal. Novembris, videlicet XXII. Octobris, decimâ elapsâ die à Bonifacii VIII. obitu. Tantæ ſubmiſſionis & humilitatis adepto Pontificatu extitiſſe, tradit prælaudatus Antoninus, ut matrem, quæ adhùc vivebat, ſericis indutam, nec agnoſcere voluerit, nec ad ſuam admittere præſentiam; illis porrò exutam, ac vilibus, juxtà pauperculi ſui ſtatus conditionem, indutam, tunc ut matrem agnoviſſe, recepiſſe, ac in pacis oſculo eam amplexatum eſſe, ſcribit. In exordio ſui Pontificatus ad pacem ubique ponendam animum applicuit: undè & Regem Franciæ Eccleſiæ reconciliavit, ab excommunicatione abſolvens, ac etiam cenſuras latas contra Columnenſes ex parte amovit, prout notat idem Sanctus Antoninus.

283 Luxit quoque pius Pontifex infœlicem Orientalis Eccleſiæ ſtatum, quę ſub ſchiſmatico Imperatore, adeo fœdata erat, ut vix formam haberet Chriſtianæ Eccleſiæ: ſectabatur idem ſchiſma Oroſius quoque Serviæ Rex, Andronici ſecutus exemplum, & quæ, contra Canones, contra Patrum inſtituta, immò contra ipſam Evangelicã legem irrepſerant in Civitatibus, & locis Imperio ſubjectis Andronici, ea omnia recepta fuere in Servia. Hinc per ſimoniam nonnulli ad ſacros promovebantur Ordines, nec in eis conferendis aliqua temporum ſervabatur diſtinctio, nec ætatis. Alii ad prælationes, & beneficia pariter promovebantur, adhùc perſonis viventibus: multi Laici uxorati, adhùc vivente uxore, aliã ſubintroducebant: nec in ducendis uxoribus ullum impedimentum conſanguinitatis admittebant, nec affinitatis: Nulla immunitas ſervabatur, ſive locis, ſive perſonis, & plura alia impunè agebant, licèt nefaria, quæ fortè ab ipſis infidelibus non perpetrantur. His malis occurerere volens Sanctus Pontifex in ſui Pontificatus initio, literas dedit Archiepiſcopo Antibarenſi, quibus mandat, ut Apoſtolicâ auctoritate curet tãtis malis occurrere, emendando, & corrigendo, quantùm ei conceſſum eſſet; ſunt autem literæ tenoris ſequentis.

Benedictus Epiſcopus &c. Venerabili Fratri Martino Archiepiſcopo Antibarenſi.

284 „ Ad audientiam noſtram pervenit,
„ quòd in Arbania, Polato, Canavia, Duratio,
„ Cataro, Dulanio, Suacio, Scodro, Drivaſco,
„ Antibaro, & quibuſdã aliis locis ſub Domi-
„ nio Andronici Imperatoris Græcorum, ac
„ Oroſii Regis Serviæ, & fratris ejus Stepha-
„ ni, necnon Chariſſimæ in Chriſto filiæ He-
„ lenæ Matris eorum Reginæ Serviæ Illuſtris
„ poſitis, temporis nequam faciente malitia,
„ adeo in Prælatis & Clericis, Religioſis quo-
„ que perſonis & aliis propter diverſa & enor-
„ mia.... Criminum, quæ committuntur
„ ab ipſis, Eccleſiæ Religionis eſt deformata
„ honeſtas, quòd decora Mater Eccleſia, quam
„ ſibi ſpecioſus forma præ filiis hominum in
„ Sponſam dignanter elegit, non habentem
„ maculam, neque rugam, facta eſt ibi per
„ prȩvaricationem Decalogi, & tranſgreſſio-
„ nem Evangelicæ legis, & fidei Catholicæ
„ nimiùm indecora: Prætermiſſis etenim San-
„ ctorum Patrum Inſtitutionibus ſacris, &
„ Canonum venerandâ cenſurâ, in collatio-
„ nibus ſacrorum Ordinum & Beneficiorum
„ nulla ſervatur diſtinctio temporum, vel æta-
„ tum: nam ſi ſimoniaca labes apud promo-
„ ventes pro promovendis, vel laicalis poten-
„ tia interveniat, datur hæc petentibus indi-
„ ſtinctè. Nonnulli vero ad Prælationes pari-
„ ter, ac alia beneficia Eccleſiaſtica, eorundem
„ adhùc perſonis viventibus; ſe illicitè pro-
„ movere procurant, hujuſmodi Prælationi-
„ bus, Perſonatibus, ſeu Beneficiis tam enor-
„ miter acquiſitis damnabiliter incumbentes
„ deteſtandis, inſerviendo potiùs ritibus ſu-
„ per iis, in quibus norma ſervanda eſt Apo-
„ ſtolicæ dignitatis, quàm approbatis æqui-
„ tate Canonica moribus adhærendo.

285 „ Laici inſuper uxorati, uxoribus „ ſuis viventibus, de facto ſuperintroducentes alias, eis temerè præſumunt ſe nefario „ contubernio commiſcere; Aliàs in prohibitis conſanguinitatum, & affinitatum „ gradibus illicitè matrimonia contrahendo. „ Alii etiam ex ipſis, dùm exceſſus in Eccleſias, & loca Religioſa, eorumque perſonas ab eis multiformiter irreverenter commiſſos impunes pertranſeunt, faciliùs ad „ graviores reatus, vel ſimiles prolabuntur, „ nunc incendiorum, & effractionum diſpendia nunc direptionum, & invaſionum „ diverſos, & ſacrilegos auſus in perſonas, & „ loca prædicta committere, & alia quamplura in Ecclaſiaſticæ libertatis depreſſionem, & Ordinis Clericalis defectum inferre „ gravamina præſumendo: & cum per hujuſmodi, & aliorum quamplurimum exceſſuum præſumptionem peſtifera, Eccleſiæ, „ Religioſæ, Sæcularesvè perſonæ tanquam „ lepræ reſperſæ contagio factæ ſint per excommunicationis diverſas ſententias, quas „ pro iis exceſſibus in millibus frequenter „ incurrere dignoſcuntur, à gremio Eccleſiæ alienæ, tanquam parvuli, & imbecilles in fide non habentes, qui panem frangat eis doctrinæ cæleſtis, vel gravia vulnera curet ipſorum, in via deficiunt, fuiſque incuratis vulneribus, pereunt ſauciati „ in prædictis ſententiis, & irregularitatibus, abſolutionis, & diſpenſationis beneficio non obtento, decendo: præſertim „ cùm propter interſtitia magna locorum, „ & viarum diſcrimina, aliàs etiam in commodis paupertatis, ac ſenij prohibentibus „ pro ſuæ reconciliationis, & diſpenſationis Apoſtolicæ gratia, ſuorumque medela „ vulnerum ad gremium nequeant maternæ „ recurrere pietatis.

286 „ Quia igitur ex impoſito nobis „ Apoſtolatus officio, ſolicitudine quadam „ urgemur, ut inter cætera, quæ circa Dominici Gregis curam noſtræ vigilantiæ imminent, in Divini nominis cultu, religionis Chriſtianæ augumenta, & lucra „ quæramus potiſſimè animarum; attendentes, quòd ſecundùm veritatis Evangelicæ dogma ſanis minimè opus ſit medicari, ſed malè habentibus; de tua circumſpectione confiſi Fraternitati tuæ præſentium auctoritate committimus, ut hac „ vice corrigas, emendes, & reformes hæc „ omnia in Regno, & locis prædictis &c. „ Datum XIV. Kal. Decembris, Anno I. *Hactenus literæ*, prout exhibentur à Raynaldo ad Annum Domini MCCCIII. ſub num. 59. In quibus, ait, facultatem quoque eidem Epiſcopo tribuiſſe, diſpenſandi ſuper irregularitate, & abſolvendi à cenſuris, propter ſupradicta.

287 Egerat Nicolaus IV. cum Uroſio, ſive Oroſio Sclavorum Rege, ut relicto Schiſmate, ad Sanctæ Catholicæ Eccleſiæ rediret unitatem, datis ad eum hortatoriis literis, quas nos ſupra recenſuimus, hortatus quoque per alias literas pariter à nobis recenſitas: Helenam Reginam illius matrem, ut pro filii converſione, & ad gremium Sanctæ Eccleſiæ reductione operam daret; ſed ab eo tempore nondùm quidquam ab eo fuerat executioni demandatum; unde ſub hoc Pontifice ad hoc propenſiorem ſe oſtendit, cujus rei causâ ipſe Benedictus per literas ſolicitavit, Cæleſtia præmia ad alliciendum proponens, ſic ſcribens,

Magnifico Principi, & Regi Serviæ ad unitatem Matris Eccleſiæ ſolicitè properare.

288 „ Romana Mater Eccleſia ſalutem „ quærens jugiter filiorum, dolet ab intimis, „ cùm eorum quempiam conſpicit à ſuo gremio deviare, ipſoſque ſtudet ad viam reducere veritatis, Gaudemus quidem in „ Domino, quòd ſicut fide dignorum relatione didicimus, ac aliàs evidentibus apparere dicitur argumentis, licèt tu hactenùs, ac Barones, & Populus Regni tui, „ ab ipſius Eccleſiæ obedientia recedentes, „ viâ lucis dimiſsâ, diù per ſemitas ambulaveritis tenebrarum; Nunc tamen tu, „ inſpiratione Divina, ad iter aſpiras redire „ ſalutis, ejuſdem videlicet Eccleſiæ unitatem, Ex quo Nos hujuſmodi pium tuum „ propoſitum, tibi Divinitùs inſpiratum, „ in Domino commendantes, ac referentes „ exinde laudes, & gratias Creatori, ſperantes quoque, quòd iidem Barones, & „ populus tuo exemplo laudabili, relictis „ tenebris viam veritatis agnoſcent; Magnificentiam tuam rogamus, & hortamur in „ Domino Jeſu Chriſto, quatenùs inſpirationem hujuſmodi recognoſcens ab illo, „ qui omnes ſalvare cupit, & neminem vult „ perire, ad unitatem properare ſtudeas, „ abſque damnoſæ moræ diſpendio, fidei orthodoxæ, per quam mortis æternæ vitatur „ interitus, & ad fœlicitatis perpetuæ gloriam pervenitur; ſpem plenam, fiduciam „ habiturus, quòd te in fidei conſtantia, & „ ejuſdem Eccleſiæ obedientia perſiſtente, „ Apoſtolica Sedes te tanquam filium prædilectum, ſinceræ dilectionis brachiis amplectetur, eaque ſtudiis efficacibus, & „ promptis operibus proſequetur, quando „ tui honoris, & commodi conſpicere viderit incrementum. Datum Laterani x. Kal. „ Januarij, Anno primo. *Hactenus Benedictus ad Oroſium.*

289 Interea Græcorum Imperium jam in partes ſciſſum, ut ſupra fati ſumus, in dies in præceps ruebat, Turcarum potentiâ illud depredante, in vindictam certè offenſi numinis, propter illorum ſacrilegum Schiſma:

Qua-

Quare Andronicus Imperator in anguſtia poſitus, à Catalanis, & Aragonis auxilium expoſcit, compoſito jam bellò Siculo (licèt Gregoras non poſtulatum ab Andronico, ſed exhibitum referat, nè ſuperbiæ, & faſtui Græcorum aliquid detrahere videretur, ſi ſcriberet ab Andronico poſtulatum). Itaque ſub Duce Rogerio Floro Brundufino miſſæ ſunt copiæ auxiliares ex Aragoniis, & Catalanis Conſtantinopolim, & præliatum eſt cum Turcis apud Philadelphiam, de quibus inſignis parta eſt victoria: ſed poſtea cithera Græcorum verſa eſt in luctum, quoniam Latini fraudati ab Andronico ſtipendiis, arma adversùs Græcos verterunt, univerſa depopulando, & vaſtando. Unde Gregoras enarrato Latinorum adventu, & quomodò magnificè fuerant ab Imperatore excepti, ait: „ Inſtante autem Vere, ad Philadelphiam diu„ turnâ obſidione liberandam abierunt, quæ „ geminis malis premebatur: foris hoſtili „ metu, intùs hoſte multo graviore, penu„ ria cibariorum, & fame. Ac id quidem „ munus pulcherrimè, & fortiſſimè admini„ ſtrarunt, Deo adiuvante, propter inſi„ gnem virtutem Epiſcopi Urbis Theolepti, „ Divini viri; Nam cùm Turci Latinorum „ diſciplinam militarem, armorumque ſplen„ dorem, & ferocem impetum vidiſſent, „ metu perterriti, non modo procùl ab urbe, „ ſed pœnè ultra veteres Romanorum fines „ fugerunt: Tantus enim, & talis erat ille „ exercitus, itaque, & armis, & rei milita„ ris uſu, & militum numero inſtructus „ (unà enim militabant non modò Romani „ lectiſſimi, ſed, & omnis Alanorum exer„ citus,) ut haùd abs re conſpectu illius „ hoſtes percellerentur: multique dicerent, „ niſi metus Imperatoris, qui longiùs eos „ progredi vetuerat, obſtitiſſet, nihil fuiſſe „ prohibiturum, quominùs omnes Roma„ nas, & Urbes, & Provincias brevi recu„ peraſſent. Sed ea loquebantur homines, „ qui præſentia tantum conſiderabant, neque „ quicquam altiùs animo complecti pote„ rant. Divinum enim Judicium illud erat, „ olim firmatum, ut Romanum Imperium „ extremis calamitatibus affligeretur. Qua„ propter arcanis providentiæ rationibus plu„ rimæ res utilia conſilia impedire in ma„ gno eorum, quæ obeſſent concurſu videban„ tur. *Hæc ille*.

290 Quomodo porrò diſſoluto exercitu Latini arma in Græcos vertiſſent, ſic enarrat: „ Cùm autem ſine viæ Ductoribus pro„ gredi non poſſent (videbant enim expe„ ditionem illam, nemine viam monſtrante, „ ſine multis cædibus confici minimè poſſe, „ neque verò is erat Ronzerius, qui multis „ bellis magnâ prudentiâ partâ, magnum „ diſcrimen temerè adiret) reverſi ac diſſipa„ ti abierunt, Romani demum, eodemque „ modo Alani, Latini verò cum Ronzerio „ Cæſare reliquas miſeris Romanis urbes „ pervagati, miſerrimè tractarunt, hoſtili „ impetu in eos, à quibus acceſſiti fuerant, „ converſo: cauſam afferentes, quòd conſti„ tutum ab Imperatore ſtipendium non acce„ piſſent; ac neceſſariò ſe illorum opibus ſu„ ſtentari, qui ſe acceſſiſſent, & pactis ac „ conventis non ſtetiſſent. *Hactenus Gregoras*, qui poſtea in Latinorum odia multa atrocia, & ſanè à veroſimili aliena ſubnectit à Latinis eſſe in Græcos commiſſa, niſi aſſeri velimus, Deo ulciſcente, talia, & tam crudelia perpetraſſe: Ait namque: „ Itaque bona „ miſerorum Romanorum omnia diripi, Vir„ gines, & Matronas ſtuprari, ſenes, & Sa„ cerdotes in vinculis duci, & ad cætera „ ſupplicia rapi cerneres, quæ nova ſubinde „ in miſeros immaniſſima Latinorum manus „ excogitabat: imminentem cervici ſecurim, „ ut jamjam morituri videbant, niſi abditam „ pecuniam oſtendiſſent. Qui omnia pro„ ferebant liberi, denudiores abibant: qui „ nihil quo ſe redimerent habebant, extre„ mitatibus Corporum mutilati, miſerabile „ in viis ſpectaculum jacebant, fruſtum pa„ nis, aut obolum mendicantes: nihil ſubſi„ dii, præter vocem, & lacrymarum rivos, „ reliquum cum haberent. *Hæc ille*.

291 Cæterùm Pontifex propter induratam Græcorum perfidiam, licèt Sanctiſſimus, non Legatos, ſive Apoſtolicos viros mittendos duxit, quemadmodùm olim à ſuis prędeceſſoribus factum fuerat, ſed viros armatos, tanquam in perduelles, & iniquitatis filios, qui Imperium de manu eorum eriperent, eoque erepto, in ſervitutem redigerentur, ac redacti ſub Catholicorum Principum Imperio, faciliùs Schiſma oboliretur: Quare Carolum Valeſium, cui propter uxoris dotem, hæredem ſcilicet Balduini, videbatur Imperium Græcorum pertinere, ſolicitavit ad comparandum exercitum, ac expeditionem faciendam aduersùs Andronicum: cogitans quoque Benedictus facilem, recuperato Bizanzio, viam Chriſtianis aperiri pro Syria, & Terra Sancta recuperanda. Hinc eidem Carolo ſequentes dedit literas.

Nobili viro Carolo Nato claræ memoriæ Philippi Regis Francorum Comiti Andegavenſi.

202 „ Claris patet operibus tuæ ſince„ ritatis præcelſa devotio, & humanæ laudis „ præconio commendanda. Paternâ ſiqui„ dem affectione recepimus tui contempla„ tione dilectum filium Magiſtrum de Portico Canonicum Pariſienſem, Cancellarium „ tuum; & nobilem virum Petrum de Erbo„ villa militem Carnotenſis Diœceſis, Nun„ tios, & Ambaxiatores tuos, quos nuper „ ad noſtram præſentiam tranſmiſiſti, & quæ „ nobis ex parte tua exponere curaverunt, in-

„ intelleximus diligenter. Licèt autem ad „ ea, quæ tui honoris, & ſtatus reſpiciant „ incrementa Sedes Apoſtolica, quæ te, tanquam filium prędilectum, gerit in viſceribus Charitatis, libenter intendat; ad negotium tamen Imperii Conſtantinopolitani, ad quod, prout nobis per eoſdem Nuntios intimaſti, te potenter accinges, tantò auidiùs opem, & favorem impendit, quantò illud ratione fidei Sedem contingit ſpecialiter ſupradictam. Ideoque ſuper commutandis votis crucesignatorum, qui tecum voluerint ad eruendum dictum Imperium de ſchiſmaticorum manibus proficiſci, ac ſuper Legatis, & aliis obventionibus deputatis Terræ ſanctæ ſubſidio, tibi pro proſecutione dicti negotii ejuſdem Imperii concedendis, prout à nobis fuit ex parte tua petitum, annuimus, prout in noſtris ſuper iis confectis continetur literis, votis tuis. Generalem autem prædicationem Crucis, quam ſimiliter ex parte tua dicti Nuntii pro eodem negotio petierunt, præſentis temporis, & Regni Franciæ ſtatu conſiderato, diſtulimus: ad eam tamen, & conceſſionis decimæ proventuum Eccleſiaſticorum, aliaſque ſubventiones tibi pro ejuſdem proſecutione negotii faciendas, quas expedire videbimus, ejuſdem Regni conditionibus proſperè, Divinâ favente clementiâ ſuccedentibus, procedere juxta tuum votum, niſi interim generale paſſagium, fieret, intendimus: Teque aliàs circa hæc Apoſtolicis favore præſidiis tempore opportuno. Negotium itaque prælibatum virtute tuæ magnanimitatis aſſume, & aſſumptum, tanquam vir ſtrenuus, viriliter proſequaris: nam in iis, & aliis, ubi expedierit, Apoſtolicus non deerit tibi Favor. Datum Peruſii v. Kal. Junii Anno I. *Hactenus literæ*.

293 Et quoniam efficaciter hoc pius Pontifex intendebat, eodem tempore Epiſcopo Sylvanectenſi curam commiſit, ut legata, decimas, alioſque obventiones addictas Terræ Sanctæ ſubſidio, ad comparandum Imperium Conſtantinopolitanum, derivaret; quę etiam ad tolerandos ejus expeditionis bellicos ſumptus convertendæ eſſent, ſi in Terram Sanctam crucesignatorum copiæ non traiicerent. Datâ ad hæc omnia ſufficienti poteſtate, ſive auctoritate, prout tradunt literæ Pontificiæ hac de re eidem Epiſcopo datæ, quæ ſic ſe habent.

Venerabili Fratri Epiſcopo Sylvanectenſi.

294 „ In ſupremæ præeminentia dignitatis, diſponente Domino, conſtituti, ad univerſas Orbis Provincias, quas profeſſio Chriſtianæ Religionis includit, Apoſtolicæ diffundimus conſiderationis intuitum pro earum ſtatum ſalubriter dirigendo. Sed dum Imperium inclytum Conſtantinopolitanum à cultu Religionis ipſius, qui vigere ſolebat hactenus in eodem, ſeparatum attendimus, illudque ab olim per quondam Michaelem Palæologum, dum vixit, & poſt ejus obitum per Andronicum ejus filium, eorumque complices, & fautores ſchiſmaticos, & ab unitate Chriſtianæ fidei deviantes, damnabiliter occupatum, multo nimirum mœrore replemur, & ad ſubveniendum ei de illo remedio, per quod ad fidem reduci valeat orthodoxam, vias, & modos libenter exquirimus, opemque, ac operam promptis ſtudiis exhibemus.

295 „ Quorum namque poſſunt Chriſtianorum animi non turbari, dum in gravem Superni Patris offenſam, & diſpendioſam Apoſtolicæ Sedis injuriam, & injurioſa diſpendia pravum genus ſchiſmaticæ gentis elata cornua levaſſe conſpiciunt, ac tam nobile Imperiale ſolium occupaſſe? Pro certo ad ipſum Imperium de filiorum alienorum manibus liberandum, ipſe fidei zelus debet corda fidelium inflammare. Nam ſi, quod abſit, idem Imperium ad Turcos, alioſque Sarracenos, & infideles, à quibus dictus Andronicus jugiter impugnatur, devenire contingeret, non poſſet demùm faciliter erui de manibus eorundem. O'quàm grave diſcrimen, & ingentem confuſionem reciperet, ſi, quod Deus avertat, talis caſus emergeret, Romana Mater Eccleſia, totaque Religio Chriſtiana!

296 „ Cùm itaque dilectus filius nobilis vir Carolus Comes Andegavenſis, cujus intereſt ratione uxoris ſuæ, Chariſſimæ videlicet in Chriſto filiæ Chatarinæ Imperatricis Conſtantinopolitanæ Illuſtris, ad ejuſdem recuperationem Imperii offerat ſe potenter velle intendere, & ad id viros, vireſque ſuas exponere; multique Barones nobiles, & potentes zelo devotionis accenſi, pro ipſius Imperii recuperatione, ac reductione ad fidem Catholicam cum eodem Comite, ſicut idem Comes affirmat, ſint proficiſci parati; Nos qui ad tam neceſſariam, ſalubrem, & felicem, Deo favente, expeditionem, Chriſtianos Principes debemus quærere, invitare, quæſitos, & invitatos modis, quibus poſſemus, ad hoc inducere, præmiis, ſubſidiis, & auxiliis provocare; cupientes, ut hujuſmodi negotium, quod non modicum Apoſtolicam Sedem, omneſque Chriſtifideles ratione fidei prælibatæ contingit, ſalubrem ſortiatur effectum, ac attendentes, quòd ex ejuſdem felici conſummatione negotii Teræ Sanctæ ſubſidium, quod ex cauſis diverſis tamdiù fuit hactenus præpeditum, Divinâ favente Clementiâ, poterit provenire. *Deinde proponit Indulgentias*

tatem. Hæc omnia ſcribit Anaſtaſius Bibliothecarius in vita Hormiſdæ, ubi deſcribens hanc ſecundam Legationem, ait.

388 „ Itèm ſecundò miſit Ennodium Epiſcopum, & Peregrinum Miſenatem Epiſcopum, portantes Epiſtolas confortatorias fidei, & conteſtationes ſecretas num. 19. & textum libelli. In quo libello noluit aſſentiri Anaſtaſius Auguſtus, quià ipſe in hæreſi Eutychiana communicaverat. Voluit itaquè eos Legatos per remunerationem corrumpere. Legati verò Sedis Apoſtolicæ, contempto Anaſtaſio Auguſto, nullatenùs conſenſerunt accipere pecunias, niſi ſatisfactionem Sedis Apoſtolicæ operaretur. Tunc Imperator repletus furore, ejecit eos per poſterulam, & impoſuit eos in Navi periculoſa cum Militibus, & Magiſtrianis, & Præfectis, nomine Heliodoro, & Demetrio, quibus hoc dedit in mandatis Imperator Anaſtaſius, ut nullam Civitatem ingrederentur. Legati verò Sedis Apoſtolicæ ſecretiùs ſupraſcriptas Epiſtolas Fidei 19. per manus Monachorum & orthodoxorum expoſuerunt per omnes Civitates. Quas tamèn Epiſcopi Civitatum, qui erant complices Anaſtaſii Auguſti, omnes eas Epiſtolas timore pro crimine Conſtantinopolim direxerunt. Tunc furore repletus Anaſtaſius Auguſtus contrà Papam Hormiſdam inter alia ſacra ſua hoc ſcripſit, dicens: Nos jubere volumus, non nobis juberi. *Hæc Anaſtaſius Bibliothecarius*. Epiſtola verò Imperatoris, cujus Anaſtaſius meminit, ſic ſe habet.

Anaſtaſius Auguſtus Hormiſdæ Papæ.

389 „ Etſi magnum aliquid taciturnitatis judicatur, tamèn neceſſarium eſt admirantes Dei miſericordiam aſſiduè frequentare ſermonem. Et quià initium fidei, quam nos Dominus Deus & Salvator noſter Jeſus Chriſtus docuit, in remiſſione peccatorum præcellit, nulli habetur ignotum, ipſe enim per propriam Paſſionem omnia Adam peccata mundavit: Et hæc fuit negotiatio humilitatis ipſius, ut & præfatum, & omnes fratres liberaret ex ſervitute peccati, voluntariè perſonam ſervi ſuſcipiens. Nàm Beatus Paulus Apoſtolus docuit nos, ſcribens ad Romanos: *Regnavit mors ab Adam uſque ad Moyſen, & in eos, qui non peccaverunt*. Ex quo eſt univerſitati quodàmodò declaratum ex generali diſpoſitione, ſive mirabilibus, ſpecialia quæque exempla debere ſuſcipere ſemèl tàm magnæ legis juſſiones, & tàm piâ bonitate firmatæ, ut omnis doctrina, quam Diſcipulis ſuis tradidit, in hoc firmamento conſiſtit. Fugavit ægritudines, ſive multifaria genera paſſionum, nodum peccati, propria, ſicut dictum eſt, paſſione reſoluit; & agens ad implenda ſimilia, Diſcipulos factis & ſermonibus inſtruebat. Verùm, ſi, ſicut aliqui nituntur oſtendere, certi ex ipſis Apoſtolis tàm piam doctrinam per inobedientiam implere diſſimulant, ignoramus ubi magiſterium miſericordis Domini & magni Dei nobis poſſit occurrere. Nos autèm non eâ credimus ratione, ut immiſericordes eſſe putamus, qui miſericordiam didicerunt. Sed poſtulationem noſtram à præſenti tempore taciturnitate comprimimus, irrationabile judicantes illis precum adhibere bonitatem, qui rogari ſe nolint, contumaciter reſpuentes; injuriari enim, & annullari ſuſtinere poſſumus, juberi non poſſumus. Data v. Idus Julii Conſtinopoli, Anaſtaſio Auguſto IV. & Agapito V.C. Conſule. *Hæc impius Imperator*.

390 Intereà Hæretici, expulſis, ut dictum eſt, Apoſtolicæ Sedis Legatis, ſoluto timore, quem ex unitate Catholica jàm jàm ſancienda conceperant, veluti abruto freno, adversùs orthodoxos, & qui Romanæ & Catholicæ communicabant Eccleſiæ, favente ſceleſto Principe, manu quoquè armatâ inſiliunt, eorum diripientes Eccleſias, quinimò profanantes, alios propriis bonis ſpoliantes, alios occidentes, & alios exules abire cogentes: hic fuit deplorabilis Eccleſiæ Orientalis poſt abſceſſum Legatorum Apoſtolicæ Sedis ſtatus. Sed & in ſecundâ Syria perfidus Severus Eccleſiæ Antiochenæ invaſor, de quo ſuprà, Acephalorum caput, & Eutychianæ hæreſis propugnator, unà cum Petro perditiſſimo quoquè hæretico & Apamęæ Eccleſiæ Epiſcopo, tanquàm Lupi rapaciſſimi ovile Chriſti invadentes, orthodoxas oves diſpergere, & mactare ſunt aggreſſi, prout ex literis Archimandritarum, & Monachorum ſecundæ Syriæ ad Hormiſdam datis perſpicuum fit, quæ ſunt tenoris ſequentis.

Sanctiſſimo & Beatiſſimo univerſæ Orbis Terræ Patriarchæ Hormiſdæ, continenti Sedem Principis Apoſtolorum Petri.

Deprecatio & ſupplicatio minimorum Archimandritarum & cæterorum Monachorum ſecundæ Syriæ Provinciæ.

391 „ Gratiâ Salvatoris omnium noſtrùm Chriſti nos ad veſtram Beatitudinem refugere velut de hyeme, & tempeſtate ad portum tranquillitatis admoniti, minimè circumvallantibus tenèri jam credimus. Nàm & ſi patimur, gaudentes ſuſtinemus; ſcientes, *quià non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis*. Quoniàm verò Chriſtus Deus noſter Principem Paſtorum, & Doctorem, & Medicum animarum conſtituit vos, & veſtrum Sanctum Angelum, dignum eſt

„ paſſiones, quæ nobis contigerunt, exponere, & immiſericordes oſtendere Lupos, qui diſſipant Gregem Chriſti: ut auctoritatis baculo eos expellat de medio ovium, verbo autèm Doctrinæ animam ſanet, & orationis medicamentis mitiget.

392 „ Qui autèm ſint iſti, & qui hos adversùm nos armaverint, audiſtis utique, Beatiſſime: Severus ille, & Petrus, qui nunquàm in Chriſtiano numero reputati ſunt, qui per ſingulos dies ſanctam Chalcedonenſem Synodum, Sanctiſſimum Patrem noſtrum Leonem publico anathemate impetentes, qui judicium Dei nihil æſtimantes, & colendos Canones Sanctorum Patrum conculcantes, Epiſcopos quidèm principali potentiâ facientes exhiberi, & nos cogentes illudere prædictam Sanctam Synodum, ſuppliciis inæſtimabilibus affligentes. Undè, & quidam eorum injectas plagas minimè ſuſtinentes, de hoc ſæculo tranſierunt, & noſtrorum verò non exigua multitudo perempta eſt. Euntibus namque nobis ad mandram Domini Simeonis pro cauſa Eccleſiæ, inſidiatæ ſunt nobis in itinere prædicti coinquinati, & ſupervenientes occiderunt ex nobis trecentum quinquaginta viros, quoſdam autèm vulneraverunt; alios verò, qui potuerunt ad colenda Altaria confugere, ibidem peremerunt, & Monaſteria incenderunt, per noctem mittentes multitudinem inquietorum hominum, redemptorumque omnem paupertatem Eccleſiaſticam hujuſmodi peſtiferi homines conſumentes.

393 „ Ad ſingula autèm delatæ ad veſtram Beatitudinem inſtruent chartæ à Venerabilibus fratribus Joanne, & Sergio, quos miſeramus Conſtantinopolim, ſperantes vindictam fieri de his, quæ commiſſa ſunt. Sed eos nec verbo dignatus eſt Imperator, ſed etiàm cum grandi contumeliâ expulit, comminatus eis, qui iſta porrigerent. Undè hinc eſt nos vel ſerò cognoſcere, quoniàm tanta pravitas, & audacia talium malorum adversùs Eccleſias facta, ipſius immiſſione compoſita eſt. Deprecamur ergò, Beatiſſime Pater, ſupplicantes, & rogantes, ut exurgatis cum fervore, & zelo, & condoleatis juſtè pro corpore laniato; (nàm caput eſtis omnium) & vindicetis Fidem contemptam, Canones conculcatos, Patres blaſphematos, & talem Synodum anathemate impetitam, vobis à Deo data eſt poteſtas, & auctoritas ligare, & ſolvere: *Non opus habent qui ſani ſunt Medicis, ſed malè habentes*.

394 „ Exurgite, Patres Sancti, venientes ad ſalvandum nos; imitatores eſtote Domini noſtri, qui de Cœlo ſuper Terram advenit quærere errantem ovem: Petrum illum reſpicite Principem Apoſtolorum, cujus Sedem ornatis, & Paulum, qui eſt vas electionis, qui circumeuntes orbem terrarum illuminaverunt. Nàm magna vulnera majoribus indigent adjumentis. Mercenarii vidētes Lupos venientes adversùs oves, dimittunt eas diſſipari ab illis. Vobis autèm veris Paſtoribus, & Doctoribus, quibus cura pro ſalute ovium commiſſa eſt, occurrit ipſe Grex cognoſcere ſuum Paſtorem, ab immitiſſimis beſtiis liberatus, & vocem ſequens Paſtoris, ſicut Dominus ait: *Oves meæ vocem meam audiunt, & ego cognoſco eas, & ſequuntur me*. Non ergò deſpiciatis nos, Sanctiſſime, qui à beſtiis ferocibus quotidiè vulneramur.

395 „ Ad perfectam autèm notitiam veſtri Sancti Angeli, anathematizamus in eâdem noſtrâ deprecatione virtutem habente Libelli, omnes projectos, & excommunicatos à veſtra Apoſtolica Sede. Dicimus autèm Neſtorium, qui fuit Conſtantinopolitanus Epiſcopus, Eutychètem, Dioſcorum, & Petrum Alexandrinum, qui cognominatus eſt Balbus, & Petrum, qui dicebatur Fullo, Antiochenum, nihilominùs & Acacium, qui fuit Conſtantinopolitanus Epiſcopus, eorum communicatorem, & omnes qui unum illorum hæreticorum defendunt. *Hactenus Epiſtola*, ſive relatio Archimandritarum, & Monachorum ſecundæ Syriæ, cui ſubſcripſerunt, Alexander Archimandrita S. Maronis, Simeon, Joannes, & Procopius Presbyteri, & pariter Archimandritæ, unà cum centum, & ſexaginta quatuor ex Diaconis, Presbyteris, aliiſque Archimandritis. Baronius verò adnotat huic Epiſtolæ ſubſcripſiſſe Archimandritas viginti quinque, Presbyteros verò, & Diaconos ſimùl centum ſeptuaginta. His receptis literis, Hormiſda mœrore confectus, compatiens ſuarum ovium miſeriæ, nec valens alia via juvamen aliquod præſtare, conſolatorias dedit tenoris ſequentis literas, non tantùm ad eos, verùm, & ad omnes Orientis orthodoxos.

Hormiſda Epiſcopus, Presbyteris, Diaconis, & Archimandritis ſecundæ Syriæ, & reliquis orthodoxis in quocumque Orientali climate degentibus, & in Apoſtolicæ Sedis communione permanentibus.

396 „ Lectis literis dilectionis veſtræ, quibus inimicorum Dei patefacta veſania eſt, & infidelium pertinax furor dolenter expoſitus, qui dùm redivivo ſpiritu oderunt Dominum, membra illius impiè perſequuntur, quantùm ad conſtantiæ veſtræ agnitionem benedixi Deum, fidem militum ſuorum inter adverſa ſervantem, ſed rursùm Eccleſiarum concuſſionem, & ſervorum Dei moleſtias, laboreſque conſiderans, Prophetâ gemitus meos adjuvante, cla-

„ clamavi: *Exurge, Domine, judica cauſam* „ *tuam*; *memor eſto improperitorum tuorum*, „ *quæ ab inſipiente ſunt tota die*; libenter ea „ quoquè, quæ ſequuntur, adjungens: *Nè* „ *obliviſcaris vocem quærentium te*; *ſuperbiam* „ *eorum*, *qui te oderunt*, *aſcendit ſemper ad* „ *te*. Nàm ſicut oportet nos ſtabilitatem „ fidei cuſtodire, ità non convenit de Divi- „ ni Judicii æquitate diffidere. Non novus „ hic, fratres, Eccleſiæ labor, & tamèn dùm „ humiliatur, erigitur, ac per ea, quibus at- „ teri creditur, damna vitantur. Ex uſu eſt „ fidelibus Dei, ut per mortes corporum vi- „ tas lucrentur animarum: amittunt quidèm „ caduca, ſed merentur æterna, & dùm „ perſecutio viam facit probationi, probatio „ cauſa fit meriti. Stulti & in cæcitate ſæ- „ vientes neſciunt, quià quos converſationi „ hominum ſubtrahere ſe poſſe credunt, ad „ Dei Regna perducunt, hinc in ipſis peri- „ culis gaudia & ambitus paſſionum; ex- „ pectat enim agones ſuorum, qui ma- „ gnorum diſtributor eſt munerum. Nàm „ quis non frangeretur malis, niſi conſola- „ rentur adverſa de præmiis? Spes illa eſt, „ quæ non finit in deſperatione deficere; ex- „ cludit ſiquidèm amaritudinem tribulatio- „ num dulcis ſapor virtutum. Quis enim „ magni habeat præſentia, ſciens ęſtimare „ ventura? Quis diſpendia vitæ renuat, ſi „ quæ ſunt recipienda conſiderat. Perſiſtite „ Chariſſimi mihi, & inconcuſſam fidem fixâ „ animi virtute ſervantes, perſeverantiæ lau- „ dem, in qua eſt ſalus & bonorum homi- „ num palma, præſumite. Magna ſunt, ad „ quæ vocamur indigni: non retardet infir- „ mitas, quià qui vocat, retributor fidelis & „ fortis adjutor eſt. Non proſperorum ſpe „ decipiamur aut mollium; nec facilia pro- „ ponamus; non delitioſa nobis Dominus „ noſter, non eſt blanda pollicitus; præmia „ promiſit ille, non otia: non benè laudi „ convenit & quieti. Quis locus erit remu- „ nerationi, ſi nulla eſt cura virtutis? An- „ guſta porta, ſed Regna diffuſa; paucis adi- „ tus, ſed probatis. Nonnè hæc ſunt ad eos „ prævia verba, quos docuit? *Perſequentur,* „ *& in Synagogis flagellabunt vos*: per pa- „ tientiam, ſicut ſcriptum eſt, poſſideamus „ animas noſtras, nè eas per impatientiam „ doleamus amiſſas.

397 „ Primus Crucem Dominus noſter „ & patientiæ ipſius Magiſter aſcendit, ſuo „ informaturus exemplo, quos erat adjutu- „ rus auxilio. Ipſe inter virtutes lancem re- „ tinet & labores, ſtans contrà venena fu- „ rentium, ut ſecundùm perſecutionis iras, „ illis æterni Imperii det coronas. Revolvi- „ te quas Machabęorum exitus pertinaces „ vetus hiſtoria laudes perſequitur; quo Ju- „ das, & illa ſuprema fidelium phalanx mor- „ tis honore referatur; in quanto ore ſit con- „ ſtans populus in monte conſumptus; & hę „ omnes pro cuſtodienda lege virtutis ſpe- „ cies & umbra futurorum tanta exempla „ meruerunt. Nos in Patribus vidimus, pal- „ pavimus, probavimus, quem ſequamur. „ Quid non referendum eſt rei, quid dene- „ gandum eſt veritati, quid non debitum re- „ demptionis? Libenter communicavimus „ dogmata iſta vobiſcum. Dicit enim ſapien- „ tiſſimus Salomon: *Beatus qui prædicat ver-* „ *bum in aurem obedientis*. Gaudium eſt ſi- „ quidèm volentes alloqui, & ad rectam viam „ eos, qui non reluctentur, hortari.

398 Tenemus enim obſidem fidei veſtræ „ ſub literarum profeſſione conſtantiam, qua „ à tranſgreſſorum contagione diviſi, ad Apo- „ ſtolicæ Sedis dogmata & mandata recurri- „ tis, ſerò quidèm viam veritatis ingreſſi. „ Sed benedictus Deus, qui non in finem „ obliviſcitur, qui corripit, & medetur, „ nec continuè gregis ſui oves patitur inſi- „ diantium Luporum rapacitate diſcerpi, qui „ per diſtrictionis temperantiam, nec coer- „ citionem ſuorum negligit, nec ſalutem. Sed „ quid mirum, ſi oves, relicto illo uno & ve- „ ro Paſtore diſperſas, callidus, cruentus & „ rapax turbavit inſidiis? Qui tutelam ſuam „ deſerunt, ipſi ſe periculis, quibus lanien- „ tur, exponunt. Ergò nunc ſaltim ſolidis „ paſſibus in viam Patrum, ad quam recurri- „ ſtis, inſiſtite: potens erit miſericordia Dei, „ aliorum quoquè correctionem mercedi ve- „ ſtræ, ſi à vobis ad rectum deducantur ad- „ ſcribere. Sed in totum vos à cœno, quo „ immerſi Hæretici tenentur, avellite, & „ excutientes immunditiam pulveris inhæ- „ rentis generaliter univerſos ab Apoſtolicis „ dogmatibus declinantes, religioſâ deteſta- „ tione damnate: *Nulla tenebris cum luce* „ *communio*; nec qui per recta itinera gra- „ diuntur, veſtigia ſua cum deviantium erro- „ re conjungunt.

399 „ Tenendum eſt fidei vinculum, & „ vitandum de perfida ſocietate contagium; „ quià ſecundùm Apoſtolum, quemadmodùm „ *qui adhæret Domino unus ſpiritus eſt*; *ità* „ *qui adhæret meretrici, unum corpus efficitur*. „ Amant virtutes collegia ſua; & adhæren- „ tes ſibi ſecum impietas in profunda demer- „ git; in conſpectu, in oculis, in ore, in ipſis „ manibus ſunt Patrum dogmata, quæ cuſto- „ dienda mandamus; quotidiè nos ad con- „ ſervationem ſui, Concilia veneranda con- „ ſtringunt, longum eſt ſigillatim univerſa „ retexere. Chalcedonenſem Synodum, in „ qua omnium reverentia continetur; Sed „ & venerandi Leonis prolata de ipſis Apo- „ ſtolorum pręcordiis inſtituta & noſſe nos „ convenit & tueri: in his vexillum fidei, in „ his propugnaculum veritatis; in his Chri- „ ſtus agnoſcitur; in his redemptionis no- „ ſtræ ſpes & cauſa ſervatur. Hoc eſt illud, „ quod in Apoſtolo legimus fundamentum, „ in quo ſeipſum decipit, quiſquis ligna, fœ-

L 2 num,

„ num, ſtipulas conſumendas ignibus ſuperædificare tentaverit. His interfecta ſunt „ Eutychètis, & Neſtorii venena conciliis; „ quià adversùm Dominicæ diſpenſationis „ ſalubre Myſterium, dùm contraria inter „ ſe diſputatione nituntur, ſub quadam ſacrilegii æqualitate conſentiunt, ſententiis „ diſpares & impietate concordes; quorum „ alter nolens Beatam Mariam Virginem „ Dei eſſe Genitricem, in Domino noſtro „ quæ unita ſunt, dividit. Alter, dùm convenientium naturarum propria & certa „ confundit, Myſterium noſtræ redemptionis extinguit; alter Photini ſectam; alter „ Manètis inſaniam impiâ contagione contingens.

400 „ Adversùm hos, dilectiſſimi fratres, proviſa remedia ullâ animi virtute „ defendite, qua in labefactationem eorum „ videtis Hæreticos impietate pugnare. Non „ ſit pigra veritatis aſſertio. Quo ſtudio „ oportet ſalutem diligi, cum videatis perditionem mortiferam ſic amari? Pudeat „ ſegniter aſſeri veritatis leges, cùm tàm „ pertinaciter defendantur errores. Et auctores quidèm inventionum malarum, quæ „ prædiximus, Synodica conſtituta juſtis „ condemnationibus inſequuntur. Sed vos „ etiàm ſequaces eorum, ut declinetis, pariter admonemus, quos Apoſtolica Sedes & „ deprehendit pares auctoribus ſuis, & conjunxit damnatis Timotheum parricidam & „ Dioſcorum & Petrum Alexandrinos, Acacium Conſtantinopolitanum cum ſequacibus ſuis, Antiochenum quoquè Petrum „ prædicto ſimilem ſicut errore, ſic nomine; „ Sed & Severum ejuſdem loci, nihilominùs „ & veneni: Xenajam itèm Hieropolitem, „ Cyrum Edeſſenum, Petrum Apameæ non „ jàm pro ſua tantùm, ſed pro aliorum quoquè damnatione damnandos; qui cum ſe „ opinionum ſuarum ſordibus indeſinenter „ involvunt, alios quoquè docendo quæ malè aſſecuti ſunt, polluerunt, generalis mandati ſalubritate vos moneo. Quidquid adversùs Regulas Patrum de quibuslibet „ commentariis profertur, abjicite.

401 „ Nullus vos in congruentibus præceptis, aut novis moveat inſtitutis. Si „ enim mundani ſunt, & Eccleſias tenère „ non poſſunt; quià eis convenit magis diſcere, quàm docère, nefas eſt enim Altaribus piis peregrina inferre libamina; „ quià certos religioſis diſciplinis terminos „ Deus inter ipſa quoquè cultus ſui præſcripſit initia, inter Levitas & populum ſuum „ diviſit officium: alia eſt poteſtas hominum, „ alia miniſteria Sacerdotum: incitavit potiùs Dominum, quàm placavit, qui externum ignem Divinis adytis ſacrorum temerator invexit. Quis eſt qui ſibi in alienis „ inſtitutis jubendi auctoritatem poſſit aſſumere, cùm non ſit ambiguum, offerentis „ honorem debitum, pro ſola officii præſumptione punitum? In regia Ozias reverentiâ & adminiſtratione permanſiſſet, ſi monitus tantæ deſtructionis exemplo, ac religioſis inſtitutis timendo, quàm hæc aſſumendo meliùs imperaſſet. Sed dùm nec „ prohibentibus cultoribus Templi pertinax „ temerator abſiſtit, inter ipſam lepræ abominationem percuſſus, Altaria, & Officia Regni perdidit, dùm miniſteria Sacerdotis „ invadit.

402 „ Sciant ergò non eſſe accepta à „ Deo quæ de mandatis ejus à præſumptoribus aſſumuntur, quandò unum ad oſtenſionem ſententiæ vivacis dedecoris pœna „ ſervavit, alios velox flamma conſumpſit. „ Quòd ſi ſunt, quæ Religionis aliquo colore contecta ſint, vires habere nequeunt, „ quæ tantis auctoribus reluctantur. Clamat „ Paulus Apoſtolus: *Licèt nos, aut Angelus de Cœlo evangelizet vobis, præterquàm quod evangelizavimus vobis, anathema ſit*. Nec „ ſemèl hoc dixiſſe ſufficit, repetit ſalubre „ mandatum: *Sicut prædiximus, & nunc iterùm dico: ſi quis vobis evangelizaverit, præter id, quod accepiſtis, anathema ſit*. Servet ergò latam pro fidei conſervatione ſententiam, quiſquis Apoſtolicam ſequitur „ diſciplinam: & quidèm nobis cura non defuit; nàm gemino Legationis officio quidquid in precibus humile, quidquid in allegationibus rationabile, quidquid in mandatis ſalubre detulimus. Sed nunquid „ ideò negligenda eſt juſtitiæ via? Quoniam „ infidelitas ſuos errores amat. Qui errores „ ſuos diligit cum obſtinatione perfidiæ, non „ ſunt jungendi cum cadentibus lapſus: ſine „ noſtra contagione pereant qui ab impietatibus ſuis nec caſtigato errore declinant: „ *Deus ſanos vos cuſtodiat, filii dilectiſſimi*. „ Data IV. Idus Februarii poſt Conſulatum Agapiti Viri clariſſimi. *Hactenus Epiſtola*.

403 Dùm porrò hæc in Oriente agebantur, Timotheus ſceleſtiſſimus Conſtantinopolitanus Patriarcha, hæreticus, & hæreticorum fautor, orthodoxorum crudelis perſecutor inopinatâ morte de medio ſublatus eſt, cùm impiè annos ſex Cathedram illam tenuiſſet, cui, non ſine ſpeciali Dei providentia, neque ex ſententia Imperatoris hæretici, ſed conatu populi datus eſt ſucceſſor Joannes Cappadox orthodoxæ fidei cultor; cui, quamvis, vivente Anaſtaſio, nec ſuſpirare licuiſſet, ipſo tamèn poſt paucos menſes mortuo, ſtrenuè pro Catholica fide & Eccleſiarum unione laboravit.

404 Cùm autèm nihil remiſſiùs in orthodoxos ageret Anaſtaſius, nec animum à tyrannide temperaret, ortâ popularium ac etiàm complurium nobilium ſeditione, inſidias ei tetenderunt; quod cùm comperiſſet Imperator, complures captos necari juſſit, alios necan-

candos retinuit, inter quos Juſtinum, ac Juſtinianum orthodoxos & clariſſimos Viros. Sed in viſione supernè admonitus ab eorum cęde ſe abſtinuit, prout Zonaras part. 3. Annal. his verbis narrat: „ Anaſtaſius verò paulò ante obitum, nunciatis ſibi inſidiis, multos comprehenderat, atque inter alios Juſtinum, & Juſtinianum, qui poſt rerum potiti ſunt, atque in animo habebat eos occidere, ſed deterritus eſt ſomno, cùm ei vir terribilis adſtitiſſe viſus eſſet ac dicere: Juſtino, ac Juſtiniano nè quid mali feceris; nàm uterque ſuo tempore Deo ſerviet. Abſolutis à crimine, ac liberè dimiſſis Juſtino & Juſtiniano, aliud Anaſtaſius ſomnum vidit: Virum ſcilicet terribilem librum in manibus tenentem, ac ei dicentem, ſe delère vitæ illius, propter ſuam impietatem, quatuordecim annos. Ità idem Zonara recenſet, dicens: „ Crimine lęſæ Majeſtatis abſolutis „ (Juſtino & Juſtiniano) denuò aliud viſſe ſomnium memoratur: Virum terribilem, qui librum manu geſtans, diceret: „ Ecce ob perverſitatem fidei tuæ annos quatuordecim vitæ tuæ deleo. *Hæc Zonaras*. Id quod & Cedrenus pariter in compendio Hiſtoriæ recenſet, ſubjungens poſteà: „ Somno ſolutus Anaſtaſius, in ſomnium id Amantio Pręposito ad ſe evocato expoſuit. Atque is: Ego etiàm, inquit, imaginatus ſum adſtare Majeſtati tuæ; veniſſeque magnum porcum, qui me veſte acceptâ, in terram proſtraverit, atque devoraverit. Deindè Proclus conjector advenit, pronunciavitque utrumque paulòpoſt vitâ defunctum. *Hæc Cedrenus*.

405 Nec Procli divinatio vana fuit; nàm paucos poſt dies cœleſti fulmine tactus, interiit. Scribit idem Zonaras, Anaſtaſio prænunciatum fuiſſe, fulmine interiturum, ipſum verò Tholatum ædificium ſibi conſtruxiſſe, ut hac arte in eo degens, fatum vitaret: *Et quià fatale ſibi eſſe*, ait Zonaras, *ex oraculo didicerat, ut fulmine interiret, Tholatum ædificium conſtruxit, in eoque degit, ſed fruſtrà*. Cedrenus verò hoc idem recenſet, addens, Ciſternam in Palatio multis meatibus aperuiſſe, quibus occurrens, poſſet vim ignis vitare: *Anaſtaſius*, inquit, *cùm oraculo edoctus eſſet, igne ſibi pereundum fore, Ciſternam in Palatio, quæ frigida dicitur, multis meatibus aperuit, quorum cuique cadus appoſitus eſſet, conatus hoc pacto oraculum irritum reddere. Verùm abs re fuit, fulmine enim divinitùs eſt ejectus*. At quomodò acciderit, deſcribit Zonaras his verbis: *Cùm aliquandò tonitrua horrendum in modum reſonarent, & fulgura multa eliderentur; atque ipſe perterritus è cœnaculo in cœnaculum deſcenderet, & alios atque alios thalamos ſubiret, in quodam regio cubiculo mortuus inventus eſt*.

406 Interfectus eſt ergò Anaſtaſius Anno ſui Imperii XXVIII. Die IX. Julii, Domini verò Anno DXVIII. Pontificatus Hormiſdæ Anno V. Cùm imperaſſet Annos XXVII. menſes III. dies XXIX. ut tradit Marcellinus in Chronico, vel ut alii notant, totidèm Annos & menſes, dies verò tantùm III. Eodem, quo interfectus eſt tempore, in viſione Eliæ Patriarchæ Hieroſolymitano, adhùc in exilio degenti, nunciatum refert Cyrillus Monachus in vita S. Sabæ apud Surium tom. 6. die XXV. Decembris, necnon & eidem S. Sabæ; eunte enim S. Saba jàm octogenario, unà cum Stephano, & Euthalio Monachis ad viſitandum in exilio conſtitutum Eliam Patriarcham, eadem die nona Julii, ait Cyrillus, exeunte de cubiculo ſuo Elìa lacrymoſos oculos habente, ac ſciſcitantibus Saba, & Monachis, quidnam ei accidiſſet, & quòd tàm tardè eſſet egreſſus, & cùr triſtis eſſet, & eſſent oculi ejus effuſi lacrymis, reſpondiſſe: *Heù, hac hora mortuus eſt Anaſtaſius Imperator; & oportet me quoquè omninò decimo die poſt eum excedere, ut cauſam noſtram agamus ante horrendum Tribunal*. Porrò de viſione facta Sancto Sabæ, hæc ſubjungit Cyrillus: „ Hoc ipſum quoquè apertum fuit B. Sabæ, & in illa nocte, qua viſione dignatus eſt Patriarcha, dicitur ipſum quoquè vidiſſe fulmina, quæ deſuper immittebantur in Imperatorem, & eum veluti perſequebantur, ut interimerent, eum autem fugientem in regia penetralia, turpitèr effudiſſe animam. *Hæc Cyrillus*. Sophronius porrò in Prato Spirituali cap. 35. hæc ſcribit: „ Dicebat Abbas Polchronius de S. Elìa Hieroſolymorum Archiepiſcopo, quòd ſicut, cùm eſſet Monachus, vinum non bibebat, ità nec Patriarcha quidèm factus bibit, ſed eandem ſervavit regulam. Dicebant de eodẽ Archiepiſcopo Elìa, & de Flaviano Antiochię Archiepiſcopo, quòd ab Anaſtaſio Imperatore ambo fuerint exilio relegati propter ſanctã Chalcedonẽſem Synodum; Elias quidèm in Haila, Flavianus verò apud Petram. Die verò quadam ſignificaverunt ſibi ambo Patriarchæ mutuò dicentes: *Anaſtaſius hodiè mortuus eſt: eamus igitur & nos, ut cum illo judicemur*. Et poſt duos dies ambo migraverunt ad Dominum. *Hæc Sophronius*.

CAPUT XIV.

De Juſtini Imperatoris electi, ac reliquis Hormiſdæ geſtis pro delendo Acaciano Schiſmate, & Eccleſiarum unione ſtabilienda.

407 INterfecto, ut dictum eſt, ſceleſtiſſimo Anaſtaſio, ad Imperiale faſtigium evectus eſt ex Pręfecto Prætorio Juſtinus Thrax, & ſi obſcurus genere, virtute tamèn, & Religione clariſſimus: de cujus electione ex Zacharia Eutychiano Scriptore, hæc

hæc prodit Evagrius lib. 4. cap. 1. „ Poſt-„ quàm Anaſtaſius ex corporis ergaſtulo, ad „ præclarum domicilium, ut dixi, demigra-„ vit, Juſtinus genere Thrax, nono menſe „ Paveni, qui à Latinis Julius nominatur, „ Anno autèm quingenteſimo ſexageſimo „ ſexto ex eo tempore, quo Urbs Antiochia „ primùm illud nomen accepit, purpurâ ve-„ ſtitur Imperatoriâ, & à Militibus Prętoria-„ nis, quibus ante, cùm eſſet Præfectus Auli-„ corum, præfuerat, Imperator declaratur. „ Qui quidèm ad iſtam Imperatoris dignita-„ tem præter omnem ſpem propterea aſcen-„ dit, quòd multi, & præſtantes Viri, cùm „ Anaſtaſio cognatione conjuncti, ſuperfue-„ rant, qui, cùm omnibus rebus, quas proſ-„ per, & beatus vitæ ſtatus poſtulat, abun-„ dare videbantur, tùm eam conſecuti po-„ tentiam, quæ homines in tàm amplo hono-„ ris gradu locare poſſit. *Hæc Evagrius*. „ Invitum tamèn gubernacula ſuſcepiſſe Im-„ perii, ipſemet teſtatur Juſtinus in Epiſtola „ data ad Hormiſdam: ſed ità Divino nutu „ factum, *qui ſuſcitat de pulvere egenum*, & „ *de ſtercore erigit pauperem, ut ſedeat cum* „ *Principibus*, & *ſolium gloriæ teneat*, ut hoc „ piiſſimo, & Catholico Principe, pax diù „ quæſita, diùque Eccleſiarum optata, me-„ diante, deniquè ſtabiliretur: ut Acta ipſius „ demonſtrant.

408 Sic itaquè electus Imperator, Populus Eccleſiam ingreſſus XV. & XVI. Julii magno zelo exarſerat, ut excummunicatis Eutychianis, eorumque defenſoribus, ſacroſanctum Chalcedonenſe Concilium cùm Sancti Leonis Papæ, & Euphemii, & Macedonii Epiſcoporum nominibus Sacris Diptycis reſtituerentur: prout acta à Baronio relata ad annum Domini DXVIII. à num. 5. indicant: Quod Joannes Epiſcopus Conſtantinopolitanus, aliàs orthodoxus, libentiſſimè præſtitit. Et nè videatur ſolis importunis Populi clamoribus factum, ac ideò minùs rectè, procuravit Joannes, annuente Juſtino, ut eadem ritè, more majorum in Conventu Patrum agerentur, & communi illorum ſuffragio confirmarentur. Ac ideò quatuor poſt ab hujuſmodi acclamationibus elapſis diebus, nimirùm die XX. Julii, Conſtantinopoli collecta eſt quadraginta ibi commorantium Epiſcoporum Synodus: in qua primùm oblatus fuit orthodoxorum Monachorum libellus, quinque continens petitiones, quarum prima erat: Ut ſanctæ memoriæ Euphemius, & Macedonius expulſi, & in exilio mortui, iuſtè, & canonicè revocarentur, & traderentur Catalogo prædeceſſorum Archiepiſcoporum in Domino ibìdem quieſcentium; omnibus vacuis manentibus, quæ contrà ipſos quandocumque facta fuerant, & ponerentur in ſacris Diptycis ipſorum vocabula.

409 Secunda, ut qui proptèr cauſam prædictorum Patrum, Euphemii ſcilicet, & Macedonii banditi fuerunt, fugatique, reverſi reſtituerentur propriis gradibus. Tertia, ut Symbolum Nicænum, atque etiàm Conſtantinopolitanum, ponerentur in Sacris Diptycis. Quarta, ut nomen ſanctæ memoriæ Leonis Papæ, pariter in Sacris Diptycis retineretur. & recitaretur. Quinta denique, ut attenta contrà Sanctam Chalcedonenſem Synodum removerentur, & blaſphema verba per Severum Eccleſiæ Antiochenæ invaſorem, adversùm illam temerè prolata anathemati ſubjicerentur. Præfatis ergò petitionibus perlectis, cognitis, atque examinatis, viſum eſt Patribus annuendum, undè & ad ſingulas ſua appoſuerunt decreta, prout ex Synodica Epiſtola data ad Joannem Epiſcopum Hieroſolymitanum, quæ incipit: *Cùm Deus omnium Dominus*, lecta Act. 5. Synodi Conſtantinopolitanę ſub Menna, palàm fit. Ex qua liquet etiàm, hac in Synodo Conſtantinopolitana receptas fuiſſe quatuor priores Synodos, Nicænam ſcilicet, Conſtantinopolitanam, Epheſinam, & Chalcedonenſem, atque ab omnibus recipiendas juſſum, excommunicato, atque anathematizato Severo, eandem Synodum Chalcedonenſem calumniante, & anathemati temerè ſubjiciente.

410 Porrò idem Joannes Conſtantinopolitanus Epiſcopus abſolutâ Synodo, Acta Synodalia nedùm ad Joannem Epiſcopum Hieroſolymitanum miſit, verùm, & ad alios Epiſcopos, & Metropolitanos: undè extat ejuſdem argumenti Epiſtola eadem Act. 5. Concilii Conſtantinopolitani ſub Menna, quæ incipit: *Deus, qui omnia ad utilitatem*, data ad Epiphanium Epiſcopum Tyri. Plura ſtatim Provincialia Concilia, receptis Actis Synodi Conſtantinopolitanæ, diverſis in locis celebrata fuiſſe referunt Scriptores: Hieroſolymis à Joanne Synodum congregatam fuiſſe, in eaque Acta Concilii Conſtantinopolitani fuiſſe recepta, conſtat ex Synodica ejuſdem Joannis Hieroſolymitani data ad Joannem Conſtantinopolitanum, & Synodum àb eo congregatam, quæ incipit: *Quoniàm duplex eſt lacrymarum motus*. Sic factum Tyri ſub Epiphanio Epiſcopo, pariter docet ejus Synodica, quæ incipit: *Benedictus Deus pacis Dominus*, data quoquè ad Synodum Conſtantinopolitanam, ut liquet ex eadem Act. 5. Concilii Conſtantinopolitani ſub Menna. Item, & ab Epiſcopis ſecundæ Syriæ in Synodo congregatis eadem Acta recepta fuiſſe, indicat illorum Synodica, quæ incipit: *Cum ob multitudinem malorum*, data ad Synodum Conſtantinopolitanam, & lecta Act. 1. Concilii Conſtantinopolitani ſub Menna, ubi pariter, & lecta fuit Epiſtola Cleri Eccleſiæ Apamenſis, quæ incipit: *Proprium quid Sacerdotii eſt*; & altera Monachorum Apamęæ pariter Eccleſiæ incipiens: *Docuerunt nos Divinæ Scripturæ*, datæ ad Epiſcopos ſecundæ Syriæ, quibus oſtendunt ſe quoquè Acta Synodi Conſtantino-

no-

nopolitanæ recipere. Eodem tempore orthodoxi Clerici, & Monachi Eccleſiæ Antiochenæ horum famâ permoti, cùm nimis ab Hæretico intruſo Severo premerentur, diùque vexati, & variis modis afflicti fuiſſent, ſupplicationem ad Joannem Epiſcopum Conſtantinopolitanum miſerunt; quæ extat ſimiliter in Actis Concilii Conſtantinopolitani ſub Menna, eſtque tenoris ſequentis.

Sanctiſſimo ac Beatiſſimo Archiepiſcopo œcumenico Patriarchæ Joanni, & Sanctæ Synodo congregatæ. Supplicatio à Clericis, & Monachis Apoſtolici Throni Antiochenæ magnæ Civitatis Catholicę Sanctę Eccleſiæ Dei.

411 „ Nunc eſt, ſi quandò fuit, tempus, „ Beatiſſimi Patres, omnes orbis Sanctas Dei „ Eccleſias, tanquàm ex uno ore propheticum illud vociferandi: *Lętentur Cœli, & exultet Terra, & omnia quæ in eis ſunt: quoniàm miſertus eſt Deus Populi ſui.* Quòd „ enim ſceptra Romanorum piis, & à Chriſto amatis Imperatoribus ſint commiſſa, ſic „ & libertas ac fiducia orthodoxam religionem colentibus donata ſit, quomodò non „ meritò perſuadet fidelibus, ut hanc vocem „ proferant? At in tàm communi feſtivitate „ orbis, una ex omnibus, vel admodùm cum „ paucis, Eccleſia Antiochena mœſtitia, & „ luctu impleta eſt. Lupum enim pro Paſtore (neſcimus quomodò) ſuſcepit, & affligitur.

412 „ Quàm enim tragædiam non exceſſerunt, ac ſuperarunt mala attentata à Severo? qui primùm quidèm (ut quomodò „ vixerit, prætereamus, veſtris auribus parcentes) nulli unquàm Eccleſiæ communicaſſe videtur: deindè cùm calumniæ ſagittis vulneraſſet, & expelli curaſſet, paravit „ exagitare juſtiſſimum Paſtorem Flavianum, „ beatiſſimi illius ſedem violenter, & contrà „ Canones ſubripuit, & indè ad inſtar mercenarii non ſolùm ovile Chriſti ab injuria „ non defendit, neque fugit, quod tolerabile fuiſſet, ſed ipſe operabatur ea, quæ ferarum ſunt, oves jugulando, & diſpergendo.

413 „ Novitates autèm, & blaſphemias „ adverſùs Deum fingens, nulli Sanctorum „ Patrum pepercit: perſeverat enim penè „ quotidiè abdicans Synodos pro pietate „ congregatas. Nàm qui ſanctam Chalcedonenſem Synodum anathematizare, & „ impugnare auſus eſt, quæ maximè firmavit Symbolum trecentorum decem & octo „ Sanctorum Patrum, quæ etiàm ſuſcepit centum quinquaginta Sanctos Patres, „ inſuper etiàm, & ſimiliter Sanctos Patres, „ qui Epheſi contrà impium Neſtorium convenerunt, ſatis manifeſtum eſt, quòd & „ prædictas evertit, & odit tanquàm hujus „ ſorores.

414 „ Quot autèm homicidia Sanctorum „ Monachorum patrarit cum manibus judicis hujuſmodi jugula cædem fecerit, neque nos, Sanctiſſimi, neque aliorum aliquem latuit. Dirum enim ſpectaculum fuerunt jacentes viri, qui religioſis certaminibus uſquè ad canitiem certaverunt, nudi „ & inſepulti projecti ultrà trecentos exiſtentes, ex ſecunda Syriorum Provincia nati, „ canibus, & avibus lacerandi, expoſiti. „ Similia autèm, & ſimiliter miſeranda ſunt, „ & quæ in Xenodochiis, ideſt Hoſpitalibus „ ab ipſis facta ſunt. Carceres enim ædificat nunc, & in eos pro fide multos detrudit, in tenebris detinendos flagellando interficit. Qualia, Sanctiſſimi, & circà fontes in Daphne facere præſumpſit, & veneficiis ibìdem utens, & ſceleſtis ſacrificiis „ Dœmones colens, hoc quoquè tota illa „ magna Civitas prædicat. Neque verò ipſis „ ſanctis Altaribus pepercit, neque ſacris vaſis, alia confringens, alia autèm conflans, „ quæ ſimilibus ſuis erogat. Præſumptum eſt „ autèm ab ipſo, & hoc, ò Beatiſſimi, nàm „ Columbas aureas, & argenteas, in figuram „ Spiritus Sancti ſuper Divina lavacra, & „ Altaria appenſas, unà cum aliis ſibi appropriavit, dicens, non oportere in ſpecie Columbæ Spiritum Sanctum nominare. Pecunias quidèm & domos, & quæcumque in „ optimis fundis erant, exportavit, & expendit, & graviſſimis uſuris Eccleſiam obruit.

415 „ At, Beatiſſimi Patres, non eſt poſſibile omnia percurrere, quæ ab illo præſumpta fuerunt; ideò his paucis, & magnis „ contentis, deprecamur veſtram ſanctam „ Synodum, ut tandèm aliquandò ſedetis „ mala, quæ noſtram Eccleſiam occupant, „ & totum ferè Orientem, & ab iſto nequiſſimo Viro nos liberetis, exactâ ab eo pœnâ eorum, quæ contrà Divinos Canones, „ politicas Leges fecit; & curam gerat earum rerum, quæ relictæ ſunt, ſi quid remanſit, & perſuadeatis piiſſimo ac invictiſſimo Principi, & mittat aliquos bonis moribus probatos, aliquo ex noſtris ſimùl veniente, qui rebus invigilet, ut cohibeantur, & ratio ab illis exigatur eorum, quæ „ à principio uſquè nunc fecerunt; & in ſuos „ uſus privatos multa furtim converterunt, „ cuſtodiantur autèm quæ invenientur, nè „ omnia penitùs exportentur. Non enim „ ceſſat bonus homo adverſùs ea, quæ ſunt „ Eccleſiæ Dei, ea, quæ ad ipſam Eccleſiam „ pertinent, diſſipare. Cùm enim meritò ab „ omni ſpe exciderit, in Viros iniquos, à quibus nutritur, ſpem habet. Rogamus etiàm, „ ut Oratores mittantur, & pro fratribus, „ ſive Epiſcopi ſint, ſive Clerici, vel Monachi, aut Laici, ut relegati reſtituantur pro-

„ propriis Civitatibus, & Ordinibus, inſu-
„ per in his omnibus veniam petentes pro-
„ pter dolorem nos occupantem, adjuramus
„ veſtram Beatitudinem, per ſanctam & con-
„ ſubſtantialem Trinitatem, & pietatem ac
„ victoriam, & perſeverantiam Dominorum
„ totius Orbis, Juſtini & Euphemiæ ſemper
„ Auguſtorum, moveri & nobis opportunè
„ ſuccurrere, & non deſpicere ſupplicatio-
„ nes noſtras, adducere autèm & hæc omnia
„ ad pios Chriſtanos Imperatores noſtros, &
„ perſuadère ipſorum Serenitati, ut omnia
„ bona ſanctiſſimæ Eccleſiæ noſtræ, per ipſo-
„ rum & veſtram conſequantur providen-
„ tiam. *Hactenus ſupplicatio*, cui ſubſcri-
„ pſerunt Presbyteri aliqui, Diaconi quo-
„ què, Subdiaconi, & Monachi omnes nu-
„ mero ſex ſuprà viginti.

416 Cùm verò hæc perferrentur ad Juſtinum Imperatorem, calumniati ſunt apud eum Proceres Eutychiani, hos omnes, quorum querelæ perlatæ ſunt Conſtantinopolim, eſſe Neſtorianos hæreticos, ideòque dignos, qui pœnis ſubjicerentur. Quibus auditis Imperator Syros ac Paleſtinos ſcripto admonuit, ut cujus eſſent fidei docerent. Qua occaſione tùm Antiocheni, tùm Hieroſolymitani Clerici cum Monachis earundem Eccleſiarum convenientes, libellum ſcripſerunt ad Juſtinum Imperatorem, quo ſe verè catholicos eſſe abſque ulla ambiguitate perſpicuè declararunt ad hunc modum ſcribentes, videlicèt.

Deo amabili, ac piiſſimo Imperatori ex Deo Auguſto, & Principi Juſtino Chriſtianiſſimo.

Deprecatio, & ſupplicatio ab Hieroſolymitanis, & Antiochenis, & ſecundæ Syriæ Clericis, & Abbatibus, & Poſſeſſoribus Syriæ Provinciæ.

417 „ *Haurite aquam cùm lętitia ex fonti-*
„ *bus ſalutis*, vociferator Iſaìas Propheta
„ exclamat, fontes ſalutis Evangelicæ verita-
„ tis prædicationes manifeſtè oſtendens, ex
„ quibus Beati Apoſtoli, & eorum, qui per
„ ordinem fuerunt Diſcipuli, & ſapientes
„ Eccleſiæ Doctores, ſalutarem aquam fidei
„ haurientes, omnem S. Dei Eccleſiam irriga-
„ verunt, quæ in Petra ſummi Apoſtolorum
„ ſubnixa rectam, & inflexibilem Confeſſio-
„ nem cuſtodiens, fiducialiter cum eo ad uni-
„ genitum Filium Dei exclamat omni tem-
„ pore, dicens: *Tu es Chriſtus Filius Dei*
„ *vivi*. Hanc ſalutarem Confeſſionem à
„ ſanctis quatuor Synodis, quæ Evangelicis
„ præceptis ſunt honoratæ, ſuſcipientes,
„ nunquàm per Chriſti gratiam à traditis
„ nobis rectis dogmatibus deviavimus, ſicut
„ rerum teſtatur probatio, & tempore ne-
„ ceſſitatis fidei conſtantia demonſtrat.

418 „ Si igitur, ut Chriſtiani rationis
„ fidei ſumus participes, Domine piiſſime, &
„ ad communem pacem, & unitatem feſtina-
„ mus, noſtram fidem, quam ab initio ſuſce-
„ pimus, per hanc ſatisfactionem noſtram
„ manifeſtam veſtræ facimus pietati; ut no-
„ tum ſit, quià & paci concurrimus, & à
„ rectâ cum Deo juvamine non divertimus
„ fide, ſed omnem ex æquo hæreſim execra-
„ mur, non ſolùm Eutychianiſtas, & Ace-
„ phalos, ſed & Neſtorianos, & hominem
„ colentes toto animo audentes anatemati-
„ zamus.

419 „ Nos autèm, Domine chariſſime
„ Imperator, ſicut ſuprà dictum eſt, in Pa-
„ trem, & Filium, & Spiritum Sanctum,
„ ab initio baptizati quoquè, & credentes
„ eſſentiam Dei in tribus ſubſiſtentiis, ado-
„ ramus: ſecundùm Sanctorum Patrum Sym-
„ bolum, credentes in unum Deum Patrem
„ omnipotentem, & in unum Dominum no-
„ ſtrum Jeſum Chriſtum Unigenitum Deum
„ Verbum, ſimiliter, & in unum Spiritum
„ Sanctum; & ſecundùm hoc Divinum ma-
„ thema, diffinitionem à Sancta Chalcedo-
„ nenſi Synodo promulgatam intelligimus
„ quoquè, & ſuſcipimus, confidentes, &
„ credentes, quià unam ſubſtantiam, vel
„ perſonam, quòd idem eſt, ipſa Sancta Sy-
„ nodus, in duabus naturis, ideſt in Deitate,
„ & humanitate indiviſè, & inconfuſè præ-
„ dicavit Deum Verbum.

420 „ Dominus noſter Jeſus Chriſtus
„ unus eſt ex Sancta, & unius eſſentiæ Tri-
„ nitate; ſi enim unum Deum in tribus ſub-
„ ſiſtentiis, ſicut dictum eſt, accipimus,
„ Pater autèm non eſt incarnatus, nec Spi-
„ ritus Sanctus; Deus Verbum incarnatus
„ eſt, & homo factus eſt unus ex Sancta, &
„ unius eſſentiæ Trinitate, ſecundùm filia-
„ tionis proprietatem. Sic iſta ſecundùm præ-
„ dictas quatuor Synodus credentes, & ſe-
„ cundùm Dei Verbi nativitatem, ſecundùm
„ carnem confiteri non renuimus. Undè
„ propriè Dei Virgo Genitrix eſſe creditur,
„ tanquàm naturâ, & veritate unius eſſentiæ
„ Patri Filium Deum Verbum, naturâ im-
„ mutabilem, ex ipſa factum hominem, enixa
„ eſt, & duas naturas in Chriſto per eſſentiam
„ vel ſubſtantiam unitas confitentes, ſicut in
„ unius perſona vel ſubſtantia: nec harum di-
„ verſitatem vel proprietatem poſt unitionem
„ auferimus, nec eas dividere in duabus per-
„ ſonis, & ſubſtantiis per unitionem ſumus
„ edocti; Eundemq. ſcimus unigenitum Filiũ
„ Dei, & ante incarnationem ejus, & poſt
„ eundem Deum quidèm ſimùl & hominem
„ paſſibilem carne, impaſſibilem Deitate, cir-
„ cumſcriptum corpore, non circumſcri-
„ ptum ſpiritu, eundem terrenum, & cœle-
„ ſtem, quem Mundus ut hominem capit, &
„ ut Deum continere non potuit, mortalem,
„ & immortalem, nuſquàm naturarum diver-
„ ſitate ejus ablatâ, neque dividentes per eſ-
„ ſentiam unionem.

421 Hoc

421 Hoc enim verè magnum pietatis myſterium, quià unus ex ſancta unius eſſentia Trinitatis incarnatus & homo factus Deus Verbum in utraque natura Deitatis & humanitatis indiviſè & inconfuſè cognoſcitur & adoratur, non converſionem, vel mutationem ſuſtinens, ſed proprietatem utriuſque naturæ in una perſona in ſemetipſo conſervans. Ob hanc igitur fidem prædictas ſanctas Synodos ſuſcipientes & cuſtodientes, anathematizamus omnes, qui adversùs eas quocumque tempore, vel modo aliquid conſcripſerunt, præcipuè Joannem Aegeotam, qui adversùm memoratam ſanctam Chalcedonenſem Synodum multas, ut Neſtorianus blaſphemias evomuit. Similiter & condemnantes Timotheum, Ælurum cognominatum, ſicut Eutychianiſtam, adversùs eam cum ſuis latrantem ſequacibus. Ità ergò cum Dei juvamine ſemper ſenſimus, & jàm nunc ſentimus.

422 „ Quapropter hanc ſatisfactionem vestræ obtulimus pietati, & ut jubere dignata eſt, nos proprium intellectum, & quemadmodùm de ſana fide ſentimus exponere; quià quidam Hæretici, dùm ſuam malam fidem occultare feſtinant, noſtram in Chriſto libertatem & rectam fidem detrectare conantur. Supplicamus igitur veſtram Clementiam, ſollicitudinem perfectam in Eccleſiarum unitione ſanctarum habere debere; ut unitas, quæ cum Dei fuerit juvamine, nec ullo deinceps rationabili, aut irrationabili occaſionis fomite inquietari pax poſſit. Deus autèm omnium veſtrûm pium adimpleat deſiderium in gloriam ſui, & Reipublicæ diſciplinam. *Hactenus ſupplicatio*.

423 His acceptis Juſtinus Imperator pro ipſorum voto primò promulgavit edictum, quo præcipiebatur, ut omnes exules fidei Catholicæ ſub Anaſtaſio condemnati ad propria poſtliminio redirent, priſtinoſque gradus & honores reciperent: ſubrogati verò in locum ipſorum Hæretici procùl pellerentur, aliiſque pœnis exagitarentur; ſacroſanctum Chalcedonenſe Concilium in ſacras Tabulas inferretur, & ab hominibus piè & religioſè obſervaretur, omnibuſque Eccleſiis tutiſſima pax redderetur. Ità Auctor vitæ S. Sabæ apud Surium tom. 6. ad diem 5. Decembris, inquiens: „ Cùm enim poſt Anaſtaſium Juſtinus piè aſſumpſiſſet Imperium, & per univerſum Orbem miſiſſet edictum, ut orthodoxi quidèm remitterentur ab exilio. Chalcedonenſis autem Synodus ſcriberetur in ſacris Tabulis, & veteres honores redderentur orthodoxis, & rursùm tranquillâ pace frueretur Eccleſia. His ſic factis, & Juſtino imperante, reversâ rursùm fide orthodoxâ, erat quidèm Beatus Sabas natus pluſquàm octoginta annos ætatis, & corporis imbecillitate, & ſenectute, & longâ illâ & intenſâ virtutum exercitatione affectus & maceratus. Verumtamèn & ſi ità ſe haberet, prompto tamèn & alacri animi ſtudio florebat ac vigebat, & quos per Chriſtum ſuſcipiebat labores, præferebat omni quieti, & animi relaxatione. *Hæc Auctor*, qui & geſta ejuſdem S. Sabæ hac occaſione acta enarrare proſequitur.

424 Deindè poſt hoc editum edictum, aliud promulgavit Imperator Juſtinus, quo exagitavit Severianos hæreticos, vel alios Catholicæ Eccleſiæ hoſtes; dùm vetuit, nè Hæretici fungi publicis muneribus poſſent, & ab omni eſſent militia alieni, cujus edicti meminit Juſtinianus Novella 109., ubi ait: „ Sciant igitur univerſi, quòd ante nos imperantes, & maximè Leo piæ memoriæ, & Juſtinus piæ memoriæ noſter Pater, in ſuis Conſtitutionibus Hæreticis omnibus interdixerunt, ut neque ullâ ipſi participarentur militiâ, neque quodlibet in publicis curis participium haberent, uti nè occaſione militarium & publicorum Collegiorum Sanctæ Dei Catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ membra viderentur vaſtare. *Hæc ibi*. Extat porrò in Codice de Hæreticis lib. 1. tit. 5. ſub nomine Juſtini lex 12. ſic ſe habens: „ Manichæi utiquè expelluntur, & capite puniuntur. Reliqui autèm Hæretici (hæreticus eſt omnis non orthodoxus) & Græci (ſeù Pagani) & Judæi & Samaritæ prohibentur Magiſtratum gerere, & dignitatem habere, aut jus dicere, aut defenſores, aut Patres Civitatum fieri (nè habeant licentiam vexare, aut judicare Chriſtianos, aut Epiſcopos.) Item militare quoquè prohibentur. *Hæc ibi Juſtinus*. Inter hæc autèm Juſtinus antiquum orthodoxorum Principum morem imitatus, duodecimâ circiter die à celebrata prædicta Synodo Conſtantinopolitana, de ſui electione ad Hormiſdam Papam ſequentes dedit literas, videlicet.

Juſtinus Auguſtus Hormiſdæ Papæ.

425 „ Dei beneficia, licèt multis, maximè tamèn Summis Pontificibus convenit indicari; proindè Sanctitati Veſtræ per has declaramus Epiſtolas, quòd primùm quidèm inſeparabilis Trinitatis favore, deindè ampliſſimorum Procerum Sacri noſtri Palatii, & Sanctiſſimi Senatus, necnon electione firmiſſimi Exercitus ad Imperium nos, licèt nolentes ac recuſantes, electos fuiſſe atque firmatos. Precamur proindè, ut ſanctis orationibus veſtris Divinæ Potentiæ ſupplicetis; quatenùs initia noſtri roborentur Imperii. Hoc enim & nos ſperare, & vos decet implere. Data Kalendis Auguſti Conſtantinopoli, Magno V.C. Conſule.

426 Ex qua Epiſtola liquet, falſum eſſe

id, quod ex Scriptore Eutychiano refert de hujus Principis electione lib.4. hiſtor. cap. 2. dùm ait: „ Per idem tempus Amantius vir „ potens in primis cubiculo Imperatoris præ- „ fuit; qui, quoniàm non licebat Eunucho „ Imperio Romano potiri, cupiebat Theo- „ crito homini ſecum fide, benevolentiâ con- „ juncto, Coronam donare Imperatoriam. „ Itaquè Juſtino accerſito, magnam pecuniæ „ vim ei dat, quam jubet illis diſtribui, qui „ poſſent Purpuram Imperatoriam Theocri- „ to impertiri, & ad id præſtandum maximè „ viderentur idonei. Juſtinus autèm, ſivè „ quòd populum largitione ſuum planè red- „ didit, ſivè quòd excubitorum benevolentiâ „ pecunia ſibi conciliavit (utrumque enim „ memoratur) Imperio ipſe potitus eſt; ac „ ſtatimpoſt, Amantium & Theocritum cum „ aliis nonnullis è medio ſuſtulit. *Hæc Evagrius*. Atqui conteſtante Juſtino in literis datis ad Hormiſdam, ſe nolentem & recuſantem ad Imperium, Procerum, Senatus & Militum operâ evectum, falſum remanet, quod Evagrius ſcribit, nimirùm largitione populum ſibi benevolum reddidiſſe, & pecuniâ excubitorum benevolentiam acquiſiviſſe, ut ipſis faventibus,ad Imperium eveheretur. Sed Amantio perduellionis reo juſtas dedit pœnas, utpotè qui ſub Anaſtaſio potens, auctor fuerat, ut per iniquum Principem orthodoxi omnes deprimerentur.

427 Cæterùm Hormiſda receptis Imperatoris literis gratulatus plurimùm eſt de Catholico Principe ad Imperiale faſtigium evecto, ſperans ſub tali Imperatore diù optatâ pace ſanctas Dei Eccleſias frui poſſe; proindè reddidit ſtatim literas, quibus in primis de ejus gratulatur electione, ſignificat indè ſpem de Eccleſiarum unione ſub ejus principatu conceptam, deque fide Catholicâ, quæ hactenùs in Oriente defecerat, iterùm conſtabilienda. Sic itaquè reſcripſit.

Hormiſda Epiſcopus Juſtino Auguſto.

428 „ Venerabilis veſtri Regni primitiis, „ fili glorioſiſſime, loco muneris gratulatio- „ nem ſuam Catholica tranſmiſit Eccleſia, „ per quas ſe poſt tantam diſcordiæ fatiga- „ tionem requiem pacis invenire confidit. „ Nec eſt dubium ideò ad rerum ſummam „ cœleſti vos providentiâ perveniſſe,ut veſtris „ temporibus impacta Religioni in Orientis „ partibus aboleatur injuria. Debitas Bea- „ to Petro Apoſtolo Imperii veſtri primitias „ reddidiſtis, quas hac ratione devoti ſuſce- „ pimus, quià Eccleſiarum per vos proximè „ futuram credimus ſine dubitatione concor- „ diam. Deus, qui pietatis veſtræ ſenſibus „ alloquendi nos vota conceſſit, ipſe circà „ ſyncerum Religionis ſuæ cultum præſtabit, „ ſicut optamus,effectum.Significaſtis nolen- „ tibus & recuſantibus Imperii pondus im- „ poſitum, qua ratione electos vos cœleſti „ conſtat eſſe judicio, ſecundùm Apoſtolum „ dicentem: *Non eſt poteſtas, niſi à Deo; „ quæ autèm ſunt, à Deo ordinata ſunt*. Su- „ pereſt, ut à Deo electi, ſicut & credimus, „ Eccleſiæ, quam laborare cernitis, manus „ veſtræ ſolatia porrigatis. Ceſſent qui paci „ ejus obſiſtunt. Obtumeſcant qui in forma „ Paſtorum conantur gregem Chriſti diſper- „ dere. Iſtorum correctio vires veſtri firmat „ Imperii, quia ubi Deus rectè colitur, ad- „ verſitas non habet effectum. Hanc gratu- „ lationis paginam per Alexandrum virum „ clariſſimum non omiſimus deſtinare, ſpe- „ rantes cum Dei noſtri adjutorio per Virum „ clariſſimum filium noſtrum de ſingulis,quæ „ ad unitatem Eccleſiæ pertinent, nos Cle- „ mentiæ veſtræ præbituros eſſe reſponſum. „ *Hactenus Epiſtola*.

429 „ Deindè Clerus Conſtantinopolitanus, quin potiùs Epiſcopi illi Orientales, à quibus Synodus Conſtantinopoli celebrata fuerat, ſcientes fruſtrà pro Catholica fide inſtauranda laborare, niſi Catholica per Romanum Pontificem communione impartirentur, Acta Synodalia pro recipienda confirmatione ad Hormiſdam miſerunt, egeruntque, ut Juſtinus datis ad Pontificem literis, ipſum rogaret, ut ab eo Legati mitterentur Conſtantinopolim, qui Apoſtolicâ auctoritate conciliarent Eccleſiis pacem, & lapſos in Eccleſiam reſtituerent. Id, quod libenter præſtitit Juſtinus, & per Gratum Virum clariſſiſimum ſequentes ad Hormiſdam miſit literas.

Juſtinus Auguſtus Hormiſdæ Papæ.

430 „ Joannes vir beatiſſimus hujus Re- „ giæ Urbis Antiſtes, & cæteri Viri religioſi „ Epiſcopi de diverſis locis, & Civitatibus „ hìc reperti, noſtram Serenitatem docue- „ runt pro concordia veram & orthodoxam „ fidem colentium, proque unitate Venera- „ bilium ejus Eccleſiarum literas tuæ San- „ ctitati offerendas confeciſſe, ac magnoperè „ poſtularunt, noſtras etiàm Epiſtolares pa- „ ginas ſuper hoc ad eam emanare; quorum „ petitiones, utpotè ſemper unitatis amato- „ res, libenter amplexi, hos Divinos api- „ ces ad tuam Beatitudinem cenſuimus pro- „ rogandos. Quibus ſcriptis, deſideriis ſu- „ pradictorum Reverendiſſimornm Antiſti- „ tum ſubvenire, proque nobis & Republi- „ ca, cujus gubernatio noſtæ pietati cœlitùs „ credita eſt, Supernam Majeſtatem ſuis ora- „ tionibus placare dignetur. Ut autèm tuæ „ Sanctitati pacis & unitatis, atque concor- „ cordiæ jura pleniùs pateſiant, quoſdam re- „ ligioſiſſimos Sacerdotes pacem amplecten- „ tes & deſiderantes, ad ſacratiſſimum no- „ ſtrum pervenire diſponat comitatum. Ob

hanc

„ hanc enim cauſam Gratum virum clariſſimum ſacri noſtri Conſiſtorii comitem, & Magiſtrum Scrinii & memoriæ direximus, cujus preclaram opinionem multis anteà notam habemus temporibus. Data VII. Idus Septembris Conſtantinopoli, Magno V.C. Conſule.

431 Eodem tempore, & per eundem Legatum, præter Epiſtolam Synodicam, cujus meminit Juſtinus in ſupracitata Epiſtola, quæ quidèm non extat, ſcripſit quoquè Joannes Epiſcopus Conſtantinopolitanus alias literas, quibus ſuæ fidei inſeruit confeſſionem, cùm optimè ſciret, aliter ſe minimè recipiendum ab ipſo Romano Pontifice, atque universâ Eccleſiâ in Catholicam communionem. Ejuſmodi autèm literæ ſic ſe habent.

Domino, & per omnia Dei amatori Sanctiſſimo Fratri, & comminiſtro Hormiſdæ. Joannes in Domino ſalutem.

432 „ Saluto veſtram Sanctitatem, chariſſime in Chriſto frater, & ſalutans prædico: quoniàm recta fides ſalva eſt, & Charitas fraternitatis firmata eſt. Hoc Deus ſolus potens per ſtudium Chriſtianorum, & piiſſimorum Imperatorum fieri voluit. Scribere igitur Apoſtolicè, & reſcripta ſuſcipere fraternè Dei amore dignemini.

433 „ Ego enim inquiſibili ratione doctrinam Sanctiſſimorum Apoſtolorum ſecundùm traditionem Sanctorum Patrum tenens, ſimiliter honorem conſubſtantiali, & per omnia Sanctæ Trinitati offero, ſicut in Nicæa CCCXVIII. Cœtus promulgavit, & in Conſtantinopoli CL. Conventus firmavit, & in Epheſina CC. firmavit, & in Chalcedone Conventus DCXXX. Patrum firmavit. Hanc ergò fidem uſque ad ultimum anhelitum, per gratiam Dei cuſtodiens ſpiritalibus amplexibus, tàm veſtram Sanctitatem, quàm etiam orthodoxas Eccleſias ex animo amplector, unà tecum in veritate ſentiens, & unà tecum ſperans in illo die per hanc fidem ſalvari bonâ voluntate Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Conſubſtantiali enim Trinitati omnis gloria debetur nunc, & in ſæcula ſæculorum. Omnem in Chriſto fraternitatem, quæ cùm veſtra eſt Sanctitate, ego, & qui mecum plurimùm in Domino ſalutamus.

434 „ Tantum ad ſatisfaciendum ſcripſimus, ut & venerabile nomen Sanctæ recordationis Leonis quondam Urbis Romæ Archiepiſcopi in Sacris Diptycis tempore cōſecrationis proptèr concordiam affigeretur, & veſtrum benedictum nomen ſimiliter in Diptycis prædicetur. Ut de omnibus autèm ſatisfiat veſtræ Sanctitati (quoniàm pacem veſtram amplectimur, & de unitate Sanctarum Eccleſiarum curamus) rogamus vos pacificos Viros deſtinare, & veſtræ dignos Apoſtolicæ Sedis, qui debeant ſatisfacere, & ſatisfactionem noſtram ſuſcipere, ut & in hac parte Chriſtus Deus noſter glorificetur, qui per vos pacem hanc Mundo ſervavit. Acceptâ XIII. Kalendas Januarii poſt Conſulatum Agapiti.

435 His acceptis Hormiſda, perlectiſque Actibus Synodalibus, approbavit omnia ea, quæ pro firmitate Chalcedonenſis Concilii, & contrà Severum, alioſque Eutychianos hereticos decreta fuerunt: at verò reprobavit geſta in favorem Macedonii, & Euphemii, quorum nomina Synodali Decreto, ut dictum eſt, in Sacris Diptycis reſtituta fuerant: quoniàm etſi pro orthodoxa fide exilium paſſi fuerint, attamèn extrà Catholicæ Eccleſiæ Communionem: propterea quòd Acacii ſchiſmatici nomen, & hæreticorum Communione polluti, nimis pertinaciter retinentes, prout ſuper iis diffuſè dictum eſt, in Apoſtolicæ Sedis Communione minimè recipi meruerunt: proindè, prout infrà dicemus, per Apoſtolicæ Sedis Legatos eadem nomina è ſacris Tabulis, unà cum Acacii nomine, ſic jubente Hormiſda, expuncta fuerunt. Intereà reſcripſit Pontifex ad Juſtinum, commendans illius ſtudium de concilianda pace, monens, ut cœptis inſiſtat, & ut de medio ea, quæ hactenus cauſa diviſionis extiterunt, prorsùs auferantur: remiſitque literas tenoris ſequentis, videlicèt.

Hormiſda Juſtino Auguſto.

436 „ Sumptam de Imperii veſtri ortu letitiam, quamvis apud nos pollentem merito præcedenti, quoquè geminaſtis alloquio, reciprocâ devotione teſtati. Jàm tunc ſecutura prævidimus, quæ nunc de Eccleſiaſticæ unitatis affectu cœleſtis gratiæ inſpiratione ſignificaſtis. Habes ergò, Clementiſſime Imperator, præſentem de tali voto jàm gloriam, ſed expectatur de perfectione perpetua. Hæc ſunt validiſſima Imperii veſtri fundamenta, quæ in ipſo naſcentis Regni principio divinam univerſis præferunt ſancta diſpoſitione culturam.

437 „ Tenete itaquè hanc piæ ſollicitudinis curam, & pro Catholicorum pace, ſicut cœpiſtis, inſiſtite: quià Deus noſter, qui vobis hunc tribuit animum, elegit etiàm per quos præſtet effectum. Nam, & Epiſcoporum vota, preceſque nobis effuſas gratantèr amplectimur: qui tamèn loci ſui conſideratione commoniti, ea deſiderant, quæ dudùm, ut ſequi vellent, Sedis Apoſtolicæ exhortatio crebra non defuit. Et quoniàm clementiam veſtram id cupere, illos etiàm hæc didicimus poſtulare, quæ res hactenus Eccleſiarum pacem ſub contentioſa obſtinatione diviſerit, nec pietatis veſtræ, nec illorum refugit, velut latenti causâ, notitiam.

438 „ Quid igitur facere debeant, & li- „ teris noſtris, & libelli, quem direximus, „ ſerie continetur. Hæc, ſi Deo noſtro, & „ clementiâ veſtrâ adjuvante ſuſcipiant, & „ ſequuntur; poterit ad eam, quam maximo „ deſideramus ardore, perveniri concordiam. „ Filius prætereà noſter vir clariſſimus Gra- „ tus ſacri Conſiſtorii comes, & Magiſter „ Scrinii memoriæ oſtendit in ſe veſtrum al- „ legationis ſuæ maturitate judicium; cujus „ mora ſenſibus veſtris, eo referente, meliùs „ afferetur. *Hactenus Epiſtola*.

439 Ad Joannem porrò Epiſcopum Conſtantinopolitanum reſponſorias pariter fecit literas, quibus commendatâ ejus ſollicitudine pro Eccleſiarum pace, & quòd Concilium Chalcedonenſe, & Beati Leonis de fide Epiſtolas unà cum Synodo recepiſſet, hæc tamèn non ſufficere, ſubindicat ad Eccleſiarum habendam unitatem, ſi nomen Acacii adhùc in ſacris Tabulis retinetur, qui cum Dioſcoro, & Eutychete communicaverat, proindè expungendum eſſe admonet, eoque expuncto nomine, ad Eccleſiæ Catholicæ communionem admittendum pollicetur. Hujuſmodi verò literæ ſic ſe habent.

Hormiſda Joanni Epiſcopo Conſtantinopolitano.

440 „ Spirituale gaudium directis charitas tua ſignificavit affatibus, docendo, „ ut Catholicæ Religionis diſciplinam ordi- „ ne ſuo veſtri Paſtores, Deo noſtro juvante, „ receperint. Hæc eſſe beneficia Miſericor- „ diæ ſupernæ quis dubitet? Hæc quis dubi- „ tet venerabilis Principis trophæis adjungi? „ Quis ambigat, quià major ei de hac pace, „ quàm de quibuslibet præliis triumphus ac- „ quiritur? Iſtius laboris gloria neſcit occa- „ ſum; quià ubi Deus rectè colitur, nun- „ quàm adverſariorum creſcit iniquitas. Di- „ lectionis tuæ confeſſionem gratanter acce- „ pimus, per quam Sanctæ Synodi compro- „ bantur, inter quas inſtauratione conſtitu- „ torum omnium Chalcedonenſe Concilium „ prædicaſtis, & Catholicorum numero ad- „ jungi deſiderans, Sancti Papæ Leonis in „ Diptycis nomen aſſeveras ſcriptum.

441 „ Iſta laudanda ſunt, ſi perfectionis „ ſubſequatur effectus; quià recipere Chal- „ cedonenſe Concilium, & ſequi Sancti Leo- „ nis Epiſtolas, & adhùc nomen Acacii de- „ fendere, hoc eſt inter ſe diſcrepantia vin- „ dicare. Quis Dioſcorum, & Eutychetem „ condemnans, innocentem oſtendere poſſit „ Acacium? Quis Timotheum & Petrum „ Alexandrinum, & alium Petrum Antio- „ chenum, & ſequaces eorum declinans, ſicut „ diximus, non abominetur Acacium, qui „ eorum communionem ſecutus eſt? De cha- „ ritate ſiquidèm tua meliora Dei omnipo- „ tentis expectamus auxilio, habentes opti- „ mæ promiſſionis ſpem, ſicut ad nos, quæ „ direxiſti tua ſcripta oſtendunt, tecum in „ veritate ſentiens, & ipſa defendens, ſpe- „ rans in illo judicio per ipſa te poſſe ſalvari. „ Poſt hæc quid reſtat, niſi ut Sedis Apo- „ ſtolicæ, cujus fidem te dicis amplecti, ſe- „ quaris etiàm ſine trepidatione judicia?

442 „ Igitur partibus Orientalibus oſten- „ de per te quòd ſequantur exemplum, ut „ omnium laus, qui correcti fuerint, tuis „ laboribus applicetur. Ergò, cùm magna „ denunties, & fidem Beati Apoſtoli Petri „ te amplecti ſignifices, rectè credens in ea „ ſalutem noſtram poſſe ſubſiſtere, libellum, „ cujus continentia ſubter annexa eſt, à cha- „ ritate tua ſubſcriptum ad nos dirige, ut „ ſine conſcientiæ tuæ formidine unam com- „ munionem, ſicut oramus, habere poſſimus. „ Pro perſona quoquè filii noſtri Grati, viri „ clariſſimi, Deo noſtro gratias ſine ceſſatio- „ ne perſolvimus, cujus fides, & recta cre- „ dulitas noſtrum circà ſe excitavit affectum; „ dignus reverà qui tantæ curam ſuſciperet „ actionis, & maximi Principis ad nos man- „ data perferret. *Hactenus Epiſtola*.

443 „ Omiſerat quidèm, nec ſine induſtria, Joannes Epiſcopus Conſtantinopolitanus in ſuis datis ad Pontificem literis, renunciare Macedonii, atque Euphemii nomen, inſtante populo, & annuente Synodo, in ſacris Tabulis reſtitutum, nè fortè de pace acturus à diſcordiæ ſeminariis auſpicaretur. At Sanctus Pontifex docet ſuis in literis, auſpicandam unionem ab Acacii nomine delendo, præteriens & ipſe nomina Euphemii & Macedonii, optimè ſciens, quòd ſemèl deleto Acacii nomine, cæterorum quoquè nomina, qui Acacio communicaverant, quales fuerant Macedonius & Euphemius, eâdem ratione, & abſque hæſitatione, forent delenda.

444 Sed & Juſtinianus vir clariſſimus, qui poſt Juſtinum Imperii habenas ſuſcepit, Catholicus, qui Catholicæ Religionis causâ ſub imperio Anaſtaſii in non leve diſcrimen vitæ adductus fuerat, Eccleſiarum amator unitatis & concordiæ, rectè Catholici Principis uſus occaſione, ipſe quoquè ſuis datis ad eundem Pontificem literis, & per eundem Gratum Imperatoris Legatum miſſis ad eandem unionem animum ejuſdem Pōtificis peragendam excitavit. Et cùm probè ſciret, nomen Acacii impedimento fuiſſe, quominùs exul concordia, ac ſæpè per alios Prædeceſſores Pontifices tentata, revocari aliquandò potuiſſet, nè id ad ſanciendam modò pacem impedimento eſſet, non tacet, quod Joannes omiſit, ſed de ejuſdem Acacii nomine ingerit mentionem, certumque reddit ipſum Pontificem, quòd ſi ipſe perſonaliter accederet, aut per ſuos Legatos, fore ut ipſius ſententiâ præfatum Acacii nomen exploderetur. Sunt autem ejus literæ tenoris ſequentis.

Ju-

Juſtinianus Comes Hormiſdæ Papæ.

445 Deſiderabile tempus, quod ſummis „ votis optavimus, Divina clementia, dolo- „ res generis humani reſpiciens, largiri di- „ gnata eſt, quo omnes Catholici, & Deo „ perfecti fideles Majeſtati ejus ſe valeant „ commendare. Idcircò has ad Apoſtola- „ tum veſtrum liberâ licentiâ jam mihi bene- „ ficio Cœleſti indultâ, direxi. Dominus „ etenim noſter invictiſſimus Imperator or- „ thodoxam religionem ſemper amplectens „ ardentiſſimâ fide, cupienſque Sacroſanctas „ Eccleſias ad concordiam revocare; mox, „ ut adeptus eſt, cœleſti judicio inſulas prin- „ cipales Sacerdotibus hic poſitis denuntia- „ vit, ut pro Regulis Apoſtolicis unirentur „ Eccleſiæ; & magna quidèm pars fidei eſt „ compoſita, Deo auctore.

446 „ De nomine tantummodò Acacii „ veſtræ Beatitudinis convenit audire con- „ ſenſum. Quam ob cauſam Dominus Noſter „ Sereniſſimus Princeps Gratum virum ſubli- „ mem, unanimem mihi amicum, cum pagi- „ nis Auguſtis ad Sanctitatem tuam tranſmi- „ ſit, ut modis omnibus dignetur Conſtan- „ tinopolim ad reliqua concordiæ componen- „ da venire: ſed abſquè quadam dilatione ve- „ ſtrum expectamus adventum, quem ſi qua „ tarditas, quod fieri non debet, forſitan re- „ tinuerit, interim vel Sacerdotes idoneos „ deſtinare feſtinet, quià totus Mundus par- „ tium noſtrarum converſus ad unitatem mo- „ ras non patitur.

447 „ Accelerate ergò, Domine Sanctiſ- „ ſime, nè vobis abſentibus, quæ debent præ- „ ſentibus ordinari.... Scimus etenim lite- „ ras veſtræ Beatitudinis, & anteceſſorum „ veſtrorum ad Orientem directas, quid ſu- „ per hac eadem cauſa contineant. Ut au- „ tèm nihil prætermittatur propter cauſam „ ſæpiùs memoratam, ab invictiſſimo Rege „ religionis quoquè negotium filio veſtro vi- „ ro ſublimi Grato eſt injunctum, favente „ Domino noſtro Jeſu Chriſto. *Hæc Juſti-* „ *nianus*.

448 Acta ſunt hæc omnia Anno I. Imperii Juſtini, Pontificatus Hormiſdæ Anno V. Domini verò Anno DXVIII. ſub Conſulatu Magni & Florentii. Quo anno prælibatis recenſitis literis ab Hormiſda receptis, in re tanti momenti, more Majorum, aliorum quoquè Epiſcoporum ſententiam exquirere voluit; proindè retento Romæ Grato Juſtini Legato, Synodum Epiſcoporum congregavit, propoſuitque univerſis Epiſcopis, nùm ob pacis bonum concedendum eſſet Orientalibus, ut nomen Acacii retineretur in Diptycis, eò quòd jam experientiâ fuerit demonſtratum id impedimento fuiſſe Majoribus, nè pax univerſalis Eccleſiæ ſanciretur, quod ſi concederetur, nequaquàm expungenda ex eiſdem Eccleſiaſticis Tabulis nomina Euphemii ac Macedonii Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Epiſcoporum, qui ob exilium & obitum in exilio videri poterant ſatis eſſe confeſſionis gloriâ illuſtrati.

449 At Epiſcopi factâ diligenti inquiſitione, quid hac de re prædeceſſores Romanî Pontifices, Simplicius, Felix, Gelaſius, & Symmachus ſenſiſſent, erutis de Archivio Romanæ Eccleſiæ eorum Epiſtolis, unâ, eâdemque ſententiâ decreverunt, recipiendam Orıētalem Eccleſiam ad communionem Apoſtolicæ Sedis, ſi Acacium ſchiſmaticum condemnarent, nomen ejuſdem penitùs abolerent; deniquè ſi Euphemium & Macedonium eâdem ſchiſmatis labe reſperſos, è ſacris Tabulis delerent & expungerent. Quibus ità peractis Legatio Pontificia, prout expoſcebant Juſtinus, Juſtinianus, & Joannes, deſignata eſt; delectis ad hoc munus obeundum Germano Epiſcopo Capuano aliàs ad Anaſtaſium legatione perfuncto, Joanne Epiſcopo, Blando Presbytero, Felice atque Dioſcoro Diaconibus. Cujus Legationis mentio habetur in Libello Synodico apud Labeum tom. 4. Concil. pag. 1588., ubi ſic dicitur: „ Cùm „ igitur Anaſtaſius in lecto impiam animam „ fulgure ab irato Deo immiſſo efflaſſet, ei- „ que Juſtinus Pius in Imperio ſucceſſiſſet, „ Beatus Hormiſda Papa Romanus plurimos „ Epiſcopos Theſſalonicam miſit, ut ſacram „ Chalcedonenſem Synodum confirmarent. *Hæc ibi*. Sed Anaſtaſius Bibliothecarius in Vita Hormiſdæ, tàm Legationem Juſtini ad Hormiſdam, quàm Hormiſdæ ad Juſtinum, his verbis recenſet, inquiens: „ Fulmine „ Divino Imperator Anaſtaſius objit. Sum- „ pſit itaquè Imperium Juſtinus orthodoxus, „ & direxit auctoritatem ſuam ad Papam „ Hormiſdam Sedis Apoſtolicæ per Gratum, „ illuſtrem nomine; petens à Sede Apoſto- „ lica, ut redintegraretur pax Eccleſiarum. „ Tunc Hormiſda Epiſcopus cum conſilio „ Regis Theodorici direxit à Sede Apoſtoli- „ ca Germanum Capuanum Epiſcopum, & „ Joannem, & Blandum Presbyteros, & Fe- „ licem & Dioſcorum Diaconos Sedis Apo- „ ſtolicæ, & Petrum Notarium, munitos ex „ omni parte fide & textu libelli pœnitentiæ. *Hæc Anaſtaſius*. Porrò Hormiſda deſignatis Legatis, ſequentem inſtructionem dedit.

Indiculus, quem acceperunt Legati Apoſtolicæ Sedis.

450 „ Cùm, Deo propitio, partes Orien- „ tales fueritis ingreſſi, ſi qui Epiſcopi vobis „ occurrerint, & libellum, cujus continen- „ tiam percepiſtis, à ſe ſubſcriptum offerre „ voluerint, ſuſcipite, eiſque præbete ſan- „ ctæ communionis conſortium. Si verò oc- „ currentes ipſi, eo, quo ſuperiùs diximus, „ ordine profiteri noluerint; à vobis equidèm

ſub

„ ſub ſacerdotali affectione tractentur. Sed „ neque vobis ſit cum his menſa communis, „ neque ab his vel victualia præſumatis accipere, niſi tantùm ſubvectionem, ſi cauſa „ popoſcerit, & hoſpitalitatem, nè credant ſe „ omninò faſtidiosè deſpectos.

451 „ Cùm autèm Conſtantinopolim, „ Deo adjuvante, veneritis, in eam ſecedite, „ quam Imperator præbuerit, manſionem; & „ nullum ad ſalutationem veſtram priùs permittatis accedere, exceptis his, quos ipſe „ miſerit Imperator, aut quos noſtræ communionis eſſe cognoſcitis, donec ipſum „ Principem videatis, cui præſentati, ſalutantes literas noſtras offerte, ſuggerentes, „ magnum nos de ejus Imperio gaudio percepiſſe, & nimiùm gratulari, quod cùm „ Deus omnipotens ad hoc evexit, juxtà ejus „ ſacras literas, ut ſecundùm ea, quæ ſunt „ ab Apoſtolicæ Sedis conſtituta Præſulibus, „ Deo auctore, & Regno ejus adnitente, Eccleſiarum & pax & unitas his temporibus „ deſiderata proveniat.

452 „ Qui ſi vos hortatus fuerit, ut Conſtantinopolitanum videatis Epiſcopum, intimate vos præfinita habere, quæ etiàm ab „ eis ſæpè ſunt cognita, quæ ab univerſis „ Epiſcopis Catholicam communionèm amplectentibus profeſſio debeat celebrari. „ Hæc ſi Epiſcopus Conſtantinopolitanus „ implere paratus eſt, ei gratanter occurrimus. Si verò Sedis Apoſtolicæ adhortationem ſequi contemnit, quid neceſſe eſt, ut „ ad occaſionem contentionis ſalutatio noſtra proficiat, quibus non eſt diſputationis „ aut certaminis cauſa in mandatis? Si verò „ Imperator ſibi aperiri voluerit, quid ſit „ quod ab Epiſcopo fieri poſtuletis, formam „ libelli, quam portatis, oſtendite.

453 „ Quòd ſi de anathemate Acacii „ conſentiens, ſucceſſores ejus dixerit recitandos, ob hoc, quod propter defenſionem „ Chalcedonenſis Synodi aliqui eorum fuerunt exilio deportati, inſinuabitis nihil „ vos de libelli poſſe forma decerpere, in qua „ ſequaces damnatorum pariter continentur. „ Sed ſi eos ab hac non poteritis intentione „ deflectere, faltèm hoc acquieſcite, ut anathematizato ſpecialiter per Libellum, quem „ vobis dedimus, Acacio, de prædeceſſorum „ ejus nominibus taceatur, abraſis eorum de „ Dypticorum inſcriptione vocabulis. Quo „ facto Epiſcopum Conſtantinopolitanum in „ veſtram communionem accipite. Libellum „ verò vel Epiſcopi Conſtantinopolitani, vel „ aliorum, quos vos ſuſcipere, Deo volente, „ contigerit, primò agite, ut præſente populo recitetur. Quòd ſi hoc fieri non potuerit, ſaltèm in Secretario præſentibus Clericis, & Archimandritis relegatur.

454 „ Hæc omnia, ſi Deo fuerint volente completa, Imperatorem rogate, ut „ deſtinatis ſacris per Metropolitanos Epiſcopos, adjunctis ipſius Epiſcopi Conſtantinopolitani literis innoteſcat, Epiſcopum „ Conſtantinopolitanum, ſuo quoquè conſenſu celebrata profeſſione, quam Sedes „ Apoſtolica deſtinavit, in unitatem communionis fuiſſe ſuſceptum; quibus literis „ etiàm ipſos hortetur ſimilia profiteri. Quòd „ ſi in hac parte Imperator aliquid difficultatis attulerit, Epiſcopus Conſtantinopolitanus directis præceptionibus Epiſcopis „ ſuis Parœcialibus, vel ceteris Metropolitanis, eis præſentibus, qui à vobis pariter „ directi fuerint, quid ipſe fecerit, innoteſcat; quod ab eo modis omnibus vos oportet exigere, ut facti hujus teſtimonio pergrante, etiàm univerſos, vel qui longè „ ſunt poſiti, latère non poſſit. *Hactenus Inſtructio*.

455 Libellum porrò, cujus hac in inſtructione fit mentio, eundem fuiſſe cum eo, quem per Ennodium & Fortunatum Apoſtolicæ Sedis Legatos, ſub titulo, *Regula Fidei*, imperante Anaſtaſio, idem Hormiſda miſit, & nos ſuprà tranſcripſimus, liquet ex Joannis Epiſcopi Conſtantinopolitani Epiſtola, data ad Hormiſdam infrà recitanda, quæ incipit: *Redditis mihi literis*.

456 Præter hæc, varias literas per eoſdem Legatos ferendas fecit Hormiſda; reſcripſit in primis ad Juſtinianum Comitem, cujus literas, ut vidimus, jam per Gratum delatas, acceperat, eique gratulatur de ſtudio unionis Eccleſiarum, quod ſe habere oſtenderat, cui & inſiſtere hortatur, deprecans, ut quantum ei fas eſt, agat, ut Acacii nomen cum ſuis ſequacibus, quod hactenùs impedimenti fuit, nè diù optata conſequeretur unio, prorsùs removeatur, atque damnetur. Sunt autèm literæ tenoris ſequentis.

Hormiſda Epiſcopus Juſtiniano Auguſto.

457 „ Literarum veſtrarum ſerie religionis ope pollente, devotionis optatiſſimâ gratulatione ſuſceptâ, gratias Divinitati retulimus, quià dediſtis indicium facile à „ vobis fieri quod potuiſſemus hortari. Hinc „ eſt, quòd quià ſponte laudabilia cupitis, „ dignè ad principatus apicem generis veſtri „ ſtemmata pervenerunt. Quapropter inſiſtite, & Religioſæ vivacitatis animis imminete, ut quemadmodùm pro bonæ voluntatis initio genus veſtrum meruit culmen Imperii, in æterna vobis de perfectione gloria ſint triumphi. Videte quo deſiderio „ ad pacis gaudia ludificatus diù Mundus „ exhortet. Reſpicite generalitatis animos „ veſtri præſũptione beneficii, certa ſpe quietis attolli; non eſt quod ſe dubietas inſerat; „ non eſt quod aliquid ambiguitatis accedat, „ cùm teſtamini, quòd, & nos quidèm benè „ novimus, accedere ad Eccleſiarum concordiam religioſi Principis vota. Quapropter

„ pter tantæ magnanimitati gratias agentes, „ quantâ poſſumus petitione deprecamur, ut „ Acacii nomen cùm ſequacibus ſuis, quod „ plenè unitatis Eccleſiarum impedit gau- „ dium, damnationis ordine ſit remotum. „ Nos enim convenientes cauſæ qualitati di- „ reximus Legatos, quibus præſentibus, ini- „ tium quod dediſti gaudii, poſſit, ſecundùm „ quæ mandatis continentur, impleri. *Hacte- nus ad Juſtinianum.*

458 Ad Juſtinum Auguſtum ſcripſit ite- rùm plurimùm illius zelum pro Catholica re- ligione, & Eccleſiarum unione commendans: hortaturque, ut tàm glorioſum opus perficiat, in eoque perficiendo primitias ſui Imperii Deo offerat. De Acacii nomine delendo, de Sy- nodo Chalcedonenſi unà cum Epiſtolis San- cti Leonis recipiendo, plura ſubjungit: atque cavendum ab iis, qui recepta Synodo Chal- cedonenſi, Acacium damnare recuſant, ad- monet: ac denique ſuos ad pacem, & unio- nem Orientalis Eccleſiæ conciliandam, miſſos Legatos ei commendat. Literæ autèm ſunt ſequentes.

Hormiſda Juſtino Auguſto.

459 „ In tantum pro gratia Divinitatis „ gloriæ veſtræ famam conſtat extenſam, & „ ità vos ſuffragante vitæ merito, laudabiliter „ mundo contigit innoteſcere, probatiſſimo- „ rum hominum opinione vulgante, ut ſuper „ vos potiùs credatur delatum culmen Im- „ perii, quàm per Imperium vos aliquis dicat „ agnoſci. Certum eſt quidèm hujuſmodi pro- „ vectione veſtrâ priſtino ſplendori acceſſiſſe „ decoris cumulum. Sed ſicut tenuiſtis olim „ moribus principatum, ſic cùm vos per ora „ Gentium impatiens ſecreti magnitudo de- „ tulerit, ad nos quoquè, ſicut myſticè lo- „ quuntur Scripturæ, teſtimoniis ſuavitatis „ veſtræ odor advenit.

460 „ Et certè cùm latè prudentium ho- „ minum ſententia religioſæ vitæ veſtræ fue- „ rint inſtituta diſperſa, habere non potui- „ mus incognitum, quidquid de vobis fuerat „ Mundi atteſtatione vulgatum: quià ſicut „ mediocri laude digna in immenſum ſibi ne- „ queunt vindicare præconia, ità ſinè fine „ prædicandum rapitur in populum quidquid „ bono fuerit admirationis ornatum. Vin- „ dicat enim ſibi quantitatis ſuæ jure magni- „ tudo famæ teſtimonia, quià neſciunt latère „ miranda: hinc eſt, quòd principatus vobis, „ ac honores publica jura commiſerunt; nàm „ quòd meritorum inſignia generalitatis facta „ ſunt vota, nemo ità rerum arbiter iniquus „ extitit, qui paſſim vos æſtimet arches in- „ clytæ accepiſſe titulos, cùm negari ne- „ queat, dignè vos meruiſſe Imperii culmen, „ quorum probitatem Mundus agnovit. Sed „ parùm eſt, quamvis judicio univerſitatis, „ ſuſcipere loco præmii jura regnandi. Illud „ magis eſt admirabile, quod ità vos homi- „ num laudabilitate firmatos ſuſcipiunt im- „ peria, ut judicia ſint Divina. Non eſt du- „ bium electos ſuos Venerabili prædeſtina- „ tione Divinitatis ad tantæ poteſtatis orna- „ menta venire, quos ſynceræ fidei documen- „ ta circumvallant. Verè vobis prophetici „ Spiritus convenire verba dixerimus: *Priuſ- „ quàm te formarem in utero, novi te.*

461 „ Ad hanc vos gloriam, incompre- „ henſibili ſupernæ Majeſtatis diſpoſitione „ procurante, obſequium naturæ Mundo „ protulit, ſub cuſtodia fidei tranſactæ vitæ „ probitas inſtituit, atque ad Imperia Cle- „ mentia Divina provexit; ob hoc ſcilicet, „ ut tandèm aliquandò diviſores Dominici „ Corporis fidei veſtræ executione compreſſi, „ Eccleſiarum concordia Diabolica Impedi- „ menta ſuccideret, & univerſitas de aduna- „ tione gauderet. Hoc Religioni, hoc Fidei, „ hoc Serenitati veſtræ ſpecialiter cœlitùs „ mandatur officium: quibus, & poſſe om- „ nia, & perficere videmus indultum.

462 „ Jtaquè, ſicut inſtituiſtis facere, „ navate ſuſcepti operis munus, quod ſuper- „ nâ vobis providentiâ videtis injunctum. „ Et verè ſic decuit, ut per Principem pax „ debeat fieri, quam reverentia Divinitatis „ expoſcit. Date has aſſumpti Deo noſtro „ veſtri oblationes Imperii, ut per vos poſſit „ pacis fructus impleri. Sinè dubio quidquid „ tali facto animæ veſtræ fuerit præſtitum, à „ vobis mundo judicatur impenſum. Ma- „ gnum, & inæſtimabile eſt, Venerabilis Im- „ perator, propter quod adſciti eſtis judicio „ Divinitatis: extenduntur ecce vota pacem „ deſiderantium; diuturni temporis tractu „ mœret Eccleſiarum indiviſibilis diſciſſa „ communio: eſt in gemitu diſcerpta frater- „ nitas, cùm circà Patrum dogmata varia ſit „ voluntas. Accingite ergò lumbos viribus „ fidei; videte cui vos Regi Divinitas velit „ obſequi: quantum ſit, quòd per vos procu- „ rat impleri. Eccleſiæ venerandæ Corpus, „ quòd propria Chriſtus noſter paſſione fun- „ davit, gloriæ veſtræ adunare factis inſti- „ tuit. Non eſt, quo magis circà vos gratia „ ſupernæ Majeſtatis eluceat, quàm ſi Eccle- „ ſiæ Corpus per veſtrum reparetur officium, „ Sanguinis Domini redemptione formatum. „ Eſt quidèm cauſæ hujus vetuſtiſſima cala- „ mitas, ſed pro immanitate ſui recentiſſi- „ mus dolor, & tantò Chriſtianis animis „ fortior gemitus, quantò temporibus eſt „ dilatus.

463 „ Videndum vobis eſt in quantùm „ quotidiè antiqui hoſtis ferveſcat inſania, & „ cùm olim cauſa ſit deciſa ſine ſententiæ, „ pacis faciat tarditatem: & cùm Chalcedo- „ nenſis Synodus, & B. Papæ Leonis conſti- „ tuta placent, quoad Charitatem reverti „ volumus, à certamine non deſiſtas. Se- „ quuntur quæ dogmatibus prædictis adſcri-

„ pta ſunt, & ab eorum ſequacibus, quos „ prędictâ auctoritate damnatos intelligunt, „ non recedunt. Tenent adhùc in complexibus nomen Acacii, quem vident judicio „ Sedis Apoſtolicæ meritò pœnam ſubjiſſe „ damnati. Quis non intelligat ſimulatè dici: „ *Sanctorum Patrum ſequimur dogmata, ſed* „ *non diligimus facta? Quæ à ſancta Chalcedo-* „ *nenſi conſtituta ſunt, & quæ Beati Leonis* „ *Epiſtola continet, fovemus, veneramur,* „ *amplectimur; ſed Acacio, qui damnatorum* „ *communionem ſecutus eſt, impendimus vota.* „ Sed quid opus eſt de judicatis rebus verba „ facere, cùm nos hortari tantummodò deceat, ut expreſsâ ſuperiùs ſimulatione „ ſubmotâ, ſub omni puritate pacem debeant, à quibus hæc dicuntur, optare.

464 „ Apud vos mihi eſt omnis deprecationis cauſa, Imperator egregie, vos his „ ac talibus religioſi operis reſiſtite vivâ charitate; vobis imminet, ut qui Eccleſiaſticæ concordiæ habuiſtis ſub privata vita „ deſiderium, ſub Principatu detis effectum. „ Non fuit quò magis gratiæ veſtræ cumulus „ accederet, quàm quod vobis divinitùs datum eſt, ut quod ſemper voluiſtis fieri, „ per vos ad terminum poſſit adduci. Nec „ breve ſpecimen circà vos gratiæ divinitatis „ effulſit, quibus datur poſſe facere quod „ ſemper optaſtis. Quapropter, quoniam vobis tantæ cauſæ titulum videtis eſſe ſervatum, removete quidquid ambiguum remanſiſſe creditur ad plenitudinem gaudiorum. Nos enim, qua decuit affectione per „ Gratum virum clariſſimum, cui pro moderatione ſui congruè ſenſimus officium Legationis injunctum, literis veſtri Principatus acceptis, cauſæ magnitudini convenientes, deſtinavimus viros Germanum & „ Joannem Epiſcopos, & Blandum Presbyterum, necnon & Felicem Diaconum, per „ quos ſi, quemadmodùm præſumimus, Serenitatis veſtræ favor arriſerit, ſecundùm „ quæ mandata ſunt, Eccleſiarum adunatione generalitatis poſſint vota firmari. *Hactenus Hormiſda ad Juſtinum.*

465 Dedit quoquè literas ad Euphemiam Auguſtam, Juſtini uxorem, inſignem pietate fœminam, quæ anteà Lupicina nuncupata, in ſua coronatione, jubente Juſtino, mutato nomine, Euphemia dicta fuit, in memoriam Euphemiæ illuſtris Martyris, in cujus Baſilica celebratum fuerat Chalcedonenſe Concilium. Commendat ergò Pontifex & fidem, quam etiam in privata vita tenuerat, & Religionis zelum & ſtudium pro Eccleſiarum concordia ab ea aſſumptum. Hortatur porrò, ut Viri ſui pietatem pro eâdem ſtabilienda pace, foveat; agatque cum Epiſcopis, ut ſub eo libelli tenore per Legatos miſſi, fidem ſuam profiteri dignentur. Tenor verò literarum ità ſe habet.

Hormiſda Euphemiæ Auguſtæ.

466 „ Eccleſiarum pax jàm cœleſti ordinatione componitur, cùm vos ad Imperium Deus elegit, apud quos eſſe integrum „ ſemper Religionis ſuæ cognovit affectum; „ Nàm ſicut in privata vita Deum ſemper recto dogmate coluiſtis, ut de Religionis „ concordia cogitaretis; & multa quidèm „ inter ipſa Imperii veſtri primordia facta „ ſunt, quæ ſpem nobis correctionis integræ „ pollicentur. Undè quià in vobis amorem „ fervère fidei gratulamur, agentes Deo gratias, quotidiè pro vobis Beato Petro Apoſtolo ſupplicamus, ut pro votis veſtris apud „ Dominum ſuffragetur, & curſum bonæ „ voluntatis adimpleat. Nec dubium eſt, „ divinis vos auxiliis adjuvari, quià tanto „ Religionis ſtudio mandatis cœleſtibus obeditis. Hinc eſt, quòd quia ſanctum conjugii veſtri conſtat eſſe propoſitum, has fiducialiter ad veſtram clementiam literas deſtinamus, ut per vos ad perficiendam Eccleſiæ pacem Mariti veſtri pietas ampliùs „ incitetur. Magnum opus arripuiſtis, magna vobis cauſa commiſſa eſt. Per vos „ etiàm populos Chriſtus vult ad Eccleſiæ „ fœdera revocare, quos per ſe voluit à morte redimere. Magna etiàm veſtro ſexui parata eſt laudis occaſio, ſi vobis inſtantibus, „ Eccleſiæ ſuæ Chriſtus, quæ diviſa fuerant, „ membra conjungat. Nec ejus major eſt „ gloria, quæ humanæ ſalutis lignum ſcrutata eſt, & ſola Crucem, quam omnis veneratur Mundus, invenit. Superabitis „ quinimmò illius merita, quià Eccleſiæ unitas per illam ſuum invenit ſignum, per vos „ eſt habitura remedium. Agat igitur jugalis veſtri religioſa clementia, ut fratres & „ Coepiſcopi noſtri ſub eo libelli tenore, „ quem dudùm miſimus, ſidem ſuam dignentur aſſerere; quatenùs perfecta poſſit eſſe, „ quæ eſt inchoata correctio, quià irrita eſt „ quælibet in cultura Dei confeſſio, cui deeſt ſidei plenitudo. Hoc enim quod à reliquis fieri popoſcimus, à multis jàm Sacerdotibus conſtat effectum; & unitas eſſe juſta in communione non poterit, ſi non fuerit in reverſione ſervata. *Hactenus Epiſtola ad Euphemiam.*

467 Porrò optimè notat Hormiſda penès Joannem Epiſcopum Conſtantinopolitanum reſidère totiùs pacis conciliandæ facultatem, ut ſi ipſe reſiliret, ut fecerant ſui prædeceſſores, omnem operam & impenſam periiſſe non dubitaret. Quapropter per eoſdem Legatos ad ipſum quoquè literas dedit, quibus mulcère hominem lenitate, & reſilientem veritatis urgère ſtimulis ad curſum, dubiumque efficacioribus ſuadère, & certum reddere argumentis, atque labantem animo rationibus ſtabilire non prætermiſit. Sunt ergò literæ ad eum datæ tenoris ſequentis, videlicet.

Hor-

Hormiſda Joanni Epiſcopo Conſtantinopolitano.

468 „ Reddidimus quidèm, frater, congruum literis tuis ſub Eccleſiaſtica libertate reſponſum; & quid in his congratulati fuerimus inſertum, qui taciturnitate præteritum evidenter expreſſimus. At licèt cuncta ſenſibus tuis non crebra Legatio, nunc uſu in Eccleſia diuturnæ converſationis tuæ vetuſtas infuderit; juvat tamèn adhùc latiùs aperire noſtrum repetitâ ratione conſilium; quià tunc benè de fidei firmitate diſſeritur, quandò ſimplicibus verbis conciliandæ pacis cupiditas explicatur. Deſideria quippè tua, quibus te ad Eccleſiaſticam teſtaris feſtinare concordiam, ut haberent partes illæ, ſemper optavimus; nec ſolâ votorum ambitione contenti, uſi etiàm precibus ſumus. Veſtro ſunt hæc & Mundi teſtimonio roborata quæ loquimur, quià ut Catholicæ unitatis reparatio fiat, auctoritatem veſtram intemeratæ fidei integritate ſubmittimus. Inclinet orationibus noſtris aurem ſuam Divina Miſeratio, ut quod creditis poſtulandum, ſequamini, & ametis oblatum. Nobis una cauſæ ſollicitudo, una cuſtodia eſt, ità pacem cupere, ut ſic Religionis, ſic Venerabilium Patrum conſtituta ſerventur; quoniàm quæ inter ſe conſonâ credulitate non diſcrepant, æquum eſt, ut ſimili obſervatione ſubſiſtant.

469 „ Sed cùr diutiùs immoramur? Scis ipſe unitatis cauſa quid exigat; ſcis ipſe quâ viâ ad Beati Petri Apoſtoli debeas venire conſortium. Habes itineris tui ducem, quem jàm te ſequi aſſeris, Chalcedonenſe habitum pro Religione Conventum. Jàm te quoquè, quod idem amplecti teſtatus es, Beati Leonis redeuntem dogma comitabitur. Hæc ſi placent, Acacii defenſio damnati non placeat: hoc eſt, quod boni ſtudii à perfectione vota ſuſpendit. Si ſunt enim illa adversùm Dei & legis ejus inimicos, Venerabilium Patrum Congregatione diſpoſita, ut quiſquis eos in communione ſequeretur, jàm tunc latam ſubiret in ſua damnatione ſententiam. Non ſunt igitur nova quę conſtanter exequimur, ſed temporibus illis facta judicia juſta Patrum conſtitutione ſervamus.

470 „ Hortamur itaquè, frater, & mentem tuam Dei noſtri miſericordiâ adjuvante pulſamus, ut ab omni te Hæreticorum contagione, Acacium cum ſequacibus ſuis condemnando, disjungens, unà nobiſcum Dominici Corporis participatione paſcaris. Si nobiſcum univerſa prædicas, cùr nobiſcum non univerſa condemnas? Tunc enim nobiſcum, quæ veneramur, amplecteris, ſi nobiſcum quæ deteſtamur, horrueris. Pax integra neſcit aliquam habere diſtantiam, & unius Dei vera eſſe non poteſt, niſi in confeſſionis unitate cultura. Quapropter ſalutantes te fraternæ charitatis affectu, petitionem tuam miſſis, ſicuti ſperaſti, religioſiſſimis viris Germano ac Joanne Epiſcopis, Felice Diacono, Dioſcoro Diacono, atque Blando Presbytero, ſignificamus eſſe completam. Hi verò, quibus fuerint mandatis inſtructi ante allegationes eorum, ſi cogites, evidenter agnoſces. Hi pacem tuam ſub ea, qua ſpe ſcripſimus profeſſione ſuſcipient. Imple ergò, frater chariſſime, gaudium noſtrum & tuum ad nos per eos rectæ fidei tuæ remitte præconium, ut per te univerſis detur exemplum. *Hactenus Epiſtola.*

471 Intereà dùm Romæ pro Legatis mittendis hæc agerentur, literæque eis tradendæ confieerentur, idem Joannes Conſtantinopolitanus Epiſcopus, alias ad Hormiſdam literas miſit, quibus de ſua recta fide, atque conciliandæ Eccleſiarum pacis ſtudio certiorem fecit. Quibus receptis Hormiſda, ſequens dedit reſponſum.

Hormiſda Joanni Epiſcopo Conſtantinopolitano.

472 Ea, quæ Charitas tua deſtinatis literis ſignificavit, agnovimus & gratulamur ad conſcientiam noſtram fidei tuæ indicia perveniſſe: optantes, ut intentioni tuæ, quam rectam eſſe cupimus, plenum Deus noſter circà Eccleſiaſticam pacem concedere dignetur effectum, cujus ſpem animo Supernæ Majeſtatis aſſumpſimus: Quià Imperatorem Sereniſſimum ad hoc Providentiâ Divinâ judicamus electum, ut per eum Eccleſiarum redintegratio tantis temporibus deſiderata proveniat. Quapropter, licèt quæ pro fidei unitate facienda ſunt, tuæ charitatis notitiam latère non poſſint, Legatos tamèn direximus, quos ratio cauſæ poſcebat. Quibus hortantibus, & quæ jàm pridèm à nobis ſignificata, & quæ nuper iterata ſunt, ad effectum, Domino noſtro auctore, perveniant. *Hactenus Epiſtola.*

473 Cęterùm Hormiſda in hac Legatione nihil omiſit, quod ad optatum finem conducere poſſet: quarè ſciens Clerum Conſtantinopolitanum non infimas partes habere potuiſſe, ut pax firmaretur, quippè qui poterat univerſum populum movère, ac uno momento conflare diſcordias, voluit & amantiſſimis literis occaſione eorundem Legatorum prævenire, ſcripſitque ad Theodoſium Archidiaconum, & reliquos ejuſdem Eccleſiæ Clericos ſequentes, licèt perbreves literas.

Hormiſda Theodoſio Archidiacono Conſtantinopolitano, & univerſis Catholicis à pari.

474 „ Gratias Miſericordię Divinę competenter exſolvimus, quæ fidem veſtram „ diù laborare non paſſa eſt; nàm tempus „ oblatum eſt, quo fidos Milites ſuos Ca- „ tholica recuperare poſſit Eccleſia. Quæ „ enim major animum veſtrum poteſt obtinère jucunditas, quàm malorum commemorata depulſio? Gaudiis pręſentibus compenſare afflictionis incommoda; quià Deus „ noſter, qui remedio fuit, adverſis opprimi „ charitatem veſtram noluit, ſed probari. „ Nàm ſi tranſacti temporis mala cum præ- „ ſenti, quæ Divinâ eſſe non ambigitur re- „ tributione compenſetis, quis dubitat am- „ pliora vos præmia conſecutos, quàm nocere potuiſſet adverſitas? Et quamvis pro „ ſtatu fidei Catholicæ nunquàm ſollicitudo „ noſtra ceſſaverit; tamèn Sereniſſimi Principis ſacris affatibus incitati Legatos de- „ ſtinare curavimus, quorum officio, Deo „ auctore, in his, quæ ſæpè mandavimus, „ ſubſequi non dubitamus effectum, Et ideò „ competenter enitere, ut Eccleſiæ Catholicæ hoc præcipuum liberationis munus „ poſſitis offerre, quatenùs repulſis omnibus, „ quæ hactenus nocuerunt, in una, quam „ ſemper optavimus communione gratulantes, Deo noſtro laudes referre ſine ceſſatione poſſimus. *Hactenus Epiſtola.*

475 Clarebat non minùs pietate tunc temporis, quàm in Regia Aula auctoritate Juſtinianus Domeſticorum Comes, qui jàm pro Eccleſiarum unione literas dederat, quas ſuprà retulimus, & indè alias dederat ad eundem unà cum oblationibus Apoſtolorum Principi per ipſum offerendis Pontificem. Quarè Hormiſda hac captâ occaſione, ità reſcripſit.

Hormiſda Juſtiniano viro illuſtri.

476 „ Magnitudinis veſtræ literas ſanctę „ fidei plenas amore ſuſcepimus, quibus ad „ exercendam apud vos prædicationis Apo- „ ſtolicæ firmitatem, opportunitatem nobis „ proveniſſe divinitùs nunciaſtis. Undè in- „ deſinenter Domino noſtro agimus gratias, „ qui ad tàm præclara remedia, & tem- „ pus vobis, & animum dedit. Et nos quidèm deſuper iſta agnovimus ordinari, poſtquàm ei detulit Divina Majeſtas Imperium, „ qui ſe ad componendam Eccleſiarum pa- „ cem indicat ordinatum. Ergò reſtat, ut „ univerſi Epiſcopi partis Orientalis, juxtà „ libelli ſeriem, ad correctionis perveniſſe ſe „ teſtentur effectum. Patet venerandæ via „ concordiæ; notata ſunt optatæ remedia „ ſanitatis. Sacerdotes,qui Catholicam pa- „ cem deſiderant, profeſſionem catholicam „ non recuſent: non enim opus eſt partibus „ errorem corrigi, ſed radicitùs amputari. „ Inſiſtite igitur, ſicut cœpiſtis, ut merces „ apud Deum veſtra, quæ de boni operis in- „ choatione habet initium, de perfectione „ conſequatur effectum. Animum quidèm „ veſtrum talem miſſa ad nos teſtantur allo- „ quia, ut ad plenitudinem boni propoſiti „ non multo indigeatis hortatu. Noſtri tamèn deſiderii, ea, quæ ſpem dedit oratio, „ ampliùs accendit ardorem; & avidiùs gau- „ dia impleri cupimus, quæ inſtare jàm divinitùs arbitramur. Hinc eſt, quòd Beatum Apoſtolum quotidiè ſuppliciter obſe- „ cramus, ut vobis, per quos integrari membra ſua ſancta jàm ſperat Eccleſia, & effectum Deus celerem & ſalutem tribuat longiorem. Nos quidèm veſtris animis obſe- „ quentes Viros dreximus ad ſolidandam „ ſub Apoſtolicæ diſpoſitionis ordinatione „ concordiam. Veſtrum eſt, ut ſicut nos bonæ intentioni deeſſe noluimus,ità eos apud „ nos optatum referre faciatis effectum. Munus veſtrum veneranda ſacraria ſuſcepe- „ runt; quod ampliùs Beato Petro Apoſto- „ lo facietis acceptius, ſi per vos optatam „ Eccleſiæ receperint unitatem. *Hactenus Hormiſda ad Juſtinianum.*

477 Erant quoquè in eadem Juſtini aula præter Juſtinianum, qui apud Imperatorem plurimùm valebant, duo alii Viri clariſſimi, Celer nimirùm & Patritius, quos in tàm grandi negotio benevolos reddere curavit Hormiſda, non negligens, & ad ipſos dare literas, eoſque de miſſa Legatione ad effectum conciliandæ Eccleſiarum pacis, certiores reddere, ſcribens ad eos ſic.

Hormiſda Celeri, & Patritio à pari.

478 „ Quamvis pro loci noſtri conſidera- „ tione de cauſa fidei Catholicæ minimè tacère poſſimus, tamèn ad hanc partem Sereniſſimus Princeps magnoperè directis affatibus, noſtrum incitavit ſtudium; pro cujus „ Legatos voluntate direximus. Et quià „ hujuſmodi cauſa, filiorum Eccleſiæ ſublevari debet auxilio, ſalutantes vos cultu „ atque honorificentiâ competenti, poſcimus, ut pro Eccleſiaſtica pace allegationes „ eorum, qui directi ſunt, apud animos Sereniſſimi Principis adjuvetis. Siquidèm veſtræ Celſitudinis laborem non parva retributio ſubſequitur: cùm omnipotenti Deo „ nos gratias perſolvere de veſtris operibus „ feceritis. *Hactenus ad Celerem, & Patricium.*

479 Cùm verò Legati Theſſalonicam tranſituri eſſent, ubi Timotheus tunc erat Epiſcopus, qui ſub Anaſtaſio Principe, ut eidem morem gereret, à Catholica ſe ſubduxerat communione, neque hoc ſibi ſatis, alioſque Epiſcopos ſubtrahere conatus fuerat, nè in

in Legatorum tranſitu turbæ excitarentur, vel quidquam Timotheus adversùs eos agere poſſet, placuit Hormiſdæ ſcribere ad Præfectum Prætorium Theſſalonicenſem, aliiſque Viris illuſtribus perbreves haſce ſequentes literas.

Hormiſda Præfecto Prætorio Theſſalonicenſi, & cæteris Illuſtribus à pari.

480 „ Licèt pro cauſa Eccleſiaſtica nun-„ quàm ſollicitudo noſtra ceſſaverit, tamèn „ Imperatoris Sereniſſimi Sacris affatibus „ promptiùs incitati, Legatos cum cœleſtis „ miſericordiæ favore direximus; quorum of-„ ficio bona, quæ de Principis mente præſu-„ mimus, impleantur; & ideò ſalutantes am-„ plitudinem veſtram, cultu, & honore quo „ dignum eſt, poſcimus, ut pro redintegra-„ tione fidei veſtrum commodetis ſtudium, „ nec tantis fidelium tardari vota tempori-„ bus permittatis, quià non eſt dubium Celſi-„ tudinem veſtram fructum tantæ laudis „ acquirere, ſi per eam, quæ ab omnibus bo-„ nis optantur, Dei noſtri miſericordiâ ope-„ rante, proveniant. *Hactenus Hormiſda*.

481 Deniquè imperante Anaſtaſio, ac Catholicos perſequente, cùm plures Epiſcopi, ac Viri illuſtres metu Principis à Catholica ſe ſubduxerint communione, complures fœminæ Viris conſtantiores, nihilo paventes Tyranni minas, conſtantiſſimè in Catholica, quam cum Baptiſmate ab infantia receperant, religione perſtiterunt, quinimmò, & virorum animos in eadem perſtare ſententia invicto animo ſuaſerunt; inter quas maximè eminebant Anaſtaſia, & Palmaria genere nobiliſſimæ ex ordine Senatorio, & Patricio. Harum memor Hormiſda, non eſt dedignatus ad eas literas facere, & de legatione pro redintegratione Religionis, ipſas quoquè certas reddere, ita ſcribens.

Hormiſda Anaſtaſiæ, & Palmariæ à pari.

482 „ Bonæ voluntatis ſtudium, Divinæ „ ſemper comitatur proſperitatis effectus, „ Dei noſtri providentiâ temporis facultas „ oblata eſt, in qua pro fidei veſtræ pręmio „ debeatis anniti. De ſuperna primitùs mi-„ ſericordia, deinceps de coſcientia clemen-„ tiſſimi Principis præſumentes, Legatos pro „ Religionis Catholicæ cauſa direximus, per „ quos amplitudinem veſtram debitæ venera-„ tionis ſalutamus officio; poſtulantes, ut „ pro Eccleſiaſticæ redintegratione concor-„ diæ veſtrum laborem atque operam non ne-„ getis, quatenùs cum, repulſis, remotiſque „ iis, quos Apoſtolicæ Sedis damnavit au-„ ctoritas, ad unam, quæ recta eſt, commu-„ nionem plebs Chriſtiana redierit, Beatum „ Petrum Apoſtolum, pro cujus fide niti-„ mur, in veſtris poſſitis habere actibus ad-„ jutorium. *Hactenus Epiſtola*.

483 His ergò munitos literis Apoſtolicæ Sedis Legatos diſcedere juſſit Hormiſda, currente anno Domini DXIX. Imperii Juſtini Anno II. & ejuſdem Hormiſdæ Pontificatus Anno VI. ipſo Juſtino Auguſto, & Eutharico viro clariſſimo Coſs. nondùm tranſactâ hyeme, nec expectato tranquilliori tempore navigandi; urgebat enim tanti ponderis negotium, quod perfici quamcitiùs ad impatientiam uſque univerſus optabat Orbis.

CAPUT XV.

De geſtis Legatorum Apoſtolicæ Sedis, & inita, deleto ſchiſmate, damnatiſque hæreſibus & Hæreticis, Eccleſiarum concordia.

484 PRofecti ergò Apoſtolicæ Sedis Legati, primùm prout monumenta, quæ extant, referunt, in Civitatem Aulitanam, versùs Calcidem appulerunt, ubi ab Epiſcopo Civitatis fuiſſe humaniſſimè receptos, & ſpem dediſſe eis de ſuſcipiendo libello, ſecunda Germani relatio indicat, licèt deſit integra relatio omnium geſtorum in prælibata Civitate, quam ſcripſiſſe admonet idem Germanus in prælaudata ſecunda relatione, prout infrà. Venerunt indè Scampum, fortè Civitatem Macedoniæ illam, quidam quam ſitam ponunt inter Dytrachium, & Lychnidum; atque ibi quomodò fuerint recepti à Troilo Civitatis Epiſcopo, & quæ acta ſunt ab eis, Germanus ipſe, & cæteri Legati in ſecunda ſuggeſtione recenſent, quæ talis eſt.

Exemplum ſuggeſtionis ſecundæ Germani, & Joannis Epiſcoporum, Felicis, & Dioſcori Diaconorum, & Blandi Presbyteri.

485 „ In Civitate Aulonitana, quo or-„ dine cum Dei adjutorio pervenimus, & „ quomodò ſumus ſuſcepti ab Epiſcopo Ci-„ vitatis ipſius, & quid eſt actum, & quale „ reſponſum dederunt, & quià hæc promiſit, „ ut cum Metropolitano ſuo faceret libellum, „ in alia Epiſtola Beatitudini veſtræ ſignifi-„ cavimus. Quid in Scampina Civitate fa-„ ctum eſt veſtris orationibus tacère non „ permiſimus.

486 „ Antequàm nos ingrederemur in „ Civitatem ipſam, Venerabilis Troilus Epi-„ ſcopus cum ſuo Clero, vel plebe in occur-„ ſum nobis egreſſus eſt. Et quomodò Deus „ in ipſa die benedictus eſt, & quæ feſtivitas „ per ipſius pietatem eſt ſubſecuta, ad noti-„ tiam Apoſtolatus veſtri referimus. Nobis „ præſentibus, vel ſuo Clero, & nobilibus „ Viris ipſius Civitatis, Libellum ſubſcripſit,

„ porrexit: ſuſcepimus, & præſente omni „ Clero vel plebe in gradu ſuo à ſervo veſtro „ Petro Notario Sanctę Eccleſię Romanæ eſt „ relectus. Erat conventus in Baſilica San„ cti Petri. Confitemur Beatitudini veſtræ, „ tantam devotionem, tantas Deo laudes, „ tantas lacrymas, tanta gaudia difficilè in „ alio Populo vidimus. Propè omnes cum „ cereis viri cum mulieribus, milites cum „ Crucibus in Civitate nos ſuſceperunt. Ce„ lebratæ ſunt Miſſæ, nullius nomen obno„ xium Religioni eſt citatum, niſi tantùm „ Beatitudinis veſtræ. Noſter Epiſcopus ve„ nerabilis Germanus Miſſam celebravit. Et „ promiſerunt nec poſteà recitari, niſi quos „ Sedes Apoſtolica ſuſcepit. Quanta à nobis „ operata ſunt, Deus propitius in vobis, „ conſervet. Iſtam Epiſtolam ante triginta „ milliaria à Lignino fecimus, ſperantes ipsâ „ die in eadem Civitate cum Dei adjutorio „ pervenire. Et quomodò ad nos pervenit „ Scampinus Epiſcopus, ſperamus, & ipſius „ Civitatis Lignidi Epiſcopum ſimilia facere. „ Quod ſi factum fuerit, datâ occaſione re„ ſcribemus.

487 „ Scampis nobis poſitis, poſt Miſ„ ſas, horâ cœnatoriâ, Stephanus, & Leon„ tius Viri clariſſimi ab Imperatore miſſi, in „ occurſum nobis venerunt, adhùc neſcien„ tes nos in partibus Gręciarum poſitos; quià „ talia mandata fuerunt Comiti Stephano da„ ta, ut ad partes Italiæ tranſirent in occur„ ſum noſtrum. Eſt Stephanus iſte, qui mo„ dò dicitur, de parentela filii veſtri Magiſtri „ militum Vitaliani. Hi nobis nunciaverunt, „ Patricium Senatorem proſcriptum, & in „ exilium miſſum. Pro qua tamèn cauſa, niſi „ quomodò ad nos pervenerit, non poſſumus „ dicere, quià non eſt de talibus rebus facilè „ deliberare. Dicitur tamèn & Apocriſa„ rios Theſſalonicenſis Eccleſiæ tenèri, apud „ quos dicunt Epiſtolas inventas; pro qua „ cauſa neſcimus; cum ipſis & Philumenum, „ Demetrium, Magiſtranium, & alias per„ ſonas, quorum nomina ignoramus. Iſta „ ſunt, quomodò prædiximus, ut audivimus. „ De cauſa tamèn Eccleſiaſtica cum Dei mi„ ſericordia proſpera nunciantur. Coſmatem „ tamèn Medicum, pro qua cauſa in Italiam „ venit, penitùs intelligere non potuimus, „ niſi hoc, quià fortiter quęritur, de quo de„ betis eſſe ſolliciti, ut ſciatis, pro qua cau„ ſa ibìdem venit. *Hactenùs ſecunda ſug-geſtio*.

488 Peractis iis, quæ prædicta ſunt Scampis, profecti ſunt Lignidum, ſive Lichnidum, perveneruntque ibi circà initia menſis Martii; atque ibìdem quoquè cuncta ad intentum acta fuerunt, recipiente Theodorito illius Civitatis Epiſcopo, ſive exhibente fidei libellum, quo relecto publicè in Eccleſia, repertus fuit recta omnia continere, prout in tertia relatione, ſive ſuggeſtione eorundem Legatorum liquet, quæ tenoris eſt ſequentis.

Tertia Suggeſtio Legatorum ſupra-nominatorum.

489 „ In alia Epiſtola ſignificavimus „ Beatitudini veſtræ de Scampina Civitate, „ de Venerabili Troilo Epiſcopo, quo ordi„ ne libellum dedit, & qualis feſtivitas eſt „ celebrata in ipſa Civitate. Cùm Dei mi„ ſericordiâ venimus Lignidum, Theodori„ tus Epiſcopus venerabilis vir ipſius Civi„ tatis, ſimiliter libellum dedit, qui libellus „ in Eccleſia eſt relectus, & omnia ſecundùm „ Conſtitutionem veſtram ſunt facta. Ro„ gate Deum; ſperate ab Apoſtolis ejus Bea„ tiſſimis Petro, & Paulo, ut Deus, qui ini„ tia talia donavit orationibus veſtris, ſimi„ liter ſequantur & proſpera, ut tempora „ coronæ veſtræ in correctione Eccleſiarum „ ſemper prædicentur. Quam Epiſtolam ad „ Apoſtolatum veſtrum direximus die Nonarum Martiarum. *Hactenus ibi*.

490 Deindè profecti ſunt Theſſalonicam, ut ibi cum Timotheo Epiſcopo agerent, qui à communione Apoſtolicæ Sedis, ut ſuprà dictum eſt, imperante Anaſtaſio, ſe ſubduxerat, atque alios quoquè Epiſcopos in ſuam ſententiam trahere curaverat. Egerunt ergò cum eo, ut libellum ſuſciperet, atque orthodoxam fidem profiteretur, & poſt varia certamina, convictus Timotheus libello ſubſcribere volebat; ſed deficientibus cunctis, qui ſub ejus ordinatione conſtituti erant, Epiſcopis, ſubſcribere diſtulit; promittens, ut poſt Paſchalia feſta, adveniente uno ex Apoſtolicæ Sedis Legato, in publico omnium Epiſcoporum conventu tàm ipſe, quàm cęteri Epiſcopi, ſubſcriberent, prout Dioſcorus Diaconus, unus ex Apoſtolicæ Sedis Legatis, in ſua per Pollionem miſsâ ad Hormiſdam relatione, ſive ſuggeſtione refert, quæ talis eſt.

Suggeſtio Dioſcori Diaconi per Pollionem Subdiaconum.

491 „ Ineffabili Dei omnipotentis miſe„ ricordia & pietas ejus, quam ſuper huma„ num genus clementer effundit, humanis „ viribus æſtimari non poteſt, nec ſermoni„ bus explicari, ſed ſufficit ejus tantùm con„ ſilia devotis ſenſibus admirari, & ſcire om„ nia bona de ejus tantùm gratiæ pendere „ remediis. Et iſta quotidiana probatio, au„ dacter tamèn præſumo dicere, Domine „ meus Beatiſſime Papa, quià præſens cauſa „ præterita cuncta traſcendit, quam Deus „ veſtris temporibus & meritis reſervavit. „ Quid in Aulone ſatisfactum, quid Scam„ pis, quid Lignidi fuerit ſubſecutum, an„ teriore ſignificatione ſuggeſſi. Ad Theſſa-

loni-

„ lonicam pervenimus, quas contentiones „ habuerimus cum Epiſcopo Theſſalonicenſi, „ & quæ dicta fuerint, vel etiam conſtituta, „ harum portitoris viva inſinuatione diſcetis. „ Quod tamèn non oportet prçterire ſilentio, „ inſinuare non differo. Poſt multa certami- „ na præfatus Epiſcopus ratione convictus, „ libellum ſubſcribere voluit. Sed quià Epi- „ ſcopi, qui ſub ejus ſunt ordinatione con- „ ſtituti, omnes non aderant, in præſenti „ hoc convenit, hoc promiſit, ut poſt dies „ ſanctos, uno ex nobis à Sede Conſtantino- „ politanæ Urbis directo, Epiſcopis congre- „ gatis, qui in ejus ſunt Diœceſi conſtituti, „ libellum ſubſcriberent, quod cum Dei „ adjutorio credimus eſſe complendum. Hæc „ ſunt Theſſalonicæ conſtituta. *Hæc Dioſcorus*, qui poſteà ſubjungit enarrare, quæ Conſtantinopoli geſta fuerant, de quibus nos infrà.

492 Deniquè Conſtantinopolim venientes, quomodò ibi fuerint recepti ab Imperatore, & nobilibus Viris, ab univerſo Clero, & Monachorum ordine, deſcribit in primis compendioſè Anaſtaſius Bibliothecarius in vita Hormiſdæ, inquiens: „ Qui venien- „ tes juxtà Conſtantinopolim, tanta gratia „ fidei illis refulſit, ut multitudo Monacho- „ rum orthodoxorum, & illuſtrium Viro- „ rum maxima multitudo occurreret: in qui- „ bus & Juſtinus Imperator, & Vitalianus „ Conſul ſimùl occurrerunt ad Caſtellum „ Rotundum, qui ducit uſquè in Civitatem „ Conſtantinopolim, qui ingreſſi unà cum „ Grato illuſtri, ſuſcepti ſunt à Juſtino or- „ thodoxo Auguſto cum gloria. Omnis ita- „ que Clerus unà cum Epiſcopo Joanne Cō- „ ſtantinopolitano, ſenſit, quòd gratanter „ ſuſcepti ſunt. *Hactenus Anaſtaſius*. Appuliſſe verò Apoſtolicæ Sedis Legatos Conſtantinopolim ferià ſecundâ Majoris Hebdomadę adnotat diſtinctè Dioſcorus in ejus ſuggeſtione, ubi omnia geſta ibìdem, & initam deniquè concordiam recenſet. Etenim enarratis quæ ſuprà recenſuimus, geſtis cum Epiſcopo Theſſalonicenſi, ſubjungit.

493 „ Veſtris orationibus commendati, „ ad Conſtantinopolitanam pervenimus Ci- „ vitatem feriâ ſecundâ Hebdomadæ Au- „ thenticæ. Decimo ab Urbe prædicta mil- „ liario ſublimes & magnifici Viri nobis oc- „ currerunt, inter quos ſunt Magiſter Mili- „ tum Vitalianus, Pompejus & Juſtinianus, „ & alii Senatores, multique Catholicæ fidei „ ardòre ac deſiderio redintegrandæ pacis ar- „ debant. Quid plura? Cum ſummis penè „ omnium gaudiis ingredimur Civitatem.

494 „ Alia die, quæ eſt tertia feria, piiſ- „ ſimi Principis prçſentamur aſpectibus; cun- „ ctus illic aderat Senatus, in quo conventu „ erant & Epiſcopi quatuor, quos Epiſcopus „ Conſtantinopolitanus pro ſua perſona di- „ rexerat. Obtulimus Beatitudinis veſtræ li- „ teras, quas clementiſſimus Princeps cum „ grandi reverentia ſuſcepit. Dicta ſunt quæ „ ante examinationem cauſæ oportuit inti- „ mare. Mox cauſa cœpta eſt. Hortabatur „ nos clementiſſimus Imperator, hoc dicens: „ Videte Civitatis hujus Epiſcopum, & in- „ vicem vobis pacifico ordine reddite ratio- „ nem. Nos è contrà reſpondimus: Quid „ imus ad Epiſcopum certamina facere? Do- „ minus noſter Beatiſſimus Papa Hormiſda, „ qui nos direxit, non nobis præcepit certa- „ re, ſed præ manibus habemus libellum, „ quem omnes Epiſcopi volentes Sedi Apo- „ ſtolicæ reconciliari fecerunt. Si præcipit „ pietas veſtra, legatur; & ſi eſt in ipſo quod „ ignoretur, aut verum eſſe non credatur, „ dicant: & tunc oſtendemus nihil extrà ju- „ dicium Eccleſiaſticum in eodem libello eſſe „ conſcriptum; aut ſi illi poſſunt docère, „ quià non convenit Religioni Catholicæ, „ tunc nobis incumbit probare. Relectus eſt „ libellus ſub conſpectu Principis & Senatus. „ Nos ſtatim ſubjunximus: Dicant præſen- „ ſentes Epiſcopi, qui adſunt pro perſona „ Conſtantinopolitani Epiſcopi, ſi hæc, quæ „ in libello leguntur, geſtis Eccleſiaſticis „ minimè continentur? Reſponderunt omnia „ vera eſſe. Poſt quæ nos ſubjunximus: Do- „ mine Imperator, & nobis grandem laborem „ Epiſcopi abſtulerunt, & ſibi convenientem „ rem fecerunt dicere veritatem. Mox cle- „ mentiſſimus Imperator his, qui aderant, di- „ xit Epiſcopis: Et ſi vera ſunt, quarè non „ facitis? Similiter & aliquanti de ordine „ Senatorio dixerunt: Nos Laici ſumus: „ dicitis hæc vera eſſe: facite, & nos ſe- „ quemur.

495 „ Intermiſsâ quartâ feriâ Epiſcopus „ Conſtantinopolitanus in Palatio ſuſcepit à „ nobis libellum; ſed non poſt multa certa- „ mina hoc convenit, proemium modicum „ facere, & ſubjungere mox libellum, quem- „ admodùm veſtra Beatitudo dictavit. Sub- „ ſcriptio ab eodem facta eſt, libello conve- „ niens, ſimiliter & Datarium, cujus exem- „ plaria & græcè & latinè Apoſtolatui veſtro „ direximus.

496 „ Poſt factum libellum nomen Aca- „ cii de Diptycis eſt deletum, ſimiliter & „ Flavitæ, Euphemii, Macedonii, & Timo- „ thei; & non ſolùm hoc in ipſa ſola Eccle- „ ſia, in qua Epiſcopus manet, verùm etiàm „ per omnes Eccleſias cum grandi diligentia, „ Deo adjutore, ſuggerimus fuiſſe factum. „ Similiter deleta ſunt de Diptycis Zenonis „ & Anaſtaſii nomina. Epiſcopi diverſarum „ Civitatum, quanti inventi ſunt, libellum „ ſimiliter obtulerunt; & cum grandi cautela „ ſuggerimus cuſtoditum, nè quis nobiſcum „ communicaret Epiſcopus, qui libellum „ primitùs non dediſſet. Pari modo & omnes „ Archimandritæ fecerunt, apud quos Ar- „ chimandritas & certamina nos habuiſſe

ſug-

„ ſuggerimus, dicentibus illis: ſufficit, quià
„ Archiepiſcopus noſter fecit; nos factum
„ ejus ſequimur. Quid ampliùs? Poſt multa
„ certamina, ipſi quoquè ratione convicti,
„ libellos modis omnibus obtulerunt.

497 „ Poſt hæc omnia, Deo juvante, in
„ Eccleſiam proceſſimus, & qualia gaudia
„ facta ſint unitatis, & quemadmodùm Deus
„ benedictus ſit, quæ laudes quoquè Beato
„ Petro Apoſtolo, & vobis relatæ ſunt, ipſius
„ actionis conſideratione perſpicitis, quod
„ mea lingua non valet explicare. Nihil eſt
„ ſubſecutum ſecundùm vota inimicorum,
„ non ſeditio, non effuſio ſanguinis, non
„ tumultus, quod veluti terrentes inimici
„ anteà prædicabant. Ipſi quoquè Eccleſia-
„ ſtici Conſtantinopolitani admirantes, &
„ Deo gratias referentes, dicunt nunquàm ſe
„ meminiſſe ullis temporibus tantam populi
„ multitudinem communicaſſe. His adim-
„ pletis etiàm clementiſſimus Imperator ad
„ Beatitudinem veſtram ſua ſcripta ſubjun-
„ git, ordinem rei geſtæ ſignificans, ſimiliter
„ & vir Reverendiſſimus Joannes Conſtanti-
„ nopolitanæ Civitatis Antiſtes. Noveri-
„ tis etiàm & ſacra generalia eſſe edita, at-
„ que credimus, Deo propitio, & veſtris ſan-
„ ctis orationibus, per univerſas Provincias
„ quantocitiùs deſtinari. Hæc Conſtantino-
„ poli geſta ſunt, & nunc de Antiochena Ec-
„ cleſia tractatur; & ideò adhùc laboratur,
„ quià nondùm perſona congrua eſt electa.

498 „ Oret ergò Beatitudo veſtra inten-
„ tiùs, ut Deus, qui veſtris precibus exora-
„ tus, Conſtantinopolitanam Eccleſiam Apo-
„ ſtolicæ Sedi reſtituit, ipſe & dignam per-
„ ſonam donet in Antiochia ordinandam, &
„ aſſiduas adunet Eccleſias. Reſcribite Epi-
„ ſcopo Conſtantinopolitano, ſi videtur Bea-
„ titudini veſtræ, facite mentionem damna-
„ tionum Severi, & illorum, quos nomina-
„ ſtis in Epiſtola illa, quam ſcripſiſtis ad ſe-
„ cundam Syriam per Joannem & Sergium
„ Monachos, hoc ipſum det ad Imperatorem,
„ reſcribentes. Si feceritis, videtur mihi
„ neceſſarium eſſe. *Hactenus Dioſcori ſug-*
„ *geſtio*.

499 Germanus quoquè Epiſcopus, &
Apoſtolicæ Sedis Legatus, non omiſit hujuſ-
modi geſta, & ſi minùs diffuſè, ad eundem
Hormiſdam referre, editâ ab ipſo relatio-
ne, ſive ſuggeſtione nomine etiàm cęterorum
Apoſtolicæ Sedis Legatorum, tenoris ſe-
quentis.

Suggeſtio Germani, & Joannis Epiſcoporum,
Felicis, & Dioſcori Diaconorum, &
& Blandi Presbyteri.

500 „ Non miramur Apoſtolatus veſtri
„ precibus cuncta nobis proſpera ſucceſſiſſe,
„ ſcientes, quòd ampliùs noſtro miniſterio
„ vera pro nobis elaboraret oratio. Ità enim
„ totus ſe Eccleſiaſtici negotii tulit eventus,
„ ut dubitari non poſſit, Beati Petri per ſin-
„ gula proveniſſe miraculum, primum quòd
„ tantum in ipſis, qui dignitate funguntur,
„ invenimus Religionis ardorem, ut Vita-
„ lianus, & Pompejus, & Juſtianianus nobis
„ occurrerent in decem millibus, & de ad-
„ ventu noſtro cum veſtra gratiarum actione
„ gloriari non arbitrarentur indignum.

501 „ Deindè quod tanta fuit etiàm in
„ plebe devotio, ut pars maxima populorum
„ cum cereis ſimùl, & laudibus veſtris no-
„ ſtrum præſtolaretur adventum. Sub hac
„ itaquè celebritate ſecundâ feriâ Hebdoma-
„ dæ Majoris Conſtantinopolim ſoſpites, hi-
„ lareſque convenimus: poſteroque die piiſſi-
„ mo Principi præſentati, tanto ejus releva-
„ ti ſumus affectu, ut ſi alia minimè præcede-
„ rent, ſola nobis ad ſolatium piiſſimi Princi-
„ pis gratia ſuffeciſſet: ſed orationibus ve-
„ ſtris majora ſecuta ſunt. Nàm eo die ſub
„ Senatus cuncti præſentia, Epiſcopi quoquè
„ quatuor adfuerunt, quos Joannes Conſtan-
„ tinopolitanus Antiſtes pro partis ſuæ defen-
„ ſione tranſmiſerat, quibus Apoſtolicæ Se-
„ dis Libellum oſtendimus, omniaque in eo
„ recta, canonicaque eſſe probavimus.

502 „ Poſtremò quintâ feriâ, hoc eſt, in
„ Cœna Domini, ad palatium in generali
„ conventu venit Epiſcopus, & perfecto li-
„ bello conſentiens, cum ſumma devotione
„ ſubſcripſit. Quis explicet quanta illic
„ Principis pariter, ac Senatus lætitia fuerit,
„ quas ibi lacrymas gaudia pepererint, quas
„ voces vel in laudem Principis, vel in Sedis
„ veſtræ, totius cœtus, & Cleri favor emiſit?
„ Explicari hæc relatione non poſſunt, ſed
„ conſiderationi veſtræ, portitorique relin-
„ quimus, quod eloqui non valemus.

503 „ A Palatio in Eccleſiam ſumma
„ cum celebritate pervenimus, ut fidei, ani-
„ morumq; concordiam ſolemnis quoquè ce-
„ lebritas roboraret. Vix credi poteſt quis
„ fletus lætantium, quæ immenſitas fuit ex-
„ undatioque populorum: ipſa ſuam lætitiam
„ turba mirabatur: nec dubitari poterat ma-
„ num adfuiſſe cœleſtem, quæ talem mundo
„ contulit unitatem. Acacii prævaricatoris
„ anathematizati nomen de Diptycis Eccle-
„ ſiaſticis, ſed & cæterorum Epiſcoporum,
„ qui eum in communione ſecuti ſunt, ſub
„ noſtro conſpectu ſignificamus oratos. Ana-
„ ſtaſii quoquè, & Zenonis nomina, ſimiliter
„ ab Altaris recitatione ſubmota: Pax eſt
„ orationibus veſtris Chriſtianorum menti-
„ bus reddita: una totius & Eccleſiæ anima,
„ una lætitia ſolus luget humani generis ini-
„ micus, veſtræ precis expugnatione col-
„ liſus.

504 „ Orate, ut Antiochenam quoquè ſi-
„ milis fœlicitas illuſtret Eccleſiam, de cujus
„ Antiſtite adhùc tractatus nutare conſpici-
„ tur; quoniàm inter diverſa vota populorum
de

„ de perſonæ electione non conſtat. Credi-„ mus tamèn quòd precibus Beatitudinis ve-„ ſtræ de ipſa quoquè velociter ordinatio di-„ gna proveniat, ut cœpta pax temporibus „ veſtris per omnem Mundum pariter diriga-„ tur, & cunctis in Apoſtolicam partibus „ communionem, fidemque convenientibus „ perfectè, ſicut pridem fuerat, omnibus „ membris capiti ſuo connectatur Eccleſia. *Hactenus ſuggeſtio*.

505 Anaſtaſius Bibliothecarius refert, in adventu Legatorum, eos qui ex parte erant Acacii, in Templum S. Sophiæ confugientes, miſiſſe ad Juſtinum, qui dicerent, ſe non conſenſuros Apoſtolicæ Sedi, niſi redditâ priùs damnationis Acacii ratione: „ Sentientes „ quoquè, inquit, hoc, qui erant complices „ Acacii, incluſerunt ſe in Eccleſia majori, „ quæ vocatur Sancta Sophia, & conſilio fa-„ cto, mandaverunt Imperatori dicentes: ni-„ ſi nobis reddita fuerit ratio, quarè damna-„ tus eſt Epiſcopus Civitatis noſtræ Aca-„ cius, nullatenùs conſentiemus Sedi Apo-„ ſtolicæ. *Hæc Anaſtaſius*, quæ tamèn ſunt prætermiſſa ab Apoſtolicæ Sedis Legatis, in datis ab ipſis relationibus. An verò hujuſmodi ratio reddita fuerit, & ſi in vulgatis Anaſtaſii codicibus omiſſum videatur, attamèn in manuſcripto Codice Ardyi, apud Labæum Tom. 4. Concil. pag. 1418. hæc adjecta leguntur: „ Et facto ſimùl concilio cum Ju-„ ſtino agitatum in conſpectu omnium Illu-„ ſtrium. Tunc Legati Sedis Apoſtolicæ „ elegerunt ex ſuis Dioſcorum Diaconum ad „ reddendam rationem, qui tunc expoſuit eis „ culpas Acacii, ut etiàm omnes ſimùl cum „ Juſtino agitantes adclamarent dicentes: & „ hic, & in æuum damnatur Acacius. Eo-„ dem tempore juſſit Juſtinus Rex acceptâ ve-„ ritate, ut ſine aliqua dilatione facerent Li-„ bellos omnes Epiſcopi, qui in Regno Juſti-„ ni erant, & redirent ad communionem Se-„ dis Apoſtolicæ; quod etiàm factum eſt, & „ concordaverunt ab oriente uſque ad occi-„ dentem, & cucurrit pax Eccleſiæ. Qui „ textus Libelli hodiè in Archivio Eccleſiæ „ reconditus tenetur. *Hæc ex prælibato Codice.*

506 Ceterùm Libellus, cui Joannes Conſtantinopolitanus ſubſcripſit, atque Apoſtolicæ Sedis Legatis Romam ad Hormiſdam per eos mittendus, traditus, & cui univerſi Epiſcopi Apoſtolicæ Sedis cummunionem petentes, ſubſcribere tenebantur, in ſequenti ejuſdem Joannis Epiſtola continetur, quæ ita ſe habet.

Domino meo per omnia Sanctiſſimo, & Beatiſſimo fratri, & comminiſtro Hormiſdæ Joannes Epiſcopus in Domino ſalutem.

507 „ Redditis mihi literis veſtræ San-„ ctitatis, in Chriſto frater chariſſime, per „ Gratum clariſſimum Comitem, & nunc per „ Germanum, & Joannem Reverendiſſimos „ Epiſcopos, Felicem, & Dioſcorum San-„ ctiſſimos Diaconos, & Blandum Presbyte-„ rum, lætatus ſum de ſpirituali charitate „ veſtræ Sanctitatis, quòd unitatem ſanctiſſi-„ marum Dei Eccleſiarum ſecundùm veterum „ Patrum requiris traditionem, & lacerato-„ res rationabilis gregis Chriſti amore pulſa-„ re feſtinas.

508 „ Certus igitur ſcito, per omnia, „ Sanctiſſime, quià ſecundùm quod vobis „ ſcripſi, unà tecum cum veritate ſentiens, „ omnes à te repudiatos hæreticos, renuo & „ ego pacem diligens. Sanctiſſimas enim „ Dei Eccleſias, ideſt, ſuperioris veſtræ, & „ novellæ iſtius Romę unam eſſe accipio, il-„ lam Sedem Apoſtoli Petri, & iſtius Augu-„ ſtæ Civitatis unam eſſe deſinio. Omnibus „ Actis à ſanctis illis quatuor Synodis, ideſt, „ Nicæna, Conſtantinopolitana, Epheſina, „ & Chalcedonenſi, de confirmatione fidei, „ & ſtatu Eccleſiæ aſſentior, & nihil tituba-„ re de benè judicatis patior; ſed & conantes „ aut ſciſſos uſque ad unum apicem placito-„ rum perturbare, lapſos eſſe à Sancta Dei „ generali, & Apoſtolica Eccleſia ſcio, & „ tuis verbis rectè dictis evidenter utens, per „ præſentia ſcripta hæc dico.

509 „ Prima ſalus eſt, rectæ fidei regu-„ lam cuſtodire, & à Patrum traditione nul-„ latenùs deviare: quià non poteſt Domini „ noſtri Jeſu Chriſti prætermitti ſententia di-„ centis: *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram „ ædificabo Eccleſiam meam*. Hæc, quæ dicta „ ſunt rerum probantur effectibus: quià in „ Sede Apoſtolica inviolabilis ſemper catho-„ lica cuſtoditur religio. De hac igitur fide „ non cadere cupientes, & Patrum ſequentes „ in omnibus conſtituta, anathematizamus „ omnes hæreſes, præcipuè verò Neſtorium „ hæreticum, qui quondam Conſtantinopo-„ litanæ Urbis Epiſcopus, damnatus in Con-„ cilio Epheſino à Beato Cœleſtino Papa Ur-„ bis Romæ, & à venerabili viro Cyrillo „ Epiſcopo Alexandrinæ Civitatis: & unà „ cum illo anathematizamus Eutychetem, & „ Dioſcorum Alexandrinæ Civitatis Epi-„ ſcopum, damnatos in Sancta Synodo Chal-„ cedonenſi, quam venerantes ſequimur, & „ amplectimur, quæ ſequens Sanctam Syno-„ dum Nicænam, Apoſtolicam fidem prædi-„ cavit: his conjungentes Timotheum parri-„ cidam, Ælurum cognominatum, anathe-„ matizamus, & hujus diſcipulum, & ſequa-„ cem in omnibus Petrum Alexandrinum, „ ſimiliter condemnantes. Anathematiza-„ mus ſimiliter Acacium quondam Conſtan-„ tinopolitanæ Urbis Epiſcopum complicem „ eorum, & ſequacem factum, necnon & per-„ ſeverantes eorum communioni & partici-„ pationi; quorum enim quis communio-„ nem complectitur, eorum & ſimilem adju-

„ judicationem in condemnatione conſequitur. Simili modo, & Petrum Antiochenum condemnantes anathematizamus cum ſequacibus ſuis, & omnibus ſupradictis. Undè probamus, & amplectimur Epiſtolas omnes Beati Leonis Papæ Urbis Romæ, quas conſcripſit de recta fide. Quapropter, ſicut prædiximus, ſequentes in omnibus Sedem Apoſtolicam, & prædicamus omnia, quæ ab ipſa decreta ſunt, & propterea ſpero in una communione vobiſcum, quam Apoſtolica Sedes prædicat, me futurum, in qua eſt integra chriſtianæ Religionis, & perfecta ſoliditas. Promittentes in ſequenti tempore ſequeſtratos à communione Ecclesię Catholicæ, ideſt in omnibus non conſentientes Sedi Apoſtolicæ, eorum nomina inter Sacra non recitanda eſſe myſteria. Quod ſi in aliquo à profeſſione mea dubitare tentavero, his quos condemnavi per condemnationem propriam, conſortem me eſſe profiteor. Huic verò profeſſioni ſubſcripſi meâ manu, & direxi per ſcripta tibi Hormiſdæ Sancto, & Beatiſſimo fratri, & Papæ magnę Romæ, per ſupraſcriptos Germanum, & Joannem Venerabiles Epiſcopos, & Felicem, & Dioſcorum Diaconos, & Blandum Presbyterum.

Joannes Miſericordia Dei Epiſcopus Conſtantinopolitanæ novellæ Romæ hac mea profeſſione conſentiens omnibus ſupradictis ſubſcripſi ſanus in Domino.

Data menſe Martio die 27., *Indictione* XII. *Conſulibus D. Juſtino Imperatore Auguſto, & Eraclio Eutharico Viro clariſſimo.*

Indè ex parte idem Joannes Epiſcopus Conſtantinopolitanus aliam ad eundem Hormiſdam fecit Epiſtolam, qua pacem Eccleſiæ initam eſſe denunciat; ideòque eum plurimùm gaudere admonet, ſic ſcribens.

Domino meo per omnia ſancto, & Deo amabili fratri, & comminiſtro Hormiſdæ Joannes in Domino ſalutem.

510 „ Quandò Deus propria mirabilia in ſuis operatur, tunc oportet ea, quæ Divinis literis continentur, ipſius ſcripturæ vocibus fiducialiter exclamare: *Quis loquetur potentias Domini, aut auditas faciet omnes laudes ejus in omni tempore?* Ecce enim talem pium Principem Romanæ Reipublicæ ſuſcitavit, quali multò ante & Catholica indigebat Eccleſia, & omne genus hominum videre cupiebat. Ideòque ità etiàm coronam gratiæ ſuper eum cœlitùs declinavit, ut affluenter in ſacrum ejus caput miſericordia funderetur; omnique annunciationis ejus tempore cum magna voce Deum omnium Principem glorificaverunt, quoniàm talem verticem meis manibus tali coronâ decoravit. Is verò maximus Imperator primam ſuorum certaminum palmam, devicto inimico, evidenter oſtendit; ſecundùm virtutis ejus meritum adunationē ſanctiſſimis Eccleſiis ſapientiſſimè comparavit; Regnum ejus tertium bonum diſſipata conjunxit, & pacem Mundi ſapientiſſimè procuravit.

511 „ Idcircò in omnibus Deo magno gratias referens cuncta ſapientiſſimè gubernanti, annunciare tibi pacem pacis filio nunciavi, in omnibus Deo amantiſſime, ut illud gaudium ſapias, quo David quidèm ſecundùm legem in Arcę Dei revocatione figuraliter exultabat, Apoſtoli verò per gratiam veraciter lætabantur. Gaude itaquè in Domino gaudium tuæ conveniens Sanctitati, & ſcribe ea, quæ veſtrum benignum animum decent, homo Dei; nàm quæ fuerant diviſa, conjuncta ſunt, & diſperſa collecta ſunt, & quæ longè erant, ſibi invicem adunata ſunt; & ſicut oportet dicere, & olim ſcripſi, utraſque Eccleſias tàm ſenioris, quàm novæ Romæ unam eſſe evidenter intelligens, & utriuſque eorum unam Sedem rectè eſſe diffiniens, indiviſibilem adunationem, & utriuſque noſtrorum conſonam confirmationem cum judicii integritate cognoſco.

512 „ Undè rogo Deum, ſemper eam inſeparabilem permanère orationibus Sanctorum Apoſtolorum, & tuæ precibus Sanctitatis, per quas donari nobis, & univerſo Mundo clementiſſimum, & chriſtianiſſimum Principem Juſtinum, & piiſſimam ejus Conjugem, noſtram autèm filiam Euphemiam in pace multis temporibus comprecatur, Beatiſſime Frater. Gaviſi igitur de pręſentia Reverendiſſimorum Epiſcoporum, necnon & Clericorum veſtrorum gratias agimus, quoniàm ſecundùm petitionem noſtram tales pacificos Viros, & veſtræ dignos Sedis Apoſtolicæ deſtinaſtis, regulam Patrum ſine confuſione ſervantes, fidemque indiviſam cuſtodientes. Quorum amplectentes in omnibus mentem, cuncta per eos ad ſatisfactionem veſtræ egimus Sanctitatis. Omnem in Chriſto fraternitatem, quæ cum veſtra eſt Sanctitate, ego quoquè & mei plurimùm ſalutantes. *Hactenus Epiſtola.*

513 Juſtinus quoquè Imperator ad eundem Hormiſdam de inita Eccleſiarum pace literas dedit, quibus etiàm indicat, Joannem Epiſcopum Catholicam amplexum fidem, hæreticos anathematizaſſe, atque nomen Acacii cum aliorum ſchiſmaticorum nominibus è ſacris tabulis expunctum eſſe; & deniquè, ut pro perpetuitate ſtabilitæ pacis oret, rogat. Sunt autèm literæ ſequentes.

Vi-

Victor Juſtinus, Pius, Fœlix, Inclytus, Triumphator ſemper Auguſtus Hormiſdæ Sanctiſſimo, ac Beatiſſimo Archiepiſcopo Almæ Urbis Romæ Patriarchæ.

514 „ Scias effectum nobis, Pater Religioſiſſime, & quod diù ſummis ſtudiis „ quærebatur, noveris patefactum; & antequàm advenerint qui à vobis deſtinati ſunt, „ quòd Joannes vir Beatiſſimus Antiſtes novæ noſtræ Romæ unà cum Clero ejus vobiſcum ſentiunt, nullis variantes ambiguitatibus, nullis diviſi diſcordiis; ſcias libellum ab eo ſubſcriptum, quem offerendum judicaveras, Sanctiſſimorum Patrum „ concilio congruentem, omnes concurrunt „ alacri opere ad ſuſcipienda vota tàm veſtra, „ quàm Conſtantinopolitanę Sedis, quos veritatis coruſcus fulgor illuminat: Omnes „ accelerant libentiſſimè, quos oblectat via „ dilucida: Sequuntur ſcita Patrum ſanctiſſima, leges probatiſſimas; & Conciliis „ quorundam firmatis, qui rectum tenebant „ tramitem, aliorum correctis, qui vagabantur incerti, in eo res colligitur, ut unitatem individuæ Trinitatis ipſi quoquè unitate colunt mentium. Negatum eſt inter „ Divina Myſteria memoriam in poſterum „ fieri (pro tenore libelli, quem diximus) „ Acacii prævaricatoris quondam hujus Regiæ Urbis Epiſcopi, necnon aliorum Sacerdotum, qui vel primi contra conſtituta „ venerunt Apoſtolica, vel ſucceſſores erroris facti ſunt, nullâ uſque ad ultimum „ diem ſuum pœnitentiâ correcti.

515 „ Et quoniàm omnes noſtræ Religionis admonendi ſunt, ut exemplum imitentur Civitates Regiæ, deſtinanda ubique principalia præcepta duximus, tanto „ flagramus Religionis officio, tanto affectamus ſtudio pacem Catholicæ fidei pro remuneranda cœlitùs pace noſtræ Reipublicæ, pro conciliando ſubjectis meis ſuperno præſidio. Quid enim gratius reperiri „ poteſt? quid juſtius? quid illuſtrius? quàm „ quos idem Regnum continet, ejuſdemque „ fidei cultus irradiat, eos non diverſa contendere, ſed collectis in eodem ſenſibus, „ inſtituta venerari non humanâ mente lata, „ ſed divini prudentiâ ſpiritus? Oret igitur „ veſtræ Religionis ſanctitas, ut quod pervigili ſtudio pro concordia Eccleſiarum „ Catholicæ fidei procuratur Divini muneris opitulatio, jugi perpetuitate ſervari „ annuat. Datum x. Kalen. Maji Conſtantinopoli.

516 Andreas inſuper Prevalitanus in Epiro Epiſcopus exultans pro inita concordia, atque congaudens, voluit & ipſe literas ad Hormiſdam ſcribere, eumque certiorare primùm de quorundam Epiſcoporum in Synodo Epiri novi ſimulatione, & indè breviter recenſere, quæ Scampis, & Lignidi, ac demùm Conſtantinopoli geſta erant in Apoſtolicæ Sedis pręſentia Legatorum. Sunt autèm literæ tenoris ſequentis, videlicet.

Domino meo ſemper Beatiſſimo, & Apoſtolicà Sede intimà veneratione præferendo, atque Angelicis meritis coæquando Patri Patrum Papæ Hormiſdæ Andreas.

517 „ Commendans me humillimè veſtigiis veſtris piiſſimis, indico propter Synodum Epiri novi, quoniàm finxerunt anathematizare intrà ſemetipſos aliquas perſonas. Hoc tantummodò ingenio uſi ſunt, „ ut nos in ſua malitia caperent: quibus reſiſtit Divina Trinitas per veſtras ſanctas „ preces; & cùm deprehenſi fuiſſent in ſua „ malitia, nunquàm potuimus Archiepiſcopo ſuadère, ut ad viam veritatis, & ad veſtra præcepta verteretur.

518 „ Sed mòdò cùm advenerunt Beatiſſimi, atque Sanctiſſimi Domini Epiſcopi, „ vel Diaconi directi à ſancta Corona veſtra, „ occurrerunt illis Scampinus Epiſcopus vir „ Beatiſſimus Troilus cum omni gaudio, & „ luminaribus; & porrecto libello ſecundùm „ veſtram præceptionem, ſtatim recepti ſunt „ in pace Chriſti, & Miſſas celebravere cum „ Epiſcopo in Scampina Civitate. Et videntes Lignidonenſes quod fecit Scampinus, ſimili modo & ipſi ſecuti ſunt.

519 „ Nunc dùm iſtas litteras ordinaremus, ſupervenit Magiſtrianus de Urbe Conſtantinopolitana, qui nuntiavit, quià Deo „ propitio, precibus ſanctis veſtris, & Conſtantinopolitani miſerunt anathema Acacio, & cum pace Paſcha celebraverunt. „ Jàm quod ſequatur, veſtra interceſſio apud „ Deum laboret, ut ad perfectum ſervi Sedis „ Apoſtolicæ inveniamur. Epiſtolas verò, „ quas deſtinaverunt ad meam humilitatem „ ſupramemorati Viri Beatiſſimi Epiſcopi, „ pietati veſtræ junctas tranſmiſi. Acceptâ „ die, quo ſuprà.

520 „ Cęteri porrò nobiles Viri, & fœminæ, ad quas Hormiſda literas dederat, & ad cooperandum pro concilianda Eccleſiarum pace, hortatus fuerat, ipsâ ſecutâ reconciliatione, gratulatorias non omiſerunt ad eundem Hormiſdam dare literas. Quarè Juſtinianus Comes, & Vir illuſtris hanc brevem fecit Epiſtolam.

Domino meo Sanctiſſimo Hormiſdæ primo Archipontifici & Papæ Urbis Romæ Juſtinianus Comes ſalutem.

521 „ Venerandę Sanctitatis veſtræ pręedicatio regularum, quæ Chriſto Deo pro „ Eccleſiarum pace, & pro plebis concordiâ.

„ jugiter ſupplicat, quidquid nunc per Beatiſſimos ſuos Sacerdotes monuit peragendum, propitiâ Divinitate cuncta effectui ſociata ſunt, nullâ prorsùs quorundam valente diſcordiâ. Igitur veſtris ſacris orationibus ac præceptionibus orthodoxorum fide muniti, ſupplices petimus, ut hi pro Sanctiſſimo Auguſto noſtro, totius fidei fautore, proque ejus Republica, pro nobis quoquè mandatorum veſtrorum cuſtodibus, æterno Regi conſuetas impetrabiles preces offerre dignemini, noſque vobis fideliter ſupplices veſtris ſalutiferis reſcriptionibus viſitare. *Hactenus Juſtinianus.* Pompejus verò ſic ſcripſit.

Domino meo Beatiſſimo, & Apoſtolico Patri Hormiſdæ Archiepiſcopo univerſalis Eccleſiæ Pompejus.

522 „ Sanctis Beatitudinis veſtræ precibus omnipotentis Dei pietas exorata, tantæ nobis fidei Principem condonare dignata eſt, ut religioſiſſimis Clementiæ ejus meritis redintegratio pacis Eccleſiaſticæ, quæ votis omnium fidelium poſcebatur, jure videatur eſſe collata; in cujus Regis proventu ſolidiſſima Principatus ſui fundamenta Sancti Spiritus operatione conſtituit, quæ tantum robur obtinent ſtabilitatis invictæ, quantum actionis excellentia, unica & admirabilis æſtimatur. Et ideò reverendam veſtri Pontificatus Beatitudinem cultu reciprocantis alloquii ſalutantes, quæſumus, ut magis magiſque pro clementiſſimi atque invictiſſimi Domini noſtri Principis proſperitate orare dignemini, quatenùs ineffabilis omnipotentis Dei pietas ſua dona, in quibus etiàm fructus veſtræ agricolationis exuberat, juſtis gratiæ opitulatione cuſtodiat. Nobis quoquè filiis veſtris ſpirituali vobis conglutinatis affectu, quos hujus operis maximè ſemper ſollicitudo perſtrinxit, ſuffragatrix interceſſio ſanctimoniæ Pontificalis aſſiſtat. *Hæc Pompejus*. At Juliana Anicia aliam fecit tenoris ſequentis Epiſtolam.

Domino Beatiſſimo Patri Hormiſdæ Juliana Anicia.

523 „ Precibus veſtræ Beatitudinis, adventu Legatorum principalis Sedis Apoſtolicæ, eliſis erroribus hæreticorum in unitatem fidei Catholicæ convenimus congregati ſimùl ad ubera materne Eccleſiæ in die ſanctæ Reſurrectionis. Quapropter ſtylo venerationis alloquentes Sanctitatem veſtram, admonemus, ut intimetis deſtinatis à vobis Reverendiſſimis Viris, nullo modo abſcedere, antequàm, ſicut prævideritis, ut oportet, firmentur ea, quæ benè diſpoſita ſunt ab eis; ut amputatis omnibus reliquiis tranſacti erroris, impendiis veſtræ Beatitudinis roborata unitas ad effectum perpetuum deducatur. *Hactenus Juliana*, Anaſtaſia pariter & ſuas ſcripſit literas in hunc modum.

Domino Sancto & Beatiſſimo Patri Patrum Hormiſdæ Archiepiſcopo univerſalis Eccleſiæ, Anaſtaſia.

524 „ Divini luminis illuxiſſe nobis gratiam meritò profitemur, Apoſtolatus veſtri reverentiam in ſancto corde noſtri tenère memoriam paginali aſſertione noſcentes; veraci nàmque ſpe confidimus, ſuperne miſericordie propitiationem de Pontificali interceſſione ſubſiſtere, Domine Beatiſſime & Apoſtolice honore ſuſcipiende Pater, Pervigiles veſtrarum orationum excubiæ, & miranda victorioſiſſimi Principis fides ſplendore Catholico ſemper irradians, diù expectatam ſacroſanctis Eccleſiis concordiam pacis reſtituit, quam omnibus triumphis ſuis ſolidiſſimè firmatis invictum jure exultat præcoluiſſe vexillum. Ideòque illibata veſtræ Paternitatis ſanctimonia, pro incolumitate atque proſperitate prædicti Domini noſtri Auguſti vota, preceſque omnipotenti Deo offerre indeſinenti continuatione perſiſtat, ut ineffabilem tantorū bonorum gratiam, quam ipſe piis ejus ſenſibus inſpiràvit, ad futuræ quoquè beatitudinis profectum conſervare dignetur. Domino etiàm jugali filio veſtro, & mihi peculiari cultrici veſtræ, cum ſobole, quam nobis Dominus donare dignatus eſt, à veſtro Pontificatu oratio benigniter impendatur, cujus ſuffragio Divini favoris protectio nobis clementer aſpiret. *Hactenus Anaſtaſia*. Deniquè Theodoritus Epiſcopus Lignidenſis ſuas quoquè gratulatorias pro Eccleſiarum unione per Pollionem literas ſequentes ad Hormiſdam dedit.

Domino Sancto Beato prædicabili & adorando Apoſtolico Patri Hormiſdæ Papæ Urbis Romæ humilis famulus tuus Theodoritus.

525 „ Meæ quidèm exiguitatis non eſſet tàm magna præſumere, & ad veſtrum pium Sanctum Apoſtolatum puſilli ſermone præſentes parvulas deſtinare paginas. Sed quià pro inſita vobis humanitate, pio propitiationis animo omnia nutu Divinitatis protegere conſueviſtis; lucidum diem, & totius feſtivitatis repletum omni reddidiſtis Mundo, & omnia veſtris prædicandis precibus ad priſtinum veritatis revocaſtis ſtatum, & in unum concordare, vel ſubjugare veſtris prædicabilibus, & adorandis meritis annuiſtis. Ideòque & ſi meis obru-

tus

„ tus iniquitatibus, & ab eis undiquè op-
„ preſſus, ex ipſis recreatus infernis, recur-
„ rente ad religioſa veſtigia veſtra famulo tuo
„ viro religioſo Pollione, uſurpavi me tàm
„ per eum, quàm etiàm his parvulis & exi-
„ guis chartis, veſtris prædicandis, & ado-
„ randis præſentare veſtigiis, Divinum omni-
„ bus viribus exhortans favorem, & clarâ vo-
„ ce cum omnibus omninò canens: *Gloria*
„ *in excelſis Deo*, *& in terra pax hominibus*
„ *bonę voluntatis*, qui pro ſua incomprehenſi-
„ bili pietate veſtris mirificis operibus omnia
„ illuminavit & liberavit, & lucidum &
„ totius feſtivitatis repletum diem in toto
„ Orbe veſtris Deo dignis precibus præſtitit,
„ & ab omni iniquitate eripuit, & omnem
„ nodum colligationis abſolvit, & omnem
„ ſemitam aperuit. Hanc itaquè gratulatio-
„ nis repletam pio veſtro pronus offerens
„ Apoſtolatui, deprecor utì pro meæ flebili-
„ tatis exiguitate veſtris piis precibus me-
„ mores eſſe dignemini, Domine Sanɛte,
„ Beate, & Apoſtolice Pater. Accepta XIII.
„ Kal. Julii, Domino Eutharico V. C. Con-
„ ſule. *Hactenus Epiſtola Theodoriti*.

526 Itaquè prærecenſitæ literæ tot perſo-
narum Illuſtrium, præter eas, quas fecerunt
Apoſtolicæ Sedis Legati, Juſtinus, & Con-
ſtantinopolitanus Epiſcopus, pariter allega-
tas, poſt initam concordiam, & Eccleſiarum
conſtabilitam pacem, peractis in ſanctæ unio-
nis vinculo paſchalibus diebus, miſſæ Romam
fuerunt ad Hormiſdam, qui antequàm eas re-
ciperet, ignorans quæ acta fuerant, famâ, ut
ſolet, diverſimodè loquente, anxius ad Lega-
tos ſub datis VII. Kal. Majas ſequentem dedit
Epiſtolam.

Hormiſda Germano, & Joanni Epiſcopis,
Felici, & Dioſcoro Diaconis, &
Blando Presbytero.

527 „ Opinionum diverſitas diù nos fa-
„ cit de proſperitate veſtra, vel de ſuſceptæ
„ actionis qualitate ſollicitos: præcipuè cùm
„ nihil certum tàm diuturno tempore veſtræ
„ dilectionis potuiſſemus reſcriptione cogno-
„ ſcere. Nos tamèn repertâ latoris occaſio-
„ ne, hæc ipſa ſignificare maluimus. Quapro-
„ pter ſalutantes cum Dei omnipotentis au-
„ xilio incolumes nos eſſe cognoſcite, quod
„ & de vobis audire deſideramus. Sed ut de
„ omnibus, quæ geſta ſunt, noſtram pleniùs
„ poſſitis inſtruere notionem à quibus per-
„ ſonis, vel in quibus locis benè, ſicut credi-
„ mus, ſuſcepti fueritis, vel ubi, aut ſub
„ qua feſtivitate Reſurrectionis Dominicæ
„ charitas veſtra tenuerit diem. Et quid de-
„ inceps egeritis, per omnia reſcriptis cur-
„ rentibus declarare, quatenùs veſtram cogi-
„ tationem de veſtra, & actuum proſperita-
„ te revelare poſſitis, & ſi quid inſtructioni,
„ quam ſuſcepiſtis cauſæ adſuerit, ſubjunge-
„ re cum Dei noſtri ſolatio valeamus. Data
„ VII. Kal. Majas, Eutharico V. C. Con-
„ ſule.

528 Deindè paucis elapſis diebus, cùm
nequaquam literas adhùc recepiſſet, & proin-
dè incertus de rebus Conſtantinopoli geſtis,
& jàm elapſa eſſet ſacra Aſcenſionis Domini
dies, velut impatiens, Paulinum Eccleſiæ de-
fenſorem Conſtantinopolim miſit, cui præter
literas, quas ad Imperatorem miſit, ſequen-
tes quoquè duas literas, ſub datis III. Kal.
Majas ad eoſdem dedit Legatos: quarum una
ità ſe habet.

Hormiſda Germano, & Joanni Epiſcopis,
Felici & Dioſcoro Diaconis, &
Blando Presbytero.

529 „ Animus noſter diuturnâ redditur
„ expectatione ſollicitus, præcipuè ad tantum
„ Principem deſtinati, ſub celeritate nos
„ certiores debuiſſetis efficere. Nàm ante
„ diem Aſcenſionis Dominicæ literas veſtras
„ credebamus nos poſſe ſuſcipere. Idcircò
„ tàm veſtræ ſoſpitatis indicia, quàm profe-
„ ctum cauſæ, quam peragendam cum Dei
„ noſtri juvamine ſuſcepiſtis, deſideramus
„ agnoſcere. Paulinum Eccleſiæ Romanæ de-
„ fenſorem cum ſcriptis præſentibus deſtina-
„ re curavimus, tàm Principi literas, quàm
„ ſingulis, quibus oportuit, dirigentes. Qua-
„ propter Deum noſtrum congruis precibus
„ oramus, ut ipſe ſalutem veſtram ſuâ propi-
„ tiatione cuſtodiat, & cauſæ qualem deſide-
„ ramus concedere dignetur effectum. Quià
„ nihil majus inter titulos optimi Imperato-
„ ris adſcribitur, quàm ſi eum Eccleſia Græ-
„ ca præſens, & futura prædicare mereatur
„ pacis auctorem. Data III. Kal. Majas,
„ Eutharico V. C. Conſule. *Hactenus hæc*
Epiſtola, Altera verò ad eoſdem data talis eſt.

Hormiſda Legatis noſtris, quibus ſuprà.

530 „ Neceſſe eſt ut vel de injunctæ actio-
„ nis ſtatu, vel de veſtræ dilectionis cogite-
„ mus abſentia: & pro his rebus ſollicitudo
„ noſtra non patitur ſcribendi quaslibet oc-
„ caſiones omittere. Antehàc per Magiſtria-
„ num, qui in Symmachi patricii remeavit
„ obſequium, literas charitati veſtræ direxi-
„ mus; hortantes, ut nos de univerſis, quæ
„ in cauſa Eccleſiaſtica geſta ſunt, vel gerun-
„ tur, non omitteretis inſtruere, quod, &
„ facere pro noſtræ cogitationis relevatione
„ debetis. Noſtri enim voti eſt, ut labori ve-
„ ſtro Deus omnipotens deſideratum conce-
„ dere dignetur effectum. Stephanum nego-
„ tiatorē, per quem vobis noſtra contradentur
„ alloquia, in quo ratio popoſcerit, compe-
„ tentibus ſolatiis adjuvate: quià hunc ſem-
„ per noſtrum fuiſſe recolitis. Data eodem
„ die.

531 Has ergò tres Epiſtolas ſcripſit ad ſuos Legatos Hormiſda, antequàm certior eſſet de geſtis eorundem: primam datam VII. Kal. Majas, conſtat ex hac tertia, miſſam per Magiſtrianum Conſtantinopolim remeantem; alteram verò per Paulinum Eccleſiæ Romanæ defenſorem, ut viſum eſt; hanc verò tertiam eodem tempore cum ſecunda ſcriptam, per Stephanum Mercatorem, occaſione acceptâ eum Legatis ſuis cōmendandi, cujus rei causâ non per Paulinum,ſed per eundem Stephanum ferendam, & contradendam voluit.

CAPUT XVI.

De receptis à Pontifice literis, ejuſque reſcriptis ac Scytharum Monachorum geſtis.

532 INtereà diutiùs expectatę literę pacis nuncię ad manus Pontificis devenerunt menſe Junii ejuſdem Anni DXIX. nō ſinè ingenti ipſius ac totius Urbis gaudio. Itaquè ex more publicè coràm univerſo Populo in Eccleſia recitatis Joannis Epiſcopi literis, fidei profeſſionem continentibus, ipſius Imperatoris Sacra, atque Legatorum relatione, crebræ acclamatæ ſunt Deo Laudes, ſimùlque Hormiſdæ atque Catholico Imperatori præconia fauſtis ſunt vocibus frequentata, & redditis Deo debitis gratiis, perſolutiſque ſolemnibus, mox ad ipſum Imperatorem gratulatorias reſcripſit, ſimùlque hortatorias, ut quod actum ab eo fuerat pro pace Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ conſequenda, id quoquè agere non ommitteret pro conciliandis Antiochena atque Alexandrina Eccleſiis,ſcribens ad hunc modum.

Hormiſda Epiſcopus Juſtino Auguſto.

533 „ Lectis clementiæ veſtræ paginis, quæ reſtitutam fidei concordiam nūciabant in Divinæ laudis canticum mens totius Eccleſiæ læta prorupit, quo canitur: *Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis*. Hujus igitur fiduciâ Hymni dignam fidelibus meritis gloriam, fœlicitatemque præſumite. Neque enim te ità Deo placitum Principem ad Imperii verticem humanus tantùm conſenſus evexit: te ſibi Divinus favor ante formaverat. Tradidit enim tibi Orientis Imperium, ut ejus operum fieres inſtrumentum; atque ideò, ut hoc in te propheticum dictum, jure conveniat efficiatis: *Conſtitues eos Principes ſuper omnem terram: memores erunt nominis tui, Domine, in omni progenie & generatione*. Etenim cùm tibi ſit chriſtianam pacem ſervare propoſitum, quis te dubitet à Chriſto eſſe delectum? Hæc prima ſunt veſtri fundamenta Principatus, Deum placaſſe juſtitia, & aſciviſſe vobis excellentiſſimæ Majeſtatis auxilia, dùm adverſarios ejus, velut proprios, comprimitis inimicos. Hæc nimirùm maxima Reipublicæ fundamenta ſunt, hoc ſolidum, invictumque robur. Neque enim humanis ictibus poteſt eſſe pervium quod eſt Divinæ gratiæ firmitate vallatum. Teſtis eſt huic prophetica Scriptura; ait enim: *Elegi David ſervum meum, oleo ſancto meo unxi eum: manus enim mea auxiliabitur ei, & brachium meum confortabit eum*. Contrà autèm fruſtrà arma, fruſtrà ſibi copias quærit, quem gratia ſuperna deſtituit. Etenim veraciter ſcriptum eſt: *Niſi Dominus cuſtodierit Civitatem, in vanum vigilant qui cuſtodiunt eam*. Bellabis tu quidèm, Divino tutus auxilio, Excellentiſſime Princeps, & tuæ Reipublicæ jugo ferociſſimarum Gentium colla ſubmittes. Sed nulla victoria poteſt eſſe præſtantior, quàm quòd humani generis hoſtem, poſt quæſita tàm longi temporis firmamenta, ſubvertis.

534 „ Enimverò cęterorum natura præliorum diſtincta gentibus, regionibus terminata, cruore polluta: hæc omne genus humanum palma complectitur, hunc omnibus regionibus importabis triumphum; & quod Divinæ proximum pietati eſt, qui paulò ante ductu Diaboli graſſabantur, ad propriæ ſalutis effectum ſine ſanguinis effuſione vincuntur. Durabit igitur hujus chriſtianæ victoriæ per ævum triumphus. Neque enim poterunt labe temporis aboleri quæ in ſempiterna fidei ſtabilitate fundata ſunt. Permanebit longè, latèque veſtrorum fama factorum, & ſicut Divinis deſignatur eloquiis: *In omnem terram exivit ſonus eorum, & in fines terræ verba eorum*. Et cęteris quidèm bellis agros, urbes, oppida, & quod ſupremum eſt, ſubjectorum libertatem tueris,quæ mortalium uſibus comparata, ſimili quadam mortalitate ſolvenda ſunt. In hoc certamine vita ipſa defenditur, & quoadmmodò pro ſempiternæ beatitudinis arce pugnatur. Quocircà continuam tanti operis apparatus Clementiæ veſtræ intentionem requirit. Facite, ut nullum prorsùs receptaculum, ex quo rursùs immaniſſimus hoſtis emergat, inveniat: cunctis eum nudate præſidiis, & ſi quid uſquàm veſtigiorum ejus reliquum eſt, in omne clementi remedio purgate; omne nequitiæ germen funditùs eruatur; adverſa Deo ſtirps ad vivum uſquè reſecetur, nè minùs compreſſa (quod abſit) iniquitatis radix venenata latiùs iterùm virgulta diffundat.

535 „ Quorsùm hæc? Quià ſupereſt adhùc vobis Alexandrinæ, atque Antiochenæ & aliarum Eccleſiarum nullo modo negligenda correctio; in qua, ſi ſuam curam Clementia veſtra immiſerit, ſpes eſt, quo au-

„ auctore bona cuncta credimus incipi, eo-
„ dem celeriter auxiliatore compleri. Com-
„ mendamus præterea Legatos ab Apoſtolica
„ Sede directos, & apud veſtram fidem, re-
„ ligionemque deponimus: quos ità perfe-
„ ctis omnibus pietas veſtra dimittat, ut Di-
„ vinis, veſtriſque beneficiis ad Apoſtolicam
„ Sedem plenam referant de Eccleſiarum om-
„ nium pace lætitiam. Quæ ſcripta per Pau-
„ linum Romanæ Eccleſiæ defenſorem famu-
„ lum veſtræ pietatis ingerenda tranſmiſimus.
„ Data VII. Idus Julii, Eutharico V.C. Con-
„ ſule. *Hactenus Epiſtola.*

536 Itèm ſimùl reſcripſit ad Joannem Epi-ſcopum Conſtantinopolitanum, eum commendans, quòd libellum fidei acceperit, & ad unitatem Eccleſiæ redierit: admonet inſuper, ut diſperſa colligat membra, ut recto ſemper incedat itinere, caveatque ab inſidiis Diaboli, fluctus, tempeſtateſque, ad turbandam Eccleſiæ tranquillitatem ab humani generis hoſte excitatas, attentè proſpiciat. Ac deniquè hortatur, ut ſollicitus ſit pro Alexandrinæ quoquè & Antiochenæ Eccleſiarum ſtatu, ut & ipſe deleto ſchiſmate, univerſis abjuratis hæreſibus, ad ſanctæ Eccleſiæ redeant unitatem. In fine autèm Legatos ſuos commendare non omittit. Sunt autèm literæ temporis ſequentis, videlicet.

Hormiſda Joanni Epiſcopo Conſtantinopolitano.

537 „ Conſideranti mihi tuę ſcripta charitatis, in quibus cum Sede Beati Apoſtoli Petri unam tibi eſſe fidem profeſſus es, propheticâ libet exclamare licentiâ: *Ecce quàm bonum & quàm jucundum habitare fratres in unum.* Neque enim refert quam longinquis locorum ſpatiis dividamur, quandò jàm, Deo auctore, una fidei cohabitatione conjungimur. Nunc enim miſericordiâ procurante Divinâ in unius corporis vultum diſſipata olim Chriſti membra conveniunt, & ab iniquiſſimis direpta latronibus annunciata à propheticis vocibus Domini noſtri redintegratur hæreditas, & verè in hujus Petræ fide, ideſt, Apoſtolorum Principis firmitate, Orientalis Eccleſiæ fundamenta ſolidantur, quæ cùm facta tuis literis indicentur, tempeſtiva exultatione dicendum eſt: *Quam ſpecioſi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona.* Gratias igitur Excellentiſſimæ Trinitati, quæ conſentientes in Chriſtum Eccleſiæ ac Reipublicæ dedit eſſe rectores. Enimverò rerum ſalus eſt, quoties in fidei Catholicæ veritate Sacerdotes ac Principes menſura connectit. Hoc firmum pacis vinculum eſt, hæc cœlitùs dimiſſa ſocietas; neque fas eſt enim, in quo vident concordari Præpoſitos aliud ſentire ſubjectos.

538 „ An dubium eſt, cuncta hæc Providentiam diſpoſuiſſe Divinam? Primùm eum Principem eſſe delectum, qui cùm ſe hominum ſuſcepiſſe videret Imperium, non ſe oblitus eſt Deo eſſe ſubjectum. Dehinc quod talem fraternitatem tuam Eccleſiæ ſuæ Præſulem dedit, quem non eſſet ambiguum cum Sede noſtra, ideſt, Apoſtolica, certam, manſuramque fidei ſubiturum eſſe concordiam. Etenim libello à nobis fidei libenter accepto, cùm redintegrationis in Chriſto fueris avidus, nunquàm in prædeſtinatione Divina fuiſſe à nobis cognoſceris alienus.

539 „ Itaquè, dilectiſſime Frater, Dei noſtri ſpontè currentibus inſtate beneficiis, ſparſi olim gregis pleniùs membra colligite, & cuſtodite collecta. Memento nunc clementer aſſignatæ à Chriſto navis te eſſe rectorem: fac cogites diabolicę contumaciæ ſpiritus, quietem itineris & curam turbantes; nec te lateant fluctus tempeſtatis incertæ, quos evigili mente proſpicias, & erecta in Deum ratione compenſes, nulla tibi commiſſi negotii negligentia clavum Dominicę ratis extorqueat. Illud unicum recti itineris ſignum fixis ſemper obtutibus intue, quo certiùs perflantis Diaboli turbata contemnas, & ad promiſſi Portus tranquilla pervenias. Hæc eſt Chriſtiani paleſtra certaminis; tali Chriſti militiæ ſempiternę vitę palma proponitur. Hęc tibi rectiſſimè cogitanti non deerit ſuo militi pręſidium Ducis; & quantò hoſtium multiplicantur inſidiæ, tantò ſummi gratia rectoris, adverſantis venena miſericordiæ ſuæ facit eſſe materiam, ſicut ſermo Apoſtolicæ veritatis aſſeruit, dicens; *Ubi abundavit iniquitas, ſuperabundavit & gratia.* Tu tantùm divinis, rectiſſimiſque inhærens inſtitutis, Eccleſiaſticam fovendo concordiam, veluti quodam pacificæ voluntatis ſignatus judicio, illius eſſe diſcipulus approberis, qui ait; *Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis.*

540 „ Hortare etiàm, quamquàm ſpontè ad recta tendentem, filium noſtrum clementiſſimum Principem Juſtinum, chriſtiano ſæculo divinitùs comparatum, ea perficere, quę regalibus literis dignatus eſt polliceri, ut miſſis ad eos edictis, quos ab Eccleſiæ matris uberibus etiàm nunc devius error abducit, diabolicam fraudem & auctoritate Religionis, & moderatâ poteſtate compeſcat Imperii; eamque ſibi contrà communem totius humanitatis hoſtem maximam ducat eſſe victoriam, ſi ſupernæ auxilio Divinitatis vetuſti ſerpentis venena compreſſerit.

541 „ De Antiochenę quoquè atque Alexandrinæ Eccleſiarum ſtatu non ſuperſedeas eſſe ſollicitus, & clementiſſimo ſubindè Principe ſupplicato, ut in his quoquę pa-

„ pacem religioſâ ordinatione reſtituat, quatenùs bonis cœptis plenè cumulum perfe„ ctionis adjungat. Fruſtrà enim bonum opus „ incipitur, ſi non in totum perfectio ſub„ ſequatur. Commendamus prætereà Legatos à Sede Apoſtolica deſtinatos, quos ità „ facias ad nos tua dilectio remeare, ut nobis plenam referre queant de reſtituta uni„ verſis Eccleſiis pace lætitiam. Data VII. „ Idus Julii, Eutharico V.C. Conſule.

542 Nec vigilantiſſimus Paſtor Hormiſda dedignatus eſt, receptis Juſtiniani Comitis, Pompei, Julianæ Aniciæ, atque Anaſtaſiæ literis, iterùm reſcribere, laudans, quòd ſe pacis ſtudioſos oſtenderint, hortanſque ſimùl ad operam navandam, ut perfecta Eccleſiæ tranquillitas reddatur. Sunt ergò ad Juſtinianum Comitem datæ literæ tenoris ſequentis.

Hormiſda Illuſtri Viro Juſtiniano.

543 „ Benedicimus ineffabile Divinita„ tis auxilium, quià de Eccleſiarum pace „ univerſitatis deſiderium ſub tranquillitate „ agnovimus fuiſſe completum. Quod qui„ dèm non præter opinionem noſtram conti„ git fieri; quià religioſiſſimi Auguſti præ„ ſumpti genere ſpem ſemper geſſimus de „ quiete, & quod credimus faciendum ſub „ Principe chriſtiano de adunatione, erat in „ votum. Quarè habebit glorioſus Impera„ tor de hac cauſa triumphorum titulos, non „ quibus ſe oblivio mortalitatis interſerat, „ ſed quos Divinitatis gratia ſuper perpetui„ tate confirmet; & vobis quoquè cœleſtis „ remunerationis non deerit præmium, qui „ adjuviſtis boni Principis inſtitutum, atque „ obſequio convenienti deſiderio horrorem „ ſegregationis feciſtis excludi: *Benedictus* „ *Dominus Deus noſter, qui viſitavit, & fecit* „ *redemptionem plebis ſuæ*. Supereſt nunc, ut „ quià vobis hujuſmodi officium certum eſt „ providentiâ Divinitatis injunctum, accin„ gatis, ut ait, lumbos, & pacificæ adhor„ tationis viribus perſequamini, à quibus „ pacem non videmus agnoſci, maximè quià „ gratia gloriæ veſtræ detrahitur, ſi quid in „ hac cauſa fuerit minùs impletum. Circum„ ſpicite omnia fide, qua vivitis, & diligen„ tiâ, qua vigetis occurrite omnibus incur„ ſibus, quibus Religionis chriſtianæ reve„ rentiam videtis eſſe vexatam, ut inſtantiæ „ veſtræ, benè poſſimus cum exultatione di„ cere: *Reminiſcentur & convertentur ad Do*„ *minum omnes fines terræ*. Quæ cùm ità ſit, „ vos, qui Eccleſiæ Catholicæ tranquillitati „ feciſtis initium, procurare decet effectum; „ non deerit Salvatoris noſtri favor in perfe„ ctione, qui vobis hoc opus inſpiravit in„ cipere. Data Conſule ſupraſcripto. *Hæc ad Juſtinianum. Ad Pompejum verò ſic.*

Hormiſda Pompejo.

544 „ Ità devotionis noſtræ animum gau„ dio concordiæ fatemur impletum, ut nulla „ credamus verba ſufficere, quibus fidei ve„ ſtræ puritatem valeamus explere. Magna „ profectò memoria fœlicitatis tranſibitis ad „ poſteros, quià vos in facienda pace ſollici„ tudine certum eſt fuiſſe conſtrictos. Ha„ betis apud Divinitatem meritum, cujus „ religionis perſolvitis affectum. Operati „ quidèm eſtis generalitatis deſideria, ſed & „ veſtra pariter completa ſunt vota: & cùm „ animæ veſtræ paraveritis præmium, uni„ verſitas ſibi gaudet beneficium impenſum. „ Quapropter debitâ honorificentiâ ſalutan„ tes hortamur; & petimus, ut vivacitate, „ qua quietis Eccleſiaſticæ cœpiſtis initium, „ procuretis effectum; & quocumque con„ tentionis alicujus videritis remanſiſſe ve„ ſtigia, curetis modis omnibus inſequenda. „ Adeſte Eccleſiarum Dei pleniſſimæ tran„ quillitati, inſiſtite labori, quem fidei ve„ ſtræ munere Domino curaſtis offerre. Fa„ citis enim, ut majore à vobis fiduciâ exiga„ mus plenitudinem, quos gratulamur deſi„ deratæ dulciſſimæ adunationis initia votiva „ fundaſſe. Data Conſule ſupraſcripto. *Ità* „ *ad Pompejum. Sed ad Julianam Aniciam* „ *ad hunc modum ſcripſit, videlicèt.*

Hormiſda Julianæ Aniciæ.

545 „ Literis amplitudinis veſtræ perce„ ptis, gratias Deo noſtro de Catholicæ fidei „ redintegratione perſoluimus, optantes, ut „ ipſe veſtris ſenſibus pro religione ſua, quod „ conceſſit, longâ ætate conſervare dignetur „ ſtudium: ut ſicut perſonam veſtram Impe„ rialis Sanguinis vena nobilitat, ità con„ ſcientiæ bonorum meritorum luce præful„ geat. Undè ſalutantes cultu atque honori„ ficentiâ competenti, poſcimus, ut in eo, „ quo cœpiſtis, permanere propoſito debeatis, „ & dare operam, ut ad effectum conatus „ tantæ cauſæ perveniat, nè aliquid impoſte„ rum ſemen hujus mali remaneat, undè poſt„ hac ſub qualibet occaſione inimicus quili„ bet revireſcat. *Hactenus ad Julianam Aniciam. Porrò ad Anaſtaſiam ità.*

Hormiſda Anaſtaſiæ.

546 „ Poſtquàm Deus noſter Eccleſiæ „ ſuæ membra in pacem priſtinam redeuntis „ ſolidavit, diù vos deſideraſſe certamina.... „ Quod proveniſſe gaudentes, & nos quidèm „ indeſinenter Divinam clementiam depreca„ mur, ut ſicut has regni primitias gratanter „ accepit, ità fidem boni Principis omni ſem„ per adjuvet proſperitatis effectu, & tàm „ ipſum, quàm vos omnes in ſacroſancto Re-

ligio-

„ ligionis amore cuſtodiat; ut quorum fides, „ errorem peſſimæ diſſenſionis abjecit, & tu „ ità in terris floreas, ut æternæ ſalutis re- „ muneratio ſubſequatur. Nunc igitur vos „ quoquè vota nobis conjungite, & omnibus „ à Deo viribus implorate, ut hujus corre- „ ctionis exemplum omnes ſequantur Eccle- „ ſiæ, ut nihil ſibi Diabolus remanſiſſe gau- „ deat, quem in totum penè noſtra concor- „ dia gratulatur excluſum. *Hæc ad Ana- ſtaſium.*

547 Dedit quoquè eodem die, quo ſupra- recenſitæ, nimirùm VII. Idus Julii alias literas ad Germanum cæteroſque Legatos, quibus hortatus eſt, ut cum Imperatore ejuſque age- rent conjuge, ut omnes Eccleſiæ, præcipuè verò Alexandrina, & Antiochena, ad Apo- ſtolicæ Sedis communionem revocarentur. Sunt autèm literæ.

Hormiſda Germano, & Joanni Epiſcopis, Felici, & Dioſcoro Diaconis, & Blando Presbytero.

548 „ De his, quæ acta charitatis veſtræ „ relatio comprehendit, gratias Deo noſtro „ referimus, qui laborem veſtrum juvare di- „ gnatus eſt, & hortamur, ut Clementiſſimo „ Principi, & piiſſimæ Auguſtæ conjugi ejus „ officiis imminere competentibus debeatis „ & agere, auxiliante Chriſto noſtro univer- „ ſis ſub Eccleſiaſtica obſervatione diſpoſitis, „ ut omnes Eccleſiæ, quæ in qualibet mundi „ parte ſunt poſitæ, ad communionem Sedis „ Apoſtolicæ revocentur. De Alexandrina „ verò atque Antiochena Eccleſiis laborate, „ ut noſtræ fidei ſub obſervatione rationabi- „ li connectantur, quià tantæ rei perfectio, „ tàm Clementiſſimo Principi, quàm vobis „ gratiam Divinæ propitiationis acquirit. „ Data Eutharico V. C. Conſule. *Hæc ad Legatos.*

549 Cùm intereà Juſtinus Auguſtus uni- verſas Orientis Eccleſias ab hæreſis labe pur- gare contenderet, atque Catholicæ concilia- re Eccleſiæ, Severum impium hæreticum Ec- cleſiæ Antiochenæ invaſorem, miſſo Magi- ſtriano, juſſit Conſtantinopolim adduci, cau- ſam ibìdem ſuorum, quos contrà Synodum Chalcedonenſem fecerat, tractatuum redditu- rum, ordinato in ejus locum Paulo orthodo- xo Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Presbytero. At Severus præſcius eorum, quæ juſſerat Im- perator, captâ fugâ, Seleuciam deſcendit, in- dè conſcenſa Navi, fugit Alexandriam. *Hæc ex Liberato in Brevario cap.* 19., inquiens: „ Mortuo Imperatore Anaſtaſio, & Juſtino „ facto Imperatore, Severus à Vitaliano Ma- „ giſtro Militum viro religioſo & orthodo- „ xo accuſatur, quod deſpiceret Imperatoris „ juſſionem, & Synodum non ſuſciperet. Ju- „ ſtinus Imperator miſit Magiſtrianum, ut „ Severus Conſtantinopolim adduceretur, & „ redderet cauſam tractatuum ſuorum, quos „ fecerat contra Synodum, Jàm enim ab ip- „ ſo pio Imperatore Julianus Halicarnaſſeus „ Epiſcopus pro eadem Sancta Synodo, eò „ quòd eam non reciperet, pulſus fuerat Se- „ de. Quod ſciens Severus, & prævidens „ quid ſibi immineret, clàm nocte deſcendit „ Seleuciam, & navim conſcendens, fugit „ Alexandriam, ad quam Civitatem & Ju- „ lianus fugerat. Ordinatuſque eſt pro eo „ Archiepiſcopus Antiochiæ Paulus ortho- „ doxus, ſuſcipiens Chalcedonenſem Syno- „ dum. *Hactenus Liberatus.* Sed huic ordi- nationi Legati Apoſtolicæ Sedis, utpotè fa- ctæ contrà privilegia Eccleſiæ Antiochenæ de ſuis eligendis ſibi Epiſcopis, contradixe- runt.

550 Eodem tempore Leontius, qui pa- rentem ſe Magiſtri militum Vitaliani facie- bat, ſub ſpecie quadam pietatis, quaſi nitere- tur Chalcedonenſem Synodum roborare, hæ- reſim Eutychianam validare ſtudebat; fave- bat plurimùm quibuſdam Monachis Scythis catholicæ fidei adverſariis, cum quibus inito Conſilio, legationem ad Hormiſdam decre- verunt, ipſomet Leontio cum quibuſdam aliis Monachis ſuſcipiente onus proficiſcendi Ro- mam, ſperantes ab ipſo Pontifice obtineri poſſe, ut aliqua ſua confirmarentur capitula. Hæc omnia Dioſcorus Apoſtolicæ Sedis Le- gatus in ſua refert ſuggeſtione, ſivè relatione ad Hormiſdam data ſub die III. Kal. Junias, quæ talis eſt.

Suggeſtio Dioſcori Diaconi.

551 „ Verum eſt nulla eſſe gaudia ma- „ gnoperè ſpiritualia, à quibus ex toto tri- „ bulatio poſſit eſſe ſeparata. Gaudemus de „ unitate Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ, quæ „ facta eſt cum Sede Apoſtolica: lætamur „ quotidiè diverſorum Epiſcoporum libellos „ nobis ſatisfactionis afferri. Modicum in „ Epheſina Civitate contigit ſcandalum, ubi „ contempta eſt & injuriata Synodus Chal- „ cedonenſis. Eſt invocatus clementiſs. Impe- „ rator hoc corrigere, quod & ſperatcumDei „ adjutorio fieri. Nunc & ſi poſt labores, & ſi „ poſt intentiones plures, Antiochena Eccleſia „ ordinata eſt, electus eſt quidam Paulus no- „ mine Presbyter Conſtantinopolitanæ Ec- „ cleſiæ, quem huic honori aptiſſimum Im- „ peratoris teſtimonio comprobatum volue- „ runt, & tentaverunt hic ordinare. Ego „ juſſionis veſtræ non immemor contradixi, „ dicens: Juſſit Dominus noſter Beatiſſimus „ Papa, ſecundùm antiquam conſuetudinem, „ ibi eum Epiſcopum ordinari. Hoc obti- „ nuit quod præcepiſtis: Orate, ut Deus „ precibus Apoſtoli Petri, & ipſam Civita- „ tem cum pace faciat electum ſuſcipere Sa- „ cerdotem,

552 „ Et quià iſta aguntur, & in his quoti-

„ quotidiè proficit Eccleſia, inſidiator antiquus ſuſcitavit Monachos de Scythia, qui de domo Magiſtri Militum Vitaliani ſunt, omnium Chriſtianorum votis adverſarii, quorum inquietitudo non parvas moras generavit unitati Eccleſiarum, & magnoperè de prædictæ Eccleſiæ Antiochenæ ordinatione. Iſti Monachi, inter quos eſt Leontius, qui ſe dicit eſſe parentem Magiſtri Militum, Romam feſtinant, ſperantes aliqua Capitula à Beatitudine veſtra confirmari.

553 „ Eſt in ipſis inter cætera ubi volunt dicere, unum de Trinitate Crucifixum: quod eſt nec in ſanctis Synodis dictum, nec in Epiſtolis Sancti Papæ Leonis, nec in conſuetudine Eccleſiaſtica. Quod ſi permittitur fieri, mihi videtur diſſenſiones, & ſcandala non mediocria naſci inter Eccleſias. Iſtud Anaſtaſius Imperator magnoperè Catholicis imponere feſtinavit: iſtud & Euthychetis Diſcipuli in Synodo Chalcedonenſi propoſuerunt. Quià quotieſcunque Patres de Dei filio Domino noſtro Jeſu Chriſto diſputaverunt, Filium Dei Verbum, conſubſtantialem Patris, homouſion Patri dixerunt. Iſte autèm ſermo ideò nunquàm eſt in Synodis à Patribus introductus, quià procùldubio catholicæ fidei minimè poterat convenire. Cujus ſermonis, ſi ſubtiliter attendatur intentio, ad quantas hæreſes pateat, & quæ mala per eum poſſint diſputationibus Eccleſiaſticis introduci, quoniàm longum eſt per præſentes inſinuare, præterimus.

554 „ Undè ſanum mihi videtur & utile, & ad pacem Eccleſiarum conveniens, nihil aliud reſponſum dari, niſi; ſufficit ſanctum Chalcedonenſe Concilium, in quo & aliæ Synodi continentur: ſufficiunt Epiſtolæ Papæ Leonis, quas Synodus confirmavit: novitatem in Eccleſia introducere nec volumus, nec debemus. Eſt in propoſitione eorum callida & hæc dicere: Nos Synodum Chalcedonenſem ſuſcepimus, hoc ſperamus, ut jubeatis nobis eam exponere, quià non ſufficit ſic quomodò eſt expoſita contrà hæreſim Neſtorianam; non quaſi non intelligentes, niſi conantes per ſubtilitatem ad hoc nos adducere, ut diſputetur de Synodo Chalcedonenſi. Quod ſi factum fuerit, dubia & infirma oſtenditur, & hæreticorum omnium patuit errori. Inter alia, ſi poſt Synodum Chalcedonenſem, ſi poſt Epiſtolas Papæ Leonis, ſi poſt libellos, quos dederunt & dant Epiſcopi, & per ipſos ſatisfecerunt Sedi Apoſtolicæ, iterùm aliquid novi addatur, ſic mihi videtur, quià quidquid factum eſt, deſtruitur. Data III. Kal. Junias Conſtantinopoli. *Hactenus ſuggeſtio*.

555 In alia ſuggeſtione, quam ſimùl Apoſtolicæ Sedis Legati ad eundem Pontificem miſerunt, concernente geſta in Antiochena Eccleſia, & Monachorum Scytharum, recenſent, Monachos Scythas nonnullos Epiſcopos de ſua Provincia inſimulaſſe, quaſi Neſtorianam hæreſim ſectarentur, inter quos Paternum Epiſcopum, delatis accuſationibus ad Imperatorem, ſed cognitâ causâ apud Judices, & coràm Principe, repertoque Paterno nullius erroris obnoxio, ipſo abſoluto atque in gratiam unà cum Vitaliano recepto, juſſit Imperator accuſatores ſuo Epiſcopo ſupplicare: Cujus rei cauſa indignati Monachi, fugâ lapſi, maluiſſe de Civitate diſcedere, quàm ad concordiam devenire; quâ arreptâ occaſione, ad Pontificem per Legatos adiiſſe, ſperantes ab eo aliquid obtinere, quod à Legatis minimè potuerunt. Suggeſtio ergò Legatorum ità ſe habet.

Suggeſtio Germani & Joannis Epiſcoporum, Felicis & Dioſcori Diaconorum, & Blandi Presbyteri.

556 „ Cùm Dei miſericordia, quo ordine & qua cautela communicavimus in Eccleſia Conſtantinopolitana, jàm aliis literis per ſervum veſtrum Pollionem directis, veſtra Beatitudo cognovit. Et ſimiliter in aliis literis non ſemèl, ſed ſecundò, qualia æmuli homines Religionis tentant, ſignificare curavimus, ut nihil ſit actum, aut cogitatum faciendum, quod lateat Beatitudinem veſtram. Stat nobiſcum cum Dei adjutorio quidquid in Conſtantinopolitana Eccleſia eſt ordinatum. Non titubant gaudia ſpiritualia, quæ celebrarunt & celebrant Catholici.

557 „ Cauſa Antiochenæ Eccleſię ordinationis, non ſolùm nobis labores fecit, ſed grandes tribulationes; quià homines feſtinantes impedimentum facere generali unitati, diverſis modis diverſa impedimenta fecerunt. Noſtra erat propoſitio de his, qui ſe ſuſpenderunt de anathemate in prædicta Eccleſia ordinare Sacerdotem. Non propoſuerunt ante oculos futurum judicium palàm dicentes: omnes, qui Sedi Apoſtolicæ communicabant, Neſtoriani ſunt; & magis illis non debere credere, qui modò videntur ad communionem Sedis Apoſtolicæ revocari. Poſt multas afflictiones, & penè in tres mèſes à Patribus protracta certamina, piiſſimus Imperator ſuâ auctoritate Paulum nomine Presbyterum de Eccleſia Conſtantinopolitana elegit Epiſcopum fieri in Eccleſia Antiochena, dicens inter alia & hoc teſtimonium de ipſo, quià duobus annis in Antiochia poſitus, non mediocriter reſiſtebat Severo hæretico; ſimilia & omnes Catholici conſonabant. Et omnia iſta de perſona prædicti Imperator ſe promiſit ad veſtram Beatitudinem relaturum.

558

558 „ Harum tamèn tribulationem pro-
„ viſores & ſocii & unitati Eccleſiarum im-
„ pedimento Monachi de Scythia fuerunt,
„ qui poſteà hinc diſceſſerunt, aſſignati ab
„ omnibus nihil pacificum cogitare, ad Bea-
„ titudinem veſtram cucurrerunt, ſperantes
„ ſurrepere & per literas veſtræ Sedis ſuas
„ intentiones confirmare. Iſti de ſua Provin-
„ cia Epiſcopos accuſant, inter quos eſt Pa-
„ ternus Tomitanæ Civitatis Antiſtes. Pe-
„ titiones obtulerunt, & coacti piiſſimi Prin-
„ cipis & Domini Vitaliani Magiſtri Mili-
„ tum juſſione, frequenter ad audientiam cau-
„ ſæ convenimus, non quaſi volentes nos in
„ his negotiis occupare, quià nobis ſunt an-
„ te oculos Beatitudinis veſtræ præcepta, qui-
„ bus præcepiſtis, ut cauſæ tantùm, cui ve-
„ neramus intenti, nullis aliis negotiis mi-
„ ſceremur. Sed ſperantes poſſe intentiones
„ eorum pacari, ad hoc deſcendimus. Et
„ quià nobis diù laborantibus, & illis nul-
„ lam ſuſcipientibus rationem, nihil profi-
„ ciebat in eo, quo tendebamus, clementiſ-
„ ſimus Imperator in conventu publico, ubi
„ & nos interfuimus, Paternum prædictum
„ Epiſcopum, & magnificum virum Vita-
„ lianum reduxit ad gratiam: accuſatores
„ quoquè jus ſuo præcepit Epiſcopo ſup-
„ plicare.

559 „ Monachi verò cùm ſimiliter ad
„ concordiam quærerentur, fugâ lapſi malue-
„ runt de Civitate diſcedere, quàm ad con-
„ cordiam pervenire. Prædicti Monachi ad
„ Italiam venientes, aliquanta capitula pro-
„ ponere habent, inter quæ & unum de Tri-
„ nitate crucifixum continetur, ſperantes ità
„ confirmati ex auctoritate Beatitudinis ve-
„ ſtræ, ſicut & in aliis literis ſignificavimus,
„ & modò hoc dicimus, ut nulla novitas à
„ Sede Apoſtolica ſcribatur; quià & nos an-
„ te Imperatorem & ante Senatum hæc indi-
„ cavimus, dicentes: Extrà Synodos qua-
„ tuor, extrà Epiſtolas Papæ Leonis nec di-
„ cimus, nec admittimus quidquid non con-
„ tinetur in prædictis Synodis, aut quod non
„ eſt ſcriptum à Papa Leone non ſuſcipimus;
„ quià ſi voluerit Dominus noſter qualemvis
„ novitatem ſcribere, pejus erit iſtud vitium,
„ quàm illud, quod factum eſt per Eutyche-
„ tem. Sufficere debet Eccleſiæ, quòd per
„ ſexaginta annos ab Eutychete uſque modò
„ ſuſtinuit.

560 „ Nobis quod viſum eſt ſcripſimus:
„ in veſtra poteſtate eſt deliberare quod vo-
„ bis Deus imperaverit; quoniàm hæc illi
„ nituntur aſſerere, eo modo ſibi ſatisfacere
„ cupientes, itaùt profiteamur, & dicamus,
„ unum de Trinitate paſſum eſſe; quod nec
„ Patres, nec Synodi dixerunt. Iſta ideò
„ per ſingula expoſuimus, nè illorum ſubti-
„ litas glorietur in noſtra ſimplicitate pro-
„ pter iſtas novas intentiones. Vitaliano ma-
„ gnifico viro ſubrepſerunt, ut & talia vin-
„ dicare pro talibus rebus, & contrà nos quæ-
„ cunque potuit impedimenta afferret; cu-
„ jus immutationem omnis nobiſcum deflet
„ Eccleſia. Quapropter rogamus, ut con-
„ ſuetâ cautelâ, & quâ ſolet Dominus no-
„ ſter vigilantiâ cogitetis, & quomodò ſu-
„ ſpendendi ſunt qui à nobis taliter receſſe-
„ runt, & à noſtra communione fuerunt ſe-
„ juncti; & quid eis reſpondeatur, vel quo-
„ modò earum capitula repellantur; quià eos
„ omnes Conſtantinopolim Catholica exhor-
„ ret Eccleſia. Data III. Kalendas Julias
„ Conſtantinopoli. *Hactenus ſuggeſtio*.

561 De hac eadem Scytharum Monachorum excitatâ contentione ſcripſit Juſtinianus triplicatas ad Hormiſdam literas, in quarum prima exponit, quid egerint Monachi Scythæ, & quomodò declinantes judicium Principis & Legatorum, aliorumvè, Achilles, Joannes, Leontius, & Mauritius, ſive Maxentius Romam profecti fuerint, cauſam coràm Sanctitate Sua delaturi; & indè rogat, ut Reliquias S.Laurentii, & Apoſtolorum Sanctuaria, quemadmodùm & per ſuos Legatos ſupplicari fecerat, dignetur pro ſua devotione, & ſpirituali conſolatione remittere. In ſecunda verò ſubindicat eandem contentionem Monachorum, ſed à Paulino Eccleſiæ Romanæ defenſore literarum latore diffuſè inſtrui poſſe, ait: rogat verò, ut ſatisfactis religioſis Monachis, Joannem & Leontium remittat. Ac deniquè in tertia petit ſcire, an, ex quo Chriſtus Dominus Dei Filius carne crucifixus ſit, verè dici poſſit unum de Trinitate crucifixum, quoniàm id ſolùm Catholicum eſſe profitetur, quod à ſua Sanctitate fuerit intimatum. Itaquè primò ſic ſcripſit.

Domino Sancto meritis Beatiſſimo & Apoſtolico Domino Patri Papæ Hormiſdæ

Juſtinianus vir clariſſimus.

562 „ Propitiâ Divinitate, quæ ſemper
„ Eccleſiam catholicam per incrementa fidei
„ inſtituit, unitas ſanctarum Eccleſiarum
„ per doctrinam & auctoritatem Apoſtolatus
„ veſtri provenit. Sed quoniàm comperimus
„ quoſdam nomine Monachos, quibus magis
„ diſcordia in ſtudio eſt, quàm charitas &
„ pax Dei, cupientes quædam perturbare,
„ ad Angelum veſtrum hinc deſcendentes iter
„ arripuiſſe; quos Beatitudo veſtra, præſen-
„ tibus ſcriptis cauſam livoris eorum cogno-
„ ſcens, itaùt merentur ſuſcipere, & à ſe
„ longè pellere dignetur; quoniàm vanilo-
„ quia ipſorum feſtinantium novitates intro-
„ ducere in Eccleſia, quod neque quatuor
„ Synodi venerabiles, neque Sancti Leonis
„ Papæ Epiſtolæ continere noſcuntur, in om-
„ ni loco turbas excitare videntur.

563 „ Quamobrèm etiàm & à viris Reverendiſſimis Epiſcopis, & Diaconibus directis ab Apoſtolatu veſtro ad nos Angelus veſter deſtinare dignetur, & ipſos dignâ correctione perculſos, ut ſuperiùs dictum eſt, pellere jubeat. Ergò hæc petimus (ut ſicut ſupra dictum eſt) ipſas hujuſmodi literas per eundem portatorem ad nos dirigere magnoperè feſtinet. Sunt tamèn nomina eorum Achilles, Joannes, Leontius, Mauritius (ſive Maxentius.) Hæc noſtra eſt maxima ſollicitudinis cauſa, nè unitas, quam veſter labor, oratioque perfecit, per inquietos homines diſſipetur, ſperantes in Domino Deo, quià ſi quid eſt, quod adhùc à totius Orbis pace diſſentiat, hoc quoquè orationibus veſtris Apoſtolicæ Sedis communioni ſocietur.

564 „ Præſumentes autèm de Beatitudinis veſtræ benevolentia, paternam dilectionem nimiùm petimus, quatenùs Reliquiis Sanctorum Apoſtolorum tàm nos, quàm Baſilicam eorum hìc in domo noſtra ſub nomine prædictorum Venerabilium conſtructam, illuſtrare & illuminare largè dignemini; cognoſcentes quòd nullum nobis majus beneficium, nec munus præſtare poteſtis, Domine Beatiſſime Pater, quàm ſi hanc noſtram petitionem adimpleveritis, ſubitò autèm iter arripiente prędicto agente in rebus, etiàm duo pallia ſerica ad ornamentum Altaris Sanctorum Apoſtolorum direximus, quæ ſuſcipientes efficaciſſimis precibus veſtris noſtri jubete jugiter facere mentionem. *Hactenus Epiſtola Juſtiniani*. Sed cujus generis, & quænam fuerint poſtulatæ Sanctorum Apoſtolorum Rèliquiæ, indicant Apoſtolicæ Sedis Legati, in ſua data ad Hormiſdam ſuggeſtione ſub III. Kal. Julias, ità ſe habente.

Suggeſtio Legatorum ad Hormiſdam Papam.

565 „ Filius veſter magnificus vir Juſtinianus, res convenientes fidei ſuæ faciens, Baſilicam Sanctorum Apoſtolorum, in qua deſiderat & Beati Laurentii Martyris Reliquias eſſe conſtituit, ſperat per parvitatem noſtram, ut prædictorum Sanctorum Reliquias celeriter concedatis. Habuit quidèm petitio prędicti Viri ſecundùm morem Græcorum, & nos contrà conſuetudinem Sedis Apoſtolicæ expoſuimus. Accepit rationem. Et quià talis eſt fervor fidei ejus, qui meretur quidquid de Apoſtolica Sede depopoſcerit, & talis eſt, qui ſperat, undè & ſalus animæ & fidei effectus accreſcat, talibus deſideriis poſtulata competit non negare. Undè ſi & Beatitudini veſtrę videretur, Sanctuaria Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, ſecundùm morem, ei largiri præcipite; & ſi fieri poteſt, ad ſecundam cataractam ipſa Sanctuaria deponere, veſtrum eſt deliberare. Petit & de catenis Sanctorum Apoſtolorum, ſi poſſibile eſt, & de craticula Beati Laurentii Martyris. Iſta ſunt deſideria prædicti Viri: in hoc fides ipſius eſt incitata. Propter hoc in Urbem veſtram virum ſpectabilem Eulogium Magiſtrianum direxit, hoc ſibi ſatisfacere judicans, ſi de ipſo fonte, de quo per omnem terram Sanctuaria Apoſtolorum ſunt data; indè & ipſe Reliquias ſuſcipere mereatur. Et benè facitis cauſam Eccleſiaſticam magnoperè in conteſtatione Dei tali homini commendare, cujus ſynceritas & integritas circà Religionem catholicam nota eſt omnibus hominibus. Hìc voluerunt capſellas argenteas facere & dirigere; ſed poſteà cogitaverunt, ut & hoc quoquè à veſtra Sede pro benedictione ſuſcipiat. Singulas tamèn capſellas per ſingulorum Apoſtolorum Reliquias fieri debere ſuggerimus. Data III. Kalend. Julias Conſtantinopoli. *Hactenus Legati*. Altera verò Juſtiniani Epiſtola talis eſt, videlicet.

Domino Sanctiſſimo, ac Beatiſſimo Hormiſdæ Juſtinianus vir clariſſimus.

566 „ Quidquid eſt cautius, quidquid firmius, ut pro ſancta fide & concordia ſacrarum Eccleſiarum geratur, optamus. Undè ad Beatitudinem veſtram & frater noſter glorioſiſſimus Vitalianus per Paulinum virum ſublimem defenſorem veſtræ Eccleſiæ reſcripſit, & nos per eundem ſignificare curavimus, illa debere Beatitudinem veſtram perficere, quę pacem & concordiam ſanctis concedant Eccleſiis. Subindè tamèn, qui certius reſponſum ad Sanctitatem veſtram referat, cum literis piiſſimi noſtri Imperatoris deſtinavimus. Nàm quanta quæſtio in partibus noſtris orta eſt, poteſt etiàm antelatus vir religioſus defenſor Sanctitatem veſtram inſtruere. Undè petimus, ut ſi eſt poſſibile, celerrimo dato reſponſo, & ſatisfactis religioſis Monachis, Joannem & Leontium ad nos remittatis; niſi enim precibus & diligentiâ veſtrâ iſta quæſtio ſoluta fuerit, veremur, nè non poſſit Eccleſiarum ſanctarum pax provenire. Ergò cognoſcentes, quià & merces & periculum hujus rei vobis ſervatur, diligenter tractate, & firmiſſimum reſponſum per antelatos religioſos Monachos, ſi eſt poſſibile, antequàm Legatus noſter ad Beatitudinem veſtram perveniat, nobis remittite: in hoc ſolo omnis pendet intentio. *Hactenus altera Epiſtola*. Verùm & tertiam ad hunc modum ſcripſit.

Do-

Domino Sancto meritis Beatiſſimo Juſtinianus vir clariſſimus.

567 Ut pleniſſima fidei perfectio doctrinâ Beatitudinis veſtræ nobis proveniat, iterùm Eulogium virum ſtrenuum agentem in rebus juxtà alias cauſas, etiàm hanc propter direximus, per quem valdè petimus, ut per omnia reſponſo Apoſtolatus veſtri circumſpecto, & cautiſſimo in confeſſione catholicæ fidei confirmetur. Poſt ſemel enim Divinâ Miſericordiâ donatam catholicæ Eccleſiæ unitatem, quidam aſſerunt, Chriſtum Filium Dei Dominum noſtrum pro noſtra ſalute carne crucifixum, unum de Trinitate debere prædicari; quod ſi ſuſcipiendum ſit, paternâ proviſione reverentia veſtra cautiſſimo ſuo reſcripto, quid ſequi, quidvè ſuper hoc evitare debeamus, nos certiorare dignetur, quoniàm verba videntur facere diſſenſionem; nàm ſenſus inter Catholicos omnes unus eſſe probatur.

568 „ Imponite igitur vobis ſemèl ſuſceptum laborem, Sancte, ac venerabilis Pater, etiàm in hoc prædeceſſores veſtros ſequentes, quorum memoriam & amplectimini & conſortio Pontificatus ornatis, & de hac intentione liberos nos properate reddere & ſecuros. *Hoc enim credimus eſſe Catholicum, quod veſtro religioſo reſponſo nobis fuerit intimatum.* Quià verò dictum eſt Scytichos Monachos hac ratione ad Sedem veſtram acceſſiſſe pro traditione Patrum, & ordine regularum, præbito eis reſponſo nihil formidante, ad nos cum veſtris literis jubete remittere. Quarum etiàm exemplaria conſignata prædicto viro ſtrenuo Eulogio dari præcipite. Hæc enim omnia ideò petimus vos diſponere cautiùs, ut nè locus mendacio, vel inſidiis detur: quoniàm ſummo cum deſiderio fidem Catholicam amplectentes, veſtra doctrina unitatem univerſo Orbi petimus condonare. *Hactenus Juſtinianus.*

569 Commorantibus Romæ Monachorum Legatis, has Juſtiniani literas accepit Hormiſda, & quoniàm nondùm adhùc patefecta ei fuerat eorum vafricies, quamvis illos mox remittere propoſuerit, aſſerentibus illis inſidias in itinere ſibi eſſe paratas, retineri decrevit ad Legatorum ſuorum uſque reditum. Ità S. Pontifex reſpondens ad ipſum Juſtinianum, ſub datis IV. Nonas Septembris, quibus in literis ſignificat quoquè ſe per earundem portatorem queſita tranſmittere Sanctuaria. Sunt verò literæ hujuſmodi.

Hormiſda Juſtiniano Viro Illuſtri.

570 „ Ità magnificentiæ veſtræ animum vigère novimus religionis affectu, ut beneficium à vobis in perfectione pacis Eccleſiæ velitis magis exigi, quàm rogari, judicantes meritis excellentiæ veſtræ proficere, quod vos generalitatis deſiderio contingit offerre. Undè & nos à vobis præſumptè quærimus tanquàm debitum, quod meritis veſtris novimus eſſe profuturum; & ideò, Domine Fili, ſub omni charitate ſalutantes, ſperamus ut immineatis operi, quod, Domino adjuvante, fundaſtis, memores Divini teſtimonii: *Qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit.*

571 „ Præntereà Monachos, quos veniſſe Romam ſignificaſtis, literis veſtris ad propria mox voluimus reverti. Sed quià ſub teſtificatione potentiæ Divinæ dicebant, per inſidias in itinere paratas vitæ ſuſtinere ſe poſſe diſcrimen, volentes redire Conſtantinopolim, paſſi non ſumus violenter expelli. Quapropter neceſſe habuimus venientibus Legatis noſtris, inquirere, qua reverà faciente causâ inter eos fuerit commota diſcordia.

572 „ Beatiſſimorum verò Apoſtolorum Petri & Pauli Sanctuaria, ſicut religioſiſſimo quæſiſtis affectu, per harum portitorem ſub omni veneratione tranſmiſimus; optantes orationibus eorum, ut mentis veſtræ oblatio, & deſideria gratiæ ſint Divinitatis accepta. Petimus itaquè, ut tàm de his quæ geruntur pro concordia, quàm etiàm de incolumitatis veſtræ bono nuncietis ſollicitudini noſtræ gaudium, currente paginâ literarum. Data IV. Nonas Septembris Eutharico V. C. Conſule. *Hactenus Hormiſda ad Juſtinianum.*

573 Intereà Monachi, qui Romæ degebant, ut ſe bonam cauſam apud Pontificem habere viderentur, quaſi pro catholica fide certantes, ad conficienda mendacia, hæreticorum more, animum adjecerunt, Victorem Diaconum atque Dioſcorum coràm Pontifice de hæreſis crimine accuſantes; cujus rei causâ placuit Hormiſdæ eoſdem non dimittere Monachos ante Legatorum adventum, reſcripſitque Juſtiniano, ut ageret cum clementiſſimo Imperatore, quatenùs & Victor Diaconus, ut dictum eſt, de hæreſi à Monachis Scythicis infamatum, Romam mitteretur, cauſam fortè ſuam coràm accuſatoribus dicturus. Ità in alia Epiſtola ad eundem Juſtinianum data, quæ talis eſt.

Hormiſda Juſtiniano Illuſtri.

574 „ Eulogio virò clariſſimo filio noſtro deferente, literas Celſitudinis veſtræ ſuſcepimus, eoque remeante debitum perſolventes ſalutationis officium, ſignificamus Scythas Monachos allegaſſe plurima, quæ nos relinquere indiſcuſſa non poſſumus; ſed Legatorum noſtrorum, Deo juvante, feſtinemus adventum: pro qua re eos in Urbe

„ credimus retinendos, à qua nec ipſi ordi-
„ natione diſſentiunt. Amplitudinem tamèn
„ veſtram retinere confidimus, quod de ipſis
„ nobis præterito tempore literis deſtinatis
„ ſcripſerint. In quorum allegationibus cum
„ Legatis remeantibus competẽter fuerimus
„ inſtructi, ſi quid reprehenſione dignum co-
„ gnitio noſtra repererit, neceſſe eſt, ut circà
„ eos teneamus Eccleſiaſticam Diſciplinam.
„ Victorem pretereà, qui Diaconi habere per-
„ hibetur officium, cujus fidem hi ipſi Mona-
„ chi vehementer accuſant, vel alios qui
„ perverſas forſitan obiiciunt quæſtiones, or-
„ dinatione Domini filii noſtri Clementiſſi-
„ mi Imperatoris, ad Urbem vobis ſuggeren-
„ tibus dirigantur, ut univerſas allegationes,
„ de quibus contendunt, nos poſſimus agno-
„ ſcere. *Hæc ad Juſtinianum Hormiſda.*

575 Scripſit eodem tempore per eundem Eulogium ad Dioſcorum Diaconum, & Apoſtolicæ Sedis Legatum, & quæ adverſùs eum ex Monachorum depoſitione acceperat, in iiſdem literis indicavit, addens ſibi viſũ fuiſſe Epiſcopo Conſtantinopolitano cauſam delegare, ut ipſe inter eos, & qui ab eis impetebantur, audiret. Quibus acceptis, Dioſcorus reſcripſit Pontifici, refutans quæ adverſùs eum Monachi detulerant, cauſam Victoris Diaconi exponens, ac deniquè, ut ſe in puritate catholicę fidei adhùc permanere oſtenderẽt, in eiſdem literis ſuæ fidei profeſſionem inſerere voluit. Sunt ergò Dioſcori literæ tenoris ſequentis:

Suggeſtio Dioſcori Diaconi ad Hormiſdam Papam.

576 „ Per Eulogium virum ſublimem li-
„ teras Beatitudinis veſtræ ſuſcepimus, in
„ quibus ſignificaſtis intentionem Monacho-
„ rum Scytharum, & quomodò viſum fuerit
„ Apoſtolatui veſtro Epiſcopo Conſtantino-
„ politano cauſam delegare, ut ipſe inter eos,
„ & qui ab eis impetuntur, audiret: mihi qui-
„ dèm non diſplicuerat, quià ubi conſcientia
„ cum Dei adjutorio, nulla formidine terre-
„ tur, à nullo debet declinare, imò magis fe-
„ ſtinare, ut per examen, quod verum eſt, om-
„ nibus manifeſtetur.

577 „ Significaſtis mihi ab illis conteſta-
„ tionem datam, ut non mihi hæretici junge-
„ rentur. Quos dicunt hæreticos ego ignoro,
„ niſi illos fortè, qui Synodum Chalcedonenſẽ
„ ſuſcipiunt, quos ego Catholicos dico. Vi-
„ ctor Diaconus dicitur; quidam cum iſto
„ antequàm nos Conſtantinopolim ingrede-
„ remur, habuerunt contentionem de uno de
„ Trinitate crucifixo, & de Chriſto compo-
„ ſito, & de aliis capitulis à nobis hic poſi-
„ tis: obtulerunt contrà ipſum Libellum tàm
„ nobis, quàm Epiſcopo Conſtantinopolita-
„ no. Convenimus in domum Epiſcopi, ut
„ inter eos intentionem, quæ vertebatur,
„ agnoſceremus, Prædictus Epiſcopus Sy-
„ nodum Chalcedonẽſem protulit: legit ante
„ omnes omnia quæ ſunt in eodem Concilio
„ conſtituta, dicens: Præter iſta nihil mihi
„ aliud dicatur. Qui ſequitur iſta, poteſt in-
„ ter Catholicos eſſe. Victor reſpondit: ſu-
„ ſcipio ſimiliter & Epiſtolas Papæ Leonis,
„ & Sancti Cyrilli Epiſtolas Synodales, quæ
„ ſunt in Chalcedonenſi Concilio allegatæ
„ & manu ſubſcribo, & Sacramentis confir-
„ mo iſta me ſuſcipere, & præter iſta nihil
„ aliud prædicare: & ſi inventus fuero ali-
„ quandò extrà iſta aliud prædicans, nullam
„ circà me peto miſericordiam. Scythæ è
„ contrà inchoaverunt dicere: Addatur &
„ unus de Trinitate. Nos è contrà diximus:
„ Quod non eſt in quatuor Conciliis defini-
„ tum, nec in Epiſtolis Beati Leonis Papæ
„ nos nec dicere poſſumus, nec addere. Di-
„ ſplicuit hoc dictum. Victor autèm utrùm
„ ſincero animo hæc diceret an doloſè, quis
„ noſſe poteſt, niſi qui corda cognoſcit? Ver-
„ ba iſta nos audivimus, Dei eſt animum ju-
„ dicare. Poſteà ſinè nobis magnificus vir
„ Vitalianus Magiſter militum inter ſe &
„ Epiſcopum Conſtantinopolitanum vocave-
„ runt prædictum Victorem, locuti ſunt
„ cum eo: quid definierint inter ſe, neſcimus.
„ Poſteà nec Victor ad nos venit, nec eſt
„ cauſa dicta.

578 „ Iſti tamèn Scythæ, ſciat Beatitu-
„ do veſtra, omnes qui accipiunt Synodum
„ Chalcedonenſem, Neſtorianos dicunt, di-
„ centes: non ſufficit Synodus contrà Neſto-
„ rium, & ſic debere Synodum ſuſcipere quo-
„ modò ipſi expoſuerint: qui homines quales
„ ſunt, & quales intentiones habent, & quid
„ volunt in fide Catholica introducere, cum
„ Dei adjutorio manifeſtatum eſt omnibus
„ Catholicis: nec indiget cauſa mea labore,
„ quam pro ſua miſericordia Deus produxit
„ ad lucem.

579 „ Ego quod à Patribus didici, quod
„ ſemper Eccleſia Catholica ſervavit, non
„ tacui, non abſcondi. Unus eſt Deus, de quo
„ Moyſes loquitur, dicens: *Audi Iſrael, Do-*
„ *minus Deus tuus, Deus unus eſt.* Et in alio
„ loco ait: *Dominus ſolus docebat eos.* Unius
„ ſubſtantiæ credimus Trinitatem, quomo-
„ dò prædixi, unam Deitatem, tres Perſo-
„ nas, quià nec plures Deos dicimus, cre-
„ dentes unum Deum eſſe, ideſt, Patrem &
„ Filium & Spiritum Sanctum, nec tres Per-
„ ſonas negamus, nè Sabellii dogma videa-
„ mur ſequi, Verum eſt perſonam Filii, ideſt
„ Verbi Dei, conſubſtantialem Patri, & ipſa
„ caro facta eſt; ipſa in utero Mariæ habita-
„ vit; ipſa naturam humanam ſuſcepit ſine
„ peccato: Ipſe Filius Dei homo factus, na-
„ tus eſt de Virgine Maria; propterquòd
„ eam Dei genitricem dicimus & credimus,
„ quià unitas Divinitatis & Humanitatis,
„ quæ fieri cœpta eſt, ex quo Mariæ Ange-

lus

„ lus Gabriel annunciavit, dicens: *Ave Maria gratia plena*; *Spiritus Sanctus ſuperveniet in te, &c.* non tantùm in utero non eſt diviſa, ſed nec in partu, nec in nutrimentis, nec in paſſione, nec in ſepulcro, nec in Reſurrectione, nec in Cœlo ſeparata eſt; quià unus eſt Filius Dei Dominus noſter Jeſus Chriſtus, non in perſona diviſus, non in naturis ſeparatus, neque in potentia diverſus. Idem eſt namque & ſuſtinens paſſionem, quià omnes homines, aut dividens, quemadmodùm Neſtorius; aut negans, quomodò Eutyches; aut minùs Incarnationem credens, quomodò Apollinaris; aut phantaſiam introducens, quomodò Manes, à fide catholica ſunt inciſi; homines operarii iniquitatis, & hoſtes doctrinæ Apoſtolorum.

580 „ Iſta didici, iſta audivi à Majoribus noſtris: & ſi fortè extrà iſta quid debeamus ſequi, ignoro, exponente Beatitudine veſtra, neceſſe eſt me ſequi. Maxentius tamèn, qui ſub Abbatis vocabulo dixit ſe congregationem habere, ſi interrogetur aut cum quibus Monachis vivit, aut in quo Monaſterio, aut ſub quo Abbate Monachus factus eſt, dicere non poteſt. Similiter & ſi de Achille dicere voluero, rem facio ſupervacuam; cui ſufficit ſemper latère propter conſcientiam ſuam ab omnibus Catholicis damnatam. Data Idibus Octobris, Eutharico Conſule. Accepta xv. Kalen. Decembris, Ruſtico V.C. Conſule. *Hactenus Dioſcori ſuggeſtio*.

581 At Legati Monachorum, juſſi, ut dictum eſt, Legatorum Apoſtolicæ Sedis expectare reditum, cùm cognoviſſent ſe malam fovère cauſam, fugam arripere tentarunt: verùm re ad Pontificem delata, eos reſtringi, & uſque ad Legatorum ſuorum reditum cuſtodiri juſſit, ut ipſemet Hormiſda teſtatur in Epiſtola 63. ad eoſdem Legatos, data III. Nonas Decembris, in cujus fine hæc habet: „ De perſonis Scytharum Monachorum Juſtinianus vir illuſtris nobis ſcripſit, quarum exemplaria literarum fraternitati veſtræ direximus, qui cùm nollent ſuſtinere veſtræ dilectionis adventum, & obſervationum moras ſe dicerent ferre non poſſe, tentaverunt clàm de Urbe diſcedere; quos tùm non fecimus ſollicitiùs cuſtodiri, ea, quæ de vobis contraria dixerunt, volentes agnoſcere, ut cùm reverſi, Deo propitio, fueritis, eorum error rationabilibus adhortationibus corrigatur. *Hæc Hormiſda*. Hæc quidèm non ferentes Monachi, varias turbas Romæ excitarunt, novas de Religione quæſtiones proponentes, zizaniam diſcordiarum in populum diſſeminantes, ac plura alia perpetrantes, quæ Hormiſda in literis recenſet datis ad Poſſeſſorem Epiſcopum Afrum temporis ſequentis,

Hormiſda Poſſeſſori Epiſcopo.

582 „ Sicut rationi congruit, ut conſulant ambigentes, ità par eſt reſpondère conſultos, quià ipſe impellit in errorem, qui non inſtruit ignorantem; nec quidquam aptius eſt ſtudioſo Religionis, quàm inquiſitio veritatis, quandò faciliùs devium vitat, qui iter, per quod graditur, rogat. Sed priuſquàm reſpondendi curam de his, quæ dilectio tua percunctatur aggrediar, libenter in literis tuis fidei tuæ me fateor inveniſſe fervorem, cujus calore ſuccenſus redivivam in illis partibus infidelium perverſitatem vigère ſuſpiras. Digniſſimus dolor, qui dedita Deo corda contriſtet; nec enim eſt apud eos lapſus inlamentabilis, quibus eſt igniculus charitatis; quià unum ſpiritualium votum eſt ſalus inconcuſſa cunctorum. Sed non eſt ignota Eccleſiæ Dei de hujuſmodi procellis, aut inſueta tempeſtas; & quamvis rectoris ſui gubernaculo inconcuſſa perſiſtat, variis tamèn inſurgentium fluctuum laborat vexata turbinibus. Nàm undè eſt pſalmidici vox Prophetæ, qui ipſius Eccleſiæ perſonam ſpiritu, quo impellebatur, aſſumens: *Sæpè*, inquit, *expugnaverunt me à juventute mea*; *etenim non potuerunt mihi?* Concutiunt, ſed in nihilo prævalebunt; adhùc in area ſumus, mixta ſunt frumenta cum paleis, gemunt boni conſortia malorum, ſed ſupereſt flamma non neceſſariis, & parata ſunt horrea jàm probaris. Ubi terrarum non eſt iſta permixtio? Nos fixis decet inſiſtere veſtigiis: proficiemus inter adverſantes propriis bonis, ſi erroribus non involvamur alienis. Probat enim virtutis ſuæ validum robur, qui cùm impellitur, non movetur.

583 „ Ubi non variæ tentationis aculei? Quales per hunc ferè jugem annum quorundam Scytharum, qui Monachos præſeferebant ſpecie, non veritate; profeſſione, non opere, ſubtili tectas calliditate verſutias, & ſub Religionis obtentu famulantia odiis ſuis venena pertulimus, ſtudentes eos ab interno vulnere medicabilis patientiæ moderamine ſanare, Beati Pauli monita non tacentes: *Noli verbis contendere*; *ad nihil enim utile eſt*, *niſi ad ſubverſionem audientium*. Sed quandò virus, quod viſcera penetravit, evellitur? Quandò corda malè ſibi credula veritatis obtemperant inſtitutis? Quandò induit obedientiæ humilitatem opinionibus ſuis vallata ſuperbia? Quandò acquieſcunt paci contentionum ſtudiis aſſueti, ſola certamina amantes de Religione captare, & mandata negligere? Nunquàm apud eos charitas novo commendata præcepto, nunquàm pax dominico relicta diſceſſu, una pertinacis cura

pro-

„ propoſiti, rationi velle imperare, non credere; contemptores auctoritatum veterum, „ novarum cupidi quæſtionum; ſolam putantes ſcientiæ rectam viam quâlibet conceptâ „ facilitate ſententiam: euſquè tumoris elati, ut ad arbitrium ſuum utriuſque Orbis „ putent inclinandum eſſe judicium; nec in „ numero fidelium deputantes ſequaces traditionis paternæ, ſi ſuæ viderint cedere „ nolle ſententiæ; docti crimina ferere, obtrectationum venena componere, integrum Eccleſiæ corpus odiſſe, ſeditiones inſtruere, invidiam concitare, & pro obedientia, quæ in cœnobiis Principatum regularis obtinet diſciplinæ, obſtinationem „ pertinacis amare ſuperbiæ.

584 „ Non illos potuimus monitis, non „ manſuetudine, non auctoritate comprimere. In publicum uſquè prodiere conventum, ad concuſſionem quietis circà Regum etiàm ſtatuas inclamantes; & niſi fidelis populi conſtantia reſtitiſſet, per diabolicæ ſemina nefanda zizaniæ apud illos „ diſſenſionem & diſcordiam commoviſſent, „ per quos adjutorio Dei de Religione eorum eſt pulſa diſſenſio. De eis ſerò probavimus propheticâ Apoſtolum voce dixiſſe: „ In noviſſimis diebus inſtare tempora periculoſa, & fore homines tantùm ſui amatores, habentes formam pietatis, virtutem autèm ejus abnegantes; itaquè eſſe vitandos. Hæc ideò dilectioni veſtræ indicanda ſub occaſione credidimus, nè, ſi illùc fuerint fortè delati, ignorantes quemadmodùm ſe in Urbe Romana tractaverint, ſub aliqua verborum ſimulatione deciperent.

585 Hec itaquè in prælibata Hormiſdæ Epiſtola de geſtis Scytharum Monachorum in Urbe Roma. Proſequitur indè Pontifex reſpondère ad Conſulta Poſſeſſoris circà librum Fauſti Epiſcopi, quem à Romana Eccleſia nullatenùs recipi declarat; ſed & prædicti Monachi dignoſcentes ſe non poſſe Legatorum Apoſtolicæ Sedis ferre præſentiam, veriti, nè per eos convincerentur hæretici, ante illorum adventum Roma ſe ſubducere ſunt conati; proindè opportunitatem temporis nacti, publicis affixis conteſtationibus, duodecim anathematiſmos continentibus, qui in Maxentii Scythæ ſcriptis inſerti leguntur, clàm arreptâ fugâ ab Urbe diſceſſerunt. Indè propter allegatam Hormiſdæ Epiſtolam ſcripſit Maxentius adversùs illam Apologiam mendaciis refertam; quod cùm per eam perſtringi videretur, negavit in primis eſſe à Pontifice ſcriptam, ſed ab adverſariis ſub Hormiſdæ nomine confictam: ex quo factum eſt, ut Joannes Cochlęus vir aliundè doctus, & hæreticorum noſtri temporis egregius refutator; deceptus ab ejuſmodi Apologia, quam à catholico Viro exaratam credidit, & ipſe quoquè abjudicavit Hormiſdæ; cùm aliundè ex ſtylo, & ſerie hiſtoriæ, ex ratione quoquè argumenti, conſtet eſſe Hormiſdæ. Dicit inſuper in eadem Apologia, ſe cum ſuis à defenſore fidei Roma expulſum, quod quidèm pariter manifeſtum eſt mendacium; cùm ex ſuperiùs dictis conſtet, Pontificem eos retinere voluiſſe uſque ad adventum Legatorum, quinimmò fugam tentantes reſtringi juſſiſſe, atque cuſtodiri. Expoſuit inſuper Maxentius in eodem ſcripto, Dioſcorum & alios Apoſtolicæ Sedis Legatos aſſeruiſſe, ſic Chriſtum unam eſſe perſonam in Trinitate, ut non fateri voluerint Chiſtum eſſe Deum Verbum, ſe æquivocè intelligere eos vocem perſonæ, non pro ſuppoſito, ſive ſubſiſtentia, ſed quempiam alterum repręſentantem appellare perſonam. Sed accipe Maxentii verba. „ Loci opportunitas exigit à nobis, qualiter „ & cùr hæretici, ex quibus cùm unus Dioſcorus unam perſonam prædicantes Chriſtum ex Trinitate: unum ex Trinitate „ Chriſtum confiteri nullatenùs acquieſcant. „ Et indè. Perſonam igitur Dei verbi habere aſſerunt Chriſtum, non autèm quòd ipſe Deus Verbum ſit Chriſtus; ſicut perſonam Dei videbatur habere Propheta, qui „ dicebat ad Iſrael: *Audi populus meus, & loquar Iſrael, & teſtificabor tibi: Deus, Deus tuus ego ſum, &c.* Secundùm hunc ergò modum unam perſonam aſſerunt hæretici eſſe „ ex Trinitate, non quod hic Chriſtus unus „ ſit ex Trinitate, ſed quia Verbi Dei in ſe „ habitantis perſonam habeat, quæ una eſt „ ex Trinitate; ut ſic Vicarius quodammodo, ſive Miniſter ſit Verbi Dei Chriſtus, „ non autèm ipſe Deus Verbumt ſit Chriſtus. *Hæc Maxentius*, qui de calumnia convincitur ex ipſa Dioſcori fidei confeſſione inſerta in ſuprà ejuſdem Dioſcori Epiſtola recenſita ad Hormiſdam Papam data. Hęc itaquè quantum ad Scytharum Monachorum geſta, quorum cauſa nunquàm abſoluta, niſi in V. Generali Conſtantinopolitana Synodo ſub Juſtiniano Principe celebrata.

CAPUT XVII.

An dicere, unum de Trinitate paſſum, ſive Crucifixum, adverſetur Catholicæ Fidei.

586 EXcitatâ, ut diximus, à Monachis Scythis controverſiâ de uno ex Trinitate crucifixo, reſiſtentibus hujuſmodi novitati, aut novo modo loquendi Apoſtolicæ Sedis Legatis primùm, indè ipſo Pontifice Hormiſda, non otioſum erit examinare, an modus iſte loquendi, hæreſim, aut errorem involvat aliquem fidei catholicæ adverſativum, & quatenùs errorem non involvat, quarè nec Legati, nec Pontifex hanc locutionem admittere voluerint. Et certè per ſe, nec

nec

nec hæreſim, nec errorem involvere videtur. Etenim Maxentius in ſeptem Capitibus ſuæ Confeſſionis Fidei, quam adjecit ad Epiſtolam datam ad Epiſcopos Afros, cujus initium, *utile & pernecceſſarium*, exponens quartum Caput, quod erat de uno ex Trinitate crucifixo, ſic ait: „ Trinitas etiàm poſt Incarnationis Myſterium Trinitas manſit, quià idem Deus Verbum etiàm cum propria carne unus eſt ex Trinitate, non quòd caro ejus ſit de ſubſtantia Trinitatis, ſed quià caro Dei Verbi eſt, qui eſt unus ex Trinitate. *Hæc Maxentius*, cui expoſitioni non diſſenſerunt Epiſcopi Afri, qui totam fidei confeſſionem illius etiàm approbaverunt.

587 Porrò eandem locutionem admiſiſſe Proclum Archiepiſcopum Conſtantinopolitanum in Epiſtola data ad Joannem Epiſcopum Antiochenum, auctor eſt Liberatus in Breviario Cap. 10. ſic dicens: „ Scripſit autèm idem Proclus Epiſtolam ipſi Joanni, cui & tomum ſuum direxerat, in qua dicit, dicentes autèm iterùm paſſibilem Deum, ideſt Chriſtum, confitemur eum non eſſe paſſum quod eſt, ſed quod factum eſt, ideſt propriâ carne: & ità prædicantes nullo modo fallimur; quoniàm quidèm & unum ex Trinitate ſecundùm carnem crucifixum fatemur, & Divinitatem paſſibilem minimè blaſphemantes, &c.

588 Poſt hæc verò Juſtinianus Imperator in Edicto fidei dato ad Epiphanium Epiſcopum Conſtantinopolitanum, utitur eadem locutione, dum ait: „ Pauci quidam infideles, & alieni à Sancta Dei Catholica & Apoſtolica Eccleſia contradicere judaicè auſi ſunt adversùs ea, quæ ab omnibus Sacerdotibus rectè obſervantur, probantur, & annunciantur; negantes Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum unigenitum Filium Dei & Deum noſtrum incarnatum ex Spiritu Sancto & Sancta Glorioſa, ſemperque Virgine & Deipara hominem factum & crucifixum unum eſſe Sanctæ & conſubſtantialis Trinitatis coadorandum & conglorificandum Patri & Sancto Spiritui, conſubſtantialem Patri ſecundùm Deitatem, conſubſtantialem nobis ſecundùm humanitatem, paſſibilem carne, eundem impaſſibilem Deitate. *Hæc & alia ſimilia Juſtinianus*.

589 At occaſione hujus Confeſſionis, ſive Edicti Fidei, fluctuantibus nonnullis Eccleſiæ Romanæ Clericis, nùm Juſtiniani locutio de uno ex Trinitate crucifixo foret admittenda, quam inſtantibus Scythis Monachis admittere renuit Hormiſda, Anatolius Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Diaconus conſuluit Ferrandum Diaconum Carthaginenſem virum doctrinâ conſpicuum, & Sancti Fulgentii Diſcipulum, qui datâ Epiſtolâ ad ipſum Anatolium, ſic ad quæſitum inter multa reſpondit: „ Propter iſtos iſta dixi; qui nunc audientes unum de Trinitate paſſum, dicunt, adde ſecundùm carnem: quaſi aliter intelligi debeat, etiàmſi ego non addam, vel addere multùm neceſſarium ſit, quod etiàmſi non additur, apparet. Libenter autèm exigi à me patior, quod ultrà addere ſum paratus. Incunctanter profert lingua, quòd retinet conſcientia. Unus de Trinitate Filius Dei Jeſus Chriſtus, qui eſt una perſona de tribus perſonis, paſſus eſt ſecundùm carnem. *Et poſt multa ſubjungit:* Supereſt nunc in concluſione hujus voluminis eiſdem duabus ſententiis, de quibus inter ſe diſputantium fratrum prolixa ſit altercatio, nè qua remanere vel ſuſpicioſis videatur ambiguitas, dare quandam fidei regulam, qua præcedente, ſimplicitas loquentium manifeſtetur, & audientium removeatur ſcandalum. Dicturus ergò unum de Trinitate paſſum, addat priùs: Omnipotentis Dei unam ſubſtantiam, tres eſſe perſonas, ex quibus una perſona, ideſt Filius Dei permanens, homo factus, natus & paſſus ſit, neque Patre, neque Spiritu Sancto pariter incarnato; quamvis opus noſtræ redemptionis tota fuerit Trinitas operata. *Hæc Ferrandus*. Ex quo liquet, non damnare locutionem illam, quæ dicit, *unum de Trinitate paſſum*, licèt ad majorem cautelam, & ad auferendam omnem ambiguitatem conſultiùs ſit addere, ſecundùm carnem.

590 Et ſanè Joannes hujus nominis II. receptâ Juſtiniani Epiſtolâ per Hypatium atque Demetrium Epiſcopos Imperatoris fungentes Legatione, delatâ atque in ea lectâ fidei confeſſione ejuſdem, non rejecit locutionem de uno ex Trinitate paſſo, ſed integram & verè catholicam approbavit, ut liquet ex ejuſdem Joannis Epiſtola, data Avieno Senatori, Liberio, Severino, & aliis Viris illuſtribus, cujus initium, *olim quidèm illuſtres & magnifici Filii*, ubi inter alia hæc habet: „ Nunc tamèn, nè quid de veſtris ſenſibus relinquatur ambiguum, quid Epiſtolæ tenor habeat, quid textus dogmatis contineat, breviter inſinuare curavi. Juſtinianus ſiquidèm Imperator filius noſter, ut ejus Epiſtolæ tenore cognoviſtis, de his tribus quæſtionibus orta certamina fuiſſe ſignavit: Utrùm unus ex Trinitate Chriſtus & Deus noſter dici poteſt: hoc eſt, una de tribus perſonis Sanctæ Trinitatis Sancta Perſona. An Deus Chriſtus carne pertulerit impaſſibili Deitate. An propriè & veraciter Mater Domini noſtri Jeſu Chriſti Maria ſemper Virgo debeat appellari. Probavimus in his catholicam Imperatoris fidem, & ità eſſe Propheticis & Apoſtolicis, vel Patrum exemplis evidenter oſtendimus. Unum enim ex Sancta Trinitate Chriſtum eſſe, hoc eſt, unum de tribus Sanctæ Trinitatis Perſonis, ſanctam eſſe Perſonam,

quam

„ quam Græci Hypoſtaſin dicunt, in his „ exemplis evidenter oſtendimus. *Hæc Joannes*, ſubjungens poſteà diverſa teſtimonia, & indè concludens, refert Procli teſtimonium, qui ait: „ Quid enim nos ſapimus atque ſentimus, quià in ipſa Divina natura, qua „ conjunctus & unitus eſt Filius Patri, Sanctoque Spiritui, non dicimus eum Deitate „ paſſum fuiſſe, ſed carne, quam pro nobis „ aſſumpſit ex nobis. Unus igitur ex Trinitate crucifixus eſt carne, qua factus eſt, „ non tamèn Deitate, qua unitus eſt Patri „ & Spiritui Sancto, perpeſſus eſt, nè & illos crucifixos pariter afferamus.

591 Cœterùm ex vi argumentationis ejuſmodi locutionem admittendam concluditur. Negari quidèm ſine fidei jactura non poteſt Chriſtum eſſe unam perſonam de Sancta Trinitate; non enim admittitur in Chriſto perſona humana, ut impius Neſtorius blaſphemabat, ſed unica eſt in Chriſto perſona, & illa Divina eſt, Dei ſcilicet Verbi, quæ una eſt de Sancta Trinitate. Undè Paulus 1. ad Corinth. cap.8. *Unus Deus Pater*, inquit, *ex quo omnia & nos in ipſo: & unus Dominus noſter Jeſus Chriſtus, per quem omnia, & nos per ipſum*. Omnia per Jeſum Chriſtum propter perſonam Verbi in eo; nàm, ut ait Joannes in Evangelio cap. 1. de Dei Verbo dictum eſt, *omnia per ipſum facta ſunt*, inquiens: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum: omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt*. Nec filius Dei eſſet, nec dici poſſet, quomodò Catholica fides illum prædicat, niſi perſona Verbi eſſet, nàm ſola Dei Verbi perſona filius Dei eſt; ac ideò Chriſtus Dominus noſter, quià perſona Dei Verbi eſt, rectè filius Dei eſt & dicitur. Itaquè recta argumentatio eſt: Chriſtus eſt una perſona de Sancta Trinitate, atqui Chriſtus paſſus eſt: ergò una perſona de Sancta Trinitate paſſa eſt; quòd ſi negetur hæc conſequentia, fiat reductio argumenti per impoſſibile, & dicatur: Una perſona de Sancta Trinitate non eſt paſſa, atqui Chriſtus eſt una perſona de Sancta Trinitate, ergò Chriſtus non eſt paſſus. Sivè ſic; nulla perſona de Sancta Trinitate eſt paſſa, ſed Chriſtus eſt una perſona de Sancta Trinitate, ergò Chriſtus non eſt paſſus: ſequitur ergò hæretica concluſio.

592 Sed dicent fortè, cùr Hormiſda ejuſmodi locutionem, ſi verè catholica, illam proponentibus Monachis Scythis damnavit, atque rejecit? Dicendum, Hormiſdam illam non damnaſſe, nec conſtat à Pontifice fuiſſe damnatam, ſed tantùm noluiſſe admittere, ut inſiſtebant Monachi Scythæ: & quidèm rationabilibus de cauſis; nàm in primis Monachi Scythæ afferebant, in Concilio Chalcedonenſi non fuiſſe ſufficienter proviſum contrà Neſtorii errorem, ac proindè pernecеſſarium judicabant, ut eidem Concilio fieret additio, de uno de Sancta Trinitate paſſo. Hoc ſanè temerarium erat, calumniamque Concilio, & ſexcentis Patribus, qui eidem interfuerunt inferens. Eorum ergò procacitati, arrogantiæ, atque temeritati obſiſtens Hormiſda, tale propoſitum additamentum meritò admittere recuſavit: ſuſpicans ex hoc de aliquo Monachorum dolo, quorum fides ſuſpecta erat, cùm viderentur in Eutychianiſmum declinare; poterantque ex tali admiſſo additamento ſubdolè Eutychetis hæreſim confirmare; quæ ſuſpicio augebatur ex eo, quòd, ut ſcribit Ferrandus Diaconus Carthaginenſis in prælaudata Epiſtola ad Anatolium Eccleſiæ Romanæ Diaconum, ipſe Eutyches in Synodo Chalcedonenſi petierit Apocrifariis S.R.Eccleſiæ, ut hujuſmodi additamentum fieret; necnon & Anaſtaſium Imperatorem Eutychianâ labe infectum hoc idem poſtulaſſe, refert Dioſcorus Apoſtolicæ Sedis Legatus in ſuggeſtione ad Hormiſdam de controverſia Monachorum Scytharum, ſuprà à nobis recenſita.

593 Sufficienter inſuper fuiſſe proviſum in Synodo Chalcedonenſi adversùs Neſtoriũ, aliaſque præcedentes hæreſes, ipſum fidei decretum à Patribus editum in fine Actionis 5. palàm oſtendit. In eo namquè, recitatis Symbolo Nicæno, ac altero Symbolo Conſtantinopolitano receptis atque confirmatis, & recenſitis hæreticorum præcipuè Eutychetis atque Neſtorii blaſphemiis, ſic definitum legitur: „ Sequentes igitur Sanctos Patres, „ unum eundemque confiteri Filium & Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum conſonanter omnes docemus, eundem perfectum in „ Deitate, & eundem perfectum in humanitate, Deum verum & hominem ex anima „ rationali & corpore, conſubſtantialem Patri ſecundùm Deitatem, conſubſtantialem „ nobis eundem ſecundùm humanitatem, per „ omnia nobis ſimilem abſque peccato: ante „ ſæcula quidèm de Patre genitum ſecundùm „ Deitatem, in noviſſimis autèm diebus eundem propter nos, & propter noſtram ſalutem ex Maria Virgine Dei Genitrice ſecundùm humanitatem, unum eundemq; Chriſtum, Filium, Dominum, Unigenitum, „ ex duabus naturis inconfusè, immutabiliter, indiviſè, inſeparabiliter agnoſcendum; „ nuſquàm ſublatâ differentiâ naturarum „ propter unitionem, magiſque ſalvâ proprietate utriuſque naturæ, & in unam perſonam atque ſubſiſtentiam concurrente: „ non in duas perſonas partitum, aut diviſum, ſed unum eundemque Filium & Unigenitum Deum Verbum, Dominum Jeſum „ Chriſtum, ſicut antè Prophetæ de eo, & „ ipſe nos Jeſus Chriſtus erudivit, & Patrum „ nobis Symbolum tradidit. His igitur cum „ omni undiquè ſcrupuloſitate exactâ curâ

& di-

„ & diligentiâ à nobis diſpoſita, definivit „ ſancta & univerſalis Synodus, alteram „ fidem nulli licere proferre, aut conſcribe„ re, vel componere, aut ſentire, aut alios docere. *Hactenus Definitio Fidei*, ubi poſteà aliter ſentientes anathematizantur. Ex qua liquet Neſtorianæ blaſphemiæ, præciſo quocumque novo additamento, fuiſſe ſufficienter proviſum; cùm enim Neſtorius diceret duas in Chriſto perſonas, ſicut & duas naturas, humanam ſcilicet, & Divinam; definientibus Patribus unam tantùm in Chriſto perſonam in duabus naturis, & hanc Divinam, nimirùm Dei Verbi, ad refellendam Neſtorianam hæreſim non opus erat quidquam novum addi.

594 Minùs quoquè quidquam addendum eſſe videtur ad perfectam refutationem doctrinæ Neſtorii, ſi attendatur doctrina Sancti Leonis Magni in Epiſtola Synodica data ad Flavianum Epiſcopum Conſtantinopolitanum, cujus initium: *Lectis dilectionis tuæ literis*, relectâ & receptâ Act.2.Concilii Chalcedonenſis, ubi inter plura de fide à Sancto Pontifice exarata, expoſitâ adversùs Neſtorium doctrinâ catholicâ de unitate perſonæ in Chriſto ſub §.5. ſubjungit: „ Propter hanc „ unitatem perſonæ in utraque natura in„ telligendam, & Filius Hominis legitur „ deſcendiſſe de Cœlo, cùm Filius Dei car„ nem de ea Virgine, de qua eſt natus, aſ„ ſumpſerit. Et rursùs, Filius Dei cruci„ fixus dicitur ac ſepultus, cùm hæc non „ in Divinitate ipſa, qua Unigenitus con„ ſempiternus & conſubſtantialis eſt Patri, „ ſed in naturæ humanæ ſit infirmitate per„ peſſus. Undè Unigenitum Filium Dei „ crucifixum & ſepultum omnes etiàm in „ Symbolo confitemur, ſecundùm illud „ Apoſtoli dictum: *Si enim cognoviſſent, nunquàm Dominum Majeſtatis crucifixiſſent*. Hæc Beatus Leo. Dicente ergò Sancto Pontifice Filium Dei crucifixum, atque ſepultum, ex conſequenti aſſeruit unum de Trinitate crucifixum & ſepultum; nàm Filius Dei unus eſt de Trinitate. Non ergò neceſſaria erat nova & explicita illa additio ad refutandam Neſtorii hæreſim de uno de Trinitate crucifixo, ſi tùm ex definitione Concilii, tùm ex doctrina Beati Leonis hoc idem colligi poterat. Urgentibus ergò Monachis Scythis faciendam hujuſmodi additiotionem, quaſi in Chalcedonenſi Synodo non fuerit ſufficienter proviſum contrà hæreſim Neſtorii, locum ſuſpicandi dederunt ſubdolè hoc ab eis poſtulari, nec ſine aliquo perverſo fine, aut ſiniſtra intentione, ratione cujus ſuſpicionis repelli meruerunt.

595 Deniquè prælibatam locutionem, quæ dicit unum de Trinitate paſſum & crucifixum, potuiſſe ſiniſtram habere interpretationem, tradit Ferrandus Carthaginenſis Diaconus in ſæpè citata ad Anatolium Diaconum Eccleſiæ Romanæ Epiſtola, qui triplici de cauſa in malum ſenſum accipi potuiſſe tradit. Primò intepretando aliam eſſe Trinitatem, alium unum de Trinitate, ſicut alia eſt Civitas, & alius unus eſt de Civitate: „ Recordor aliquandò (inquit) triplicem me „ intellexiſſe cauſam, quæ dubitare quoſ„ dam de hac ſententia cogeret. Prima ſci„ licet, nè quadam ſeparatione intercedente „ alia eſſet Trinitas, & alius qui unus eſſet „ de Trinitate; ſicut alius eſt Pater, alius eſt „ Filius, quandò de Patre Filius eſſe dicitur; „ & alia Civitas, aliuſque homo, qui de Ci„ vitate eſſe narratur. *Hæc Ferrandus*. Et meritò propter doctrinam Diſcipulorū Theodori Epiſcopi Mopſueſteni aſſerentium, Chriſtum Dominum Filium Dei eſſe, non tamèn unum ex Trinitate, ſed alium à Trinitate, prout Dionyſius Exiguus in Epiſtola ad Paſtorem adnotat, inquiens: „ Temporibus „ Antiſtitis nominati (ideſt Procli) Theodo„ ſio Imperatore regente Rempublicam, per „ Syriam & Armeniam Diſcipuli Theodori „ Mopſueſtenæ Civitatis Epiſcopi, pravam „ fidem, corrupto Symbolo, rudibus popu„ lis exorſi ſunt intimare, calliditate ſubti„ liſſima Beatam Trinitatem ſic unius eſſen„ tiæ prædicantes, ut Chriſtum Dominum „ noſtrum, unum ex Trinitate nullatenùs „ faterentur, undè ſequebatur hæc inepta „ ſuæ temeritatis abſurditas, ut quia Chri„ ſtum conſtat unum eſſe Deum ac Domi„ num, quatuor perſonas in tribus adſtrue„ rent, duoſque Dei filios proculdubiò præ„ dicantes. Sed huic impietati mirè Ponti„ fex antefatus obſiſtens, docuit Chriſtum „ Dominum noſtrum & in principio Verbum „ apud Deum, & Deum Verbum unum de „ Trinitate eſſe, per quem omnia facta ſunt. „ *Hæc Dionyſius Exiguus*.

596 Altera cauſa allegata à Ferrando eſt, nè dicendo unum de Trinitate paſſum, inferretur Divinitatem, ſivè Divinam ſubſtantiam paſſibilem. *Secunda verò cauſa*, inquit, *dubitationis videtur*, *nolentes dicere unum de Trinitate paſſum*, *nè Divina ſubſtantia fieri paſſibilis videatur*. Et hoc magis periculoſum videbatur propter Eutychetis hæreſim, ad quam declinare præcipuè videbantur Monachi Scythæ. Non enim ex duabus naturis in unitate perſonæ Chriſtum Dominum conſtare volebat Eutyches, ſed unâ dumtaxat naturâ: dicebat utiquè ex duabus naturis fuiſſe ante adunationem, poſt adunationem verò unam effectam. Ità S.Leo in prælaudata Synodica ad Flavianum Epiſtola ſub §.6. inquiens: „ Cùm autèm ad interlocutionem „ examinis veſtri Eutyches reſponderit, di„ cens: Confiteor ex duabus naturis fuiſſe „ Dominum noſtrum ante adunationem, poſt „ adunationem verò unam naturam confi„ teor. Miror tàm abſurdam, tàmque per„ verſam ejus profeſſionem; nulla judican-

Q tium

„ tium increpatione reprehenſam, & ſermo„ nem nimis inſipientem, nimiſque blaſphe„ mum, ità omiſſum, quaſi nihil, quod offen„ deret, eſſet auditum. *Hæc B.Leo*, qui in ſubſequentibus docet Eutychetem ſeparaſſe à Chriſto humanam naturam, hoc eſt, voluiſſe poſt unionem Divinam tantùm in Chriſto remanſiſſe naturam, abſorta à Divina natura humana, ſivè in Divinam converſa; cujus rei causâ qui huic favebant errori, addendum eſſe volebant *unum de Trinitate* paſſum, & hac admiſsa à Catholica Eccleſia locutione, poſſent in ſenſu ſuæ hæreſis illam interpretare.

597 Tertia deniquè cauſa, quam Ferrandus conſignat, cùr dubitare fecerit quoſdam, dicendi unum de Trinitate paſſum, nititur in eo, quòd aliquis poſſet inferre, unum eſſe Filium Trinitatis. Inquirenti enim quinam ſit unus ille de Trinitate paſſus, ſi reſpondeatur, Filius, poſſet inferre, aut Filiorum eſſe Trinitatem, aut Trinitatis eſſe Filium. Si verò dicatur, illum unum de Trinitate eſſe Deum, poſſet ſubjungere, ergò non eſſe unum de Trinitate, cùm ſola Trinitas ſit unus Deus. Ipſius verba ſunt: „ Tertia dubitationis cau„ ſa eſt, nè dicentibus, unus de Trinitate „ paſſus, inquiſitor acerrimus dicat: Quis „ unus? Et reſpondentibus, Filius; dicat „ iterùm: ergò ſi unus eſt Filius de Trinita„ te, velut unus eſt Trinitatis, Filiorum eſt „ Trinitas, aut Trinitas eſt Filius? Reſpon„ dentibus, Deus, dicat: Quomodò eſt quiſ„ piam unus de Trinitate, cùm non ſit unus „ Deus, niſi Trinitas? *Hactenus Ferrandus*, qui proindè ad auferendam quamlibet ambiguitatem aut falſam, ſive erroneam interpretationem, docuit addendum eſſe, *in carne*, hoc eſt, unum de Trinitate paſſum in carne, ſecundùm ſcilicet aſſumptam humanitatem; in quo ſenſu & Joannes Papa ſuprà allegatus locutionem Juſtiniani comprobavit, & docuerat Proclus apud Liberatum loco ſuprà allegato, relatus etiàm ab eodem Joanne Papa, ut viſum eſt.

CAPUT XVIII.

De iis, quæ acciderant in Eccleſia Theſſalonicenſi, adveniente Joanne Epiſcopo Apoſtolicæ Sedis Legato.

598 Rebus Conſtantinopoli compoſitis, & peractis omnibus, quæ hactenus recenſuimus, placuit Apoſtolicæ Sedis Legatis operam dare pro concilianda Eccleſia Theſſalonicenſi, quam in eorum tranſitu propter allegatam ab illius Epiſcopo excuſationem irreconciliatam dimiſerunt: quarè quemadmodùm erant in votis, ex conventione inita cum prælibato Epiſcopo illùc adeundi unus ex ipſis, in cujus præſentia coacta Synodo nationali, res componi poſſent, miſſus eſt Joannes Epiſcopus unà cum Epiphanio Presbytero, atque Licinio Comite. Profecti ergò ſunt poſt III. Kal. Julias; nàm eo tempore Joannem Epiſcopum atque Apoſtolicæ Sedis Legatum moram adhùc feciſſe Conſtantinopoli, eorundem Legatorum ſuggeſtio ad Hormiſdam in cauſa controverſiæ Monachorum Scytharum, eâdem die data, palàm oſtendit. Cùm itaquè perveniſſent Theſſalonicam, perlatâ notitiâ ad Dorotheum Epiſcopum, ſelectis Ariſtide Presbytero & duobus Epiſcopis, quos ſciebat eſſe adverſarios negotii, direxit ad Joannem, cum quibus tractatum Joannes habuit de ſubſcriptione libelli; illis verò nutantibus, indèque palàm fatentibus eſſe in libello Capitula aliqua corrigenda, re infectâ diſceſſerunt. Sed alterâ die, iterùm convenientibus præfatis Epiſcopis, antequàm quidquam locuti fuiſſent, factâ populari ſeditione, occiſis duobus pueris ab Epiſcopis ſeditionis conſciis, in Joannem irruerunt, caputque ejus in duas partes frangentes, ac renes pariter ejuſdem diſſipantes.

599 Arte & ſtudio Dorothei Eutychiani excitatam fuiſſe hujuſmodi adversùs Legatum, ſocioſque ejus ſeditionem, Germanus & reliqui Legati in ſuggeſtione ad Hormiſdam datâ teſtantur, referentes eundem Dorotheum biduo ante adventum Legati, ſuper duo millia baptizaſſe, & frumenta in tanta copia populo erogaſſe quæ potuiſſent ad tempora ſufficere, ut hâc viâ præfatus populus ad nutum ſuum penderet. Subjungentes, & malitiam hanc addidiſſe, ut plebi diceret ex adventu Legati rectam fidem fore immutandam. Hujus ſeditionis mentio fit in libello Synodico, licèt diverſo modo ab enunciato eveniſſe ibi referatur. Etenim ſic ſe habet: „ Cùm igitur Anaſtaſius in lecto impiam ani„ mam fulgure ab irato Deo immiſſo efflaſſet, „ eique Juſtinus pius in Imperio ſucceſſiſſet, „ Beatus Hormiſda Papa Romanus plurimos „ Epiſcopos Theſsalonicam miſit, ut ſacram „ Chalcedonenſem Synodum confirmarent. „ Quam Divinam & Sanctam Synodum, qui „ malè ſentiebant, noctu crudeliter incensâ „ domo, ubi erant congregati, diſſiparunt; „ & ſanctos illos Viros ſemiuſtulatos abegerunt. *Hæc in prælaudato libello*. Verùm aliter evenisſe ſuperiùs dicta demonſtrant, quæ ex recenſenda inferiùs Legatorum relatione miſsa ad Hormiſdam Papam, manifeſtiora fient.

600 Tanti patrati facinoris evulgata fama Romam uſque pervenit, præceſſitque adventum literarum, quas Legati eâdem de re ad Hormiſdam miſerant; nec eas expectavit Sanctus Pontifex, qui mox ac talia audierat ad eoſdem Legatos fecit literas, quibus enarratis, priùs quæ de ejuſmodi ſeditione perlata fuerant, mandat, ut agant cum Prin-

Principe, quatenùs compelleret Dorotheum Epiſcopum Theſsalonicenſem & Ariſtidem Presbyterum, quorum operâ ſeditionem popularem excitatam acceperat, Romam venire, cauſam ibi coràm ſe dicturos. Sunt verò literæ ejuſmodi.

Hormiſda Germano, & Joanni Epiſcopis, Felici & Dioſcoro Diaconis, & Blando Presbytero.

601 „ Cùm nos Eccleſiaſticæ proſperitatis gaudia ſublevarent, & propè plenum „ laboris veſtri fructum quotidiè carperemus, repentè nos inimica univerſi, quæ „ repentè ſucceſserat, fama confundit; cujus opinionis ordinem etſi vobis nedùm referentibus ſuſpicamur incertum, pro ipſius „ tamèn magnitudine credidimus non tacendum. Itaquè perlatum eſt, fratrem & Coepiſcopum noſtrum Joannem, dùm Theſſalonicam pro ſuſcipiendis tantùm libellis, „ qui promittebantur, accederet, ità plebis „ irrationabili ſeditione concuſsum, ut extincto primùm eo, qui hoſpitium venienti „ præbuerat, ipſe quoquè non diſſimili cæde „ mactatus, & vix ſacroſancti Fontis reverentiâ vindicatus evaſerit; cujus ſeditionis initium ſub interrogationis doloſæ cōmento ab Ariſtide Presbytero narratur exortum. Verùm nos, ſi hæc manifeſta ſunt, „ adeò de plebe non querimur. Erit in poteſtate venerandi Principis, temporis ſui, „ & Catholici Sacerdotis injuriam, qua jubeat reſecare cenſurâ.

602 „ Sed quod ad nos attinet, curâ perpervigili per vos (Deo propitio) deſideramus impleri, quià nullum volumus, aut „ redditâ ratione converti, aut ſic rectam „ viam fidei profiteri, ut ſibi à Principe aliquid ſine doctrinæ remedio cauſetur imponi. Hæc igitur ſuggeſtione veſtræ ſupplicationis peragite, ut Theſſalonicenſis Epiſcopus, qui ſub interrogationis obtentu „ Eccleſiaſticam pacem protracto in longum „ nititur diſſipare negotio; quoniàm à vobis „ ſuſcipere noluit, à Principe ad Urbem directus, ab Apoſtolica percipiat Sede doctrinam, & quidquid ſibi dubium putet, hùc „ veniens præſenti à nobis inquiſitione condiſcat. Sic enim probare poteſt, ſe catholicæ profeſſionis ſervare cautelam, non malitiosè concepta vindicare certamina. Sciat „ nos paratos eſſe, & benè inquirentes inſtruere, & errantes ad fidei rectum tramitem ſcientiâ duce revocare; quià ſi dubitans paratam non vult experiri doctrinam, „ nec rursùs in ſimplicitate cordis, quæ pacis & religionis causâ jubentur admittere; „ in aperto eſt qua mente, vel Dei noſtri „ præceptis obſiſtat, vel orthodoxi Principis „ exempla contemnat.

603 „ In hac ergò parte totus ſuggeſtionis veſtræ actus immineat, quia nec illi „ aliâ poſſunt ratione ſalvari, & incitatæ „ plebis ſub hoc meliùs moderamine cauſa „ ſedatur; cum quo etiàm Ariſtidem Presbyterum clementiſſimus Princeps ad nos venire præcipiat, quia ſicuti præfati ſumus, „ omnes, quorum pax Eccleſiaſtica ambiguitate dividitur, ſimùl ad communionem noſtram, depulsâ mali erroris ægritudine, catholicæ ſcientiæ cupimus ſentire medicinam. Prætereà mox, ut præſentia vos contigerit ſcripta ſuſcipere, debebitis ad nos „ de veſtris aliquem deſtinare cum relatione, „ quæ univerſa contineat; undè his, quæ geſta ſunt, vel geruntur, ſollicitudinem noſtram revelare debeatis. Datarium quoquè „ literis veſtris adjungite, nè vobis portitoris tarditas poſſit adſcribi. Data III. Idus „ Octobris, Eutharico V.C. Conſule. *Hactenus Hormiſda*, qui poſt menſem ferè ac dimidium ſequentem à Legatis ſuis relationem accepit.

Suggeſtio Germani Epiſcopi, Felicis & Dioſcori Diaconorum, & Blandi Presbyteri.

604 „ Magna miſericordia Dei eſt, & „ inæſtimabilia ejus judicia, qui nihil occultum dimittit, ut probetur uniuſcujuſque conſcientia. Dorotheus Theſſalonicenſis Epiſcopus non novus apparuit, nec „ ad præſens factus, ſed ſe demonſtravit „ quem olim vera prædicabat opinio. Iſte „ ſemper in malis deſideriis ſuis involutus, „ datâ occaſione exercuit, quod contrà fidem „ catholicam ſemper parturiebat ſcelus. In „ aliis literis ſignificavimus Beatitudini veſtræ, quo ordine tranſeuntes Theſſalonica, „ libellos non potuimus ſuſcipere. Erat tamèn conſtitutum poſt ordinationem Sanctæ Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ unum „ ex nobis ad ipſum dirigere, quia hoc ſperabat prædictus, ut unus ex nobis poſt ſuſceptos libellos cum ipſo Miſsas celebrare, „ quaſi teſtimonio habens in generalitate ſe „ ad unitatem Sedis Apoſtolicæ eſse conjunctum. Etſi tardè, factum eſt tamèn; & venerabilem Joannem Epiſcopum ad ipſum „ dirigentes, directus eſt cum ipſo ex communi electione Epiphanius Presbyter. Germanus venerabilis & illuſtris Epiſcopus „ erat cum eis, & Licinius Comes Scholæ „ ex ordinatione clementiſſimi Imperatoris. „ Qui Licinius tamèn, cùm priùs pro alia „ cauſa eſset Theſsalonicam directus, congregata Synodo de Parochia Eccleſię Theſſalonicenſis, ibi eſt inventus, & expectans „ ſecundùm promiſſionem unum ex nobis. „ Voluerunt ipſo præſente libellos facere & „ ſubſcribere, quod factum eſt. Signavit ipſos libellos prædictus Vir, & veniens Conſtantinopolim, factum nunciavit. Diceba-

„ batur nobis ab Apocriſario Dorothei: Jubete dirigere, qui libellos ſuſcipiat. Deliberatum eſt, ſicut prædiximus, venerabilem Joannem Epiſcopum ambulare, ut haberet teſtimonium ſubſcriptionis illorum. Rogavimus piiſſimum Imperatorem, ut Comes Licinius ambularet cum eo; quod factum eſt.

605 „ Et quià pervenerunt in Civitatem, nunciatum eſt Dorotheo per Comitem Licinium, præſentiam adeſſe noſtrorum. Qui direxit Ariſtidem Presbyterum cum aliis Epiſcopis, quos ſolos ſciebat adverſarios eſſe negotii, ut noſtros videret; cum quibus voluerunt facere primum certamen de libellis, dicentes: Sunt Capitula, quæ debent emendari. Dixerunt noſtri: Non eſſe in poteſtate ipſorum hoc facere: Si vultis facere, Deo gratias; ſi non vultis facere, venimus, ſalutavimus vos, perambulavimus. Diſceſſerunt poſt ipſa verba. Ad alium diem convenerunt, iterùm iſta loquentes; & antequàm propoſitionem verborum feciſsent, ibi non eſt contentio generata, non injuria ſecuta eſt: ſubitò populus inſanus irruit ſuper ipſum, & duos pueros occiderunt Epiſcopi, caput etiàm fregerunt Epiſcopo in duabus partibus, & renes ejus diſſipaverunt, & niſi miſericordia Dei, & defenſio Sancti Marci Baſilicæ eruiſſet eos de manibus eorum, ibi perierant: liberati ſunt tamèn, quomodò dicitur, quià manus publica ſupervenit, quæ eos eruere potuit.

606 „ Iſta & iſtorum concinnamenta Dorothei malitia fabricavit, qui antebiduum quàm pervenirent noſtri Theſſalonicam ſuper duo millia baptizavit, frumenta tanta erogavit in populo, quæ poſſint ipſis ad tempora ſufficere, ſignificans plebi, quia fides recta mutatur. Iſta quomodò non habuerant excitare populum? Iſta quem non invitabant ad ſeditionem? Poſt hoc, ipſum libellum, quem fecerat cum Epiſcopis ante populum ſcidit, dicens: ego iſtud uſque ad mortem nunquàm facio, nec facientibus conſentio: occiderunt hominem Joannem venerabilem catholicum, qui nos venientes ſuſceperat in domo ſua, qui ſemper ſeparatus fuit à communione Dorothei propter Synodum Chalcedonenſem, in quo talem mortem exercuerunt, qualem illi, qui Sanctum Proterium occiderunt.

607 „ Iſta ad clementiſſimum Imperatorem pervenerunt, & propè in tota Civitate catholicus luctus eſt propter talia, quę contigerunt ſcelera. Promittit ſancta clementia vindicare & citare Dorotheum, quia nos conteſtati ſumus pietatem ejus, dicentes: Nullâ ratione Dorotheum inter Epiſcopos, aut in communione Sedis Apoſtolicæ poteſt Beatiſſimus Papa recipere; & contrà qui voluerint eum in ſua communione recipere, ſcire ſe eſse reos auctoritate Eccleſiaſtica. Iſta ad notitiam Beatitudinis veſtræ feſtinavimus referre, ut nihil vos lateat, quod in iſtis partibus agitur, Accepta IV. Kal. Decembris, Eutharico Conſule.

608 Intereà Juſtinus Dorotheum Epiſcopum Theſsalonicenſem Conſtantinopolim acceſſiri juſſit, cauſamibi coràm Judicibus dicturum, quarè Apoſtolicæ Sedis Legati alias literas fecerunt ad Hormiſdam, ipſum de Dorotheo Conſtantinopolim ducto certiorantes, quæ licèt non extent, ex literis tamèn Hormiſdæ ad eoſdem Legatos datis, evincitur, qui primùm dolens de Ioanne catholico viro, à quo Hoſpitium receperunt Legati, in prælibata Theſsalonicenſi ſeditione occiſo: deindè eos monet, ut coràm Principe inſiſtant, quatenùs Dorotheus tanti ſceleris patronus, exutus Epiſcopatus honore, vel longè relegetur, vel ad Urbem Romam dirigatur, alio in ejus locum ſelecto catholico & approbato Viro. Sunt autèm literæ tenoris ſequentis, videlicet.

Hormiſda Germano, & Joanni Epiſcopis, & Blando Presbytero.

609 „ Graviter nos Joannis Catholici affixit interitus, quem hæretici Dorothei veſaniâ perhibetis extinctum. Nàm eundem Dorotheum Conſtantinopolim juſſu Principis didicimus evocatum. Adversùs quem Domino & filio noſtro Clementiſſimo Principi debetis inſiſtere, nè in eandem Civitatem denuo revertatur, ſed Epiſcopatus, quem nunquàm benè geſſit, honore depoſito, ab eodem loco, ac Eccleſia longiùs relegetur; vel certè hùc ad Urbem ſub proſecutione congrua dirigatur. Ad hanc etiàm partem evigilare debetis, nè in locum ejus Ariſtides totius mali incentor, & conſcius quibuslibet ſupreptionibus ordinetur: nàm nulli prodeſt mutari perſonam, ſi ejuſdem forma nequitiæ perſeveret: ſed talem virum debetis eligere, ut judicio veſtro cuncta Catholicorum Congregatio gratuletur. *Hæc Hormiſda* in cauſa Epiſcopi Theſſalonicenſis, ſub datis III. Nonas Decembris, eodem Eutharico Conſule. Quæ verò poſteà in ea ſubjungit, ad cauſam Thomæ & Nicoſtrati, qui ab eorum Sedibus Epiſcopalibus expulſi fuerant, pertinent.

610 Atqui Joannes, ſive Epiphanius adhùc Theſſalonicæ conſiſtens, dùm accepit Dorotheum Conſtantinopolim evocatum, edoctus de illius malitia, ſcienſque multam pecuniæ copiam ſecum detuliſſe, timens nè illius mendaciis aures præberentur, & nè Judices pecuniâ corrumperentur, de ipſa Theſſalonicenſi Civitate Indiculum Conſtantinopolim direxit, quò univerſa Dorothei, atque Theſ-

..eſſalonicenſium Epiſcoporum crimina recenſet; monetque pariter, quomodò pecuniâ munitus Conſtantinopolim unà cum ſuis proficiſceretur. Aitque.

611 „ Si pro peccatis noſtris iſti, qui „ hinc adducti ſunt Epiſcopi, Conſtantino- „ polim fuerint ingreſſi, non dicamus quòd „ Imperatorem viſuri ſunt modis omnibus, „ ſed quòd & ſuis locis reſtituentur. Tan- „ tas enim pecunias ſecum detulerunt, ut „ non homines, ſed poſſint Angelos excæca- „ re. Si ergò (quod abſit) ingreſſi fuerint, „ tanta falſa per noſtram abſentiam dicturi „ ſunt, quanta poteſt Diabolus invenire. „ Nàm ſi hìc in conſpectu noſtro plura tenta- „ verunt, & Domino nobiſcum ſtante, con- „ fuſi ſunt; quanta facient per abſentiam „ noſtri? Ut ergò eorum poſſit diſſipari mali- „ gnitas, jubete nobis præſentibus, ſi ad au- „ dientiam pro peccatis ventum fuerit, ut „ conſtet apud homines nos immeritò mor- „ tuos eſſe, & illos patrocinio pecuniæ labo- „ rare. Nos enim eos in omnibus in con- „ ſpectu Senatus convincere poſſumus, quòd „ hæretici perfecti ſunt, tunc demùm eorum „ poteſt monſtrari fallacia.

612 „ Itèm dicendum: ſi hæretici non „ ſunt, quomodò ante duas hebdomadas, „ quàm nos veniſſemus, ſtatuerunt omnes „ in unum Epiſcopi, nè quis Miſſas foras Ci- „ vitatum teneret? Sed hinc omnes, ut & „ multitudo eſſet futuræ ſeditioni congrega- „ ta, & doceri poſſit ſecundùm errores eo- „ rum. Qui poſtquàm ſenſerunt nos veniſſe, „ publicaverunt, feſtinandum eſſe cum par- „ vulis, nè perſecutione veniente pagani „ morerentur infantes: & tunc velut ad al- „ terum Paſcha tantos baptizaverunt, ut „ conſuetam feſtivitatem ſuperarent.

613 „ Itèm dicendum: ſi hæretici non „ ſunt, quomodò tanta frumenta confece- „ runt, ut caniſtra plena omnibus erogarent, „ nè imminente, ſicut dicebant, perſecutio- „ ne, communicare non poſſent?

614 „ Itèm, ſi hæretici non ſunt, poſteà „ quarè accuſati ſunt geſtis à Candido viro „ ſublimi Vicario Magiſtri Militum Præto- „ rianorum in judicio Præfectorum? Et ſi „ maturum periculum cognoſcerent adfutu- „ rum, quarè denuò tanquàm damnandi ve- „ lint ſubvenire iterùm parvulis cupientes; „ tanta rursùs & confutati exercuerunt bap- „ tiſmata, ut verè cunctis ſe hæreticos oſten- „ diſſent: ad quam rem ſatis & magnifica „ poteſtas Præfectorum graviſſimè indigna- „ ta eſt.

615 „ Itèm, ſi hæretici non ſunt, quomo- „ dò cum in Baptiſterio abſconditi eſſemus, „ conſilium inter ſe habitum per noctem, ve- „ luti de periculo nos liberare volentes, in „ navi mittere voluerunt, ut hac occaſione „ Mari præcipites daremur? Cùmque nos „ reſpondiſſemus per Demetrium & An- „ dream Diaconos: Omnes nos apud vos eſſe „ cognoſcunt: quomodò per noctem naviga- „ re poſſumus? Sed ſi vos verè pro noſtra ſa- „ lute conſuluiſtis, craſtinâ die ſecretè, „ quinque vel ſex Senatores, qui periculum „ ſubſtantiæ, vel ſalutis ſuæ metuunt, unà „ cum Magiſtri Militum Vicario Candido „ comite jubete advocare. Cognoſcant & „ ipſi ubi transferimur, & facimus quod ju- „ bent: ſin autèm ſoli ſecretim hoc non fa- „ cimus. Tunc illi non invenientes effe- „ ctum, ad horam tacuerunt, & aliâ die ite- „ rùm ſeditionem populi commoverunt: „ undè vix, Deo volente, evaſimus. *Hactenus Indiculus, directus Conſtantinopolim de Theſſalonica.*

616 Ex eo nàmque Epiſcoporum adversùs Apoſtolicæ Sedis Legatum, ſocioſque, impia geſta manifeſtiora fiunt, eorumque fides qualis fuerit perlucidè demonſtratur. Attamèn, ut ſuprà dictum eſt, quod prævidit Epiphanius, evenit, corruptis pecuniâ atque excæcatis Judicibus, ſive Aulicis, aut Miniſtris Cæſareis (de Juſtino nàmque tantum ſcelus credi non poteſt, longè abeſt ab ejus, quàm ergà Catholicam Religionem habuit, pietate) mitiſſimè cum Dorotheo actum fuit, & quod poſtulabat Pontifex, ut Romam dirigeretur, denegatum. Hinc ſub quadam juſtitiæ ſpecie, non longè à Regia Urbe, & à Theſſalonica, prout optaverat Hormiſda, & prout omni cum efficacia poſtulaverant Legati, amandatus fuit Dorotheus, ſed Heracleam propè Regiam Urbem, & undè poterat liber evadere, & prout evenit, ad propriam Sedem remeare. Hæc quidèm recenſent Apoſtolicæ Sedis Legati in ſequenti miſſa ad Hormiſdam ſuggeſtione, ſive relatione, quæ talis eſt.

Suggeſtio Germani Epiſcopi, Felicis, & Dioſcori Diaconorum, & Blandi Presbyteri.

617 „ Reverenda veſtri Apoſtolatus al- „ loquia per filios veſtros Leonem, atque Eu- „ logium deſiderabili hilaritate ſuſcepimus; „ quorum priùs præceptum, cùr quæ Theſ- „ ſalonicæ contigerunt, non inſinuavimus, „ arguebat. Sed longè ante ejus adventum, „ occaſione comparatâ, curavimus ſignifi- „ care quæcunque vel rumore venientium, „ vel eorum, qui pertulerant ſcriptis, quo- „ rum exempla ſubter adjunximus, vel piiſ- „ ſimi Principis narratione comperimus. Se- „ cuta eſt vindictæ promiſſio: adeout Doro- „ theus Theſſalonicenſis Epiſcopus ad Hera- „ cleam deduceretur Civitatem, donec cau- „ ſa terminum reperiret: Inter hæc, ſecun- „ dùm ea, quæ præcepiſtis, auctoritatem „ Apoſtolatus veſtri Principi inſinuare cura- „ vimus, ut ad percipiendam doctrinam Ca- „ tholicæ puritatis, Romam præfatus Doro-

theus

„ theus unà cum Ariſtide mitteretur. Qui „ reſpondit, cauſam non eſſe, pro qua Romam delegarentur audiendi, ubi ſinè accuſatorum controverſia ſe ſe poſſent libeRiùs excuſare. Sed repentè, dùm hæc geruntur, ab Heracleinſi, quantum agnovimus, in qua tenebatur, dimiſſus eſt Civitate: quam ob cauſam, vel qua ratione, aut conditione, vel quibus agentibus, ignoramus. *Hæc Legati de cauſa Dorothei*. Quæ poſtea, ſubjungunt, ſpectant ad tempus, quo illo anno celebranda erat Paſcha, nimirum die XIII. Kal. Maii, de qua re ſcripſerat ad eundem Hormiſdam Joannes quoquè Epiſcopus Conſtantinopolitanus per ſuas literas, ſub datis XIV. Kal. Februarii, Vitaliano & Ruſtico Coſs., quarum initium eſt: *Quemadmodùm puro corde*.

618 Poſt hæc Dorotheus, ut dictum eſt, Theſſalonicam reverſus, volens juſtificare ſemetipſum, literas fecit ad Hormiſdam, quibus in cauſa ſeditionis Theſſalonicenſis ſe innocentem exhibet, aſſeritque periculo vitæ ſe quoquè pro Joanne Epiſcopo expoſuiſſe: inſuper addidit, ab initio Pontificatus ejuſdem Pontificis, quidquid ad honorem atque ſatiſfactionem illius & Apoſtolicæ Sedis pertinebat, nihil prætermiſiſſe, nec fore prætermiſſurum. Sunt autèm literæ tenoris ſequentis.

Sanctiſſimo, ac Beatiſſimo, & Comminiſtratori Hormiſdæ, Dorotheus in Domino ſalutem.

619 „ Propoſiti noſtri & orationis eſt „ ſummum ſtudium, per omnia Beatiſſime & „ ter Beate Pater, & ſcribere frequenter ad „ vos ſanctiſſimos, & mutua mereri colloquia, & nullo tempore extorrem me ab hujuſmodi lætitia eſse condecet. Quoniam igitur manifeſtè cognovi quoſdam ſanctas aures veſtras perturbare, & ſcio proculdubiò vos in omnibus eſse perfectos, & quia nihil ſine judicio audire poſſitis, nec ulli penitùs veſtrum animum accomodare, & ut non ampliùs per taciturnitatem largiri tempus videar illis, qui nihil quidèm à nobis læſi ſunt, ſed ſine cauſa & ſuperfluè adversùs nos armati ſunt; Deo tamèn & veſtræ ſatisfacio Sanctitati, quia pro Joanne viro Reverendiſſimo Epiſcopo, qui paulò ante à veſtra venerabili Corona directus eſt, prædeſtinavi me periculis, & mortem ſuſtinui, & meam pro ejus ſcio me objeciſse animam; & hoc oſtenditur geſtis, & ex his, qui quamquàm per meam abſentiam acerrimè videantur eſse diſcuſſi. Et quid longo ſermone opus eſt uti? Cùm vobis omnia Dominus Deus noſter Jeſus Chriſtus patefacere, & ſatisfacere poſſit; quia & quandò cognovi vos ad Apoſtolicæ Sedis Præſulatum advocari, commune gaudium totìus Mundi eſse judicavi. Ab illo „ enim tempore hoc ipſum ſcribens ad vos, „ quantum ad me, quidquid ad honorem & „ ſatiſfactionem vobis & Apoſtolicæ Sedi „ pertinet, nihil prætermiſi, ſed nec prætermitto. Paulò poſt autèm ſcietis per Venerabiles, annuente Domino Jeſu Chriſto, quià hæc ab exordio mihi ſunt excogitata, & quandò Dominus Deus tempus dedit, ad effectum hæc ſunt perducta. Omnem cum veſtra Sanctitate in Chriſto fraternitatem ego quoquè & mei plurimùm ſalutamus. „ *Hæc Dorotheus*, cui ſic reſpondit Hormiſda.

Hormiſda Dorotheo Epiſcopo Theſſalonicenſi.

620 „ Conſiderantes tuæ fraternitatis „ Eccleſiam, ante prætereuntis mala diſcordiæ olim cum Sede Apoſtolica præcipua fuiſſe charitate conjunctam, te nuper pacis redditæ eſſe credebamus auctorem; ſed quia quos prævenire debueras, ſequi etiàm remoraris, non leviter pro fraternitatis tuæ dilatæ correctionis ingemiſcimus tarditate; Scribis enim aures noſtras cujuſdam ſceleris atrocitate turbatas. Utinàm uſque ad nos tantùm deteſtabilis fama percurreret, & non toto Orbe chriſtianis mentibus tàm dolendum, tàm execrabile facinus nunciaret, ut qui te innocentem neſciunt, à chriſtianitatis ſimul credant tramite deviaſſe. In qua enim Mundi parte immanitatis huius invidia non & catholicas contriſtat Eccleſias, & hæreticorum prava vota lætificat? Quæ nos à dilectionis tuæ conſcientia, ſicut literis intimas, oſtendi cupimus aliena: quid enim votis noſtris magis convenit, niſi ut redire ad pacem catholicam volentes Epiſcopos, à crudelitate, & criminibus contingat ſemper obnoxios comprobari. Expectamus igitur, ſi non deſunt fraternitati tuæ veritatis Deo nota præſidia, ut & tanti ſceleris à te repellas invidiam, & in reconciliatione fidei tandèm eorum, qui reverſi ſunt, ſequaris exempla. Data IV. Kalen. Novembris, Ruſtico viro clariſſimo Conſule. *Hæc Hormiſda*.

621 Ceterùm quid porrò actum ſit in hujuſmodi Dorothei cauſa, non apparet, ſolùm verò conſtat Hormiſdam definiendam ſibi reſervaſſe, prout ipſemet fatetur in Epiſtola data ad Epiphanium Epiſcopum Conſtantinopolitanum, relectâ atque receptâ Act. V. Synodi Conſtantinopolitanæ ſub Menna, ubi versùs finem ait: „ Nàm de Theſſalonicenſibus, quorum ad nos Legati ſub „ clementiſſimi & fideliſſimi Principis filii „ noſtri ordinatione venerunt, nè quid omiſiſſe credamur, noſſe nos volumus ſecundùm hoc, quod Domino noſtro inſpirante pla-

„ placuerit, cauſam omnem noſtri diſpoſi-
„ tione tractandam. *Hactenus Hormiſda*.
Exiſtimo tamèn hujus quoquè Theſſalonicenſis Eccleſiæ reconciliationem protractam ad tempora uſque Synodi Conſtantinopolitanæ II. ſub Juſtiniano habitæ.

CAPUT XIX.

De Juſtini & Hormiſdæ ſtudio in conciliandis cæteris Eccleſiis; de Joannis Conſtantinopolitani Epiſcopi morte, & electione ſucceſſoris; ac de reditu Legatorum ad Urbem.

622 NOn ſatis viſum fuit Juſtino Auguſto pro catholicæ Eccleſiæ perenni pace ſolam Eccleſiam Conſtantinopolitanam cum aliquibus adjacentibus recepiſſe Romanę atque Catholicę Eccleſię communionem, niſi etiàm aliæ Eccleſiæ longiùs diſtantes id idem præſtarent eidem Eccleſiæ, & ipſæ, receptis libellis, reconciliarentur; ad hoc enim infatigabili ſtudio laboravit piiſſimus Princeps, nec fruſtrà, Deo ipſum ad tantùm opus adjuvante, cum diverſi diverſarum Provinciarum Epiſcopi libellos eidem obtulerint, ſolùmve quæſtiones aliquas de fide ſolvendas ſibi poſtulantes, quas clementiſſimus Imperator optimè edoctus non eſſe ſæcularium poteſtatum de fide ſolvere quæſtiones, ad Hormiſdam Papam definiendas atque decidendas remiſit, datis ad eum literis tenoris ſequentis, videlicet,

Juſtinus Auguſtus Hormiſdæ Papæ.

623 „ Quanto flagramus ſtudio pro col-
„ ligendis concordia ſacratiſſimis Eccleſiis,
„ jamdudùm nos palàm feciſſe dignoſcitur;
„ qui & ab ineunte noſtro Imperio Sanctita-
„ tem veſtram admonendam duximus, quo
„ certos dirigeret, ut interventu eorum re-
„ medium aliquod his rebus inveniri poſſit,
„ & antequàm advenerint qui deſtinati ſunt,
„ cuncta præparavimus, quò faciliùs tranſi-
„ gerentur, quæ per hanc florentiſſimam Ur-
„ bem diſponenda fuerant. Verùm quoniàm
„ preces noſtro Numini porrectæ ſunt ex di-
„ verſis Eois Provinciis, certa quædam diſ-
„ ſerentibus pro fide catholica, ſecretaque
„ ſuæ mentis declarantibus, quæ apud ſe pro
„ individua Trinitate conſtituta teſtantur,
„ quæque firmiter ſe ſe recepturos oſtendunt;
„ hiſque relectis, Dioſcorus aliqua aſſeruit
„ non convenienti ordine inſerta fuiſſe: me-
„ ritò duximus aperienda vobis ea, quæ ſu-
„ mus edocti. Non multò itaquè poſt à no-
„ bis quidam deſtinabitur ad certiorem fa-
„ ciendam Beatitudinem tuam ſuper omni-
„ bus, & inſinuandas vobis ſupplicationes,
„ quæ nobis oblatæ ſunt, & reſponſum pie-
„ tatis veſtræ referendum, quo poſſint reſe-
„ cari tandèm dubitationes incongruæ. Se-
„ curi igitur de noſtro conſilio, ſollicitis
„ orationibus placare nobis Divinitatẽ ſum-
„ mam dignemini. Data XIV. Kal. Februa-
„ rii Conſtantinopoli, Vitaliano & Ruſtico
„ Conſulibus. *Hactenus Juſtini Epiſtola*.

624 Ex deſignatis Conſulibus liquet prælibatam ſcriptam eſſe Epiſtolam Anno Domini DXX. Pontificatus Hormiſdæ Anno VII. Imperii autèm Juſtini Anno III., quo anno in Faſtis Conſularibus conſignatur Ruſticus Conſul in Occidente, Vitalianus verò in Oriente, qui, ut notat Marcellinus Comes in Chronico, ſeptimo ſui Conſulatus menſe decem ſeptem vulneribus confoſſus in ipſo Imperiali Palatio cæſus eſt, juſſu quidèm Juſtini Imperatoris, adversùs quem impiè conſpiraverat, prout indicat Evagrius lib.4. hiſt. cap.3. Porrò eodem tempore, quo Juſtinus, etiàm Juſtinianus Comes fecit ejuſdem argumenti literas ad Pontificem, quæ ſunt.

Domino Beatiſſimo atque Apoſtolico Patri Hormiſdæ Papæ Urbis Romæ Juſtinianus.

625 „ Quantam venerationem Religio-
„ nis habeamus, quamque ſolliciti ſemper
„ fuerimus propter uniendas ſanctas Eccle-
„ ſias, teſtis eſt quoquè veſtra Beatitudo.
„ Poſtquàm regnavit etenim Dominus noſter
„ inclytus Imperator, per omnes ad Italiam
„ venientes direximus literas, Apoſtolatum
„ tuum rogantes, ſicut decebat. Nunc etiàm
„ nè quid eorum, quæ fieri convenit præter-
„ mittatur, Joannes vir Reverendiſſimus An-
„ tiſtes, Heraclianus Presbyer, & Conſtan-
„ tius Diaconus ſacroſanctæ Eccleſiæ hujus
„ inclytæ Civitatis deſtinati ſunt ad Ur-
„ bem fœliciter, ut ſuper omnibus, quæ ſcri-
„ pſit filius veſter Sereniſſimus Imperator,
„ integrum reſponſum accipiat. Dignetur
„ ergò Sanctitas tua ſuſcipere memoratos
„ Viros religioſiſſimos libenter, & habitis
„ orationibus, placatâq; Divinitate, ſic om-
„ nia debeat ordinare venerabiliter, ut nihil
„ ultrà remaneat in ambiguum.

626 „ Nobis etenim videtur, quoniam
„ Filius Dei vivi Dominus noſter Jeſus
„ Chriſtus ex Virgine Maria natus, quem
„ prædicat ſummus Apoſtolorum carne paſ-
„ ſum, rectè dicitur unus in Trinitate cum
„ Patre Spirituque Sancto regnare, Maje-
„ ſtatiſque eius perſonam in Trinitate & ex
„ Trinitate non infideliter credimus. De
„ nominibus autèm defunctorum Epiſcopo-
„ rum clementer, & ut decet pacificum Pa-
„ trem, diſponite: quià veſter quoquè præ-
„ deceſſor beatæ recordationis ad memoriæ
„ principalis Anaſtaſium ſcripſit, ut ſi no-
„ men Acacii tantummodò tolleretur, una
„ nobis eſſet communio.

627 „ Nonnè igitur ſuaſit veſtra Sedes, „ ut præſtet imitari Beatiſſimum & San„ ctiſſimum Leonem Romanum Pontificem, „ ac ſicut ille ſcripſit Leoni, ita & vos, om„ nibus amputatis dubitationibus, perfectas, „ pacificaſque paginas ad invictiſſimum Prin„ cipem filium veſtrum reſcribere, ut ante „ Tribunal venturi Judicis participes eorum „ ſitis, quorum Sedem jure Sacerdotali te„ netis. Oſtendat ergò tuus Apoſtolatus, „ quod Petro ſucceſſit Apoſtolo; quoniā Do„ minus à vobis, utpotè ſummis Paſtoribus „ exacturus eſt univerſorum ſalutem, qui „ poterunt eſſe ſalvi firmatâ concordiâ. Nos „ etenim finitis Capitulis, de quibus ſcri„ pta ſuſcepiſtis, ultrà non patiemur à quo„ quam controverſiam Religionis in Repu„ blica noſtra moveri, nec veſtram Sanctita„ tem convenit audire ſuperflua concertan„ tes. *Hæc Juſtinianus*.

628 At Vir clariſſimus deceptus eſt in eo quòd aſſerat, anteceſſorem Hormiſdæ in datis ad Anaſtaſium Imperatoris literis ſcripſiſſe, ad Eccleſiarum concordiam ſuffeciſſe tantùm, ſi Acacii nomen deletum fuiſſet. Hoc eodem inſuper & in errore fuit Juſtinus, qui in Epiſtola, quam per Gratum miſit ad Hormiſdam, inferiùs recitandâ, pariter ſcribit: „ Anaſtaſius quidèm religioſiſſimæ memo„ riæ, veſtræ culmen Eccleſiæ palàm apertè„ que conſtituit, cùm hoc ſcriberet nego„ tium prædeceſſori noſtro, ſatis eſſe pacem „ affectantibus, ſi nomen tantùm reticeatur „ Acacii. *Hæc ille*. Atqui, perpenſa Epiſtola Anaſtaſii Papæ ad Anaſtaſium Imperatorem, à nobis in ſuperioribus recenſita, & ſi in ea de Acacii tantùm nomine videatur habita mentio, nihilominùs de cæteris cum Acacii nomine communicantibus nihil ſancivit, cùm tunc principalis controverſia verteretur de delendo Acacii nomine, quo deleto, de aliis quoquè cum eo communicantibus illud idem fuiſſet præſtandum. Solùm ergò ſuggeſſit eâdem in Epiſtola, ſe recepturum, quos baptizaverat, vel ordinaverat Acacius: quod Apoſtolicâ diſpenſando auctoritate fieri poſſe cognoverat, ſciens Gelaſium Papam ſe idem præſtiturum pollicitum fuiſſe. Non tamen ſuggeſſit, ſe recepturum eos, qui cum Acacii nomine communicaverant. Patet ergò Juſtini, atque Juſtiniani error.

629 Porrò Hormiſda his receptis literis diſtulit reſponſum dare Juſtino uſque ad Legatorum ipſius, quos mittere in ſua Epiſtola promiſerat, adventum; Juſtiniano verò breviter reſpondit, univerſa omittens, quæ ad Epiſcoporum nomina reticenda, ſive delenda, Juſtinianus indicaverat, reſponſurus pleniùs poſt adventum Legatorum, ſolùmue ad Articulum de Sancta Trinitate ſententiam dixit. Literæ ergò ità ſe habent.

Hormiſda Juſtiniano viro illuſtri.

630 „ Quod Celſitudo veſtra animi cir„ cà me ſui benevolentiam dignatur oſtende„ re, facitis rem Deo placitam, & rectæ „ conſcientiæ congruentem; ſed non parva „ ſunt nobis hujus emolumenta propoſiti. „ Major in nos fructus de tali bonitate re„ vertitur, neque enim vacua honorificentia „ eſt quæ defertur Antiſtiti. Indubitatum ſi„ quidèm eſt, quia honor miniſtri, cultus „ eſt Domini, & qui perſonam Sacerdotis „ magni habet, majorem remunerationem „ ab eo, cui Sacerdos famulatur, accipiet, di„ cente Domino Jeſu: iis, qui Prophetas in „ honore ſuſcipiunt, ſuam mercedem eſſe „ reddendam, & apud me quidèm magni eſt „ gratia veſtra momenti, eo tamen preciſior, „ quià quidquid mihi gratiæ dignanter im„ penditis, in Eccleſiarum defenſione mon„ ſtratis.

631 „ Sed, ut ad id, quod Celſitudo ve„ ſtra deſiderat, noſter ſermo dirigatur, „ quamquàm & clementiſſimus Imperator, & „ vos promittatis Legationem eſse ventu„ ram, & id cum ratione convenerit, ut eo„ rum, qui dirigendi ſunt ſuper omnibus, nos „ decuerit expectare præſentiam; tamen quia „ gratum eſt nobis ſtudium, quod circà Re„ ligionem vos habere declaraſtis, non gra„ vat prælibare, dicendo non opus, ut ſta„ bilitatem fidei veſtræ, contentionis potiùs, „ quàm rationis ſequaces procaci verborum „ novitate confundant: *Sancta Trinitas Pa„ ter & Filius & Spiritus Sanctus unus eſt „ Deus*, hanc Iſrael juſsus adorare, cujus „ inſeparabilis & indiſcreta ſubſtantia non „ poteſt dividi, non poteſt ſacrilegâ diſtin„ ctione ſeparari, ſervatâ tamèn ſuâ unicui„ que perſonæ. Hæc interim commendanda „ fidei veſtræ, epiſtolaris ſtyli terminum co„ gitantes, congruâ credimus brevitate ſuf„ ficere, pleniùs diſserenda cum florente Im„ perio clementiſſimi Principis, ſi promiſsam „ Legationem & nos ſuſcipere, Deo propi„ tiante, contigerit, & cognitis omnibus „ cum adjutorio Dei noſtri, reſponſo reddi„ to pro Univerſitatis informatione remitte„ re. *Hactenus Hormiſda ad Juſtinianum*.

632 Inter hæc circà initia prælibati Anni Domini DXX. Joannes Epiſcopus Conſtantinopolitanus, cùm ſediſset annos tres, ex hac vita ad Dominum migravit, plenus meritis, vir utiquè catholicus, licèt ſub Anaſtaſio impio Principe ad Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ ſolium evectus, cujus ſtudium ſub Juſtino Principe plurimùm ad Eccleſiarum pacem atque ineundam unionem profuit. Cujus loco ſucceſſit Epiphanius Presbyter quondam Syncellus, qui ab initio ſui Epiſcopatus, Patrum ſe regulas ſervaturum promiſit, initam pacem atque concordiam magis

gis augère, quàm diſſipare, prout Dioſcorus Diaconus Apoſtolicæ Sedis Legatus refert in ſua data ad Hormiſdam relatione, quæ talis eſt.

Suggeſtio Dioſcori Diaconi ad Hormiſdam Papam.

633 „ Erat optabile, & voto noſtro conveniens, conſonantia preteritis annunciare, „ ſcilicet Pontificem Conſtantinopolitanæ „ Eccleſiæ Joannem eſſe Superſtitem, & con„ feſſionem libello editam; cujus merita non „ eſt dubium Deo placère, qui inter catho„ licos, & communicatores Sedis Apoſto„ licæ meruit ad aliam ex hac vita diſcedere. „ In cujus locum Epiphanius quidam Preſ„ byter quondam] Syncellus ei ſucceſſit, „ cujus initia bona videntur; nàm rationa„ bilia loquitur, & promittit Patrum ſe re„ gulas ſervaturum, pacem, unitatemque „ ordinatam non diſſipare, ſed magis augère. „ Iſta ſunt quæ promittit. Quid tamen ope„ re poſſit implere, adhùc ignoramus. Has „ ſiquidem literas quartâ poſt ordinationem „ ejuſdem die, repertâ occaſione tranſmiſi„ mus; necdùm cum eo communicavimus, „ non quaſi reſiſtentes, ſed quia adhuc ab eo „ non ſumus invitati. Supereſt, ut Beatitu„ dinis veſtræ inſiſtat oratio, quatenùs divi„ næ gratiæ adjutorio talis erumpat, per „ quem de perfecta poſſimus unitate gaudere. „ Accepta VII. Idus Aprilis, Ruſtico V. C. Conſule, *Hactenus Epiſtola*.

634 Hac acceptâ relatione Hormiſda Papa, cùm nec literas ſuæ ordinationis ab Epiphanio accepiſſet, nec Legatos ex more ad Sedem Apoſtolicam cum novi Antiſtitis profeſſione fidei mittendos videret, doluit Sanctus Pontifex de neglecto more, nec valens diù expectare, quod citiùs fieri oportebat, fecit ipſe ad Epiphanium literas, quibus ſe mirari fatetur morem priſtinum fuiſſe ab eo neglectum; poſtulatque, ut Legationem debitam ad Sedem Apoſtolicam mittere non recuſet. Sunt autèm ejuſmodi literæ.

Hormiſda Epiphanio Conſtantinopolitano Epiſcopo.

635 „ Diù nos non nunciata tuę primor„ dia dignitatis tenuere ſuſpenſos, & in ipſa „ commmunis gratulatione lætitiæ mirati „ admodùm ſumus morem priſtinum fuiſſe „ neglectum; quia reparatâ Eccleſiarum, „ Deo annuente, concordiâ, plenum frater„ næ pacis id flagitabat officium; præſertim „ quòd illud ſibi nòn arrogantia perſonalis, „ ſed regularum obſervantia vindicabat. De„ cuerat ſiquidèm, frater chariſſime, te Le„ gatos ad Apoſtolicam Sedem inter ipſa tui „ Pontificatus initia deſtinaſſe, ut & quem „ tibi debeamus affectum, benè cognoſceres, „ & vetuſtæ conſuetudinis formam ritè com„ pleres. Sed licèt his omiſſis, paginalia „ tantùm ſufficere judicaſſes ex occaſione „ colloquia, nos tamèn gratiâ ſtimulante „ compulſi, interim juſtè conſtantiam expe„ ctationis abrupimus, reciproca mutuæ „ charitatis verba reddentes, quia & noſter „ animus amoris impatiens, & Legatorum „ noſtrorum votiva relatio, exclusum quod „ imperabat cauſa ſilentium, ad officia beni„ gna traxerunt, quibus ad præſens gaudii „ noſtri ſigna monſtramus, & privatæ quo„ dammodò amicitię votiva perſolvimus. Le„ gationem autèm tuam, & ea, qua dudùm „ gratiâ ſuſtinemus, & fultis veteribus con„ ſtitutis, exigimus, ut quantum gaudii „ fructum, vel de tui Pontificatus honore „ capiamus, vel quas tibi gratias referre con„ veniat, pro impenſis in negotio propagan„ dæ unitatis officiis (ſicut noſtrorum mul„ tipliciter aſtruxit Legatorum narratio) „ evidentiùs exprimimus. *Hactenus Hormiſda*.

636 Ceterùm Epiphanius, licèt tardiùs, quàm par fuerat, ſui officii memor, quod jure debitum ab eo prælibatis literis Hormiſda exigebat, nimirùm ut literis, & legatione ex more de ſua ordinatione certiorem redderet ipſum Romanum Pontificem, implere curavit; quarè primùm literas fecit ad Hormiſdam, quibus non minùs de ſua ordinatione, quàm de ſua, quam profitebatur, fide catholica certiorem reddere voluit, dilatâ ad tempus magis opportunum legatione. Atqui Epiphanii literæ ſic ſe habent.

Sanctiſſimo, ac Beatiſſimo Domino fratri, & Comminiſtratori Hormiſdæ Epiphanius Epiſcopus in Domino ſalutem.

637 „ Deus, qui in alto habitat, & hu„ milia reſpicit, & omnia pro ſalute homi„ num affluenter providet, pro ſua bonitate „ & miſericordia meam reſpexit parvitatem, „ & poſt obitum ſanctæ memoriæ quondam „ Archiepiſcopi & Patriarchæ Joannis Se„ dem Sacerdotalem Sanctæ Eccleſiæ Ca„ tholicæ Regiæ Urbis mihi conferre digna„ tus eſt, ſententiâ & electione chriſtianiſſi„ mi & juſtiſſimi Principis noſtri, & piiſſimæ „ Reginæ, quæ ei ad omne ſtudium commu„ nicat Divinum, ſequentiumque eorum; „ his, quibus eſt bona converſatio, & qui „ regiis honoribus ſunt ſublimiores, ſimùl & „ Sacerdotum & Monachorum & fideliſſimæ „ plebis acceſſit conſenſus. Quapropter ne„ ceſſarium duxi hoc primum indicium meis „ inferre literis, ut oſtendam quam circà ve„ ſtram Apoſtolicam Sedem habeo volun„ tatem.

638 „ Eſt mihi ratio magnoperè, Bea„ tiſſime, uniri me vobis & Divina amplecti

„ dogmata, quæ ex Beatis & Sanctis Diſci-
„ pulis & Apoſtolis Dei, præcipuèque à Summo Petro Apoſtolorum, Sedi ſanctæ veſtræ ſunt tradita, & nihil eis pretioſius exiſtimare. Neque enim contrà aliundè veniens ſanctæ Eccleſiæ conſtituta ignoro, ſed nutritus per Dei voluntatem ex teneris unguibus in ſancta catholica Eccleſia, parvi per tempora ſanctiſſimis Sacerdotibus & Patriarchis. Nàm ſæpiùs præpoſitus his, qui per ſacratiſſimum & ineffabile Baptiſma ſua exuunt peccata, & veram unius eſſentiæ Trinitatis docui fidem, quam ſicut præfatus ſum, ex Diſcipulis Dei Magni & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti procedentem, omnium Sacerdotum & omnium Laicorum amplectimur cœtus.

639 „ Divinum enim reverà ſanctum & à Deo datum Symbolum trecentorum decem & octo Sanctorum Patrum in Nicæa congregatorum adoro & prædico, & chriſtiani ſplendoris manifeſtum judicium eſſe annuncio; & quinquaginta & centum Sanctorum Sacerdotum in hac Urbe Regia factam Venerabilem Synodum: ſimiliter & ducentorum Dei amatorum Patrum conventum in Epheſina factum; triginta & ſexcentorum Reverendiſſimorum Patrum & Sacerdotum & Synodum factam Chalcedone veram eſſe & convenientem & compaginatam prædictis ſanctis Conciliis, ipſe ego didici, alioſque docere cognovi. In his ergò quatuor Synodis ſanctis & ſacris magnum pietatis prædicatum myſterium, & omnium hominum eſt repoſita ſalus. Eos enim, qui fuerunt, vel ſunt ejuſdem ſententiæ & ſuſcipio & amplector, & unire me eis diligo. E contrà autèm eos, qui præter iſtas quid ſentiunt aut prædicant, vel præterito tempore aliquid conati ſunt, à cœtu orthodoxorum extorres eſſe exiſtimo. Similiter rectas & reverà religioſiſſimas Epiſtolas Venerabilis Papę Leonis pro recta fide conſcriptas circumamplector & ſuſcipio.

640 „ Habeat igitur hanc ſententiam circa me veſtræ Beatitudinis ſancta fraternitas. Vobis enim manifeſtum feci & ſub me Eccleſiis hæc prædico, feſtinans per omnia eas mihique & veſtræ Beatitudini vinculo charitatis adunari, quas omninò oportet eſſe unitas & inviolabiles, & corpus unum communis Apoſtolicæ Eccleſiæ, idemque perpetuò cuſtodire. Quantus enim circa veſtram venerabilem fraternitatem in omnibus ſit amor, jubete perpendere; quia quos veſtra Apoſtolica Sedes condemnans in Sacris Diptycis non recitare juſſit, eos nec ego inter ſacra facio recitari myſteria. Hoc autèm & his notum eſt, qui à vobis ſunt directi Viri Reverendiſſimi, ideſt, Germano ſanctiſſimo, & Joanni Epiſcopis, Felici & Dioſcoro Diaconibus, & Blando Presbytero, qui efficaciter ſecuti ſunt ea, quæ eis ſunt à vobis injuncta.

641 „ Oret igitur veſtra Sanctitas tàm pro me, quàm pro ſubjectis meis Sacerdotibus, ut perpetuè cuſtodiamur, rectam Dei tenentes confeſſionem, ſimiliter & pro Sereniſſimo Principe noſtro, & pro Chriſtianiſſima Auguſta, quia eorum ſalus communis ſanctarum ubique eſt Eccleſiarum profuturum firmamentum. Iſtam igitur vobis habentibus intentionem, nullo modo jam licebit ſanctam Dei dilacerari Eccleſiam, per gratiam Sancti Spiritus, & interceſſiones Sanctæ & glorioſæ Dei Genitricis Virginis Mariæ. Omnem quamcumque veſtram fraternitatem ego quoquè & mei plurimùm ſalutamus. *Alia manu*. Incolumis in Domino ora pro nobis, Dei amator ſanctiſſime frater. Accepta xv. Kal. Octobris, Ruſtico V. C. Conſule. *Hactenus Epiſtola*.

642 Sed & eodem tempore quo Epiphanius haſce ſuas literas miſit ad Pontificem, alias quoquè ſcripſit Juſtinianus Comes receptas ab Hormiſda eodem die, ſimùlque cum literis Epiphanii. In eis namque difficultates quorundam exponit Epiſcoporum, de delendis nominibus Epiſcoporum orthodoxorum præter Acacii nomen propter ſolam communicationem retentam cum Acacii nomine: & hoc plurimùm obſiſtere perfectæ aliarum Eccleſiarum unioni ſignificat. Controverſiam itèm de Chriſto uno de Trinitate, quæ in fide ambiguitatem aliquam apud nonnullos cauſabat, denuò aperit, & ab ipſo pariter ſolutionem poſtulat. Sunt ergò literæ.

643 „ Domino noſtro Jeſu Chriſto favente, regnat in ſæculo qui ſacrâ Religione ſuum fundat Imperium, quoniam benè gubernat humana, cui priùs Divina placuerint, quod præſentibus eveniſſe temporibus gratulamur. Filius etenim veſter Clementiſſimus Imperator æternitatis beneficio ſceptra ſortitus, fidei cauſas arripuit explicandas, & ad tuam Sanctitatem miſsâ Legatione Sedis Apoſtolicæ promeruimus Sacerdotes, quorum adventu non mediocriter adolevit Eccleſiarum concordia ſacroſanctarum, vobis inſtantibus, ut decebat. Acacii namque, quod diſſidium gerebat, nomine ſtirpitùs amputato, pro tenore libellorum, quos direxiſtis, in hac Urbe Regia multiſque Civitatibus unitas optata provenit, quam ſummis inventam laboribus venerari convenit, in perpetuumque cuſtodiri neceſſe eſt.

644 „ Hæc quibuslibet argumentis retractari quiſpiam patietur, quæ ſempiterna Majeſtas ritè compoſuit? Sed quia proſperos curſus frequenter impedire feſtinat humani generis inimicus, pars Orientalium

non

,, non exilis, nec ferro flammiſque compelli
,, poteſt, ut Epiſcoporum nomina poſt Aca-
,, cium defunctorum condemnet, quæ diffi-
,, cultas generali cōcordię moras nectit. San-
,, ctitas itaquè veſtra cœlitùs inſpirata tem-
,, porum rerumque qualitatem conſideret, &
,, condemnatis hujus erroris auctoribus, id-
,, eſt Acacio Conſtantinopolitano, Petro &
,, Timotheo Æluro, & Dioſcoro Alexandri-
,, nis, Petroque Antiocheno, finire dignetur
,, inveteratum certamen, de cæterorum no-
,, minibus quæſtione ſopita: ut redimatis
,, plebem de ſanguine, quam Deus noſter
,, regendam commiſit, ac non perſecutioni-
,, bus ac cruore, ſed patientiâ Sacerdotali
,, populum Domino noſtro concilietis, nè,
,, dùm volumus animas lucrari, & corpora
,, multorum perdamus & animas. Errores
,, etenim diuturnos lenitate clementiâque
,, convenit emendari: præcipuè quia veſtræ
,, Beatitudinis prædeceſſores ſępiſſimè volue-
,, runt Reipublicæ noſtræ Antiſtites ad ſuam
,, revocare communionem, ſi tantummodò
,, taceretur Acacius, cæterique prædicti.
,, Non eſt ergò grave quod ſuaſit veſtra Se-
,, des: ut præſtet illud etiam magis magiſ-
,, que depoſcimus, ut tua Sanctitas, conce-
,, ptâ gratiâ cœleſti, quæ prætendunt Orien-
,, tales Epiſcopi tractare dignetur, eorum-
,, que fidei competentem præbere conſen-
,, ſum.

645 ,, Nobis etenim videtur, quoniam
,, Filius Dei vivi Dominus noſter Jeſus Chri-
,, ſtus ex Virgine Maria natus, quem prædi-
,, cat ſummus Apoſtolorum carne paſſum,
,, rectè dicitur unus in Trinitate cum Patre
,, Spirituque Sancto regnare: ſicut enim vi-
,, detur ambiguum dicere ſimpliciter, unum
,, de Trinitate, non præmiſſo nomine Domi-
,, ni noſtri Jeſu Chriſti, ſic ejus perſonam in
,, Trinitate cum Patris Spirituſque Sancti
,, perſonis non dubitamus eſſe: ſine Chriſti
,, namque perſona nec credi Trinitas religio-
,, sè poteſt, nec adorari fideliter, quemadmo-
,, dùm Sanctus Auguſtinus ait: *An aliqua*
,, *ex Trinitate perſona*: & alio loco: *ſolus in*
,, *Trinitate corpus accepit*. Et iterùm, *unus*
,, *trium*.

646 ,, Rogamus igitur, Reverendiſſime
,, ſalutantes, ut futuri judicii memores, cau-
,, ſam taliter ordinetis, nè quid dubitationis
,, relinquatur impoſterùm, quatenùs cum
,, omni ſcrupulo diſcordiarum ſublato, pacis
,, deſideratæ per orbem totum vincula reno-
,, ventur, & venerandarum floreat Eccleſia-
,, rum concordia, corporiſque unius in pri-
,, ſtinum ſtatum membra recolligantur. Ille
,, namque Medicus jure laudatur, qui vete-
,, res ægritudines ità ſanare deproperat, ut ex
,, his nova vulnera non naſcantur. Speciali-
,, ter ergò cognoſcat veſter Apoſtolatus,
,, compoſitis eiſdem duobus capitulis, uni-
,, verſos Sacerdotes iſtius Reibublicæ liben-
,, ter amplecti veſtram communionem. Ac-
,, cepta xv. Kalendas Octobris, Ruſtico V.
,, C. Conſule. *Hæc Juſtinianus ad Hormiſ-*
,, *dam*.

647 At Hormiſda hiſce receptis literis, reſponſum dare diſtulit uſque ad adventum Legationis, quam eâdem de cauſa pollicitus fuerat mittere Imperator, ut ex ſuperiùs ipſius recitatis literis oſtenſum eſt. Intereà Epiphanius Synodum Conſtantinopoli collegit, ex qua decreta fuit Legatio ad Romanum Pontificem, ſelectis ad hoc munus præſtandum Joanne Epiſcopo Claudianopolitano, Heracliano Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Presbytero, & Conſtantino ejuſdem Eccleſiæ Diacono, qui receptis ſynodicis literis, aliiſque ab ipſo Epiphanio ſcriptis, ad iter ſe pararunt. Sed contigit Joannem Epiſcopum ejuſdem Legationis primarium ægrâ valetudine laborare, quem donec convaleſceret, expectare oportuit. Juſtinianus verò, qui per eoſdem Legatos alias literas ad Pontificem dirigere decreverat, morę hujus impatiens, per Eulogium Tribunum atque Notarium Legatorum adventum hiſce literis ad Hormiſdam datis prævenire voluit.

Domino Beatiſſimo & Apoſtolico Patri
Hormiſdæ Papæ Urbis Romæ,
Juſtinianus,

648 ,, Quantâ reverentiâ veſtram Beati-
,, tudinem veneramur multis Epiſtolis, ex
,, quo Sereniſſimus Imperator filius veſter re-
,, gnavit, cognoſcetis. In præſenti quoquè
,, debito pudore ſalutantes tuam Sanctita-
,, tem, poſtulamus enixiùs, ut aſſiduis pre-
,, cibus & frequentiſſimis orationibus pro
,, concordia laboretis Eccleſiarum veſtrarum,
,, nobiſque (ſicut per Legatos etiàm veſtros
,, per omnia ſcripſimus) tàm de ſermone, de
,, quo vertitur controverſia, quàm de nomi-
,, nibus Epiſcoporum ſub Acacio defuncto-
,, rum, per Eulogium virum ſublimem, Tri-
,, bunum & Notarium dignetur Apoſtolatus
,, veſter integrum, indubitatumque deſtinare
,, reſponſum; omnibus videlicet, quæ præ-
,, ſentibus Legatis veſtris ordinata ſunt, in
,, perpetuo firmiter duraturis.

649 ,, Vir namque religioſus Joannes
,, Epiſcopus, qui venturus eſt Romam, deti-
,, netur ægritudine corporali: nihil enim
,, prohibet ante ejus quoquè adventum con-
,, cordiam prævenire: ſublatâ dubitatione
,, Religionis, & eum tamèn mox dimittemus,
,, favente Divinitate, quia jam melius habet;
,, quoniam nec difficilia ſunt quæ ceciderunt
,, in ambiguitatem, nec expedit diutiùs cau-
,, ſam vitæ protrahi ſempiternæ, nè dilatis
,, temporibus aliquid naſcatur incertius.
,, Æternitatis igitur ſupernæ, tremendique
,, Judicii non immemor Sanctitas veſtra, quę
,, ſibi commiſſa ſunt efficaciæ tradi depropé-

„ ret „ ut intelligant cuncti, rectè vos Apo„ ſtolicæ Sedis eſſe primatum ſortitos. Hæc „ igitur, quæ ſcribuntur à nobis affectu pa„ terno, jubete quantocitiùs adimpleri. Sci„ tis namque quàm ſit admirabilis gloriç tan„ torum errores annorum veſtri Pontifica„ tus tempore ſtirpitùs aboleri. *Hæc Juſti„ nianus*.

650 Juſtinus quoquè Imperator, qui Eulogium Tribunum ſuprarecenſitum Romam ad Theodoricum Regem ſuper quibuſdam negotiis direxerat, per eundem & ipſe voluit ad Hormiſdam literas facere, quibus de delecta Legatione certiorem reddidit, ſignificans eſſe aliquatenùs retardatam expeditionem propter Joannis Epiſcopi ægritudinem, cui mandata dediſſe ſubjungit exponendi Sanctitati ſuæ capitula, quæ ad perfectam unitatem Eccleſiarum pertinebant, ſic ſcribens.

Juſtinus Auguſtus Hormiſdæ Papæ.

651 „ Dùm Beatiſſimum Germanum Epi„ ſcopum, vel eos, qui cum eo à vobis fue„ rant deſtinati, de hac dimitteremus Regia „ Civitate, hujuſmodi illis mandata tradi„ dimus, quòd capitula, quæ ad perfectam „ unitatem Eccleſiarum pertinebant, Apo„ ſtolatui veſtro per Reverendiſſimum Joan„ nem Epiſcopum ſequenter manifeſta face„ remus,quç tamen ipſis hic prçſentibus fue„ rant declarata. Sed evenit præfatum Joan„ nem Antiſtitem longâ ægritudine detineri. „ Nè qua igitur veſtram Reverentiam ingre„ diatur adverſa ſententia, quaſi vobis pro„ miſſa noſtrâ deſidiâ quadam ultroneâ mi„ nùs ad effectum perducentibus, neceſſa„ rium eſſe perſpeximus dilationis cauſam „ vobis exponere per Eulogium veſtræ San„ ctitati Tribunum & Notarium, quem ad „ præcelſum Regem Theodoricum ſuper ne„ gotiis quibuſdam tranſmiſimus: hoc quo„ què adjicientes, quòd dùm propitia Do„ mini & Dei noſtri Majeſtas eundem virum „ religioſiſſimum Joannem priſtinæ voluerit „ reddere ſanitati, ſicut ſemel promiſeramus, „ ſtatim illum ad tuam Sanctitatem tranſ„ mittemus. Supereſt, ut Sanctitudo tua „ Divinum nobis præſidium orationibus ſuis „ dignetur acquirere. Data Conſtantinopoli „ pridie Kalen. Septembris. Accepta Romæ „ Kal. Octobris, Ruſtico V.C. Conſule. *Hæc Juſtinus*.

652 Cùm verò ex prælibatis Juſtini, atque Juſtiniani literis conſtet Legatos Apoſtolicæ Sedis jam Romam reverſos, præſtat videre quandò reverſi fuerint, & quibus mandatis atque literis muniti, antequàm ulteriùs de hac Epiphanii & alterâ Juſtini Legatione agere progrediamur; quoniam poſt Legatorum reditum tàm Epiphanius Legatos ſuos, quàm Juſtinus ad Pontificem direxerunt, ſicut jam indicatum eſt. Itaquè ſub Conſulatu Vitaliani & Ruſtici, Anno nimìrum Domini DXX. Imperii Juſtini III. & Hormiſdæ Pontificatus Anno VII. Romam remeaſſe, arrepto itinere menſe Julii, recenſendæ Juſtini literæ demonſtrant: nèc ſolus Juſtinus literis ſuis commendatos ad Pontificem remiſit, verùm & eâdem occaſione per eoſdem remeantes Legatos literas ad eundem Pontificem fecerunt Euphemia Auguſta, Celer vir illuſtris, atque Juliana. Reddemus ergò primùm literas Juſtini, indè alias.

Juſtinus Auguſtus Hormiſdæ Papæ per Legatos Germanum, & Joannem Epiſcopos, Felicem, & Dioſcorum Diaconos, & Blandum Preſbyterum.

653 „ Summa quidèm habenda vobis eſt „ gratia, quòd alacrem operam non dubita„ tis impendere ad colligendas, adunandaſ„ que venerabiles Eccleſias; verùm in ea „ prælucet maximè perfecta ſolertia, quòd „ homines adoptatis, qui voto benevolo tuæ „ Sãctitudinis ſyncero & integro poſſint ani„ mo deſervire. Germanus ſiquidèm Reve„ rendiſſimus Epiſcopus, necnon Felix & „ Dioſcorus, & Blandus viri religioſiſſimi „ tantâ ſemet præbuerunt attentos induſtriâ, „ ac in tanta ſapientia verſati ſunt, ut quan„ tùm ad officium eorum pertinet, tranſactis „ in plenum & elaboratis omnibus, nihil al„ tercationis ſupereſſet ulteriùs. Sed cùm „ ea conditione ſit mortalis fragilitas, ut re„ miſſiùs circà ſe agi deſideret, & interro„ gationibus ſuis planum præberi reſponſum; „ maximè cum aliqua cauſa in immenſa ho„ minum fuerit multitudine devoluta, fa„ ctum eſt, ut in hac quidèm Urbe florentiſ„ ſimâ quidquid ordinatum eſt de cauſa Re„ ligionis, deque unitate celebranda cum „ Apoſtolica Sede ſub temporibus Joannis „ religioſiſſimæ memoriæ, cùm in Sacerdo„ tio Regiæ eſſet hujus Urbis, id, favente „ Deo, ſervetur immobile, quin & in aliis „ compluribus Civitatibus probata ſit veſtra „ ordinatio, atque ſuſcepta.

654 „ Cçtera verò clementiore quodam „ indigeant moderamine in nominibus Anti„ ſtitum; non eorum, qui ſpecialiter nume„ rati ſunt in Epiſtolâ, quam Sanctitudo tua „ nobis deſtinaſſe noſcitur, ſed aliorum, „ quorum memoriam maximè Civitates dili„ gunt, in quibus floruiſſe noſcuntur Super„ ſtites. Quapropter Legatis quidèm tuæ „ Sanctitudinis nulla fuit licentia mandati „ tenorem egrediendi, cum quo directi ſunt. „ Omnis autem finis negotii veſtro jam tan„ tùm pendet arbitrio, ut ſolus pacem con„ cludere debeat, qui prima rei commovit „ exordia; ſed ea quidèm necnon quædam „ commemorabuntur apertiùs per Legatum no-

„ noſtrum, qui paulò poſt deſtinabitur. In „ præſenti verò redeuntibus Viris religioſiſſimis, tàm appellandam veſtram Reverentiam credidimus, quàm commonendam, „ & ſuis orationibus pro noſtro utatur Imperio, proque incolumi ſtatu Reipublicæ. „ Data VII. Idus Julii Conſtantinopoli, Vitaliano & Ruſtico viris clariſſimis Conſulibus. *Hæc Juſtinus per Legatos*. Euphemia porrò Auguſta has per eoſdem perbreves dedit literas.

Euphemia Auguſta Hormiſdæ Papæ.

655 „ Beatitudinis veſtræ literas grato, „ jucundoque ſuſcepimus animo, quem etenim non ſolùm Apoſtolicæ Sedis auctoritas „ celebrat, ſed vitæ quoquè commendat integritas, & ſtudioſa rectæ fidei ſolertia, hujus verba quis non libentiſſimis ſuſcipiet „ auribus? Igitur poſcimus ac monemus, ut „ orationibus veſtris nunquàm excedat nomen meum, ac præcipuè Sereniſſimi Conjugis noſtri, ſed tàm utrique noſtrorum, „ quàm Reipublicæ ſupernum precibus veſtris placetur præſidium. *Hactenus Euphemia*, quæ literis ab Hormiſda datis, quas ſuprà recenſuimus, diſtulit reſponſum dare ad reditum uſque Legatorum. Celer autem ſic ſcripſit.

Domino Beatiſſimo & Apoſtolico Patri Hormiſdæ
Celer vir illuſtris.

656 „ Maxima nobis gratulationis cauſa „ præſtatur, quoties ad Apoſtolatum veſtrum ſcribendi tempus emerſerit. Nunc „ igitur remeante Beatiſſimo Germano Epiſcopo, vel reverendiſſimis Viris, qui à vobis pro conjungendis Sanctis Eccleſiis „ fuerunt deſtinati, neceſſarium duximus „ Sanctitatem veſtram debere venerari, indicantes antedictos habuiſſe quidèm ſtudium, ut voluntatem veſtram plenus ſequeretur effectus; ſed quia totum Corpus erat „ infirmum, interim caput, quod priùs neceſſarium judicatur, adhibito medicamine veſtro ſanatum eſt; & diſſenſio, quæ „ erat inter venerabiles Eccleſias Romanam, „ & Conſtantinopolitanam, unitate interveniente, ſepulta eſt, & alia non parva membra ſimili Divinitatis gratiâ, purgata atque conjuncta. Hanc etiam ſpem gerimus „ univerſi, quòd gratia Dei, quæ ſemper „ Sedi veſtræ permanſit, & permanet, hujuſmodi vobis inſpirationem bonitatis præbeat, & manſuetudine & diſpenſatione veſtrâ, reliquum adhuc corpus, quod habetur infirmum (ſicut ſuperiùs à nobis dictum) veſtro medicamine unitate receptâ „ jungatur. Specialiter autèm deprecamur „ Pontificium veſtrum, ut pro nobis benigno Patris animo orare jubeatis. *Hactenus Celeris Epiſtola*. At verò Julianæ literæ ſic ſe habent.

Domino Beatiſſimo atque Apoſtolicæ Sedis probatiſſimo Pontifici Hormiſdæ Patri.
Juliana Anicia.

657 „ Quæ prima ſunt tua Beatitudinis „ ſalutationis obſequia perſolvimus, optantes, ut hanc paginam tuis venerandis obtutibus Divinitas faciat recenſeri, & pro ſuæ „ Eccleſiæ vigore augmenta ſalutaria veſtræ „ vitæ ſuffragari dignetur, quatenus te pervigili poſſit contra adverſos & rabidos canes Status Eccleſiæ vindicari. Etenim, „ Venerabilis Pater, quod de noſtræ fidei „ integritate curam geris, Vicariis glorioſi „ Petri Apoſtoli iſta conveniunt, cui Dominus paſcendarum ovium injunxit officium. „ Cognoſcat ergò tua pro nobis ſancta ſollicitudo, nos firmiùs tenere rectæ fidei firmitatem immobilem, pro qua, nè ejus violaretur ſanctimonia, hactenus repugnavimus. Quòd verò tuus Apoſtolatus pro „ tantæ pietatis causâ curam ferre præcepit, „ in quantum potuimus, pro noſtris viribus „ non deſivimus ſpiritu lenitatis adverſos admonere, & Dei nobis gratiâ cooperante &c. *Hæc ibi*: deſunt reliqua: eſt enim „ prælibata mutila Epiſtola.

658 Antequam porrò Legati Romam appuliſſent, quin potius dum Conſtantinopoli adhuc morantes ad iter ſe parabant, prælibatæque expedirentur literæ. Hormiſda ipſorum moræ impatiens, duas ad eoſdem fecit literas, quibus cauſam tantæ moræ ſcire ſe velle indicaverat, atque ſimul ad quamcitiùs ad Urbem remeandum ſollicitaverat, quarum prima brevior talis fuit.

Hormiſda Legatis ſuis.

659 „ Ità non incolumitatis, & actuum „ veſtrorum cura ſollicitat, ut quamvis frequentibus occaſionibus non prætermittamus hortari, certiores vos de his, quæ circà vos aguntur fieri literis deſtinatis. „ Nam & cùm per hominem illuſtris viri atque magnifici Patricii filii noſtri Agapiti „ deſideriis veſtris congruos miſerimus affatus, & nunc quoquè anxietatis veſtræ credidimus ſolatium, ſi ad vos præſentia ſcripta mitteremus: tantum eſt, ut de actibus „ atque ſoſpitate veſtra, necnon & de mora, „ per quam vos detineri plurimùm dolemus, „ relevetis vos alloquiis ſub occaſione idonea „ portitoris. Data IV. Idus Julias, Ruſtico V. C. Conſule. *Hæc Hormiſda*, qui paucis poſt diebus hanc alteram ſcripſit.

Hormiſda Germano Epiſcopo, Felici & Dioſcoro Diaconis, & Blando Presbytero.

660 „ Animos noſtros tam diuturnum „ dilectionis veſtræ ſilentium, ut tantorum „ temporum contriſtat abſentia, præcipuè „ cùm vir magnificus Patricius Symmachus, „ & vir illuſtris Romanus Magiſter Militum „ filii noſtri reditum apud nos charitatis ve„ ſtræ ſine dilatione promiſerint, & ignora„ mus utrum illic cauſarum qualitas, an cer„ tè fraus aliqua ſimulatâ ſub neceſſitate de„ tineat; quia nobis ſollicitudinem ſine ceſſa„ tione gerentibus, & penè univerſos homi„ nes illarum partium percunctantibus, di„ verſa & diſſimilia nunciantur: & ideò, „ quoniam vos cauſas tantæ tarditatis meliùs „ deprehendere & intelligere poteſtis atque „ cognoſcere, ſignificare nobis iſta, de qui„ bus noſter cruciatur animus, debuiſtis; „ vel ſi eſt cauſa dilationis idonea, ſicut con„ ſtitum eſt, aliquem de veſtris ad nos opor„ tuerat deſtinari, undè nè forſitan per verſu„ tias aut aliquam concinnationem vobis di„ latio & impedimenta generentur, ſub ce„ leritate nobis ſcribite, ut ſub rationabili „ ordinatione pro veſtra repetitione ad filium „ noſtrum clementiſſimum Imperatorem di„ rigamus. Ergò tàm circa perſonas, quàm „ de cauſa fidei, pro qua diù moramini, quid „ geratur inſtruite, atque pleniſſimè nobis „ univerſa reſcribite, ut omnibus cognitis, „ Deo noſtro favente, tractemus, quemad„ modùm perſonis veſtris, & cauſæ ipſius, „ cujus res agitur, poſſit miſericordia ſubve„ nire. Data Idibus Julii, Ruſtico Viro cla„ riſſimo Conſule. *Hactenus Hormiſda*. Sed hujuſmodi literæ poſt Legatorum diſceſſum Conſtantinopolim pervenerunt, quoniam, ſicut dictum eſt, & allegatæ Juſtini literæ oſtendunt, eodem menſe, quo Hormiſda eas ſcripſit, Conſtantinopoli diſceſſerant Legati.

CAPUT XX.

De Legatione Epiphanii Epiſcopi Conſtantinopolitani, & altera Juſtini Auguſti ad Hormiſdam

661 DEcretâ, ut ſuprà dictum eſt, in Synodo Conſtantinopolitana ab Epiphanio unà cum cæteris congregatis Epiſcopis ad Hormiſdam Legatione, atque retardatâ propter Joannis Claudianopolitani Epiſcopi ægritudinem expeditione, ipſo denique convaleſcente ſuum ſortita eſt effectum, eodem anno, quo ſuprà, nimirùm DXX. licèt labente, ſub Conſulatu Ruſtici, jam ceſo Vitaliano, ut in ſuperioribus monuimus, in Oriente altero Conſule. Romam itaque ad extremum menſis Novembris appulerunt Orientales Legati, & pridie Kalendas Decembris admiſſi à ſummo Pontifice, qui ſumma cum humanitate eos ſuſcepit, Synodicas de Epiphanii ordinatione eidem contradiderunt tenoris ſequentis literas.

Domino noſtro Sancto ac Beatiſſimo Patri Patrum Archiepiſcopo & Patriarchæ Hormiſdæ, Theophilus, Baſiliſcus, Iſaias, Anaſtaſius, Paternus, Martianus, & cætera ſancta Synodus, quę in Conſtantinopolitana eſt Civitate congregata.

662 „ Innumerabilem & inveſtigatam „ Magni Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti „ ſapientiam, quantùm hominibus datur in„ telligi, conſiderantes, charitatem ejus im„ menſam juſtè miramur, & cum magna cla„ mamus voce: *Quis loquetur potentias Do„ mini, auditas faciet omnes laudes ejus?* „ Ecce enim per bonam voluntatem ſanctæ „ & unius eſſentiæ Trinitatis, & interceſſio„ nem glorioſæ Mariæ Virginis, ſtudio quo„ què & vigilantiâ chriſtianiſſimi & fideliſſi„ mi Imperatoris, & piiſſimæ Reginæ, olim „ quæ fuerant membra diviſa, per Spiritus „ Sancti gratiam ad unitatem & charitatem „ perfectam ſunt redacta. Et ſicut Moyſes „ & Aaron Duces Dei veræ culturæ Iſraeli„ ticæ nominati, nunc ità & nos gaudentes „ clamamus: *Cantemus Domino; glorioſè enim „ magnificatus eſt. Adjutor & protector factus „ eſt mihi in ſalutem.* Et hæc ſentire & prædi„ care cum fiducia ſumus edocti.

663 „ Conſiderantes autem charitatem, „ & Deo amabilem veſtræ Beatitudinis vi„ tam etiam ex his, qui à vobis ſunt deſtinati „ Reverendiſſimi Legati, ſimiliter & pacem „ ſanctarum Dei Eccleſiarum tàm ſenioris, „ quàm novellæ Romæ, cui nos ipſi partici„ pes fuiſſe monſtramus, bono Paſtori & Prin„ cipi omnium Chriſto Deo noſtro conſuetè „ gratias referimus. Nam poſt obitum ſan„ ctæ recordationis quondam Archiepiſcopi „ & Patriarchæ Joannis Conſtantinopolitanę „ Civitatis, Deus, qui propriam Eccleſiam „ in petrâ rectæ fidei incorruptâ fundavit, & „ portas Inferni non prævalere ei decrevit, „ dedit nobis ſanctum Paſtorem & Patriar„ cham Epiphanium, virtutibus & correctio„ nibus & meditatione Divinarum florentem „ Scripturarum, rectam quoquè tenentem „ fidem, & orbatorum paternam regentem „ ſollicitudinem: & quid ampliùs dicam? „ omnem pręconiorum fontem tranſcen„ dentem.

664 „ His ergò virtutibus pollens, non „ immeritò proprias & creditas ſibimet ma„ ximas Eccleſiæ curas ſapienter & honorifi„ cè geſſiſſe dignoſcitur, habens in mente il-

lud

„ lud, quod à ſacri Cantici auctore relatum „ eſt: *Os meum loquetur ſapientiam, & meditatio cordis mei prudentiam*. Undè ſecuncundùm rectam & probabilem fideliſſimi & chriſtianiſſimi noſtri Principis, & piiſſimæ Reginæ, & glorioſiſſimorum communis Reipublicæ Procerum ſententiam, noſtrâ quoquè etiam omnium in hac Urbe habitantium teſtificatione, judicium Pauli mirabilis communis Eccleſiæ Doctoris, non eſt in eo fraudatum, qui irreprehenſibilem debere eſſe Epiſcopum denunciat; ità & noſtrum Pontificem virtutibus undiquè coronatum eſſe videmus.

665 „ Igitur Eccleſiaſticam legem implentes, Apoſtolatui veſtro ſalutationis debitum perſolventes officium, ſperamus, ut ampliùs charitatis vinculum, & paternum affectum circa nos charitas veſtra cuſtodire dignetur, & ſapienti gubernatione & humilitate, quæ chriſtianum decet, & manſuetudine, quæ ad rationabilis traditi vobis ovilis ſalutem pertinet, peragatis, commune lucrum exiſtimantes, quòd per vos & veſtrum germanum & comminiſtratorem, noſtrum autem Dominum & Patriarcham, pacem totius Orbis Eccleſiarum eſſe proviſam: *Frater enim à fratre adjuvari ſpiritualiter, murus eſt inexpugnabilis, & Civitas munita*, ex Divinis eſt accipere Scripturis. Nam interceſſionibus veſtræ Beatitudinis generalis tranquillitas Eccleſiæ orthodoxorum fuerit redonata: Gloria quidèm in excelſis Deo omnium Salvatori per Angelos cum lætitia referetur, pax verò in terra confirmabitur: bona autem volutas fidelibus communis Domini & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti ſervis fundetur.

666 „ Adjicient igitur noſtris ſupplicationibus, quod minùs dictum eſt, Joannes ſanctiſſimus Epiſcopus Claudianopolitanæ Civitatis noſtræ comminiſtrator & Heraclianus, Reverendiſſimus Presbyter ſanctę majoris Eccleſiæ & cohabitator prędicti ſanctiſſimi Archiepiſcopi & Patriarchæ Epiphanii, & Conſtantius vir reverendiſſimus Diaconus ejuſdem ſanctæ Eccleſiæ, qui probationem ſuæ rectæ fidei & bonæ voluntatis olim his, qui à veſtra Apoſtolica Sede fuerant directi, dediſſe cognoſcuntur: digni autem & veſtræ Sanctitatis & adminiſtratione pacis & gratiæ Domini noſtri Jeſu Chriſti Dei noſtri & unitionis ſanctarum Eccleſiarum monſtrabuntur. Quos ſperamus lætantes in Domino, & pacem deſideratam nunciantes, ad nos citiùs veſtris Deo amabilibus correctionibus edoctos remeare dignemini. Omnem in Chriſto fraternitatem nos quoquè & qui nobiſcum ſunt plurimùm ſalutamus. *Hactenus Synodica*.

667 Ei porrò ſubſcripſerunt Epiſcopi, Theophilus Heraclienſis Eccleſiæ, Baſiliſcus Ticinenſium, Stephanus Nicomedienſium, Iſaias Rhodiæ, Anaſtaſius Nicæenſium, Joannes Claudianopolitanæ, Paternus Provinciæ Scythiæ, Martianus Chalcedonenſis, Patricius Eudoxiopolitanæ, Eulogius Melitenæ, Palydentius Antiochenæ, Stephanus Philomelienſis, Chriſtodorus Methymnenſis, Palmantius Oenandes in Lycia, Joannes Attalienſis, Joannes Olympinæ, Martianus Martianæ in Lycia, Phocas Dardanenſis in Helleſponto, Zoticus Carpatienſis, ac Sabbatius Stratonicienſis in Lydia. Scripſit per eoſdem Legatos, ut innuimus ſupra, & ipſe Epiphanius, quibus tàm Imperatoris, quàm ejus Conjugis, ac ſuam animi alacritatem pro reddita Eccleſiis pace, ac earum inita unione, demonſtrat. Indicat Ponti & Aſiæ, ac maximè Orientis Sacerdotes ſuorum Epiſcoporum nomina damnare volentes in unionem atque communionem recipiendos: Calicem quoquè, aliaque munera ſe eidem mittere ſignificat. Sunt ergò literæ ſequentes.

Domino per omnia Sancto, ac Beatiſſimo Fratri & Comminiſtratori Hormiſdæ Epiphanius Epiſcopus in Domino ſalutem.

668 „ Quantam habuimus alacritatem nos quoquè & piiſſimus & chriſtianiſſimus Imperator unà cum fideliſſima & in omnibus bonis florente Conjuge ſua circa rectam & puram ſanctarum Eccleſiarum unitionem, & quemadmodùm cum charitate Dei, qua nos decebat, deſtinatos à vobis ſanctos Epiſcopos & religioſos ſuſcepimus, & venerandos habuimus Clericos, exiſtimamus quidèm & ante ex his, quæ acta ſunt, ſatisfactum veſtræ Beatitudini. Credidimus tamen, quòd ſi Dominus Salvator Jeſus Chriſtus Deus noſter idem ipſos Reverendiſſimos Comminiſtratores noſtros incolumes veſtris obtutibus præſentavit, omnia, quæ excitata ſunt, vobis ſanctiſſimis manifeſta fieri, & laborem, quem potuimus ſuſtinere, per hos ipſos manifeſtiùs cognoſcetis: Quemadmodùm per Dei gratiam & fideliſſimorum Principum noſtrorum, Conſtantinopolitanæ Civitatis noſtra Eccleſia pacificè eſt gubernata; & nomina eorum inter ſacra non ſunt recitata myſteria, quæ Sedi veſtræ prophana cognovimus. Sed quatuor Conciliorum pro recta fide conſonantia prædicatur, & hoc ipſum omnibus ſacrorum Diptychorum recitatione manifeſtum eſt.

669 „ Annuncient igitur vobis, quia non pauci nobis ſubjecti Sacerdotes, nec rurſus ſub eorum ordinatione Epiſcoporum parva eſt ſubdita multitudo, quæ bonum hujus cœptæ unitionis amplectitur: veſtra etiam Sanctitas cognoſcat iſtius ſe ge-

„ generalis boni, & Principem & inceptorem
„ nihilominùs conſtitutum. Undè fortiter
„ ad vigilandum Beatitudo veſtra laudum eſt
„ ſtimulis excitanda, nè id, quod Divina in
„ honorem veſtri cœperat ordinare miſeri-
„ cordia, non ad plenum itaut condecet
„ communis unitas pervenire videatur. Di-
„ ligentiùs autem de his fideliſſimi & piiſſi-
„ mi noſtri Principes de ſanctarum Dei Ec-
„ cleſiarum unitate & concordia gaudentes,
„ ad veſtram mandaverunt Beatitudinem
„ ſupplicationes à plurimis ſanctis Sacerdo-
„ tibus ſuſcipientes tam Ponti, quàm Aſiæ
„ Provinciæ & maximè Orientis, apud quos
„ nomina quondam Sacerdotum ſuorum ta-
„ cère difficile & impoſſibile eſſe videtur,
„ tantaque eorum obſtinatio eſt, ut omne
„ periculum pro tali facto parati ſint ſuſti-
„ nere.

670 „ Igitur præcedentes omnes circa
„ pacis ſtudium neceſſarium cauſas conſide-
„ rantes, quia per ſolam iſtam humilitatis
„ viam communem omnibus unitionem &
„ ſalutem invenimus, interrogantes, ſicut
„ dictum eſt, & ſatisfacientes vobis ab illis,
„ qui à nobis in hoc negotio ſunt deſtinati,
„ cauſam cum pacifica, qua vos decet, gu-
„ bernatione diſpenſetis; nam dùm una utra-
„ que ſit Eccleſia, proculdubiò & bona,
„ quæ per vigilantiam eveniunt, communis
„ exindè laudis gloria utriſque Patriarcha-
„ iibus Sedibus rimatur, ut conſuetè omnium
„ Dominus & conditor Chriſtus verus Deus
„ noſter magnificetur. De his autèm omni-
„ bus ſummo vobis ſupplicentur affectu Jo-
„ annes Sanctiſſimus Epiſcopus, multos no-
„ biſcum ſudores in præſenti deponens cer-
„ tamine, & Heraclianus reverendiſſimus
„ Presbyter ſanctæ noſtræ majoris Eccleſiæ
„ & cohabitator noſter, & Conſtantinus re-
„ verendiſſimus Diaconus ejuſdem majoris
„ Eccleſiæ, per quos & noſtra Synodalia ſe-
„ cundùm Eccleſiaſticas veſtræ Beatitudinis
„ deſtinavimus leges.

671 „ Nunc igitur piiſſimi noſtri Impe-
„ ratoris ſtudium circa ſanctarum Eccleſia-
„ rum unitionem oſtendentis, pacificis ad
„ veſtram Beatitudinem de his cauſis utendo
„ literis, & oblatas ſibimet ab Hieroſolymi-
„ tanis, & Orientalibus petitiones deſtina-
„ vit. Nos ergò occaſionem ſalutationis in-
„ venire volentes, hanc ad vos fecimus Epi-
„ ſtolam, per quam ſupplicamus, proponen-
„ tes vobis ſanctiſsimis hanc vocem divinam:
„ *Ecce tempus acceptabile; ecce nunc dies ſalu-*
„ *tis*. Ecce credidit nobis omnium Dominus
„ talentum, quod augmentatum poſsit re-
„ ſtitui boni operis fructu, & ſalvari per lau-
„ dabilem veſtram diſpenſationem tantas
„ quidem ſanctas Eccleſias, tantoſque eorum
„ Sacerdotes & multitudinem innumerabi-
„ lem, nunc quidèm unitam ſanctæ Eccleſiæ,
„ periclitantem autem & errantem, ſi veſtræ
„ Beatitudinis gubernaculum commemore-
„ tur, & maximè his, qui in ſanctis locis
„ habitant Chriſti Dei noſtri, ità ubiquè ſan-
„ ctis adhærentes Eccleſiis, ut eorum reſpui
„ non debeat multitudo. Nàm omnes per
„ ſuggeſtiones eorum, ità in obſtinationis
„ ſuæ malo perdurant, ut velint ante è vita
„ recedere, quàm excogitata relinquere, ut
„ ſi Deus hos per veſtram Beatitudinem adu-
„ nari præceperit, veſtræ laudis meritum &
„ præſētibus & futuris adſcribatur tēporibus.

672 „ Oret igitur veſtra Sanctitas tam
„ pro piiſſimis & chriſtianiſſimis Principi-
„ bus, quàm pro noſtra parvitate, & uni-
„ verſali unione, ut gratia ſanctæ, & unius
„ eſſentiæ Trinitatis, & interceſſionibus Do-
„ minæ noſtræ Sanctæ, & glorioſæ Virgi-
„ nis & Dei Genitricis Mariæ, omnia ad
„ unitatem indiviſam conveniant, & funda-
„ mentum inconcuſſum Catholicæ fidei con-
„ firmetur per omnia, ſanctiſſime Frater.
„ Indicia autem noſtræ ſecundùm Chriſtum
„ Dominum noſtrum charitatis per Viros
„ reverendiſſimos deſtinavimus ad admini-
„ ſtrationem Divinæ culturæ & Sanctæ
„ Apoſtolicæ veſtræ Eccleſiæ Calicem au-
„ reum gemmis circumdatum, patenam au-
„ ream, & alium Calicem argenteum, vela
„ ſerica duo; quæ ſuſcipere veſtram Beatitu-
„ dinem ſupplicamus cum illa charitate,
„ quam vos habere ſecundùm Deum non du-
„ bitamus. Omnem in Chriſto fraternitatem,
„ quæ cum veſtra eſt Sanctitate, nos quoquè
„ & qui nobiſcum ſunt, plurimùm ſalutamus.
„ Accepta pridie Kalendas Decembris, Ru-
„ ſtico V. C. Conſule. *Hactenus Epiphanii*
Epiſtola ad Hormiſdam.

673 Oblatus fuerat clementiſſimo Prin-
cipi Juſtino Auguſto ab Eccleſiæ Hieroſoly-
mitanæ, necnon & Antiochenæ, & ſecundæ
Syriæ Clericis, atque Abbatibus & poſſeſſo-
ribus Provinciæ Syriæ libellus ſupplex, quo
in Eccleſiæ Catholicæ communionem recipi
poſtulabant, enixèque exorabant, emiſsâ in
eo ſuæ fidei profeſſione, qua perſpicuum fie-
ret Imperatori, ſe nihil devium à Catholica
& orthodoxa fide retinere, cujus meritò re-
pelli poſſent. Eo itaque ab Imperatore rece-
pto, non ſunt admiſſi, ſed priùs conſulendum
Romanum Pontificem juſſit: proindè præfa-
tum libellum Joanni Epiſcopo contradidit
eidem Pontifici exhibendum, ſicuti & factum
eſt. Exemplar autèm ejus hoc modo ſe habet.

Deo amabili ac piiſſimo Imperatori ex Deo Au-
guſto & Principi Juſtino Chriſtianiſſimo
Deprecatio & ſupplicatio ab Hieroſolymitanis,
& Antiochenis, & ſecundæ Syriæ Cleri-
cis, & Abbatibus, & poſſeſſori-
bus Syriæ Provinciæ.

674 „ *Haurite aquas cum lætitia ex fon-*
„ *tibus ſalutis*, vociferator Iſaias exclamat,
fon-

„ fontes ſalutis Evangelicæ veritatis prædicationes manifeſtè oſtendens, ex quibus Beati Apoſtoli, & eorum, qui per ordinem fuerunt Diſcipuli & ſapientes Eccleſiæ Doctores, ſalutarem aquam fidei haurientes, omnes ſanctam Dei Eccleſiam irrigaverunt, quæ in petra ſummi Apoſtolorum ſubnixa rectam & inflexibilem confeſſionem cuſtodiens, fiducialiter cum eo ad Unigenitum Filium Dei exclamat omni tempore, dicens: *Tu es Chriſtus filius Dei vivi.* Hanc ſalutarem confeſſionem à ſanctis quatuor Synodis, quæ Evangelicis præceptis ſunt honoratæ, ſuſcipientes, nunquàm per Chriſti gratiam à traditis nobis rectis dogmatibus deviavimus, ſicut rerum teſtatur probatio, & tempore neceſſitatis fidei conſtantia demonſtrat.

675 „ Si igitur, ut Chriſtiani rationis fidei ſumus participes, Domine piiſſime, & ad communem pacem & unitatem feſtinamus, noſtram fidem, quam ab initio ſuſcepimus, per hanc ſatisfactionem noſtram manifeſtam veſtræ facimus pietati, ut notum ſit, quia & paci concurrimus, & à recta cum Dei juvamine non divertimus fide, ſed omnem ex æquo hæreſim execramur, non ſolùm Eutychianiſtas & Acephalos, ſed & Neſtorianos, & homines colentes toto animo audentes anathematizamus.

676 „ Nos autem, Domine chariſſime Imperator, ſicut ſupra dictum eſt, in Patrem & Filium & Spiritum Sanctum baptizati quoquè, & credentes eſſentiam Dei in tribus ſubſiſtentiis, adoramus; ſecundùm Sanctorum Patrum Symbolum credentes in unum Deum Patrem omnipotentem, & in unum Dominum Jeſum Chriſtum Unigenitum Deum Verbum, ſimiliter & in unum Spiritum Sanctum; & ſecundùm hoc Divinum Mathema, diffinitionem à ſancta Chalcedonenſi Synodo promulgatam intelligimus quoquè & ſuſcipimus, confitentes & credentes, quia unam ſubſtantiam, vel perſonam, quod idem eſt, ipſa ſancta Synodus in duabus naturis, ideſt, in Deitate & humanitate indiviſè & inconfuſè prædicavit Deum Verbum.

677 „ Dominus noſter Jeſus Chriſtus unus eſt ex ſancta & unius eſſentiæ Trinitate: Si enim unum Deum in tribus ſubſiſtentiis, ſicut dictum eſt, accipimus, Pater autem non eſt incarnatus, nec Spiritus Sanctus; Deus Verbum incarnatus eſt, & homo factus eſt, unus ex ſancta & unius eſſentiæ Trinitate, ſecundùm filiationis proprietatem. Sic ità ſecundùm prædictas quatuor Synodos credentes, & ſecundam Dei Verbi Nativitatem ſecundùm carnem confiteri non renuimus. Undè propriè Virgo Dei Genitrix eſſe creditur, tanquàm natura & veritate unius eſſentiæ Patri Filium Deum Verbum, naturâ immutabilem, ex ipſa factum hominem, enixa eſt, & duas naturas in Chriſto per eſſentiam vel ſubſtantiam unitas confitentes, ſicut in unius perſona, vel ſubſtantia; nec harum diverſitatem vel proprietatem poſt unitionem auferimus, nec eas dividere in duabus perſonis & ſubſtantiis per unitionem ſumus edocti; eundemque ſcimus Unigenitum Filium Dei, & ante Incarnationem ejus, & poſt, eundem Deum quidèm ſimùl & hominem, paſſibilem carne, impaſſibilem Deitate, circumſcriptum corpore, non circumſcriptum ſpiritu, eundem terrenum & cœleſtem, quem Mundus ut hominem capit, & ut Deum continere non potuit, mortalem & immortalem, nuſquàm naturarum diverſitate ejus ablatâ, neque dividentes per eſſentiam unionem.

678 „ Hoc enim veræ magnum pietatis myſterium, quia unus ex ſancta unius eſſentia Trinitatis incarnatus, & homo factus Deus Verbum in utraque natura Deitatis & humanitatis, indiviſè & inconfuſè cognoſcitur & adoratur, non converſionem vel mutationem ſuſtinens, ſed proprietatem utriuſque naturæ in una perſona in ſemetipſo conſervans. Ob hanc igitur fidem prædictas ſanctas Synodos ſuſcipientes & cuſtodientes, anathematizamus omnes, qui adversùs eas quocunque tempore vel modo aliquid conſcripſerunt, præcipuè Joannem Ægeotam, qui adversùs memoratam ſanctam Chalcedonenſem Synodum multas ut Neſtorianus blaſphemias evomuit. Similiter & condemnantes Timotheum, Ælurum cognominatum, ſicut Eutychianiſtam, adversùs eam cum ſuis latrantem ſequacibus. Ità ergò cum Dei juvamine ſemper ſenſimus, & jam nunc ſentimus.

679 „ Quapropter hanc ſatisfactionem veſtræ obtulimus pietati, & ut jubere dignata eſt, nos proprium intellectum, & quemadmodùm de ſana fide ſentimus exponere, quia quidam hæretici, dùm ſuam malam fidem occultare feſtinant, noſtram in Chriſto libertatem & rectam fidem detrectare conantur. Supplicamus igitur veſtram Clementiam, ſollicitudinem perfectam in Eccleſiarum unitione ſanctarum habere debere; ut unitas, quæ cum Dei fuerit juvamine, nec ullo deinceps rationabili, aut irrationabili occaſionis fomite inquietari pax poſſit. Deus autem omnium veſtrum pium adimpleat deſiderium in gloriam ſui & Reipublicæ diſciplinam. *Hactenus Libellus.*

680 Juſtinus ergò Imperator, hoc accepto, ut dictum eſt, Joanni reddidit, per ipſum Romano contradendum Pontifici, à quo exquirenda eſſet in re tanti momenti ſententia. Cùm verò & ipſe Auguſtus Synodicæ Legationi ſuam quoquè, quam promiſerat, adje-

ciſſet ad Hormiſdam, ſelecto Grato viro illuſtri ad prælibatum officium exequendum, in literis, quas ad eundem Pontificem per antefatum Legatum ferendas fecit, hujus quoque libelli meminit. Sed & capita quoque controverſa, quæ perfectam Eccleſiarum Orientalium unionem retardabant, prout in prioribus datis literis recenſere promiſerat, in hujus Legationis literis pariter expoſuit. Sunt ergò literæ hujuſmodi.

Juſtinus Auguſtus Hormiſdæ Papæ.

681 „ Quo fuimus ſemper, & quo ſumus „ ſtudio pro conciliandis ſententiis catholicam fidem colentium, ut eodem animo „ cuncti venerentur Numen individuum Trinitatis, palàm feciſſe dignoſcimur: nunc „ Legatum ad veſtram Beatitudinem ultrò „ ob hoc ipſum dirigentes Gratum virum ſublimem Magiſtrum Scrinii, quo remedium „ tandem reperiatur diſcordiis varia cunctantium, nunc prono, libentique ſuſcipientes affectu Viros religioſiſſimos, quos „ interventores unitatis veſtra Sedes Apoſtolica credidit deſtinandos. Profectò enim „ tanquam ipſam pacem & jucundis eos oculis aſpeximus, & externis manibus duximus amplectendos. Quin etiam omni intentione ordinavimus, ut venerabilis Eccleſia Conſtantinopolitana, necnon complures aliæ vota ſuſcipiant veſtra, non ſolùm in cæteris, ſed in auferendis etiam nominibus ex ſacris Diptycis, quæ removenda maximè poſtulaſtis.

682 „ Verùm nonnullæ fuerunt Urbes „ & Eccleſiæ tum Ponticæ, tum Aſianæ, & „ præcipuè Orientales, quarum Clerici, vel „ populi omnibus pertentati minis, & perſuaſionibus, tamen flexi ſunt, ut tollant „ Antiſtitum & repellant nomina, quorum „ apud eos opinio floruit, ſed morte vitam „ duriorem æſtimant, ſi mortuos condemnaverint, quorum gloriabantur vita Superſtitum. Quid igitur faciamus hujuſmodi pertinaciæ, quæ nec dicto audiens exiſtit, & „ tormenta in tantum deſpicit, ut amplum „ ſibi & feſtivum judicet, ſi corpore priùs, „ quàm religioſo deſiſtat conſilio? Nobis „ quidem videtur opus eſſe molliùs agendi & „ clementia; quæ ſi non in tua Sanctitate, „ jam nec in alio poterunt inveniri, nam neque ſanguinis & ſuppliciorum cupidi (quod „ dictu etiam grave eſt) libellum ſuſcepimus, „ neque ut parvo diſcrimine remaneant imperfecta concordiæ deſideria, ſed ad propagandam, quo poſſumus ordine, conjunctionem membrorum Eccleſiæ. Utrum itaque præſtantiùs erit minorum gratia in totum eſſe nobis adjectas tantas multitudines, an conceſſis exiguis & remiſſis, majora & omni ratione quærenda corrigi, ut quæ „ non licuit per omnia, ſaltem ex neceſſariis „ partibus allegentur? Veniam itaque nominum poſtulamus, non Acacii, non utriuſque Petri, non Dioſcori vel Timothei, „ quorum vocabula ad nos datæ tuæ Sanctitatis Epiſtolæ continebant, ſed quos in „ aliis celebravit Civitatibus Epiſcopalis reverentia, & hoc exceptis Urbibus, ubi „ veſtræ Beatitudinis libellus jam in plenum „ admiſſus eſt, niſi hanc quoque partem „ benevolentia ſtatuerit veſtra mitiùs corrigendam.

683 „ Verùm nec judicio caret Sedis „ Apoſtolicæ, ut non magis venia dicenda „ ſit, quàm deliberata jam ac perſpecta diffinitio. Anaſtaſius quidem religioſiſsimæ „ memoriæ veſtræ culmen Eccleſiæ, palàm „ apertèque conſtituit, cùm hoc idem ſcriberet negotium prædeceſſori noſtro, ſatis „ eſſe pacem affectantibus, ſi nomen tantùm „ reticeatur Acacii. Ergò priora veſtræ Sedis conſtituta ſequitur, qui non omnes memorias mortuorum judicat contemnendas, „ ut indignum habeatur & incongruum, ſi „ non placidior omnibus, non ſolùm defunctis, ſed etiam ſuperſtitibus veſtra divulgatur in omni fine terrarum lenitas. Et hoc „ quidem non dubitaverimus ità gratioſum „ vobis futurum, ut pacifico ſtatim reſponſo „ lætior Mundus reddatur.

684 „ Retinet autem veſtra Sanctitas, „ quod dudùm ſcripſimus, ex Oriente ſupplicationes nobis eſſe deſtinatas, voluntatem ipſorum continentes & arbitrium, in „ quo ſeſe duraturos oſtendunt firmiter, & „ quo nullà ratione deſiſtendum exiſtimant. „ Hanc itaque chartulam ſecundùm noſtra „ promiſſa per Joannem virum reverendiſsimum Epiſcopum dirigendam vobis in „ præſenti meritò credidimus, ut à veſtra Sede etiam tenor ejus admiſſus ad colligendas proficiat & adunandas ubique venerabiles Eccleſias & Hieroſolymitanam præcipuè, cui tamen omnes favorem impendunt quaſi matri chriſtiani nominis, ut nemo audeat ab ea ſeſe diſcernere: conſenſum itaque proprium tuam Sanctitudinem „ epiſtolari quoque pagina convenit declarare, ut cognito omnibus atque patefacto, „ tenorem ejuſdem chartulæ à vobis etiam „ laudari & tenaciter cuſtodire lætior Mundus exiſtat. Data Idibus Septembris Chalcedone, Ruſtico V. C. Conſule. Accepta „ pridie Kal. Decembris, Conſule ſupraſcripto. *Hactenus Epiſtola.*

685 Juſtinianus quoque Comes & literas fecit ad Pontificem, licèt perbreves, petebatque, ut compoſitis capitulis, à Juſtino miſsis, quæ leviſsimam materiam non difficilis compoſitionis ſibi continere videbantur, quamprimùm Legatos ad propria remeare ſineret. ſic ergò ſcripſit.

686 „ Diligenter Apoſtolatus veſter cognovit, quanto fidei calore filius veſter

Se-

„ Sereniſsimus Imperator noſque fuimus ab „ initio. Nunquam ceſſavimus agere quæ „ pertinebant ad firmamentum Religionis „ Divinæ. Pro qua re nuper etiam Reverendiſſimos Sacerdotes Romam direximus, ut „ integrum componeretur de capitulis, qui- „ bus ad ea dubietas vertebatur. Sed igno- „ ramus quæ difficultas provenerit, ut minimè ſopirentur hactenus ea, quæ videntur „ eſſe leviſſima. Salutantes ergò veſtram Re- „ verentiam petimus, ut nulla præbeatur „ occaſio, qua de tua quiſquam poſſit ambi- „ gere voluntate; ſed habentes præ oculis ju- „ dicium Majeſtatis Supernæ, modis om- „ nibus feſtinare dignemini. *Hæc Juſti- „ nianus*.

687 Itaque Hormiſda ferè per totam hyemem retentis Romæ Legatis, ſuper capitulis controverſis varias cum eis ſeſſiones habuit, qui convicti, atque de veritate omni genere probationum à Beato Pontifice demonſtrata perſuaſi, ipſius ſententiæ ac definitioni æquo animo, ſummâque cum reverentia adhæſerunt, & receptis datis reſponſivis tùm ad Synodum, tùm ad Epiphanium, tùm quoque ad Imperatorem literis, menſe Martii adhuc labente, Româ diſceſſerunt, currente Anno Domini DXXI. Pontificatus Hormiſdæ Anno VIII. Imperii vero Juſtini IV. Conſulibus Valerio Viro clariſſimo in Occidente, in Oriente verò Juſtiniano. Quid porrò reſcripſerit, ex ejuſdem Pontificis infra recenſendis literis accipiemus. Et quidem ad Synodum, his verbis ſcripſit.

Hormiſda Synodo Conſtantinopolitanæ.

688 „ Fratrem & Coepiſcopum noſtrum „ Epiphanium, apud fœliciſſimam (Deo fa- „ vente) Conſtantinopolim ad officium mu- „ neris Sacerdotalis aſſumptum perveniſſe, ad „ nos fraternitate veſtrâ referente, gaude- „ mus, quia gratiùs ſuſcipiuntur indicia, „ quæ ſignificaverit amata perſona, & tantò „ majus pro auctoritate nuncii naſcitur gau- „ dium, quantò non eſt quod de teſtimonio „ diſputetur. Sic erat congruum, chariſſimi „ nobis, ſic ſe circa proximum patefacere „ decebat effectum, ut per vos Sedi Apoſto- „ licæ innoteſcat, quòd moribus & Sanctita- „ te fulgeret, quòd uſqueadeò ſe omnium „ bonis, & ſicut vos aſſeritis, imbuit inſti- „ tutis, ut nos ſit fortius meritis teſtimo- „ nium, quàm in honorem Sacerdotis adſci- „ tum. Quid eſt enim, quod de eo habea- „ tur ambiguum, in quo de bonis moribus „ ſub probatione factæ concordiæ præſuſce- „ pta ſunt Divina. Quapropter facitis ſanctè, „ facitis religiosè, facitis piè, quòd verita- „ ti teſtimonium libenter impenditis, quòd „ præmium benemeritis non negatis. Quia „ idem error eſt tacère veritatem, qui eſt fal- „ ſis aſſiſtere, & eadem injuſtitia eſt ſi nege- „ tur honor moribus placitis, quæ eſt ſi con- „ cedatur indignis.

689 „ Certum eſt, amantiſſimi, partici- „ pari vos cum Sacerdotis laudibus intimatis, quia omni fraternitatis veſtræ ordini „ tranſcribitur, quòd in uno, quem ex vo- „ bis elegiſtis, eſſe laudatur. Deus omni- „ potens fidei ſuæ pacem ſub perpetuitate „ conſervans, electionem ordinationemque „ veſtram, quam inſinuandam Sedi Apoſto- „ licæ per Joannem fratrem & Coepiſcopum „ noſtrum, necnon & Heraclianum Presby- „ terum, atque Conſtantinum Diaconum „ filios noſtros religiosè credidiſtis, tantâ „ firmitate confortet, ità & omnium diſcor- „ dantium luctamina, diſiiciat, ità diſſiden- „ tium corda compeſcat; & quemadmodùm „ ſub fratre & Coepiſcopo noſtro Epiphanio „ pacificationis datum eſt indicium, gratula- „ remur effectum. Data VII. Kalendas Apri- „ lis. Valerio Viro clariſſimo Conſule. „ Geſta in cauſa Abundantii Epiſcopi Traja- „ nopolitani in Scrinio habemus. *Hactenus Epiſtola.*

690 Ad Epiphanium porrò Epiſcopum ſcripſit laudans Principum ſolertiam, & Præſulum diligentiam in componendis fidei rebus. Eique in recipiendis lapſis vicem ſuam delegat, Vicariumque ſuum conſtituit, monens, ut cautè & ſine errore procedat, ſacroſque Canones attendat, nè nævus aliquis inferatur fidei: illudque præcipuè obſervandum mandat, ut niſi ſubſcripto Libello fidei à ſe jam nuper per Legatos miſſo, & cui hactenus cæteræ Eccleſiæ cum Conſtantinopolitana ad communionem Apoſtolicæ Sedis receptæ, ſubſcripſerunt, nemo ex lapſis unitionem poſtulantibus recipiatur. Et hoc idem maximè ſervandum tradit cum Hieroſolymitanis, de quibus idem Epiphanius ſcripſerat. Alia quoque ſimilia ſuperaddit, prout fusè in eis literis, quæ ſic ſe habent.

Hormiſda Epiphanio Epiſcopo Conſtantinopolitano.

691 „ Multo gaudio ſum repletus, quòd „ circa Eccleſiæ pacem, & ſanctiſſimi Impe- „ ratoris, & dilectionis tuæ tale ſtudium, „ quale literis indicaſti, Legatorum quoque „ meorum aſſertione cognovi. Manifeſta „ enim hinc ſupernæ miſericordiæ documen- „ ta produntur, quando & humani Principes „ cauſam fidei cum Reipublicæ ordinatione „ conjungunt, & Eccleſiarum Præſules, quod „ ad diſpenſationem ſuam pertinet, officii „ memores exequuntur. Talibus indigebat „ poſt diſcordiæ procellas Religio Chriſtiana „ rectoribus, qui compreſſis providâ diſpen- „ ſatione turbinibus, diù peregrinatam pa- „ cem, depulsâ tempeſtate, reducerent, & in „ futura ſæcula propoſiti ſui exempla ten- „ dentes, ſibi ad ſcribendum indubitanter

„ oſtenderent, quidquid Deo placitum po-„ ſteri pro ſua imitatione feciſſent. Benedi-„ camus Deum, frater chariſſime, noſtris „ hoc diebus fuiſſe conceſſum, & totis ora-„ tionum & curarum viribus annitamur, ut „ quæ per Dei noſtri opem benè correcta „ ſunt, ipſo adjuvante, per omnia comple-„ antur.

692 „ Sperandum enim eſt, ut ad com-„ pagem corporis ſui reliqua quoque, quæ „ adhuc diviſa ſunt membra feſtinent, & à „ potioribus minora non diſcrepent, ad quod „ cùm dilectio tua chriſtianæ ſtudio chari-„ tatis hortetur, debet id, ad quod inci-„ tat ſequi, & quod amandum ſuadet,ample-„ cti. Similem enim jam fidei curam geren-„ tes, per religioſam patientiam, par etiam „ præmium de boni operis ſperamus effectu: „ neque enim difficultatibus eſt credendum. „ Non fatigatur aſperis fides: nec ad Cœlo-„ rum ardua per proclive contenditur: nec „ remunerationem circa laboris exercitia „ quis meretur. Undè nè facientes bona, „ deficiamus, ſpecialiter admonemur: *Beati* „ *etiam*, teſte Pſalmiſta, *qui cuſtodiunt judi-* „ *cium*, *& faciunt juſtitiam in omni tempore*: „ quia non initium laboris remunerationem „ præmii conſuevit invenire, ſed terminus. „ Ergò par ſtudium ſollicitudinis aſſumen-„ tes, quibus eſt una in communione & cre-„ dulitate ſocietas, quemadmodùm de adu-„ nata Sedi Apoſtolicæ Conſtantinopolitana „ Eccleſia pariter exultamus in Domino: ità „ de reliquarum quoque (ſicut affectuosè „ admones) reintegratione curemus primùm, „ ut fidem integritatemque noſtram imma-„ culatam ab omni contagione ſervemus.

693 „ Noſti enim, Frater ſanctiſſime, „ quæ Eccleſiaſticam ſervent vincula concor-„ diam, quæ nos ab hæreticorum tueantur „ inſidiis, per quæ etiam Canonum cuſtodia-„ tur auctoritas. His in robore ſuo omni „ circumſpectione ſervatis, remedia ſperan-„ tibus conferentur. Habet enim & Eccle-„ ſiaſticarum ordo regularum & ipſius forma „ juſtitiæ, ut medicina rationabilis benignè „ & fideliter ſperantibus non negetur: nec „ quiſquam ita eſt ab humanitate diſcretus, „ quem non à rigore diſcretionis inclinet in-„ cauta ſimplicitas: ſed ut cautè hoc citra „ querelam, aut erroris alicujus nævum va-„ leat expediri, dilectiſſime frater, perſo-„ nam meam te in hoc oportet induere, ſci-„ entem in hujuſmodi cauſis, ſicut prædi-„ ctum eſt, quid faciendum ſit, quid caven-„ dum: ità omnia providenda, ut non ambi-„ gas rationem diſpenſationis hujus Deo eſſe „ reddendam: ita tamen ut eos, qui vobis „ fuerunt communione ſociati, vel per vos „ Sedi Apoſtolicæ veſtra nobis ſcripta decla-„ rent, quibus etiam continentia libello-„ rum, quos obtulerint, inferatur: ſic enim „ & Severi, & complicum ejus, aut ſimilium „ abſolvemus errores, nec eorum, qui ſanari „ poterint, diſpendia patiemur: quod ideò „ vobis ſpecialiter credimus imponendum, „ ad diligentiam veſtram noſtra onera tranſ-„ ferentes, quia non parva jam documenta, „ reſiſtentes hæreticis, edidiſtis, nec debet de „ eo ambigi, quem benè contigerit explora-„ ri: ſimul aſſume remedia medicinæ, ſimul „ accingere auctoritate juſtitiæ, & ſic circa „ ſupplices humanitate mollire, ut in hære-„ ticorum contagione perdurantes, aut eos, „ qui innocentiam ſimulant, & cum noſtris „ ſolâ voce conſentiunt, ab his, quibus pro „ Eccleſiæ reintegratione conſulitur & pro-„ videtur, excludas; nec enim expedit circa „ hos Eccleſiaſticam temperare cenſuram. „ Non enim erunt miſerationis bona pro eo-„ rum, quibus conſuli oportet, neceſſitate „ collatâ, ſi indiſcretè fuerint bonis, maliſ-„ que communia.

694 „ Et quia Hieroſolymitanorum quo-„ que faciebat in tuis literis tua dilectio „ mentionem, quorum etiam ad nos quædam „ delata profeſſio, neceſſarium duximus vel „ recenſere quæ ſcripta ſunt, vel reſpondere „ quæ congrua. Qui ſi Sanctorum Patrum „ conſtituta cuſtodiunt, ſi illa fidei funda-„ menta venerantur, ab his, quæ per eos „ Sancto Spiritu compungente definita ſunt, „ non recedent. Aut enim perfecta ſunt, ità „ ut ſunt, & adjectione non indigent; aut „ benè valida, & ideò non mutanda; quan-„ do per ea omnium hæreticorum venena „ compreſſa ſunt, nec quicquam Chalcedo-„ nenſis Synodus, quod utile qualibet dili-„ gentia potuiſſet excogitare, præteriit; quæ „ præcedentium quoque dogmata vel clariùs „ manifeſtavit, vel repetitâ auctoritate fir-„ mavit, ſpeciale quoddam adversùs Neſto-„ rium & Eutychem aggreſſa certamen; al-„ terum Deitatem Dei noſtri Jeſu Chriſti à „ carne ſeparantem, & ideò Sanctam Ma-„ riam Dei Genitricem pronunciare vitan-„ tem; alterum veritatem carnis in Domino „ renuentem, quandò Dominus noſter Jeſus „ Chriſtus idem Filius Dei, idem Filius ho-„ minis, una in duabus perſona naturis, Di-„ vinitatis & humanitatis carnis, nec natu-„ ris adunatione confuſis, non velut quarta „ perſona addita Trinitati, ſed ipſe Filius „ Dei *exinanivit ſemetipſum, formam ſervi ac-* „ *cipiens*, propter quod & unam nec diviſibi-„ lem profitemur eſſentiam Trinitatis, & „ proprietatem tamen ſuam ſcimus ineſſe „ perſonis, unam Filii Dei cum aſſumpta „ carne, unam Spiritus Sancti, & perſonas „ proprietatibus deſignantes, & per unita-„ tem eſſentiæ inſeparabile Trinitatis My-„ ſterium confirmantes. Neque enim ambigi „ poteſt Verbum Dei intra Matris viſcera „ per carnem humanam aſſumpſiſſe naturam, „ nec poſt à ſe factam intrà vulvam natura-„ rum unitionem diviſum. Nam ut humani-

tas

„ tas ſine Deo non eſt edita, ſic in Cruce non „ eſt impaſſibilis Divinitas à carnis paſſione „ diviſa; quod Virginis partus & intemerata „ fœcunditas, & ſingularis à mortuis Reſur„ rectio, & ad Cœlos declarat Aſcenſio.

695 „ Hæc ſi quemadmodùm à Patribus „ conſtituta ſunt, ſervant, credant, nec de„ finita tranſcendant, à quo tramite qui de„ clinant, ipſi ſibi nebulam dubitationis of„ fendunt. Nobis autem illud Apoſtoli cum „ contentioſis reſpondère neceſſe eſt: *Nos* „ *hanc conſuetudinem non habemus, nec Eccle-* „ *ſia Dei*. Hęc ideò breviter, quia nec ambi„ gi convenit de rebus juxta fidem ſępiùs de„ finitis; & penè ſupervacua eſt allegatio, „ quæ adhibetur inſtructis, cùm ſuper hac re „ & ad clementiſſimum Principem filium no„ ſtrum non pauca perſtrinxerim. Et quia „ de Hieroſolymitanorum propoſitione reſ„ pondimus, hoc quoque æſtimavimus, ſalu„ tis eorum cauſâ competenter addendum, ut „ ſi communionis Apoſtolicæ deſiderant uni„ tatem, profeſſionem ſuam ſcripto inditam, „ quam Legatis noſtris apud Conſtantino„ polim poſitis obtulerunt, aut per ſuos ad „ nos dirigant, aut fraternitati veſtræ tra„ dant, eodem tamen, ſicut diximus, tenore „ conſcriptam, quæ ad nos modis omnibus „ ſub veſtra ordinatione deferatur.

696 „ Nam de Theſſalonicenſibus, quo„ rum ad nos Legati ſub clementiſſimi & „ fidelìſsimi Principis filii noſtri ordinatione „ venerunt, nè quid omiſiſſe credamur, noſſe „ vos volumus, ſecundùm hoc, quod Domino „ noſtro inſpirante placuerit, cauſam omnem „ veſtrâ diſpoſitione tractandam, & ſi quod „ oportet impleverint, ordinanda hæc per „ fratrem noſtrum & Coepiſcopum venera„ bilem virum Joannem, ſed & filios noſtros „ Heraclianum Presbyterum, & Conſtanti„ num Diaconum Eccleſiaſtico honore di„ gniſsimos ad cauſam pertinentia conſcri„ pſiſſe contenti, gratulati ſumus in Viro or„ dinis noſtri par meritum & religioſum nos „ inveniſſe propoſitum, & cum Legatione „ mandata ſapientiæ & moribus congruen„ tia. Votiva enim res & plena gaudii eſt, „ ut ſine juſta æſtimatione probabiles, quos „ communionis & officii contigerit eſſe con„ ſortes. *Et alia manu*: Deus te ſanum cu„ ſtodiat, frater venerabilis. Data VII. Kal. „ Aprilis, Valerio viro clariſsimo Conſule. *Hactenus Epiſtola*.

697 Ex qua notandum eſt, nimìrum, cùm Pontifex agens de ChriſtoDei Filio ex duabus naturis in unitate perſonæ conſtante, dicat: *Non velut quarta perſona addita Trinitati*, quoſdam talis dementiæ hæreticos fuiſſe, ut negantes Chriſtum eſſe unum ex Trinitate, adderent Trinitati quartam perſonam, aſſerentes Chriſtum ipſum Dominum non eſſe unum ex Trinitate, eſſe tamen Deum, Deique Filium, ſicque quartam Trinitatis perſonam; cujus generis hæreticos, diſcipulos extitiſſe Theodori impii Mopſueſtenæ Civitatis Epiſcopi, notat Dionyſius Exiguus in Epiſtola data ad Paſtorem, ubi agens de iis, qui fuerunt hæretici temporibus Procli Epiſcopi Conſtantinopolitani, ait: Temporibus Anti„ ſtitis nominati, Theodoſio imperante re„ gente Rempublicam, per Syriam & Arme„ niam diſcipuli Theodori Mopſueſtenæ Ci„ vitatis Epiſcopi pravam fidem, corrupto „ Symbolo, rudibus populis exorſi ſunt in„ timare, calliditate ſubtiliſſimâ Beatam „ Trinitatem ſic unius eſſentiæ prædicantes, „ ut Chriſtum Dominum noſtrum condito„ rem univerſitatis, unum ex Trinitate nul„ latenus faterentur, undè ſequebatur hæc „ inepta ſuæ temeritatis abſurditas, ut quia „ Chriſtum conſtat verum eſſe Deum ac Do„ minum, quatuor perſonas in tribus adſtrue„ rint, duoſque Dei filios proculdubiò prædicarent. *Hæc Dionyſius*; ſubjungens, hujuſmodi errorem optimè refutatum à Romano Pontifice. Hos ergò hæreticos hac in ſupra allegata Epiſtola perſtringit illis verbis Hormiſda. Quod porrò in eadem Epiſtola ſcribit Hormiſda de Legatione EpiſcopiTheſſalonicenſis ad eum miſſa, taliter accipiendum eſt, ut Dorotheus Epiſcopus Theſſalonicenſis, conſulente, vel etiam jubente Juſtino Auguſto, legationem quoque ſuam direxerit ad Romanum Pontificem, datiſque literis, quas ſupra Cap. 18. ſub num. 619. recenſuimus, excuſationis in eis contentum fecerit. Quæ quidem Legatio ad hunc eundem annum referenda eſt. Sed veniamus ad ea, quæ Hormiſda per eoſdem Legatos reſcripſit Juſtino. Duæ fuerunt Pontificis literæ datæ ſub eodem die ad Imperatorem, in quarum prima admonet nihil innovandum ad evitandam diſcordiam; ac de his, qui ad communionem admitti poſſunt, ſe Epiphanio Epiſcopo ſcribere innuit. In alterâ verò Trinitatis, atque Incarnationis Myſterium ſecundùm rectam fidem exponit. Reddamus ergò primam, quæ talis eſt,

Hormiſda Juſtino Auguſto.

698 „ Scio quidem, venerabilis Impera„ tor, Clementiam tuam conſcientiâ boni „ operis tantùm eſſe contentam; nec in his, „ quæ pro catholicæ Eccleſiæ unitate diſpo„ nitis, humanis laudibus indigère, nè ma„ gni ſtudii gloria non dignâ remuneratione „ vileſcat. Quanta eſt enim circa eum hu„ mani ſumma pręconii, cui contigit terra„ rum Regna committi? Cum eo noxia ſint „ blandimenta adulationis ſuſpicioni, quæ „ humilitas detulerit imperanti. Et aliàs ſe„ cundùm Evangelicam traditionem neceſſe „ eſt, ut fructu ſupernæ remunerationis ca„ reat, qui retributionis laudem expectat. „ Hinc manſuetudinem veſtram omni boni-

tatis

,, tatis perfectione pollentem, ad Deum uni-
,, verſa, quæ memorabiliter facitis, referre
,, non ambigo, nec caduca cogitantes ab illo
,, expectatis pro actuum veſtrorum retribu-
,, tione mercedem, quem bonorum omnium
,, conſtat auctorem. Et tamen ego Divinis,
,, quibus obſecundo, convenio inſtitutis; nè
,, religioſæ conſcientiæ veſtræ beneficia con-
,, ferta diſſimulem, nè taciturnitas mea, quæ
,, vobis creſcit ad gloriam, mihi, quod abſit,
,, vertatur in culpam.

699 ,, Novi enim, de illis decem Domini
,, & Salvatoris noſtri pietate mundatis, quia
,, & novem ſunt notâ ingratitudinis impro-
,, bati, & unus teſtimonium fidei & meri-
,, ta receptæ ſalutis retulit, qui gratiarum
,, actionem ſanatus exolvit. Exequor exem-
,, pla quæ didici, & quod per officii mihi cre-
,, diti materiam prædico, ſub occaſione lite-
,, rarii ſermonis exhibeo. Ago gratias quan-
,, tò ampliùs poſſum, etſi quantas debeo non
,, poſſum; ſed ſolatium mihi eſt, quòd de
,, beneficiis mecum veſtris Mundus exultat,
,, & laceratæ hactenus Eccleſiæ membra ad
,, compagem ſuam revocata gloriantur. Re-
,, duxiſti populis fidem, perſecutus errorem;
,, inclinata eſt ſuperbia inimicorum Eccleſiæ
,, Dei, & humilitas erecta fidelium.

700 ,, Magna res tibi contigit, Impera-
,, tor; magna in te emolumenta cum pote-
,, ſtate coierunt, quæ mercaris intellige.
,, Non exiguam in te partem boni operis il-
,, lius, quod vadens ad Cœlos Dominus no-
,, ſter Jeſus Chriſtus contulit, tranſtuliſti;
,, nam pacem, quam ille Diſcipulis dedit,
,, per te Mundus invenit: non dubium con-
,, gratulari tibi Angelos Cœli; nam ſi juxta
,, aſſertionem Evangelicam lætitia eſt eis ſu-
,, per uno peccatore ſalvato, quæ poteſt eſſe
,, populo? Salve Ezechias præſentis ætatis;
,, nam etſi fuerunt ante eum Reges Juda, bo-
,, num qui facerent, nullus tamen eorum
,, diſſipavit excelſa. Tu quoque ſchiſmatum
,, & ſuperbiæ diſſipator, & cultus veteris re-
,, ſtitutor, præſume tibi ſimilitudine illius
,, annorum augenda curricula, qui operum
,, ejus imitaris exempla. Hæc omnia, quæ
,, ad majus gloriæ tuæ ſpectant augumen-
,, tum, non ſtimulo adhortationis alienæ,
,, non ullis precibus excitatus aggrederis:
,, ſolus tibi in conſilio Deus; non eſt qui ſe
,, ad participationem tanti operis tentet in-
,, ſerere: tibi debes actionis hujus ſtudium,
,, tibi bonæ actionis effectum. Tu me, ve-
,, nerabilis Imp rator, Eccleſiæ vulnera tàm
,, longa mœrentem ad ſpem reddendæ ſalutis
,, animaſti. Tu me poſt tàm continuos tur-
,, bines jam penè deſperatione ceſſantem ad
,, novam tranquillitatem directis ultrò piis
,, literis excitaſti: hoc quoque proculdubiò
,, Divinâ intelligentiâ conferente, ut inter
,, ipſa tui Principatus exordia fidei ejus di-
,, cares obſequium, cui acceptum debebas
,, imperium; ſed qui te ad incipienda hæc
,, non potui primus impellere; nunc majo-
,, re fiduciâ tantis beneficiis compellor pro-
,, vocatus orare, nè patiaris in re tàm boni
,, operis eſſe defectum, nè manus, quas ad
,, Deum erigis, acceptis operis perfectione
,, ſuſpendas.

701 ,, Negare non poſſum pro Domini
,, noſtri hæc me affectu & unitatis expoſcere;
,, ſed fateor & ſaluti tuæ pro tanta manſue-
,, tudinis gratia hæc ſtudia me debere. Scri-
,, ptum eſt enim, quia, *qui perſeveraverit uſ-*
,, *que ad finem, ſalvus erit*. Nec vos aliquo-
,, rum obſtinatio reddat à propoſito pigrio-
,, res. Durum eſt, ut efficacior ſit eorum
,, pertinacia, qui dividunt pacem, quàm eo-
,, rum, qui aſſerunt unitatem. Amentur
,, vulnera, cum provideantur pro ſalute re-
,, media, & præoptabile .... putetur .....
,, mortuis quàm inhærere cum vivis. An non
,, æquum eſt, ut religioſi Principis ſubdan-
,, tur imperio, qui non moventur exemplo?
,, Non omnis æger remediis ſalubribus ac-
,, quieſcit, & medendi ſtudium ſæpè ipſis,
,, quibus adhibetur, ingratum eſt; & tamen
,, grata eſt pro ſalute neceſſitas, nec ipſi poſt
,, reſpirationem non ſunt beneficiis obnoxii,
,, qui curantur inviti.

702 ,, Cavenda eſt ſubtilium magnâ cir-
,, cumſpectione calliditas, qui ingerunt diſ-
,, ficilia, dum nituntur labefactare compoſi-
,, ta. Et quis hoc poſſit admittere, ut ad il-
,, la per pacem credamur adduci, ad quæ non
,, potuimus diſcordiæ neceſſitate compelli?
,, Et putetur æquum, ut contra ſalutem Prin-
,, ceps ſubjectorum voluntatem ſequatur,
,, quàm pro ſua ſalute ſubjecti Principis non
,, famulentur imperio? Ipſam tibi mecum,
,, venerabilis Fili, crede Eccleſiam Dei ſup-
,, plicare, ut eam ſine macula & ruga, ſicut
,, ſcis, Domino placere, cuſtodias; nec in
,, eam oculus ille, qui pervigilat, nævum ali-
,, quem, qui averſetur, aſpiciat. Ama quod
,, à Deo compunctus elegiſti, & intemera-
,, tum ſerva illud, cujus pars eſſe voluiſti.
,, Fuerit ante ſollicitudo tantùm mea, nunc
,, unam nobis cauſam tua fecit eſſe clemen-
,, tia. Nunc auſteriorem me quiſquam dicat
,, eſſe prioribus, nec adhortatio alicujus pro
,, ſententiæ auctoritate teneatur. Diligen-
,, tiorem me non pertinaciæ ſtudium, ſed
,, ſcandala ſecuta fecerunt. Fortè inter ini-
,, tia locus eſſe potuit lenitati: malè (ſicut
,, notum eſt) per acceſſus præcedentium tem-
,, porum errorum augumenta creverunt.
,, Non parvi habeas, Fili ſanctiſſime, quod
,, curaſti, ubi ſancta Chalcedonenſis Syno-
,, dus, & inter ſanctos venerandi Papæ Leo-
,, nis religioſiſſima conſtituta locum alicujus
,, honoris habuerunt? Ubi non adverſùm
,, tanta fidei fundamenta, quaſi quoddam
,, bellicum hoſtium Dei inſonuit exercitus?
,, Quantò acrioribus hæc impetita ſunt jacu-

„ lis, tantò validioribus ſunt munienda ſub-„ ſidiis.

703 „ Rogo, clementiſſime Imperator, „ nè me aut ad deferenda hæc, quæ dudum „ beneplacita ſunt, aut mutanda compellas. „ Vox enim illa auribus meis indeſinenter „ immurmurat, quia *nemo manum ad aratrum* „ *mittens, & poſt ſe reſpiciens, aptus eſt Regno* „ *Dei*, cùm in evidenti ſit, quia pœnitentia „ malorum eſt operum, non bonorum. Sed „ quanquam his urgemur anguſtiis, tamen „ propter manſuetudinis tuæ conſideratio-„ nem, & venerabilium Legatorum Joannis „ Epiſcopi, Heracliani Presbyteri, & Con-„ ſtantini Diaconi allegatio nos non inhu-„ mana permovit, qui innocentibus aut igna-„ ris cauſæ remedia credidit eſſe poſcenda: „ ad fratrem & Coepiſcopum noſtrum Epi-„ phanium ſcripta tranſmiſimus, ut memor „ religionis, quos dignos ſuſceptione eſſe cre-„ diderit & alienos à communione, quam re-„ ſpuimus, ſicut aſſeritur, innocentes eos ad „ ſocietatem ſuæ communionis admittat, li-„ belli tamen, qui à nobis interpoſitus eſt, „ tenore ſervato. Melius eſt enim & magis „ Deo placitum, ſi ſalvâ fide Eccleſiaſtico „ corpori jungantur abſciſſi, quàm in abſciſ-„ ſos tranſeant, qui in Beati Petri immacu-„ latâ communione manſerunt. Data VII. „ Kal. Aprilis, Valerio V. C. Conſule. *Hactenus Epiſtola*. Altera verò, in qua My-ſterium Divinitatis & Incarnationis Dominicæ exponit, ità ſe habet.

Hormiſda Juſtino Auguſto.

704 „ Inter ea, quæ ad unitatem Eccle-„ ſiæ pertinent, propter quam Deus cle-„ mentiæ veſtræ elegit Imperium, in literas „ contuliſtis: hæc quoque, venerabilis Impe-„ rator, cura fidei, cui multipliciter vos ſtu-„ dere declaratis, adjecit, ut aliquorum pre-„ ces perferendę ad humilitatis meę notitiam „ jungerentur, quibus vel quid quæſtionis „ oriretur agnoſcerem, vel ad ſubmoven-„ dum propoſitæ conſultationis ambiguum, „ reſponſum à me religioſæ ſcientiæ conve-„ niens redderetur. Legi omnia ſollicitudine „ qua decebat, & licèt ad reſponſi plenitu-„ dinem ſufficere potuiſſet, ſi illa tantùm, „ quæ à veteribus ſunt diffinita, reſcriberem, „ tamen ut religioſi propoſiti veſtri remune-„ rarem affectum, non ſubtrahendum credidi „ mei quoque ſermonis obſequium.

705 „ Quid enim eſt quòd emergentibus „ Neſtorii & Eutychetis venenis paterna „ omiſit inſtructio? Penè omnes impietates „ cum inventoribus tàm nefandorum dog-„ matum convenientia in unum Synodica „ decreta preſſerunt: nec ulteriùs remanſit „ locus ullus tàm diris perfidiæ ſeminibus „ amputatis, aut Chriſtum Dominum no-„ ſtrum credere ſine carnis fuiſſe veritate, „ aut eundem non Deum & hominem de ma-„ terni uteri intemerata fœcũditate prodiiſſe, „ cùm alter eorum diſpenſatione, qua ſalva-„ ti ſumus, negando, quantum in ſe eſt, irri-„ tam faceret; alter opinione contrariâ, ſed „ impietate conſimili, in eodem Domino no-„ ſtro Jeſu Chriſto poteſtatem Divinam à ve-„ ra humanitate ſecluderet; neque ille recor-„ datus quia palpandam carnem ſuam Chri-„ ſtus oſtendit, nec ille Evangelii memor, „ Verbum carnem factum eſſe dicentis, cui „ vox Domini indeficienter inſonare debue-„ rat, qua dixit & docuit: *Nemo aſcendit* „ *in Cœlum, niſi qui de Cœlo deſcendit Filius* „ *hominis, qui eſt in Cœlo*. Sępè hæc & mul-„ tis præcedentium ſunt comprehenſa ſenten-„ tiis; ſed nec clementia veſtra, licet jam „ dicta ſint, faſtidioſè poterit repetita co-„ gnoſcere, nec nobis pudor eſt, ea, quæ ſunt „ à deceſſoribus noſtris prædicata revolvere. „ Neque enim poſſibile eſt, ut ſit diverſitas „ prædicationis, ubi una eſt forma veritatis; „ nec ab re judicabitur alienum, ſi cum his, „ cum quibus convenienus fide, congrua-„ mus & dogmate.

706 „ Revolvantur piis manſuetudinis „ veſtræ auribus decreta Synodica, & Beati „ Papæ Leonis convenientia ſacræ fidei con-„ ſtituta, eadem invenietis in illis, quæ in-„ veneritis in noſtris. Quid ergò eſt poſt il-„ lum fontem fidelium ſtatutum? Quid am-„ plius (ſi tamen fidei terminum ſervat) „ quamlibet curioſus ſcrutator inquirat, non „ opus, aut adjectione plenius, aut inſtitu-„ tione perfectius? niſi fortè mavult quiſ-„ quam dubitare, quàm credere, certare, quàm „ noſſe, ſequi dubia, quàm ſervare decreta. „ Nam ſi Trinitas Deus, hoc eſt, Pater & „ Filius, & Spiritus Sanctus, Deus autem „ unus ſpecialiter, Legiſlatore dicente: *Au-* „ *di Iſrael, Dominus Deus tuus, Deus unus* „ *eſt*. Qui aliter habet, neceſſe eſt aut Divi-„ nitatem in multa dividat, aut ſpecialiter „ paſſionem ipſi eſſentiæ Trinitatis impin-„ gat, & (quod abſit à fidelium mentibus) „ hoc eſt, aut plures Deos more profano „ gentilitatis inducere, aut ſenſibilem pœ-„ nam ad eam naturam, quæ aliena eſt, ab om-„ ni paſſione transferre. Unum eſt, Sancta „ Trinitas, non multiplicatur numero, non „ creſcit augumento, nec poteſt aut intelli-„ gentiâ comprehendi, aut hoc quod Deus „ eſt diſcretione ſejungi. Quis ergo illi ſe-„ creto æternæ impenetrabiliſque ſubſtantiæ, „ quod neque ulla viſibilium, vel inviſibi-„ lium naturarum potuit inveſtigare natura, „ profanam diviſionem tentet ingerere, & „ Divini arcani Myſterium revocare ad cal-„ culum moris humani? Adoremus Patrem, „ & Filium & Spiritum Sanctum indiviſam „ diſtinctè, incomprehenſibilem, & inenar-„ rabilem ſubſtantiam Trinitatis, ubi & ſi „ admittit numerum ratio perſonarum, uni-

tas

„ tas tamen non admittit eſſentiæ ſeparatio- „ nem; ita tamen ut ſervemus Divinæ pro- „ pria naturæ, ſervemus propria unicuique „ perſonæ, nec perſonis Divinitatis ſingula- „ ritas denegetur, nec ad eſſentiam hoc, quod „ eſt proprium nominum, transferatur.

707 „ Magnum eſt ſanctæ & incompre- „ henſibile myſterium Trinitatis, Deus Pa- „ ter, Deus Filius, Deus Spiritus Sanctus; „ Trinitas indiviſa: & tamen notum eſt quia „ proprium eſt Patris ut generaret Filium, „ proprium Filii Dei, ut ex Patre Patri na- „ ſceretur æqualis, proprium Spiritus San- „ cti, ut de Patre & Filio procederet ſub una „ ſubſtantia Deitatis. Proprium quoque Filii „ Dei, ut juxta id quod ſcriptum eſt: *In no- „ viſſimis temporibus Verbum caro fieret, & „ habitaret in nobis*; ità intra viſcera Sanctæ „ Mariç Virginis Genitricis Dei unitis utriſ- „ que ſine aliqua confuſione naturis, ut qui „ ante tempora erat Filius Dei, fieret Filius „ hominis, & naſceretur in tempore homi- „ nis more, Matris vulvam natus non ape- „ riens, & Virginitatem Matris Deitatis „ virtute non ſolvens. Dignum planè Deo „ naſcente Myſterium, ut ſervaret partum „ ſine corruptione, qui conceptum fecit eſſe „ ſine ſemine, ſervans quod ex Patre erat, & „ repręſentans quod ex Matre ſuſcepit.

708 „ Nam jacens in præſepio videbatur „ in Cœlo, involutus pannis adorabatur à „ Magis, inter animalia editus ab Angelis „ nunciabatur, vix egreſſus infantiam, & an- „ nuncians myſticam ſine inſtituente doctri- „ nam, inter rudimenta annorum puerilium „ edens cœleſtia ſigna virtutum. Idem enim „ Deus & homo, non (ut ab infidelibus dici- „ tur) ſub quartæ introductione perſonæ, „ ſed ipſe Dei Filius Deus & homo, ideſt „ virtus & infirmitas, humilitas & majeſtas, „ redimens & venditus, in Cruce poſitus & „ Cœli Regna largitus; ità noſtræ infirmita- „ tis particeps, ut poſſet interimi; ità inge- „ nitæ potentiæ Dominus, nè poſſet morte „ conſumi. Sepultus eſt juxta id, quod ho- „ mo voluit naſci, & juxta id, quod Patri „ erat ſimilis, reſurrexit, patiens vulnerum „ & ſalvator ægrorum, unus defunctorum, & „ vivificator obeuntium, ad inferna deſcen- „ dens, & à Patris gremio non recedens; undè „ & animam, quam pro communi conditio- „ ne poſuit, pro ſingulari virtute & admira- „ bili potentia mox reſumpſit.

709 „ Hæc ità eſſe, nec ullam dubita- „ tionem oportere recipere, idem Dominus „ noſter Jeſus Chriſtus, nè inter corporis „ paſſiones Deus non eſſe crederetur, aut nè „ Deus tantùm, & non homo inter opera „ mirabilium ſtupenda virtutum, propoſito „ nos duorũ Apoſtolorum informavit exem- „ plo, Deum eſſe Chriſtum Dominum no- „ ſtrum Petri fide: hominem Thomæ dubi- „ tatione declarans. Quid enim intererat, „ ut quem ſe homines dicerent, Diſcipulos „ ſuos vellet inquirere, niſi ut reſpondente „ Petro: *Tu es Chriſtus filius Dei vivi*, no- „ tum faceret hoc non de carne & ſanguine „ proditum, ſed à Patre Deo inſpirante re- „ velatum, & per teſtimonium laudatæ re- „ ſponſionis fides patefactæ fieret veritatis? „ Quid intererat, ut apparente poſt Reſur- „ rectionem Domino, Thomas tamen aut „ deeſſet cæteris, aut ſolus ambigeret, niſi „ ut Mundus crederet, quod ambigens Di- „ ſcipulus exploraſſet, ut dum unius mani- „ bus ſe pateretur tangi, ab univerſitate fide- „ lium quid eſſet poſſet agnoſci? Non ergò „ ad explorandum Diſcipulum interpoſita eſt „ dubitatio, ſed quæſita poſteritatis inſtru- „ ctio. An nè aliud expectat, quòd ſe idem „ Dominus Cleophæ cum alio Diſcipulo, „ cùm ad Emmaus tendentes, de ſe loqueren- „ tur, inſervit; & quanquam de Reſurrectio- „ ne Domini per mulieres, quæ primæ ad „ monumentum convenerant, agnoviſſent; „ tamen ut per eorum dubitationem daret „ credendi futuris ſæculis firmitatem, inci- „ piens à Moyſe & omnibus Prophetis, opor- „ tuiſſe pati Chriſtum, & ità intrare in glo- „ riam ſuam, interpretatus ſcripturas oſten- „ dit, & per paſſionem humanam naturam & „ Divinam in eo eſſe per gloriam, multipli- „ cibus hæc ſanctarum ſcripturarum exem- „ plis inſinuavit.

710 „ Nec apud religioſam conſcientiam „ tuam, venerabilis Imperator, tanquam „ ignota dicuntur, Fides enim ipſa, quæ à „ te conſtanter aſſeritur, tibi reddit hoc mu- „ neris, ut ſenſibus tuis, & affectum ſui in- „ ferat, & ſcientiam, per quam diligentiùs „ aſſeratur, infundat. Et tantum intereſt di- „ ſpenſationis mihi creditæ, ut ego quoque „ vel apud ſcientes nota non taceam, ut ſuc- „ cedente ſibi per vices temporum Catholi- „ corum prædicatione ſenſuum, quod inde- „ ficienter aſſeritur, ſine fide credatur. La- „ tiùs hæc, quæ ad Deitatem, humanitatem- „ que Domini noſtri Jeſu Chriſti pertinent, „ & in eo unitas duas ſine confuſione natu- „ ras potui ſecundùm veterum definita diſſe- „ rere, ſi eſſet adversùm eos, qui his diſſen- „ tiunt, diſputandum. Sed cùm in manibus „ omnium ſint & Synodica Conſtituta & „ Beati Papæ Leonis dogmata, perſtrinxiſſe „ potiùs pauca, quàm evolvere credidi con- „ venientiùs univerſa.

711 „ Nunc verò agnoſcere ſatis eſt & „ cavere proprietatem, & eſſentiam cogitan- „ dam, ut ſciatur quid perſonæ, quid nos „ oporteat deferre ſubſtantiæ; quæ qui in- „ diligenter ignorant, aut callidâ impietate „ diſſimulant, dum omittunt quid ſit pro- „ prium Filii, trinç tendunt inſidias Divinita- „ ti. Sed ſi quæ prædicta ſunt, validis te- „ neantur fixa radicibus, nec à paterna tra- „ ditione receditur, & conſtanter quæſtio-

nibus

„ nibus obviatur, Data VII. Kalen. Aprilis, „ Valerio V. C. Conſule. *Hactenus Hormiſda*.

712 Inter hæc Eccleſia Antiochena turpibus Pauli Epiſcopi moribus, quem, ut in ſuperioribus diximus, Juſtinus, exturbato impio Severo, delegerat, fœdata, ſupplices libellos miſerat tùm ad Legatos Apoſtolicæ Sedis ante eorum diſceſſum, tùm ad ipſum Juſtinum, quibus & enormia Pauli exponebant, & remedium tanto malo poſtulabant. Etenim propter illius nefanda, nedùm hæretici Catholicam reſpuebant communionem, verùm ipſi orthodoxi ab ejus communione ſe alienos faciebant; immò & domeſtici ipſius ab eo deficiebant: non enim putabant rectam illius fidem, qui tàm ſceleratè vitam ducebat. Verùm, dùm Imperator adversùs illum procedere rigore juſtitiæ ſe parabat, Paulus ſua ſponte ſe abdicavit, prout ipſemet Juſtinus datis ad Hormiſdam indicat literis, quæ ſunt tenoris ſequentis.

Juſtinus Auguſtus Hormiſdæ Papæ.

713 „ Ut, quod in Paulo viro reverendiſſimo contigit, Apoſtolatui veſtro pateſiat, qui Sacerdotio prædítus Antiochenæ „ Civitatis, ità verſatus eſſe dicitur in multis cauſis, quæ religioſis alienæ ſunt Epiſcopis, ut Clericorum ſuorum proditione, „ habitatorum etiam dictæ Civitatis, aliorum inſuper frequentium incuſaretur, non „ tantùm Legatis veſtræ Sanctitudinis in „ hac Regia poſitis Urbe (ut ipſos quoque „ retinere cenſemus) verùm poſt eorum receſſum, qui malæ conſcientiæ ſuæ teſtimonio, veritus inſuper, nè, quæſtione habitâ, graviorem formam exitus rei poſceret, recuſatores libellos obtulit, ut liceret ei ſecedere à ſuſcepto, ſicut dictum eſt, „ Epiſcopatus officio. Quoniam igitur cordi nobis eſt & fuit, ut ſemper Civitatum „ Antiſtites in amore ſint omnium communi, „ quorum regendas acceperunt animas; Paulus autem reverendiſſimus ultrò ſe de ſuo „ (prout memoravimus) abdicavit Sacerdotio, præſentem Epiſtolam duximus dirigendam, ut vobis aperiatur, & orationibus propriis cœleſte nobis præſidium dignetur acquirere. Data Kalen. Maji Conſtantinopoli, Juſtiniano & Valerio viris „ clariſſimis Conſulibus. *Hactenus Juſtinus*. Et ejuſdem argumenti Epiphanius Epiſcopus Conſtantinopolitanus ſequentes ad eundem Pontificem fecit literas.

Per omnia Sanctiſſimo, ac Beatiſſimo Domino Fratri & Comminiſtratori Hormiſdæ Epiphanius Epiſcopus.

714 „ Frequentiores quidem literas facere ad veſtram Beatitudinem, & frui affectu paternæ charitatis optamus. Nunc autem ea, quæ evenerunt, cupientes veſtram „ ſanctimoniam non latère, præſentibus uſi „ ſumus ſcriptis. Multis enim & non parvo „ ſpatio temporis perturbationibus Antiochiæ maximam Civitatem, quę eſt in Diœceſi Orientali prima, circumſtantibus ſub „ occaſione, quia Paulus amabilis Deo Epiſcopatum memoratæ habuit Civitatis, & „ multis Urbis ipſius habitatoribus, ſicut dixerunt aliqui, à catholica ſeſe ſeparantibus communione, & aſſiduas interpellationes tranquilliſſimo & fideliſſimo Principi noſtro ingerentibus, & eorum quæ in „ accuſationem ducebantur, inquiſitionem „ ſupplicantibus fieri manifeſtam. Quæ quidem initium olim ſumpſerunt, ſicut nec „ directos à veſtra Sanctitate amabiles Legatos latuit, cùm in alia degerent Civitate, agnoſcentes ſuper his omnia. Memoratus ergò amabilis Deo Paulus prodeſſe „ ſibi hoc exiſtimans, per libellos proprios „ deſignatæ Civitatis deſertionem & Epiſcopatus elegit, & univerſalem quietem, & à „ cauſis alienationem ſe præferre monſtravit. Quæ omnia & amabilem Chriſto Principem noſtrum manifeſta Reverentiæ veſtrę „ feciſſe novimus; ſed nunc omnibus nobis „ pretioſiùs & de quo maximè noctibus & „ diebus nuncium de his, qui ab amantiſſimo Principe, & à nobis directi ſunt ad veſtram Beatitudinem Deo amabiles Legati, „ amicam Deo pacem nunciantes, & omnia „ pulchritudine decora unitatem ſanctarum „ Eccleſiarum annunciantes, quamcitò ad „ nos deſtinare dignemini, ut præſentis cauſæ (ſicut ſæpè ſcripſimus) ſit cœleſte lucrum his, qui in celeritate ſunt bonæ correctionis auctores, Beatiſſime & Sanctiſſime Frater. Omnem, quæ eſt cum tua Beatitudine in Chriſto fraternitatem nos & „ qui nobiſcum ſunt multis ſalutamus annis. *Hactenus Epiphanii Epiſtola*.

715 Sic ſuâ ſponte abdicato Paulo, ut Principis ſententiã vitaret, Dei judicium effugere non potuit, dùm non diù poſt ad ſupremum æterni Judicis Tribunal evocatus ex hac vita migravit, poſtquàm nondùm annos duos integros ſediſſet. Cui & ſucceſſor datus fuit Euphraſius, ut ſcribit Evagrius lib.4. cap.4. hiſt., ubi ait: „ Paulus, cui dabatur „ mandatum, ut Concilium Chalcedonenſe „ palàm prædicaret, ſuâ ſponte decedens Antiochiâ, certo jam vitæ curſu confecto, „ commune univerſæ carnis iter ingreditur. „ Cujus Epiſcopatus Sedem Euphraſius Hieroſolymis Antiochiam profectus capeſſit. *Hæc Evagrius*. Sed Juſtinus Imperator conſulens Eccleſiæ quoque Alexandrinæ, eam de catholico Epiſcopo providere curavit: deditque ei Antiſtitem Aſterium virum orthodoxum, quem recenſere omittit Nicephorus in Chronico: hujus tamen ſub Juſtino mentio

fit in Actibus Sancti Aretæ Martyris apud Surium tom. 5. ad diem 24. Octobris, ubi habetur, Juſtinum Imperatorem literas feciſſe ad Aſterium Epiſcopum Alexandrinum, ut incitaret Regem Æthyopum ad movendum arma adversùs Homeritas hæreticos Neſtorianos. At ſatis de Græcorum Schiſmate ad hæc uſque tempora protracto, ſedato tamen, Divinâ favente gratiâ, non ſine ingentibus laboribus ſub Juſtino Principe, ſub Hormiſda Pontifice, ſub Epiphanio Epiſcopo, quorum gloria pro tantis exanthlatis laboribus in promovenda Catholica Fide, & diſſitis adunandis Eccleſiis, in æternum manet.

HISTORIA POLEMICA
DE GRÆCORUM SCHISMATE.
PARS SECUNDA.

1 SEDATO Acaciano Schiſmate, prout in ſuperioribus, cumulatus meritis ad Cœlum migravit Hormiſda Anno ſui Pontificatus X. inchoato, cùm ſediſſet annos IX. & dies x. currente Domini Anno DXXIII. Imperii verò Juſtini Anno VI., Maximo V.C. Conſule. Cujus loco exactis ſeptem vacantis Sedis diebus, in ipſis Idibus Auguſti electus fuit Joannes hujus nominis primus Presbyter Tituli Sancti Pammachii, genere Etruſcus, Conſtantii filius, qui poſtquàm ſediſſet annos duos & menſes novem, Ravennæ in carcere juſſu Theodorici Regis Ariani, cujus hæreſi Sanctus adverſabatur Pontifex, detentus, fame, inediâ, aliiſque ærumnis confectus VI. Kal. Junias, currente Domini Anno DXXVI. Imperii Juſtini IX. ſpiritum Deo reddidit, Olybrio V.C. Conſule, cujus corpus Romam translatum, ſepultum fuit in Baſilica Vaticana IV. Kal. Julias; eique tranſactis quinquaginta & octo diebus, die XXIV. menſis Julii datus eſt ſucceſſor Felix, hujus nominis IV., natione Samnita, patre Caſtorio; ſub cujus Pontificatu, currente Anno Dñi DXXVII. Mauritio Conſule, Juſtinus Imperator, morbo, ſenioque gravatus, univerſo conſentiente, immò efflagitante Senatu, in ipſis Kalendis Aprilis, ut notat Marcellinus in Chronico, Juſtiniano ex ſorore nepoti Imperium reſignavit, & quarto elapſo à reſignatione menſe, ex vita deceſſit, cùm imperaſſet annis IX. & menſibus II.

2 Sub hoc porrò Principe Anno IV. Imperii ejuſdem, Domini verò DXXX., Lampadio & Oreſte Coſſ. IV. Idus Octobris Felix Romanus Pontifex, cùm ſediſſet annos IV. menſes II. dieſque XVIII. vitam cum morte commutavit, creato in ejus locum poſt tres vacantis Sedis dies, nimirum XVII. Kalend. Novembris Bonifacio hujus nominis II. patriâ Romano, genere tamen Gotho, filio Sigisbuldi, qui poſt annum & dies duos, XVII. Octobris die, Anno Domini DXXXI. poſt Conſulatum Lampadii & Oreſtis, obiit in Domino; cui erga ejuſdem anni finem datus eſt Joannes hujus nominis II., cognomento Mercurius Romanus genere, ex patre Projecto de Monte Cœlio regione, qui cùm deceſſiſſet Anno Domini DXXXV. VI. Kalend. Julias Imperii Juſtiniani Anno IX.; Belliſario V.C. Conſule, Agapitus in ſolio ſucceſſit Petri, Romanus natione, Gordiani filius, in Regulis Eccleſiaſticis apprimè eruditus, ut ſcribit Liberatus in Breviario cap. 21. Quo Eccleſiam moderante, Epiphanius Epiſcopus Conſtantinopolitanus fidei catholicæ propagator, poſtquàm ſediſſet annos XV. deceſſit è vita.

3 Sublato itaque Epiphanio ſtudio Theodoræ Auguſtæ Juſtiniani Conjugis Sectę Eutychianæ addictæ, Eutychianus Patriarcha ſubſtitutus eſt, Anthimus nomine, Epiſcopus Trapezuntinus, prout notat Liberatus in Breviario cap. 20., inquiens: *Ea tempeſtate mortuo Epiphanio Conſtantinopolitano Epiſcopo, Theodora Auguſta Anthimum tranſtulit in eandem Sedem, qui fuit Epiſcopus Civitatis Trapezuntis regionis Ponti, latenter Chalcedonenſe Concilium non ſuſcipientem*. De hoc eodem Anthimo in libello Monachorum Regiæ Civitatis Hieroſolymorum, & aliorum Orientalium exhibito Agapito Papæ, ac relecto in quinta Synodo ſub Menna Act. 1. hæc habentur: „ Iſte enim & ſimiles huic ex hæreticis „ Acephalis exiſtentes, ac paululùm Religionis pietatem ſimulantes, in Eccleſias ſe „ intruſerunt, tanquàm quædam Ægyptiaca „ flagella, qui nullo modo proprijs Eccleſiis „ vacare voluerunt, & hoc ſolùm benè ſapien-

„ pientes, ut non devaſtent ſibi adjudicatas; „ aliud malè ſapuerunt degere in tanta multitudine in hac Regia Urbe, ut multos in „ proprium barathrum ſecum arripiant. Inſtituit enim prędictus Anthimus non Evangelicam, ſed fictam vitam, ut finis probavit; & relinquens Eccleſiam Trapezundarum ſibi creditam, tranſcendit in aliam „ iſtius Civitatis ante hos proximos annos, „ oſtendendo omnibus ſimulatam continentiam ſuæ converſationis, atque hoc pacto „ quæſtum faciens pietatem. Cùm ergò per „ hanc ſubripuerit, potuit & in Regiam ſeſe „ immittere, ut augere videretur ſubdolam „ exiſtimationem vitæ ſuæ, converſatuſque „ eſt multo tempore cum hæreticis ibidem „ nidificantibus, placita illis faciendo & dicendo, videlicet hæreticum furorem ſimilem eis exercendo. Cùm autem vidit ſanctæ memoriæ Epiphanium in extremis jacentem, machinatus eſt quid corruptum, „ quod pravum ipſius conſilium prorsùs aperuit. Tanquam enim conaretur omnibus „ ibidem commendare dolum ſuæ longæ pręſtolationis, illud, quod multis ignotum erat, „ & ſolùm prudentioribus in ſuſpicionem venerat, in lùcem proferre, vel etiam invitus coactus eſt. Ante enim multum tempus pręcogitavit adulterium & raptum hujus Imperialis Eccleſiæ. Hic ergò potuit „ per illorum auxilium & venerabilem Sedem hujus Civitatis rapere, & ad tantam „ adminiſtrationem promoveri, cùm propriam neglexerit Eccleſiam, & viduam, ac „ ſine viro eouſquè ipſam derelinquendo, ex „ quo dolum ſuæ fictæ converſationis perſpicuum omnibus oſtendit. Etenim cùm parvam Eccleſiam ſuſcipere ſuperbè contempſerit, ſtatim ad tantam & incomparabilem illi Eccleſiam ſeipſum provexit, tanquàm ſufficientem exiſtentem ipſius curam „ habere. *Hæc de Anthimo*. Similia habentur in altero libello porrecto Imperatori à Dalmatio & Archimandritis Regię Civitatis, à Monachis & Archimandritis Eccleſiæ Hieroſolymitanæ, & à Monachis Montis Sinai ac ſecundæ Syriæ, relecto pariter eadẽ Act. 1. Quintæ Synodi ſub Menna.

4 Hic ergò, qui ut Vulpes intravit, ſtuduit in omnibus apparere catholicus, probans tùm Chalcedonenſe Concilium, tùm cætera alia Concilia, ac reliqua à veris orthodoxis probata; & cùm de ejus hæreſi rumor ſparſus eſſet, ſe purgare conaverat coram Juſtiniano Imperatore, aſſerens diſertis verbis, ſe in omnibus adhęſurum iis, quæ Apoſtolica Sedes ſentienda præſcriberet, prout refertur à Patribus in Act. 4. ejuſdem quintæ Synodi ſub Menna. Verùm Agapito Conſtantinopolim veniente, ſuſceptâ Legatione, licèt coactè, Theodati Italiæ Regis, ſprevit Anthimi præſentiam, nec ad ſalutandum admittere voluit, prout ſcribit Liberatus in Breviario cap. 21., ubi agens de Agapiti electione atque ſuſcepta ad Juſtinianum Legatione, ait: „ Verùm mortuo Joanne Mercurio, Agapitus Archidiaconus Romanæ Eccleſiæ Papa „ ordinatur, in Regulis Eccleſiaſticis apprimè eruditus. Quo tempore Theodatus Rex „ Gothorum ſcribens ipſi Papæ, & Senatui „ Romano, interminatur non ſolùm Senatores, ſed & uxores & filios, filiaſque eorum „ gladio ſe interempturum, niſi egiſſent apud „ Imperatorem, ut deſtinatum exercitum „ ſuum de Italia ſubmoveret. Sed Papa pro „ eadem cauſa Legatione ſuſceptâ, Conſtantinopolim profectus eſt. Et primùm quidem honorificè ſuſcipiens directos ſibi ab „ Imperatore, ſprevit tamen Anthimi præſentiam, eumque ad ſalutandum ſuſcipere „ noluit. *Hæc Liberatus*.

5 Habuiſſe Agapitum concertationem de Religione occaſione Anthimi, aliorumque Acephalorum hæreticorum cum Juſtiniano Principe, recenſet Anaſtaſius in vita Agapiti, his verbis: „ Et primùm cœpit habere altercationem cum piiſſimo Principe Imperatore „ Juſtiniano Auguſto de Religione. Cui Beatiſſimus Agapitus Epiſcopus conſtantiſſimè „ fidei Apoſtolicę reſponſum reddidit de Domino noſtro Jeſu Chriſto, Deo & homine, „ hoc eſt de duabus naturis in Chriſto. Et „ dum contentio verſaretur, ità Dominus „ adfuit, ut Epiſcopum Conſtantinopolitanum, nomine Anthimum, inveniret Agapitus Papa hæreticum. Cùmque contentio verſaretur cum Auguſto & Agapito „ Papa, dixit ei Imperator Juſtinianus: *Aut „ conſenti nobis, aut exilio deportari te faciam.* „ Tunc Beatiſſimus Papa Agapitus reſpondit cum gaudio, dicens ad Imperatorem: „ *Ego quidem peccator ad Juſtinianum Imperatorem chriſtianiſſimum venire deſideravi*, „ *nunc autem Diocletianum inveni; qui tamen minas tuas non pertimeſco*. Et dixit ei „ iterùm Agapitus venerabilis Papa: Tamen, „ ut ſcias tu, eum idoneum non eſſe Religioni chriſtianæ, Epiſcopus tuus confiteatur „ duas naturas in Chriſto. Tunc accerſito „ ex præcepto Auguſti Epiſcopo Conſtantinopolitano, nomine Anthimo, & diſcuſſione factâ, nunquam voluit confiteri in doctrina catholicæ reſponſionis ad interrogationem Beati Papæ Agapiti duas naturas „ in Domino Jeſu Chriſto. Quem cùm viciſſet Sanctus Papa Agapitus, glorificatus eſt ab omnibus Chriſtus. *Hæc Anaſtaſius*.

6 Addit Liberatus, Principibus petentibus, ut Anthimum Agapitus in ſalutatione & communione ſuſciperet, negaſſe Pontificem id ſe poſſe facere, quòd ſi libello ſe orthodoxum oſtenderet, ad Cathedram ſuam reverti permiſſurum: „ Denique, inquit, „ petentibus Principibus, ut Anthimum Papa in ſalutatione & communione ſuſciperet

„ ret, ille fieri, inquit, poſſe, ſi ſe libello „ probaret orthodoxum, & ad Cathedram „ ſuam reverteretur. Impoſſibile eſſe, ajebat, „ translatitium hominem in illa Sede permanere. *Ita Liberatus*, ſubjungens munera & minas ab Auguſta Theodora exhibita, & factas Pontifici, ut Anthimo faveret, contemnente omnia Sanctiſſimo Agapito, atque in ſententia conſtanter perſiſtente, inquiens: „ Auguſta verò clàm promittente munera „ multa, & rursùs Papæ minas intentante, „ in hoc Papa perſtitit, nè ejus audiret petitionem. *Addit denique*. Anthimus verò „ videns ſeſe pulſum, pallium quod habuit, „ Imperatoribus reddidit, & diſceſſit, ubi „ eum Auguſta ſuo patrocinio tueretur.

7 Anaſtaſius verò ſcribit, Anthymum ſede pulſum in exilium juſſu Principis amandatum: „ Tunc, *inquit*, piiſſimus Auguſtus Juſtinianus „ gaudio repletus, humiliavit ſe Sedi Apoſtolicæ, & adoravit Beatiſſimum Agapitum „ Papam. Eodem tempore ejecit Anthymum „ à communione, & expulit in exilium. *Hæc Anaſtaſius*. Sic ergò ejecto Anthimo hæretico, egit Imperator cum Agapito, ut ejus loco Mennas Catholicus conſecraretur Epiſcopus, ut concludit Anaſtaſius, inquiens: *Tunc piiſſimus Auguſtus Juſtinianus rogavit Beatiſſimum Papam Agapitum, ut in locum Anthymi Epiſcopum Catholicum conſecraret nomine Mennam*. Et Liberatus ait: „ Tunc „ Papa Principis favore Mennam pro eo ordinavit Antiſtitem, conſecrans eum manu „ ſuâ in Baſilica Sanctę Mariæ. Fuit iſte Mennas Prępoſitus Xenodochii Majoris, quod „ vocatur Samſon, genere Alexandrinus, „ ſuſcipiens Chalcedonenſem Synodum. *Hæc Liberatus*.

8 Acta ſunt hæc anno Dñi DXXXVI. Imperii Juſtiniani Anno X. currente Anno II. Pontificatus Agapiti, poſt conſulatum Belliſarii, menſe decimo ab inthronizatione Anthimi, ut notat Nicephorus in Chronico, vel duodecimo, ut placet Zonaræ. Eodemque tempore idem Sanctus Pontifex, cum Anthimo Severum quoque, Petrum, & Zoaram ejuſdem Eutychianæ Sectæ profeſſores proſcripſit atque damnavit, prout liquet in Libellis exhibitis & relectis Act. 1. Quintæ Synodi ſub Menna. De depoſitione porrò Anthimi & Mennæ ſubſtitutione literas fecit Agapitus ad Petrum Epiſcopum Hieroſolymitanum, quarum initium eſt. *Voluiſſemus quidem fratres dilecti*, quæ literæ fuerunt Encyclichæ ad univerſos Epiſcopos Orientis.

9 His itaque aliiſque in Religionis catholicæ augumentum peractis à Beato Agapito, conſtituto apud Imperatorem Pelagio Diacono Apocriſario, dùm ad iter ſe parabat, morbo oppreſſus obiit in Domino Conſtantinopoli. Sic Liberatus cit. cap. 22. inquiens: *His peractis, conſtituens Papa apud Imperatorem Apocriſarium Eccleſiæ ſuæ Pelagium Diaconum ſuum, dum in Italiam reverti diſponit, Conſtantinopoli obiit*. Anaſtaſius quoque idem refert, inquiens: „ Poſt dies „ verò aliquantos ægritudine correptus, de- „ functus eſt Conſtantinopoli, cujus corpus „ in loculo plumbeo translatum eſt Romam „ uſque in Baſilicam Beati Petri Apoſtoli, „ ubi & ſepultus eſt XII. Kal. Octobris. *Hactenus Anaſtaſius*. Plura de rebus geſtis ab Agapito, ejus obitu & funere ex vetuſto manuſcripto codice Bibliothecæ Vaticanæ recenſet Baronius ad hunc annum à num. 59. & ſequ.

10 Poſt cujus obitum, Mennas, illo adhuc vivente, acceptâ Vicariâ poteſtate, unà cum Apoſtolicæ Sedis Legatis, ſcilicet Sabino Epiſcopo Canuſino, Epiphanio Epiſcopo Aſculano, Aſterio Nolano, Ruſtico Feſulano, & Leone Nolano Epiſcopis, quos ſuperiori anno Agapitus Conſtantinopolim miſerat, egerunt de celebranda Synodo, antequam rurſus inſurgerent potentiâ freti Imperatricis depoſiti nuper hæretici, qui fuerant Pontificiâ Agapiti auctoritate compreſſi. Quare convocatis in Regia Civitate ex vicinioribus Epiſcopis, & iis qui Conſtantinopoli morabantur, celebrata fuit prima ſeſſio, annuente Juſtiniano Principe, VI. Nonas Majas ejuſdem anni, nimirum poſt Conſulatum Belliſarii: ſecunda verò pridie Nonas Majas; tertia VI. Idus Maii: quarta XII. Kalendas Junias, & quinta pridie Nonas Junias, quibus Actionibus abſoluta eſt univerſa Synodus Conſtantinopolitana ſub Menna, in qua damnati fuerunt Synodali ſententiâ Anthimus, Severus, Petrus, & Zoara, damnationem approbante Juſtiniano, immo ſuâ novellâ conſtitutione promulgante, ut habetur in authent. collat. 4. titul. 21. novella 42. Receptis porrò hujus Synodi Actis ab Eccleſia Hieroſolymitana, Petrus ejuſdem Civitatis Epiſcopus coactâ Synodo ex trium Palæſtinarum Epiſcopis XIII. Kal. Octobris, eoſdem hæreticos ſententiâ pariter Synodali damnavit, atque proſcripſit, ut ejuſdem Synodi Acta demonſtrant.

11 Interea Romæ acceptâ notitiâ obitus Agapiti, cùm ex more pro ſucceſſoris electione haberentur comitiæ, Theodatus Gothorum Rex, prout refert Anaſtaſius, violentam manum immittens, quem liberè Clerici vellent, minimè eligendum permiſit, dato eis Sylverio in Pontificem filio Hormiſdæ quondam Papæ, ex legitimo Matrimonio nato: in quem, licèt Clerici ab exordio minimè conſenſiſſent, attamen poſt illius ordinationem, nè Eccleſia Dei peſſimo fœdaretur ſchiſmate, ei adhæſerunt, & tanquam verum Pontificem approbaverunt, & receperunt: „ Sylverius natione Campanus, *ait Anaſtaſius*, ex patre Hormiſda Epiſcopo Romano, ſedit annum unum, menſes quinque, „ & dies undecim. Hic levatus eſt à Tyranno

„ no Theodato ſine deliberatione decreti. „ Qui Theodatus corruptus pecuniâ datâ, „ talem timorem induxit Clero, ut qui non „ conſentirent in ejus ordinatione, gladio pu- „ nirentur. Sacerdotes quidam non ſubſcri- „ pſerunt in eam, ſecundùm morem anti- „ quum, neque decretum confirmaverunt an- „ te ordinationem. Jam autem ordinato „ Sylverio ſub vi & metu, propter adunatio- „ nem Eccleſiæ & Religionis, poſtmodùm „ ſubſcripſerunt Presbyteri. *Hæc Anaſtaſius*.

12 Cæterùm ex falſa narratione de pecu- nia à Sylverio Theodato collata, ut ſtudio il- lius Epiſcopus ordinaretur, Anaſtaſium de- ceptum eruditi omnes exiſtimant; nam Libe- ratus ſcriptor illius temporis, agens de Sil- verii electione nec verbum facit ſive de vio- lentia Theodati ut eligeretur, ſive de pecu- nia à Silverio recepta ut ſuâ operâ Romanus fieret Epiſcopus: cap. enim 22. ſui Breviarii ita ſcribit: *De cujus deceſſu audiens Romana Civitas, Silverium Subdiaconum Hormiſdæ quondam Papæ filium, elegit ordinandum*. Im- mo in ſententia lata adversùm Vigilium in- truſum, ipſum infamat, quòd pecuniâ com- paraverit Pontificiam dignitatem adversùs le- gitimum Pontificem: Quòd ſi Sylverius eo- dem criminè maculatus extitiſſet, hoc idem in competitore tacuiſſet.

13 Itaque Theodora Auguſta nequiſſima fœmina, cui in corde erat, ut Eutychiani in ſuas Sedes, à quibus Agapiti primùm, deinde Synodali decreto exturbati fuerant, Anthi- mus ſcilicet, Severus, Petrus, & Zoara, reſtituerentur, egit cum Vigilio, quem ut ſupra dictum eſt, Agapitus Apocriſarium Apoſtolicæ Sedis Conſtantinopoli apud Ju- ſtinianum delegerat, ut eo creato Pontifice cum Anthimo communicaret & aliis, ut hac viâ Eccleſias, quas priùs invaſerant, repetere poſſent, adjectâ promiſſione, de ſcribendo Belliſſario, tunc in Italia degenti, ut ſuâ au- ctoritate ageret cum Clero, ut eligeretur in Pontificem. Hiſce acceptatis conditionibus nec ſine ingenti pecuniâ ad hunc eundem ef- fectum ab eadem receptâ Auguſta, diſceſſit Vigilius Conſtantinopoli, Romam profectu- rus. Hæc omnia recenſet Liberatus illius temporis ſcriptor in Breviario cap. 22. in- quiens: „ Auguſta verò vocans Vigilium „ Agapiti Diaconum, profiteri ſibi ſecretò „ ab eo flagitavit, ut ſi Papa fieret, tolleret „ Synodum, & ſcriberet Theodoſio, Anthi- „ mo & Severo, & per Epiſtolam ſuam eorum „ firmaret fidem, promittens dare ei præce- „ ptum ad Belliſarium, ut Papa ordinaretur, „ & dari centenaria ſeptem. Lubenter ergò „ ſuſcepit Vigilius promiſſum ejus, amore „ Epiſcopatus, & auri. Et factâ profeſſione „ Romam profectus eſt.

14 Verùm dùm Romam venit, Sylverium in Romanum Pontificem reperit electum: quare Urbe relictâ ad Belliſarium Ravennam profectus, Auguſtæ mandata contradidit, additâ duorum centenariorum aureorum pro- miſſione, ſi ageret, ut ejecto Sylverio, ipſe in Pontificem eligeretur. Auguſtæ mandatis & Vigilii mandatis annuens poſtulatis Belli- ſarius, Romam profectus, adhibitis falſis te- ſtibus, Reum Sylverium conſtituit de mutua cum Gothorum Rege ſocietate, confictis per quendam Marcum Scholaſticum & Joannem ſub Sylverii nomine ad prefatum Regem Epi- ſtolis; cujus rei cauſâ ſub dolo ad palatium vocatus Sylverius, ibique à ſuis ereptus & retentus, inde Pataram in Lycia exulem amandavit, & in ejus Sede Romæ Vigilium intruſit. At ope Epiſcopi Patarenſis revoca- tus Imperatoris juſſu ab exilio, dùm Romam repetit, iterùm captus atque in Vigilii pote- ſtate contraditus, in Pontiam, ſive Palma- riam Inſulam ſub cuſtodia relegatur. Hæc omnia ex eodem Liberato ſatis manifeſta ha- bentur. Anaſtaſius verò in vita Sylverii me- minit hujus dumtaxat exilii in Pontiam In- ſulam, omiſſo primo exilio in Orientem; & eandem damnationis cauſam, nempè intelli- gentiam cum Gothorum Rege, ut iterùm Ro- mana Civitas eidem, jam expulſo, contrade- retur Regi. Sic itaque in exilio conſtitutus Sylverius, famulantibus cum Epiſcopis qua- tuor, nimìrum Terracinenſi, Fundano, Fir- mano & Mintumeſi, inito cum eis conſilio, damnationis ſententiam in Vigilium pronun- ciavit, quam literis exaratam per Anaſtaſium Subdiaconum ad ipſum miſit Vigilium, quæ ita ſe habuit.

Sylverius Epiſcopus Vigilio.

15 „ Multis te tranſgreſſionibus irretì- „ tum ſacerdotalis jamdudùm novit gene- „ ralitas; & quia cruentis humano ſanguine „ manibus deceſſoribus noſtris pervicaciâ tuâ „ ſubripiens, Leviticis præſumpſeris excu- „ bare miniſteriis, plerique noverunt fide- „ lium. Nam quia contra jura canonica tem- „ poribus ſanctæ memoriæ Bonifacii Papæ, „ ipſo vivente, ſucceſſor ejus deſignari cona- „ baris, niſi tibi ampliſſimi Senatus obviaſſet „ juſtitia, tunc providentiâ Paſtorali à Pon- „ tificali auctoritate tua execranda jam de- „ buerant auſpicia detruncari. Sed dùm par- „ vum vulnus ante in te neglectum eſt, in- „ ſanabile accrevit apoſtema; quod niſi fer- „ ro altiùs abſcindatur, fomentorùm non „ potes ſentire medicinam. Quippe qui ne- „ quiſſimi ſpiritus audaciâ ambitionis phre- „ neſim concipiens, in illius Apoſtolici Me- „ dici, cui animas ligandi, ſolvendique col- „ lata & conceſſa poteſtas eſt, verſaris con- „ tumeliam, novumque ſcelus erroris in „ Apoſtolicam Sedem rurſùs niteris induce- „ re, & in morem Simonis, cujus Diſci- „ pulum te oſtendis operibus, datâ pecuniâ, „ meque repulſo, qui, favente Domino, tri-

bus

„ bus jam jugiter emenſis temporibus ei præ-
„ ſideo, tempora mea niteris invadere. Ha-
„ beto ergò cum his, qui tibi conſentiunt,
„ pœnæ damnationis ſententiam, ſublatum-
„ que tibi nomen & munus miniſterii ſacer-
„ dotalis agnoſce, Sancti Spiritus judicio &
„ Apoſtolica à nobis auctoritate damnatus.
„ Sic enim decet fidem Sanctorum Patrum
„ in Eccleſia ſervari catholica, ut quod ha-
„ buit amittat, qui improbabili temeritate,
„ quod non accepit, aſſumpſerit. *Dato* VIII.
„ *Kal. Julii, Cœlius Sylverius Papa Urbis Ro-*
„ *mæ huic decreto anathematis in Vigilium*
„ *pervaſorem facto, ad omnia ſtatuta conſen-*
„ *ſum præbens, ſubſcripſi*. Hactenus condem-
notoria Epiſtola, cui ſubſcripſerunt pariter quatuor ſupra recenſiti Epiſcopi, damnationi conſenſum præbentes.

16 Interea temporis dum Sanctus Pontifex in exilio prælibato conſtitutus compluribus premeretur ærumnis, Amatus Epiſcopus Auguſtudonenſis ad levandam illius inopiam, munuſcula quædam miſit, ac datis literis de ſtatu exilii certior fieri petiit, ita ſcribens.

Beatiſſimo Sylverio Amator Epiſcopus.

17 „ A' quibuſdam, Pater dilectiſſime,
„ illis à partibus adventantibus, audivimus
„ vos à Sede Sancti Petri pulſum, exilio de-
„ ſtinatum. Quod nimis gravè ferentes, mi-
„ ſimus parva munuſcula, ideſt argenti libras
„ triginta ad veſtram, veſtrorumque ſuſten-
„ tationem; quæ petimus, ut ita grato ani-
„ mo ſuſcipiatis, ſicut gratâ mittuntur in-
„ tentione. Precamur quoque, ut per ve-
„ ſtram Epiſtolam nobis remandare non de-
„ dignemini, qualiter circa vos ſit actum,
„ vel modò agitur, ut certam rationem de
„ vobis ſcire, & fratribus valeam nunciare.
„ Quid enim putas de nobis fieri, Pater Sum-
„ me, cùm de Summo Paſtore & Vicario
„ Sancti Petri talia fiunt? Vos tamen noli-
„ te multùm triſtari, ſed confortamini ſem-
„ per in Domino, quoniam potens eſt Divi-
„ nitas immenſæ tempeſtatis incerta bono
„ ſerenitatis amovere. Ora pro nobis Bea-
„ tiſſime Pater. *Hactenus Amator*.

18 Sed ſic exulante Sylverio, Vigilium poſtulatis ab Auguſta adhæſiſſe ferunt, Synodum Chalcedonenſem reprobaſſe, unam in Chriſto naturam aſſeruiſſe, ac proinde & cum hæreticis ſupra recenſitis communicaſſe, & per Antoninam Belliſarii conjugem ſequentem feciſſe Epiſtolam, tradit Liberatus.

Dominis & Chriſtis, Vigilius.

19 „ Scio quidem, quia ad Sanctitatem
„ veſtram antea fidei meæ credulitas, Deo
„ adjuvante, pervenit. Sed quia modò glo-
„ rioſa filia mea Patritia Antonina chriſtia-
„ niſſima deſideria mea fecit impleri, quòd
„ fraternitati veſtræ præſentia ſcripta tranſ-
„ mitterem. Salutans ergò vos gratiâ, qua
„ nos Deo noſtro Salvatori conjungimur, &
„ eam fidem, quam tenetis, Deo adjuvante,
„ & tenuiſſe & tenère ſignifico, ſciens, quia
„ illud inter nos prædicamus & legimus, ut
„ & anima ſit & cor unum in Deo. Profe-
„ ctus mei, qui veſter eſt, Deo adjuvante,
„ vobis gaudia maturavit ex meo animo,
„ ſciens fraternitatem veſtram quæ optat, &
„ libenter amplecti. Oportet ergò, ut hæc
„ quæ vobis ſcribo, nullus agnoſcat; ſed magis
„ tanquam ſuſpectum hic me ſapientia veſtra
„ ante alios exiſtimet habere, ut faciliùs poſ-
„ ſim hæc quæ cœpi operari & perficere.
„ Orate pro nobis Deum, mihi, fratres in
„ Chriſto Domino conjuncti. *Hactenus Epi-*
„ *ſtola*.

20 Subjungit Liberatus, Vigilium fidem ſuam ſcripſiſſe, in qua duas in Chriſto damnavit naturas, atque ita reſolvens tomum Papæ Leonis, dixiſſe: „ Non duas Chriſtum
„ naturas confitemur, ſed ex duabus natu-
„ ris compoſitum unum Filium, unum Chri-
„ ſtum, unum Dominum. *Et iterum*, Qui
„ dicit in Chriſto duas formas, unaquaque
„ agente cum ſua communione; & non con-
„ fitetur unam perſonam, unam eſſentiam;
„ anathema ſit. Qui dicit, quia hic quidem
„ miracula faciebat, hic verò paſſionibus ſuc-
„ cumbebat; & non confitetur miracula &
„ paſſiones unius, ejuſdemque, quas ſponte
„ ſuâ ſuſtinuit carne nobis conſubſtantiali,
„ anathema ſit. Qui dicit, quòd Chriſtus
„ velut homo miſericordiâ dignatus eſt; &
„ non dicit ipſum Deum Verbum & crucifi-
„ xum eſſe, ut miſereatur nobis, anathema
„ ſit. Anathematizamus ergò Paulum Sa-
„ moſatenum, Dioſcorum, Theodorum &
„ Theodoritum, & omnes, qui eorum ſtatu-
„ ta coluerunt, vel colunt. *Hæc Vigilius*, ait Liberatus, *ſcribens hæreticis occultè*.

21 Suſpectam eſſe hanc Epiſtolam tradunt eruditi, & pluribus probat Baronius ad Annum Domini DXXXVIII. ſub num. 15. & ſeq. exiſtimantque ab aliquo Eutychiano confictam hæretico, & præcipuè ex Actione XIV. ſextæ Synodi demonſtrat, ubi dicitur: *Sanctum Concilium exclamavit: Anathema libro qui dicitur Mennæ ad Vigilium, & qui eum fixerunt ſive ſcripſerunt: Anathema libellis, qui dicuntur facti fuiſſe à Vigilio ad Juſtinianum, & Theodoram divæ memoriæ, qui & ſunt falſi demonſtrati*: conſtat enim ex titulo Epiſtolæ datæ *Dominis & Chriſtis*, directam fuiſſe Juſtiniano, & Auguſtæ, neminem certè alium *Dominos & Chriſtos* nuncupare potuiſſet Vigilius. Imperatores tantùm & Reges, qui uncti ſunt, Chriſti appellari merentur, ac ideò infertur eandem fuiſſe prælibatam Epiſtolam cum libello anathematizato in ſexta Synodo, quem reverâ non à Vigilio editum proclamant Patres. Et hoc quoque ad-
ver-

vertit Binius in notis ad Breviarium Liberati, ubi & alias quoque affert rationes, quibus probat ejuſmodi Epiſtolam ab Eutychianis ſuppoſitam. Et etiam ſi eſſet Vigilii non obſtare indemnitati ſidei Romanorum Pontificum, innuit Baronius, quoniam tunc temporis Vigilius nondùm erat legitimùs Papa, ſed Pſeudopapa, Sedis Apoſtolicę invaſor, & Schiſmaticus, adhuc vivente Sylverio: quare conſideranda ſunt ejuş geſta poſtquam legitimè ſedit. Tunc etenim impiis Theodoræ Auguſtæ poſtulatis invicto renuit animo, ut acta ipſius declarant, & tota vi Eutychianis reſtitit, damnavitque quotquot unam tantùm in Chriſto aſſeverabant naturam.

22 Intereà Beatiſſimus Sylverius, ut præmiſimus, in Inſula Pontia relegatus, ibique pane tribulationis, & aquâ anguſtiæ ſuſtentatus, ut ait Anaſtaſius, deficiens mortuus eſt, confeſſor factus. Liberatus verò, inediâ defeciſſe, tradit. Obiit, ſecundùm Anaſtaſium XII. Kal. Junii Anno Dñi DXL. ut ſupputat Binius in notis ad Sylverii vitam, qui fuit Annus ſui Pontificatus IV. Imperii verò Juſtiniani Annus XIV. ipſo Juſtiniano Conſule cum Paulino juniore Collega. Ibique ſepultus fuit, cujus Sanctitatem ad ejus ſepulchrum crebra Divinâ virtute patrata miracula, certam reddiderunt.

23 Poſt cujus obitum in arcto poſitus Romanus Clerus, anceps de ſucceſſoris electione, poſt varias conſultationes, denique ad evitandum ſchiſma & periculoſiſſimam declinandam hæreſim, in Vigilium, qui Pontificatu poſt mortem Sylverii ſe abdicaverat, licèt ſubdolè, ſperans hac viâ Theodoræ Auguſtæ & Belliſſarii fretus protectione canonicè eligi, conſenſit: & Romanum Pontificem renunciavit IV. Kalendas Julias ejuſdem anni. Sic ergò electus Vigilius accepit ex more Juſtiniani gratulatorias & obedientiæ literas unà cum fidei profeſſione per Dominicum virum Patricium & exconſulem Imperatoris Legatum redditas: & mutatus in Virum alterum, contra ſpem atque Theodoræ Auguſtæ expectationem, Anthimum aliòſque ejus collegas hæreticos Anathemati ſubjecit, ut liquet ex Epiſtola data ad eundem Juſtinianum, cujus initium eſt: *Literis clementiæ veſtræ*. Id quod ægrè tulit impia Theodora.

24 Porrò Juſtinianus, fortè ab eadem Auguſta ſollicitatus in invidiam Romani Pontificis, qui primatui Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ ſuper alias Orientales Eccleſias ſemper reſtitit, editâ ſanctione Anno XV. ſui Imperii, Domini verò DXLI. Pontificatus Vigilii Anno II. Baſilio juniore Conſule; ſub titulo *de Regulis Eccleſiaſticis & Privilegiis, aliiſque Capitulis ad Sacroſanctas Eccleſias, & reliquas venerabiles domos pertinentibus*, ut habetur in Authentic. collat. 9. tit. 14. & novella 131. Eccleſiam Conſtantinopolitanam poſt Romanam evexit ſuper univerſas Orientis Eccleſias, in Patriarchalem erectam, inquiens.

25 „ Sancimus igitur vicem legum obtinere ſanctas Eccleſiaſticas regulas, quæ à „ ſanctis quatuor Conciliis expoſitæ ſunt, „ aut firmatæ, hoc eſt, in Nicæna trecentorum decem & octo, & in Conſtantinopolitana ſanctorum centum quinquaginta Patrum, & in Epheſina prima, in qua Neſtorius damnatus eſt, & in Chalcedonia, in „ qua Eutyches cum Neſtorio anathematizatus eſt. Prædictarum enim quatuor Synodorum dogmata ſicut ſanctas Scripturas accipimus, & regulas ſicut leges obſervamus. Ideoque ſancimus ſecundùm earum diffinitiones, ſanctiſſimum ſenioris „ Romæ Papam primum eſſe omnium Sacerdotum, beatiſſimum autem Archiepiſcopum Conſtantinopoleos novæ Romæ ſecundum habere locum poſt ſanctam Apoſtolicam ſenioris Romæ Sedem: aliis autem omnibus Sedibus præponatur. *Hactenus Juſtiniani Sanctio*.

26 Poterat utique hæc ſanctio novi Schiſmatis Orientalem inter & Occidentalem Eccleſiam eſſe cauſam, ſi Vigilius Papa, ut fecerat S. Leo, aliique deceſſores, reſtitiſſet, id, quod fortè impia expectabat Theodora. Verùm tacuit pro bono pacis Vigilius, & tacuerunt indè ejuſdem Vigilii ſucceſſores. Ex hoc tamen palàm conſtat, Eccleſiam Conſtantinopolitanam prælibato ſæcularis Principis decreto in Patriarchalem evectam, & contrà univerſos Canones primum poſt Romanam locum accepiſſe; quoniam, prout in ſuperioribus oſtenſum eſt, ſimilia Patrum Græcorum Concilii Conſtantinopolitani I. & Synodi Chalcedonenſis attentata Romanorum Pontificum, & maximè Sancti Leonis auctoritate, irrita & caſſa fuere, accedente quoque Imperiali Sanctione Pontificum Acta confirmante. Optimè ergò Nicolaus I. ad Conſulta Bulgarorum cap. 92. de Sedibus interrogatus Patriarchalibus, reſpondit: „ Conſtantinopolitanus autem & Hieroſolymitanus Antiſtites, licèt dicantur Patriarchæ, non tantæ tamen auctoritatis, „ quantæ ſuperiores exiſtunt. Nam Conſtantinopolitanam Eccleſiam, nec Apoſtolorum quiſquam inſtituit, nec Nicæna Synodus, quæ cunctis Synodis celebrior & „ venerabilior eſt, ejus mentionem aliquam „ fecit, ſed ſolùm quia Conſtantinopolis nova Roma dicta eſt, favore Principum potiùs, quàm ratione Patriarcha ejus Pontifex appellatus eſt. *Hæc Nicolaus*.

27 Porrò Græci hoc idem privilegium Synodali decreto confirmare & conſtabilire curarunt; quare in ſexta Synodo in Trullo, tacitâ Juſtiniani ſanctione, juxtà reſciſſos Conſtantinopolitani I. & Chalcedonenſis Canones, in favorem ejuſdem Patriarchatus Canonem condiderunt, qui in ordine eſt XXXVI.

ſic

ſic ſe habentem: „ Renovantes quæ à ſanctis
„ centum quinquaginta Patribus, qui in hac
„ à Deo conſervanda & Regia Urbe conve-
„ nerunt, & ſexcentorum triginta, qui Chal-
„ cedone convenère, conſtituta ſunt, decer-
„ nimus, ut Thronus Conſtantinopolitanus
„ æqualia privilegia cum antiquæ Romæ
„ Throno obtineat, & in Eccleſiaſticis, ut
„ ille rebus magnifiat, ut qui ſit ſecundus
„ poſt illum; poſt quem magnæ Alexandri-
„ norum Civitatis numeretur Thronus, de-
„ inde Antiochiæ, & poſt eum Hieroſoly-
„ mitanę Civitatis. *Hactenus Canon Trul-lanus*.

28 Sed inde ſcrupoloſi Græci, quoniam de auctoritate Canonum ſextæ Synodi dubitare videbantur, in octava Synodo œcumenica iterum confirmare idem ſatagerunt, edito Canone XXI. tenoris ſequentis: „ Defi-
„ nimus, neminem prorsùs Mundi Potentium
„ quenquam eorum, qui Patriarchalibus pre-
„ ſunt Sedibus, inhonorare aut movere à
„ proprio Throno tentare, ſed omni reve-
„ rentià & honore dignos judicare, præci-
„ puè quidèm Sanctiſſimum Papam ſenioris
„ Romæ, deinceps autem Conſtantinopo-
„ leos Patriarcham, deinde verò Alexan-
„ driæ, ac Antiochiæ, atque Hieroſolymo-rum. *Hactenus Canon*. Ubi obſervare licet ſub prætextu decernendi debitum Sedibus Patriarchalibus præſtandum honorem, ſecundum locum Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ poſt Romanam, confirmare voluiſſe. Itaque conſtans eſt, Eccleſiam Conſtantinopolitanam favore Principum, non Canonum Eccleſiaſticorum auctoritate in Patriarchalem evectam; tacentibus atque Romanis tolerantibus Pontificibus ad majora vitanda mala & frequentiora hujus rei cauſa declinanda ſchiſmata. At utinam ad unionem perpetuò cum Græcis habendam, hæc profuiſſet tolerantia. Et hæc ſatis ad continuationem Hiſtoriæ à ſedato Acaciano ſchiſmate uſque ad hec tempora, quandò nova incœperunt diſſidia, de quibus modò agendum eſt.

CAPUT I.

De orto diſſidio ſub Juſtiniano occaſione damnationis trium Capitulorum.

1 EOdem imperante Juſtiniano, Anno ſui Imperii XX., Domini verò DXLVI., Pontificatus Vigilii Anno VII. poſt Baſilii Conſulatum Anno V. nova orta eſt inter Orientáles & Occidentales controverſia, quæ alterius ſchiſmatis cauſa eſſe poterat, niſi prudentià Romani Pontificis ſedata fuiſſet. Etenim Theodorus Cęſareę Cappadocię Epiſcopus, Acephalorum hæreticorum fautor & Origenis Sectator, à paucis annis proſcripti, ad ultionem eorum, quæ contra Origenem geſta erant, atque in Pelagii Diaconi Sanctæ Romanæ Eccleſiæ apud Juſtinianum Apocriſarii invidiam, cujus operâ Origenes & ejus ſcripta damnata fuerant, ut imminens periculum Acephalis averteret, controverſiam de tribus Capitulis excitavit, ut Eccleſiæ pacem perturbaret.

2 Tria autem erant Capitula: I. Ibæ Epiſcopi Edeſſeni Epiſtola ad Marim Perſam. II. Perſona Theodori Epiſcopi Mopſueſteni & ejus ſcripta. III. Theodoreti Epiſcopi Cyri Diſputationes adversùs duodecim Capitula Cyrilli Epiſcopi Alexandrini. De primo verò Capitulo ſciendum eſt, Ibam Epiſcopum Edeſſenum in ſuſpicionem veniſſe, quaſi Neſtorio adhæſiſſet, in cujus rei teſtimonium allata in medium quædam fuit Epiſtola ejus nomine poſt Acta Epheſinæ Synodi ſcriptam ad Marim Perſam, in qua dicebatur, Neſtorium nullo juris ordine ſervato fuiſſe damnatum. S. Cyrilli adversùs Neſtorium geſta reprobabantur, atque Theodorus Mopſueſtenus Epiſcopus primarius Neſtorianæ hæreſis auctor ſummis laudibus efferebatur. Quæ omnia ut lucidiùs clareſcant, prælibatam hìc ſubjiciemus Epiſtolam, quæ poſt proemium ſic ſe habet.

3 „ In brevi autèm claræ tuæ prudentiæ,
„ quæ in paucis multa cognoſcit, indicare,
„ quæ pridem, & nunc hìc acta ſunt, feſti-
„ navimus, ſcientes quia quæ veſtræ Sancti-
„ tati à nobis ſcripta ſunt, veſtro ſtudio illic
„ omnibus innoteſcent, & quià nullam per-
„ mutationem Scripturæ à Deo traditæ ſu-
„ ſceperunt. Facio autem hujus argumenti
„ principium ex ſermonibus, quos & ipſe
„ edoctus ſum.

4 „ Contentio facta eſt, ex quo hìc tua
„ Religioſitas fuit, his duobus hominibus
„ Neſtorio & Cyrillo: & conſcripſerunt ad-
„ versùm ſe nocivos & pernicioſos libros, qui
„ audientibus fuerunt ſcandalum. Neſtorius
„ enim dixit in ſuis libris, ſicut religioſitas
„ tua novit, quia Beata Maria Dei Genitrix
„ non eſt: itaut multi putarent, ex hæreſi
„ Pauli Samoſateni hunc eſſe, qui dixit ho-
„ minem purum eſſe Chriſtum. Cyrillus au-
„ tem libros Neſtorii volens deſtruere, la-
„ pſus eſt, & inventus eſt in Apollinarii dog-
„ ma incidens. Conſcripſit enim & iſte illi
„ ſimiliter, quia ipſe Deus Verbum homo
„ factus eſt, ut non eſſet differentia inter
„ Templum & inhabitantem in eo. Con-
„ ſcripſit enim duodecim Capitula, quæ, pu-
„ to, & tuam cognoviſſe religioſitatem, quia
„ una natura eſt Divinitatis & humanitatis
„ Domini noſtri Jeſu Chriſti; & quia, ſicut
„ dicit, non oportet dividere voces dictas,
„ quas vel ipſe Dominus de ſemetipſo dixit,
„ vel Evangeliſtæ de eo.

5 „ Hæc omni impietate plena ſunt, ſicut
„ Sanctitas tua novit. Quomodò enim aci-

ci-

„ cipi poteſt hoc, quod eſt in principio Ver-
„ bum, de Templo, quod factum eſt in Ma-
„ ria? aut illud: *minuiſti eum paulò minus ab*
„ *Angelis*, de Divinitate Unigeniti dictum?
„ Eccleſia enim ſic dicit, ſicut & tua religio-
„ ſitas novit, & à principio ſum edoctus,
„ atque firmatus Divinâ doctrinâ ex libris
„ Beatiſſimorum Patrum, duę naturę, una vir-
„ tus, una perſona, quæ eſt unus filius Do-
„ minus noſter Jeſus Chriſtus.

6 Ob hanc contentionem victores & pii Imperatores juſſerunt, Epiſcoporum primores in Epheſina congregari Civitate, & coràm omnibus libros Neſtorii & Cyrilli judicari. Priùs autem quàm omnes Epiſcopi, qui juſſi fuerant congregari, veniſſent in Epheſum, præcedens idem Cyrillus aures omnium quodam medicamine, quod ſolet ſapientum oculos obcęcare, præoccupavit. Invenit autem cauſam ex odio, quod habuit circa Neſtorium. Et antequàm in Synodum adveniret Sanctiſſimus, & Deo amantiſſimus Archiepiſcopus Joannes, Neſtorium ex Epiſcopatu depoſuerunt, judicio & inquiſitione non factâ.

7 „ Poſt duos autem dies damnationis
„ ejus venimus in Epheſum; & cognoſcen-
„ tibus, qui in damnatione Neſtorii, quæ
„ ab eis facta eſt, duodecim Capitula, quæ
„ à Cyrillo conſcripta ſunt, cùm eſſent con-
„ traria veræ fidei, poſuerunt & firmaverunt,
„ conſenſerunt eis tanquàm veræ fidei con-
„ ſonis, omnes Orientales Epiſcopi eundem
„ Cyrillum damnaverunt, & excommunica-
„ tionem adversùs alios Epiſcopos, qui con-
„ ſenſerant ejus Capitulis, protulerunt. Et
„ poſt hanc perturbationem unuſquiſque in
„ ſuam Civitatem reverſus eſt. Neſtorius
„ autem, quia ſuæ erat odio Civitati, &
„ Viris, qui in ea ſunt, maximis, in eam re-
„ verti non potuit. Et remanſit Orientale
„ Concilium non communicans Epiſcopis,
„ qui communicaverunt Cyrillo.

8 „ Et ob hoc multa triſtitia inter eos
„ facta eſt, & in contentione erant Epiſcopi
„ adversùs Epiſcopos, & populi adversùs po-
„ pulos; & completum eſt opere, quod ſcri-
„ ptum eſt: *quia erunt inimici domeſtici ejus*.
„ Ex hoc detractiones multæ adversùs nos
„ factæ ſunt Paganorum & Hæreticorum.
„ Non enim audebat aliquis de Civitate ad
„ Civitatem, aut ad Provinciam de Provin-
„ cia proficiſci, ſed tanquàm inimicum ſuum
„ unuſquiſque proximum ſuum perſequeba-
„ tur. Multi autem ante oculos non haben-
„ tes Dei timorem, occaſione Eccleſiaſtici
„ zeli, inimicitiam, quam occultam in cor-
„ dibus ſuis habuerant, ad effectum perduce-
„ re, feſtinabant.

9 „ Ex quibus unus exiſtit noſtrę tyran-
„ nus Civitatis, quem & ipſe non ignoras;
„ qui occaſione fidei non ſolùm viventes pu-
„ nit, ſed & hos etiam, qui olim ad Domi-
„ num migraverunt. Quorum unus eſt Bea-
„ tus Theodorus veritatis Prædicator, &
„ Doctor Eccleſiæ, qui non ſolùm in vita
„ ſua colaphis cecidit hæreticos pro veritate
„ ſuæ fidei, ſed & poſt mortem ſpiritalia ar-
„ ma in opuſculis ſuis Eccleſiæ filiis dereli-
„ quit, ſicut & tua Sanctitas cum eo verſata
„ agnovit, & ex his, quæ ipſe conſcripſit,
„ credidit. Hunc auſuseſt, qui omnia præ-
„ ſumit, coram Eccleſia anathematizare, qui
„ propter zelum Dei non ſolùm propriam
„ Civitatem ab errore ad veritatem conver-
„ tit, ſed & longè exiſtentes Eccleſias ſuâ
„ doctrinâ perdocuit.

10 „ Et de libris quidem ejus multa ubi-
„ que perſcrutatio facta eſt, non quia à vera
„ fide exiſterent alieni (vidi enim eum, adhùc
„ illo vivo, frequenter cum laudantem, & in
„ libris ejus legebat) ſed propter inimici-
„ tiam latentem, quam adversùs eum habuit,
„ quoniam manifeſtè eum convicit in Syno-
„ do. His ergò malis intereà geſtis, & uno-
„ quoque, ut volebat, ſicut ſcriptum eſt, am-
„ bulante; adorandus Deus noſter, qui ſem-
„ per ſuâ clementiâ curam pro ſuis gerit Ec-
„ cleſiis, erexit cor fideliſſimi atque victoris
„ Principis, ut dirigeret Virum magnum, &
„ in ſuo Palatio notum, qui cogeret Reve-
„ rendiſſimum atque Sanctiſſimum Archiepi-
„ ſcopum Orientis Domnum Joannem, ut
„ reconciliaretur Cyrillo; ab eo enim fuerat
„ de Epiſcopatu depoſitus. Et poſtquàm li-
„ teras Imperatoris accepit, ſanctiſſimum &
„ religioſiſſimum Paulum Emiſſenum Epi-
„ ſcopum direxit, per eum veram fidem ſcri-
„ bens & denuncians ei, quia ſi huic fidei
„ Cyrillus conſentiret, & anathematizaret
„ eos, qui dicunt, quia una natura eſt Di-
„ vinitatis & humanitatis; ut ei communi-
„ caret.

11 „ Voluit autem Dominus, qui ſem-
„ per ſuæ curam gerit Eccleſiæ, quam ſan-
„ guine ſuo proprio redemit, ut & cor Ægi-
„ ptii molliret, & ſine fatigatione conſen-
„ tiret fidei, eamqué ſuſciperet, & omnes
„ qui abſque hac crederent, anathematiza-
„ ret. Et communicantibus invicem, con-
„ tentio de medio eſt ſublata, & pax in Ec-
„ cleſia facta eſt, & non eſt in ea jam ſchiſma,
„ ſed pax ſicut pridem fuit.

12 „ Quæ autem verba ſunt, quæ à San-
„ ctiſſimo & Deo amantiſſimo Archiepiſcopo
„ Joanne ſcripta ſunt, & quę à Cyrillo re-
„ ſcripta ſuſcepit, ipſas Epiſtolas huic, quam
„ ad tuam direxi religioſitatem, conjunxi,
„ ut relegens tua Sanctitas agnoſcat, & om-
„ nibus amantibus pacem denunciet, quia
„ contentio jam quievit, & medius inimici-
„ tiæ paries eſt ablatus; & qui ſeditiosè ad-
„ versùs vivos, & mortuos irruerant, in
„ confuſione ſunt, ſatisfacientes pro ſuis ex-
„ ceſſibus; & contraria docentes ſuæ priori
„ doctrinæ. Non enim quiſquam audet di-
ce-

„ cere: Quia una eſt natura Divinitatis & „ humanitatis, ſed confitentur in Templum, „ & in eum, qui in hoc habitat, qui eſt unus „ Filius Jeſus Chriſtus. Hæc autem ſcripſi „ tuæ religioſitati ex magno affectu, quem „ circa te habeo, ſciens quia tua Sanctitas „ nocte & die in doctrina Dei ſemetipſum „ exercet, ut multis ſit utilis. *Hactenus Epiſtola*.

13 Porrò animadvertendum eſt, Ibam Epiſcopum in prædatoria pſeudoſynodo Epheſina operâ Dioſcori, & Eutychetis, velut hæreticum depoſitum, atque fuiſſe excommunicatum, paſſum pariter carceres & exilia. Qua de re in Generali Chalcedonenſi Synodo ſuam cauſam recognoſci poſtulavit, ut habetur Act. 10. ejuſdem Synodi: aſſerens ſe abſentem & injuſtè ab Eutychete damnatum: cognita eius cauſa fuit, auditis priùs accuſationibus adversùs eum allatis à Samuele, Cyro, Eulogio, & Mara Edeſſenæ Eccleſiæ Presbyteris, & perlectâ quoque in eadem Synodo prælibatâ ad Marim Perſam ſuo nomine ſcriptâ Epiſtolâ; quibus omnibus in Synodo libratis, atque perpenſis, Decreto Synodali judicatus fuit orthodoxus, & ab omni crimine innoxius, proferentibus Apoſtolicæ Sedis Legatis, Paſchaſino, ſcilicet, Lucentio, & Bonifacio, hanc ſententiam: „ Relectis chartis, agnovimus ex ſententia Reverendiſſimorum Epiſcoporum, Ibam Reverendiſſimum innoxium approbari. Relectâ enim „ ejus Epiſtolâ agnovimus eum eſſe orthodoxum. Et ob hoc decernimus, & honorem, Epiſcopatum, & Eccleſiam, à qua „ injuſtè & abſens expulſus eſt, ei reſtituendam. *Hactenus Decretum*, cui ſubſcripſerunt Anatolius Epiſcopus Conſtantinopolitanus, & cæteri Epiſcopi, qui in ea convenerant Synodo. Et hoc fuit primum Capitulum, ratione cujus Acephali anſam acceperunt calumniandi Synodum Chalcedonenſem, quaſi recepiſſet Epiſtolam Ibæ, quæ Neſtorio favere videbatur.

14 De ſecundo verò Capitulo, puta de perſona Theodori Mopſueſteni, notandum eſt, prædictum Theodorum virum ſceleſtiſſimum fuiſſe, Monachiſmi deſertorem, luxuriæ ſordibus coinquinatum, in doctrina impium, tùm antea, cùm poſt adeptum Epiſcopatum, adeout meritò habitus fuerit pro primario Neſtorianæ hæreſis auctore; de eo autem in actis Concilii Conſtantinopolitani ſecundi Act. 5. habetur: „ Dicant igitur qui „ utuntur Dictis Sancti Cyrilli & Procli, quæ „ de Theodoro ſcripta ſunt, ſi non Judæis, „ aut Paganis, aut ſodomitanis, & hæreticis „ connumeratur, imò magis eorum omnium „ impietatem magnitudine blaſphemiarum „ ſuperans & perversâ mente, & cogitationis „ dementiâ iſtarum blaſphemiarum genitor „ factus, impiorum abortivorum, & ſibi perniencioſorum pater apparens, & ad deſtru„ ctionem legentium & audientium evomens „ ejuſmodi blaſphemias, anathemati ſubje„ ctus eſt. *Hæc ibi*. Cùmque ergo Theodorus in prærecenſita Epiſtola Ibæ laudaretur, viſum fuit Acephalis ejuſmodi laudes approbatas in Synodo Chalcedonenſi, ubi receptam & approbatam præfatam Epiſtolam exiſtimabant, eò vèl maximè quòd prælibata Synodus anathema Theodoro, ut par erat, minimè dixerit; & hoc fuit ſecundum Capitulum, ratione cujus prædicti Acephali jactabant ſe adverſari prælibatæ Chalcedonenſi Synodo.

15 Circa tertium Capitulum, recolenda ſunt geſta Cyrilli adversùs Neſtorium: etenim perlatâ Alexandriam notitiâ de Neſtorii blaſphemia, qui negabat B. Virginem Mariam eſſe veram Dei Genitricem, id quod & verbis & ſcripto edocebat Beatus Cyrillus, qui tunc Eccleſiam moderabat Alexandrinam, ſcripſit primam & ſecundam Epiſtolam ad Neſtorium, quibus ei perſuadere conabatur, ut ſi in plebe ſermone lapſus fuerat, tractatibus corrigeret, & Beatam Virginem Deiparam pronunciaret, quemadmodùm Sancti Patres, & totìus Orbis atque univerſalis Eccleſiæ conſenſio hactenus firmaverant: cùmque nihil profeciſſet, indurato in ſua perſidia Neſtorio, rem per litteras priùs detulit ad Cœleſtinum Papam per Poſſidonium Diaconum ſuum allatas, & indè tertiam Synodicam ad ipſum reſcripſit Neſtorium, cujus initium: *Cùm Salvator noſter directè pronunciet*, ad cujus calcem duodecim Capitula ſive anathematiſmos adversùs doctrinam Neſtorii, & ad totidem hæreſum Neſtorii capita adjecit, qui ſunt.

I.

16 „ Si quis Emanuelem Verbum Dei, „ & ob id ſacram Virginem Theoticon eſſe „ non confitetur (genuit enim illa incarnatum Dei Verbum ſecundùm carnem) anathema ſit.

II.

17 „ Si qui ſunt, qui Dei Patris Verbum carni, ſecundùm hypoſtaſim unitum, „ & unum tantùm unà cum ſua carne Chriſtum eſſe, eundem nimìrum Deum ſimul & „ hominem non confitetur, anathema ſit.

III.

18 „ Si quis poſt unionem hypoſtaſes in „ Chriſto diſtinguit, eâque dumtaxat conjunctione eaſdem inter ſe nectit, quæ eſt „ ſecundùm dignitatem, vel auctoritatem, „ vel poteſtatem, & non eâ potiùs, quæ eſt „ ſecundùm naturalem unionem, anathema „ ſit.

IV.

19 ,, Si quis duabus perſonis, vel hypo-
,, ſtaſibus eas voces attribuit, quæ in Evan-
,, gelicis & Apoſtolicis Scripturis paſſim oc-
,, currunt, quævè à Sanctis de Chriſto, aut
,, ab ipſo quoque Chriſto de ſe ipſo dicta
,, ſunt, & alias quidem homini ſeorsùm à
,, Dei Verbo conſiderato adſcribit, alias ve-
,, rò tanquàm in Divinam Majeſtatem conve-
,, nientes, ſoli Verbo, quod ex Deo Patre
,, eſt, accommodat, anathema ſit.

V.

20 ,, Si quis dicere audet, Chriſtum non
,, eſſe verum Deum, ſed hominem tantùm
,, Deiferum, utpotè unum naturalemque Fi-
,, lium, quatenùs nimirum Verbum caro
,, factum carni & ſanguini, proinde ac nos,
,, communicavit, anathema ſit.

VI.

21 ,, Si quis Dei Patris Verbum, Chri-
,, ſti Deum vel Dominum eſſe dixerit, neque
,, poſt Verbum ſecundùm Scripturas incar-
,, natum, unum, eundemque Deum ſimul
,, hominem eſſe confeſſus fuerit, anathema
,, ſit.

VII.

22 ,, Si quis Jeſum Chriſtum ut homi-
,, nem à Deo Verbo operante motum fuiſſe
,, dixerit, & Unigeniti gloriâ fuiſſe circum-
,, datum quaſi alterum ab ipſo, anathema
,, ſit.

VIII.

23 ,, Si quis hominem aſſumptum unà
,, cum ipſo Dei Verbo adorandum, unà cum
,, illo glorificandum, unà cum illo tanquam
,, alterum in altero exiſtentem, Deum appel-
,, landum eſſe dicere auſus fuerit (hunc enim
,, intellectum particulâ, *cum*, adjectâ, per-
,, petuò & neceſſariò afferre conſuevit) &
,, non unâ potiùs adoratione Emanuelem ho-
,, norat, unamque illi glorificationem attri-
,, buit, quatenùs Verbum factum eſt caro,
,, anathema ſit.

IX.

24 ,, Si quis unum Dominum noſtrum
,, Jeſum Chriſtum à Spiritu Sancto glorifi-
,, catum aſſerit, tanquàm alienâ virtute uſum,
,, eâ, quæ per ipſum eſt; efficaciamque, qua
,, contra immundos ſpiritus uteretur, & Di-
,, vina inter homines miracula operaretur,
,, ab ipſo eodem accepiſſe prædicat, & non
,, proprium illius eſſe, ait, ſpiritum, per quem
,, Divina ſigna edidit, anathema ſit.

X.

25 ,, Chriſtum Jeſum noſtræ confeſſionis
,, Pontificem & Apoſtolum extitiſſe, eun-
,, demque ſemetipſum pro nobis in odorem
,, ſuavitatis Deo & Patri obtuliſſe Divina
,, Scriptura commemorat. Si quis ergò di-
,, xerit, Pontificem & Apoſtolum noſtrum
,, non eſſe conſtitutum ipſum Dei Verbum,
,, poſteaquàm caro & homo nobis ſimilis fa-
,, ctum eſt, ſed hominem illum, qui ex mu-
,, liere natus eſt, quaſi alterum quempiam
,, ab ipſo diverſum; aut ſi quis Chriſtum pro
,, ſe ipſo quoque, & non potiùs pro nobis ſo-
,, lis ſacrificium obtuliſſe affirmaverit (neque
,, enim is oblatione opus habebat, qui nul-
,, lum peccatum commiſerat) anathema ſit.

XI.

26 ,, Si quis ipſam Domini carnem vivi-
,, ficam, ipſiuſque Verbi quod ex Patre eſt,
,, propriam eſſe negaverit, ſed alterius cu-
,, juſpiam ipſi Verbo ſecundùm dignitatem
,, tantùm conjuncti, hoc eſt Divinam tan-
,, tùm inhabitationem ſortiti, eſſe dixerit, ne-
,, que verò potiùs vivificam confeſſus fuerit,
,, ut modò meminimus, eò quod Verbi, quòd
,, omnia vivificare poteſt, facta ſit propria,
,, anathema ſit.

XII.

27 ,, Si quis non confitetur Dei Verbum
,, ſecundùm carnem paſſum, ſecundùm car-
,, nem crucifixum, mortemque ſecundùm car-
,, nem guſtaſſe, & primogenitum tandem ex
,, mortuis factum eſſe, quatenùs videlicet
,, vita eſt, & vivificum ut Deus, anathema
,, ſit.

28 Hæc itaque Capitula ſunt, ſive anathematiſmi Cyrilli adiecti ad calcem ſupracitatæ Epiſtolæ ad Neſtorium datæ, editæ in Synodo Alexandrina poſt receptas Cæleſtini Papæ literas, quibus damnatum in Synodo Romana Neſtorium acceperat. Quæ quidèm Capitula nedùm Neſtorium exacerbarunt, qui totidem contradictoria reſcripſit Capitula & Anathematiſmos, ut habetur par. 1. Concilii Epheſini apud Labæum tom. 3. Concil. pag. 424. verùm maximè exturbarunt Joannem Epiſcopum Antiochenum, quaſi Cyrillus in Apollinaris dogma prolapſus eſſet, proindè mandavit Andreæ, atque Theodoreto Epiſcopis, qui tunc Antiochiæ aderant, ubi & Concilium Joannes indixerat, ut ſcripto adversùs prælibata Cyrilli Capitula reſponderent. Id quod præſtitit Theodoretus, qui diffuſam adversùs præfata Cyrilli Capitula diſputationem contexuit. Scripſerunt quoque & alii Orientales, qui Joanni Antiocheno adhærebant: quare Beatus Cyrillus, ut oſtenderet ſe omninò alienum ab

Apol-

Apollinaris dogmatis labe, primò prælibata Capitula explicavit, edito libello, cujus initium: *Omnia, ut ſcriptum eſt, obvia ſunt intelligentibus, & recta invenientibus ſcientiam.* Inde reſcripſit Apologeticum, cujus initium: *Qui ſuam mentem Sanctiſſimo Deo dicarunt.* Quo objectis Orientalium occurrit, ſeque ab illorum calumniis defendit. Denique cùm ſe maximè calumniari conſpiceret à ſcriptis Theodoreti Epiſcopi Cyri, in refutatione prædictorum Capitulorum, ſcripſit ad Evoptium Epiſcopum, atque in ea Epiſtola adjecit Theodoreti objecta adversùs prædicta Capitula, ſuamque addidit defenſionem. Quæ quidem omnia habentur in Actis Concilii Epheſini apud Labæum citat. tom. 3. Conciliorum.

29 Cùm verò Beatus Cyrillus in Conciliabolo Epheſino ſub Joanne Antiocheno, tanquàm Apollinarii, Eunomii, atque Arrii dogmatis ſectator, latâ ſententiâ, unà cum Memnone Epheſino Epiſcopo depoſitus fuiſſet, ut Acta illius Conciliaboli oſtendunt, in vera œcumanica Synodo conqueſtus eſt de calumnia, & dato libello, ut liquet ex Act. 4. ejuſdem Synodi, poſtulavit cauſam ſuam examinari, & ab illata contumelia purgari, ac proinde citandum Joannem Epiſcopum Antiochenum, ut coram univerſo Concilio & ipſe cauſam diceret, & illatas probaret calumnias; qui cùm tertiò vocatus, accedere renuiſſet, Act. 5. Cyrillus & Memnon abſoluti fuere, Joannes verò Antiochenus, & qui cum eo erant Epiſcopi ab Eccleſiaſtica communione alieni declarati ſunt. Factâ inde ab univerſa Synodo horum geſtorum relatione tùm ad Imperatores Theodoſium & Valentinianum, cùm ad Cœleſtinum Papam: quare doctrina Cyrilli & duodecim Capitula in eadem Synodo recepta fuerunt.

30 Porrò Theodoretus, ut ait Liberatus cap. 12. in ſecunda Epheſina Synodo damnatus fuit abſens, nec egreſſus de ſua Civitate propter allegata ſcripta adversùs duodecim Capitula Cyrilli, & propter Epiſtolam ab eo miſſam Clericis & Monachis & Laicis ante Eccleſiæ pacem contra primam Epheſinam Synodum; qua de re cognitâ illius causâ in Synodo Chalcedonenſi, ut habetur Act. 8. & quoniam S. Leo Papa jam in communionē receperat, & quia in ipſa Synodo anathema dixit Neſtorio, & quia denique in libello ab eo porrecto veram & catholicam profitebatur fidem, ab Apoſtolicæ Sedis Legatis, univerſo conſentiente Concilio, abſolutus fuit, ac in propriam reſtitutus Sedem. Et hac de cauſa tertium caput calumniandi, ſive non recipiendi Synodum Chalcedonenſem ſumebant Acephali, quaſi prælibata Synodus approbaſſet ſcripta Theodoreti adversùs duodecim Capitula Cyrilli, quæ Neſtorianiſmum ſapere videbantur. Hoc ergò eſt tertium Capitulum, de quo in præſenti agimus.

31 Scio quendam Virum eruditum aliter ſentire de tribus Capitulis, docentem illa tria eſſe Capitula, quorum diſerta mentio fit in Epiſtola à Joanne Romano Pontifice ad Avienum datâ & alios Senatores, in qua dicitur: „ Juſtinianus ſiquidem Imperator filius „ noſter (ut ejus Epiſtolę tenore cognoviſtis) „ de his tribus quæſtionibus orta certamina „ fuiſſe ſignificavit: Utrum unus ex Trinitate Chriſtus & Deus noſter dici poſſit, „ hoc eſt, una de tribus perſonis Sanctæ Trinitatis Sancta Perſona; An Deus Chriſtus „ carne pertulerit impaſſibili Deitate; An „ propriè & veraciter Mater Domini noſtri „ Jeſu Chriſti Maria ſemper Virgo debeat „ appellari. Probavimus in his catholicam „ Imperatoris fidem. *Hæc ibi*. At nova hæc de tribus Capitulis opinio plurimùm à vero aberrare videtur; nam tria hæc Capitula à nemine ex Catholicis revocata fuere in controverſiam, ſolis hæreticis negativam partem tenentibus. Controverſia verò de tribus Capitulis, de quibus in præſenti, orta fuit inter Catholicos, prout etiam infra diffusè agemus. Et quæ in Edicto damnavit Juſtinianus, quæ cauſa fuit aliqualis controverſiæ inter Vigilium Papam & ipſum Juſtinianum, & inde inter eundem Pontificem & quoſdam Epiſcopos Occidentales; ſunt tria illa à nobis ſupra recenſita, prout in fine prælibati Edicti palàm fit, & prout ètiam innuit Liberatus in Breviario cap. 24. & ultimo.

32 His modò ſuppoſitis, Juſtinianus Imperator, cui in corde erat univerſos Acephalos ad unitatem fidei traducere, facilè annuit poſtulatis à Theodoro Epiſcopo Cæſareæ, editoque Edicto ſatis copioſo, ubi univerſam fidei confeſſionem exaravit, ad calcem tria prælibata quoque Capitula damnavit, his verbis damnationem conceptam: „ Nos autem præter reliquos omnes hæreticos à dictis quatuor ſanctis Conciliis damnatos, „ atque Eccleſiâ excluſos, damnamus etiam „ atque proſcribimus Theodorū, qui fuit Epiſcopus Mopſueſtiæ, ejuſque impios libros, „ necnon ea, quæ Theodoretus malè ſcripſit „ contra veram fidem, & duodecim Sancti „ Cyrilli Capita, ac primam ſanctam Epheſinam Synodum, & pro defenſione Theodori ac Neſtorii. Præterea damnamus etiam „ Epiſtolam, quam Ibas fertur ſcripſiſſe ad „ Marim Perſam, quæ negat, Verbum Dei „ ex Sancta Virgine Deipara Maria incarnatum hominem eſſe factum, & Divum Cyrillum pro hæretico traducit; ac primam „ quidem Epheſinam Synodum reprehendit, „ ut quæ incognita cauſa Neſtorium damnavit; duodecim autem Capitula Sancti Cyrilli conſpuit; Neſtorio verò & Theodoro „ eorumque impiis ſcriptis & opinionibus „ patrocinatur. *Hæc Juſtinianus adversùs Capitula*.

35 Cęterùm tota hujus facti ſeries habetur

tur apud Liberatum in Breviario cap.24., qui poſtquàm retulerit geſta adversùs Origenem, licèt mortuum damnatum decreto Mennæ Epiſcopi Conſtantinopolitani & ipſius Juſtiniani Principis, ſtatim ſubjungit: „ Et reſerato adito adverſariis Eccleſiæ, ut mortuus damnaretur, Theodorus Cæſareæ Cappadociæ Epiſcopus, Sectâ Acephalus, Origenis autem defenſor acerrimus & Pelagio æmulus, cognoſcens Origenem fuiſſe damnatum, dolore damnationis ejus, ad Eccleſiæ conturbationem, damnationem molitus eſt in Theodorum Mopſueſtenum, eò quòd Theodorus multa opuſcula edidiſſet contra Origenem, exoſuſque & accuſabilis haberetur ab Origeniſtis, & maximè quòd Synodus Chalcedonenſis (ſicut probatur) laudes ejus ſuſceperit in tribus Epiſtolis; cujus damnationem memoratus Theodorus tali machinatione perfecit.

34 „ Scribente Principe contra Acephalos in defenſionem Synodi Chalcedonenſis, accedens idem Theodorus Cappadox unà cum ſatellitibus, qui ſub nomine catholico Acephalis favebant, cum Theodoræ Auguſtæ favore Imperatori ſuggeſſit, ſcribendi laborem non eum debere pati, quandò compendio poſſet Acephalos omnes ad ſuam communionem adducere. Si quidem illi, inquit, hoc offenduntur in Synodo Chalcedonenſi, quòd laudes ſuſcepit Theodori Mopſueſteni Epiſcopi Epiſtolamque Ibæ, quæ per omnia Neſtoriana eſſe cognoſcitur, Synodus ipſa judicio ſuo pronunciaverit orthodoxam. Qui Theodorus ſi cum dictis ſuis & hæc Epiſtola anathematizaretur, tanquàm retractata Synodus atque purgata, ſuſcipietur ab eis per omnia & in omnibus, & ſine pietatis veſtræ labore Eccleſiæ Catholicæ ſociari, gaudente univerſali Eccleſiâ, clementiæ veſtræ laus erit ſempiterna.

35 „ Hæc audiens Imperator, & dolum doloſorum minimè proſpiciens, ſuggeſtionem eorum libenter accepit, & hoc ſe facere promptiſſimè ſpopondit. Sed rurſus illi callidâ fraude rogaverunt eum, ut dictaret librum in damnationem trium capitulorum: quo libro ejus edito, & toti Mundo manifeſtato, dùm emendare Princeps erubeſcit, irrevocabilis cauſa fieret. Sciebant enim Principem ſolitâ pietate, ſcandalum emergente, ſententiam ſuam poſſe corrigere, ſeſeque ad periculum pervenire. Annuit eis Princeps, & hoc ſe lætus implere promiſit. Et relinquens operis ſui ſtudium, unum in damnationem trium Capitulorum condidit librum, pro delictis noſtris, nobis omnibus notiſſimum. *Hactenus Liberatus*.

36 Edito itaque prælibato decreto, ad majorem illius firmitatem procuravit, ut Epiſcopi ei ſubſcriberent, qui nutabant id præſtare, ex quo videbatur prærecenſita damnatio derogari dignitati Synodi Chalcedonenſis: ſubſcripſerunt tamen Orientis Patriarchæ, ſed ut faſſi ſunt, vi adducti, prout recitat Facundus Hermian. lib. 4. cap.4. Scribit Liberatus loc. mox cit. Epiſcopos ſubſcribentes muneribus fuiſſe à Principe ditatos, non ſubſcribentes ſede propriâ depoſitos, aut exilio damnatos, nonnullos verò fugâ latuiſſe: „ Cætera verò, *inquit*, quæ ſubſequenter in Epiſcopis & Catholica Eccleſia ab eodem Principe facta ſunt, quomodò conſentientes Epiſcopi in trium damnationem Capitulorum muneribus ditabantur, vel non conſentientes depoſiti, in exilium miſſi ſunt, vel aliquâ fugâ latitantes, in anguſtiis fœlicem exitum ſuſceperunt, quoniam nota ſunt omnibus, puto nunc à me ſilenda. *Hæc Liberatus*. Subſcripſit utique & Menna Archiepiſcopus Conſtantinopolitanus, ſed hac adjectâ conditione, ſi hæc Romano Epiſcopo non probarentur, ſuum ſibi Chirographum reſtitutum iri: quod ſub juſjurandi fide illi promiſſum eſt, ut idem Facundus ſuprarelatus recenſet.

37 Porrò Juſtinianus conſpiciens ſe nihil hoc in negotio, quod Eccleſiarum ſtatum reſpiciebat, utiliter tentare poſſe ſine ſententia Romani Pontificis, Vigilium Româ evocare curavit. Ex hoc autem liquet ſuſpecta eſſe, quinimmo falſa, quæ Anaſtaſius ſcribit in vita Vigilii de ſuggeſtionibus Romanorum ante ejus ab Urbe receſſum factis, & de miſſione Anthimi Scribonis per Theodoram Auguſtam, ut vi raperet Vigilium, & Conſtantinopolim traduceret: atque etiam de imprecationibus Romanorum adversùs eundem Vigilium cùm Navim conſcenderit, & alia quæ ibi recenſet uſque ad ingreſſum Pontificis in Siciliam: etenim non vi illatâ juſſu Theodoræ Auguſtæ Româ diſceſſit Vigilius, ſed evocatus ab Imperatore occaſione trium Capitulorum, à quo confirmationem ſui edicti exigere volebat, ut tumultus Orientalium Epiſcoporum occaſione damnationis trium Capitulorum ſubortus, accedente Romani Pontificis aſſenſu, ſedaretur. Hac de cauſa honorificè ſuſceptus fuit ab Imperatore, eodem Anaſtaſio teſte, qui ſubjungit: „ Et vale faciens omnibus, ingreſſus eſt Conſtantinopolim in Vigilia Natalis Domini noſtri Jeſu Chriſti. Tunc obvius eſt ei Imperator, & oſculantes ſe, cœperunt flere, & plebs illa pſallebat ante eum, uſque ad Eccleſiam Sanctæ Sophiæ: *Ecce advenit Dominator Dominus*.

38 Ex quibus verbis manifeſtum eſt, Vigilium ſic honorificè ſuſceptum à Principe, non vi, eodem mandante Principe, Româ extractum. Corrigendus tamen eſt Anaſtaſius in eo quoque, quòd dicat Vigilium ingreſſum Conſtantinopolim in Vigilia Nativitatis Domini:

quo-

quoniam, teſte Procopio lib. 3. de bello Gothico, Vigilius in Inſula Siciliæ hyemavit: *His ità peractis*, inquit, *jam hyems ſe circumegerat: Vigilius interea Romanus Antiſtes ab Imperatore ex Sicilia evocatus, Byzanzium venit; nàm ut eo contenderet, diutinam ea in Inſula hic traxerat moram*. Et ipſemet Anaſtaſius ſcribit, feciſſe in prælibata Inſula ordinationes menſe Decembris: „ Qui ingreſſus Siciliam, „ *ait*, in Civitatem Catanenſem permiſſus eſt „ facere ordinationem per menſem Decem„ brem, Presbyteros & Diaconos, in quibus „ retranſmiſit Romæ Ampliatum Presbyte„ rum, & Vicedominum ſuum, & Valenti„ num Epiſcopum ad Sanctas Ruffinam, & „ Secundam, ad cuſtodiendum Lateranas, „ & gubernandum Clerum. *Hæc Anaſtaſius*. Non ergò potuit Vigilius Catanæ in Sicilia habere ordinationem menſe Decembris, & ingredi Conſtantinopolim die XXIV. ejuſdem menſis: ſi ergò talem habuit ordinationem, certè non eſt ingreſſus Conſtantinopolim in Vigilia Nativitatis Domini, & ita probabilius eſt cum Procopio, hyemaſſe in Inſula Siciliæ, atque hyeme tranſactâ contendiſſe Conſtantinopolim.

39 Cęterùm univerſa occidentalis Eccleſia prælibato Juſtiniani adverſabatur edicto, & Pelagius in primis Diaconus S. Romanæ Eccleſiæ, qui functo Apocriſarii munere apud Juſtinianum, poſt publicatum edictum Conſtantinopoli ſeceſſerat, conſuluit poſt ſuum ad Urbem adventum, unà cum Anatolio altero S. Romanæ Eccleſiæ Diacono, Ferrandum Diaconum Carthaginenſem, virum eâ ætate apprimè eruditum, quatenùs, ut Facundus lib. 4. pro defenſ. Capitul. ſcribit, habito de hac cauſa tractatu cum Epiſcopo Carthaginenſi, vel aliis, quos zelum fidei & Divinæ Scripturæ ſcirent habere notitiam, ſententiam pronunciarent, eamque ſcripto tranſmitterent. Id quod Ferrandus & alii Epiſcopi Africani præſtiterunt, reſcribentes, nè Imperatoris decretum in aliquam acciperent auctoritatem, nec quicquam penitùs de ipſo Chalcedonenſi Concilio pertingendum. Qua etiam de cauſa Pontianus Africanus Epiſcopus, antequàm Vigilius Conſtantinopolim perveniret, reſcripſit ad Juſtinianum ferè monitoriam Epiſtolam tenoris ſequentis.

Clementiſſimo atque piiſſimo filio Juſtiniano Imperatori
Pontianus Epiſcopus in Domino ſalutem.

40 „ Principaliter nomen ab ipſis incu„ nabulis juſtitiæ ſuſcepiſti; & juſtus Do„ minus ità præſtitit, ut nomen ante juſti„ tiæ tribuerit, cui Imperii poſtmodùm gu„ bernacula contuliſſet. Adunata eſt igitur „ gratia Creatoris non ſolùm in nomine, ve„ rùm etiam & merito, cujus vita exaltata „ eſt imperando, & Imperium juſtè vivendo. „ Dignatus es nos in Africanis partibus „ commorantes literis admonere, qualem fi„ dem teneas & defendas. Cognovimus quòd „ Dominus Beato Petro ſtatuit, dicens: *Su„ per hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, „ & portæ Inferi non prævalebunt adversùs „ eam; & tibi dabo claves Regni Cælorum*. „ Exultavit ſpiritus noſter, hoc firmiter te „ eſſe piiſſime Imperator, quod Apoſtolica „ fides prædicat, credentes, quòd à rectæ „ credulitatis tramite non declines. Talem „ enim decet eſſe Imperatorem, pium, ju„ ſtum, fidelem, qualem te nos eſſe cogno„ vimus.

41 „ In extremo itaque Epiſtolæ veſtræ „ cognovimus, quod nos non mediocriter re„ mordet, debere nos Theodorum, & ſcri„ pta Theodoreti & Epiſtolam Ibæ damnare. „ Eorum dicta ad nos uſque nunc minimè „ pervenerunt: quòd ſi & pervenerint, & ali„ qua ibi Apocrypha, quæ contra fidei regu„ lam dicta ſunt, legerimus, dicta poſſumus „ reſpicere, non auctores dictorum jam mor„ tuos præcipiti condemnatione damnare. „ Quòd ſi adhùc viverent, & correpti erro„ rem ſuum non condemnarent, juſtiſſimè „ damnarentur. Nunc autem, quibus reci„ tabitur ſententia damnationis noſtrę? Quod „ in eis recorrigatur non eſt, Sed timeo, „ piiſſime Imperator, nè ſub obtentu dam„ nationis iſtorum Eutychiana hæreſis eri„ gatur; & dùm minima indicia non ſperni„ mus, ad majorem hæreſim, colliſionemque „ veniamus. Et quid nobis cum mortuis ini„ re bellum, ubi nulla invenitur in congreſ„ ſione victoria? Apud Judicem verum jam „ tenentur, à quo nullus appellat. Per ip„ ſum, in quo nos honoratis & diligitis, ſup„ plicamus Clementiam tuam, ut pax per„ maneat temporibus tuis, nè dùm quæris „ damnare jam mortuos, multos inobedien„ tes interficias vivos, & exinde compellaris „ reddere rationem ei, qui venturus eſt ju„ dicare vivos & mortuos. *Hactenus Epiſtola*.

42 Interea Vigilius, tranſactâ hyeme & adveniente opportuno navigandi tempore, è Sicilia Conſtantinopolim ſoluit Anno Domini DXLVII. ſui Pontificatus VIII. Imperii Juſtiniani XXI. Belli Gothici Anno XII., ut notat Procopius, ubi, ut ſupra dictum eſt, fuit honorificè ab Imperatore ſuſceptus. Biennio certatum fuiſſe in cauſa Anthimi Patriarchæ, quem Theodora Auguſta reſtituendum in ſua Sede contendebat, notat Anaſtaſius in vita Vigilii, inquiens: „ Per bien„ nium verò fuerunt contentiones de Anthi„ mo Patriarcha, quomodò promiſiſſet revo„ care, & remittere eum in locum ſuum, & „ cautionem manus ſuæ oſtendebant, quo„ modò promiſerat eum in ordinem ſuum re„ vocare. Sed Vigilius nullatenùs eis voluit

con-

„ conſentire, ſed tantâ roboratus virtute, „ magis mori deſiderabat, quàm vivere. Tunc „ Vigilius Papa dixit: *ut video, non me fecerunt venire ad ſe Juſtinianus & Theodora piiſſimi Principes, ſed hodie ſcio, quòd Diocletianum, & Eleutheriam inveni: facite ut vultis, dignè enim factis recipio*. Hæc Anaſtaſius. Tanta fuit hac in re Vigilii conſtantia, licèt in Imperiali conſtitutus Civitate, ut ſui non oblitus muneris, impiæ Theodoræ anathema dicere, latâ ſententiâ, minimè formidarit, teſte Magno Gregorio lib. 2. epiſt. 36. ad Epiſcopos Hibernos ſcribente: *Poſtquàm recordandæ memoriæ Vigilius Papa in Urbe Regia conſtitutus contra Theodoram tunc Auguſtam, & Acephalos damnationis promulgavit ſententiam; tunc Romana Urbs ab hoſtibus adita & captivata eſt. Ergò bonam cauſam habuerunt Acephali, & injuſtè damnati ſunt, poſt quorum damnationem talia contigerunt? Abſit.* Hæc Gregorius. At damnata fœmina paulò poſt è vita deceſſit ſui ſceleris pœnas in æternum ſolutura.

43 Defunctâ itaque Theodorâ Anno Imperii Juſtiniani XXIII. ut notat Procopius, ac ità ſopitâ de Anthimi reſtitutione controverſiâ, totus conatus remanſit in controverſia de tribus Capitulis, quam ipſemet Juſtinianus promoverat, & cujus rei gratiâ Vigilium Conſtantinopolim evocaverat, in qua diviſi erant Epiſcopi, aliis tria illa Capitula damnantibus, aliis verò defenſantibus: primi ex parte Principis erant; ſecundi verò ei adverſabantur. Vigilius verò adhùc conſtans permanebat ea in ſententia, non eſſe quicquam innovandum, quod aliquatenùs derogare poſſet dignitati Synodi Chalcedonenſis. Qui porrò pro illorum condemnatione ſtabant, literis & ſcriptis in diverſas Orbis partes evulgatis, jactabant ipſum Vigilium Papam tria damnaſſe Capitula, eaque damnando impugnaſſe Synodum Chalcedonenſem; quamobrèm plures non leviter perculſi animo, à ſua reſiliebant communione. Perlatâ horum rerum notitiâ ad Valentinianum Epiſcopum Metropolitanum Tomitanum in Scythia, per literas conſuluit Vigilium de geſtorum veritate, cui Vigilius è Regia Conſtantinopolis Civitate ſequentem reſcripſit Epiſtolam.

Dilectiſſimo Fratri Valentiniano Epiſcopo de Tomis Provinciæ Scythiæ Vigilius.

44 „ Fraternitatis tuæ relegentes ſcripta, Pontificalem in vobis ſollicitudinem „ ineſſe gratanter accepimus, quia prophe- „ tica tibi poſſunt verba competenter aptari, „ quibus ait: *Salvabo gregem meum, & ſuſcitabo ſuper eum Paſtorem, qui paſcat eum, ſervum meum*. Oportet ergò charitatem „ tuam ea quoque Domini noſtri verba ſectari, per quæ dixit: *Speculatorem te poſui Domui Iſrael, & audies de ore meo verbum, & annunciabis eis ex me*. Et convocatos „ eos, quos ſcandalizari diverſis rumoribus „ retuliſti, inceſſanter hortari, nè per hoc „ forſitan ſeducantur, qui ſub prætextu catholico nequiſſimo ſpiritu ſimplicium Chriſtianorum corda fallaciâ ſuâ decipere moliuntur, & patris ſui Diaboli conſuetudinem maligno ſectantes ſpiritu, Eccleſiam „ tibi commiſſam diverſis mendacibus ſcriptis conturbare deſiderant, quibus Apoſtolica lectio aptatur, dicens: *Rogo autem vos, fratres, ut obſervetis eos, qui offendicula, præter doctrinam, quam vos didiciſtis, faciunt; & declinate ab illis*. Et infra: „ *Et per dulces ſermones & benedictiones ſeducunt corda innocentium*. Veſtra autem obedientia in omni loco divulgata eſt, quatenus fraternitatis veſtræ adhortatione ſæpe „ commoniti, nulla fideles eorum animos à „ rectitudine viæ, quæ Chriſtus eſt, qui ait: „ *Ego ſum Via & Veritas & Vita*, qualibet „ malignâ annunciatione ſubmoveat. Sed ſi, „ quod non oportet, ab Adverſariis conturbati, aliquid (quod Deus avertat) contra „ fidem factum, fortè formidant, cum manſuetudine, quæ convenit Chriſtianis, prophetica verba ſectentur, dicentis: *Interroga Patrem tuum, & annunciabit tibi; ſeniores tuos, & dicent tibi*. Et alius Propheta: *Labia Sacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem requirunt ex ore ejus*.

45 „ Et quoniam Baſinianus illuſtris & „ magnificus vir, filius noſter, cum his, qui „ pro actibus tuæ fraternitatis Eccleſiæ in „ Conſtantinopoli obſervant, pari ratione „ dixiſſe noſcuntur, etiam hoc Dei inimicos „ fuiſſe mentitos, quod perſonæ Epiſcoporum Ibæ atque Theodoreti in noſtro (quod „ abſit) fuiſſent judicato damnatæ. Legant „ ergò quæ de cauſa, quæ hìc mota eſt, ad „ fratrem noſtrum Mennam Conſtantinopolitanæ Urbis Epiſcopum ſcribentes, legimus definiſſe, & tunc cognoſcent, nihil à „ nobis, Deo nos cuſtodiente, commiſſum, „ vel certè diſpoſitum, quod contra fidem, „ prædicationemque venerandarum quatuor „ Synodorum, quæ pro una, eademque fide „ definita ſunt, ideſt, Nicenæ, Conſtantinopolitanæ, Epheſinæ primæ, & Chalcedonenſis reperiatur adverſum; aut unius ex „ his, quæ definitioni ſupraſcriptę Chalcedonenſis fidei ſubſcripſerunt, tangat injuriam: vel quod deceſſorum, prædeceſſorumque noſtrorum inveniatur (quod abſit) „ conſtitutis fortè contrarium, ſed in omnibus Apoſtolicæ Sedis Præſulum, & beatæ „ recordationis Papæ Leonis, & prædictarum „ Synodorum adverſariis reſtitiſſe. Fraternitatem autem veſtram credimus non latère inimicos fidei Chriſtianæ hoc ſemper „ ſæculari & reprobandâ moltos aſtutiâ, ut

quod

,, Evangeliſtas quatuor contraria ſibi (quod ,, abſit) dixiſſe, monſtrarent: quibus à Sanctis Patribus per Evangeliorum concordiæ ,, libros eſt cœleſti ſapientiâ contradictum.

46 ,, Quod nunc quoque ſancti Chalcedonenſis Concilii adverſarii (inter quos ,, etiam Ruſticum & Sebaſtianum comperimus iſtius auctores ſcandali, quos olim pro ,, meritis ſuis à ſacræ communione ſuſpendimus, in quibus nos, ſi non reſipuerint celeriter, fraternitas tua cognoſcat, canonicam ſententiam prolaturos) qui ſub prætextu falſæ defenſionis ſtudent, ut eandem ,, Synodum contra prædictas tres Synodos ,, dixiſſe (quod abſit) oſtendant. Quibus ,, hæc conantibus Prophetæ dicta conſonanter aptantur, dicentis: *Verè mendacium operatus eſt ſtylus mendax ſcribarum*. Verbum Domini noſtri projecerunt, & ſapientia nulla eſt in eis. *Docuerunt enim linguam ſuam loqui mendacium, ut iniquè agerent, laboraverunt*. Quibus ſi non pœnituerint, veniet Pſalmiſtæ invocata ſententia, ,, dicentis, *ut deſtruas inimicum & defenſorem*.

47 ,, Credimus enim catholicis Eccleſiæ ,, filiis ea, quæ tunc ad fratrem & Coepiſcopum noſtrum Mennam ſcripſimus, ideſt, de ,, blaſphemiis Theodori Mopſueſteni, ejuſque perſona, vel de Epiſtola, quæ ad Marim Perſam ſcripta ab Iba dicitur, & ſcriptis Theodoreti, quæ contra rectam fidem ,, & duodecim Capitula Sancti Cyrilli facta ,, ſunt, abundè poſſe ſufficere: quippe dùm ,, in conſtituto noſtro ſuperiùs deſignato poſſit diligenter agnoſci, quia in ipſa definitione fidei, quam ſancti Chalcedonenſis ,, Concilii Sacerdotes ſecundùm præcedentes eam tres alias ſanctas Synodos protulerunt, non aliquid mutaverunt, ſed laudantes omnia, quæ à Superioribus acta ,, ſunt ſanctâ definitione ſuâ, perpetuo robore firmaverunt. Tamen ſi poſt hæc aliquis ,, (quod non credimus) dubitare voluerit, ,, hortamur, ut cum tuæ fraternitatis ordinatione ad nos venire feſtinet, quatenùs ,, lucidâ admonitione cognoſcat, omnia quæ ,, deceſſorum noſtrorum, & antefatarum quatuor Synodorum ſunt de una, eademque ,, fide acta ſcriptaque temporibus à nobis inviolabiliter fuiſſe ſervata. Qua ratione ,, perceptâ, ſublato, ſicut oportet, de chriſtianiſſimis animis ſcandalo, pax Deo placita in ejus Eccleſia illibata perduret.

48 ,, Hoc quoque fraternitatem tuam ,, credimus adhortandam, nè ulteriùs prædictorum Ruſtici & Sebaſtiani, aut illorum, ,, qui pravæ eorum præſumptionis probantur ,, eſſe participes, ſcripta ſuſcipiat; ſed & ,, univerſos ad tuam pertinentes ordinationem commoneas, nè vel ipſi à prædictis relegant aliquid deſtinatum, vel falſitati eorum ulteriùs animum ſuæ credulitatis accomodent. Deus te incolumem cuſtodiat, ,, frater chariſſime. Datum xv. Kal. Aprilis, ,, Imperii Domini Juſtiniani Auguſti Anno ,, XXIV. poſt Conſulatum Baſilii viri clariſſimi Anno X. per Joannem Presbyterum ,, & Apocriſarium, & ipſe direxit eam per ,, Maxentium hominem ſuum. *Hactenus Epiſtola*.

49 Cùmque & in Occidente eadem fama ſchiſmaticorum operâ perlata eſſet, adversùm Vigilium Papam, quaſi adversùs Concilium Chalcedonenſe aliqua attentaſſet, Aurelianus Epiſcopus Arelatenſis miſſâ Legatione, & datis literis per Anaſtaſium Conſtantinopolitanum ad ipſum Vigilium, ſciſcitatus eſt ab eo, nùm verum eſſet, ab ipſo aliqua eſſe tentata adversùm Chalcedonenſem Synodum, quibus receptis à Vigilio literis, ità eidem Arelatenſi reſcripſit Epiſcopo,

Dilectiſſimo fratri Aureliano Epiſcopo Arelatenſi, Viglius.

50 Fraternitatis veſtræ literas pridiè Idus ,, Julias, Anaſtaſio deferente, ſuſcepimus, & ,, gratias referimus Divinæ Clementiæ, quia ,, ſollicitudinem veſtram in fidei cauſa, vel ,, in noſtræ opinione perſonæ ſacris relegimus convenire mandatis, ut dignè charitati tuæ verba Dei & convenienter aptentur, ,, quibus ait: *Elegit te Sacerdotem ex omnibus, ut aſcenderes ad Altare meum, & adoleres mihi incenſum, & portares Ephod coram me*. Neceſſe ergò nobis eſt charitatis ,, veſtræ ſollicitudinem brevi interim, quantum pro temporis qualitate potuimus, relevare colloquio: quatenùs modis omnibus confidatis, nihil nos penitùs admiſiſſe, ,, quod deceſſorum noſtrorum conſtitutis, vel ,, ſanctæ, quæ una eademque eſt, fidei quatuor Synodorum, ideſt, Nicenæ, Conſtantinopolitanæ, Epheſinæ primæ, atque Chalcedonenſis, inveniatur (quod abſit) eſſe ,, contrarium, aut quod ad perſonarum injuriam pertineat, quæ definitioni ejuſdem ,, ſanctæ fidei ſubſcripſerunt, vel Sanctorum ,, Prædeceſſorum noſtrorum Cœleſtini, Xiſti, ,, Leonis, aliorumque præcedentium, atque ,, ſequentium definitis reperiatur adverſum, ,, ſed à nobis omnibus prædictis Synodis ,, unam venerationem, unamque fidei credulitatem indubitabiliter exhiberi; & eos, ,, qui omnes ſupraſcriptas quatuor Synodos ,, in rectitudine fidei non ſequuntur, vel ,, unum ex ipſis, vel omnes in fide reprobant, ,, aut reprobare, aut injuriare, vel repudiare nituntur, abjicimus; ſed & ea, quæ in ,, ejuſdem ſanctæ fidei injuriam verbo dicta ,, vel reperiuntur ſcripta, anathematizanda, ,, execrandaque judicavimus & conſtituimus ,, judicanda: ſimili pœnâ plectentes etiam ,, eos, qui fidem Beati Cyrilli, quem ſanctæ ,, recordationis Leo prædeceſſor noſter ad

 præ-

„ prædeceſſores veſtros, alioſque datis pro-
„ bavit, & laudavit ſcriptis, & Chalcedo-
„ nenſis veneranda ſancta Synodus legitur
„ protuliſſe, aliorumque Patrum, quos Apo-
„ ſtolicæ Sedis Præſules ſuſceperunt, atque
„ ſecuti ſunt, execrandâ ſuperbiâ impia vo-
„ caverunt.

51 „ Fraternitas ergò tua, quem Apo-
„ ſtolicæ Sedis per nos conſtat eſſe Vicarium,
„ univerſis Epiſcopis innoteſcat, ut nullis
„ aut falſis ſcriptis, aut mendacibus verbis,
„ aut nunciis qualibet ratione turbentur, ſed
„ potiùs primi Apoſtolorum, ſicut convenit,
„ verba ſectentur, dicentis: *Adverſarius ve-*
„ *ſter Diabolus, ut Leo rugiens, circumit,*
„ *quærens quem devoret, cui reſiſtite fortes in*
„ *fide. Et quod item Doctor Gentium dicit*
„ *Apoſtolus. Rogo autem vos fratres, ut ob-*
„ *ſervetis eos, qui diſſenſiones & offendicula*
„ *præter doctrinam, quam vos didiciſtis, fa-*
„ *ciunt, & declinate ab illis*: in Domino con-
„ fidentes, quia ſicut præfati ſumus, ab Apo-
„ ſtolis fidem traditam, & à prædictis ſan-
„ ctis quatuor Conciliis declaratam, & à de-
„ ceſſoribus noſtris, & ab antedictis Patribus
„ prædicatam atque inviolabiliter cuſtodi-
„ tam, ſincerâ voluntate tenuimus, tenemus,
„ venerati ſumus, veneramur atque defendi-
„ mus; & contra eam facientes Apoſtolicâ
„ auctoritate damnamus.

52 „ Sed quanta poſſumus per filium no-
„ ſtrum Anaſtaſium de his, quæ geſta ſunt,
„ breviter nos indicare neceſſe eſt, & cùm
„ nos Dominus filius noſter clementiſſimus
„ Imperator, ſicut promiſit, Deo (qui cor
„ ipſius tenet) juvante, reverti præceperit,
„ hominem, qui vobis ad ſingula ſubtiliter
„ innoteſcat, Deo propitio, deſtinamus.
„ Quod ideò adhuc non fecimus, quia &
„ hyemis aſperitas & Italiæ, quæ vos non
„ latet, neceſſitas præpedivit, donec Sere-
„ niſſimus Princeps, ſicut deſiderat, Domi-
„ no ſibi adjuvante, ſubveniat. Illud quoque
„ credimus ſperandum, ut quia ſcriptum eſt:
„ *Frater fratrem adjuvans exaltabitur*; & ſicut
„ de credentibus in Domino Actuum Apo-
„ ſtolorum Scriptura teſtatur, quia *erat cre-*
„ *dentibus in Domino cor unum & anima una*;
„ ut ſit fraternitas veſtra in hac quoque parte
„ ſollicita, & glorioſo filio noſtro Childe-
„ berto Regi, quem Chriſtianitatis ſtudio
„ venerationem integram Sedi Apoſtolicæ,
„ cui nos Deus præeſſe voluit, cognovimus
„ exhibere, ſupplicare non deſinas, quate-
„ nus in tanta rerum neceſſitate circa Eccle-
„ ſiam Dei ſollicitudinem, ſicut & confidi-
„ mus, chriſtianâ devotione perſolvat; ut
„ quia Gothi cum Rege ſuo in Civitate Ro-
„ mana perhibentur ingreſſi, hoc eis digne-
„ tur ſcribere, ne ſe in Eccleſiæ noſtræ præ-
„ judicio, quippe velut alienæ legis, immi-
„ ſceat, & aliquid faciat, aut fieri qualibet
„ ratione permittat, unde Catholica poſſit Ec-
„ cleſia perturbari.

53 „ Dignum enim eſt, & catholico, ſicut
„ eſt, Regi conveniens, ut fidem & Eccle-
„ ſiam, in qua Deus illum voluit baptizari,
„ omni debeat virtute defendere. Scriptum
„ eſt enim: *Vivo ego, dicit Dominus, quia*
„ *glorificantes me, glorificabo*. Feſtina ergò,
„ frater chariſſime, ut in ſanctæ fidei ſinceri-
„ tate perſiſtens, Eccleſiarum pacem, quæ vel
„ à Deo per meritum Sacerdotii tibi com-
„ miſſa eſt, vel à nobis per Apoſtolicam au-
„ ctoritatem Vicariâ poteſtate mandatur,
„ competenti ſollicitudine, Deo propitiante,
„ cuſtodias, & Vicarium te Sedis noſtræ di-
„ gnis Deo manifeſtes operibus. Deus te
„ conſervet, frater chariſſime. Dat. III. Kal.
„ Majas, Imperii Domini noſtri Juſtiniani
„ perpetui Auguſti, Anno XXIV. poſt Con-
„ ſulatum Baſilii viri clariſſimi Anno X. per
„ hominem, quem Anaſtaſius direxit. *Ha-
ctenus Epiſtola*.

54 Ad horum clariorem intelligentiam ſciendum eſt, Vigilium ab exordio ſui adventus in Civitatem Conſtantinopolis, Zoilum Alexandrinum ſibi occurrentem, alioſque de de emiſſa ſubſcriptione redarguiſſe. Verùm poſtea cùm non exiguam inter diſſidentes Epiſcopos diſcordiam reperiſſet, ac proindè in ſummum poſitam periculum Eccleſiam, ut ſchiſmate ſcinderetur, faventibus Imperatori præſtantiorum Sedium Epiſcopis, & in majori quoque numero, Africanis verò exadverſo ſtantibus, collectâ triginta Epiſcoporum Synodo, in ea cauſam pertractandam decrevit. Cùmque Epiſcopi diſſidentes altercarentur potiùs, quàm pacificè, ut par erat, controverſiam examinarent, mandavit Pontifex, ut quiſque ſuam ſententiam rationibus confirmatam ſcripto proferret. His ab unoquoque exactis, eas poſt aliquot dies parti damnanti tria Capitula, reſervandas tradidit; cum altera verò parte convenit uſquè ad proximè agendam Synodum Generalem de quæſtione propoſita tacendum, & cum damnantibus tria Capitula communicandum interea temporis eſſe; maximè cum inter eas non de fide, ſed de perſonis dumtaxat contentio verteretur; ſicque Zoilum, Mennam, alioſque decreto damnationis trium Capitulorum adhærentes in ſuam recepit communionem, prout idem Facundus ſcribit.

55 Porrò cùm plerique nec adverterent, nec mentem Pontificis aſſequerentur, in Vigilium, ut deſertorem & prævaricatorem inſurrexerunt; ob hoc præcipuè quoniam ſciebant ipſum Pontificem aliter priùs ſenſiſſe. Primarii verò contradictores, & qui ſe Vigilio rebellarunt, fuere Felix Gillitanus Monaſterii in Africa Abbas, & Lampridius, qui cauſâ defendendi tria Capitula, Conſtantinopolim ſe contulerant, vitantes Pontificis communionem, cujus rei cauſâ primùm à Clericis Pontificis rejecti fuere; ſed dolo Sebaſtiano Romanæ Eccleſiæ Diacono ſe inſinuarunt,

runt, inde Ruſtico altero pariter ejuſdem ſanctæ Eccleſiæ Diacono, quos à Vigilio abſtraxere, ab illius ſeſe communione ſecernentes. Et in eandem poſtea ſocietatem traduxerunt Subdiaconos quoque Vigilii, Defenſores, & Notarios, nimirum Joannem, Gerontium, Severinum, Importunum, alterum Joannem, & Deusdedit, ut liquet ex libello Vigilii adversùs Sebaſtianum & Ruſticum infra recitandum. Prælibati ergò Schiſmatici adversùs eundem Romanum Pontificem, ad diverſos Epiſcopos in diverſas Provincias conſtitutas literas dedere. Cùm verò præcipui literarum conſcriptores forent Ruſticus & Sebaſtianus, ut dictum eſt, Romanæ Eccleſiæ Diaconi, nonnulli Epiſcopi tantorum virorum auctoritate commoti à Vigilio receſſerunt, alii verò ad tempus, donec res magis ſibi explorata fieret, ab ejus ſe conſuetudine temperavere. Sed alii prudentiores ad rem apertiùs cognoſcendam nuncios misère Conſtantinopolim, & literas ad ipſum Vigilium conſcripſerunt, inter quos fuerunt Valentinus Epiſcopus de Tomis in Scythia, & Aurelianus Epiſcopus Arelatenſis, quem, antequàm Conſtantinopolim contenderet, Vicarium ſuum conſtituerat, prout ex literis ejuſdem Vigilii datis XI. Kalend. Junias Anno IV. poſt Conſulatum Baſilii, quarum initium: *Sicut nos pro tuo charitatis affectu*, liquet, quibus prærecenſitas Pontifex reſponſivas fecit literas. Hac ergò de cauſa admonet Valentinum Epiſcopum, nè attendat falſa ſcripta Ruſtici & Sebaſtiani; & hortatur Aurelianum, ſive Auxianum, ut alii vocant, Epiſcopum Arelatenſem, nè turbetur falſis aliorum ſcriptis, aut mendacibus verbis, aut Nunciis, ut in prælibatis Epiſtolis palàm fit.

56 In periculoſiſſimo fluctuandi ſtatu erat tunc Navicula Petri, vigilabat tanquam optimus Nauclerus Vigilius, ſperans ſedaturum in Generali Synodo excitatam ex una parte ab Orientalibus, ex altera ab Occidentalibus tempeſtatem. Interea tamen Sebaſtianus & Ruſticus univerſa à Pontifice pro vitando ſchiſmate acta parvipendentes, inſolentiores effecti, undique illum vexare, & dictis, & ſcriptis, & factis minimè deſinebant. Quare Vigilius non valens diù præfatorum ſuſtinere audaciam, à compluribus quoque ſuis Clericis deſtitutus, collectis, qui ibi tunc erant, Italiæ Epiſcopis, Anno Domini DL. Imperii Juſtiniani XXIV. Belli Gothici XV. poſt Baſilii conſulatum Anno IX. vel X. adversùs Schiſmaticos & ſignanter Sebaſtianum & Ruſticum, ſententiam damnationis pronunciavit, his verbis conceptam.

Vigilius Epiſcopus Ruſtico & Sebaſtiano.

57 „ Diù vobis, Ruſtice & Sebaſtiane „ Canonibus & deceſſorum noſtrorum con„ gruentem ultionem inferre pro Apoſtolica „ moderatione diſtulimus, ſed quia Doctoris „ Gentium in cordis veſtri duritia (quod à „ nobis cum nimia triſtitia dicitur) verba „ videmus impleta, quibus ait: *Neſcitis* „ *quia patientia Dei ad pœnitentiam vos addu*„ *cit? tu autem ſecundùm duritiam tuam &* „ *impœnitens cor, theſaurizas tibi iram in die* „ *iræ*: ut exceſſus veſtros ex plurimis pau„ cos interim, inquantum poſſumus, deſi„ gnemus, venientibus nobis hìc in Regiam „ Civitatem, tu Ruſtice, dum aliqua nobis „ ignorantibus legeres, quæ hominem loci „ tui omninò legere non decebat, & plura „ committere dicereris, quæ etiam noſtram, „ ſi te non prohibuiſſemus (quod abſit) opi„ nionem atque animam lædere potuiſſet: „ dicente quoque de te nobis aliqua Paulo „ Diacono, etiam te præſente, ſicut opor„ tuit, & pro affinitate, qua nobis à Germa„ no, quem dileximus, jungebaris, & pro „ eo quod nos te ad Leviticum provexera„ mus officium, frequenter & ſecretè paternâ „ monuimus charitate, ut ſi ea, quæ de te „ dicebantur, ex aliqua parte cognoſcentes, „ à talibus temperares, nè, quia Dei cauſam „ indiſcuſſam non pateremur qualibet ratio„ ne relinquere, canonicum per nos in te ju„ dicium proveniret.

58 „ Tu autem non ſolùm admonitio„ nem noſtrã audire malevolo ſpiritu noluiſti, „ ſed etiam, ſicut ſcriptum eſt: *argue ſapien*„ *tem, & adamabit te, ſtultum, & odio habe*„ *bit te*. Et iterum: *noluit intelligere, ut* „ *benè ageret: iniquitatem meditatus eſt in cu*„ *bili ſuo*: ad hoc malitia tua perducta eſt, ut „ noſtrâ admonitione contemptâ, in odium „ potiùs proſilires, & occaſionem quæreres, „ quatenus causâ Capitulorum, ideſt, de „ dictis Theodori Mopſueſteni ejuſque per„ ſona, ſed & Epiſtola, quæ ab Iba ad Marim „ Perſam perhibetur ſcripta, necnon dicto„ rum Theodoreti, quæ contra rectam fidem „ & Epiſtolam beatæ recordationis Cyrilli „ Synodicam ad Neſtorium cum duodecim „ Capitulis, quam & ſancta Synodus Ephe„ ſina prima ſuſcepit, & beata Chalcedonen„ ſis Synodus, ad convincendas Neſtorii ve„ ſanias in definitione fidei legitur poſuiſſe, „ quæ, te etiam inſtante, certum eſt flagitata, „ itaut filiis noſtris Sapato & Paulo Diaco„ nis, ſed & Surgentio Notariorum primice„ rio clamitares dicens, non ſolùm nomen & „ ſcripta Theodori Mopſueſteni à nobis de„ bere damnari, ſed & territorium ipſum, „ ubi poſitus eſt, & ſi oſſa ejus evulſa „ quiſquam de ſepultura eiiceret, & cum eo„ dem territorio incenderet, gratanter acci„ peres: & cùm neceſſe eſſet, ut negotium „ quod fuerat in judicio noſtro perductum, „ te etiam quammaximè inter alios tàm ſa„ crati ordinis, quàm ſequentis conſentiente, „ ſententiâ finiretur, quod conſtat effectum,

 & quid

„ & quid de eodem judicato feceris, quomodò etiam in Palatio, ut fratri noſtro Mennæ, ad quem ſcripſeramus, celeriter traderetur inſtiteris, nulli habetur incertum, itaut filio noſtro Surgentio primicerio petenti ſchedam ipſam judicati noſtri, ut apud ſe pro loco ſuo ſecundùm conſuetudinem retineret, per multos dies dare penitùs noluiſſes, donec exemplaria per plurimos Sacerdotes ac Laicos, ſed & per glorioſum virum Tyrannum magiſtrum militum, alioſque Laicos in Africana Provincia deſtinares; quod in Eccleſia noſtra à Diacono nunquam factum eſt, ac nobis etiam neſcientibus, ejus exemplaria deſtinares.

59 „ Nàm & Sabbato Sancto, quo ipſum, te, ſicut præfati ſumus, imminente, protulimus judicatum in Eccleſiam ſeſſum proceſſiſſe & communicaſſe, & officium tuum impleſſe cognoſceris. Nam & eodem die revertens ab Eccleſia, Coepiſcopo noſtro, quantùm perhibet, Juliano hoc diceres, quia meliùs fieri non potuit, quàm quod factum eſt judicatum, & hortareris ut Deus oraretur, nè quod factum eſt, tolleretur. Quod etiam, ſuccedente Dominico die Paſchæ, ſimiliter effeciſti, & diù in eadem perdurando ſententia, alios, ut judicatum noſtrum libenti animo ſequerentur, nihilominùs hortabaris. Nam dùm Antiochenæ Eccleſiæ Apocrifariis ejuſdem judicati exemplaria nos dare petentibus differremus, ſed hoc magis juſtum eſſe prædictis Apocrifariis, diceremus ut à fratre noſtro Menna potiùs exemplaria peterent, ad quem à nobis videbatur fuiſſe prolatum, tu autem publicâ voce depoſceres, dicens, Dominum Leonem ità de Epiſtola ſua diverſis exemplaria deſtinaſſe, nos facere debere ſimiliter aſſerendo, quia metueres, niſi univerſitas judicati noſtri exemplaria de ſcrinio noſtro edita teneret, qualibet ratione poſtea forſitan celaretur. Nam dùm occaſionem euntis ad Siciliam reperiſſes, & judicatum noſtrum laudeſque ejus, ubi etiã filios noſtros Diaconũ, Primiceriumq; tecum manifeſtum eſt ſubſcripſiſſe, filiis noſtris Pelagio Diacono, aliiſque dirigere voluiſſes pro cautela, nè ab aliquo inveniri forſitan potuiſſet, nobis etiam ignorantibus, in membrana conſcriptum, & in brevitate quadruplicatum, literis ſcriptum minutiſſimis deſtinaſti.

60 „ Nàm & Vincentio ſecundæ Regionis Subdiacono iterum à nobis poſtea ad Siciliam directo, per eum filio noſtro Pelagio Diacono ſimiliter ſcripſiſti: ſed quia ita memoratus Subdiaconus proſperè navigavit, ut illũ qui in membrana ſcripta portaverat, præcedere potuiſſet, quantum nobis retulit, ea quæ in membrana ſcripſeras, Pelagius Diaconus, ipſo præſente percepit. „ Ergò dum & te præ omnibus imminente prolatum fuerit judicatum, & tanta in ejus judicati laude ſuccenſus per multum tempus ſcripſeris, feceriſvè, ut nunquam te crederemus ab hac poſſe rectitudine deviare, immutatum te ſubitò poſt hæc quadam animi levitate, vulgante opinione comperimus, & cum adverſariis Eccleſiæ, qui contra judicati noſtri ſeriem nitebantur, & à nobis ſunt per judicati ipſius tenorem à communione ſuſpenſi, ſecretè tractare; & dùm filius noſter Paulus Diaconus ad Italiam diſcedere voluiſſet, poſteaquàm & ad eum pervenit, quòd ſcandalum Eccleſiæ, in communione adhùc noſtra poſitus, ſecretè & hic, & in Africana Provincia, ubi antea defendendo & laudando judicatum noſtrum, ejus exemplaria deſtinaſti, facere nitebaris, tunc tibi cœpit inſiſtere & dicere, ut ſi verum eſſet, producere debuiſſes, quod tu convictus, celare minimè potuiſti.

61 „ Tunc verò memoratus nobis cœpit imminere Diaconus, ut aut corrigere te ab his quæ illicitè faciebas, ſub noſtra præſentia Clericorumque promitteres, aut certè petitionem adversùm te, & varietatem tuam atque fallaciam ab eo factam, quam & præ manibus gerebat, debuiſſemus accipere: ad hoc es propriâ voluntate perductus, ut tactis Evangeliis Sacramenta præſtares, & verba tua à Notario ſcripta in noſtro teneantur ſcrinio, quibus inter alia legeris promiſiſſe, te nunquam à noſtro penitùs obſequio diſceſſurum. Poſteaquàm verò pejor te Sebaſtianus pro ſolo ſcandalo faciendo, ſicut & initia ipſius venientis in Conſtantinopolim monſtraverunt, & exitus pejor edocuit, noſcitur adveniſſe, itaut mox tui immemor Sacramenti, conjurationem inter vos contra ſtatuta Canonum, nobis ignorantibus, facientes, in apertum uterque proruperis ſcandalum.

62 „ Sed ut tua, Sebaſtiane, non in quantum ſunt, ſed in quantum referre poſſumus, mala, quæ feceris, diverſi cognoſcant, & juſtè te, nam magis tardè, canonica advertant ſubjiſſe ſententiam, ad tuę ordinationis veniamus initia. Abſentibus filiis noſtris Diaconis Anatolio atque Stephano, à nobis poſtulaſti, ut ad tempus pro implendo officio, abſentium loco, Diaconum te interim faceremus. Quod ideò tibi ad præſens ſperanti conceſſimus, quia ante ordinationem tuam cautionem nobis propriâ voluntate legeris emiſiſſe, quam & teſtibus roboraſti, & tactis Evangeliis juramentum corporaliter præſtitiſti, ut quidquid tibi à nobis pro Eccleſiaſtica utilitate fuiſſet injunctum, fideliter & ſine aliqua fraude compleres; Officium verò, locumque Diaconi ſine aliquo vitio, ſine aliqua ſuperbia, ſine aliquo negelectu, donec re-

ver-

„ vertentur Diaconi memorati, aut quanto te
„ tempore in Levitarum voluiſſemus ordina-
„ tione miniſtrare cum omni humilitate &
„ ſtudio ſine neglectu modis omnibus imple-
„ turum: in eadem cautione rursùs adjiciens,
„ quòd ſi de his omnibus, quæ cum Sacra-
„ mento, tactis corporaliter Evangeliis, pro-
„ miſiſti, aliquid minùs impleſſes, tunc à
„ ſancta communione eſſes ſuſpenſus; itaut
„ ſi à die exceſſus tui intrà annum pœniten-
„ tiæ noluiſſes colla ſubmittere, tu tibi ana-
„ thema, manu propria ſcribendo, dixiſti.
„ Tunc ergò ad præſens factus es, ſub ea,
„ quam ſperabas, & pollicitus fueras condi-
„ tione Diaconus.

63 „ Poſtea verò, ut à nobis ad Dalma-
„ tiarum patrimonium mittereris, ſummis
„ precibus poſtulaſti. Quod nos ſecuri, quia
„ talem feceras cautionem, animo libenti
„ conceſſimus. Qui dùm in Salonitanam Ur-
„ bem pro ordinatione patrimonii adveniſſes,
„ quantum ad nos poſtea eſt plurimorum re-
„ latione perductum, illicitis te, & à Sede
„ Apoſtolica prohibitis ordinationibus mi-
„ ſcuiſti, & quos Honorius, tunc prædictæ
„ Civitatis Epiſcopus, contra conſuetudi-
„ nem Romanæ, vel ſuæ Eccleſiæ & Sedis
„ Apoſtolicæ conſtituta ſacris ordinibus ap-
„ plicaverat, non ſolùm prohibere penitùs
„ noluiſti, ſed nec nobis ex hac cauſa vel
„ ſcripto referre, vel quandò Theſſalonicæ
„ nobis occurreras, memor conſcientiæ tuæ,
„ nè verbo quidem ſuggerere voluiſti, ut cum
„ illis, tanquàm cum legitimo & rationabili
„ ordine factis, cupiditatis ſpiritu acquievi-
„ ſti procedere, & eorum ſocius es commu-
„ nionis venalitate repertus. Iterùm Theſ-
„ ſalonica ad Dalmatias patrimonii regendi
„ causâ remiſſus es, ex qua Provincia fre-
„ quenti te auctoritate monuimus, ut non
„ ante diſcederes, niſi omnes ſecundùm pol-
„ licitationem tuam tàm de Dalmatiarum
„ patrimonio, quàm de Prævalitano collige-
„ res penſiones.

64 „ Sed tu omnia prętermittens ad Con-
„ ſtantinopolitanam Urbem pro ſolo facien-
„ do venire ſcandalo feſtinaſti, quantum &
„ ſequens exitus declaravit. Relegens tamen
„ conſtituti noſtri ſeriem, quam de præfatis
„ Capitulis ad Mennam hujus Civitatis An-
„ tiſtitem dediſſe relegimus, in conſpectu
„ Diaconorum, Subdiaconorumque, vel uni-
„ verſorum Clericorum, publicâ voce lauda-
„ bas, ut de Cœlo judicatum noſtrum ordi-
„ natum atque prolatum, omnibus, ſicut prę-
„ fati ſumus, Clericis loquereris. Dicta ve-
„ rò Theodori Mopſueſteni aſſerebas te in
„ Roma Urbe inter aliquos Codices inveniſ-
„ ſe, quæ confirmabas omni execratione &
„ blaſphemiis eſſe completa. Hæc dicendo
„ in noſtro obſequio, & in Eccleſia publicè,
„ & in Placidias officium Diaconatus imple-
„ bas. Nativitatis Chriſti Dei Domini &
„ Salvatoris noſtri ſecundùm carnem præte-
„ rito anno dies advenit: vocavimus te, quia
„ ad nos, quæ ſupra meminimus te feciſſe in
„ Dalmatiis, de recenti pervenerunt; & ſicut
„ oportuit, diximus tibi, ſi cum illis, qui
„ contra Sedis Apoſtolicæ conſtituta in ſa-
„ cratis ſunt applicati ordinibus, proceſſiſti,
„ aut eorum te communioni, ſicut dicitur,
„ ſociaſti, neceſſe nobis eſt, ut ſi nos Deus
„ ad noſtram dignatur Eccleſiam revocare,
„ quæramus iſta, & veritatem manifeſtiùs
„ cognoſcentes, ſecundùm Canones vindi-
„ cemus.

65 „ Tu verò conſcientiæ tuę reatu per-
„ territus, quia contra Apoſtolica feceras
„ conſtituta, occaſionem tibi diſcedendi diſſi-
„ mulans requirebas. Nam cùm te pro certo
„ mandata cum Joanne Epiſcopo & Surgen-
„ tio Primicerio, atque Saturnino Conſula-
„ rio noſtro ad Mennam fratrem noſtrum hu-
„ jus Civitatis Antiſtitem miſiſſemus, rever-
„ ſus in Placidias, multis præſentibus & of-
„ ficium Diaconi tu & Ruſticus ex more
„ compleſtis, & quando clementiſſimus Prin-
„ ceps Dominus filius noſter, ut aliâ die ad
„ Eccleſiam procedere deberemus, Referen-
„ darium deſtinavit, ut ei promitteremus,
„ cum aliis Diaconis & Clericis nos tu &
„ Ruſticus fuiſtis hortati. Nam & ad refe-
„ ctionem pariter in noſtra menſa ambo fuiſ-
„ ſe ſimili ratione probabimini. Sed ſicut
„ Judas poſtquàm buccellam accepit, de tra-
„ ditione Domini cogitavit, ità & vos no-
„ ctis horis prò concitando ſcandalo diſceſ-
„ ſiſtis.

66 „ Nos autem alio die mandantes vo-
„ bis, ut aut procederetis locum Diaconi ex
„ more complentes, aut à communione vos
„ cognoſceretis fuiſſe ſuſpenſos. Tu verò
„ Sebaſtiane, his, quos inter alios miſeramus
„ fratribus noſtris Joanni & Juliano Epiſco-
„ pis hoc, quantum renunçiaverunt, dixiſti:
„ *Ego judicatum, quod Papa protulit, ſequor,*
„ *ſi tamen in illos vindicat, qui contra judica-*
„ *tum faciunt.* Nam & ſimili eis, quantum
„ perhibent, ratione dixiſti, intantum ut di-
„ ceres ibi veniſſe Lampridium & Felicem
„ Monachos, qui noſtrum judicatum ſuſci-
„ pere noluerunt & mandaſſe vos eis: *Non*
„ *vos poſſumus videre, quia vos aliam cauſam*
„ *habetis, & nos aliam.* Poſtea verò ad hoc
„ nequitia veſtra pervenit, ut excommunica-
„ tis communicare contra Canones ſuperbo
„ præſumeretis ſpiritu, ideſt memoratis vel
„ aliis, quos pro hoc, quod contra judica-
„ tum noſtrum ſcripſerant, per ejuſdem ju-
„ dicati ſeriem conſtabat jam à nobis com-
„ munione ſuſpenſos; cui judicato, ſicut ſu-
„ pra meminimus, vos acquieviſſe & conſen-
„ ſiſſe & communicaſſe catholica probavit
„ Eccleſia. Undè conſtat vos ſecundùm re-
„ gulas Canonum juſtè damnari. Definiunt
„ enim Canones: *Si quis excommunicatus*

ante

,, *ante audientiam communicare præſumpſerit*,
,, *ipſe in ſe damnationem protulit*.
67 ,, Item: *Placuit univerſo Concilio, ut*
,, *qui excommunicatus fuerit pro ſuo neglectu*,
,, *ſive Epiſcopus, ſive quilibet Clericus, & tem-*
,, *pore excommunicationis ſuæ ante audientiam*
,, *communicare præſumpſerit, ipſe in ſe dam-*
,, *nationis judicetur protuliſſe ſententiam*. Ad-
,, jeciſſe etiam execrandâ ſuperbiâ, quæ nec
,, leguntur, nec ſine Pontificis ſui juſſione
,, aliquandò ordinis veſtri homines præſum-
,, pſerunt, auctoritatem vobis prædicationis
,, contra omnem conſuetudinem, vel Cano-
,, nes vindicare, Epheſinæ primæ Synodi im-
,, pugnationem & exprobrationem, ſed &
,, Beati recordationis Cyrilli; Blaſphemias
,, quoque contra Jeſum Dominum noſtrum
,, dictas ſimili defendentes inſaniâ, & per
,, omnes Provincias fallaciter ſcribentes, nos
,, aliquid commiſiſſe, quod reperiatur adver-
,, ſum definitioni ſanctæ Chalcedonenſis Sy-
,, nodi, quæ præcedentium ſe trium, ideſt,
,, Nicęnæ, Conſtantinopolitanæ, atque Ephe-
,, ſinæ primæ concordat fidei Synodorum.
,, Ità ergò cunctorum animos, qui veſtram
,, malitiam neſcierunt, ſed tanquàm à Ro-
,, manis Diaconis ſuſcipientes ſcripta, ſim-
,, pliciter crediderunt, ad tantum ſcelus ope-
,, ratio fallaciæ veſtræ pervenit, ut humanus
,, ſanguis in aliquibus locis intrà Eccleſiam
,, (quod dici nefas eſt) funderetur; & om-
,, nem legem Eccleſiaſticam ſuperbo ſpiritu
,, conculcare voluiſtis, ſanctarum quoque
,, regularum conſequentiam injuriis affeci-
,, ſtis, impia & quæ non ſunt licita, per uni-
,, verſas contra nos Provincias fallaciter in-
,, dicando.
68 ,, Nuper etiam malis veſtris addentes
,, pejora prioribus, Domnum Leonem præ-
,, deceſſorem noſtrum in Theodori Mopſue-
,, ſteni dictis, quę contra rectam fidem legitur
,, ſcripſiſſe, conſenſum præbuiſſe atque fir-
,, maſſe, dato ſcripto ad chriſtianiſſimum
,, Principem Dominum filium noſtrum, auſi
,, fuiſtis aſtruere. Abſit ergò quemlibet cre-
,, dere chriſtianum, quod aliquid tale, quod
,, contra rectam fidem à quolibet inveniatur
,, ſcriptum, illius tanti Præſulis ſanctitas
,, ſuſcepiſſet, quippe qui in univerſis Epiſto-
,, lis ſuis & Neſtorium & Eutychen, vel eis
,, ſimilia ſapientes, pari legitur ſententiâ
,, condemnaſſe. In quo memorato ſcripto,
,, etiam contra Divinas Scripturas, non ſolùm
,, Pontificibus multis, ſed etiam, quod dici
,, nefas eſt, ipſi quoque Principi ſacrilegas
,, injurias irrogare tentaſtis, quatenùs igno-
,, rantem chriſtianum populum diabolicâ am-
,, pliùs deciperetis aſtutiâ.
69 ,, Hæc ergò ſuſtinentes per multa
,, temporis ſpatia, patientiâ ſacerdotali reſe-
,, care diſtulimus, credentes vos forſitan reſi-
,, piſcere, & ab illicitis temperare. Sed quia
,, ſemel & ſecundò adhortatione noſtrâ per
,, fratres noſtros Epiſcopos, ideſt, Joannem
,, Marſicanum & Julianum Cingulanum, vel
,, Sapatum filium noſtrum atque Diaconum,
,, necnon & per glorioſum virum item filium
,, noſtrum Cethegum, & religioſum virum
,, item filium noſtrum Senatorem, alioſque
,, filios noſtros commoniti noluiſtis audire,
,, & neque ad Eccleſiam, neque ad nos rever-
,, ti, ſicut omnia fecitis, voluiſtis deteſtan-
,, dâ ſuperbiâ; & ideò neceſſe nobis eſt in vo-
,, bis canonicè vindicare, nè videamur Divi-
,, narum Scripturarum increpationibus ſub-
,, jacere. Scriptum eſt enim: *Videbas furem*
,, *& ſimul currebas cum eo, & cum adulteris*
,, *portionem tuam ponebas*. Et ipſe Dominus
,, ac Salvator noſter dicit: *quòd ſi oculus tuus*
,, *dexter ſcandalizat te, erue eum, & projice*
,, *abs te; expedit enim tibi, ut pereat unum*
,, *membrum tuum, quàm totum corpus mitta-*
,, *tur in gehennam*. Et quoniam iſte intelle-
,, ctus magis de officiis Eccleſiarum, vel pro-
,, ximis non rectè agentibus, & ſcandala in
,, Eccleſiis mittentibus ſano ſenſu debet
,, aptari, ſicut & alibi nos admonet, dicens:
,, *Oportet venire ſcandala, ſed væ illi, per*
,, *quem veniunt*. Et Beatus Apoſtolus ſimili
,, prædicat ratione: *Utinam & abſcindantur*
,, *qui vos conturbant*. Et iterum ſancta Scri-
,, ptura nos commonet, dicens: *Ejice peſti-*
,, *lentem de Concilio, & exiet cum eo jurgium*.
70 ,, Oportet ergò nos jam poſt tantas
,, admonitiones in vobis, Ruſtice & Seba-
,, ſtiane, per auctoritatem Beati Petri, cu-
,, jus nos Dominus ſibi voluit vice ſervire,
,, regulariter vindicare, propterea, nè ſi jam
,, diutiùs differamus, omnis Eccleſiaſticus
,, ordo ſolvatur. Ideòque quod à nobis cum
,, gemitu, ſed cum Beati Petri auctoritate
,, dicendum eſt, pro ſupraſcriptis exceſſibus
,, alienos vos à Diaconi eſſe honore decerni-
,, mus, & omni miniſterio officii Levitici,
,, prædictum vobis honorem auferentes, pe-
,, nitùs ſubmovemus, nullam ulteriùs licen-
,, tiam habentes, ut ex Levitico nomine, aut
,, gradu aliquid facere præſumatis, vel ſub
,, nomine Diaconorum ſcribendo, iterùm
,, Dei conturbetis Eccleſiam: quippe qui ex
,, Apoſtolica auctoritate & Patrum regulis,
,, contra quas multa ſpiritu ſuperbo atque
,, irreligioſo feciſtis, vos olim dignos dam-
,, natione præſenti auctoritate deponimus.
71 ,, Et ut univerſi, nos hęc pro loco, in
,, quo nos Deus eſſe voluit, & auctoritate
,, Beati Petri Apoſtoli rectè feciſſe cogno-
,, ſcant, Canonum conſtituta poſuimus, quæ
,, ſancta Chalcedonenſis Synodus apud ſe re-
,, licta laudavit. Aetius Archidiaconus re-
,, legit: *Si quis Presbyter aut Diaconus ſuum*
,, *contemnens Epiſcopum, à communione ſe-*
,, *metipſum ſuſpendit Eccleſiæ, & ſecretiùs col-*
,, *lectam facit, & altare conſtituit, & noluit*
,, *evocanti Epiſcopo conſentire, & noluit eidem*
,, *acquieſcere, neque obedire, & priùs & ſecun-*
dò

,, dò vocanti; hunc omninò damnari, nec unquam hunc curationem mereri, nec recipere eum poſſe honorem. Si autem permanſerit turbas faciens & ſeditiones Eccleſiæ, per externeam poteſtatem tanquàm ſeditioſum debere comprimi. Omnes Reverendiſſimi Epiſcopi clamaverunt: *Hæc juſta regula, hæc regula Patrum*. Pariter ſtatuentes, ut ſi nobis viventibus, ſicut optamus, ſub humilitate & manſuetudine canonicè pœnitentes, matrem recognoveritis Eccleſiam, competenter à nobis venia concedatur. Si verò (quod non optamus) ſub regulari pœnitentia ad matrem Eccleſiam conſuetâ diſtuleritis redire ſuperbiâ, Conciliorum in vobis, quorum regulas poſuimus, cenſura ſervetur, ut nullus poſt tranſitum noſtrum, quod ex Beati Petri, cujus locum, licèt immeriti, gerimus, auctoritate proferimus, Canonum regulas exequentes, in Eccleſiaſtico gradu audeat revocare, Joannem, Gerontium, Severinum, Importunum, Joannem atque Deuſdedit, quos conſtat veſtræ conjurationis & conſpirationis eſſe participes, quos nos potentes bonos, militare Eccleſiæ, cui Deo præſidemus auctore, noſtro tempore feceramus; tamen ut & ipſi poſſint & diverſi cognoſcere, de Subdiaconorum & Notariorum, vel defenſorum officio præſenti ſe ſententia noverint fuiſſe depoſitos, & nullum penitùs in Eccleſia noſtra gradum ulteriùs detinere; niſi fortè, ſicut præfati ſumus, nobis in hac luce ſuperſtitibus, & ipſi pœnitentiæ canonicæ colla ſubmiſerint. "

72 ,, Felicem etiam Monachum Afrum, qui Gillitano Monaſterio dicitur præfuiſſe & levitate ſuâ, atque inconſtantiâ, congregationem ejuſdem Monaſterii per diverſa loca certum eſt diſperſiſſe, & veſtræ pravitatis incenſor eſt, cum univerſis, qui eum vel vos, tàm Clerici vel Monachi, quàm Laici, poſt præſentia interdicta, in aliqua veſtra ſe ſocietate polluerint, aut conſenſum, conſiliumque præbuerint, regularem in his, quæ item ſuperiùs legitur, conſtituimus manere ſententiam, quatenus in his remediis, ordine ſervato canonico, nullus præſumat pacem, quam Dominus diligit, ulteriùs Eccleſiæ perturbare.

73 ,, Præſentem autem ſententiam, per Joannem Marſicanum, Zachæum Squillaceum, Julianum Cingulanum, fratres & Coepiſcopos noſtros, ſed & Sapatum atque Petrum filios noſtros Diaconos, necnon & filium noſtrum Surgentium primicerium Notariorum, atque Servum Dei Subdiaconum regionis ſecundæ, noſtræ, cui preſidemus, Eccleſiæ, vobis noſcimur tranſmiſiſſe. *Hactenus Literæ damnationis*.

74 At non proinde ſedatum eſt ſchiſma, verùm magis auctum, in ſua duritia Romanis perſiſtentibus Clericis, & dira adversùs proprium Antiſtitem machinantibus. Ex altera parte Orientales illi, qui tria illa Capitula impugnabant, & Juſtiniano in illorum adhærebant damnatione, nondùm expectatâ univerſali Synodo, ſecundùm Pontificis judicatum, Imperatorem ſollicitabant, ut cogeret Epiſcopos ab recipiendum prælibatæ ſuæ damnationis Decretum, inſtigante ad hoc præcipuè Theodoro Cæſarienſi. Qua de cauſa Juſtinianus Synodum celebrandam indixit Mopſueſtiæ in Cilicia adversùs eundem Theodorum Epiſcopum Mopſueſtenum ante centum annos defunctum, hoc eodem Anno DL. poſt Conſulatum Baſilii IX. qua in Synodo decretum fuit adversùs Theodori defenſores, & inde factâ diligenti inquiſitione, ſi quæ adhuc ibidem de ipſo reliquiæ conſervarentur, & nùm in ejus Eccleſiæ Sacris Diptycis unà cum aliis ejuſdem Civitatis Epiſcopis Catholicis ipſe adſcriptus reperiretur, examinatiſque teſtibus inventum eſt omnium depoſitione, nullam ejus ſæculi memoriam extare, quo nomen Theodori è ſacris tabulis recitatum fuerit, quòdque potiùs nomine ejuſdem expuncto, Cyrilli nomen ſubſtitutum fuerit, quibus peractis abſoluta eſt Synodus, datis poſtea de rebus geſtis in ea literis ad ipſum Vigilium Papam. Interfuerunt huic Synodo novem Epiſcopi cum aliis compluribus clariſſimis viris, inter quos Martinus Comes, qui Imperatoris literas attulit ad Joannem Metropolitanum, & ad Coſmam tunc Mopſueſtenum Epiſcopum. Ejuſdem Synodi mentio habetur in libello Synodico; ubi dicitur.

75 ,, Cùm igitur Neſtorio quidam adhærerent, Theodori nefariis ſcriptis ſeducti, eamque ſententiam clanculum defenderent, Zelo ſuccenſi multi Præſules, Synodi celebrandę causâ Mopſueſtam venerunt, & convocato Clero, & Magiſtratibus, ad intemerata Evangelia juramentū exegerunt, utrum Theodori, qui ipſorum fuiſſet impius Epiſcopus, nomen in ſacris tabulis eſſet relatum; & cùm reſpondiſſent, ità nec iſtud negaſſent, ſancta Synodus hæc in ſcriptis Vigilio Sanctiſſimo Papæ Romano tranſmiſit. *Hæc ibi*. Verùm in actis Synodicis relectis in V. Synodo collat. & Act. 5. conſtat nullam memoriam repertam fuiſſe, ſicut ſupra diximus, Theodori Mopſueſteni, ſed alterius tantùm Theodori Galatæ Epiſcopi ejuſdem Civitatis viri catholici, tres ante annos defuncti, prout recitat in fine eorundem Actorū, & teſtatur Joannes Epiſcopus Metropolitanus Eccleſiæ Juſtinianopolitanę, confirmātibus cęteris Epiſcopis, eidem Synodo conſedētibus, nimirū Thoma Epiſcopo Ægeę, Stephano Caſtabaleorum, Niceta Epiphaneorum, Andrea Flaviadeorum, Procopio Jeropolitanorum, Urbico Alexandrinæ, Antonino Roſeorum, & Coſma Mopſueſtiæ Eccleſiarum Epiſcopis, qui & Actis ſubſcripſerunt. Id quod etiam teſtantur iidem Epiſcopi in Epi-

ſtola

ſtola Synodica data ad ipſum Juſtinianum Imperatorem, cujus initium: *Semper quidem pro pietate ad Deum*, relectâ pariter & inſertâ in Actis V. Synodi, eâdem collat. cit.

76 His porrò peractis, Juſtinianus, inſtigante Theodoro Cæſarienſi, contra Synodi Decretum, atque Vigilii judicatum, & emiſsâ ſponſione de ſervando uſque ad univerſale Concilium ſilentio, adversùs tria illa Capitula publicè appendi juſſit edictum: quod, nec rogante per ſuos Vigilio, revocare voluit; immò & præter minas, vim quoque adhibuit, ſuis mandans ſatellitibus, ut in ipſum Vigilium manus injiciant: qui horum omnium conſcius, in fugam ſpem omnem poſuit, atque ex Placidiana Domo, ubi degebat, confugit ad ibi proximè junctam Eccleſiam ſancti Petri, prout refert idem Vigilius in Epiſtola Encyclica datâ ad univerſam Eccleſiam, infra recitanda.

77 Ex hoc verò arrogantior factus Theodorus Cæſarienſis, omnium, ut prædiximus, auctor malorum, potentiâ factus impudens eò audaciæ progreſſus eſt, ut Zoilum Patriarcham Alexandrinum, quod inhærens olim Vigilio, tria illa Capitula ab Imperatore promulgata damnare renuiſſet, ſuâ ſponte; nullâ Synodo congregatâ vel aliquo ordine judiciali ſervato, veluti ſi primarius ipſe ſolus toti orbi præſideret Antiſtes, in ordinem redigens Sede privavit, & tanquam hæretici hominis ex ſacris Diptycis ejus nomen expunxerit, inque locum ipſius Succeſſorem ſubrogavit Apollinarem. Indicat hoc idem Liberatus in Breviario cap. 23. per hæc verba: *Et auferentes Paulo pallium, depoſuerunt eum, & ordinaverunt pro illo Zoilum, quem poſtea Imperator depoſuit, & Apollinarem ordinavit, qui nunc eſt Præſul Alexandrinæ Eccleſiæ.* Dicit ab Imperatore depoſitum, quoniam Imperatoris auctoritate, ut deponeretur, uſus fuerat Theodorus. Ob hæc itaque Theodori ſcelera Vigilius Dei zelo ſuccenſus, infracto animi robore, non ſui oblitus miniſterii, etſi in terra aliena, quin & in Regia adverſarii Principis, ac potentis Imperatoris Civitate, Apoſtolico verè ſpiritu, convocatis quos potuit Latinis Epiſcopis, in eadem Eccleſia Sancti Petri, ad quam, ut præfati ſumus, confugerat, ſententiam excommunicationis, atque depoſitionis in ipſum Theodorum, aliarumque pœnarum in complices, his verbis, pronunciavit.

Vigilius Epiſcopus Sanctæ Eccleſiæ Catholicæ Urbis Romæ dixit.

78 „ Res eſt quidem Divinæ conveniens „ juſſioni, patientiam præbere peccantibus, „ quam non tamen adusque decet oſtendi, ut „ ſpe continuæ impunitatis jugiter ſine cor- „ reptione peccetur. Quoniam igitur tu „ Theodore Cæſareæ Cappadociæ Civitatis „ Epiſcope, qui hactenus ab ordinationis tuæ „ tempore, unius anni ſpatio in Eccleſia, „ cujus gubernacula ſuſceperas, non paſſus „ es reſidere, ſed auctoritate nominis Epi- „ ſcopalis abuſus, univerſalis Eccleſiæ ſcan- „ dala generare non ceſſas; & à nobis modò „ familiariter objurgatus, nonnunquam ve- „ rò fraternâ increpatione correptus, ſæpè „ etiam Divinarum Scripturarum auctorita- „ te commonitus, vel Eccleſiaſticæ conſue- „ tudinis convictus exemplis, ſemper emen- „ dationem ſermone promittens, quam fa- „ ctis nequiſſimis reſpuebas, nunquam à pra- „ va intentione ceſſaſti.

79 „ Nos verò longanimitatem noſtram, „ Divinâ largitate conceſſam, tàm circa te, „ quàm circa ſeductos abs te, penè hoc quin- „ quennio elapſo monſtravimus. Primùm „ quidem in eo, quòd pro ſcandalo refrenan- „ do condeſcendentes quorundam animis, „ quos aliquâ diſpenſatione credimus tem- „ perandos, quia tu jam eos pluribus annis „ inquietiſſimus ſtimulator accenderas, quæ- „ dam pro tempore medicinaliter exiſtima- „ vimus ordinanda; tali ſcilicet conditione, „ ut omni impoſterùm perturbatione ſopitâ, „ nihil ultra nec verbo, nec literis quiſquam „ facere ex eadem cauſa præſumeret. Ac tu „ pravæ conſuetudinis tractus audaciâ, ne- „ que tunc ceſſare à conſcribendis, vel præ- „ dicandis novitatibus voluiſti, itaut ſæpiùs „ libellis Epiſcoporum redditis, & conſen- „ ſum tuum cum eis propriâ confeſſione con- „ demnans, eorum vel tuis exceſſibus ſæpiùs „ à nobis concedi veniam poſtulaſſes.

80 „ Poſt hæc autem, cùm te à præſum- „ ptione ſolita nec pudor humanæ verecun- „ diæ, nec Sacerdotii pondus, nec timor „ Divini Judicii cohiberet, dùm ampliùs, „ quàm juſtum fuerat, patientiam tuis facinoribus præberemus; ad hoc eſt cauſa per- „ ducta, quatenùs ſemotis omnibus, quæ „ de trium Capitulorum quibuslibet dicto, „ ſcriptovè fuerant ordinata, quid de ipſa re „ facto opus eſſet, cùm Africanarum, Illy- „ ricianarum, ſeu Galliarum partium con- „ gregata Synodo tractaremus, eorum ma- „ ximè præſentiam requirentes, quorum fue- „ rat ſcandalizata fraternitas. Illud quoque „ magnoperè nobis cum clementiſſimo Prin- „ cipe, præſentibus etiam Menna Conſtan- „ tinopolitanæ Civitatis, & Dacio Mediola- „ nenſis Urbis Antiſtite; aliiſque tàm Græ- „ cis, quàm Latinis Epiſcopis, cum quibus „ omnibus etiam tu Theodore pariter adfui- „ ſti, necnon & præſentibus Judicibus atque „ Proceribus, univerſoque Senatu convenit, „ nè uſque ad memoratam Concilii diffini- „ tionem quidquam de præfatis tribus Capi- „ tulis ab aliquo fieri intentaretur.

81 „ Ac deinde tuis ex conſuetudine in- „ citamentis liber condemnationem Capitu- „ lorum ipſorum continens, in Palatio, te

aſſiſten-

„ aſſiſtente & inſtruente, coram quibuſdam „ Græcis Epiſcopis eſt relectus, à quibus aſ- „ ſentationum favorem tuis vocibus exige- „ bas. Ex quo facto tàm tu, quàm tibi con- „ ſentientes Epiſcopi, mitiùs licèt à nobis „ quàm oportuit increpati, ad promerendam „ fictâ ſatisfactione veniam,convolaſtis. Quis „ autem commemorare ſufficiat quæ, te in- „ citante atque exequente, mala commiſſa „ ſunt? Nam, ut de magnis exceſſibus tuis „ parva narremus, totius ſcandali incita- „ mentum fuiſti atque ſeditio; qui domi tuæ „ ſedens, antiquarios pretio caro conducens, „ ea quæ juratâ voce te non eſſe facturum „ uſque ad conſtitutum tempus frequentiùs „ firmaveras, conſcripſiſti: & ſub prætextu „ Religionis, ea quæ Dei Eccleſiam divide- „ rent, ſicut etiam rebus ipſis agnoſcitur, „ perpetraſti. Nam uſque ad hoc animum „ chriſtianiſſimi Principis falſis ſuggeſtioni- „ bus perduxiſti, ut Clementia ejus, quæ in „ ſuis hoſtibus pia ſemper apparuit, contra „ nos graviter moveretur.

82 „ Sed hæc omnia bona deſideria no- „ ſtra, quæ pro pace Eccleſiæ proculdubiò „ militabant, ità animus tuus quietis impa- „ tiens diſſipavit, ut illa, quæ fraternâ colla- „ tione & tranquilla Epiſcoporum fuerant „ reſervanda judicio, ſubitò contra Eccle- „ ſiaſticum morem & contra paternas tradi- „ tiones, contràque omnem auctoritatem „ Evangelicæ, Apoſtolicæque doctrinæ, edi- „ ctis propoſitis, ſecundùm tuum damnaren- „ tur arbitrium, dùm fidelium nullus igno- „ ret, per quos Dominus ac Deus noſter „ doctrinis cœleſtibus plebem ſuam juſſerit „ erudiri, vel quibus ligandi, ſolvendique „ ſuper terram dederit poteſtatem. Deinde „ in Domo Placidiana cum Græcarum vel „ Latinarum partium Epiſcopis, qui in Urbe „ Regia aderant, & Presbyteris ac Diaconi- „ bus Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ conve- „ niſti; ibique ſub magnæ vociferationis con- „ teſtatione, tàm nos, quàm frater noſter „ Mediolanenſis Epiſcopus prohibuimus, nè „ aliquis veſtrùm prævaricationi communis „ conſtituti,contemptâ fraternitate,præberet „ aſſenſum.

83 „ Tu autem, Sedis Apoſtolicæ inter- „ dicentis per nos auctoritate deſpectâ, ad „ Eccleſiam, in qua edicta ipſa pendebant, „ reliquos tecum attrahens, perrexiſti, ibi- „ que, aliis adjectis prævaricationibus, Miſ- „ ſarum ſolemnia celebraſti; & quaſi nihil „ tibi eſſet primæ Sedis Antiſtitem præſen- „ tem & contradicentem contempſiſſe, Pon- „ tificem etiam Alexandrinæ Eccleſiæ Sacer- „ dotem fratrem noſtrum Zoilum, cujus no- „ men uſque ad memoratum diem communi- „ catum vobis fuerat, Diptycis eximentes, „ Apollinarem quemdam perverſorem, atque „ Eccleſiæ ipſius adulterum vobis ſociaſtis, „ ut veſtra iniquitas non ſolùm in removen- „ do ſimpliciſſimo Sacerdote, ſed etiam in „ recipiendo pateſieret perverſore. Retice- „ mus interim alia, quæ eodem die à vobis „ in Apoſtolicæ Sedis & Canonum perpetra- „ ta probantur injuriam, nè detenti enume- „ ratione culparum, quarum inventor oſten- „ deris, quod tibi competit, diutiùs diffe- „ ramus.

84 „ Et licèt ante triginta dies pro me- „ moratis exceſſibus veſtris ab Apoſtolicæ „ vos communionis removiſſemus conſortio, „ credentes, quòd ſacerdotali propoſito faci- „ liùs, quæ mala geſta fuerant, ſatisfactione „ congruâ curaretis; ideòque ex perſona & „ auctoritate Beati Petri Apoſtoli, cujus, li- „ cèt exigui, nos locum gerimus, cum Da- „ cio Mediolanenſi, Joanne Marſicano, Za- „ chæo Squillaceno, Valentino Sylvæ Can- „ didæ, Florentio Matellicatenſi, Juliano „ Signino, Romulo Numenatenſi, Domini- „ co de Calliopoli, Primaſio Adrumentino, „ Verecundo Lunenſi, Stephano Ariminenſi, „ Paſchaſio Aletrino, atque Jordane Corto- „ nenſi, fratribus & Coepiſcopis noſtris, ac „ Theodorum Cæſareæ Civitatis quondam „ Epiſcopum, ſententiæ promulgatione, tàm „ ſacerdotali honore, & communione catho- „ licâ, quàm omni officio Epiſcopali, ſeu po- „ teſtate ſpoliatum eſſe decernimus; nullis te „ vacare ulteriùs rebus, niſi pœnitentiæ la- „ crymis cenſentes, quibus perceptâ remiſ- „ ſione culparum, locum, communionem- „ que tuam,aut à me, aut poſt obitum meum „ à ſucceſſore meo (ſi merueris) indulgentiæ „ recipias.

85 „ Teque Mennam Conſtantinopoli- „ tanæ Civitatis Epiſcopum, qui non diſſi- „ mili culpâ conſtringeris, cum omnibus „ Metropolitanis & Micropolitanis Epiſco- „ pis ad tuam Diœceſim pertinentibus, ſed „ & tuos Orientales, vel diverſarum Provin- „ ciarum majorum, minorumque Civitatum „ Epiſcopos, qui his exceſſibus, pro quibus „ Theodorum Cæſareæ Cappadociæ quon- „ dam Epiſcopum condemnavimus, præbui- „ ſtis aſſenſum, humaniore ſententiâ, pro Dei „ conſideratione, tamdiù à ſacra communio- „ ne ſuſpendimus, donec unuſquiſque ve- „ ſtrùm, errorem ſuæ prævaricationis agno- „ ſcens, culpam apud nos propriam, com- „ petenti ſatisfactione diluerit. *Subſcriptio.* „ Deo juvante & ipſius gratiâ, Vigilius Epi- „ ſcopus Sanctæ Eccleſiæ Catholicæ Urbis „ Romæ huic damnationi atque excommu- „ nicationi Theodori Cæſareæ Cappadociæ, „ & huic communicantis Mennæ Conſtanti- „ nopolitanæ Urbis Epiſcopi, vel aliorum „ Præfectorum, ſubſcripſi. Dat. XIX. Kalend. „ Septembris, imperante Domino Juſtinia- „ no perpetuo Auguſto, Anno XXV. poſt „ Conſulatum Baſilii viri clariſſimi, An. IX. „ *Hactenus Theodori damnatio.*

86 Verùm hujus damnationis chartam

ſtatim proferre noluit Vigilius, ſperans, Imperatorem ad cor reverſum, Divini Judicii conſideratione, geſta priora revocaturum, deditque illam cuidam pio & chriſtiano viro conſervandam, hac adjectâ cautelâ, ut ſi hi, qui exceſſerant, nullo modo corrigere voluiſſent, aut ſi ipſi vis aliqua irrogaretur, vel fortè contingeret ex hac luce migrare, mox eam in celeberrimis locis affigeret, quatenùs ejus notitia Chriſtianis omnibus patefacta ſervaretur impoſterùm. Cùmque poſtea conſpiceret Vigilius ſe in Eccleſia Sancti Petri, ubi à ſatellitibus Imperatoris vim jam paſſus fuerat, alapamque à quodam ex illis acceperat, tutum non eſſe, trans Mare quæſivit effugium, & in Baſilicam Sanctæ Euphemiæ apud Chalcedonem habitare diſpoſuit.

87 At ubi Juſtinianus Imperator accepit, Vigilium juſto metu perculſum è Petri Baſilica confugiſſe Chalcedonem, & in Eccleſia Euphemiæ Martyris cum ſuis degere, inſuper & corporis malâ valetudine laborare: facti pœnitens, miſſâ Legatione, in priſtinum domicilium revocare curavit, adjecto Sacramento pro illius ſecuritate. Sed Vigilius inde egredi nullatenùs conſenſit, neque juramento Legati fidem adhibere voluit, niſi priùs ea, quæ contra ipſius voluntatem de tribus Capitulis Imperator appendiſſet edicta, idem protinùs revocaret, & penitùs aboleret. Hæc quidem & alia habentur in Encyclica Epiſtola, quam fecit Vigilius ad univerſos Chriſtifideles, ut univerſæ Eccleſiæ quæ geſta eſſent, innoteſcerent, nè quidquam calumnioſum adversùm Pontificiam dignitatem à ſchiſmaticis fortè evulgatum, mentes præoccuparet fidelium. Sunt ergò literæ tenoris ſequentis.

Vigilius Epiſcopus Eccleſiæ Catholicæ univerſo Populo Dei.

88 „ Dùm in Sanctæ Euphemiæ Baſilica „ gravi laborantes ægritudine detineremur, „ piiſſimus atque clementiſſimus Imperator „ Dominico die, ideſt Kalendis Februarii, „ glorioſos Judices ſuos ad nos deſtinare dignatus eſt, ideſt Belliſarium & Cethegum „ Exconſules atque Patritios, necnon Petrum Exconſulem Patritium atque Magiſtrum, ſed & Juſtinum Exconſulem & curapalatii, & Marcellinum Quæſtorem, qui „ nobis dicerent, ut Sacramenta percipere „ deberemus, & de Sanctæ Euphemiæ Eccleſia ad Civitatem Regiam remeare. Quibus tale dedimus, Deo adjuvante, reſponſum dicentes: Nos quidem in hanc Baſilicam pro nulla pecuniaria, vel privata cauſa confugimus, ſed pro Eccleſiæ tantùm „ ſcandalo, quod jam in toto Mundo pro „ peccatis innotuit. Et ideò ſi cauſa Eccleſiæ ordinatur, ut pacem ejus, quam „ avunculi ſui piiſſimus Princeps fecit temporibus, & modò reſtituat, ego Sacramentis opus non habeo, ſed ſtatim egredior. Si autem cauſa Eccleſiæ finita non „ fuerit, item Sacramentis opus non habeo, „ quia nunquam de Sanctæ Euphemiæ Baſilica exire diſpono, niſi ſcandalum ab Eccleſia Dei fuerit amputatum.

89 „ Nam poſteaquàm edicta ſua piiſſimus Princeps juſſit appendi, omnibus „ Epiſcopis diverſarum partium, ſed & Preſbyteris atque Diaconibus, necnon & Clericis Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ ad nos „ venientibus, in Placidiana Domo, antequàm ad Sancti Petri confugeramus Baſilicam, facie ad faciem ita locuti ſumus. Rogate piiſſimum Principem, ut edicta ſua, „ quæ præcepit appendi, removere dignetur, „ & conſtitutum commune debeat expectare, „ ideſt, ut ſcandalizati Epiſcopi Latinæ Linguæ, aut ad Synodum veniant, aut certè, „ remotâ omni violentiâ, ſuas ſcripto declarent ſententias. Quòd ſi fortè preces „ veſtras audire nolverit, vos nulli rei præbeatis aſſenſum, quæ ad diviſionem tendit „ Eccleſiæ; nec contra conſtitutum commi- „ natione aliquâ veniatis. Quia ſi hoc forſitan, quod non credimus, feceritis, noveritis vos ex præſenti die, ut prevaricatores „ à Beati Apoſtoli Petri Sede per miniſterium vocis meæ communione ſuſpenſos.

90 „ Et quoniam his actis non ſolùm ea, „ quæ commiſſa fuerant nullo modo ſunt correcta, ſed etiam ex aliis cauſis die ipſo, „ in præjudicium regularum Ecceſiaſticarum, vel injuriam Sedis Apoſtolicæ, pejora præſumpta ſunt, nec ulteriùs eos communionis noſtræ permiſimus eſſe participes, „ nec aſpectus eorum, poſt tot prevaricationes, noſtri oculi receperunt. Ea enim, quæ „ verbo de memorata excommunicatione „ cunctis Epiſcopis, Presbyteris & Diaconibus, aliiſque Clericis Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ voce publicâ dixeramus, poſtea etiam die XIX. Kalendarum Septembrium nuper præteritarum, in Beati Petri „ Baſilica in Orſmida ſcripto firmavimus, in „ quo etiam Theodorum Cæſarienſem, qui „ ſub habitu Epiſcopali, lupus rapax Dominico gregi ſemper tetendit inſidias, & aſſumens totius Ducatum ſcandali, univerſalem Dei perturbavit, ac perturbat Eccleſiam, de Epiſcopatus ordine deponentes „ damnavimus: alios verò, qui ſuperiùs memorati ſunt, à communione ſuſpendimus. „ Sed ob hoc hactenùs paginam ipſius damnationis proferre noluimus, quoniam & „ clementiſſimum Principem pro tali ac tanto „ ſcandalo, ea quæ facta ſunt, Divini conſideratione judicii, revocare confidimus, & „ prædictis omnibus oportebat nos ſpatium „ pœnitentiæ reſervare, imitantes Beatum Petrum, cujus Sedem tenemus, etſi immeriti.

91 Char-

91 „ Chartam verò ipſam excommunicationis atque damnationis cuidam Chriſtianæ perſonæ tradidimus conſervandam, ut ſi forſitan hi qui exceſſerant, nullo modo corrigere voluiſſent, aut ſi nobis vis aliqua irrogaretur, ſive quælibet inquietitudo fieret, vel certè humanâ ſorte tranſitus de hac luce contingeret, mox eam in celeberrimis locis proponeret, quatenùs ejus notitia chriſtianis omnibus patefacta ſervaretur in poſterum. Dùm hæc autem præfatis Judicibus diceremus, rogavimus & conjuravimus eos, invocato omnipotentis Dei judicio, ut clementiſſimo Imperatori hoc quoque ex nomine noſtro ſuggererent, quia illis, qui à nobis excommunicati ſunt, in quibus & is, quem prædiximus, eſt, communicare non debet, nè grave, quod abſit, peccatum incurrat. Iis ita ſe habentibus, per magnificum virum Petrum Referendarium, die pridie Kalendas Februarias, quædam Charta nobis eſt allata, quam à clementiſſimo Principe nullo modo credidimus deſtinatam, quia nec fuerat pietatis ejus manu ſubſcripta. Et dùm memorato Referendario diceremus, ut in ea ſubſcriberet, diemque quo ab ipſo fuerat allata, pariter deſignaret, omninò refugit hoc facere: quæ res ſuſpicionem noſtram, quia charta ipſa à piiſſimo Principe neſciretur, apertè firmavit, tantis enim à veritate ſepoſitis rebus atque injuriis probatur eſſe pleniſſima, ut hanc Imperialis oris nunquam credatur manſuetudo dictaſſe: maximè contra illius primi Apoſtolorum Vicarium, cujus olim reverentiæ ſe frequentibus ſcriptis profeſſus eſt debitorem.

92 „ Memorata autem charta, licèt per ſe nullas vires obtineat, tamen contra eam ad ſingula, Deo juvante, veraciter atque ſimpliciter reſpondetur: quatenùs ejus falſitas, quæ ſapientibus viris ſemper eſt odioſa, à cunctorum animis pleniùs excludatur. Nunc autem omnibus hominibus hoc quoque curavimus indicandum, quoniam nos ad Sanctæ Euphemiæ Baſilicam ſub magno timore atque anxietate diſceſſimus. Nàm cùm ad Beati Petri Baſilicam in Orſinida fundatam Auguſto menſe nuper præterito fugiſſemus, nullum latère confidimus, quia cùm in eadem Eccleſia à comitatu Prætoris, cum multitudine armatorum militum veniente tanquam ad bellum inſtructâ acie, à ſancto ejus Altare tracti pedibus traheremur, tenuimus, & ſuper nos etiam ipſa Altaris menſa reciderat, niſi Clericorum noſtrorum fuiſſet manibus ſuſtentata.

93 „ Poſtea verò dùm nobis dicitur, quod exinde, niſi ſacramenta voluiſſemus accipere, ſub omni violentia traheremur, memorati Judices à piiſſimo Imperatore directi voluiſſent nobis ſacramenta præſtare, indiculum dedimus, per quod dari perſonæ noſtræ ſcripto petivimus jusjurandum, quod clementiſſimus Princeps non quale nos voluimus præberi, conceſſit, ſed quale ipſi placuit per Judices ſuos dandum eſſe dictavit. Et dùm ſupradicti Judices, poſito indiculo ſuper Altare, & cataracta Beati Petri Apoſtoli, & ſuper crucem, quæ de ligno paſſionis Domini habet incluſum, ſed & ſuper Claves Beati Petri Apoſtoli præſtitiſſent corporale jusjurandum, ad Placidianas, tanquam nihil mali ulteriùs patientes, ſecundùm piiſſimi Principis redivimus voluntatem. In qua dùm multa mala intollerabilia ſæpiùs pateremur, quæ jam omnibus nota eſſe confidimus, prædictos Judices tàm verbo, dùm ad nos ſæpiùs à clementiſſimo fuiſſent Principe deſtinati, quàm etiam ſcriptis ſemel, ſecundò, & tertiò credimus conteſtandos, ut ſacramenta, quæ dederant, conſervarent, & piiſſimo Imperatori ſuggererent, quatenùs nullas inquietudines aut moleſtias, ſicut nobis juratum fuerat, pateremur.

94 „ Dùmque nihil noſtra toties vel verbo vel ſcripto conteſtatio profeciſſet, ſed diebus ſingulis pejora etiam pateremur, ante biduum Natalis Domini per nos ipſos agnovimus, & auribus noſtris audivimus, quia per ſingulos memoratæ Domus cuſtodiremur ingreſſus, itaut illi, qui nobis ponebant inſidias, à noſtris hominibus plurimis viderentur, & eorum clamores in cubiculo, ubi manebamus, nocte qua diſceſſimus, audiremus. Quo facto, cùm ſub gravi deſperatione nocturnis horis maximè & pavoris ægritudine teneremur, diffugimus, ſicut locus ille poterit cunctis hominibus indicare. Nàm ſi circumſpiciatur quale quantumque diſcrimen metu faciente deſpeximus, ut per parvam maceriem fabricantium tranſire compediti dolore nimio in nocturna obſcuritate poſiti cogeremur, tunc poterit evidenter agnoſci, quanta nobis fuerit temporis pro ſola Eccleſiæ cauſa neceſſitas, aut quanta cuſtodia, quæ nos ſub tali diſcrimine coegit diſcedere. *Hæc in prælibata Epiſtola, quoad ſuam fugam.*

95 Deinde nè quis de ejus fide quidquam mali in vulgus diſpergeret, quod poſſet piorum atque fidelium preoccupare mentes, quaſi non rectè de Religione ſentiret, ſubnectit ſuæ fidei profeſſionem, ad cujus calcem anathema dicit Arrio, Macedonio, Eunomio, ſuiſque dogmatibus, atque omnibus, qui errori eorum conſenſerunt. Item & anathematizat Paulum Samoſatenum, Photinum, Bonoſum & Neſtorium cum nefariis doctrinis ſuis, & quotquot eorum blaſphemiis præbuerunt aliquandò conſenſum; Valentinum quoque Manichæum, Apollinarem, Eutychen, atque Dioſcorum unà cum ſuis ſcriptis prædicatio-

nibus, & fautoribus, ſive ſectatoribus, eidem anathemati ſubjicit, omneſque pariter hæreticos, licèt non nominatos, quos conſtabat in ſuis erroribus conſtitutos deceſſiſſe. Ac inde geſtarum ſeriem rerum enarrandarum reaſſumit, inquiens,

96 „ Et quoniam nullus Chriſtianorum „ uſque ad præſentem diem geſtarum rerum „ incertam debet habere notitiam, etiam „ quæ poſt tantæ relationis ſupplementum „ facta ſunt, ſimili ratione narramus. Dùm „ heſternâ die, ideſt Dominicorum, quæ fuit „ pridie Nonas Februarias, magnificus vir „ Petrus Referendarius ad nos cum mandatis clementiſſimi Principis remeaſſet, dicens: Quandò vultis ut veniant Judices „ & vobis præbeant Sacramenta, quatenùs „ de hac, in qua reſidetis Eccleſia, egredi debeatis, & ſecuri vel Regiam Civitatem remeare? Ita ei publicâ voce reſpondimus; „ Et per glorioſos Judices Palatii, ſicut præfati ſumus, cum quibus & tua magnitudo „ ad Sanctam Euphemiam venerat, quæ ſuperiùs ſunt dicta, mandavimus, & nunc per „ te denuò clementiſſimo Principi hæc dicicimus ſuggerenda. Nos ad pietatem tuam „ feſtinantes, ante ſeptem annos de Civitate „ noſtra ſic egreſſi ſumus, ut nulla haberemus privata negotia; nunc quoque ſuggerimus & rogamus pro pace, quam per pietatem tuam pridem Deus donavit Eccleſiæ, „ ut eam nullorum hominum turbari ampliùs „ inſinuatione permittas; nec auctorem totius ſcandali Theodorum ultra vexare „ fidem catholicam patiaris; quoniam ante „ ſex menſes à nobis inter alios communione ſacrâ privatus eſt, & ab Epiſcopatu pro „ ſua pravitate depoſitus, per eam videlicet „ paginam, quam adhùc pro manſuetudinis „ veſtræ intuitu, & ſpe converſionis ejus, „ ſicut dictum eſt, publicè proferre diſtulimus.

97 „ Illud enim pari modo per magnitudinem tuam ejus auribus intimamus, „ quia de cauſa Eccleſiæ per te nullum poſſumus dare reſponſum, ob hoc, quòd quædam, quæ tibi dicimus nuncianda ejus clementiæ, profiteris te non poſſe ſuggerere. „ Et ideò ſi directis duobus Judicibus, quorum nomina tibi in præſenti prodidimus, „ Sacramenta præſtare dignetur, ut poſt hæc „ ſine metu periculi fratrem noſtrum Dacium Epiſcopum Mediolanenſis Eccleſiæ, „ vel alios, quos cum eo tranſmiſerimus, loco noſtro ſuſcipiat, parati ſumus dirigere, „ ut per eos de Eccleſiaſtica cauſa quæcumque mandamus, veraciter innoteſcat. Siquidem Eccleſiæ cauſâ nulla Sacramenta „ nobis dari depoſcimus; ſed mox pro gratiarum actione ejus occurrimus pietati, „ quia nihil aliud eſt, quod præter ſcandalum nos, Deo adjuvante, perterreat, undè „ ampliùs in Sanctæ Euphemiæ Baſilica ſedeamus. Supplicamus etiam Deo noſtro, „ & precibus indefeſſis optamus, ut per eum, „ ſublata diſſenſione, pax, quam piæ memoriæ avunculi ſui fecit ipſe temporibus, reparetur Eccleſiæ. Nam ſi ulla provenerit „ ultra dilatio, nos neceſſe eſt cauſam modis „ omnibus definire; quia neque proximos, „ neque alios parentes, aut quamlibet ſubſtantiam animæ noſtræ, vel piiſſimi Principis opinione præponimus. Data nonis „ Februarii, imperante Domino Juſtiniano perpetuo Auguſto, Anno xxv. poſt „ Conſulatum Baſilii viri clariſſimi, Anno X. *Hactenus Epiſtola Encyclica Vigilii*.

98 Poſt hæc, in prælibata videlicet Epiſtola recenſita, Imperator, tactus timore Dei, in ſe reverſus ab inſtituto deſtitit, & appenſa antea de tribus Capitulis tolli juſſit edicta, & ex ſententia Vigilii Papæ, quod fecerat abrogavit; atque quod idem Pontifex poſtularat, cuncta in generali Concilio agitanda reſervavit. Theodorus quoque malorum omnium auctor pœnitens & humilis libellum ſupplicem Pontifici obtulit, quo & rectam fidem profeſſus eſt, & quatuor ſacroſancta Concilia œcumenica comprobavit, atque controverſiam de tribus Capitulis à ſe excitatam ad deciſionem Concilii & ipſe diſtulit, petens veniam de injuriis & contumeliis Pontifici innocenti objectis; id quod præſtiterunt Mennas Epiſcopus Conſtantinopolitanus, Andreas Epiſcopus Epheſinus, Theodorus Antiochiæ Piſidiæ Epiſcopus, Petrus Tarſenſis Epiſcopus, pluresque alii, ut liquet ex conſtituto Vigilii de tribus Capitulis oblato Juſtiniano Imperatori, ubi & prælibatus fidei libellus, exhibitus à Theodoro Menna, cæteriſque recenſitis Epiſcopis eidem Vigilio, continetur inſertus, qui ita ſe habet,

99 „ Omnes quidem fideles, maximè verò Dei Sacerdotes, pacem & ſanctificationem ſequi cum omnibus oportet, ſine quibus nemo, ſecundùm Apoſtolum, videbit „ Dominum. Nos igitur Apoſtolicam ſequentes doctrinam, & feſtinantes Eccleſiaſticam concordiam ſervare, ſequentem facimus libellum. In primis quatuor ſanctas „ Synodos, Nicænam trecentorum decem & „ octo, Conſtantinopolitanam centum quinquaginta, Epheſinam primam ducentorum, „ in qua in Legatis ſuis atque Vicariis, ideſt „ Beatiſſimo Cyrillo Alexandrinæ Urbis Epiſcopo, Arcadio & Projecto Epiſcopis, & „ Philippo Presbytero, Beatiſſimus Cœleſtinus Papa ſenioris Romæ noſcitur præſediſſe. Et per omnia & in omnibus quæcumque in omnibus geſtis Chalcedonenſis „ Concilii, aliarumque prædictarum Synodorum, ſicut in iiſdem quatuor Synodis „ ſcriptum invenitur, communi conſenſu „ cum Legatis atque Vicariis Sedis Apoſtolicæ, in quibus juxta tempora ſua prædeceſſores Sanctitatis veſtræ Beatiſſimi Papæ ſenio-

„ ſenioris Romæ, ipſis Synodis præſiderunt, „ tàm de fide, quàm de aliis omnibus cauſis, „ judiciis, conſtitutionibus, aut diſpoſitio- „ nibus definita aut judicata, vel conſtituta, „ ſive diſpoſita ſunt, inconcuſsè, inviolabi- „ liter, irreprehenſibiliter, atque irretracta- „ biliter, ſine adjectione, vel imminutione „ aliquâ nos promittimus ſecuturos, nec „ quidquam contrarium, quod ad earum re- „ prehenſionem & retractationem, vel per- „ mutationem, ſive injuriam ſub qualibet oc- „ caſione vel novitate pertineat, admiſſuros, „ aut tale aliquid præſumentibus conſenſu- „ ros, ſed quæcumque communi conſenſu „ cum Legatis atque Vicariis Sedis Apoſto- „ licæ orthodoxæ ibidem dicta ſunt, ea or- „ thodoxa veneramur atque ſuſcipimus.

100 „ Quæcumque anathematizaverunt „ vel damnaverunt, anathematizamus & nos, „ atque damnamus, & univerſa, ſicut ab iiſ- „ dem Synodis communi conſenſu cum Vi- „ cariis Sedis Apoſtolicæ judicata aut de- „ finita, vel conſtituta ſive diſpoſita lecta in- „ veniuntur, irretractabiliter atque imper- „ mutabiliter conſervamus. Sed & beatæ re- „ cordationis Papæ Leonis Epiſtolas, & Se- „ dis Apoſtolicæ conſtituta, quæ tàm de fide, „ quàm de firmitate prædictarum quatuor „ Synodorum proceſſerunt, nos in omnibus „ ſecuturos, ſervaturoſque promittimus. „ Anathematizantes omnem hominem ad or- „ dines & dignitates Eccleſiaſticas pertinen- „ tem, quicumque contra ea, quæ ſuperiùs „ promiſimus, ſub qualibet occaſione vel al- „ tercatione venire tentaverit. Libellum au- „ tem in cauſa trium Capitulorum, de qui- „ bus quæſtio nata eſt, contra conſtitutum „ piiſſimi Principis & Beatitudinis veſtræ, „ ego quidem nullum feci, ſed volo atque „ conſentio, ut omnes libelli, qui facti ſunt „ ſub hac forma, Beatitudini veſtræ reddan- „ tur. De injuriis autem, quæcumque Bea- „ titudini vel Sedi veſtræ factæ ſunt, eas qui- „ dem non feci; ſed quia pro pace Eccleſiæ „ modis eſt omnibus feſtinandum, velut ſi „ eas feciſſem, veniam poſtulo. Quia verò „ tempore diſcordiæ excommunicatos vel „ non receptos à Beatitudine veſtra in com- „ munionem ſuſcepi, pariter veniam poſtu- „ lo. *Hactenus Libellus* Mennæ, Theodori, & aliorum ſuprarecenſitorum Epiſcoporum, qui & ei ſe ſubſcripſerunt.

101 Hac ſtante fidei emiſsâ profeſſione, tùm Theodorus, tùm Menna abſoluti à cenſuris, in communionem recepti fuerunt Anno Dñi DLII., Imperii Juſtiniani Anno XXVI., Pontificatus Vigilii XIII., poſt Conſulatum Baſilii XI., Belli Gothici Anno XVII., Regni verò Totilæ Gothorum Regis Anno XI. Quibus peractis, Menna Epiſcopus Conſtantinopolitanus in communione Apoſtolicæ Sedis ex hac vita migravit, cùm ſediſſet Annos XVI., cujus loco non ſine cœlitùs emiſſis prodigiis, ut Euſtathius apud Surium to. 2. ad diem 6. Aprilis enarrat, ſubſtitutus fuit Eutychius Monachus, ordinatus Epiſcopus Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, qui ab initio ſuæ ordinationis, fidei profeſſionem, more majorum, Vigilio Romano Pontifici, iis verbis conceptam exhibuit,

Sanctiſſimo & Beatiſſimo Domino, & Conſacerdoti Vigilio, Eutychius.

102 „ Scientes quantorum bonorum cau- „ ſa eſt pax Dei, cuſtodiens corda & ſenſus „ fidelium, & colligens eos, ut unum idem- „ que ſapiant in recta fidei confeſſione, & ad „ perficienda Divina mandata, & propitium „ Deum faciens in his, quæ recta ſunt, con- „ cordantibus: ideò feſtinantes unitatem „ conſervare ad Apoſtolicam Sedem veſtræ „ Beatitudinis, manifeſtum facimus, quod „ nos ſemper & ſervavimus & ſervamus fidem „ ab initio traditam à Magno Deo & Salva- „ tore noſtro Jeſu Chriſto Sanctis Apoſtolis, „ & ab illis in omni Mundo prædicatam, & „ à Sanctis Patribus explanatam, & maximè „ ab his, qui in ſanctis quatuor Synodis con- „ gregati ſunt, quos per omnia & in omni- „ bus amplectimur & ſuſcipimus, ideſt tre- „ centos decem & octo ſanctos Patres, qui „ Nicææ congregati ſunt, & ſanctum Sym- „ bolum, ſive mathema fidei expoſuerunt, „ & Arianam impietatem anathematizave- „ runt, & eos qui ſimilia eis ſapuerunt vel „ ſapiunt.

103 „ Suſcipimus autem & centum quin- „ quaginta ſanctos Patres Conſtantinopoli „ congregatos, qui idem ſanctum Mathema „ explicaverunt, & de Deitate Sancti Spiri- „ tus dilucidaverunt, & hæreſim Macedo- „ nianam Sanctum Spiritum impugnantem, „ & impium Apollinarium condemnaverunt „ cum his qui ſimilia illis ſapuerunt & ſa- „ piunt. Suſcipimus autem & ſanctos du- „ centos Patres in Epheſina prima Synodo „ congregatos, qui per omnia ſecuti ſunt „ idem ſanctum Symbolum ſive Mathema, & „ condemnaverunt Neſtorium impium & im- „ pia ejus dogmata, & eos qui ſimilia ei ali- „ quandò ſapuerunt vel ſapiunt. Ad hæc au- „ tem ſuſcipimus & ſexcentos triginta ſan- „ ctos Patres Chalcedone congregatos, qui „ etiam ipſi per omnia conſenſerunt prædi- „ ctis tribus Synodis, & ſecuti ſunt prædi- „ ctum Symbolum ſive Mathema à trecentis „ decem & octo ſanctis Patribus expoſitum, „ & à centum quinquaginta ſanctis Patribus „ explanatum, & anathematizaverunt eos, „ qui aliud præter prædictum Symbolum „ præſumunt docere aut exponere, aut tra- „ dere ſanctis Dei Eccleſiis. Condemnave- „ runt autem & anathematizaverunt & Eu- „ tychem & Neſtorium & impia ejus dog-

ma-

„ mata, & eos qui ſimilia eis ſapuerunt vel „ ſapiunt.

104 „ His ita ſe habentibus, certum facimus, quòd omnia, quæ à prædictis quatuor ſanctis Synodis judicata & definita „ ſunt, & ſervavimus & ſervamus; quia etſi „ per diverſa tempora prædictæ ſanctæ quatuor Synodi factæ ſunt, tamen unam eandemque confeſſionem fidei ſervaverunt & „ prædicaverunt. Suſcipimus autem & amplectimur & Epiſtolas Præſulum Romanæ „ Sedis Apoſtolicę, tàm aliorum, quàm Leonis ſanctæ memoriæ de recta fide ſcriptas, „ & de quatuor ſanctis Conciliis, vel uno „ eorum.

105 „ Cùm igitur prædicta omnia & ſervavimus & ſervamus, & in his nobis ipſis „ invicem conſentimus, neceſſarium eſt conferri de tribus capitulis, undè quibuſdam „ quæſtio nata eſt. Et ideò petimus, præſidente nobis veſtra Beatitudine, ſub tranquillitate & Sacerdotali manſuetudine propoſitis ſanctis Evangeliis, communi tractatu eadem capitula in medio proponenda, „ quæri & conſervari, & finem quæſtioni imponi Deo placitum & convenientem his, „ quæ à ſanctis quatuor Conciliis definita „ ſunt: quoniam ad augumentum pacis & „ concordiam Eccleſiarum pertinet, ut omni de medio diſſenſione ſublatâ, quæ à prædictis quatuor ſanctis Conciliis definita „ ſunt, inconcuſſa ſerventur, ſanctarum Synodorum reverentiâ in omnibus cuſtoditâ. „ His autem & ſubſcripſi incolumis in Domino. Ora pro nobis ſanctiſſime, & beatiſſime frater. Ego Eutychius miſericordiâ Dei Epiſcopus Conſtantinopolis novæ „ Romæ omnibus ſupraſcriptis ſubſcripſi. *Hactenus literæ profeſſionis fidei.*

106 His receptis literis, gratulatus eſt Vigilius, noſcens novum Archiepiſcopum nè dum rectè de Catholica fide ſentire, verùm & Synodum ad dirimendam de tribus capitulis controverſiam expoſcere, quemadmodùm & ipſemet in optatis habebat; quare datis ad eum literis commendat illius fidem, & poſtulatis de cogenda Synodo prò dirimenda prælibata controverſia, ſe libenter annuere profitetur. At literæ Vigilii ſic ſe habent.

Dilectiſſimo fratri Eutychio, & Epiſcopis ſub te conſtitutis, Vigilius.

107 „ *Repletum eſt gaudio os noſtrum, & lingua noſtra exultatione*, quòd diſcordiæ „ confuſione ſubmotâ, pacem Deus ſuæ reformavit Eccleſiæ, ut impleretur quod dictum eſt. *Ecce quàm bonum & quàm jucundum habitare fratres in unum*. Valdè enim „ nos in Domino exultare convenit, quòd „ charitatis veſtræ ſcripto nobis eſt oblata „ profeſſio, cujus tenor ità ſe habet: *ſcientes quantorum bonorum cauſa eſt pax Dei, cuſtodiens corda & ſenſus fidelium, & colligens „ eos, ut unum idemque ſapiant in recta fidei „ confeſſione.*

108 „ His autem & ſubſcripſimus, hujus „ profeſſionis orthodoxæ claritatem libenter „ amplexi, eadem nos per omnia & in omnibus approbantes, cuſtodituros atque inviolabiliter ſervaturos Deo noſtro profitemur auctore. Omnibus igitur, quæ profeſſio veſtra continet, in ſua perenniter firmitate durantibus, popoſcit veſtra Fraternitas, ut nobis preſidentibus, de tribus Capitulis, ex quibus quæſtio nata eſt ſub tranquillitate & Sacerdotali manſuetudine, „ ſanctis propoſitis Evangeliis conferatur, & „ finis quæſtioni ipſi Deo placitus, & conveniens iis, quæ à memoratis ſanctis quatuor „ Conciliis definita ſunt, inconcuſſa ſerventur, earundemque Synodorum reverentiâ „ in omnibus cuſtoditâ. Quam profeſſionem „ paternarum traditionum memorem & ſequacem, tàm in fraternitate veſtra, quàm „ in omnibus ſimilia confeſſis atque confitentibus, omni laude pleniſſimam judicavimus, & noſtros ex ea re verè fratres agnoſcimus.

109 „ Undè divinæ clementiæ ſupplicamus, ut omnes nos in hac confeſſione, & „ paternis traditionibus permanentes, noſtro „ digni reperiantur officio, & in die divini „ judicii nulli prævaricationi paternarum „ conſtitutionum inveniamur obnoxii. Quibus ita prædictis, poſtulationis veſtræ deſiderium cognoſcentes annuimus, ut de „ tribus Capitulis, ex quibus quæſtio nata „ eſt, facto regulari conventu, ſervatâ æquitate, mediis ſacroſanctis Evangeliis, collationem cum unitis fratribus habeatis, & „ finis detur placitus Deo, & conveniens „ his, quæ à ſanctis quatuor ſunt definita „ Conciliis; ſcientes utique, ſicut & communis profeſſionis teſtimonio declaratur, „ memoratarum Synodorum in omnibus reverentiam cuſtodiri. Deus te incolumem „ cuſtodiat, frater chariſſime. Datum VIII. „ Idus Januarias, Imperii Domini Juſtiniani „ perpetui Auguſti Anno XXVII. poſt Conſulatum Baſilii Viri clariſſimi Anno VII. *Hactenus Vigilius.*

110 Prælibata Eutychii fidei profeſſio habetur quoque inſerta in ipſo Vigilii conſtituto, ubi adnotatur oblatam fuiſſe ei Theophaniorum die: cui ſubſcripſiſſe conſtat non ſolùm Eutychium, verò & Appollinarium Epiſcopum Alexandrinum, in ea ſede confirmatum, jam vitâ functo Zoilo, item & Domnum Antiochiæ Syriæ Antiſtitem, Eliam inſuper Theſſalonicenſem Epiſcopum, atque alios complures, qui primæ fidei confeſſioni à Menna, Theodoro, & aliis ſupra recenſitis exhibitæ, minimè ſubſcripſerant: & hac de cauſa præfata Vigilii Epiſtola legitur data, nedùm Eutychio, verùm & Epiſcopis ſub eo conſtitutis. CA-

CAPUT II.

De Synodo II. Conſtantinopolitana, ſive V. Generali, in cauſa trium Capitulorum congregata.

111 His peractis urgebat Imperator, ut Synodus quantocyùs haberetur, cùmque Vigilius pro Eccleſiæ pace firmanda, minimè diſſentiret, cœptum eſt agi primùm de loco, exinde de numero Epiſcoporum. Cupiebat Vigilius Synodum in Inſula Siciliæ, vel alio aliquo Italiæ loco fieri, ubi tàm Occidentalibus, quàm Orientalibus Epiſcopis facilis eſſet acceſſus: at refragante Juſtiniano, conſenſit Vigilius, ut Conſtantinopoli celebraretur, dummodò Occidentales Epiſcopi, maximè Africani, & Illyrici vocarentur, nè excluſi conqueri poſſent, & exinde ſchiſma novũ excitare. Annuit Imperator, hac adjectâ conditione, nè Epiſcoporum Occidentalium numerus Orientalium numerum excederet. Hæc omnia in ſuo conſtituto recenſet Vigilius, ubi relatâ Eutychii fidei profeſſione ſupra recenſitâ ſtatim ſubjungit.

112 „ His igitur diſpoſitis, optavimus „ quidem, venerabilis Imperator (ſicut frequentiſſimè ſupplici prece popoſcimus) „ eundem ad quemlibet Italiæ locum, aut „ certè ad Siciliam, convocatis ad nos Africanæ & aliarum Provinciarum Latinæ linguæ Sacerdotibus vel Eccleſiæ noſtræ ſacratis ordinibus, ſecundùm conſuetudinem „ tractaremus, & de quæſtionibus trium Capitulorum pietati veſtræ redderemus plenâ „ deliberatione reſponſum; quod quia fieri „ Serenitas veſtra non annuit, hoc iterum „ noſcitur conſtitutum, ut oblatum à nobis „ manſuetudini veſtræ nominibus de ſupraſcriptis Provinciis, qui nobiſcum ad tractandum adhiberentur Antiſtites, clementia veſtra faceret advenire; cui diſpoſitioni „ item præbuimus Eccleſiaſticæ pacis amore „ conſenſum. Poſtea verò hoc magis cum „ conſenſu fratrum noſtrorum, noſtrarum „ partium Epiſcoporum, nuper ante ſanctum „ Paſchæ diem pietas veſtra conſtituit, ut ex „ æquato numero his Pontificibus, qui in „ Conſtantinopolitana Urbe præſentes ſunt, „ de tribus Capitulis, ex quibus quæſtio „ vertitur, ſecundùm ſuperiùs deſignatam „ fratrum Epiſcoporum profeſſionem debemus inire tractatum. *Hæc Vigilius in ſuo* „ *conſtituto*.

113 At Imperator morę impatiens Synodum coegit adverſùs pacta conventa, literiſque ſuis datis ad Patriarchas Conſtantinopolitanum, Alexandrinum, Antiochenum, & Vicarios Hieroſolymitani Patriarchæ & cæteros Epiſcopos Orientales, qui erant in Urbe, ad controverſiam de tribus Capitulis aggrediendam hortatur. In quibus literis judicati olim à Vigilio editi, mentionem injecit per hæc verba: „ Quomodò verò poſtea, cùm „ perveniſſetis, ſicut dictum eſt, ad hanc „ Regiam Civitatem, ſcripta facta ſunt ad „ invicem à veſtra Sanctitate, & à Vigilio „ religioſiſſimo Papa antiquioris Romæ, ut „ omnes vos uniti conveniatis, & propter „ illos, qui ſive ex ignorantia, ſive ſcientia „ impietatem Capitulorum defendunt, congruum judicium eis, quæ à ſanctis quatuor „ Synodis pro fide definita ſunt, proferatis. *Hæc Juſtinianus de Vigilii judicato*. Hoc enim fecit, ut de Pontificis ſententia nullus videretur ambigendi locus: diſſimulavit tamen illius judicati reſciſſionem, cæteraſque conditiones cum Vigilio depactas, & ſupra recenſitas.

114 Convenit itaque Synodus à Juſtiniano indicta IV. Nonas Majas Anno Domini DLIII., Imperii Juſtiniani Anno XXVII. Indictone I. poſt Conſulatum Baſilii viri clariſſimi Anno XII. Belli Gothici, ut notat Procopius, Anno XVIII., in qua primùm lecta fuit Epiſtola Juſtiniani Auguſti ad ipſum Synodum data, cujus initium: *Semper ſtudium fuit orthodoxis & piis Imperatoribus Patribus noſtris pro tempore exortas hæreſes per congregationem religioſiſſimorum Epiſcoporum amputare, & recta fide ſincerè prædicatâ, in pace ſanctam Dei Eccleſiam cuſtodire*, exhibita per Theodorum Silentiarium. Cùmque prima collatio abſente Vigilio, præſidente Eutychio Patriarcha, ſine tamen Pontificis delegatione incœpta fuiſſet, de Vigilio ad Concilium vocando omnium primò actum fuit. Proinde illuſtri decretâ Legatione, ſelectis Eutychio Patriarcha Conſtantinopolitano, Apollinario Alexandrino, Domnino Theopolitano, Benigno Heracleæ Pelagonienſis vicem agente Eliæ Epiſcopi Theſſalonicenſis, Theodoro Cæſareæ Cappadociæ Epiſcopo, Andrea Epheſi, Megethio Heracleæ Thraciæ, Joanne Nicomediæ, Stephano Nicęæ, Conſtantino Chalcedonenſi, Euſebio Tyri, Joanne Cæſareæ Paleſtinæ, Amazonio Edeſſæ, Theodoro Seleuciæ Iſauriæ, Thoma Apamęæ Syriæ, Pompejano de Bizacio, Phoca Stalienſi Provinciæ Prævalienſis, Theodoro Leontopolitano, Stephano de Clyſmate, & Æmiliano Antipyrgi, ad Vigilium miſſi ſunt, poſtulantes, totius Concilii nomine, ut cauſam trium Capitulorum cum cęteris Epiſcopis in Synodo congregatis diſceptare vellet, & proinde dignaretur unà cum cæteris Synodo adeſſe, quemadmodùm ſuis literis Eutychio pollicitus erat. At Vigilius valetudinem cauſatus in poſterum diem reſponſum diſtulit, qua pollicitus eſt manifeſtare quod ei de tali conventu placuerit. Hæc omnia ex Actis ejuſdem Synodi collat. I., ubi prærecenſiti Epiſcopi peractâ Legatione, coram univerſa Synodo ſic affati ſunt.

115 Si-

115 „ Sicut nobis in omnibus viſum eſt, „ pervenientes ad Sanctiſſimum Papam antiquioris Romæ Vigilium, petivimus ejus „ Beatitudinem convenire, & diſceptare unà „ nobiſcum de tribus Capitulis, ſecundùm „ ſcripta, quæ inter nos & ipſum facta ſunt, „ manifeſtantes ejus Beatitudini, quod Sereniſſimus noſter Imperator per literas ad „ nos direxit, adhortans nos de eiſdem tribus Capitulis reſpondere; qui modò quidem propter corporis infirmitatem dixit „ non poſſe ad hanc petitionem reſpondere: „ in poſtero autem die pollicitus eſt manifeſtare quod ei de tali conventu placuerit. *Hæc ibi*. Quibus verbis, ut notat Petrus de Marca in differt. de Decreto Vigilii num. 10. non ſignificat, quod Viris eruditis perſuaſum hactenùs fuit, ſcilicet, ſe ſcriptis Synodo ſatisfacturum; ſed potiùs indicat, ſe conventum illum canonicæ Synodi loco non habere: qua de re perindè ſit acturus. Urſerat præcipuè Synodi indictionem ad ſanandos Occidentalium Epiſcoporum animos, qui læſi fuerant illâ diſpenſatione, qua uſus erat ad conciliandos Orientales: Ea conditio placuerat Juſtiniano. Itaque conventus ſolorum Orientalium cenſeri non poterat à Vigilio legitimum & univerſale Concilium. Hæc ex Petro de Marca, confirmante omnia ex actis ſecundæ collationis.

116 Itaque VIII. Idus Majas ejuſdem Anni habita eſt ſecunda collatio, in qua præfati Epiſcopi, qui iterum reverſi fuerant ad Vigilium, poſtulantes, ut ad Synodum cum cæteris conveniret Epiſcopis, retulerunt, hoc reſponſum à Vigilio obtinuiſſe, nimirum non poſſe eidem intereſſe Concilio propter multitudinem Epiſcoporum Orientalium ibidem exiſtentium, & paucitatem Occidentalium: „ Sanctiſſimi Patriarchæ & religioſiſ- „ ſimi Epiſcopi, *inquiunt Acta collat.2.*, qui „ cum illis convenerant ad Sanctiſſimum Pa- „ pam Vigilium, dixerunt: Secundùm pro- „ miſſionem heſterno die factam à Beatiſſimo „ Papa antiquioris Romæ Vigilio, perveni- „ mus ad eum ſexto die inſtantis Majii men- „ ſis, ideſt, ante duos dies, commonentes qui- „ dem ejus Beatitudinem, quæ inter nos in „ ſcriptis complacuerunt, adhortantes verò „ eum convenire unà nobiſcum, & tractare „ & diſponere de tribus Capitulis, de qui- „ bus piiſſimus Imperator nos ejuſque Beati- „ tudinem in ſcriptis interrogavit. Ille verò „ reſpondit, non poſſe unà nobiſcum conve- „ nire, eò quòd plurimi quidem hìc ſunt „ Orientales Epiſcopi, pauci verò cum eo: „ facere autem per ſemetipſum in ſcriptis „ ſuam ſententiam, & offerre piiſſimo Domi- „ no. Ideò enim & inducias poſtulaſſe à ſua „ Serenitate, ut intrà eas ſuam voluntatem „ manifeſtaret. *Hactenus Acta*. Ex quibus evincitur, ſuam præſentiam denegaſſe Vigilium, eò quòd prælibata Synodus fuiſſet convocata contra inita cum Principe pacta, & non expectatis, nec vocatis Occidentalibus, ac proinde nomen legitimæ Synodi non meruiſſe.

117 Contendebant porrò Legati, prout prælibata ſubjungunt Acta, conventum non eſſe differendum propter abſentiam Occidentalium Epiſcoporum, præcipuè cùm in aliis Synodis œcumenicis vix duo aut tres Occidentis Epiſcopi interfuiſſent, nunc verò adeſſet ipſe Vigilius & aliquot Italiæ, Illyrici, & Africæ Sacerdotes. Urgebant inſuper illius reſcriptum, quo promiſerat Eutychio, ſe cum fratribus unitis de hac re tractaturum, ſe autem cum illo communione jungi; ſed nihil profecerunt, in ſua ſententia remanente Vigilio: qui in reſcripto dato ad Eutychium promiſit convenire ad Synodum regularem: *Annuimus*, ait, *ut de tribus Capitulis, ex quibus quæſtio nata eſt, facto regulari conventu, ſervatà æquitate, mediis ſacroſanctis Evangeliis collationem cum unitis fratribus habeatis*. Hæc autem verba diſſimulabant Legati. Cùmque prædicta Synodus nec ſervatâ æquitate indicta fuerit, nec canonicè congregata, illegitima cenſebatur ab ipſo Vigilio, qua de cauſa nec per ſe ipſum, nec per ſuos Legatos, quemadmodùm in canonicis, & regularibus œcumenicis Synodis fieri conſueverat, intereſſe voluit.

118 Miſſi pariter fuerunt eâdem de cauſa ad Vigilium Imperatoris nomine Petrus Magiſter officiorum & Patricius, Conſtantinus Quæſtor ſacri Palatii, Patricius, Liberius, Belliſarius, Cethegus, & Ruſticus Patricii, quibus eandem reſponſionem dedit, nimirum ſe non poſſe convenire ad Synodum, & per ſe ſolum ſcripto ſatisfacturum, ut eadem acta teſtantur. Qua de cauſa, licèt ſinè Vigilii præſentia, ſine aliquo ejuſdem Vigilii Legato, acta Synodalia proſecuti ſunt. Quare in eadem ſecunda collatione, ſcientes Synodi Patres adeſſe in Regia Civitate Primaſium Epiſcopum Bizacenæ Provinciæ in Africa, Sabinianum Epiſcopum Zapharennæ, Projectum Epiſcopum Naiſitanum in Illyrico, & Paulum Epiſcopum ſecundæ Juſtinianæ, ſelegerunt Diogenianum, & Anatolium Epiſcopos, Ammonium Petrum, & Theodorum presbyterum, qui nomine totius Synodi ad eos pergerent, atque ad Synodum vocarent. Id quod præſtiterunt prædicti Legati, ſed fruſtrà, reſpondentes prælibati Epiſcopi, ſe non poſſe Synodo intereſſe. Etenim Primaſius dixit: *Papa non præſente, non venio*. Sabinianus dixit: *non poſſe venire, eò quòd non præſto eſt Archiepiſcopus ejus Benenatus*. Projectus ferè ſimile reſpondit, & ita Paulus. Sicque ſe excuſantes, ut inquiunt Acta, Synodo intereſſe noluerunt.

119 Poſt hæc verò, non ampliùs requiſito Vigilio eodem Eutychio, propriâ ſuâ auctoritate, præſidente, acta Synodalia proſecuti ſunt.

ti ſunt. Quare die VII. Idus Majas habita eſt ſeſſio, ſive collatio tertia, in qua emiſſâ priùs fidei profeſſione, decretum eſt, de tribus Capitulis altero die agendum eſſe: „ De diſceptatione autem, *inquiunt Acta*, trium Capitulorum, hoc eſt, de Theodoro Mopſueſteno & ſcriptis ejus, & de Epiſtola, quæ dicitur Ibæ ad Marim Perſam ſcripta, & de conſcriptis Theodoreti, quæ contra rectam fidem & ſanctæ memoriæ Cyrillum, & contra duodecim ejus Capitula expoſita ſunt, pro quibus & interrogavit nos piiſſimus, & tranquillimus Imperator, quoniam ſpeciali indigent conventu, alio die, Deo adjuvante, conveniamus.

120 Deinde IV. Idus Majas iterum convenientes, celebrata eſt quarta collatio. In ea namque recitatæ ſunt horrendæ blaſphemiæ Theodori Mopſueſteni, excerptæ ex diverſis ejus ſcriptis, libris, commentariis, explanationibus, aliiſque ab eo editis operibus: nec non & impium fidei Symbolum ab eodem conditum, & inde adversùs præfatum Theodorum conclamatum eſt: „ Anathema Theodoro Mopſueſteno: Iſte Evangelia reprobavit, iſte diſpenſationem injuravit: Anathema illis, qui non anathematizant eum; defenſores ejus Judæi ſunt: ſequaces ejus pagani ſunt, prout habetur in actis Synodalibus. Quibus abſolutis, dilata eſt collatio ad alteram diem.

121 Die itaque VIII. Idus Majas habita eſt quinta collatio, ac in ea in medium relata ſunt ſcripta Cyrilli Alexandrini adversùs doctrinam impiam Theodori. Item fragmentum libelli Clericorum Armeniæ & Perſidis, Proclo Epiſcopo Conſtantinopolitano exhibiti. Fragmentum tomi ejuſdem Procli ad Armenos miſſum, alterum Rabulæ fragmentum ex Epiſtola ſcripta ad Beatum Cyrillum. Inſuper excerpta ex Hiſtoria Eccleſiaſtica Heſychii Presbyteri Hieroſolymitani, ſacræ quoque leges Theodoſii & Valentiniani promulgatæ adversùs Neſtorium & Theodorum, & alios eis adhærentes. Alia item fragmenta aliorum Patrum, nimìrum Theophili in Epiſtola ad Porphyrium Antiochiæ Epiſcopum, Gregorii ſcribentis ad Theophilum, Theodoreti etiam diverſis in locis, Epiſtola Juſtiniani ad Joannem Epiſcopum Metropolitanum, cum altera data ad Coſmam Epiſcopum Mopſueſtenum; & denique Acta Synodi Mopſueſtenæ juſſu Juſtiniani nuper celebratæ. Necnon & auctoritas S. Auguſtini, cum altera S. Leonis Magni, quibus Seſtilianus Eccleſiæ Africanæ Legatus conatus eſt probare poſt obitum aliquem condemnari poſſe.

122 Quibus recitatis, tranſitus factus eſt ad examinanda Theodoreti ſcripta, tùm ea, quæ ſcripſit adversùs Anathematiſmos Cyrilli, tùm quæ in ſuis Epiſtolis exaravit miſſis ad Andream Samoſatenum Epiſcopum, ad Neſtorium poſt unionem Orientalium cum Cyrillo, & ad Joannem Epiſcopum Antiochiæ. Quæ quidem ſcripta rejecta & proſcripta ſunt, laudato tamen Concilio Chalcedonenſi, eò quòd non priùs Theodoretum in communionem recepiſſet, quàm ille Neſtorium anathematizaſſet: „ Sancta Synodus dixit, *inquiunt Acta*: Ex his quæ Theodoretus impiè conſcripſit, miranda eſt ſubtilitas ſancti Chalcedonenſis Concilii. Sciens enim ejus blaſpemias, priùs quidem multis ſæpiùs uſa eſt contra eum exclamationibus: poſtea verò non aliter eum ſuſcepiſſet, niſi priùs anathematizaſſet Neſtorium & ejus blaſphemias, pro quibus antea ſcripſit defendens eas. Cùm itaque & de his, quæ propoſita ſunt, finem acceperunt, alio die de reliquo Capitulo nobis quæſtio proponetur. *Hactenus ibi*.

123 Sexta exinde collatio habita eſt die XIV. Kalendas Junias, ac in ea in medium allata eſt Epiſtola Ibæ ad Marim Perſam, & recitata à Theodoro Diacono & Notario. Poſtea Callonymus recitavit Epiſtolam Procli Epiſcopi Conſtantinopolitani, datam ad Joannem Epiſcopum Antiochenum, cujus initium: *Arbitror te cognoſcere, religioſiſſime*, ut eâ convinceretur, Ibam poſt Eccleſiæ pacem adhæſiſſe Neſtorio. Item ab eodem Collonymo Diacono & Notario recitata ſunt geſta aliqua, ſeu geſtorum pars, quæ in Epheſina Synodo habita ſunt pro Epiſtolis ſanctæ memoriæ Cyrilli. Et ita recitatæ ſunt Epiſtola Cyrilli ad Neſtorium, cujus initium: *Injurias quidem*. Cœleſtini quoque Papæ ad Neſtorium data Epiſtola, cujus initium: *Aliquantis diebus vitæ noſtræ*. Epiſtola inſuper Synodica Cyrilli & Eccleſiæ Alexandrinæ ad ipſum pariter Neſtorium, quæ incipit: *Salvatori noſtro*, & cui adjecti ſunt duodecim Anathematiſmi. Porrò fragmentum quoddam Chalcedonenſis Synodi relectum eſt, & inde recitata S. Leonis Epiſtola, quæ incipit: *Lectis dilectionis tuæ literis*, data ad Flavianum unà cum aliis ejuſdem Chalcedonenſis Synodi fragmentis. His peractis, & factâ collatione Epiſtolæ Ibæ cum definitione ſanctę Chalcedonenſis Synodi, reperta eſt prælibatæ definitioni adverſari: quare, ut ipſa oſtendunt: „ Omnes Epiſcopi clamaverunt: Hæc omnes diximus: Epiſtola hæretica eſt: Epiſtolam, quæ dicitur Ibæ, omnes condemnamus: Iſtam omnes anathematizamus: Epiſtola aliena Synodo eſt: Epiſtola contraria definitioni eſt: Tota Epiſtola hæretica eſt: Tota Epiſtola blaſphema eſt. Qui hanc non anathematizat, hæreticus eſt: Qui iſtam ſuſcipit, hæreticus eſt, Epiſtolam definitio ſancti Chalcedonenſis Concilii condemnavit. Qui eam ſuſcipit, non confitetur Deum Verbum hominem factum eſſe. Qui eam ſuſcipit, Cyrillum non ſuſcipit: Definitio Chalcedonenſis Conci-

„ lii Epiſtolam, quæ Ibæ dicitur, ejecit. „ Unus Neſtorius, unus Theodorus: Anathema Theodoro & Neſtorio, & Epiſtolæ, „ quæ dicitur Ibæ. *Hæc & alia ibi*. Et poſt has exclamationes, decreta eſt ſeſſio in alterum diem.

124 Non eſt hic prætermittendum quod Eruditi cum Baronio adnotant & Binio, nimirùm Acta hujus Concilii hactenùs edita, alibi mendoſa eſſe, alibi commentitiis ſcriptis aucta; aque etiam pluribus in locis mutilata exiſtere. Hinc obſervant, leges Theodoſii Imperatoris adversùs prolatas Neſtorium, quæ in quinta recitantur collatione, in Codice Theodoſiano, atque in Actis Concilii Epheſini aliter ſe habere. In ſexta porrò collatione plura mendacia de Ibæ Epiſtola & de Chalcedonenſi Concilio plura contraria legi; ac illa verba: *Qui eſt Dominus noſter Jeſus Chriſtus unus de Sancta Trinitate*, de quibus Eutychiani ſub Hormiſda Papa diù altercati fuerunt, textui Chalcedonenſis Concilii eſſe ſuperaddita; cujus rei cauſa totam ferè collationem ſextam in magnam ſuſpicionem fraudis, doli, ac ſurreptionis venire. Notant quoque, Epiſtolam, quæ ſub nomine Theodoreti ad Joannem Antiochenum de obitu Cyrilli gaudentis, recitatam, Theodoreti minimè eſſe, ſed alicujus nebulonis Eutychiani commentum, ac in Actis Concilii intruſam; quoniam, ut teſtatur Nicephorus, Joannes Antiochenus ante Cyrilli obitum è vivis ſublatus eſt, ſubſtituto in ejus locum Domno: & liquet ex Epiſtola ejuſdem Cyrilli ad Domnum Joannis ſucceſſorem datâ. Denique obſervant cum Actis ſeptimæ Synodi, & Nicephoro lib. 17. cap. 27. hac in Synodo errores quoque Origenis eſſe damnatos, cùm tamen in Actis, quæ extant, nec quidem vel levis mentio habeatur.

125 Ab Origeniſtis primùm falſata exiſtimant, præcipuèque à Theodoro Cæſarienſi, qui Synodo interfuit, & qui Origeniſtis maximè favebat, ac etiam ab ipſo Eutychio, qui Concilio præfuit, quem conſtat & ipſum in errores Origenis incidiſſe, licèt reprehenſum poſtea à S.Gregorio tunc Diacono & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Apocriſario errorem correxiſſe, atque in pace objiſſe. Secundò à Monothelitis quoque prælibata Acta corrupta fuiſſe, duplici probant argumento ex Actis ſextæ Synodi; quibus primùm refertur, quòd Monothelitæ Epiſtolam quandam ſub Mennæ Conſtantinopolitani Epiſcopi nomine ad Vigilium Papam conſcriptam, de unica in Chriſto voluntate ediderint, eamque divulgarint ſub titulo quintæ Synodi, quaſi ex actis quintæ Synodi deprompta foret; ad quam Stropham detegendam Legati Apoſtolicæ Sedis in ſexta Synodo oſtenderunt Actis hujus quintæ Synodi œcumenicæ tres quaterniones (dolo ac fraude Monothelitarum) recenter annexos eſſe.

126 Deinde dùm in prædicta ſexta Synodo legeretur Actio ſeptima quintæ Synodi, inventæ ſunt in ea duæ ſupradictæ Epiſtolæ, Vigilii nomine inſcriptæ, quarum altera ad Juſtinianum Imperatorem, altera ad Theodoram Auguſtam data habetur; quibus Vigilius Papa aſſereret, unam eſſe in Chriſto operationem: quæ ſine dubio à Monothelitis Sanctiſſimo Pontifici fuerunt adſcriptæ, ut ſententiâ Pontificis eorum hæreſim de una voluntate & operatione una in Chriſto confirmarent. Hinc Apoſtolicæ Sedis Legati manifeſtè demonſtrarunt, ejuſmodi literas confictas eſſe & commentitias; cujus rei causâ Act. 14. ejuſdem ſextæ Synodi anathema dixerunt in eos, qui quoquomodò quintam Synodum corruperunt. Cæterùm germana Acta quintæ Synodi recognoviſſe S. Gregorium Magnum, & exomplaria miſiſſe ad Reginam Theodolindam Longobardorum, atque ejus filium Adulowaldem, liquet ex lib. 12. Epiſtola 7. ejuſdem Pontificis. *Hæc ex Binio*. Revertendo modò ad Hiſtoriam quintæ Synodi.

127 Die VII. Kalendas Junias habita fuit ſeptima collatio: in ea autem, ſuggerente Conſtantino Imperatoris Quæſtore, per Diodorum Archidiaconum, & Primicerium Notariorum recitatæ ſunt Epiſtolæ illæ Vigilii, datæ ad Sebaſtianum & Ruſticum Eccleſiæ Romanæ Diaconos, & aliæ datæ ad Aurelianum, ſive Auxanum Epiſcopum Arelatenſem, ſupra à nobis recenſitæ. Hac enim viâ Imperator & Concilium prætexerunt arguere Vigilium prævaricationis, quaſi antea tria Capitula damnaſſet, quæ poſtea defendebat. Cùm tamen conſtet Vigilium non damnaſſe Sebaſtianum & Ruſticum, quia præcisè tria Capitula defendebant, ſed quoniam contra ejus judicatum agebant, quo indictum fuerat ſilentium uſque ad Synodum Generalem. Exinde verò ex Actis Antiochenæ Synodi recitatum fuit, quòd Neſtoriani ſibi Theodoretum tanquàm ſuum vendicarent, ejuſque imaginem currui impoſitam, cum triumpho & Pſalmorum Canticis in Civitatem Cyri ſolemni ritu introduxerunt. Quibus peractis, dilata eſt ſeſſio, ſive collatio in alteram diem pro ferenda de tribus Capitulis ſententia.

128 Itaque IV. Nonas Junias habitâ VIII. & ultimâ collatione, Collonymus Diaconus & Notarius nomine totius Synodi ſententiam pronunciavit adversùs Theodorum Mopſueſtenum, Ibæ Epiſtolam & Theodoreti ſcripta adversùs Cyrillum, adjectis anathematiſmis contra Neſtorii & Eutychetis hæreſes, adversùs tria Capitula. In ea namque poſt plura recitatum eſt.

129 „ Repetitis igitur omnibus, quæ „ apud nos acta ſunt, iterum confitemur, „ quòd ſuſcipimus ſanctas quatuor Synodus, „ ideſt Nicenam, Conſtantinopolitanam, „ Epheſinam primam & Chalcedonenſem, &

„ quæ pro una, eademque fide definierunt, „ prædicavimus & prædicamus. Eos autem, „ qui hæc non ſuſcipiunt, alienos Catholicæ „ Eccleſiæ judicamus. Condemnamus autem & anathematizamus unà cum omnibus „ aliis hæreticis, qui condemnati & anathematizati ſunt à prædictis quatuor ſanctis „ Conciliis, & à ſancta Catholica & Apoſtolica Eccleſia, & Theodorum, qui Mopſueſtiæ Epiſcopus fuit, & impia ejus conſcripta, & quæ impiè Theodoretus ſcripſit „ contra rectam fidem, & contra duodecim „ Capitula Sancti Cyrilli, & contra Epheſinam primam Synodum, & quæ ad defenſionem Theodori & Neſtorii ab eo ſcripta „ ſunt.

130 „ Super hæc anathematizamus & „ impiam Epiſtolam, quam dicitur Ibas ad „ Marim Perſam ſcripſiſſe, quæ denegat, „ Deum Verbum de ſancta Dei Genitrice & „ ſemper Virgine Maria incarnatum, hominem factum eſſe, & ſanctæ memoriæ Cyrillum, qui rectè docuit, tanquàm hæreticum, & ſimiliter Apollinario ſcribentem, „ criminatur, & inculpat quidem Epheſinam „ primam Synodum, tanquàm ſine examinatione & quæſtione Neſtorio ab ea depoſito, & duodecim Sancti Cyrilli Capitula „ impia & contraria rectæ fidei vocat; defendit autem Theodorum & Neſtorium, & „ impia eorum dogmata & conſcripta.

131 „ Prædicta igitur tria Capitula anathematizamus, ideſt Theodorum impium „ Mopſueſtenum cum nefandis ejus conſcriptis, & quæ impiè Theodoretus conſcripſit, „ & impiam Epiſtolam, quæ dicitur Ibæ, & „ Defenſores eorum, & qui ſcripſerunt vel „ ſcribunt ad defenſionem eorum, vel recta „ ea dicere præſumunt, vel omninò impietatem eorum, nomine ſanctorum Patrum, „ aut ſancti Chalcedonenſis Concilii defenderunt, aut defendere conantur. *Hactenus ſententia*.

132 His habitis adjecti ſunt & Canones ad fidei dogmata pertinentes, numero XIV. cum ſuis anathematiſmis, exinde ſubſcripſerunt Eutychius Patriarcha Conſtantinopolitanus, Apollinarius Patriarcha Alexandrinus, aliique Epiſcopi, omnes numero centum quinquaginta, & abſoluta eſt Synodus quinta œcumenica.

133 Atqui aliter in ſuo conſtituto pronunciavit Vigilius Papa, qui licèt copioſè ſcripta Theodori refutaverit, perſonam tamen damnare noluit, quemadmodùm & Synodus Chalcedonenſis neque damnaverat: cujus ratio erat, eos, quos conſtat deceſſiſſe in communione, non eſſe poſt obitum damnandos: id quod probavit auctoritate S. Leonis Magni, qui ſcribens ad Theodorum Epiſcopum Ferolivienſem, dicit: *Non neceſſe eſt nos eorum, qui ſic obierunt, merita actuſque diſcurrere; cùm Dominus Deus noſter, cujus judicia nequeunt comprehendi, quod Sacerdotale myſterium implere non poterat ſuæ juſtitiæ reſervavit*. Confirmans hoc idem teſtimonio Gelaſii ad Epiſcopos Dardaniæ, & in Actis Synodalibus in cauſa Miſeni Epiſcopi Cumani. Uſus inſuper eſt teſtimonio Dionyſii Alexandrini, in cauſa Nepotis erroris Millenariorum auctoris, apud Euſebium in Eccleſiaſtica hiſtoria: & inde concludit, dicens, Theodorum in vita minimè à Patribus damnatum, non eſſe poſt obitum damnandum.

134 Similiter de Theodoreto pronũciavit, ſuperfluum eſſe ad exprobrationem Theodoreti tendere, unà ſemel, quod ejus ſcripta adversùs Cyrillum damnentur: cùm Cyrillus ipſe & Synodus Chalcedonenſis nihil aliud ab ipſo Theodoreto exegerint, quàm ut Neſtorio anathema diceret: etenim poſt plura de hac quęſtione allata, ait: „ Hac ergò rerum „ veritate perpenſâ, ſtatuimus, atque decernimus, nihil in injuriam atque obtrectationem probatiſſimi in Chalcedonenſi Synodo viri, hoc eſt Theodoreti Epiſcopi Cyri, ſub taxatione nominis ejus à quoquam „ fieri vel proferri: ſed, cuſtoditâ in omnibus „ perſonæ ejus reverentiâ, quæcumque ſcripta, vel dogmata ejus cujuslibet nomine „ prolata ſceleratorùm Neſtorii atque Eutychetis manifeſtantur erroribus conſonare, „ anathematizamus, atque damnamus.

135 Denique, de Epiſtola Ibæ ad Marim Perſam, pronunciavit, nihil eſſe retractandum poſt Synodum Chalcedonenſem, in qua nihil contra Ibam, nec contra ejus Epiſtolam pronunciatum fuerat. In fine porrò ſui conſtituti, ſic conſtituit: „ His igitur à nobis „ cum omni undique cautela atque diligentia propter ſervandam inviolabilem reverentiam prædictarum Synodorum, & earundem venerabilium conſtituta diſpoſitis, „ memores ſcriptum eſſe, terminos Patrum „ noſtrorum nos traſcendere non debere, ſtatuimus & decernimus, nulli ad ordines & „ dignitates Eccleſiaſticas pertinenti licere „ quidquam contrarium his, quæ præſenti aſſeruimus vel ſtatuimus conſtituto, de ſæpe „ dictis tribus capitulis aut conſcribere, vel „ proferre, aut componere, vel docere, „ aut aliquam poſt præſentem diffinitionem movere ulteriùs quæſtionem. Si „ quid verò de iiſdem tribus Capitulis, „ contra hæc, quæ hìc aſſeruimus vel ſtatuimus, nomine cujuſcumque ad ordines & „ dignitates Eccleſiaſticas pertinẽtis factum, „ dictum, atque conſcriptum eſt, vel fuerit, & à quolibet ubicumque repertum, „ hoc modis omnibus ex auctoritate Sedis „ Apoſtolicæ, cui per gratiam Dei præſidemus, refutamus. *Hactenus Vigilius*, qui & ſe ſubſcripſit, & ſubſcripſerunt Epiſcopi, qui cum eo erant numero ſexdecim, unus Archidiaconus, & duo Diaconi. Datum eſt præfatum conſtitutum, pridie Idus Majas,

Anno Imperii Juſtiniani XXVII. poſt Baſilii Viri clariſſimi Conſulatum Anno XII. Dùm reliqui Orientales Synodum eâdem de cauſa habebant.

136 Adnotat Baronius ad Annum DLIII. ſub num. 202. Vigilii conſtitutum exhibitum fuiſſe coram univerſa Synodo collat. 5. relectum poſtea, atque refutatum collat. 6. cui aſſentitur Binius: quoniam, inquit, in prælibata ſexta collatione à Vigilio allegatæ in ſuo conſtituto in defenſam trium Capitulorum rationes, fuerunt examinatæ, diſcuſſæ, ac denique rejectæ. At Petrus de Marca in ſua de decreto Vigilii Differt. ſub num. 12. diſſentitur, aitque ex hac Baronii opinione non leve Novatores argumentum ſumere poſſe adversùs Pontificiam auctoritatem, cujus ſcripta in Synodo non ſolùm diſcuti, ſed etiam refutari, ex hoc probare poſſunt, & definitionem illius decreti contrariam cum anathemate proferri. Ac ideò ait, rationes adductæ in ſexta collatione pro Epiſtola Ibæ, atque refutatæ, utpotè notiſſimæ jam, licèt quoque allegatæ in conſtituto Vigilii, non ab eo conſtituto fuerunt depromptæ, quo non indigebant, ut eis innoteſcerent, pluriès olim examinatis, atque diſcuſſis ſex vel ſeptem ante annis, ut ex Facundi Hermanienſis ſcriptis ſit manifeſtum.

137 Cæterùm ſcrupulum Petri de Marca facilè diluitur, ſi dicatur, nullatenùs à Vigilio exhibitum fuiſſe ſuum Synodo conſtitutum, atque illius examini ſubjeciſſe. Etenim non promiſit Vigilius ſuam ſententiam ſcripto tradere Synodo, benè verò Imperatori. Et ita teſtantur Legati ad eum miſſi, referentes collat. 2. *Ille verò reſpondit, non poſſe unà nobiſcum convenire, eò quòd plurimi quidem hìc ſunt Orientales Epiſcopi, pauci verò cum eo, facere autem per ſemetipſum in ſcriptis ſententiam ſuam, & offerre piiſſimo Domino*. Et in ipſo Conſtituto fatetur, coactum ab Imperatore id ſe feciſſe: „ Ideòque, *inquit*, „ cùm fratres noſtri, neque exæquato nobiſ- „ cum numero reſidere, neque in ſcriptum, „ quę ageremus, vel tractaremus, redigi pa- „ terentur, tanquàm (quod abſit) non con- „ venientia rectitudini loqueremur, quæ ſcri- „ bere timeremus. Et inſuper glorioſiſſimis „ ad nos Proceribus deſtinatis inſiſteret ve- „ ſtra clementia, noſtrum de trium Capitu- „ lorum negotio quàm celerrimè proferre de- „ bere reſponſum, nec ſic deſtitimus veſtræ „ obedire velle clementiæ. *Hæc ibi*. Porrò liquet etiam, prælibatum conſtitutum, non Synodo directum, ſed Imperatori: *Glorioſiſſimo & clementiſſimo filio Juſtiniano Auguſto Vigilius Epiſcopus*, ut pręſefert titulus. Et in fine: *Ecce*, inquit, *Venerabilis Imperator luce clariùs demonſtratur, hanc nos ſemper habuiſſe in ſanctarum quatuor Synodorum reverentia, voluntatem, & quæcumque à Sanctis Patribus in eiſdem conſidentibus definita vel ſtatuta, ſive judicata ſunt, intemerata permanere*.

138 Conſtat ergò prælibatum conſtitutum exhibitum fuiſſe Imperatori, cujus juſſu coactus inſuper ediderat Vigilius, nullo modo Synodo, prępuè quam illegitimam & non regularem, utpotè contra pacta conventa ab Imperatore coadunatam, agnoſcebat. Eſt ergò probabile, ſtante Baronii ſententiâ, ab ipſo Imperatore fuiſſe exhibitum Concilio, & illius examini ſubjeciſſe. Non eſt autem ex hoc anſam prębere Novatoribus inſurgendi adversùs Pontificiam auctoritatem, unà ſemel quod conſtat, non jubente, neque conſentiente Vigilio, ſed propriâ Principis voluntate pręfatum conſtitutum exhibitum fuiſſe Synodo, atque Epiſcoporum cenſuræ & examini ſubjectum: hanc auctoritatem ſibi contra jus præfata Synodo, ut Imperatori acquieſceret, arrogante.

139 At inſtat Petrus de Marca, Vigilii ſententiam, utpotè alienam à Principis inſtituto, non eſſe probabile, ab eodem Principe fuiſſe Synodo oblatam: „ Promulgatio Con- „ ſtituti, *ait*, aliena fuiſſet ab inſtituto & „ prudentia Imperatoris, qui damnationi „ trium Capitulorum, cùm totus incumbe- „ ret, non debuit ſuis votis officere, Vigilii „ auctoritate prolatâ, quæ deſiderium illius „ improbaret. Imò verò, ut faciliùs obtine- „ ret quem ſibi propoſuerat eventum, neù „ quis expectaret quid Principi Vigilius re- „ ſpondiſſet, quemadmodùm pollicitus erat „ ſe facturum, per Conſtantinum ſacri Palatii „ Quęſtorem Juſtinianus Synodo ſuggeſſit, „ Vigilii mentem ſatis explicatam eſſe ex iis, „ quæ ſępiùs hac de re docuerat cùm ſcriptis, „ tàm viva voce. Et ut ſacrum conventum „ ad damnationem trium Capitulorum ani- „ maret, literas ea de re à Vigilio ſcriptas „ ad Aurelianum Arelatenſem, & ad Valen- „ tinianum Scythię Epiſcopum, & ſenten- „ tiam ab eodem Pontifice latam adversùs „ Ruſticum & Sebaſtianum Diaconos ſuos „ trium Capitulorum fautores, è Latina in „ Gręcam linguam verſas legendas exhiberi „ ab eodem Quęſtore curavit. *Hæc Petrus de Marca*.

140 Verùm ad impugnandam hac in re Baronii ſententiam, non adeò efficacia mihi videntur. Etenim Juſtinianus ab incœpta Synodo, ut Patres ad damnationem trium Capitulorum animaret in ſuis literis ad eos datis, atque in prima collatione recitatis, faſſus eſt, Vigilium jam tria verbo & ſcripto Capitula damnaſſe: *Et Vigilio*, inquit, *enim religioſiſſimo Papæ antiquioris Romæ, cùm perveniſſet ad hanc Regiam Civitatem, de tribus Capitulis ſubtiliter omnia manifeſtavimus, & interrogavimus eum quid de hac cauſa ſapit. Et ipſe non ſemel, nec bis, ſed etiam ſæpiùs in ſcriptis anathematizavit tria Capitula*. Hęc Juſtinianus. Id, quod conatur oſtendere ex literis

teris ejuſdem Vigilii datis ad Aurelianum Arelatenſem ad Valentinianum Epiſcopum de Tomis in Scythia, & ex ſententia pronunciata adversùs Ruſticum & Sebaſtianũ: Quare, niſi aliâ accedente causâ ſuperfluum fuiſſet repetere lectionem literarum Vigilii in collatione ſeptima: cùm ex notitia earundem literarum ab exordio Synodi ab Imperatore expoſitâ, ſatis animàti eſſent Patres ad damnationem trium Capitulorum exemplo allegato à Principe Vigilii.

141 Itaque probabilius mihi videtur Juſtinianum exhibuiſſe Synodo conſtitutum Vigilii ab Epiſcopis examinandum, ut hac viâ à Synodo reprobatum, rationabiliùs poſſet adversùs Vigilium inſurgere. Neque enim Imperator timebat Epiſcopos, cognitâ Vigilii ſententiâ, Vigilio adhæſuros, quos ſciebat maximè adverſari præfatis Capitulis, & ſuæ favere opinioni. Certus quidem erat de Patrum mente, cùm ſelegiſſet, ut præfati ſumus, eos ſolos Epiſcopos ad Concilium celebrandum, quos ſibi favorabiles agnoverat. Quarè recitato conſtituto Vigilii in ſexta collatione, atque refutato & improbato, ut Patrum ſententiam velut æquam oſtenderet, juſſit, ut prælibatæ Vigilii literæ, & ſententia adversùs Ruſticum & Sebaſtianum in ſeptima recitarentur collatione, ut hac viâ Vigilium prævaricationis argueret, qui conſtituto aliter quàm antea decernebat, prout optimè obſervat idem Baronius.

142. Utcumque res ſe habuerit, hoc unum certum eſt, Vigilium ſtatim Acta Concilii, ſententiamque adversùs tria Capitula in ea Synodo pronunciatam minimè approbaſſe; cujus rei causâ indignatus Juſtinianus, tùm Vigilium, tùm Epiſcopos ei adhærentes in exilium amandari juſſit, prout apertis verbis ſcribit Anaſtaſius in vita Vigilii. Indicat & Liberatus in Breviario cap. ult., licèt tempus non adnotet, per illa verba: *Cætera verò quæ ſubſequentur in Epiſcopis & catholica Eccleſia ab eodem Principe facta ſunt*, *quomodò conſentientes Epiſcopi in trium damnationem Capitulorum*, *muneribus ditabantur*, *vel non conſentientes depoſiti*, *in exilium miſſi ſunt*, *vel aliquà fugà latitantes*, *in anguſtiis fœlicem exitum ſuſceperunt*, *quoniam nota ſunt omnibus*, *puto nunc à me ſilenda*. Iſidorus in lib. de Viris Illuſtribus cap. 18. agens de Juſtiniano, tradit Juſtinianum reſcripſiſſe contra Epiſcopos Africanos, & Illyrici in cauſa trium Capitulorum: *Condidit quoque*, inquit, *& reſcriptum contra Illyricanam Synodum*, *& adversùs Africanos Epiſcopos*, *in quo tria Capitula damnare contendit*. Porrò cap. 25. ſcribit, Victorem Epiſcopum Africanum exilium paſſum eâdem de cauſa, inquiens: *Victor pro defenſione trium Capitulorum à Juſtiniano Auguſto exilio in Ægyptum tranſportatur*. Facundum quoque Hermianenſem Epiſcopum in Africa quæſitum ad pœnas, eò quòd quàm diſertiſſimè pro tribus Capitùlis ſcripſiſſet, & captantem latebras evaſiſſe, conſtat ex libro ab eo edito adversùs Marcianum. Hoc pacto crudele ſchiſma exortum eſt inter Orientales & Vigilium atque Eccleſiam Occidentalem, & adversùs Apoſtolicam Sedem.

CAPUT III.

De confirmatione quintæ Synodi, & ſedato Orientalium Schiſmate.

143 Hanc Synodum confirmatam Sedis Apoſtolicæ auctoritate, atque ita œcumenicæ Synodi necnon & auctoritatem recepiſſe, conſtans eſt omnium Scriptorum conſenſus. Græci Scriptores in eo etiam conſentiunt, quòd ab ipſomet Vigilio fuerit primùm confirmata, de qua Photius in libello de Synodis ità ſcriptum reliquit: „ Sanctum & œcumenicum quintum „ Concilium, magnam Conſtantini Civi„ tatem, ſacrum ſibi Templum conſecravit, „ centum ſexaginta quinque Epiſcoporum „ præſentiâ & concurſu confirmatum, qui„ bus præfuerunt Mennas primùm, deinde „ Eutychius, qui ex ſucceſſione ipſius Re„ giæ Civitatis Archiepiſcopalis rexerunt „ clavos, & Vigilius Romæ Epiſcopus (qui „ in Civitate quidem erat, ſed Concilio non „ aderat; & quamvis ad ſacri Cœtus conven„ tum promptus non eſſet, communem ta„ men Patrum fidem libello comprobavit) & „ Apollinaris Alexandriæ, Domnuſque An„ tiochiæ Archiepiſcopi, & Dydimus & Eva„ grius, Euſtochii Hieroſolymorum Epiſco„ pi vicem gerentes: *Hactenus Photius*. Nilus verò tradit Vigilium eidem Synodo præfuiſſe: *Præerant*, ait, *Synodo Vigilius Papa Romæ*, *Eutychius Conſtantinopolis*, *Apollinaris Alexandriæ*, *Domnus Antiochiæ*, *& Damianus Hieroſolymorum*. Sed falsò de Vigilio hoc aſſerit, ſatis enim liquet nullatenùs præfuiſſe, nec Synodo interfuiſſe. Id quod etiam adnotatur in Libello Synodico, licèt etiam ibi falsò dicatur, Vigilium incurſionis Gothorum causâ Bizantium appuliſſe.

144 Evagrius quoque lib. 4. hiſt. cap. 17. teſtatur Vigilium Synodum confirmaſſe: *Vigilius autem*, inquit, *per littras conſenſit Concilio*, *non tamen intereſſe voluit*. Ita pariter Nicephorus lib. 17. hiſt. cap. 27. & 28. Euſtathius in vita Eutychii, Cedrenus & Zonara, aliique perplures Græci conſtanter ſcribunt. Petrus de Marca in præcitata Differt. de Vigilii decreto refert collectionem Canonum Arabicorum ad uſum Eccleſiæ Alexandrinæ, in qua ſcriptum reperiri ait: „ Excommu„ nicavit Synodus & vivos & mortuos, quod „ antea non præſtitum, niſi in illos ſolos, fa„ ctumque hoc Patriarchâ Romano ſciente,

qui

„ qui & confirmavit, & ſcripto ad Imperato-
„ rem dato, fidem ſuam profeſſus eſt. *Hæc ibi*. Aliud porrò monumentum affert ex Hiſtoria Eccleſiaſtica Arabica Ibæ Patriarchæ, ubi pariter agens de Synodo quinta Conſtantinopolitana, ait: *Romanus Patriarcha præſens Synodo nec adivit, nec Legatum miſit ſed conſenſum præbuit, dictaque Patrum ſuſcepit*.

145 Itaque concordant etiam Latini ſcriptores in hac eâdem ſententiâ, quod nimirum Vigilius Synodo tandem conſenſerit, in hoc tamen diſcrepant, quod Græci fateri videntur, ſtatim abſolutâ Synodo, ei conſenſiſſe Vigilium, eò vel maximè, quòd Euſtathius cit. in vita Eutychii agens de hac Synodo cap. 23. ubi cùm quatuor Patriarchas, Vigilium ſcilicet Romanum, Eutychium Conſtantinopolitanum, Domninum Antiochenum, & Apollinarem Alexandrinum, tempore quintæ Synodi in Regia Urbe fuiſſe, præmiſiſſet, ſubjungit: „ Cùm igitur ex quatuor Paſtorũ concor-
„ dia rectoque ſenſu factum eſſet unum ovi-
„ le, atque unus Paſtor, & omnis Diſciplinę
„ moderatio, per Sacerdotes & Sacerdotum
„ Præſules conquieviſſet, diſceſſerunt ad ſuas
„ ſinguli Civitates, & populos magno cum
„ gaudio. *Hæc ibi*. Ex quo teſtimonio etiam Natalis Alexander in diſſert. 3. Sæculi VI. articul. 3. in eam deſcendit ſententiam, ut Vigilius ſtatim Synodo adhæſerit: „ Concor-
„ des autem non fuiſſent, *ſubinſert Natalis*,
„ quatuor Patriarchæ, ſi Vigilius à cæteris
„ diſſenſiſſet, nec Synodum Conſtantinopo-
„ litanam, & factam in ea trium Capitulo-
„ rum damnationem approbaſſet. Major au-
„ tem Eutychio coævo Auctori & oculato
„ teſti fides adhibenda eſt, quàm Anaſtaſio
„ Bibliothecario, qui Vigilium in exilium
„ à Juſtiniano pulſum ſcribit, quòd Synodi V.
„ decreta recipere noluiſſet. *Hæc Natalis Alexander*.

146 Confirmat hoc auctoritate Cyrilli Scythopolitani in Vita S. Sabę, laudatâ Act. 1. ſeptimæ Synodi, ubi ait: „ Itaque cum
„ ſancta univerſalis quinta Synodus Con-
„ ſtantinopoli eſſet congregata, communi &
„ generali anathemate rejecti ſunt Origenes,
„ Theodorus Epiſcopus Mopſueſtiæ, & quæ-
„ cunque ab Evagrio, & Didymo dicta ſunt
„ de præexiſtentia: Probarunt autem id qua-
„ tuor Patriarchæ præſentes. *Hactenus Cyrillus*. Et Natalis ſic concludit: *Itaque Vigilius quintam Synodum approbavit, antequàm Conſtantinopoli diſcederet. Non eſt igitur in exilium ob pertinacem ejus improbationem deportatus*. Hæc & alia in ſuę ſententiæ confirmationem exhibet Natalis Alexander.

147 At Baronius à Gręcorum ſententia diſcedens, in ea eſt opinione, ut non ſtatim Vigilius Synodo adhæſerit, cujus rei cauſâ paſſum fuiſſe exilium firmat; etenim ſub Anno Domini DLIII. num. 223. ſic ait: „ Mihi
„ veroſimile non ſit, ut vel pendente Syno-
„ do, vel ſtatim ut eſt abſoluta, id Vigilius
„ fecerit, tùm ex his, quæ dicta ſunt de ejus
„ exilio mox ſecuto, tùm etiam, quod ſi ve-
„ rum eſſet, tunç per literas aſſenſum Vigi-
„ lium tribuiſſe, utique literæ tanto emendi-
„ catæ labore, atque induſtria Actis fuiſſent
„ intextæ, & plurima eorum exemplaria ex-
„ ſcripta, notaque facta omnibus tùm Orien-
„ talis, tùm Occidentalis Orbis Eccleſiis. *Hactenus ibi Baronius*, qui poſtea ſub Anno Domini DLIV. num. 4. ſuam aperit opinionem, & relato prius Anaſtaſii teſtimonio de liberato Vigilio ab exilio rogatu Narſetis exercitus Italiæ Ducis, ſubjungit: „ Hæc
„ autem, quæ de Vigilii liberatione & alio-
„ rum ab exilio dicta ſunt, licèt Anaſtaſius
„ facta tradat, rogante Narſete exercitus in
„ Italia Duce, tamen & tunc accidiſſe puta-
„ mus, ut Vigilius Papa aſſenſus fuerit Im-
„ peratori, recedenſque à ſua ſententia, quam
„ conſtituto edito declaraverat, quintam
„ Synodum comprobarit. *Hæc Baronius*.

148 Nec longè ab hac abeſt opinione Binius in notis ad V. Synodum, ubi Græcorum opinionem Evagrii, Nicephori, Cedreni, Zonaræ, atque Photii, aſſerentium ſtatim per literas Vigilium adhæſiſſe Synodo, refutat ex eo quod nulla ſuperfuiſſet Imperatori cauſa mittendi in exilium ipſum Vigilium, unà ſemel quòd cum aliis Synodum approbaſſet: & indè ſubjungit: „ Itaque veriùs eſſe
„ exiſtimo, quod Vigilius tùm demum, abro-
„ gato, quod prius pro defenſione trium Ca-
„ pitulorum fecerat, conſtituto, hanc Syno-
„ dum ſuo decreto, ſuâque auctoritate Pon-
„ tificiâ confirmaverit, quando vindicata
„ Italia per Narſetem à Gothis, anno primo
„ poſt abſolutum Concilium œcumenicum,
„ ab exilio ſolutus ab Imperatore acerrimo
„ trium Capitulorum hoſte & impugnatore,
„ muneribus, donis, ac privilegiis ornatus,
„ in Italiam redire, permiſſus fuit. *Hactenus Binius*.

149 Cæterum per Literas aſſenſiſſe Vigilium, id quod multis ſæculis fuit Latinis ignoratum, certum facit ipſum decretum è latebris erutum, & è Regia chriſtianiſſimi Regis Bibliotheca in lucem editum, ſtudio Illuſtriſſimi Archiepiſcopi Petri de Marca; exſcriptum autem eſt ex volumine, quod calamo exaratum ſervabatur in veteri Bibliotheca Romanæ Eccleſiæ, jam inde ab anno ſeptingenteſimo quinquageſimo tertio exſcriptum à Leone Cinnomo viro Græco, Anno Domini MCCLXXVI. & ab eodem repoſitum in Bibliotheca Imperatoria Græcorum, cum aliis pluribus, & præſertim Actis V. Synodi, cui ſubjuncta fuit. Datum porrò eſt Eutychio Patriarchæ Conſtantinopolitano, quod ita ſe habet.

Di-

Dilecto Fratri Eutychio Vigilius.

150 „ Scandala, quæ humani generis inimicus in univerſo mundo excitavit, nullus „ ignorat adeò, ut unumquemque propoſitum „ ſuum ad ſubvertendam Dei Eccleſiam per „ univerſum orbem diffuſam, quocumque „ modo implere ſatagentem, non tantùm ſuo „ nomine, ſed etiam noſtro, atque aliorum, „ diverſa tùm loquendo, tùm ſcribendo componere impulerit: in tantum ut nos ipſos „ unà cum fratribus, & Coepiſcopis noſtris, „ in Urbe regia degentes, & æquali reverentiâ quatuor Synodos vindicantes, & in una „ eademque quatuor illorum Synodorum fide ſincerè perſiſtentes, cavillationibus, „ verſutiis & dolo malo ab iis dividere conatus fuerit; itaut noſmetipſi, qui ejuſdem „ cum illis eramus, & ſumus de fide ſententiæ, in ſuperhabita dilectione fraterna in „ diſcordia abjerimus.

151 „ Sed quoniam Chriſtus Deus noſter, qui eſt lux vera, quem tenebræ non „ comprehendunt, omni confuſione à mentibus noſtris remotâ, univerſum orbem & „ Eccleſiam ad pacem revocavit, itaut quę à „ nobis definiri debent, revelante Domino, „ & veritate inveſtigatâ ſalubriter impleta „ ſunt. Idcircò ſciat veſtrùm univerſa fraternitas, quòd quatuor Synodos, hoc eſt „ Nicænam, Conſtantinopolitanam, Epheſinam primam, & Chalcedonenſem, unà „ cum iiſdem fratribus noſtris, in omnibus „ ſuſcipimus, & devotâ mente veneramur, „ atque unanimiter ſervamus. Et ſi qui eaſdem ſanctas Synodos in omnibus, quæ ab „ ipſis de ſancta fide definita ſunt, non ſequuntur, eos à cœtu ſanctæ & catholicæ Eccleſiæ alienos judicamus. Quapropter deſiderantes ea ſcire fraternitatem veſtram, „ quæ à nobis facta ſunt, his noſtris literis „ ipſi manifeſtum facimus.

152 „ Quoniam nulli dubium eſt, quot „ quantaque mota ſunt, ob tria Capitula, „ hoc eſt de Theodoro olim Mopſueſtiæ „ Epiſcopo, ejuſque ſcriptis, quin etiam de „ ſcriptis Theodoreti, & de Epiſtola, quæ dicitur ſcripta ab Iba ad Marim Perſam: & „ quàm diverſa de tribus illis Capitulis dicta „ atque conſcripta ſunt. Ideo ſi in omni negotio ſapientiæ ratio poſtulat, ut id, de „ quo quæritur, retractetur, neque pudori eſſe debet, cùm ea, quæ ab initio omiſſa, ſtudio deinde veritatis inveniuntur, in publicum eduutur, quantò magis Eccleſiaſticis diſceptationibus convenit, eandem rationem in illis quoque obſervari? Præcipuè cùm manifeſtum ſit, Patres noſtros, & „ maximè Beatiſſimum Auguſtinum, qui in „ Divinis Scripturis claruit, Romanæ eloquentiæ Magiſtrum, propria ſcripta retractaſſe, dictaque ſua correxiſſe, atque illa, „ quæ omiſerat, ac deinde invenerat addidiſſe. Nos quoque ſimiliter illis exemplis „ incitati, in controverſia trium Capitulorum ſupra memoratorum, nunquam deſtitimus, quin inveſtigaremus quid de prædictis tribus Capitulis in Patrum noſtrorum „ literis veriùs inveniri poſſet.

153 „ Undè patuit reverà, dictis Theodori Mopſueſtiæ ſermonibus, qui ubiquè „ redarguuntur, pleraque contraria rectæ „ fidei & doctrinis Sanctorum Patrum contineri; quare ipſi Sancti Patres adversùs „ eum ſcribentes, tractatus ſuos ad Sanctæ „ Eccleſiæ eruditionem reliquerunt. Etenim „ inter cæteras ipſius blaſphemias apertè ipſum dixiſſe invenimus, alium eſſe Deum „ Verbum, & alium Chriſtum, à paſſionibus animæ, & concupiſcentiis carnis vexatum, & paulatim à minoribus recedentem ad meliora per profectum operum perveniſſe, & converſatione irreprehenſibilem factum. Et ut nudam hominem baptizatum fuiſſe, in nomine Patris & Filii „ & Spiritus Sancti, & per baptiſma gratiam „ Sancti Spiritus accepiſſe, & adoptionem „ promeritum. Et ad exemplum imaginis „ Imperatorię, ob perſonam Dei Verbi Chriſtum adorari. Et poſt Reſurrectionem immutabilem cogitationibus & omninò impeccabilem factum. Præterea dixit, eam „ unionem Dei Verbi factam fuiſſe ad Chriſtum, qualem Apoſtolus dixit de viro & „ muliere: *Erunt duo in carne una*. Et quòd „ poſt Reſurrectionem, cum inſufflaſſet Dominus Diſcipulis, & dixiſſet: *Accipite* „ *Spiritum Sanctum*, non dedit illis Spiritum Sanctum. Similiter hoc quoque auſus eſt dicere, quòd confeſſionem, quam „ Thomas edidit, attrectans manus & latus „ Domini poſt Reſurrectionem, dicens: *Dominus meus & Deus meus*, non ad Chriſtum „ retulit (neque enim Theodorus ait, Chriſtum eſſe Deum) ſed propter miracula Reſurrectionis ſtupentem Thomam laudaſſe „ Deum, eaque verba dixiſſe. Quod autem „ pejus eſt, in interpretatione, quam ſcilicet „ ad Apoſtolorum acta idem Theodorus ſcripſit, ſimilem fecit Chriſtum Platoni & „ Manichæo & Epicuro & Marcioni, dicens, „ quoniam ſicut illorum ſinguli ex proprio „ dogmate, cujus auctores fuerunt, ſuos „ Diſcipulos appellavere Platonicos & Manicheos & Epicureos atque Marcioniſtas, „ eodem modo Chriſtus dogma inveniens, ex „ eo Chriſtianos appellavit.

154 „ Propterea igitur agnoſcat univerſa Eccleſia catholica, nos juſtè & irreprehenſibiliter ad ea, quæ hac noſtrâ conſtitutione comprehenduntur, deveniſſe. Undè „ condemnamus & anathematizamus unà „ cum aliis omnibus hæreticis, qui (ut manifeſtum eſt) damnati & anathematizati „ ſunt à prædictis ſanctis quatuor Synodis,

& ab

„ & ab Eccleſia catholica, Theodorum olim
„ Mopſueſtiæ Epiſcopum & impia ejus ſcri-
„ pta; nihilominùs ea quoque, quæ à Theo-
„ doreto ſcripta ſunt contra rectam fidem, &
„ contra duodecim Capitula Sancti Cyrilli,
„ & contra Synodum Epheſinam primam,
„ quæque ab eo ſcripta ſunt pro defenſione
„ Theodori & Neſtorii. Preterea anathema-
„ tizamus & condemnamus Epiſtolam ad
„ Marim Perſam hæreticum, quæ ab Iba
„ ſcripta dicitur, quæ Chriſtum Verbum ex
„ Sancta Deipara & ſemper Virgine Maria
„ incarnatum, hominem factum eſſe negat,
„ nudum verò hominem ex ea natum, quem
„ Templum vocat, itaut ex hoc intelligitur
„ alium eſſe Deum Verbum, & alium Chri-
„ ſtum: Sanctum verò Cyrillum rectæ fidei
„ Magiſtrum, & prçconem ut hæreticum, &
„ ſimilia Apollinario ſcribentem calumnia-
„ tur, & reprehendit primam Epheſinam Sy-
„ nodum, quaſi abſque judicio & inquiſitio-
„ ne Neſtorium damnaverit, tùm Capita
„ duodecim S. Cyrilli impia, & rectæ fidei
„ contraria appellat eadem Epiſtola; defen-
„ dit autem Theodorum & Neſtorium, & im-
„ pia eorum dogmata atque ſcripta.

155 „ Prçdicta itaque tria Capitula ana-
„ thematizamus & condemnamus, ſcilicet
„ impium Theodorum Mopſueſtiæ, unà cum
„ impiis ejus ſcriptis; Et quæcumque impiè
„ Theodoretus ſcripſit, atque etiam Epiſto-
„ lam, quæ dicitur ab Iba ſcripta fuiſse, qua
„ ſuperiùs dictæ prophanæ blaſphemiæ com-
„ prehenduntur. Quin etiam quemcumque,
„ qui crediderit, aliquo ullo tempore ea Ca-
„ pitula debere ſuſcipi aut defendi, vel co-
„ natus fuerit hanc præſentem condemnatio-
„ nem ſubvertere, ſimili anathemati ſubji-
„ cimus. Quoſcumque verò, qui rectam
„ fidem ſervantes, à dictis Synodis prædica-
„ tam, memorata tria Capitula condemna-
„ verunt, vel etiam condemnant, fratres &
„ conſacerdotes eſſe definimus. Quæ verò
„ aut à me, aut ab aliis ad defenſionem præ-
„ dictorum trium Capitulorum facta ſunt,
„ præſentis hujus ſcripti noſtri definitione,
„ evacuamus. Abſit enim ab Eccleſia catho-
„ lica, ut aliquis dicat omnes ſuperiùs com-
„ prehenſas blaſphemias, à prædictis quatuor
„ Synodis, aut ab una ipſarum ſuſceptas
„ fuiſse, vel eos, qui ſimilia ſentiunt & ſe-
„ quuntur. Apertiſſimum autem eſt, quòd à
„ memoratis Sanctis Patribus, & maximè à
„ ſancta Synodo Chalcedonenſi, nullus, de
„ quo eſset ſuſpicio, admiſsus eſt, niſi qui
„ rejeciſset ſuperiùs comprehenſas blaſphe-
„ mias, aut illis ſimilia, vel hæreſim, de
„ qua fuit ſuſpectus, vel blaſphemias dene-
„ gaviſset & condemnaſset, in quorum ſuſpi-
„ cionem venit. *Hactenus Decretum. Sub-
„ ſcriptio.* Deus te ſervet incolumem, frater
„ honoratiſſime. Data ante ſextum Idus De-
„ cembris, Imperii Domini noſtri Juſtiniani
„ æterni Auguſti Anno XXVII., poſt Con-
„ ſulatum Baſilii viri clariſſimi Anno duo-
„ decimo.

156 Ex hoc itaque decreto conſtat Vigi-
lium quintam Synodum recepiſse atque con-
firmaſse; in eo namque & ipſe tria Capitula
damnat, quatuor Synodos recipit, prout de-
creverant quintæ Synodi Patres, eoſque ſic
credentes, & definientes, fratres & conſa-
cerdotes ſuos eſse pronunciat, ideſt ſuæ com-
munionis eſse, declarat. Quod Vigilii decre-
tum non fuit à Græcis ignoratum, immo re-
latum ab eis ad calcem Actorum quintæ Sy-
nodi, ut exſcriptor antiquus explicat, & ex
ipſo Codice liquet, ad cujus finem habetur
appoſita: immò & ex ipſo Epiſtolæ titulo,
quod ita ſe habet: *Vigilii Epiſtola ad Euty-
chium, & ad præjacentem ſanctam Synodum*,
conſtare poteſt, ut monet Petrus de Marca in
præfata Diſsertat. de Vigilii decreto num. 15.
Hac ergò de cauſa univerſi Græci Scriptores,
ut Evagrius, Cedrenus, Zonaras, Nicepho-
rus & alii ſupra recenſiti, teſtantur Synodum
quintam à Vigilio confirmatam, etſi eidem
non interfuiſset.

157 Verùm apud Latinos in oblivionem
venit, eò quòd in Actis latinis ejuſdem Sy-
nodi prælibatum decretum, ſive Vigilii Epi-
ſtola minimè relata fuerit: cauſam hujus reddit
idem Petrus de Marca ſub num. 21. nimìrum,
quod Acta Græca, ſtatim poſt damnata Capi-
tula, verſa ſunt in Latinam Linguam, Vigi-
lio tradita, ut deliberare poſſet de illorum ap-
probatione vel rejectione. Et nemini curæ
fuit, *inquit*, Actis Latinis Epiſtolam Vigilii
adiicere; cùm ſatis videretur, ad exemplum
cæterarum Epiſtolarum Pontificiarum, hanc
regeſtis contineri Vigilii: quorum tamen cùm
ſit facta jactura, iſtam quoque Epiſtolam in-
tercidere neceſſe fuit. Dubitari minimè po-
teſt, *ſubjungit*, quin ſtatim interpretationem
Latinam aggreſſus fuerit aliquis utriuſque
linguæ peritus, ad uſum Vigilii & Occiden-
talis Eccleſiæ, cùm id in more poſitum fuiſſe
doceant veteres interpretationes Anathema-
tiſmorum Epheſinæ Synodi, & integræ Chal-
cedonenſis, atque ſextæ Synodi. In hac verò
cauſa omninò maturanda erat Latina inter-
pretatio, ut poſſent Acta Vigilio exhiberi apud
ſe deinde conſulturo de trium Capitulorum
damnatione. Quare ſtatim atq; collatio VIII.
finem accepit, ubi trium Capitulorum dam-
natio continetur, ſine dubio Acta Synodi la-
tinè verſa, Vigilio tradita fuerunt. *Hæc in
terminis Petrus de Marca*, addens Latinam
interpretationem hujus Synodi eſſe antiquiſſi-
mam, quod probat ex Actis VI. Synodi, ubi
dicitur Latinam interpretationem ſervatam
fuiſſe in Patriarchio Conſtantinopolitano, ut
habetur Act. 14. & ex Gregorio Magno Lib. 3.
Epiſt. 4. ubi habetur, prælibatum Pontificem
exemplaria Latina hujus Synodi miſiſſe ad
Theodolindam Longobardorum Reginam.

158

158 Acta porrò Latina, quæ extant, ut ſupra præfati ſumus, corrupta ſunt, plura continent adjecta, de quibus locuti ſumus, & plura in eis deſunt. Conſtat enim in eadem Synodo Origenem & ejus errores damnatos, teſtantibus cunctis Scriptoribus Græcis. In Libello Synodico ſcriptum inter alia habetur: „ Quæ quidem divina & ſancta Synodus, „ Origenica Dogmata, & Theodori Mopſueſteni, ut & Theodoreti, & Ibæ adverſùs beatum Cyrillum Alexandrinum ſcripta, decenti Anathemati ſubjecit. *Photius quoque de eadem quinta Synodo inter plura ſcribit*: „ Præterea damnarunt & Anathemate confuderunt Origenem Dydimum, & Evagrium veteres fidelium morbos, qui ſanè homines Græcorum Tabulas in Dei Eccleſiam inferre conati fuerant. *Hæc Photius*. Nilus verò de eadem quinta Synodo ſcribit congregatam Juſtiniani juſſu præcipuè adversùs errores Origenis, licèt falsò ſcribat præſediſſe unà cum aliis Patriarchis Vigilium: „ Sancta & œcumenica, *inquit*, quinta Synodus habita eſt Conſtantinopoli, imperante Juſtiniano, congregata à centum ſexaginta Sanctis Patribus adversùs inſanientem Origenem. Præerant Synodo Vigilius Papa Romæ, Eutychius Conſtantinopolis, Apollinaris Alexandriæ, Domnus Antiochiæ, & Damianus Hieroſolymorum. Erat Annus Mundi 6045. Chriſti verò 545. à quinta uſque ad ſextam ſunt anni 102. *Hactenus Nilus*, qui etiam in tempore errare videtur.

159 Extat quoque apud Labeum tom. 5. Concil. pagin. 786. teſtimonium cujuſdam Anonymi de eadem Synodo ità ſcribentis: „ Quinta & ſancta œcumenica Synodus habita eſt Conſtantinopoli ſub Juſtiniano ſeniore Imperatore, & Vigilio Papa Romæ, & Eutychio Patriarcha Conſtantinopolis. Interfuerunt centum ſexaginta quinque Patres. Quæ Synodus Chalcedonenſem confirmavit, & ut orthodoxa retinuit omnia ejus ſalutaria dogmata, & hæreſes ab illa damnatas anathematizavit. Rejecit quoque & anathematizavit ſancta illa Synodus in primis Origenem dementem, & omnia ejus impia dogmata, ac ſcripta, tùm Evagrium & Dydimum, ut ſymiſtas ejus ac ſequaces & paganorum dogmatibus ſcaturientes. *Hæc ille*. Cedrenus porrò in compendio Hiſtoriæ ad Annum XXV. Juſtiniani, exhibet Epiſtolam Juſtiniani, datam ad eandem Synodum adversùs errores Origenis, ſic ſe habentem.

Literæ Juſtiniani ad ſanctam Synodum C.P. De Origene & Sectatoribus ejus.

160 „ Studium noſtrum fuit & eſt, ſanctam Dei & Apoſtolicam Eccleſiam à turbis ſecuram cuſtodire, prout par eſt, & „ ea, quæ quocumque modo contra orthodoxam fidem enaſcuntur, condemnare. „ Cùm ergò compertum habeamus, eſſe Hieroſolymis quoſdam nimirum Monachos, qui Pythagoræ, Platonis, Origeniſque Adamantii impios errores ſectentur ac doceant, exiſtimavimus curam & inquiſitionem de iis adhibendam, nè ii tandem paganicis & manichaicis ſuis impoſturis multos perdant. Dicunt enim (ut de multis pauca commemoremus) mentes fuiſſe prorsùs & numeri & nominis expertes; omniaque rationalia unum eſſe identitate ſubſtantiæ & operationis, & virtute apud Deum Verbum per unitionem & cognitionem.

161 „ Has verò mentes, ubi ſuſceperint juxtà uniuſcujuſque captum ſatietatem divinæ dilectionis & contemplationis, per mutationem ipſarum in deterius, vel craſſiora, vel tenuiora corpora induere, & nomina ſortiri, ac inde cœleſtes & adminiſtras ſubſtitiſſe virtutes. Imò & Solem & Lunam & Stellas, utpotè quæ & ipſa in rationabilium unitate ſint, ex mutatione in deterius facta, hoc eſſe cœpiſſe quod ſunt. Ea verò rationabilia, in quibus magis Dei amor refrixerit, *Pſichàs*, hoc eſt, Animas nuncupari, & craſſioribus, qualia noſtra ſunt corpora, immitti. Quæ autem ad extremum perverſitatis venerint, ea frigidis ac caliginoſis inſeri corporibus, & Dęmones fieri, & nuncupari; ac proinde ex Angelico quidem ſtatu fieri animalem, ex animali verò dęmoniacum & humanum. Unam autem dumtaxat mentem ex tota unitate rationalium, imperturbatam perſtitiſſe & immotam à dilectione divina & contemplatione, eamque fuiſſe Chriſtum Regem Deum & hominem.

162 „ Affirmant etiam, corpora penitùs interire ipſo Domino primùm, deinde reliquis omnibus ſuum corpus abjicientibus; & quod rursùm omnes redeuntes ad ipſam veritatem, mentes fiunt juxtà illud eſse quod priùs habebant; ac videlicet ipſum etiam Diabolum reſtituendum eſse, & reliquos Dęmones in ipſam unitatem, atque impios & nefarios homines unà cum divinis ac Deo plenis Viris, cœleſtibuſque virtibus; eodemque modo, quo & Chriſtus, cum Deo eſse uniendos, ſicut & priùs uniti erant, atque adeò Chriſtum planè nihil à reliquis ratione præditis differre, neque virtute, neque operatione, neque ſubſtantia, neque cognitione.

163 „ Pythagoras etenim principium omnium rerum, unitatem eſse dixit; & rursùm Pythagoras & Plato, multitudinem quandam animarum incorporearum eſse, dicentes, dicunt etiam, quòd ſi in peccatum aliquod inciderint, in pœnam dimittuntur in corpora. Quocircà Plato corpus appellavit *demas* (hoc eſt vinculum,

,, & *ſima*, hoc eſt, ſepulchrum) eò quòd anima in ipſo corpore, quaſi vincta & ſepulta ſit. Deinde de futuro judicio & retributione animarum rursùs inquit: Anima illius, qui unà cum ſapientiæ ſtudio puerorum amore, & flagitioſâ vitâ ſe polluit, per tres millenarias circuitiones pœnas luet; & ſic recuperatis alis poſt annorum millia educitur & abit: reliquæ verò, cùm ex hac vita diſceſſerint, aliæ quidem ſub terra in judicii locum delatæ pœnas ſimul & rationem dabunt; aliæ in cœleſtem quemdam locum per judicium elatæ, fœlicitate fruuntur pro vitæ meritis.

164 ,, Eſt autem in promptu hujus ſententiæ abſurditatem perſpicere. Quis enim eum docuit millenarias iſtas annorum converſiones, & quòd poſt millium annorum decurſum unaquæque anima ad ſuum perveniat locum? Quæ verò his interſerit, nè à procacibus ipſis quamvis libidinoſis, congruum eſſet dici, nedùm à tali ac tanto Philoſopho; quippè eos, qui vitam puritate plenam ad extremum uſque duxerunt, cum intemperantibus & puerorum amatoribus conjunxit, eiſdemque bonis utroſq; frui dixit. Pythagoras ergò & Plato & Plotinus, aliique horum ſectatores, qui unico conſenſu animas immortales eſſe fatentur, eas corporibus priores eſſe affirmant, & eſſe quandam animarum multitudinem, & quæ delinquunt, in corpora demitti, ut dixi, & pigrorum quidem animas abire in aſinos, rapacium verò in lupos, doloſorum in vulpes, mulierum amore fruentium in equos.

165 ,, Sed Eccleſia Divinis adſtipulans Scripturis, animam unà cum corpore creatam affirmat, non alterum altero priùs, ut vecordi Origeni viſum eſt. Propter has igitur nefarias & pernicioſas opiniones, imò potiùs nugas, vos hortamur, ò Sanctiſſimi Patres, ut in unum collecti, ſubjectam expoſitionem diligenter perlegatis, & ſingula ejus capita damnetis & anathematizetis unà cum Origene omnes, qui idem ſentiunt, aut ſentient ad finem. *Hactenus Juſtiniani Literæ*.

166 Palàm ergò ſit in ea Synodo actum eſſe de Origenis erroribus, ut teſtantur, ſicut præfati ſumus Græci omnes, adeout Nicephorus duas tantùm collationes hujus Synodi recenſeat, ut dictum eſt, unam adverſùs tria Capitula, alteram verò adverſùs errores Origenis, ut ex libro 17. ſuæ hiſt. cap. 27. palàm ſit. Teſtantur quoque Acta vitæ Sancti Sabæ, relecta in ſeptima generali Synodo atque recepta, ubi Coſmas Diaconus & Notarius legit: *Sanctæ venerabilis quintæ Synodi, quæ Conſtantinopoli congregata eſt, communi & univerſali ſummiſſi ſunt anathemati Origenes & Theodorus Mopſueſtiæ, & ea, quæ ab Evagrio & Dydimo dicta ſunt, de eo videlicet, quod ante ſubſtantiam fuiſſe perhibeant, & quod de reſtitutione in ſtatum priſtinum fatebantur, conſentientibus quatuor Patriarchis*. Hujuſmodi verò Actorum mutilationem ab Origeniſtis factam, qui Synodo præfuerunt, ut notavimus ſupra *num.*125. eruditi communiter ſentiunt, præcipuèque à Theodoro Epiſcopo Cæſareæ, qui primas partes in ea Synodo habuit, & defenſor acerrimus Origenis extitit; nec à ſuſpicione Origeniſtæ immunis fuit ipſemet Eutychius Patriarcha Conſtantinopolitanus, ut eodem loco præfati ſumus.

167 At modò non leve dubium movetur qua de cauſa in decreto Vigilii nulla vel levis mentio habeatur de damnatione errorum Origenis: videtur enim ad ipſius officium pertinuiſſe, nedùm Acta confirmare adverſùs tria Capitula, verùm & quæcunque geſta fuerant adverſùs Origenem, atque illius errores. Neque ſatis eſt, ſi dicatur in Actis ad eum tranſmiſſis defuiſſe geſta adverſùs Origenem, quoniam ab abſoluta Synodo ad tempus dati decreti, decurſis jam ſex menſibus, notiſſima cunctis erat damnatio Origenis, atque ſuorum errorum in Synodo habita; undè non videtur Vigilius debuiſſe prætermittere etiam illorum Actorum confirmationem.

168 Ut huic occurramus difficultati, opere pretium eſt advertere jam Anno Domini DXXXVIII. ad ſuggeſtionem Pelagii Diaconi & Romanæ Eccleſiæ Apocrifarii, Juſtinianum oratione ſuâ, quæ incipit: *Nobis ſemper ſtudio fuit*, miſsâ ad Mennam Patriarcham, errores atque Origenis nugas refutaſſe, prælibatum Patriarcham hortatum fuiſſe, ut eaſdem unà cum Epiſcopis in Urbe Regia degentibus ſubjiceret anathemati, id quod Mennas præſtitit. Deinde miſſo damnationis decreto ad Vigilium Papam pro obtinenda confirmatione, præfatum Vigilium ſubſcriſcripſiſſe eidem damnationis decreto, ſcribit Liberatus in Breviario cap. 23. in fine, ubi præfata enarrans geſta, ait: ,, Pelagius æmulus exiſtens Cæſareæ Cappadociæ Epiſcopo, volens ei nocere, eò quòd eſſet Origenis defenſor, unà cum Menna Archiepiſcopo Conſtantinopolitano, flagitabat à Principe, ut juberet fieri, quod illi Monachi ſupplicabant: (*Monachi enim Paleſtinæ Capitula adverſùs Origenem detulerant, petentes, ut damnarentur cum ſuo auctore*) ut Origenes damnaretur, ipſaque Capitula talia docentia. Annuit Imperator facillimè, gaudens ſe de talibus cauſis judicium ferre. Jubente eo, dictata eſt in Origenem & illa Capitula anathematis damnatio, quam ſubſcribentes unà cum Menna Archiepiſcopo apud Conſtantinopolim reperti, deindè directa eſt Vigilio Romano Epiſcopo, Zoilo Alexandrino, Euphemio Antiocheno, & Petro Hieroſolymitano: Quibus eam accipientibus, & ſubſcribentibus,

Ori-

„ Origenes damnatus eſt mortuus, qui vi-
„ vens olim fuerat ante damnatus. Idem recenſet Caſſiodorus lib. 1. Divinarum Lectionum cap. 1., ubi agens de Origene, ait: *Hunc licèt tot Patrum impugnet auctoritas, præſenti tamen tempore & à Vigilio Beatiſſimo Papa denuò conſtat eſſe damnatum*. Hoc itaque ſuppoſito, cùm jam Vigilius olim Origenem damnaſſet, decreto ſuo, quod neceſſario de tribus Capitulis ferre debebat, Origenem non eſt complexus, adversùs quem partes ſuas olim impleverat. Ita tradit Petrus de Marca. Itaque ex hactenus deductis ſatis ſuperque conſtat Vigilium Synodum ſuo decreto confirmaſſe, atque approbaſſe.

169 Ut porrò omnis dubietas de tempore, quo eam confirmaverit, atque approbaverit, auferatur, ex ipſius decreti datâ palàm fit, ſex poſt ab abſoluta Synodo menſes, Vigilium Synodo adhæſiſſe. Ultima namque Synodi collatio habita fuit IV. Nonas Junias, prout Acta produnt, Domini Anno DLIII. Imperii Juſtiniani XXVII. poſt Conſulatum Baſilii viri clariſſimi Anno XII. Belli Gothici Anno XVIII. currente Indictione I. decretum porrò Vigilii datum legitur ante ſextum Idus Decembris ejuſdem anni, ac proinde poſt ſex menſes à ſolutione Synodi. Nec in hoc contradicunt Græcorum Scriptorum teſtimonia, quæ non dicunt ſtatim conſenſiſſe, ſed conſenſiſſe & quidem per literas,& utique verum eſt, quòd conſenſit per literas, licèt non ſtatim. Non enim Cedrenus, Zonaras, Nicephorus, Eutychius, aliique, qui geſta hujus Synodi retulerunt, ſcripſerunt eodem die, quo fuit abſoluta Synodus, ſed valdè poſt, & certè poſtquàm Vigilius conſenſit; proindèque cum omni veritate referunt, Vigilium Synodo ſuâ auctoritate adhæſiſſe, licèt poſt ſex menſes à ſoluta Synodo. Hinc recepto decreto à Patriarcha, atque Epiſcopis, qui tunc aderant, & ipſi Imperatori communicato, ſtatim ejuſdem Principis juſſu ſolutus eſt Vigilius ab exilio Conſtantinopolim revocatus,ſolutique ſunt & cæteri Epiſcopi & Clerici Vigilio conſentientes. Ac ideò liquet, tempus hujus exilii non diutinum fuiſſe, nec ultra ſex menſes excediſſe.

170 Anaſtaſius Biblioth. in vita Vigilii, aliam recenſet cauſam ſolutionis hujus exilii, eam enim refudit in Narſetem Exercitus in Italia Ducem, qui poſt devictos Gothos, rogantibus Clero & Romano Populo, pro Vigilio apud Imperatorem oraverat; ſic enim ſcribit: „ Eodem tempore Imperator Juſti-
„ nianus miſit Narſetem Eunuchum & Cu-
„ bicularium ſuum in Italiam, cui, datâ
„ pugnâ cum Gothis, donavit Deus victo-
„ riam, & occiſus eſt Rex, & multitudo Go-
„ thorum interfecta eſt. Tunc adunatus Cle-
„ rus rogaverunt Narſetem, ut unà cum
„ ejus ſuggeſtione rogarent Principem, ut
„ ſi adhùc viveret Vigilius Papa, aut Preſ-
„ byteri, ſeu Diaconi, vel Clerus, qui cum
„ eodem Vigilio fuerant exilio deportati,
„ reverterentur. Suſceptâ relatione Narſe-
„ tis, vel cuncti Cleri Romani, lætus affe-
„ ctus eſt Imperator & omnes inclyti ejus,
„ eò quòd requiem donaſſet Deus Romanis.
„ Mox miſit juſſiones ſuas per diverſa loca,
„ ubi fuerant in exilio deportati in Giſſa, &
„ Proconneſo, & adduxit eos ante ſe Impe-
„ rator, dicens eis: Vultis recipere Vigi-
„ lium, ut fuit Papa veſter? Gratias ago.
„ Minùs nè? Hic habetis Archidiaconum
„ veſtrum Pelagium, manus mea erit vobiſ-
„ cum. Reſponderunt omnes: Imperet Deus
„ pietati tuæ. Reſtitue nobis modò Vigi-
„ lium, & quandò eum voluerit Deus tran-
„ ſire de hoc ſæculo, tunc veſtrâ præceptione
„ nobis donetur Pelagius Archidiaconus.
„ Tunc dimiſit omnes cum Vigilio. *Hactenus Anaſtaſius*.

171 Cæterùm accidiſſe potuit eo tempore, quo Vigilius Synodo conſenſit, datis prærecitatis literis ad Eutychium, vindicatâ Italiâ à Gothis per Narſetem, ut etiam pro Vigilio Narſes, inſtante Clero Romano, rogaſſet, eaque eveniſſe, quæ Anaſtaſius ſcribit: licèt dubitari minimè poſſit, cauſam primariam ſolutionis exilii non aliam fuiſſe præter Pontificis aſſenſum Concilio exhibitum; quemadmodùm enim unica exilii ejus cauſa fuit non approbatio Synodi, ſic & approbatio illius cauſa ſolutionis fuit.

172 Non eſt ſilentio prætereundum id, quod Anaſtaſius in mox citato loco recenſet, de auctoritate, quam ſibi Juſtinianus arrogaverat, deſtituendi, & præſentandi Romanum Pontificem. Ex hoc enim facto peſſimus inolevit uſus, ut Romani Pontifices à Græcorum Imperatoribus poſt electionem confirmationem acciperent, quæ poſtea non ſine ingentis pecuniæ oblatione obtineri poterat. Peccavit certè Romanus Clerus, & nimis abjectè egit, dùm poſt obitum Vigilii in ſucceſſoris ſubſtitutionem præceptionem ſe expectaturum promiſit Imperatoris. Sacrilegè ſe geſſit Juſtinianus, dum duriores coegit Romanam Eccleſiam ſubire conditiones, quàm tulerat ſub Ethniticis Imperatoribus, atque etiam ſub Gothorum Regibus, de quibus nulla eſt uſquam mentio, quod confirmationem electi in Romanum Pontificem ſibi aliquando arrogarint.

173 Redacto porrò in gratiam Principis Vigilio, atque ab exilio ſoluto, antequàm Romam repeteret, obtinuit ab Imperatore nonnulla pro Senatu & Populo Romano privilegia, quæ extant in novella Juſtiniani Conſtitutione, ſub titulo: *Pragmatica Sanctio Juſtiniani Imperatoris, complectens varia Capitula*, & habetur in corpore Juris Civilis, poſt Novellas & edicta Juſtiniani, in collect. nonnullarum Conſtitutionum ejuſdem & aliorum Imperatorum, quæ ſic ſe habet.

174 „ Pro petitione Vigilii venerabilis antiquioris Romæ Epiſcopi, quædam diſponenda cenſuimus ad utilitatem omnium pertinentia, qui per Occidentales partes habitare noſcuntur. In primis itaque jubemus, ut omnia, quæ Athalaricus vel Amalaſuntha Regia mater ejus, vel etiam Theodatis Romanis, vel Senatu poſcente conceſſerunt, inviolabiliter conſerventur: ſed & ea, quæ à nobis, vel à piæ memoriæ Theodora Auguſtâ quondam Conjuge noſtra collata ſunt, volumus illibata ſervari: nullâ cuicumque dandâ licentiâ contra ea venire, quæ à prædictis perſonis pro quibuſcumque rebus vel titulis data, vel conceſſa eſſe noſcuntur, exceptâ videlicet donatione à Theodato in Maximum pro rebus habitâ Marciani, ex quibus dimidiam portionem Liberio viro glorioſiſſimo dediſſe meminimus, reliquam dimidiam Maximo viro Magnifico relictam, quas apud utrumque firmiter manere cenſuimus. *Hactenus ex cap. 1. hujus Conſtitutionis.*

175 Deinde plura alia in ea decernuntur, quæ brevitatis gratiâ omittimus: continet enim prælibata conſtitutio capita XXVI., referam dumtaxat ea, quæ ſub capite XIX. ſancita ſunt de menſuris, & ponderibus, quæ ita ſe habent: „ Ut autem nulla fraudis vel læſionis Provinciarum naſcatur occaſio, jubemus in illis menſuris, vel ponderibus ſpecies, vel pecunias dari, vel ſuſcipi, quæ Beatiſſimo Papæ, vel ampliſſimo Senatui noſtra pietas præſenti contradidit. *Hæc ibi*. Legitur hæc conſtitutio data ad Narſetem Præpoſitum Sacri Cubiculi, & ad Antiochum Præfectum per Italiam Idibus Auguſti, Imperii Juſtiniani Anno XXVIII., poſt Conſulatum Baſilii Viri clariſſimi Anno XIII. ac proinde VIII. circiter Menſe ab edito Vigilii decreto pro V. Synodo, & ab ejuſdem Pontificis exilii ſolutione. Et cùm ex eadem conſtitutione liqueat Vigilio cõtradidiſſe pondera & menſuras utendas à Romanis, palàm fit, nonniſi poſt hanc editam conſtitutionem Vigilium ſoluiſſe Conſtantinopoli remeandi causâ Romam: obiit verò in itinere in Inſula Siciliæ apud Syracuſas calculi dolore confectus, ut Anaſtaſius ſcribit, inquiens: „ Tunc dimiſit omnes cum Vigilio. Venerunt itaque Siciliam in Civitatem Syracuſas, ubi Vigilius afflictus, calculi dolorem habens, mortuus eſt. Cujus corpus ductum Romam, ſepultum eſt ad Sanctum Marcellum Viâ Salariâ. Hæc Anaſtaſius.

176 De tempore obitus Vigilii, quo ſcilicet anno, quo menſe, quave die, altum ſilentium eſt apud antiquos, Sylverium obiiſſe Anno Domini DXL. adnotavimus ſuo loco, ſepultumque fuiſſe XII. Kalendas Junias; pariter diximus ſupra ſub num. 22. qui erat Annus Imperii Juſtiniani XIV. quare vacante Sede ſex diebus, ut conſignat Anaſtaſius, neceſſe eſt aſſerere, Vigilium receptum fuiſſe in legitimum Pontificem ſexto Kalendas Junias, ſcilicet die XXV. menſis Maii ejuſdem Anni Domini DXL. & Imperii Juſtiniani XIV. Si porrò verum eſſet quod ſcribit Anaſtaſius, Vigilium Pontificatum tenuiſſe Annos XVII. Menſes V. & dies XXVI., ſequeretur Vigilium deceſſiſſe Anno Domini DLVIII. die XX. Menſis Novembris, ſed hoc non videtur probabile, quoniam ſic neceſſe eſſet aſſerere, obiiſſe Anno Imperii Juſtiniani XXXI. quo tempore conſtat Pelagium Sedem Pontificiam tenuiſſe, neque cum antedictis concordare poteſt.

177 Itaque mihi probabile videtur, Vigilium ſoluiſſe Conſtantinopoli paulò poſt latam à Juſtiniano præfatam conſtitutionem à Vigilio impetratam, & fortè eodem Menſe Auguſti, quo tempus navigandi proprium eſſe ſolet, ac proindè Anno Imperii Juſtiniani XXVIII., Domini verò Anno DLIV. perveniſſe poſtea in Inſulam Siciliæ Menſe Novembris non eſt difficile creditu, ac ita factâ correctione annorum ab Anaſtaſio conſignatorum, ſi concedamus menſes, & dies, quos ſupra annos vixiſſe tradit, concludi poteſt obiiſſe die XX. Novem. Anno Domini DLIV. Imperii Juſtiniani Anno XXVIII. cùm ſediſſet Annos XIV. Menſes V. dieſque XXVI. & cùm idem Anaſtaſius in vita Vigilii ſcribat poſt illius obitum ceſſaſſe Epiſcopatum menſes tres, & dies quinque, conſignari poterit electio Pelagii ſucceſſoris in diem XXVI. Februarii ſequentis anni.

CAPUT IV.

An rectè Vigilius tria Capitula damnaverit, atque Synodum V. approbaverit.

178 Citra controverſiam eſt eos rectè damnari, quos conſtat hæreſes docuiſſe atque propugnaſſe, nullâ ſuorum errorum factâ retractatione: ſcripta quoque meritò damnari, in quibus falſa atque adverſantia Catholicæ fidei dogmata continentur, ſatis notum eſt: cùmque ergo Theodorus Mopſueſtenus, & hæreſim propugnaſſet, nunquam ſe retractando, ſcriptaque blaſphemiis undique referta edidiſſet, atque evulgaſſet; nec non & Theodoreti ſcripta adversùs præcipuè duodecim Cyrilli Anathematiſmos, & Epiſtola Ibæ ad Marim Perſam, errores adversùs rectam fidem contineant, rectè & meritò hæc tria Capitula damnavit Vigilius, quæ priùs eâdem de cauſa damnaverat V. Synodus. Ut verò à Theodoro exordiamur: iſte inter alia impia quæ edidit ſcripta, Symbolum quoddam fidei auſus eſt evulgare ad deceptionem incautorum, undique blaſphemiis refertum, tenoris ſequentis.

179 „ Eos qui nunc primùm erudiuntur „ Eccleſiaſticorum dogmatum ſubtilitatem, „ ſeu aliquo hæretico errore tranſire volunt „ ad veritatem, doceri oportet & confiteri, „ quòd credimus in unum Deum Patrem ſempiternum, qui non poſtea cœpit eſſe, ſed „ ſupra conſtitutum ſempiternum, ſed neque „ poſtremò factum Patrem, quia ſemper & „ Deus erat & Pater.

180 „ Credimus autem & in unum Filium „ Dei unigenitum, qui eſt de ſubſtantia Patris ut verè Filium, qui & ejuſdem ſubſtantiæ eſt, cujus & eſt & creditur Filius...

181 „ Et in Spiritum autem Sanctum, „ qui ex Dei eſt ſubſtantia, qui non Filius, „ Deus autem eſt ſecundùm ſubſtantiam, „ quia illius eſt ſubſtantiæ, cujus eſt Deus „ & Pater, ex quo ſecundùm ſubſtantiam eſt: „ *Nos enim*, inquit, *non ſpiritum hujus Mundi* „ *accepimus, ſed ſpiritum qui ex Deo eſt*. A „ creaturâ quidem ipſum ſegregans omni, „ Deo autem conjungens, ex quo ſecundùm „ ſubſtantiam eſt, propriâ autem ratione præter omnem creaturam, quam non ſecundùm ſubſtantiam, ſed cauſa opificationis „ ex Deo eſſe putamus: & neque Filium „ putantes, neque per Filium eſſentiam accipientem.

182 „ Confitemur autem Patrem unum „ perfectum perſonâ, & Filium ſimiliter, & „ Spiritum Sanctum eodem modo, ſalvâ autem „ ratione pietatis nobis, Patrem & Filium & „ Spiritum Sanctum non tres aliquas ſubſtantias diverſas putare, ſed unam eandem naturam Deitatis cognoſcentes.

183 „ Oportet autem & de diſpenſatione, quam pro noſtra ſalute in ea diſpenſatione, quæ eſt circa Dominum Chriſtum, „ Dominus effecit Deus ſcire, quòd Deus „ verum hominem aſſumpſit perfectum, à „ ſemine conſtitutum Abraham & David, „ ſecundùm declarationem ſcripturarum divinarum, hoc conſtitutum naturâ, quod „ erant illi, quorum de ſemine erat: hominem perfectum ſecundùm naturam, & „ ex anima intellectuali, & carne conſiſtentem humanâ: quem hominem conſtitutum „ ſecundùm noſtram naturam, Spiritus Sancti virtute in Virgine factum, & *natum ex* „ *muliere, & factum ſub lege, ut omnes nos redimeret à legis ſervitute*, quam longè ante „ ſtatuit, adoptionem recipientes ineffabiliter conjunxit ſibi: qui mortem quidem „ eum ſecundùm legem hominum ſuſtinere „ fecit, reſuſcitavit autem ex mortuis, & „ eduxit in Cœlum, & ſedere fecit in dextera Dei, undè ſuper omnem conſtitutus „ principatum, & poteſtatem, & dominationem & virtutem, & omne nomen, quod nominatur, non ſolùm in hoc ſæculo, ſed „ etiam in futuro ab omni creatura ſuſcipit „ venerationem, ut inſeparabilem ad divinam naturam habens conjunctionem relatione Dei & intellectu, omni ei Creaturâ „ venerationem attribuente.

184 „ Et neque duos dicimus Filios, neque duos Dominos, quoniam unus Filius „ ſecundùm ſubſtantiam Deus Verbũ, Unigenitus Filius Patris, cui iſte conjunctus, „ & particeps, communionem habet Filii „ nomine & honoris, & Dominus ſecundùm „ ſubſtantiam Deus Verbum, cui conjunctus „ iſte communionem habet honoris. Et ideò „ nec duos dicimus Filios, nec duos Dominos: quoniam certo conſtituto ſecundùm „ naturam Domino & Filio, inſeparabilem „ habens ad eum conjunctionem, qui pro noſtra aſſumptus eſt ſalute, cum illo honorem „ & nominationem Filii & Domini habet, „ non tanquam noſtrùm unuſquiſque per ſe „ ipſum ſubſiſtens Filius, (undè & Filii multi ſecundùm beatum dicimus Paulum) ſed „ ſolus præcipuum habens hoc, ut in conjunctione ad Deum Verbum, tàm filiationis, quàm dominationis particeps ſit, amputans omnem intellectum dualitatis filiorum, & dominorum. Præbet autem nobis „ in conjunctione ad Deum Verbum, omnem habere ejus & fidem, & intellectum, „ & viſionem, pro quibus & venerationem „ relatione Dei ab omni ſuſcipit creatura: „ unum ergò Filium dicimus & Dominum „ Jeſum Chriſtum, per quem omnia facta „ ſunt, principaliter quidem Deum Verbum „ intelligentes, qui ſecundùm ſubſtantiam, „ & Filius Dei, & Dominus eſt.

185 „ Deinde ſimul mente accipientes „ ſumptum Jeſum, qui eſt de Nazareth, „ quem unxit Deus ſpiritu & virtute, ut „ conjunctione ad Deum Verbum, filiationis & dominationis participem conſtitutum, qui ſecundus Adam à beato vocatur „ Paulo, ejuſdem quidem naturæ conſtitutus „ Adam, & oſtendens nobis futurum ſtatum, „ & tantam habens ad illum differentiam, „ quanta fiet ejus, qui ineffabilia præbet futuri ſtatus bona, ad eum, qui præſentium „ triſtium dedit initium. Simili autem modo, & ſecundus homo vocatur, ut ſtatum „ ſecundum manifeſtans, quia prioris quidem initium dedit Adam mortalis & paſſibilis & multorum pleni dolorum, in quo & „ demonſtravit ad eum habere ſimilitudinem: „ ſecundum autem oſtendit Dominus Chriſtus.

186 „ Iſte de Cœlis in futuro viſus, omnes nos in communionem educet ſuam: „ *Nàm primus*, dicit, *homo de terra terrenus*, „ *ſecundus homo Dominus de Cœlo*, ideſt, „ inde in futuro apparituras, ut omnes ad „ imitationem ducat ſui. Undè addit: *Qualis* „ *terrenus, tales & terreni; & qualis cœleſtis*, „ *tales & cœleſtes. Et quomodo induimus imaginem terreni, induamus & imaginem ejus*, „ *qui de Cœlo eſt*. In eo apparente, & eum „ omnibus videntibus, qui judicandi ſunt in oc-

„ occulto conſtituta divina natura faciet ju- „ dicium: *Tempora enim ignorantiæ noſtræ* „ *deſpiciens Deus, nunc annunciat hominibus,* „ *ut omnes ubique pœnitentiam agant: quoniam* „ *ſtatuit diem, quo judicet de orbe terrarum in* „ *æquitate, in viro, cui conſtituit fidem præ-* „ *ſtare, ſuſcitans eum de mortuis*. Iſta Eccle- „ ſiaſticorum dogmatum doctrina, & omnis „ qui contraria ei ſapit, Anathema ſit. *Ha-ctenus Symbolum Theodori*.

187 In hoc ergo Symbolo conſtat Theodorum fateri Chriſtum eſse purum hominem, eumque Dei Filium, non naturâ, ſed adoptione & gratiâ: re ipsâ quoque, ſi non verbis, duas in Chriſto perſonas adſtruere, cùm Deum & hominem aſsumptum, unum tantùm moraliter eſse aſserat, eâ ſcilicet unitate, quæ eſt ſecundùm dignitatem, & honorem, adeoque ſecundùm relationem, non ſecundùm hypoſtaſim. Sic ſonant verba illa: *Et neq; duos dicimus Filios, neq; duos Dominos, quoniam unus filius ſecundùm ſubſtantiam Deus Verbum, Unigenitus Filius Patris, cui iſte conjunctus, & particeps cōmunionem habet Filii nomine & honoris: & Dominus ſecundùm ſubſtantiam Deus Verbum, cui conjunctus iſte, communionem habet honoris. Et ideò nec duos dicimus filios, nec duos Dominos: quoniam certo conſtituto ſecundùm naturam Domino & Filio, inſeparabilem habens ad eum conjunctionem, qui pro noſtra aſſumptus eſt ſalute cum illo honorem & nominationem Filii habet & Domini*. Et item: *Unum ergò Filium dicimus & Dominum Jeſum Chriſtum, per quem omnia facta ſunt: principaliter quidem Deum Verbum intelligentes, qui ſecundùm ſubſtantiam & Filius Dei & Dominus eſt. Deinde ſimul mente accipientes ſumptum Jeſum qui eſt de Nazareth, quem unxit Deus ſpiritu & virtute, ut conjunctione ad Deum Verbum, filiationis & dominationis participem conſtitutum*. Patet ergò de mente Theodori, Jeſum alterum eſſe à Deo Verbo, & vocabulo tantùm, non naturâ appellandum eſſe Dei Filium: cæteraque non genuina habere privilegia, ſed per ſolam gratiam: & hoc pacto viam Neſtorio aperuit aſſerendi Chriſti perſonam diſtinctam eſſe à perſona Verbi, ac proinde Chriſtum eſſe purum hominem, honore, gratiâ, adoptione, ac dignitate appeltum Filium.

188 Itaque propter ejuſmodi blaſphemias in Epheſina prima Synodo Act. VI. relecto hoc Symbolo à Chariſio Presbytero, Patres unâ voce illud, tanquam in ſe ſubnexos habens errores Neſtorii, damnarunt, rejecerunt, atque proſcripſerunt, hanc pronunciantes ſententiam „ Si qui inventi fuerint, vel Epiſcopi, „ vel Clerici, vel Laici, ſive ſentire, ſive „ docere ea, quæ continentur in oblata ex- „ poſitione à Chariſio Presbytero de Unige- „ niti Filii Dei Incarnatione, ſive ſcelerata „ & perverſa Neſtorii dogmata, quæ & ſub- „ nexa ſunt, ſubjaceant ſententiæ ſanctæ „ hujus & univerſalis Synodi; ut videlicet „ Epiſcopus quidem removeatur ab Epiſco- „ patu, & ſit depoſitus: Clericus verò ſimi- „ liter excidat à Clericatu: Si verò Laicus „ quis ſit, & ipſe anathematizetur, ſicut ſu- „ periùs dictum eſt. *Hæc ibi*. Cujus Symboli reprobationis meminit & Beatus Cyrillus in Epiſtola data ad Proclum Epiſcopum Conſtantinopolitanum, cujùs initium eſt: *Vix aliquandò*, ubi ait: „ Sciat verò tua „ Sanctitas, quòd prolatâ apud ſanctam Sy- „ nodum expoſitione ab eo compoſitâ, ſicut „ dicebant qui protulerunt, nihil ſanum ha- „ bente, reprobavit quidem eam ſancta Syno- „ dus, utpotè perverſis plenam intellecti- „ bus, & Neſtorianam impietatem quaſi effluentem. *Hactenus Cyrillus*. Proindè meritò Patres in V. Synodo collat. IV. relecto præfato Symbolo, exclamarunt: *Hoc Symbolum Satanas compoſuit. Anathema ei, qui hoc Symbolum compoſuit. Hoc Symbolum Epheſina prima Synodus unà cum auctore ejus anathematizavit*. Et ſic rectè Vigilius potuit Theodorum damnare, qui tale compoſuit Symbolum.

189 Cæterùm idem Vigilius in ſuo conſtituto ſexaginta Capita excerpta ex Theodori ſcriptis impugnavit. Cyrillus quoque Alexandrinus, ut habetur collat. V. Synodi V. plures ſententias Theodori refutavit, velut fidei catholicæ adverſantes. Undè etſi Vigilius in prælibato conſtituto pepercerit perſonæ Theodori, ſcripta tamen ejus anathematizavit: poterat inde poſtea meliùs conſultus, & ipſum Theodorum tantarum blaſphemiarum, rectè anathematizare auctorem: eò magis quòd conſtat ex ejuſdem Theodori ſcriptis, non ex ignorantia tot protuliſſe blaſphemias, ſed ſcienter, ſed pertinaciter, ſcribendo, docendo, prædicando, ac undique evulgando. Videri poſſunt excerpta ex ipſius libris tertio & quarto contra Apollinarium, ex Commentariis editis in Joannem, in Lucam, in duodecim Prophetas, ex interpretatione ejus in Pſal.68., ex libris ſuis de Incarnatione, adversùs quos ſcripſit Beatus Cyrillus, & ex innumeris aliis libris ab eo compoſitis, quorum excerpta recitata in eadem V. Synodo collat. IV. Et ex prædictis excerptis liquet, præter hæreſim Neſtorianam, complures alias docuiſſe hæreſes; quoniam & Deum auctorem malorum facit, peccatum expediens hominibus; & fieri, Deum diſpoſuiſſe tradit; ſacram Job Hiſtoriam, utpotè pagana ſapiens repudiat: Canticum quoque Canticorum deſpicit, utpotè ſcriptum à Salomone ad ſuam adamatam; & multa alia, quæ in eiſdem excerptis legi poſſunt.

190 Hiſce de cauſis longè ante V. Synodum, & ante Vigilium, ut hæreticum damnatum fuiſſe ab ipſa Mopſueſtena Eccleſia, Acta Synodica ejuſdem Eccleſiæ, relecta pariter in V. Syndo collat. VI. palàm faciunt, cùm

in

in eis teſtimonio jurato totius Cleri, aſſeratur, nomen Theodori ab immemorabili deletum fuiſſe è ſacris illius Eccleſiæ Diptycis, ſubſtitutumque ejus loco Sanctiſſimi Cyrilli nomen; non enim deletum fuiſſet ejus nomen, niſi ab Eccleſia fuiſſet ejectus, atque ut hæreticus damnatus; quarè Patres v. Synodi, relectis prælibatis Synodi Mopſueſtenæ Actis, dixerunt: „ Sufficiunt quidem quæ dicta & „ prolata ſunt, Eccleſiaſticam traditionem „ demonſtrare, eò quòd oportet hæreticos, & „ poſt mortem anathematizari. Et reliqua „ verò omnia, quæ mota ſunt, oſtendunt „ quemadmodùm ex prolixis temporibus „ Theodorus Mopſueſtenus propter impia „ ſua conſcripta, & poſt mortem à catholica „ Eccleſia ejectus eſt. *Hæc ibi*. Undè patet rectiſſimè, Vigilium quoque damnaſſe eum, quem conſtabat à propria quoque Eccleſia olim damnatum.

191 Modò deveniendo ad conſcripta Theodoreti contra Beatum Cyrillum & duodecim Anathematiſmos, rectè quoque damnavit Vigilius: etenim ejuſmodi ſcripta & impugnant doctrinam approbatam ab Epheſina œcumenica Synodo, & patrocinantur Neſtorio hæretico, atque etiam hæreticam continent doctrinam. Conſtat autem ex Act. 1. Epheſinæ Synodi, petente eodem Cyrillo, Epiſtolam ejus ad Neſtorium datam cum duodecim Anathematiſmis fuiſſe examinatam ac repertam conſentire in omnibus fidei Nicęnæ, ac inde ab univerſa Synodo approbatam; undè inter omnes Epiſcopos, qui eam laudarunt, Theodorus Epiſcopus Ancyranus dixit: „ Sanctæ fidei expoſitionem à „ trecentis decem & octo Sanctis Patribus, „ qui Nicęa convenerunt, editam, admirabilem, rectamque, & apprimè piam religioſiſſimi, piiſſimique Patris noſtri, & Epi- „ ſcopi Cyrilli Epiſtola clariùs & apertiùs „ oſtendit, quæ in nullo ab ea fidei expoſi- „ tione diſſentit, & ea tractat fuſiùs, quæ „ illa differuerat anguſtiùs. Quarè, cognitâ „ Epiſtolâ & trecentorum decem & octo Pa- „ trum mentis & fidei concordiâ, ut illis an- „ nuimus, & per omnia adſtipulamur, ita „ etiam Patri noſtro Cyrillo, qui illorum „ dicta pleniùs per hanc Epiſtolam expoſuit. „ Hæc inquam nos credimus, quæ illi expo- „ ſuerunt, & quæ memorati Sanctiſſimi Epi- „ ſcopi Cyrilli Epiſtola disertè explanavit. *Hæc Theodorus*. Et hoc pacto cæteri Epiſcopi Epiſtolam Cyrilli amplexi ſunt, ut verè orthodoxam, & fidei Nicenæ conformem.

192 Deinde eadem ſancta Epheſina Synodus poſt damnatum Neſtorium, datis literis ad Theodoſium & Valentinianum, quarum initium: *Veſtra pietas*, teſtatur Cyrilli ſcripta, facto diligenti examine, & collatâ cum Nicęna fide, reperta eſſe in omnibus eidem fidei conformia: „ Ac principio, *inquiunt*, quidem Cyrilli religioſiſſimi, ſan- „ ctiſſimique Archiepiſcopi Epiſtolas de fide „ conſcriptas cum hac expoſitione contuli- „ mus, collataſque dogmatibus ac ſententiis „ conſentaneas comperimus, nec ulla in re „ doctrinam ejus à pia illa diſpoſitione di- „ ſcrepantem. *Hæc ibi*. Idem conteſtatur poſt Actionem v. in Epiſtola data ad Cœleſtinum Papam, quæ incipit: *Sanctitatis tuæ*, in qua dicitur: „ Lectæ proindè ſunt literæ, „ quas Sanctiſſimus, Deoque dilectiſſimus „ Alexandrinæ Eccleſiæ Epiſcopus Cyrillus „ ad eum ſcripſerat, quas ſancta Synodus „ approbavit, ut rectè, inculpatèque exara- „ tas, atque in nullo diſſentaneas Divinis „ Scripturis, traditæ videlicet fidei & expo- „ ſitæ in magna illa Synodo à Sanctis Patri- „ bus, qui Nicęæ Bithyniæ olim convene- „ runt; ſicut quoque tua Sanctitas id rectè „ probans teſtificata eſt. *Hactenus ibi*.

193 Ad hæc idem Sanctus Cyrillus in ſuo Apologetico ad Theodoſium Imperatorem gloriatur, fidem ſuam à Romana Eccleſia, & ab Epheſina Synodo approbatam fuiſſe. In Concilio quoque Chalcedonenſi Act. 1. communi totius Synodi voce recepta eſt Cyrilli doctrina, conclamatumque: *ſemper memoria Cyrilli; Cyrillo æterna memoria*. Et item: *Nos ſicut Cyrillus credimus: ſic credimus, ſic credimus: Anathema ei, qui ſic non credit*. Similia habentur Act. 2. & Act. 5. in definitione fidei, ſancta Synodus profitetur ſe Epiſtolam Sancti Cyrilli ſuſcepiſſe & approbaſſe.

194 Itaque adversùs hanc orthodoxam & ab Eccleſia, & ſanctis Conciliis probatam, atque receptam doctrinam ſcripſit Theodoretus, calumnians in primis Beatum Cyrillum, quaſi dogmata Apollinaris docuiſſet, & inde plura hæretica adversùs Cyrilli Anathematiſmos immiſcens; quæ omnia ſic oſtendo. Et primò vario modo calumniatur Cyrillum in Epiſtola, quam ſcripſit ad Joannem Antiochenum, cui ſubjecit doctrinam contrariam Anathematiſmis Cyrilli, quæ ita ſe habet.

Theodoreti Epiſcopi Cyri Epiſtola ad Joannem Antiochenum Epiſcopum.

195 „ Valdè dolui, cùm anathematiſmos „ legiſſem, quos direxiſti, nobis præcipiens, „ ut eos ſcripto deſtrueremus, & ut hæreti- „ cum eorum ſenſum nudum omnibus inti- „ maremus. Dolui autem, quod vir paſcen- „ di ſortitus officium, & cui Grex tantus eſt „ creditus, & oves infirmas curare præce- „ ptum, nòn ſolùm languet ipſe, & quidem „ vehementer, ſed nititur etiam oves ægri- „ tudine implere, & feris beſtiis, ſæviùs, ea „ quæ ſunt paſcenda, diſcerpit. Illæ namque „ ea quæ ſunt diſperſa & à Grege diviſa, ra- „ pientes dilacerant, hic autem in medio gre- „ gis exiſtens, & Salvator reputatus & Cu- „ ſtos, latentem errorem in eos, qui illi pa- „ rent, introducit. Quod enim apertè op- pu-

„ pugnat, obſervari facilè eſt; quod verò ſub „ amicitiæ ſpecie inſidias parat, invenit eum, „ contra quem pugnat, incautum, eique fa- „ cilè infert læſionem, undè iis,qui exteriùs „ oppugnant, interiùs pugnantes ſunt ſævio- „ res. Hoc me multò magis contriſtat, quod „ ſub pietatis nomine atque figura, & in po- „ ſteris dignitate conſiſtens, in hæreticas & „ blaſphemas voces erumpit: & dudùm ex- „ tinctam Apollinarii inanem ſimul, impiam- „ que doctrinam renovat. Super hæc autem „ non ſolùm talia ſentire, ſed & ſuis blaſphe- „ miis non cõſentientes anathematizare pre- „ ſumpſerit: ſi tamen ipſius iſta ſunt germi- „ na, & non inimicorum quiſpiam veritatis, „ tanquam ex illo hæc componens, projecit „ in medium, ſecundùm illud,quod eſt in fa- „ bula, pomum diſcordiæ, in altum flammam „ exaltans,

196 „ Ego proinde, ſive is, ſive alius „ quiſpiam velut ex illius perſona hæc com- „ poſuerit, auxilio lucis Sanctiſſimi Spiritus „ ad inquiſitionem pravæ & hæreticæ opi- „ nionis uſus,pro modo conceſſæ mihi facul- „ tatis, quoad fieri potuit, ea refutavi, do- „ ctrinaſque Evangelicas, & Apoſtolicas op- „ poſui, ac dogmatis abſurditatem patefeci, „ & quantùm diſcrepet à divinis dogmati- „ bus, planum feci, ea ad Sancti Spiritus „ eloquia perpendens, docenſque qualiter à „ divinis aliena ſint & diſſentanea. Adver- „ sùs autem audaciam anathematiſmi hoc „ dixerim,nempe Paulum clariſſimum verita- „ tis præconem auſum etiam adversùs Ange- „ los, illos anathematizaſſe, qui Evangelica „ & Apoſtolica documenta corruperant, „ permanentes autem in traditis à Theologis „ decretis non item, tales enim etiam bene- „ dictionibus munivit, dicens: *Quicumque* „ *hanc regulam ſequuntur, pax ſuper ipſos, &* „ *miſericordia & ſuper Iſrael Dei*. Colligat „ igitur iſtiuſmodi ſermonum auctor ex Apo- „ ſtolica execratione laborum ſuorum præ- „ mia, & hæreticorum ſeminum manipulos. „ Nos verò conquieſcemus in doctrina San- „ ctorum Patrum. Cæterùm huic Epiſtolæ „ ſubtexuimus oppugnationes, ut ex ipſa „ lectione perſpicias, an hæretica problema- „ ta ſtrenuè diluerimus. Ad ſingulos autem „ anathematiſmos ſeorsùm poſitos protuli „ refutationem, ut lectores faciliùs intelli- „ gant, ac perſpicua ſit dogmatum redargu- „ tio. *Hactenus Epiſtola Theodoreti ad Joan-* *nem Antiochenum*.

197 Deinde in refutatione Anathematiſ- morum negat in primis Verbum carnem fa- ctum eſſe; palàm enim fatetur: „ Igitur non „ eſt factum carne Deus Verbum, ſed carnem „ viventem, & ratione præditam aſſumpſit, „ non ipſe naturaliter è Virgine natus, & „ conceptus & figuratus, atque formatus, & „ exiſtendi principium exinde aſſumens, qui „ ante ſæcula & Deus eſt, & cum Patre co- „ gnoſcitur & adoratur. Sed templum ſibi „ in Utero Virginali formans erat cum for- „ mato & nato. *Hæc ibi*: & calumniatur Beatum Cyrillum, quaſi aſſerat Verbum in carnem converſum, dum dicit Verbum car- nem factum in Virginis utero. Undè idem Cyrillus in refutatione hujus oppoſitionis ait: „ Confeſtim enim ſe convertit ad neceſ- „ ſitatem adſtruendi converſione ſuperiùs eſ- „ ſe Dei Verbum, nec in naturam carnis „ transformatum eſſe: quaſi verò Anathema- „ tiſmus id confirmet, ac oſtendere velit. *Hæc Cyrillus*. Sed reprehendi debet Theo- doretus in hoc, quod reprehendat Cyrillum: Nam una ſimul reprehendere videtur Evange- liſtam Joannem dicentem cap. 1. *Et Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis*, quod non eſt Verbum in carnem fuiſſe converſum, ſed carni unitum in unitate perſonæ, ideſt in Di- vina ſubſiſtentia, ſive hypoſtaſi. Quod qui- dem negare, & aliam unionem fingere præter hanc, eſt certè concedere in Chriſto duas naturas, duaſque perſonas, quod Neſtorius fatebatur, & ſic illius hæreſi eſt patroci- nari.

198 Hanc porrò unionem in unitate per- ſonæ duarum in Chriſto naturarum denegaſſe Theodoretum, ſive non agnoviſſe, ex iis, quæ prodit contra ſecundum Cyrilli Anathema- tiſmum palàm fit. Ait enim: „ Unum qui- „ dem Chriſtum confitemur, Sanctis Apo- „ ſtolorum doctrinis credentes, eundemque „ propter unionem & Deum & hominem no- „ minamus, ſecundùm hypoſtaſim verò unio- „ nem modis omnibus ignoramus, tanquam „ peregrinam, & alienam à Divinis Scriptu- „ ris, & Patribus, qui ea interpretati ſunt. *Hæc ille*. Fortè ignorans fuiſſe antiquum Arianorum figmentum vocem hypoſtaſis refu- tare, velut à ſacris Scripturis alienam, & ſa- pientem novitatem. Si enim unio non dica- tur facta in hypoſtaſi & perſonâ Verbi, undè facta eſt? Si in natura, tota Trinitas eſſet incarnata; ſi hoc non licet aſſerere, & nega- tur unio facta in hypoſtaſi, de facili labitur in errorem Neſtorii de duabus perſonis dua- buſque naturis in Chriſto. Undè Cyrillus in refutatione horum Theodoreti dictorum ait: „ Damnat autem eam novitatis, & peregri- „ nè prolatam affirmat; non conſiderans, „ quia impiorum hæreticorum adinventioni- „ bus, dictionum virtus veritatem opponens, „ deſtruere nititur, quod ab eis videtur op- „ poſitum. Neſtorio igitur ubique perimen- „ te Dei Verbi ſecundùm carnem nativita- „ tem, & ſolam nobis dignitatum unitatem „ aſſeverante, hominemque Deo copulatum „ eſſe dicente, filiationis æquivocatione ho- „ noratum, neceſſariò nos dictis illius repu- „ gnantes, ſecundùm ſubſiſtentiam unionem „ dicimus factam. *Hactenus Cyrillus*. Omit- to alia, quæ in reliquis oppoſitionibus ad cæ- teros Anathematiſmos profert Theodoretus,

& quo-

& quomodò in eis pluriès de hæreſi accuſat
Cyrillum, quoniam extant inter Acta Syno-
di Epheſinæ primæ. Quid verò porrò ſcripſe-
rit adversùs Cyrillum in Epiſtola, quam ſcri-
pſit ad Monaſteria, referre non pigebit.

Epiſtola Theodoreti ſcripta ad Monaſteria contra Sanctum Cyrillum.

199 „ Qui propè ſtant, derident noſtram
„ paginam, & noſtris fruuntur malis, & gau-
„ dent videntes nos à nobis ipſis conſumptos.
„ Cauſa verò iſtorum ſunt, qui Apoſtolicam
„ corrumpere fidem contendunt, & Evange-
„ licis dogmatibus inſtabilem doctrinam im-
„ ponere præſumunt, & impii Cyrilli Capi-
„ tula cum anathemate in Regiam Civita-
„ tem tranſmiſerunt, ſuſcipientes, & ſuis ſcri-
„ ptionibus, ut putaverunt, confirmantes
„ quæ manifeſtè ex amara Apollinarii radice
„ exorta ſunt: eandem verò habent Arrii &
„ Eunomii blaſphemiam; quod ſi quis ſub-
„ tiliter perſpicere voluerit, nec ab inſania
„ Valentini & Manę & Marcionis aliena
„ ſunt.

200 „ Nam in primo quidem Capitulo
„ diſpenſationem pro nobis factam ejecit,
„ non recepiſſe Deum Verbum naturam hu-
„ manam, ſed ipſum in carnem mutatum eſſe
„ docens, & ſuſpicione & phantaſiâ Salvato-
„ ris noſtri humanationem, ſed non verè fa-
„ ctam eſſe dogmatizans. Hæc verò ab im-
„ pietate Marcionis, & Manæ & Valentini
„ generata ſunt. In ſecundo autem & tertio
„ Capitulo quaſi oblitus eorum, quæ in prin-
„ cipiis expoſuit, unitatem, quæ eſt ſecun-
„ dùm ſubſiſtentiam, introducit, & conven-
„ tum per unitatem naturalem, temperatio-
„ nem quandam & confuſionem per hæc no-
„ mina factam eſſe docens divinæ naturæ &
„ ſervi formâ. Hoc verò ab Apollinarii hæ-
„ retica inſania natum eſt.

201 „ In quarto verò Capitulo Evange-
„ licarum & Apoſtolicarum vocum diviſio-
„ nem abdicat, & non permittit ſecundùm
„ orthodoxorum Patrum doctrinas, eas qui-
„ dem, quæ Deo conveniunt voces in divina
„ excipere natura, humiliores verò & hu-
„ maniter dictas recipi & applicari humani-
„ tati; & inde igitur eſt invenire benè ſa-
„ pientes impietatis cognationem. Arrius
„ etenim & Eunomius creaturam, & ex his,
„ quæ non ſunt, & ſervum unigenitum Dei
„ Filium dicentes, humana, quæ à Domino
„ Chriſto humaniter dicta ſunt, Deitati ip-
„ ſius applicare auſi ſunt, alienum paternæ
„ ſubſtantiæ, & diſſimilem inde eum oſten-
„ dere feſtinantes. Super hoc, ut compen-
„ dioſè dicam, ipſam impaſſibilem & non
„ mutabilem Chriſti Deitatem, & pati &
„ crucifigi & mori dicit. Hoc verò & Arrii
„ & Eunomii inſaniam ſuperat.

202 „ Nec enim hi, qui creaturam au-
„ dent dicere Creatorem omnium & Opifi-
„ cem, in iſtam exceſſerunt impietatem. Bla-
„ ſphemat verò & Sanctum Spiritum, non
„ ex Patre ipſum procedere dicens, ſecun-
„ dùm Domini vocem, ſed ex Filio eſſe. Et
„ iſte verò Apollinarii ſeminum fructus eſt;
„ propinquat verò & Macedonii malignæ
„ culturæ. Tales ſunt Ægyptii partus mali-
„ gni; patris verò pejor progenies. Hęc cùm
„ oporteret vel abortiva facere in ipſa con-
„ ceptione, aut ſtatim nata corrumpere eos,
„ quibus animarum medicina commiſſa, ut-
„ potè pernicioſa, & noſtræ naturæ læſiones,
„ nutriunt magnanimi, & multo digna eſſe
„ ſtudio judicant, ad perniciem tàm ſuam,
„ quàm aliorum, qui aures ei patiuntur,
„ præſtare. *Hæc Theodoretus in Epiſtola ad
Monaſteria*. Sed & in Epiſtola, quam ab
Epheſo ſcripſit ad Andream Epiſcopum Sa-
moſatenſem adversùs ſanctam Epheſinam Sy-
nodum plura habet. Eſt enim Epiſtola teno-
ris ſequentis:

Epiſtola Theodoreti ad Epiſcopum Andream Samoſatenſem ſcripta ab Epheſo.

203 „ Ab Epheſo ſcribens, ſaluto tuam
„ Sanctitatem, quam beatifico quidem infir-
„ mitatis, amabilem vero Deo exiſtimo, quo-
„ niam auditu, non experimento cognovit
„ mala, quæ hìc facta ſunt, mala omnem ra-
„ tionis vim ſuperantia, & hiſtoricam vin-
„ centia narrationem, continuiſque lacry-
„ mis & perpetuis fletibus digna. Periclita-
„ tur enim Eccleſiæ corpus dirumpi, magis
„ id verò jam inciſionem ſuſcepit, niſi ille
„ ſapiens Medicus diviſa & putrefacta mem-
„ bra reficeret & conjungeret. Inſanit ite-
„ rum Ægyptus adversùs Deum, & bellat
„ cum Moyſe & Aaron, & famulis ejus, &
„ plurima pars Iſrael adverſariis conſenſit,
„ nimis verò pauci ſunt ſani, qui & pro pie-
„ tate labores ſpontè ſuſtinent.

204 „ Deculcata ſunt pietatis venerabi-
„ lia. Illi, qui depoſiti ſunt, ſacerdotalia
„ miniſteria peragunt; & qui depoſuerunt,
„ domi ſedent gementes. Illi, qui cum de-
„ poſitis excommunicati ſunt, depoſitos li-
„ beraverunt depoſitione, ſicut arbitrati ſunt.
„ Talem ludunt Synodum Ægyptii & Pale-
„ ſtini & Pontici & Aſiani, & cum his Occa-
„ ſus. Plurima enim pars Orbis terrarum
„ morbum ſuſcepit. Quales Mimi ridiculo-
„ rum in tempore impietatis ſic pietatem in
„ Comœdia deluſerunt? Qualis verò Comœ-
„ diæ Scriptor talem unquam fabulam reci-
„ taverit? Qualis verò Tragœdiæ Poeta di-
„ gnè fletus eorum conſcripſerit? Tanta &
„ talia Dei Eccleſiæ mala inſultaverunt: ma-
„ gis verò breviſſimam particulam narravi
„ eorum, quæ præſumpta ſunt. *Hactenus
Epiſtola*. Ex qua liquet, quàm acriter inve-
hat in Epheſinam ſanctam Synodum. Laudat

enim Pſeudoſynodum illam Epheſi à Joanne Antiocheno cum triginta ſuorum celebratam adversùs legitimam ibidem eodem tempore congregatam, quam vituperare contendit. Immò poſt Orientalium unionem, & damnatum Neſtorium, & receptam ab Orientalibus & Occidentalibus damnationem, ſcripſit ad Neſtorium, prælibatam condemnans damnationem, conteſtans ſe nunquam ei conſentire. Epiſtola verò talis eſt.

Domino meo Reverendiſſimo & Religioſiſſimo, & Sanctiſſimo Patri Epiſcopo Neſtorio, Theodoretus in Domino gaudere.

205 „ Quod non urbanâ converſatione delector, nec ſæculari curatione, nec gloriâ, nec altis ſedibus ſum alligatus, arbitror ſcire tuam Sanctitatem. Licèt enim & nihil aliud, ipſa tamen ſolitudo Civitatis, quam gubernare ſortitus ſum, ſufficit hanc me Philoſophiam docere. Non ſolùm enim ſolitudinem, ſed etiam plurimos habet rerum tumultus, qui poſſint facere pigros etiam eos, qui valdè eis gaudent. Nemo igitur perſuadeat tuæ Sanctitati, quòd ego Epiſcopalem Sedem cupiens, cohibendo oculos meos, tanquàm orthodoxas ſuſcepi Ægyptiacas literas. Ut enim cum ipſa veritate dicam, ſæpiùs eas perlegi, & ſubtiliter diſcuſſi, & hæreticâ illas amaritudine liberatas eſſe inveni, & timui quandam maculam eis imponere; & certè in odio habens quàm alius quidam patrem, tanquàm auctorem tumultuum exiſtentem Orbis terrarum; & ſpero nullas pœnas ſuſtinere hujus gratiâ in die Judicii, quoniam intentionem juſtus Judex exquirit.

206 His verò quæ adversùs tuam Sanctitatem injuſtè & contra leges facta ſunt, nec ſi ambas manus aliquis incidet, patiar conſentire, divinâ videlicet gratiâ me adjuvante, & infirmitatem animæ ſupportante. Et hoc certum etiam exigentibus per literas feci. Direxi verò etiam tuæ Sanctitati, quæ reſcripſimus ad ea, quæ ſcripſit nobis, ut cognoſcas, quòd nullum nos tempus propter divinam virtutem mutavit. Nec multipedes, vel Verſipelliones docuit, quorum hi quidèm petras, illi folia per colorem imitantur. Univerſam fraternitatem, quæ tecum eſt, in Domino ego & qui mecum ſunt plurimùm ſalutamus. *Hactenus Epiſtola*. Scripſit porrò & ad Joannem Antiochenum alias literas, quibus conteſtatur ſe permanere in doctrina ſua adversùs Anathematiſmos Sancti Cyrilli Alexandrini, ita ſcribens.

Theodoreti Epiſtola ad Joannem Epiſcopum Antiochiæ.

207 „ Quoniam ſapienter gubernat Deus, & noſtræ providens concordiæ, & populorum procurans ſalutem, congregare nos in unum præparavit, & conſonantes ſibi omnium oſtendit voluntates. Communiter enim perlegentes Ægyptiacas literas, & examinantes earum ſubtiliter ſenſum, invenimus conſonantes dictis à nobis eas, quę inde directæ ſunt, & palàm contrarias duodecim Capitulis, quibus uſque ad præſens, ut alienis à pietate, repugnantes permanſimus. Nam illa quidem habebant, carnaliter factum eſſe Dei Verbum, & per ſubſiſtentiam unitatem & conventum per unitatem naturalem, & Deum Verbum primogenitum factum ex mortuis. Abdicabant verò & vocum diviſionem, quæ de Domino factæ ſunt; & alia verò ad hæc habebant Apoſtolicis quidem aliena, hæreticorum verò germina zizaniorum. Quæ verò nunc directæ ſunt, Evangelica generoſitate decorantur. *Hactenus Epiſtola*.

208 Plura alia allata ſunt in Act. 6. Synodi v. dicta & ſcripta ab eodem Theodoreto tùm adversùs Beatum Cyrillum, tùm adversùs ſanctam Epheſinam primam Synodum, tùm contra rectam fidem, ex quibus in ſuſpicionem venerat Neſtorianiſmi; quarè meritò Patres Synodi Chalcedonenſis Act. VIII. non pridèm eum receperunt, quàm anathematizaſſet Neſtorium. Etenim porrecto libello coràm univerſa Synodo, quo reſtitui in ſuam Sedem petebat, eoque ſe purgare conabatur, Reverendiſſimi Epiſcopi clamaverunt: *Nihil relegi volumus; modò anathematiza Neſtorium*. Et quoniam clarè Neſtorium anathematizare detrectabat, pluriès de hac re monitus: *Epiſcopi iterum clamaverunt: Iſte hæreticus eſt, iſte Neſtorianus eſt; Hæreticum foras mitte*. Quibus vocibus territus Theodoretus, dixit: *Anathema Neſtorio, & ei, qui non dicit Dei Genitricem Virginem Mariam, & qui in duos filios partitur unum Filium Unigenitum. Ego autem & fidei definitioni ſubſcripſi, & Epiſtolæ ſanctiſſimi & Deo amantiſſimi Leonis; & ſic ſapio*. Quibus à Patribus auditis, receptus fuit in communionem, & in ſuam Sedem reſtitutus. Undè Patres v. Synodi, perlectis ſupra recenſitis Theodoreti ſcriptis, & conſideratis Actis præcitatis Chalcedonenſis Synodi, dixerunt: „ Ex his, quæ Theodoretus impiè conſcripſit, miranda eſt ſubtilitas ſancti Chalcedonenſis Concilii: Sciens enim ejus blaſphemias, priùs quidem multis ſæpiùs uſa eſt contra eum exclamationibus; poſtea verò non aliter eum ſuſcepiſſet, niſi priùs anathematizaſſet Neſtorium & ejus blaſphemias, pro quibus antea ſcripſit, defendens eas.

209 Conſtat ergò prædictum Theodoretum & calumniatum eſſe Sanctum Cyrillum, ſanctamque Epheſinam primam Synodum, & contra doctrinam approbatam in ſancta illa Synodo ſcripſiſſe, Neſtorio quoque hæretico adhæſiſſe, hæretica nonnulla protuliſſe; undè meritò ejus ſcripta tùm à v. Synodo, tùm à Vigilio Papa damnata fuere. Extat in Actis v. Synodi eâdem collat. vi. quædam Epiſtola planè hæretica, & ergà Beatum Cyrillum nimis injurioſa, nomine Theodoreti ſcripta ad Joannem Antiochenum poſt obitum Cyrilli, relecta in eadem collatione, quam nos recenſere omiſimus, utpotè ſuppoſititiam, & non Theodoreti genuinam, ſed ab aliquo confictam hæretico, ut eruditi obſervant; quoniam Joannes Antiochenus objit ante Beatum Cyrillum, cujus loco ſucceſſit Domnus, cui Cyrillus ſcripſit eam Epiſtolam, quæ habetur inſerta in Actis Synodi Chalcedonenſis Act. xiv., cujus initium eſt: *Condolere nos fratribus neceſſarium eſt*. Cùm itaque dicatur, eam Epiſtolam ſcriptam à Theodoreto poſt Cyrilli obitum ad præfatum Joannem Antiochenum, & ex contextu Epiſtolæ idem evincitur, planum fit, ejuſmodi Epiſtolam minimè eſſe Theodoreti, ſed ab aliquo confictam Impoſtore.

210 Reſtat modò videre de Epiſtola Ibæ ad Marim Perſam, an Vigilius eam rectè damnaverit, quam Epiſtolam recitavimus cap. 1. hujus partis. Et quidem rectè eam damnaſſe liquet ex eo, quòd præfata Epiſtola calumniatur Epheſinam Synodum, quatenùs causâ non examinatâ, & præcipiti judicio Neſtorium condemnaſſet. Duodecim quoque Anathematiſmos Cyrilli ab Epheſina Synodo ut verè catholicos approbatos atque receptos refutat tanquàm ſapientes Apollinarii hæreſim, Theodorum plurimùm extollit, & quamvis ab ea Synodo œcumenica ut hæreticum damnatum, ut veritatis prædicatorem laudat & Eccleſiæ Doctorem; ac denique & doctrinam continet, quæ Neſtorianæ favet hæreſi.

211 Hæc autem omnia ſic probantur. Dicitur enim in prælibata Epiſtola: *Antequàm verò omnes Epiſcopi, qui juſſi ſunt congregari, in Epheſum pervenirent, antecedens idem Cyrillus aures omnium veneno obcęcanti oculos ſapientum obtinuit: Invenit verò clauſas ex odio contra Neſtorium. Et antequàm in Synodum perveniret vir ſanctiſſimus & Reverendiſſimus Archiepiſcopus Joannes, de Epiſcopatu Neſtorium dejecerunt, judicio & quæſtione non factà*. Hæc ibi. At quàm calumnioſè hęc in ſanctam Synodum pronunciet, demonſtrant ejuſdem Synodi Acta. Nam, ut liquet Act. 1. Neſtorius ter citatus fuit, renuente accedere, relectum fuit Symbolum Nicęnum, inde eidem Symbolo conſentientibus univerſis Epiſcopis, & comprobatâ doctrinâ Cyrilli in ſuis Epiſtolis exhibitâ, examinata fuit Neſtorii doctrina, & factâ collatione tàm cum fide Nicæna, quàm cum Dictis plurimorum Sanctorum Patrum, reperta rectæ fidei contraria, damnata cum ſuo auctore fuit, cui damnationi univerſi ſubſcripſerunt Epiſcopi. Non ergò, causâ non examinatâ, & præcipiti judicio Neſtorius damnatus fuit, ut mentitur, nec ſine calumnia Iba in ea Epiſtola. Neque in hoc Articulo aliter ſcribit Iba, ac ſcripſerat ipſemet Neſtorius, & illi, qui cum eo erant, in relatione de Actis Synodi, cujus initium eſt: *Ad Epheſiorum Civitatem à pietate veſtra convocati*. Cùm porrò Iba in ea Epiſtola dicat, non expectato Epiſcopo Antiocheno, cauſam Neſtorii fuiſſe abſolutam, utique verum eſt, ſed eâ de cauſa quoniam accedere detrectabat, fuitque tamen ultrà terminum præfixum expectatus per dies ſexdecim. Sic ſcribit Beatus Cyrillus in Epiſtola data Comario & Potamioni Epiſcopis, Dalmatio Archimandritę Monaſteriorum, Timotheo & Eulogio Presbyteris, cujus initium eſt: *Expectabamus honorabilem Neſtorium*, in qua inter alia ait: „ Ac terminus quidem „ ſanctæ Synodo à piiſſimis Imperatoribus „ poſitus erat ſacra Pentecoſtes dies. Primæ „ enim illorum literæ, quibus evocabamur, „ ita continent. Hanc autem præſtitutam „ diem nos noſtro adventu in Civitatē Epheſiorum antevertimus; neque enim decebat, ut Dominorum edicta negligeremus. „ Verùm poſteaquàm piiſſimum, religioſiſſimumque Joannem Epiſcopum Antiochenum adventare accepiſſemus, adhùc ſexdecim dies expectavimus, cùm tamen tota „ Synodus reclamaret, aſſerens illum conſeſſui intereſſe non velle, quod metueret, „ nè fortè Reverendiſſimus Neſtorius, qui ex „ illius Eccleſia aſſumptus fuerat, loco ſuo „ moveretur: quæ res ipſi fortaſsè juſtum „ pudorem incuteret. Quam ſuſpicionem „ veram extitiſſe, ipſa poſtea experientia liquidò oſtendit. *Hæc Cyrillus*. Et idem teſtatur univerſa Synodus in literis datis ad Theodoſium & Valentinianum de Actis contra Neſtorium, quorum initium: *Veſtra pietas chriſtianiſſimi*. Omni ergò ex parte convincuntur de calumnia in Sanctam Synodum Epheſinam, quæ in Epiſtola Ibæ de prolato contra Neſtorium judicio, exarata ſunt.

212 Adversùs porrò duodecim Capitula Cyrilli, hæc in prædicta Epiſtola leguntur: *Conſcripſit enim duodecim Capitula, quæ puto & tuam reverentiam cognoviſſe, quòd una natura eſt deitatis, & humanitatis Domini noſtri Jeſu Chriſti, quòd non oportet, inquit, dividere voces dictas, quas aut ipſe Dominus pro ſe dixit, aut Evangeliſtæ de ipſo. Omni verò impietate ea plena ſunt, & antequàm nos dicamus, ſicut & tua Sanctitas agnoſcit*. Item quòd Cyrillus in iis Capitulis incidiſſet in hæreſim Apollinarii, per hæc verba exprimit: *Cyrillus verò volens verba Neſtorii refutare, lubrica-*

cavit, & inventus eſt cecidiſſe in dogma Apollinarii. Quam calumniam idem Cyrillus refutat, nedùm reſpondens ad objecta Theodoreti, verum & in expoſitione eorundum capitum ab eo factâ: nam exponens primum Caput ſeu Anathematiſmum, inter alia habet: „ Natum eſt enim ſecundùm carnem ex Sancta Virgine, & æquè ac nos homo factum „ eſt, non amittens eſſe Deum (abſit) ſed „ exiſtens quod erat, & in Divinitatis naturâ, & Gloriâ permanens. Dicimus igitur, „ ipſum Dei Verbum hominem eſſe factum, „ nec ob id tamen verſum in id, quod non erat, „ non alteratum: Idem enim ſemper eſt, neque converſionem obumbrationis pati ſuſtinet, ſed neque ullam Eſſentiæ illius cum „ carne commixtionem, aut confuſionem, „ aut concretionem factam eſſe ſtatuimus. *Hæc Cyrillus*, id quod ſæpè repetit in explanatione aliorum Anathematiſmatum, ſive Capitum.

213 Laudes porrò Theodori Mopſueſteni, quas in eadem Epiſtola pronunciat, hæ ſunt: *Qui unus ex ipſis*, ait, *eſt Beatus Theodorus prædicator veritatis, & Doctor Eccleſiæ, non ſolùm in vita ſua hæreticos percuſſit in veram ſuam fidem, ſed etiam poſt mortem arma ſpiritalia in ſuis libris filiis Eccleſiæ dereliquit, ſicut & tua reverentia cum eo collocuta cognovit, & iis, quæ ab eo ſcripta ſunt, credidit. Illum auſus eſt, qui omnia audet, in Eccleſia manifeſtè anathematizare, qui propter zelum Dei, non ſolùm ſuam Civitatem ab errore in veritatem convertit, ſed etiam longè ægrotantes Eccleſias erudivit ſuâ doctrinâ*.

214 Denique eandem Epiſtolam continere doctrinam hæreticam, liquet ex eo, quod in ea dicatur: *Quomodo enim poſſibile eſt accipi Verbum, quod ab initio eſt, pro Templo quod ex Maria natum eſt?* Et in fine Epiſtolæ: *Non enim præſumit aliquis dicere, quòd una eſt natura Deitatis & humanitatis, ſed confitentur in Templum & inhabitantem in eo, qui eſt unus Filius Jeſus Chriſtus*. At diſtinctio illa Templi ab inhabitante Templi, quod ex Maria natum eſt, Verbo quod ab initio eſt, Neſtorio familiaris fuit, quibus verbis ſuam expreſſit hæreſim: undè Beatus Cyrillus in refutatione objectionis Theodoreti ad primum Anathematiſmum, ſuſpectam declarat ſimilem locutionem. Et eò fortiùs augetur ſuſpicio in perſona Ibæ, quoniam, ut ſcribit Proclus Epiſcopus Conſtantinopolitanus in Epiſtola ad Joannem Antiochenum, cujus initium: *Arbitror te cognoſcere*, relectâ Collat. VI. Synodi V. plures Monachi, aliique Eccleſiæ Edeſſenæ Clerici conclamarunt adversùs Ibam quaſi ſtudioſum erga Neſtorii inſaniam, & quod nonnulla Capitula impietate plena in linguam Syriacam verſa, in varias partes evulgaſſet: „ Ad quid verò „ dico? ait Proclus, quòd multi inclamant „ hic, Religioſiſſimum Edeſſenorum Epiſcopum Ibam, non ſolùm quidam Clerici „ Edeſſeni & Monachi, ſed enim etiam Primates & clari militiâ, quibus rectæ fidei „ calidus zelus accenditur, quòd tantum diligit Neſtorii inſaniam, ut & quædam Capitula, quæ ſuppoſui ſcripto à nobis ad Armenios tomo, & direxi tuæ reverentiæ, „ quæ ſunt ſtulta & profana, & omni plena „ impietate, transferret voce Syrorum, & „ tranſmitteret ubique. *Hæc & alia Proclus*. His ergo ſtantibus meritò & rectè tam V. Synodus, quàm Vigilius Papa Ibæ Epiſtolam damnarunt. Undè ex hactenus deductis perſpicuum fit, Vigilium Papam rectè tria Capitula damnaſſe, quæ V. Synodus pariter damnaverat.

CAPUT V.

An hujuſmodi damnatio trium Capitulorum derogaverit auctoritati ſanctæ Chalcedonenſis Synodi.

215 Defuncto, ut diximus, Vigilio paulò poſt confirmatam Synodum V. & initâ Orientalium cum Apoſtolica Sede pace, nonnulli Occidentales Epiſcopi à communione Apoſtolicæ Sedis receſſerunt, & maximè Iſtriani, aliique ex Longobardia, qui diù in ſchiſmate remanſerunt, aſſerentes per Vigilii Decretum derogatum eſſe auctoritati & dignitati ſacroſanctæ Chalcedonenſis Synodi: quare cùm Pelagius adhùc Archidiaconus in Regia Conſtantinopolis Civitate conſtitutus, ante Decretum Vigilii damnationi trium Capitulorum ſubſcripſerit, & poſt Decretum conſenſerit, electus poſtea in Romanum Pontificem loco defuncti Vigilii, mox Epiſcopos Occidentales ſibi adverſari cognovit, ſuamque vitare communionem, adeout nec inventi fuerint Epiſcopi ſufficientes pro illius ordinatione: „ Pelagius natione Ro„ manus ex Patre Joanne Vicariano, *inquit* „ *Anaſtaſius*, ſedit Annos XI. menſes X. „ dies XVIII. Et dum non eſſent Epiſcopi, „ qui eum ordinarent, inventi ſunt duo Epiſcopi, Joannes de Peruſio, & Bonus de Ferentino, & Andreas Presbyter de Oſtia, & „ ordinaverunt eum Pontificem. Tunc enim „ non erant in Clero, qui eum poſſent promovere. *Hæc Anaſtaſius*. Ubi Binius ait: „ Cùm Pelagius quintam Synodum approbaſſet, tantoperè omnes Occidentales Epiſcopos offendit, ut non potuerit ſufficentes „ reperire Epiſcopos, à quibus ſecundùm „ conſtitutionem Apoſtolicam ordinaretur: „ adeoque neceſſum fuerit juſſu Pelagii Preſbyterum Oſtienſem (quod nunquam antea „ acciderat) loco Epiſcopi munus illud obire. *Hæc Binius*.

216 Itaque Occidentales Epiſcopi, & precipuè Provinciæ Iſtriæ plura aſſerebant, qui-

quibus conabantur oſtendere, non licuiſſe tria illa Capitula damnationi ſubjicere, à quorum damnatione ſancta Chalcedonenſis Synodus ſe abſtinuerat, in ea etenim cognitâ causâ Theodori, minimè damnatus fuit: Theodoretus, & Iba, ut Catholici ab eadem Synodo habiti fuerunt, atque ejuſdem definitione in proprias ſedes, à quibus in ſecunda Epheſina Synodo exturbati fuerant, reſtituti ſunt, non obſtantibus iis, quæ Theodoretus ſcripſerat adversùs duodecim Anathematiſmos S. Cyrilli, & quòd lecta fuerit Epiſtola ad Marim Perſam ſcripta. Aliter ergò definiendo, ac ſancta illa Chalcedonenſis Synodus definierat, eſt dignitati & auctoritati illius derogare, immò adverſari doctrinæ ſancti Leonis Magni, docentis nullum eſſe ineundum tractatum de ſemel definitis in Synodis Generalibus & ſignanter in Synodo Chalcedonenſi.

217 Proindeque loca S. Leonis Magni in Epiſtola datâ ad Leonem Auguſtum primò recitabant: In ea namque hæc ſcribit Sanctus Leo: „ Nam quæ patefacta ſunt quærere, „ quæ perfecta ſunt retractare, & quæ ſunt „ definita convellere, quid aliud eſt, quàm „ de ademptis gratiam non referre, & ad in„ terdictæ arboris cibum improbum appeti„ tum mortiferæ cupiditatis extendere? *Et* „ *paulò poſt*. Deteſtandum ergo nobis eſt, „ perſeveranterque vitandum, quod fraus hæ„ retica nititur obtinere, nec in aliquam di„ ſceptationem piè & plenè definita revocan„ da ſunt, nè ad arbitrium damnatorum, ipſi „ de his videamur ambigere, quæ manifeſtum „ eſt per omnia Propheticis & Evangelicis & „ Apoſtolicis auctoritatibus conſonare. Un„ dè ſi qui ſunt, qui ab his, quæ cœlitùs ſunt „ conſtituta, diſſentiunt, ſuis opinionibus re„ linquantur, & ab unitate Eccleſiæ, cum ea, „ quam elegère perverſitate, diſcedant. Nam „ nullo modo fieri poteſt, ut qui divinis au„ dent contradicere Sacramentis, aliquâ no„ bis communione ſocientur. *Et infra*. Prænoſcat igitur pietas veſtra, venerabilis Im„ perator, hos quos ſpondeo dirigendos, non „ ad confligendum cum hoſtibus fidei, nec ad „ certandum contra illos, à Sede Apoſtolica „ profecturos; quia de rebus & apud Niceam „ & apud Chalcedonem (ſicut Deo placuit) „ definitis, nullum audemus inire tractatum, „ tanquàm dubia & infirma ſint, quæ tanta „ per Spiritum Sanctum fixit auctoritas. *Hæc Epiſcopi Iſtriæ*. Alia quoque teſtimonia ſimilia docentia ex eodem Sancto Leone, & ex aliis literis, adducebant, quæ brevitatis gratiâ omittimus, quoniam omnia eâdem expoſitione infrà referendâ diluuntur.

218 Sunt itaque prænotandæ duæ fidei regulæ, quarum prima eſt: Fidei Canonem mutari minimè poſſe; & quæſtiones dogmatum Synodi univerſalis judicio ſemèl ſopitas, iterùm excitari non debere. Tradit hanc regulam Tertullianus in lib. de Velandis Virginibus Cap. 1. inquiens: *Regula quidem Fidei una omninò eſt ſola immobilis & irreformabilis*. Secundùm quam Regulam Vigilius in ſuo decreto ait: *Et ſi qui eaſdem ſanctas Synodos in omnibus, quæ ab ipſis de ſancta fide definita ſunt, non ſequuntur, eos à cœtu ſanctæ & catholicæ Eccleſiæ alienos judicamus*. Altera regula eſt: ut in aliis cauſis extra fidem, ideſt in Capitibus, quæ dumtaxat ad Eccleſiaſticam pertinent diſciplinam, veritatem nunc latère, nunc aperiri; quâ patefactâ, priores Conſtitutiones, quamvis Conciliorum Generalium, reformari abſque reatu poterunt. Hanc quoque regulam ibìdem ſubjungit Tertullianus, inquiens: *Hac lege fidei manente, cætera jam diſciplinæ & converſationis admittunt novitatem correctionis, operante ſcilicet & proficiente uſque ad finem gratiâ Dei*. Juxtà quam regulam Beatus Auguſtinus lib. 2. de Baptiſmo contra Donatiſtas cap. 3. ait: „ Et ipſa Con„ cilia, quæ per ſingulas Regiones, vel Pro„ vincias fiunt, plenariorum Conciliorum „ auctoritati, quæ fiunt ex univerſo Orbe „ chriſtiano, ſine ullis ambagibus cedere; ipſaque plenaria ſæpè priora poſterioribus „ emendari, cum aliquo experimento rerum „ aperitur quod clauſum erat, & cognoſci„ tur quod latebat, ſine ullo typho ſacrilegæ „ ſuperbiæ, ſine ulla inflata cervice arrogan„ tiæ, ſine ulla contentione lividæ invidiæ, „ cum ſancta humilitate, cum pace catholi„ ca, cum charitate chriſtiana.

219 Et hanc eandem regulam præmiſiſſe Vigilium in ſuo decreto, ex illis verbis liquet, ubi ait: „ Ideo ſi in omni negotio ſapientiæ „ ratio poſtulat, ut id, de quo quæritur, re„ tractetur, neque pudori eſſe debet; cùm „ ea, quæ ab initio omiſſa, ſtudio deinde ve„ ritatis inveniuntur, in publicum eduntur; „ quantò magis Eccleſiaſticis diſceptationi„ bus convenit, eandem rationem in illis „ quoque obſervari? Præcipuè cùm manife„ ſtum ſit Patres noſtros, & maximè Beatiſſi„ mum Auguſtinum, qui in Divinis Scri„ pturis claruit, Romanæ eloquentiæ Magi„ ſtrum, propria ſcripta retractaſſe, Dicta„ que ſua correxiſſe, atque illa, quæ omiſe„ rat, ac deinde invenerat, addidiſſe. *Hæc Vigilius*. Ut oſtendat ſibi licuiſſe ea retractare, veritate meliùs compertâ, quæ in ſuo de tribus Capitulis conſtituto priùs decreverat.

220 Neque hoc eſt contra mentem Sancti Leonis Magni, cujus teſtimonia magnifaciebant Epiſcopi Iſtriæ. Etenim Beatus Pontifex in Epiſtola data ad Maximum Epiſcopum Antiochenum, cujus initium: *Quantum dilectionis tuæ*, duo dignâ obſervatione tradit, quòd Concilium Chalcedonenſe pro ſola fidei cauſa indictum fuerit, & ad hanc ſolùm cauſam diſcutiendam, ſe Legatos miſiſſe conteſtatur: Alterum verò, quòd ſi quæ in eadem Sy-

Synodo extra fidem acta ſunt, dummodò contraria non ſint definitioni ſanctæ Nicænæ Synodi, in judicium iterùm revocari poſſe non dubitat: „ Si quid ſanè, *inquit*, ab his fratribus, quos ad ſanctam Synodum vice „ meâ miſi, præter id, quod ad cauſam fidei „ pertinebat, geſtum eſſe perhibetur, nullius erit penitùs firmitatis; quia ad hoc „ tantùm ab Apoſtolica Sede ſunt directi, ut „ excuſſis hæreſibus, catholicæ eſſent fidei „ defenſores. Quidquid enim præter ſpeciales cauſas Synodalium Conciliorum ad „ examen Epiſcopale defertur, poteſt aliquam dijudicandi habere rationem, ſi nihil de eo eſt à Sanctis Patribus apud Nicæam definitum. *Hæc Sanctus Leo*. Quo teſtimonio utitur Pelagius Vigilii ſucceſſor in Epiſtola data ad Epiſcopos Iſtriæ, quæ incipit: *Virtutum mater charitas*, ubi ſub cap. 19. relatis prærecenſitis Sancti Leonis verbis, ſubjungit: „ Apertè nobis licentia tribuitur, „ ut quidquid illic extra fidei cauſas de perſonis geſtum eſt, retractetur. Specialis „ quippè Synodalium Conciliorum cauſa eſt „ fides. Quidquid ergò præter fidem agitur, „ Leone docente, oſtenditur quia nihil obſtat, ſi ad judicium revocetur. *Hactenus Pelagius*.

221 His præmiſſis deveniendo ad allegata per Epiſcopos Iſtriæ B. Leonis teſtimonia, excerpta ex Epiſtola ad Leonem Auguſtum, dicimus, quòd optimè perpenſo contextu totius Epiſtolæ abſque ambiguitate evincitur, Beatum Pontificem loqui de iis, quę ad fidem pertinentia in ea Synodo definita ſunt; ait enim S. Leo: „ Ut ſcilicet catholica fides, „ quæ humanum genus ſola vivificat, ſola „ ſanctificat, in una confeſſione permaneat, „ & diſſenſiones, quæ de terrenarum opinionum varietate naſcuntur, à ſoliditate illius „ petræ, ſupra quam Civitas Dei ædificatur, „ abigantur. Hæc autem Dei munera ita „ demùm nobis divinitùs conferentur, ſi de „ his, quæ ſunt præſtita, non inveniamur ingrati; & tanquàm nulla ſint, quæ adepti „ ſumus, contraria potiùs expetamus. *Hæc ibi*. Quibus præmiſſis, ſtatim ſubjungit: *Nam quæ patefacta ſunt quærere*, & cætera allegata ſupra. Quis ergò non videat ex ipſis antecedentibus cum ſubſequentibus connexis, loqui tantùm de fidei definitionibus? Ex ſubſequentibus quoque idem evincitur; quoniam ſubjungit, Eutychetis & Dioſcori diſcipulos, tanquàm ſi nihil foret definitum in ea Synodo, novos inſtruere tractatus; undè paulò poſt addit: „ Deteſtandum ergò nobis „ eſt, perſeveranterque vitandum quod fraus „ hæretica nititur obtinere, nec in aliquam „ diſceptationem piè & plenè definita revocanda ſunt, nè ad arbitrium damnatorum „ ipſi de his videamur ambigere, quæ manifeſtum eſt per omnia Propheticis & Evangelicis & Apoſtolicis auctoritatibus conſonare. Undè ſi qui ſunt, qui ab his, quæ „ cœlitùs ſunt conſtituta diſſentiunt, ſuis opinionibus relinquantur, & ab unitate Eccleſiæ, cum ea, quam elegère perverſitate, „ diſcedant. *Hæc S. Leo in eadem Epiſtola*. Patet ergò ſenſus verborum ipſius, talem nimirùm eſſe, ut fidei decreta firma ſint & irretractabilia; undè Epiſt. 73. data ad eundem Leonem Auguſtum, cujus initium eſt: *Officiis, quæ ad gratulationem*, hæc alia ad rem habet: „ Quod opus virtutibus veſtris, gloriæque conveniens, celerem & Deo placitum habebit effectum, ſi apud ſanctam „ Chalcedonenſem Synodum de Domini „ Chriſti Incarnatione firmata, nullâ permiſeris retractatione pulſari. *Hæc ibi*. In quo pariter ſenſu loquuntur edicta Valentiniani & Marciani, quorum initium: *Tandem aliquandò*, dùm inquiunt: *Univerſi ergò quæ à ſancta Synodo Chalcedonenſi ſtatuta ſunt, cuſtodire debebunt, nihil poſtea dubitaturi*.

222 Cùm porrò controverſia de tribus Capitulis actitata in Synodo Chalcedonenſi nullo modo fidem, aut fidei dogmata tangat, ſed perſonas dumtaxat, inde fit, quòd abſque præjudicio dignitatis ejuſdem Synodi poterat iterùm retractari. Quòd verò in ea controverſia de perſonis tantùm, & non de fide diſputatum fuerit, in primis liquet ex decreto ipſius Vigilii, ubi quæcumque in ea Synodo de fide definita ſunt, ſe ſuſcipere fatetur, & quoſcumque ea non ſequentes, aut retinentes, alienos à catholica Eccleſia pronunciat: „ Idcircò, *ait*, ſciat veſtrùm univerſa „ fraternitas, quòd quatuor Synodos, hoc „ eſt, Nicænam, Conſtantinopolitanam, Epheſinam primam, & Chalcedonenſem, unà „ cum iiſdem fratribus noſtris in omnibus „ ſuſcipimus & devotâ mente veneramur, „ atque unanimiter ſervamus. Et ſi qui eaſdem ſanctas Synodos in omnibus, quæ ab „ ipſis de ſancta fide definita ſunt, non ſequuntur, eos à cœtu ſanctæ & catholicæ „ Eccleſiæ alienos judicamus. *Hæc Vigilius*, qui poſtea tranſit ad agendum de controverſia trium Capitulorum, utpotè ad materiam fidei non pertinente.

223 Deinde Pelagius Papa in prælaudata Epiſtola ad Epiſcopos Iſtrię cap. 3. idem apertis conteſtatur verbis, inquiens: „ Si igitur „ fidem, fratres chariſſimi, in cunctis Mundi „ partibus uno ac ſolido ſtatu vigère non „ cerneretis, convulſum quidquam de ſancta „ Chalcedonenſi Synodo rectè diceretis. At „ poſtquàm nihil nunc aliud, niſi de perſonis „ agitur, nihil de ſancta Chalcedonenſis Synodi fide quæritis, auctoritatem Patrum „ quaſi ſequendo declinatis. *Hæc ibi*. Et in Epiſtola ad Childebertum Regem, quæ incipit: *Rufinus vir magnificus*, pariter conteſtatur, extra materiam fidei eſſe quæ tribus Capitulis mota ſunt, inquiens: „ Et quamvis „ à tranſitu divæ memoriæ Theodoræ Augu-

ſtæ

„ ſtæ, nullas de fide quæſtiones Eccleſia Dei „ in partibus Orientis, Deo miſerante, formidet; ſed quædam Capitula extra fidem „ fuerint agitata, de quibus longum eſt, ut „ epiſtolari poſſint compleċti ſermone. *Hæc Pelagius*. Magnus quoque Gregorius lib. 2. Epiſt. 36. datâ ad Epiſcopos Hiberniæ, ſpecialiter agens de cauſa trium Capitulorum, idem fatetur, dùm ait: „ Nam in Synodo, „ in qua de tribus Capitulis actum eſt, apertò liquet, nihil de fide convulſum eſſe, vel „ aliquatenùs immutatum; ſed, ſicut ſcitis, „ de quibuſdam illic ſolummodò perſonis eſt „ actitatum; quarum una, cujus ſcripta evidenter à rectitudine catholicæ fidei deviabant, non injuſtè damnata eſt. *Hactenus S.Gregorius*.

224 Actum itaque in primis eſt de Theodori quondam Mopſueſtenæ Eccleſiæ Epiſcopi perſona, an ſcilicet propter ejus impia ſcripta hæreſim Neſtorianam undique ſcatentia damnari debuerat, & quidèm poſt illius obitum, quoniam in communione deceſſerat; non eſſe damnandos jam in communione defunctos complures exiſtimabant. Undè Pontianus Epiſcopus Africanus in Epiſtola data ad Juſtinianum Auguſtum, quam ſupra recitavimus, ſcribit: *Supplicamus clementiam tuam, ut pax permaneat temporibus tuis, ne dùm quæris damnare jam mortuos multos inobedientes interficias vivos*. Hujus porrò opinionis erat antea Vigilius, cujus rei cauſâ in ſuo conſtituto, nullatenùs damnandum Theodorum olim vitâ functum propugnabat, etſi ſcripta illa anathemati ſubjecerit. Ait enim in prælibato conſtituto: *Grave eſt enim inſultare defunctis, vel ſi Laici fuerint, nedùm illis, qui in Epiſcopatu hanc vitam depoſuerunt. Juſtiſſimum enim apparet prudentibus Viris, cedere preſcienti, Deo ſcilicet, uniuſcujuſque voluntatem, & cognoſcenti qualiſcumque quiſque futurus ſit*. Id quod plurimis confirmare conatur teſtimoniis: undè in medium profert ſententiam S. Leonis Magni in Epiſt.91. data ad Theodorum Epiſcopum Ferolivienſem, ſcribentis: „ Nec neceſſe eſt eos, eorum qui ſic obierint, merita actuſque diſcutere: cùm Dominus Deus noſter, cujus judicia nequeunt comprehendi, quòd „ Sacerdotale miniſterium implere non potuit, ſuæ juſtitiæ reſervaverit. *Hæc Sanctus Leo*, citat quoque & Gelaſium in Epiſtola ad Epiſcopos Dardaniæ, & in Geſtis Synodalibus de Myſeni Epiſcopi Cumani abſolutione confectis, ſimilia edocentem: ſimiliter & exemplum profert Dionyſii Alexandrini apud Euſebium lib. 7. hiſt. Eccleſ. qui etſi in Arſinoite habitâ Synodo adversùs errores Nepotis Epiſcopi auctoris hæreſis Millenariorum, damnata fuerit hæreſis, damnataque & Nepotis ſcripta, perſona tamen, quoniam jam defuncta, minimè damnata fuit.

225 In contrarium verò alii ſentiebant, etiam vitâ functos excommunicari poſſe, ſi poſt obitum conſtiterit in hæreſi deceſſiſſe. Ad cujus rei probationem Sextilianus Epiſcopus de Africana Provincia, vicem agens Primoſi Epiſcopi Carthaginenſis, in v. Synodo, collat. v. diverſa Patrum protulit teſtimonia: & primò retulit, quòd in ſua Provincia multi Epiſcopi congregati ſtatuerunt de Epiſcopis defunctis, qui hæreticis ſuas facultates relinquunt, itaut poſt mortem anathemati ſubiiciantur. Et certè in Africana prima Synodo celebrata Anno Domini CCLV. ut in actis ipſius legitur, ejuſdem Synodi Patres intelligentes, quòd Geminius Victor Chriſtianus ex hac vita diſcedens, Fortunatum quendam Presbyterum teſtamento ſuorum filiorum tutorem nominaſſet, atque ità, juxta decretum cujuſdam Concilii, olim hac de re in Africa ſub anteceſſoribus celebrati, pœnam excommunicationis inveniſſet, ipſum Geminium defunctum, eò quòd Præsbyterum à cultu Dei ad ſæcularia revocaſſet, excommunicatum eſſe denunciarunt, ideoque pro defuncto ſacrificium offerri, nomen apud altare nominare ſeverè admodùm interdixerunt. Horum omnium meminit Beatus Cyprianus in Epiſt. 66. juxta editionem Pamelii, datâ ad Clerum, & plebem Furnitanorum, inquiens: „ Graviter commoti ſumus ego & „ Collegæ mei, qui præſentes aderant, & „ Conpresbyteri noſtri, qui nobis aſſidebant „ fratres chariſſimi, cùm cognoviſſemus quòd „ Geminius Victor frater noſter, de ſæculo „ excedens, Geminianum Fauſtinum Presbyterum tutorem teſtamento ſuo nominaverit, cùm jam pridem in Concilio Epiſcoporum ſtatutum ſit, ne quis de Clericis & „ Dei miniſtris tutorem vel curatorem teſtamento ſuo conſtituat, quandò ſinguli „ Divino Sacerdotio honorati, & in Clerico „ miniſterio conſtituti, nonniſi alteri, & ſacrificiis deſervire, & precibus atque orationibus vacare debeant. Scriptum eſt enim: „ *Militans Deo, nemo obligat ſe moleſtiis ſæcularibus, ut poſſit placere ei, cui ſe probavit*. „ Quod cùm de omnibus dictum ſit, quantò „ magis moleſtiis, & laqueis ſæcularibus „ obligari non debent, qui Divinis rebus & „ ſpiritualibus occupati ab Eccleſia recedere, „ & ad terrenos, & ſeculares actus vacare non „ poſſunt? *Et infra*. Et ideò Victor cùm „ contra formam nuper in Concilio à Sacerdotibus datam, Geminium Fauſtinum Preſbyterum auſus ſit Tutorem conſtituere, „ non eſt, quod pro dormitione ejus apud „ vos fiat oblatio, aut deprecatio aliqua nomine ejus in Eccleſia frequentetur, ut Sacerdotum Decretum religioſè & neceſſariè factum, ſervetur à nobis. *Hactenus Cyprianus*. Undè liquet ex hujus Synodi, & Cypriani mente, aliquem poſt obitum adhùc excommunicari poſſe.

226 Sed & idem Sextilianus ut idem proba-

baret, fultus eſt quoque auctoritate Beati Auguſtini in Epiſt. 50. data ad Bonifacium Comitem, ubi paulò poſt initium ſcribit: *Quamvis ſi vera eſſent, quæ ab eis objecta ſunt Cæciliano, & nobis poſſent aliquandò monſtrari, ipſum jam mortuum anathematizaremus*. Quibus verbis perſpicuum fit, de mente Auguſtini jam defunctos anathematizari poſſe. Subjungit inde Sextilianus aliud teſtimonium ejuſdem S. Auguſtini excerptum ex geſtis, quæ apud Marcellinum virum clariſſimum Tribunum & Notarium acta ſunt, cap. 187. quod ab eo ſic recitatur: „ Auguſtinus Epiſcopus „ Eccleſiæ Catholicæ dixit: Non in hominibus ſpes ponenda eſt Eccleſiæ, ſi boni „ ſunt, neque ſi mali ſunt, judicanda eſt Eccleſia periiſſe. Sed tamen etiam ipſorum „ cauſam tanquam fratrum noſtrorum ſuſcipimus: Et ſi nobis oſtendi potuerunt „ criminoſi, hodiè illos anathematizaremus.

227 Eandem quoque doctrinam idem Beatus Auguſtinus confirmare videtur lib. 3. contra Creſconium Grammaticum, nam Cap. 35. ait: „ Ego in Eccleſia ſum, cujus membra „ ſunt illæ omnes Eccleſiæ, quas ex laboribus Apoſtolorum natas atque firmatas ſimul „ in literis canonicis novimus, earum communionem, quantùm me adjuvat Dominus, ſive in Africa, ſive ubicumque, non „ deſeram. In hac communione ſi fuerunt „ quos neſcio Traditores, cùm eos demonſtraveris, & carne & corde mortuos deteſtabor: nequaquàm tamen à vivis in ejuſdem Eccleſiæ ſanctâ unitate manentibus „ propter mortuos alienabor. *Et Cap.* 39. „ Ecce iterùm dico quæ me ulteriùs vetas dicere, arguit apud me eos, quos jam olim „ defunctos mea cognitio non judicavit. Dicis tu contrà: Licet tibi & hodie judicare, „ & judicium non tantùm de vivis, ſed etiam „ de mortuis haberi poteſt. Licèt enim ſit „ mortuus qui peccavit, nunquam illud moritur quod admiſit. *Hactenus Beatus Auguſtinus*. Quæ teſtimonia non latuerunt Sextilianum, cùm in collat. cit. pariter recitet, unà cum altero quoq; teſtimonio excerpto, ut ait, in Epiſtola ad Catholicos, rectiùs tamen ex Epiſtola de unitate Eccleſiæ contra Epiſtolam Petiliani, ubi legitur: „ Si fortè iſti „ libri ità deſignant traditorem ſuum, ſicut „ deſignavit Dominus Judam, legant in eis „ nominatim & expreſsè vel Cæcilianum vel „ ordinatores eorundem librorum fuiſſe traditores, & ſi non eos anathematizavero, „ ipſe cum eis judicer tradidiſſe. *Hæc ibi*, & habetur in Cap. *Sanè* cauſ. 24. quæſt. 2. Can. 6.

228 Hujus quoque ſententiæ, poſse nimirum anathematizari mortuos, fuiſse Beatū Cyrillum, non obſcurè colligi poteſt ex ejus libello dato Anaſtaſio, Alexandro, Martiniano, aliiſque Catholicis Monachis, cujus initium eſt: *Studium ac diligentiam veſtræ charitatis*, quo ſacrum Symbolum expoſuit, in eo namque paulò ante recitatum Symbolum, inter alia ait: „ Jam enim & ſancta Synodus, illa, inquam, in Epheſo juxta voluntatem Dei congregata, cùm adversùs Neſtorii perverſam opinionem ſententiam tulit & ſanctam & accuratam, ſimùl quoque „ pari ſententiâ & pœnâ condemnavit vocum „ novitates aliorum, quotquot vel poſt illam „ forent, vel ante illum fuerunt, qui eadem „ cum illo ſaperent, dicereque vel ſcribere „ auderent. Etenim conſentaneum erat, condemnato ſemèl ob tam prophanas vocum „ novitates viro, ut non unus dumtaxat feriretur, ſed, ut ſic dicam, univerſa illorum „ hæreſis atque calumnia, quam contra pia „ Eccleſiæ dogmata ſingunt, dùm prædicant „ duos filios, & impartibilem dividunt, Cœlumque ac terram quod hominem latriâ colant, crimine denotant. *Hactenus Cyrillus*, ubi per illa verba, *quoquot vel poſt illam forent, vel ante illum fuerunt*, indicare videtur, eos quoque, qui antea in hæreſi deceſſerant damnatos ab eadem ſancta Synodo. Quod quidem teſtimonium verbis parùm tantùm diverſis recitavit in v. Synodo collat. v. Photinus Diaconus & Notarius, unà cum altero teſtimonio excerpto ex libro ejuſdem S. Cyrilli, *de eo quod unus eſt Chriſtus*; in quo idem ſanctus Doctor relatâ hæreſi Theodori, & aliorum ſimilia docentium, ſubjungit: *Recuſandum igitur eos qui tam malis culpis obnoxii ſunt, ſive in vivis ſint, ſive non*. Sed & in v. Synodo plura alia teſtimonia allegata ſunt, ut univerſo orbi pateret, poſſe etiam mortuos, qui in impietate deceſſerunt & hæreſi, damnari, & Anathemati ſubjicere.

229 Teſtimonia porrò in contrarium deducta S. Leonis, & Gelaſii Papæ, non probant, neminem poſt mortem poſſe damnari, ſed magis probant, defunctos jam, ſub Dei judicio conſtitutos, à peccatis nec poſſe ſolvi, nec ligari, nec ſtatum eorum quovis Eccleſiæ judicio immutari: immò nec ipſos in judicium ab Eccleſia vocari poſſe, aut litem adversùs illos inſtrui ex partium interrogationibus, & reſponſis. Atqui non negant quin de eorum doctrinâ judicium ex ipſorum libris ferri poſſit, & conſequenter de perſonis ipſorum, ut eorum nomen invidioſum ſit & execrandum, ſi hæretici, vel ſchiſmatici ex ſcriptis probentur, nec inter Eccleſiæ auctores nominentur, immò rejiciantur, atque ut hoſtes impugnentur: hoc enim præſtat Anathema in mortuos pronunciata, vel certè de aliis criminibus exceptâ hæreſi loquuntur S. Leo, & Gelaſius, vel ſchiſmate, ut notat Gloſſ. in Cap. *Damnationis* 5. cauſ. 24. quæſt. 2. ſunt enim atrociſſima in ſancta Dei Eccleſia hæreſis, & ſchiſmatis crimina. Si enim jure civili perduellionis rei poſt mortem damnantur, & bona eorum addicuntur Fiſco, quamvis

vis cætera omnia alia crimina mortalitate extinguantur, ut ait Papinianus, lege quoque canonica hæreſis, & ſchiſmatis rei, poterunt poſt mortem damnari, licèt non ſic aliorum criminum rei. Quemadmodùm enim perduellionis crimen atrociſſimum eſt in jure civili, ita & in jure canonico ſe habet hæreſis, & ſchiſmatis crimen. Neque relevat ſi dicas, eos qui in pace ſepulti, ſive defuncti ſunt, atque in ejus communione, non poſſe ab Eccleſia à ſua communione ſegregari. Quoniam ſi meruerunt dum viverent ſegregari, nec fuerunt ſegregati, quia adhùc ignota erant Eccleſiæ illorum crimina, pro quibus viventes ſegregandi erant, poſſunt rectè & poſt mortem ſegregari. Sed quid dico ſegregari, denunciari magis ſegregatos obiiſſe: Hæreticus namque, & ſchiſmaticus, à ſeipſis ab Eccleſia recedunt, ſeſe per crimen hæreſis, & ſchiſmatis ab Eccleſia ſegregant, & ſuo proprio judicio damnantur, ut loquitur Paulus ad Titum cap. 3. verſ. 10. *Hæreticum hominem poſt unam & ſecundam correptionem devita, ſciens quia ſubverſus eſt, qui ejuſmodi eſt, & delinquit, cùm ſit proprio judicio condemnatus.* Et Beatus Judas in ſua catholica Epiſtola verſ. 19. *Hi ſunt qui ſegregant ſemetipſos, animales, ſpiritum non habentes.* Hæretici ergò ſeipſos excommunicant. Undè Eccleſia tales eſſe declarat, quos ſeſe conſtituerant per ſuam ipſorum hæreſim. Decedentes verò in hæreſi, vel ſchiſmate, nullo pacto in communione & pace decedunt. Optimè Benignus Epiſcopus in v. Synodo adversùs Theodori defenſores, qui illum in pace Eccleſiæ defunctum conclamabant, ait: *Ille enim in communicatione & pace Eccleſiarum defunctus eſt, qui uſque ad mortem recta Eccleſiæ dogmata ſervavit & prædicavit; quòd verò Theodorus non ſervavit, nec prædicavit recta Eccleſiæ dogmata, certum eſt ex ejus blaſphemiis.* Et ita concludere volebat, Theodorùm nullo modo in pace Eccleſiç defunctum eſſe.

230 Neque allatum Dionyſii Alexandrini exemplum non damnantis olim jam defunctum Nepotem Epiſcopum Millenariorum hereſis auctorem, ad rem facit. Nam Nepos propugnaverat errorem, nondùm ab Eccleſia dãnatum, in cujus opinione fuerunt Papias, Irenæus, Juſtinus Martyr, aliique plurimi Sanctiſſimi Viri, nec materia tangebat primarios fidei Articulos contentos in Symbolo, quin potiùs error Nepotis in obſcuriſſima verſabatur quæſtione. Quare Beatus Dionyſius eandem œconomiam ſervatam cum Nepote voluit, quæ hactenùs ſervata fuerat cum prioribus Patribus, quos ipſe ſecutus erat. At Theodorus jam proſcriptos in Paulo Samoſateno propugnabat errores; ſuiſque ſcriptis primaria fidei Capita impugnavit; qualia ſunt Chriſti Divinitas, & vera Dei maternitas Beatæ Mariæ Virginis; quæ quidem dogmata nemo Sanctorum Patrum ante ipſum auſus fuit propugnare; ideòque non erat cum eo illa ſervanda œconomia, quam Dionyſius ſervaverat cum Nepote.

231 Neque refert, quòd in Epheſina Synodo Theodorus nominatim non fuerit damnatus, quoniam damnato ejus Symbolo, implicitè & ipſe damnatus fuit; undè in decreto damnationis Symboli hæc habentur: „ Statuit ſancta Synodus alteram fidem nemini licère proferre, aut conſcribere, aut componere prętcr definitam à Sanctis Patribus, qui in Nicæa cum Spiritu Sancto congregati fuerunt. Qui verò auſi fuerint aut componere fidem alteram, aut proferre, vel offerre converti volentibus ad agnitionem veritatis, ſive ex gentilitate, ſive ex judaiſmo, ſive ex qualicumque hæreſi, hos quidem, ſi ſunt Epiſcopi aut Clerici, alienos eſſe Epiſcopos ab Epiſcopatu, & Clericos à Clericatu, decrevit: ſi verò Laici fuerint, anathemati ſubjici. *Hæc ibi.* Quare Pelagius in præcitata ad Epiſcopos Iſtriæ Epiſtola ait: „ Theodorum quippe mortuum ſancta Synodus prima Epheſina damnavit. Nam cùm ab ejus Diſcipulis dictatum ab illo Symbolũ in eàdem Synodo fuiſſet prolatum, illicò illic à Sanctis Patribus cum auctore damnatum eſt. Et Theodoſius & Valentinianus in ſua ſacra lege pro Epheſina Synodo, relectâ collat. v. Synodi v. inquiunt: „ Quapropter per hanc noſtram legem ſancimus, eos, qui in omni terra ubique inveniuntur impiiſſimo & inſtabili Neſtorii & Theodori propoſito conſentientes, Simonianos à præſenti nominari. *Et item.* Nemo igitur audeat, ſacrilegos codices ab eis expoſitos, & maximè à Theodoro & Neſtorio, & contrarios veræ doctrinæ & expoſitioni venerabilium Epiſcoporum, qui Epheſi collecti ſunt, legere, aut poſſidere, aut ſcribere. *Et poſtea.* Hoc certum omnibus ſit, quòd ſi quis præterierit præſentem noſtram ſanctionem, & Theodoro & Neſtorio aſſenſerit, illorum ſocios imitans, ejus per gladii ultionem omnis ſubſtantia Fiſco addicetur. *Hactenus horum Imperatorum lex.*

232 Et licèt in ea lege, quæ eorundem Imperatorum habetur inter Acta Synodi Epheſini, nulla expreſſa mentio habeatur de Theodoro, attamen in ea quoque implicitè & ipſe proſcribitur Theodorus. Legitur enim ibi: „ Quamobrem hac lege ſancimus quotquot ubicumque execrandæ opinionis Neſtorii ſequaces extiterint, eos Simonianorum nomine appellandos eſſe. *Hæc ibi.* Undè certè Theodorus implicitè continetur in ea lege; cùm & ipſe Neſtorii extiterit opinionis. Cætera verò quæ in favorem Theodori à ſuis defenſoribus fuerunt adducta, in eadem Pelagii Epiſtolâ ſoluta reperiuntur. Stat benè, quòd damnato Theodoro, nec Epheſinæ, nec Chalcedonenſi Synodo quid-

quam derogatum fuerit, pluribus quidem de cauſis, præcipuè verò, quoniam, ut viſum eſt, controverſia de perſona erat, nequaquam de fide. Nam ipſe quoque Vigilius in ſuo conſtituto dogmata Theodori proſcripſit & anathematizavit, pepercit Theodori perſonæ, quoniàm nondùm perfectiſſimè inſtructus in ea verſabatur opinione, dicente, non eſſe jam in communione defunctos poſt mortem damnandos propter allegatas Leonis, Gelaſii, atque Dionyſii Alexandrini auctoritates.

233 De Theodoreto porrò recepto in Chalcedonenſi Synodo, arguebant Epiſcopi Iſtriæ, non potuiſſe Vigilium ejus ſcripta damnare abſque præjudicio tantæ Synodi. Etenim Act. VIII. ejuſdem Synodi cognitâ illius causâ repertus fuit catholicus, clamantibus univerſis Epiſcopis: *Theodoretus dignus eſt Sede Eccleſiæ, orthodoxum Eccleſia Paſtorem recipiat: orthodoxum Doctorem Eccleſia recipiat. Theodoretus dignus eſt Sede ſua. Archiepiſcopo Leoni multos annos. Cùm Deo Leo judicavit, Populus orthodoxum recipiat dignum ſua Sede, Theodoreto catholico Doctori reddatur Eccleſia*. Si ergò tantis & talibus acclamationibus receptus fuit Theodoretus à ſancta Chalcedonenſi Synodo, habituſque ut catholicus, non poterat poſtea Vigilius ejus ſcripta damnare ſine præjudicio Synodi Chalcedonenſis, quæ ſcripta quoque illius indemnata reliquit. *Hæc defenſores trium Capitulorum*.

234 Atqui ſatis liquet ex ſuperiùs dictis, ſcripta Theodoreti adversùs duodecim Cyrilli Capitula, & alia nonnulla, hæreſim Neſtorianam continere, ipſique Neſtorio plurimùm favere, ac proinde omni proſcriptione digna. Synodus porrò Chalcedonenſis Theodoretum ſuſcepit, non tamen prælibata ſcripta recepit, nec probavit. Recepit utique Theodoretum, ſed poſtquàm anathema dixit Neſtorio, nunquàm enim illum recipere voluerunt Patres, niſi priùs Neſtorium anathematizaſſet, adeout nec ſupplicem ejus libellum perlegi permiſerunt, exclamantes: *Nihil relegi volumus: modò anathematiza Neſtorium*: dicente vero Theodoreto: *Ego per Dei gratiam apud orthodoxos ſum nutritus, & orthodoxè ſum edoctus, & orthodoxè prædicavi; & non ſolùm Neſtorium & Eutychem, ſed omnem hominem, qui rectè non ſapit, averſum & alienum exiſtimo*. Patres clamaverunt: *clarè dic, anathema Neſtorio, & amantibus eum*. Undè quouſque Theodoretus non dixit: *Anathema Neſtorio, & ei, qui non dicit, Dei Genitricem Virginem Mariam, & qui in duos filios partitur unum Filium unigenitum*; minimè receptus fuit. Damnando ergò Neſtorium, ſe correxiſſe conſtat, & ſcripta ſua Neſtorio faventia ſimul damnaſſe nemo dubitare poteſt. Damnatâ perſonâ propter falſam doctrinam, cenſentur damnata quoque & dicta omnia & ſcripta, quæ & perſonæ & falſæ illius doctrinæ patrocinantur. Undè Pelagius in ſua Epiſtola ad Epiſcopos Iſtriæ cap. 20. ait: „ A quibus tamen conſtat, quòd ſe poſtmodùm ipſe correxit, qui in ſancta Chalcedonenſi Synodo Neſtorium anathematizare conſenſit. Quis non videat, quantâ temeritate plenum ſit, Theodoreti ſcripta ſuperbiendo defendere, quæ eundem ipſum conſtat, recta poſt profitendo, damnaſſe? Dum verò ejus & perſonam recipimus, & ea, quæ dudùm latuerant prava ſcripta reprobamus, in nullo à ſanctæ Synodi actione deviamus, quia ſola ejus hæretica ſcripta reſpuentes, & cum Synodo adhùc Neſtorium inſequimur, & cum Syndo Theodoretum profitentem recta, veneramur.

235 Attamen obſtare videtur lex Valentiniani & Marciani data Palladio Præfecto Prætoriorum Orientis, Valentiniano Præfecto Illyrici, & Tatiano Urbis Præfecto Anno Domini CDLII. pridie Nonas Julii, Spartiano viro clariſſimo Conſule, qua abrogavit legem latam à Theodoſio juniore adversùs Flavianum & ſocios. In ea namque lege Theodoſius junior, deceptus à Chryſapio, damnavit Flavianum Epiſcopum Conſtantinopolitanum, & Euſebium alterum Epiſcopum, veluti Neſtorii dogmatis Sectatores, & inſuper Neſtorii & Theodoreti ſcripta proſcripſit, inquiens: „ Sed nec habeat aliquis, aut legat, aut tranſcribat, proferatve Neſtorium, vel decreta ejus, aut codices noxios & maximè, quos contra ſolas Porphyrius edidit chriſtianas literas, neque Theodoreti ſcripta, ſed quicumque hujuſmodi codices habet, publicè illos proferat, & cunctis videntibus igni tradantur. *Et paulò poſt ſubjungit*: Quicumque hoc egerit, vel qualislibet extiterit, vel quiſquis codices habuerit, interdictam fidem Neſtorii, ac Theodoreti continentes, aut interpretationes eorum, vel qui vocantur ſermones allocutorii, ſive traditiones, iiſdem tormentis ſubjaceat, vel ſi ea, quæ ſunt ab illis compoſita, alterius nomine fuerint prænotata. *Hactenus Theodoſii junioris lex.* Sed Valentinianus & Marcianus in ſua lege inquiunt: „ Aboleatur illa conſtitutio, quæ ſceleratorum ſubreptione poſt obitum ſanctæ memoriæ Flaviani adversùs eum lata cognoſcitur; ceſſentque in totum ea, quorum initium fuit iniquum & injuſta ſententia nihil obſit Euſebio quoque & Theodoreto religioſis Epiſcopis, qui eâdem lege continentur. *Hactenus ibi*. Ex quibus fit, ſcripta Theodoreti non potuiſſe juſtè damnari, ſi lege Valentiniani & Marciani declarantur à Theodoſio juniore injuſtè damnata.

236 Hæc tamen non evincere, quæ defenſores trium Capitulorum prætendebant, ſic oſtendo. In primis Theodoſius junior eâ lege univerſa ſcripta Theodoreti proſcripſiſſe videtur

tur nullâ factâ diſtinctione; Vigilius verò ea tantùm damnavit, quæ adversùs duodecim Cyrilli Capitula, & contra rectam fidem ſcripta erant, cæteris verò conſcriptis ejuſdem Theodoreti indemnatis relictis. Undè Pelagius in præfata ad Epiſcopos Iſtriæ Epiſtola cap. 20. ait; *Alia verò ſcripta illius non ſolùm recipimus, ſed eis etiam contra adverſarios utimur*. Meritò ergò Valentinianus & Marcianus legem ſic generaliter adversùs ſcripta Theodoreti latam revocarunt. Deindè Theodoſius eâ lege damnaſſe videtur ipſum quoque Theodoretum, nedùm ſolùm ejus ſcripta. Valentinianus & Marcianus in ſua ipſorum lege nullam vel minimam de Theodoreti ſcriptis mentionem faciunt, ſolùm de perſona agunt, quam à Theodoſio minimè damnari potuiſſe, utpotè receptam in ſancta Chalcedonenſi Synodo veluti orthodoxam, pronunciant: dicentes: *quoniam non poſſunt Sacerdotes conſtitutione damnari, quos Synodicum ornat de conſervata religione decretum*.

237 De Epiſtola Ibæ reſtat modò videre, an per ejus damnationem quidquam derogatum fuerit ſacroſanctæ Chalcedonenſi Synodo: quoniam lectâ ibidem Act. x. Epiſtolâ, quæ ſub ejus nomine ferebatur ſcripta ad Marim Perſam, ipsâ indemnatâ, abſolutus fuit Iba, quinimmò Maximus Epiſcopus Orthodoxam illam pronunciavit, inquiens: „ Ex „ iis, quæ modò relecta ſunt, manifeſtum „ eſt, quia ab omnibus ei illatis Reverendiſ„ ſimus Ibas innocens eſt repertus, & ex „ relecto quoque reſcripto Epiſtolæ, quæ „ prolata eſt ab eo, qui adverſarius ejus exi„ ſtit, orthodoxa ejus declarata eſt dictatio. *Hæc Maximus Epiſcopus Antiochenus*. Et Apoſtolicæ Sedis Legati Paſchaſinus, & Lucentius, atque Bonifacius dixerunt: „ Re„ lectis chartis, agnovimus ex ſententia Re„ verendiſſimorum Epiſcoporum Ibam Reve„ rendiſſimum innoxium approbari. Relectâ „ enim ejus Epiſtolâ, agnovimus eum eſſe „ orthodoxum. Et ob hoc decernimus & „ honorem Epiſcopatus, & Eccleſiam à qua „ injuſtè abſens expulſus eſt, ei reſtituendam. *Hæc illi*, & in eandem ſententiam deſcenderunt univerſi Patres. Non ergò Vigilius juſtè poterat Epiſtolam Ibæ damnare, quam orthodoxam univerſa Synodus Chalcedonenſis judicavit: eamque damnando maximum vulnus intulit ipſi Chalcedonenſi Synodo.

238 Pro hujus difficultatis ſolutione operæ pretium eſt advertere, atque in mentem recolere, Ibam Epiſcopum Edeſſæ accuſatum fuiſſe de pluribus à quibuſdam ſuæ Eccleſiæ Clericis, damnatum poſtea ab Eutychete, ipſo abſente, & inaudito, nec dato ei defenſionis loco, ut ipſe conqueſtus eſt coram Patribus in ipſa Chalcedonenſi Synodo Act. x. proindè prælibati Patres juſſerunt primùm Acta Judicii Beryti adversùm eum facta relegi, & examinari, inde & afferri in medium atque relegi libellum Samuelis, & aliorum Edeſſæ Presbyterorum, continentem capita accuſationum adversùs eundem Ibam, à quibus omnibus rectè Ibas coram univerſa Synodo ſe purgavit; cùmque inter alia de Neſtorianiſmo eſſet accuſatus, ipſe Ibas Neſtorii errores damnavit, ipſi Neſtorio anathema dixit, profeſſus eſt ſe Nicænam fidem tenère; definitionem Sanctæ Epheſinæ Synodi primæ adversùs Neſtorium amplecti, atque ſanctiſſimi Leonis Papæ Tomum de recta fide ſuſcipere. His peractis adverſarii ejus in medium produxerunt Epiſtolam, quæ ab eo ferebatur ſcripta ad Marim Perſam, ut ex ea illum convincere poſſent de Neſtorianiſmo, eò vel maximè, quòd in ea calumniabatur Sanctam Epheſinam Synodum, quòd nullo judiciali ordine ſervato Neſtorium damnaſſet, & adversùm S. Cyrillum acerrimum Neſtorii impugnatorem plura exarata continerentur, de quibus & nos ſupra præfati ſumus. Proindè coram Synodo relecta fuit, qua abſolutâ lectione, Ibas rogavit quoque perlegi literas Clericorum Edeſſenorum, his utens verbis: *Jubeat veſtra clementia relegi & literas Clericorum Edeſſenorum, ut cognoſcatis, quia ab his quæ mihi illata ſunt, alienus exiſto, & violentiam ſum perpeſſus*. Quibus verbis non videtur pro ſua agnoviſſe literam, dum ut à calumniis ſibi illatis purgaretur, rogavit legi ſupplicationem Clericorum ſuæ Eccleſiæ, quâ conteſtabantur, nunquam ſe audiviſſe quicquam ab Iba prolatum adversùs rectam fidem, & quòd in minimum ſaperet hæreſim: deprecabanturque, ut ſuæ Eccleſiæ reſtitueretur. Itaque perlectâ præfatâ ſupplicatione, definitivam ſententiam in cauſa prædicta pronunciarunt omnium primi Paſchaſinus, & Lucentius Epiſcopi, atque Bonifacius Presbyter Apoſtolicæ Sedis Legati, dicentes: *Relectis chartis agnovimus ex ſententia Reverendiſſimorũ Epiſcoporum, Ibam reverendiſſimum innoxium approbari. Relectà enim ejus Epiſtolà, agnovimus eum eſſe orthodoxum*.

239 Itaque ex allegatis verbis non evincitur, Apoſtolicæ Sedis Legatos, alioſque Patres approbaſſe Epiſtolam Ibæ; verba enim iſta: *relectà ejus Epiſtolà, agnovimus eum eſſe orthodoxum*, non ſignificant, Epiſtolam illam repertam eſſe orthodoxam, ſed quòd non obſtante Epiſtolâ adversùs eum productâ, repertus fuit orthodoxus, quoniam vel negavit eſſe ſuam, vel reprobavit illam. Proinde Sanctus Gregorius Magnus in Epiſtola data ad Secundinum, apertè fatetur Ibam denegaſſe Epiſtolam illam eſſe ſuam; §.3. ſcribit Sanctus Pontifex: *Epiſtolam verò, quam in ea Reverendiſſimus Ibas denegat ſuam, quòd in extrema parte Synodi jacet, agnoſcis*. Ejuſdem opinionis eſt Epiphanius Diaconus in diſputatione habita contra Gregorium inter Acta Nicænæ ſecundæ Synodi Act. VI. Licèt alii in ea ſint ſententia cum Baronio ad An-

num Domini CDXLVIII. ſub num.72.& ſeq. quòd Ibas nequaquam abnegavit Epiſtolam illam eſſe ſuam; quoniam, ut produnt Acta Synodi Berytenſis, confeſſus fuit, ſe Cyrillum hæreticum nuncupaſſe, antequàm ſua Capitula exponeret, & ante initam cum Orientalibus pacem. Cùm verò nullibi conſtet, Ibam pro hæretico habuiſſe Cyrillum, quàm in præfata Epiſtola, videtur illam recepiſſe pro ſua. Cæterùm nec ex Actis Beryti Synodi clarè evinci poteſt, eum Epiſtolam ut ſuam cognoviſſe. Nàm Mara dicente: *Beatum Cyrillum non vocaſti hæreticum?* Reſpondit Ibas: *Cum veritate dico, non ſum memor; & ſi vocavi eum, quandò Orientale Concilium eum quaſi hæreticum anathematizavit, ſecutus ſum Primatem meum.* Mara iterùm replicante: *Non dixiſti, quia niſi anathematizaſſet Capitula ſua, non reciperemus eum?* Subjunxit Ibas: *Dixi, quia niſi ſemetipſum interpretatus fuiſſet, & ſuſcepiſſet eum Orientale Concilium, & ego eum cum meo Principe & Orientali Concilio abnegabam.* Et infra ſolùm dicit, ſe ſecutum fuiſſe Orientale Concilium, nec anathematis in Cyrillum mentionem aliquam feciſſe: quibus peractis lecta fuit prælibata Epiſtola, poſt cujus lectionem nihil ad ea reſpondiſſe, ex Actis conſtat. Proinde nihil clarè habetur, oſtendens Ibam in Synodo Berythi pro ſua agnoviſſe literam, cùm etiam fateatur neque meminiſſe ſe anathematizaſſe Cyrillum.

240 Utcumque verò ſe habuerit, ſive negaverit Epiſtolam à ſe ſcriptam, ſive illam improbaverit, firmum ſtat, ſanctam Chalcedonenſem Synodum recepiſſe Ibam, ut innoxium declaraſſe, utpotè ab accuſatoribus rectè purgatum, non tamen ut orthodoxam Epiſtolam recepiſſe. Et licèt Maximus Antiochenus dixerit: *Orthodoxa eſt ejus declarata dictatio*, non proinde ſtandum eſt teſtimonio hujus Epiſcopi; cæteri autem non ita faſſi ſunt Patres. Undè Patres v. Synodi Act. ſive collat. vi. recenſitis ejuſmodi geſtis, & ſpectatâ interlocutione Maximi Antiocheni in favorem Epiſtolæ Ibæ, dixerunt: „ Neceſſarium igitur eſſe putavimus, veſtræ Beatitudini etiam hæc ſcienti manifeſta facere, quæ ad hoc pertinent: illo certo conſtituto, quòd in Conciliis, non unius vel ſecundi interlocutionem attendere oportet, ſed hæc, quæ communiter ab omnibus, vel amplioribus definiuntur. *Hæc ibi*, undè & ſubjungitur à Photio & Euſtathio condemnatam fuiſſe Epiſtolam in Berythenſi Synodo, Ibam verò abſolutum, poſtquàm profeſſus fuit ſe Epheſinam Synodum ab impia Epiſtola reprobatam recipere, & anathematizaverit Neſtorium. Et eandem regulam ſecuti ſunt Patres Synodi Chalcedonēſis Act. 10. Non enim ſatis eis viſum fuit, Ibam abnegaſſe, vel improbaſſe Epiſtolam, ut omninò pro catholico haberetur, niſi anathematizato Neſtorio & Eutychete, fidem ſuam manifeſtaret. Quare cuncti Synodi Patres, poſt Maximi Antiocheni & aliorum nonnullorum interlocutiones in favorem Ibæ, clamaverunt, ut habetur in fine Action. x. *Omnes eadem dicimus: Neſtorium modò anathematizet. Unde Ibas his auditis, reſpondit: Et jam in ſcripto anathematizavi Neſtorium, ejuſque dogma, & nunc anathematizo eum decies millies. Quod enim ſemel ex animo fit, ſi fiat decies millies, non contriſtar: anathema ipſi Neſtorio & Eutychi & unam dicenti naturam; & omnem eum, qui non ſapit ſicut hæc ſancta Synodus, anathematizo.* Quibus auditis, confirmata eſt abſolutionis ſententia in Ibam prolata: *Magnificentiſſimi & glorioſiſſimi Judices dixerunt: Quæ judicata ſunt à ſancto Concilio de Iba Reverendiſſimo Epiſcopo, propriam vim retinebunt.*

241 Itaque Patribus Chalcedonenſis Synodi ſatis viſum fuit, Ibam ipſum Epiſtolæ auctorem illam improbaſſe, abſque eò quòd aliqua ſententia ſpecialiter adversùs eam pronunciaretur. Ibam verò eam improbaſſe, liquet ex damnatione ab eo pronunciata eorum, quæ in ea continebantur. In ea namque inter cætera, & Neſtorium exaltat & Cyrillum deprimit, cùm porrò in Synodo anathema dixerit Neſtorio, Cyrillum & ejus Capitula ſuſceperit, certè reprobavit quæ in ea Epiſtola exarata erant. Ex quibus palàm fit, Vigilium damnando Epiſtolam Ibæ, in nullo, vel in minimo læſiſſe Chalcedonenſem Synodum, quam conſtat nullo pacto Epiſtolam recepiſſe, immò potiùs ejuſdem Ibæ definitione & ſententiâ reprobaſſe.

242 Neque prætereundum eſt quod attentè adnotat Pelagius in ſæpè citata Epiſtola ad Epiſcopos Iſtriæ, nimirum ſanctam Chalcedonenſem Synodum poſt definitionem fidei, cauſas Theodoreti & Ibæ, aliorumque Epiſcoporum cognoviſſe, utpotè nullo modo ad fidem ſpectantes. Sextâ enim Actione abſoluta fuere quæ controverſias fidei concernebant, ubi definitio Concilii pronunciata Act. v. ſubſcripta eſt unanimi omnium Patrum conſenſu. Actione inde vii. actum fuit de Diœceſibus ſubjectis Epiſcopo Antiocheno & Epiſcopo Hieroſolymitano, ut ſedarentur juriſdictionales controverſiæ hos inter duos exortæ Epiſcopos. Actione viii. cognita fuit cauſa Theodoreti Epiſcopi Cyri à ſua jam Sede exturbati. Actione ix. & x. actum eſt de cauſa Ibæ Edeſſeni Epiſcopi pariter depoſiti, & in reliquis Actionibus cognitæ ſunt diverſorum Epiſcoporum cauſæ. Undè ait Pelagius: „ Vigilanti ergò curâ reſpicite quæ in ſexta illius Actione ſanctæ fidei profeſſio conſummatur, moxque in ſeptima ad inſtitutionum jam fidelium regula Canonum figitur. Ulterioribus verò Actionibus nihil de cauſa fidei, ſed ſolùm negotia privata verſantur. *Hæc Pelagius.* Itaque ſicut ſupra præfati ſumus, quæ extra cau-

cauſam fidei in Synodis pertractantur, iterùm in judicium revocari poſſunt & retractari. Ac ita etiam ſi Chalcedonenſis Synodus in cauſa trium Capitulorum aliter definiiſſet, cùm materia ad fidem minimè ſpectet, poterat & in alia Synodo retractari, & à Romano Pontifice recognoſci, & aliter etiam pronunciari, ac pronunciatum fuerit ab eadem generali Synodo Chalcedonenſi abſque ſuæ auctoritatis læſione, cùm auctoritas Synodorum generalium irretractabilis concernat tantùm definita in fidei cauſa.

243 Arguebant inſuper Epiſcopi Iſtriæ ex conſtituto Vigilii, quo damnationi trium Capitulorum fortiter reſtiterat, immò pro illorum defenſione diù pugnavit, atque complura paſſus eſt diſcrimina ad deportationem denique uſque in exilium: non enim tanta mala paſſus eſſet, ſi non agnoviſſet illorum iniquam damnationem. Nonnulli poſtea, qui adverſantur auctoritati Romanorum Pontificum, calumniantur Vigilium, quòd in cauſa tàm gravi & Eccleſiaſtica, quæ etiam fidem aliquo pacto tangebat, duo decreta ediddiſſet contradictoria, modò propugnando tria illa Capitula, & modò reprobando.

244 Sed nihil obſtat juſtæ damnationi trium Capitulorum, quòd Vigilius primo ſuo conſtituto aliter decreverit, ac poſtea. Nondùm enim Vigilius ab initio veritatem attigerat; quâ compertâ ſententiam revocavit, ut par erat, & ideò in ſuo decreto cauſam damnationis trium Capitulorum refundit in agnitam veritatem primùm, inde ſic pro Eccleſiarum concordia firmanda expediens fuiſſe edocet: „ Sed quoniam Chriſtus „ Deus noſter, *ait*, qui eſt lux vera, quem „ tenebræ non comprehendunt, omni confu- „ ſione à mentibus noſtris remotâ, univerſum „ Orbem & Eccleſiam ad pacem revocavit, „ itaut quæ à nobis definiri debent, revelan- „ te Domino, & veritate inveſtigatâ ſalu- „ briter impleta ſunt. *Hæc Vigilius*. Cognovit ergò Vigilius controverſiam non eſſe de fide, ac proinde eſſe retractabilem; cognovit aliquem etiam poſt mortem poſſe anathematizari; & cognovit proinde non derogari dignitati Synodi Chalcedonenſis per triũ Capitulorum damnationem, quæ illum latuerant, dùm primùm edidit conſtitutum, cujus rei causâ diù reſtitit. Relecta in v. Synodo monumenta, non tàm nota erant Vigilio antea, quàm poſtea, dùm Acta Synodi præ manibus habuit. Quare Pelagius in ſæpè citata Epiſtola reſpondens huic argumento propoſito ab Epiſcopis Iſtriæ, ait: *Latini quippe homines & Græcitatis ignari, dùm linguam neſciunt, errorem tardè cognoverunt; & tantò ei celeriùs credi debuit, quantò eorum conſtantia à certamine non quievit.* Deinde ſubjungit, conſenſum Vigilii, licèt tardè præſtitum, ac aliorum Occidentalium, debuiſſe impellere eos ad acquieſcendum magis decreto Vigilii, quàm ad ei contradicendum: *Quorum conſenſum*, inquit, *rectè fraternitas veſtra deſpiceret, ſi auſu præcipiti, priuſquàm verum cognoſcerent, conſenſiſſent. At poſtquàm diù ab eis laboratum eſt, & longo tempore ad injurias uſque certatum, hinc fraternitas veſtra penſet, quia tot labores repentè non relinquerent, niſi quæ vera ſint, agnoviſſent.*

245 Neque factum Vigilii derogat Summorum Pontificum auctoritati, quorum infallibilitas circa res fidei, & mores univerſam Eccleſiam reſpicientes ſe extendit, in aliis porrò materiis, quæ puram tangunt diſciplinam, tantam non habent & talem infallibilitatem; undè ſæpè, ut ſupra etiam præmonuimus, Concilia ipſa generalia, aut revocant in prioribus ſancita, aut moderant; ſicut & Romani Pontifices à ſuis anteceſſoribus conſtituta aliquandò revocant, immò ſua ipſorum quandòque retractant & reformant decreta, præcipuèque, ſi ex illorum retractatione bonum aliquod Eccleſiæ ſit obventurum. Peroptimè hoc adnotat Pelagius cap. 8. ejuſdem Epiſtolæ, probatque Pauli & Petri exemplo in controverſia de Circumciſione; & inde concludens, ait: „ Si igitur in controverſia „ trium Capitulorum, aliud cùm veritas quæ- „ reretur, aliud autem inventâ veritate, di- „ ctum eſt, cùr mutatio ſententiæ huic Sedi „ in crimine objicitur; quæ à cuncta Eccle- „ ſia humiliter in ejus auctore veneratur? „ Non enim mutatio ſententiæ, ſed incon- „ ſtantiæ ſenſus in culpa eſt. Quandò ergò „ ad cognitionem recti intentio incommuta- „ bilis permaneat; quid obſtat, ſi ignorantiam „ ſuam deferens, verba permutet? *Hactenus Pelagius.*

246 Itaque firmum ſtat per Vigilii Decretum non eſſe quicquam derogatum auctoritati Synodi Chalcedonenſis, nec læſam Apoſtolicam Sedem, ſed confirmatam Synodum v. Generalem, quæ ſine ejuſmodi Decreto, nullius foret firmitatis. Quam poſtea Synodum univerſa recepit Eccleſia, ſucceſſoreſque quoque Vigilii illius ſecuti exemplum, receperunt. Sic Pelagius hujus nominis I. qui Vigilio ſucceſſit, ut liquet ex ejus Epiſtola 3. data ad Narſem, & 5. pariter data ad eundem. Sic Pelagius Secundus in ſæpè citata ad Epiſcopos Iſtriæ Epiſtola. Sic Sanctus & Magnus Gregorius lib. 1. Epiſt. 34. data ad Joannem Epiſcopum Conſtantinopolitanum. Et lib. 2. Epiſt. 36. data ad Epiſcopos Iſtriæ. Et lib. 3. Epiſt. 37. ad Conſtantinum Mediolanenſem; & lib. 7. Epiſt. 67. ad Secundinum Monachum. Suſcepit & vi. Synodus approbans Act. xi. Epiſtolam Synodicam Sophronii Patriarchæ Jeroſolymitani, in qua v. Synodum cum aliis Generalibus prioribus ſe recipere & venerari conteſtatur. Lateranenſis Synodus ſub Martino I. Secret. iv. eandem Synodum v. ſe recipere oſtendit, dum lecta fuit ejuſdem ſanctæ Synodi definitio.

Item & eadē prȩcitatâ vi. Synodus Act. xviii. in definitione fidei palàm fatetur ſe illi Synodo adhærere. Et quamvis verum ſit, ab initio ei contradixiſſe nonnullos Epiſcopos Occidentales, qui in ſchiſmate fuerunt, & præcipuè Iſtriæ, Venetiæ, & Liguriæ, qui tunc ſub Longobardorum Dominio degebant; nam Franci, Hiſpani, & Tuſci moniti à Pelagio I. in communionem ſtatim redierunt, recipientes v. Synodum: denique illi quoque ſub Sancto Leone Magno, & univerſi qui adhùc ſub ſchiſmate erant recipientes ſanctam Synodum v. in communionem recepti fuere: & ita univerſus orbis ſanctam v. Synodum recepit, undè ei velle contradicere, aliterque de ea ſentire, ſuperbum eſt, & temerarium nimis.

CAPUT VI.

De novo exorto Græcorum ſchiſmate ſub Pelagio Papa hujus nominis II.

247 AD ſuperos evocato Pelagio I. Vigilii ſucceſſore Anno ſui Pontificatus V. cùm ſediſſet Annos IV. menſes x. & dies xviii. ut notat Baronius ex quodam Vaticano codice, elapſis menſibus tribus, diebuſque xxv. vacantis Sedis, ſuffectus eſt ejus loco Joannes hujus nominis III. natione Romanus, Anaſtaſii viri illuſtris filius, qui vixit in Pontificatu Annos XIII. dies xxiv. ut Binius ſupputat, quamvis ſcribat Anaſtaſius ſediſſe Annos XII. menſes xi. & dies xxvi. cui ſucceſſit Benedictus & ipſe Romanus Bonifacii filius, poſt longum vacantis Sedis intervallum, ob bellicos tumultus vacavit autem Sedes menſes x. & dies tres: qui Eccleſiam moderavit Annis IV. menſe uno, diebus verò xxviii. obiitque Pridie Kalendas Auguſti Anni Domini DLXXVII. Imperante Juſtino, Anno ſui Imperii XII. & eodem Anno poſt trium menſium & dierum xi. vacantis Sedis ſpatium, die xi. Novemb. in ejus locum ſuffectus eſt Pelagius hujus nominis II. natione pariter Romanus Vinigildi filius.

248 Defuncto inſuper Juſtiniano Principe Anno Domini DLXVI. cum imperaſſet Annos XXXVIII. menſes vii. & dies x. vel xiii. in ipſis Idibus Novembris ſucceſſit ei in Imperio Juſtinus cognominatus Junior, Vigilantiæ Juſtiniani ſororis, & Dulciſſimi filius, coronatus cunctorum plauſu unà cum Sophia uxore ſua, qui Anno XVII. ſui principatus deceſſit, cùm imperaſſet Annos XVI. menſes ix. & dies xv. Tunc habenas Imperii ſolus accepit Tiberius genere Thrax, ſed ſtrenuus Miles, quem in collegam ab Anno DLXXVIII. adſciſcerat, creato Cæſare, ipſemet Juſtinus: decedente poſtea Tiberio exactis jam à Juſtini obitu ſui principatus annis, Mauritius jam delectus Cæſar principatum obtinuit Anno Domini DLXXXVI. Pontificatus Pelagii Anno IX.

249 Porrò Eutychius Patriarcha Conſtantinopolitanus, qui ſub Juſtiniano exilium paſſus fuerat, quia decreto illius de incorruptibili, Catholico reſtiterat zelo, revocatus in Sedem ſuam poſt obitum Joannis Scholaſtici Pſeudopatriarchæ, operâ & ſtudio Tiberii Cæſaris, objerat quatuor menſes ante Tiberii exceſſum. Cujus loco ex Monachò ſelectus fuit Joannes cognomentò Jejunator, ob vitæ auſteritatem & frequentia jejunia, quæ ut auram popularem captaret, præſerebat, qui ut in opinione ſuæ fictæ ſanctitatis imperitum vulgus confirmaret, ſimulavit fugam, nè in Epiſcopum eligeretur. Hic enim electus & conſecratus Archiepiſcopus ex agno lupus apparuit, & ſanctam illam in Eccleſia tot laboribus partam pacem mox fugavit, novoque ſchiſmati occaſionem præbuit, fomenta præbente ſuperbiâ ſuâ.

250 Itaque Anno Domini DLXXXVII. Pontificatus Pelagii II. Anno X. Imperii Mauritii II. Conſulatum gerente ſolo Mauritio, Joannes Patriarcha arrogavit ſibi nomen Epiſcopi œcumenici, ſimulque & auctoritatem, auſus & œcumenicam convocare Synodum in cauſa Gregorii Epiſcopi Antiocheni: etenim Gregorius invidiâ Aſterii Præfecti Orientis accuſabatur cum propria ſorore alteri viro in Matrimonium datâ rem habuiſſe; atque proſperum Civitatis ſtatum non ſemel, ſed ſæpè ſæpiùs labefactaſſe, ut refert Evagrius lib. 6. hiſt. cap. 7. Adhæſerunt huic calumniæ primores Civitatis, primùm ex parte Aſterii, deinde adjuncti ſunt populares, qui in Civitate artes exercebant, ad extremum verò & univerſa plebs: „ Ambo igitur, *ait* „ *Evagrius*, & optimates & populares in eandem cum plebe quaſi pedibus iēre ſententiam: & cùm in plateis, tùm in Theatro „ probra & contumelias in Epiſcopum Gregorium intorquere non ceſſavere. Quin „ etiam nè à Scæna quidem talis abfuit petulantia. *Ita Evagrius*. At Imperator hiſce Antiochenis tumultibus auditis, amoto ab officio Aſterio, Joannem ſubſtituit cum mandato, ut de orta adversùs Epiſcopum ſeditione diligenter inquireret, qui in ejuſmodi cauſis examinandis parùm idoneus, publicato edicto, liberam unicuique poteſtatem dedit Epiſcopum accuſandi, & comparente quodam Argentario primùm, de prædicto inceſtu Gregorium accuſavit, inde nonnulli populares proſperum Civitatis ſtatum pluriès labefactaſſe depoſuerunt. At Gregorius ab illatis accuſationibus ſe purgavit, indeque provocans ad Concilium, profectus eſt Conſtantinopolim, ut & ibidem ſe purgaret, ut prælibatus Evagrius ſcribit. Hoc itaque pretextu Joannes Conſtantinopolitanus Epiſcopus, datis literis ſub nomine Epiſcopi œcumenici, Synodum congregavit in eadem Regia Conſtantinopolis

lis

lis Civitate, in qua Synodo, ut ſubjungit Evagrius: *poſt multas & graves contentiones ſecundùm Gregorium ſententia promulgata eſt, ut ejus accuſator acriùs excruciatus & circumcivitatem actus, exilio mulctaretur*.

251 Cùm verò Pelagius Romanus Pontifex accepiſſet, Joannem Epiſcopum Conſtantinopolitanum ea in Synodo œcumenici Epiſcopi ſibi nomen uſurpaſſe, datis literis continuò geſta Synodi, exceptâ ſententiâ in Gregorii causâ pronunciatâ, caſſavit, annullavit, atque prorsùs irrita, nulliuſque roboris & firmitatis eſſe declaravit. Sunt autem Pelagii literæ ſequentes.

Dilectiſſimis fratribus univerſis Epiſcopis, qui illicitâ vocatione Joannis Conſtantinopolitani Epiſcopi ad Synodum Conſtantinopolim convenerunt Pelagius.

252 „ Manifeſto (ſicut optavimus) per „ gratiam Dei, lumine evangelicæ veritatis, „ ab univerſali Eccleſia, pernicioſiſſimi erroris nocte depulsâ, ineffabiliter gaudemus „ in Domino; ſed non modico contriſtamur „ mœrore, quia ea, quæ olim calcata fuerant & funditùs damnata, nec unquam fieri debuerant, redivivis radicibus germinant atque pullulant. Et quoniam multa, „ quæ pœnitudinem poſſunt generare, proveniunt, neceſſe eſt ea caſſare, quæ contra „ ordinem & omnem auctoritatem facta eſſe „ noſcuntur. Undè, fratres, rejectâ penitùs „ audaciâ, quæ contra Apoſtolicam Sedem, „ & contra ipſam Domini Salvatoris vocem, „ qua dictum eſt: *Tu es Petrus, & ſuper hanc „ Petram ædificabo Eccleſiam meam*, ſumpta „ eſt diſputandi contra Domini præcepta, vana errantium corda conquieſcant, nec liceat defendi quod non liceat agere.

253 „ Relatum eſt ergò ad Apoſtolicam „ Sedem, Joannem Conſtantinopolitanum „ Epiſcopum Univerſalem ſe ſcribere, voſque ex hac ſua præſumptione ad Synodum „ convocaſſe generalem, cùm generalium „ Synodorum convocandi auctoritas Apoſtolicæ Sedi Beati Petri ſingulari privilegio ſit tradita, & nulla unquam Synodus „ rata legatur, quæ Apoſtolicâ auctoritate „ non fuerit fulta. Quapropter quidquid in „ prædicto veſtro conventiculo (quia Synodus taliter præſumpta eſſe non potuit) ſtatuiſtis, ex auctoritate Sancti Petri Apoſtolorum Principis, & Domini Salvatoris „ voce, qua Beato Petro poteſtatem ligandi „ atque ſolvendi ipſe Salvator dedit, quæ „ etiam poteſtas in Succeſſoribus ejus indubitanter tranſivit, præcipio omnia, quæ „ ibi ſtatuiſtis & vana & caſſata eſſe, itaut „ deinceps nunquam appareant, nec ventilentur. Etenim ipſe Salvator Beato Apoſtolo Petro tanquam ipſa per ſe veritas loquitur, dicens: *Quæcumque ligaveris ſuper „ terram, erunt ligata & in Cœlo; & quæcumque ſolveris ſuper terram, erunt ſoluta & in „ Cœlo*. Multis denuò Apoſtolicis & Canonicis atque Eccleſiaſticis inſtruimur Regulis, non debere abſque ſententia Romani „ Pontificis Concilia celebrari. Quapropter „ (ut jam dictum eſt) rectè non Concilium, „ ſed veſtrum conventiculum vel conciliabolum caſſatur; & quidquid in eo actum eſt, „ irritum habetur ac vacuum. Vos quoque „ deinceps, ut nullius hortatu talia præſumatis, ſi Apoſtolicæ Sedis communione „ carere non vultis. Modò verò ideo ſuſpenditur ultio, ut locum poſſit habere „ correctio.

254 „ Prædeceſſores verò Joannis & ipſe „ Joannes non ſemel, ſed ſæpiſſimè Epiſtolas „ atque libellos propriâ manu ſubſcriptos „ ſanctis Anteceſſoribus noſtris miſerunt, „ quibus coram Deo proteſtati ſunt, nihil „ unquam protervè contra Apoſtolicam Sedem agere, nec de illius aut aliorum privilegiis quidquam uſurpare, qui hactenus „ in Archivio Sanctæ Romanæ Eccleſiæ ſub „ ſigillis ac chirographis eorum roborati habentur integri. In ipſis enim Epiſtolis vel „ libellis anathematis vinculo ſe & ſucceſſores eorum conſtrinxerunt, ſi unquam aliquid contra eos præſumpſiſſent, aut contra Apoſtolicam, vel ullius alterius Epiſcopi Sedem quidquam adverſi quoquomodò „ eſſent moliti. Idcircò eos non eſt neceſſe „ excommunicare aut anathematizare, quia „ ipſi anathematis vinculo, propriis manibus „ profeſſiones ſuas, ſuaque ſcripta roborando, conſtrinxerunt. Sciat ſe tamen & ipſe „ Joannes, niſi errorem ſuum citò correxerit, à nobis excommunicandum fore & „ Apoſtolicæ Sedis, atque omnium Sanctorum Epiſcoporum communione carere.

255 „ Univerſalitatis quoque nomen, „ quod ſibi illicitè uſurpavit, nolite attendere, nec vocatione ejus ad Synodum, abſque auctoritate Sedis Apoſtolicæ, unquam „ venite, ſi Apoſtolicæ Sedis & cæterorum „ Epiſcoporum communione vultis frui. Nullus enim Patriarcharum hoc tam prophano „ vocabulo unquam utatur, quia ſi Summus „ Patriarcha Univerſalis dicitur, Patriarcharum nomen cæteris derogatur. Sed abſit à fidelis cujuſquam mente, hoc ſibi vel „ velle quempiam arripere, undè honorem „ fratrum ſuorum imminuere ex quantulacumque parte videatur. Quapropter charitas veſtra neminem unquam ſuis in Epiſtolis univerſalem nominet, nè ſibi debitum ſubtrahat, cùm alteri honorem offert „ indebitum: *Adverſarius namque veſter „ Diabolus, qui contra humiles ſæviens, ſicut „ Leo rugiens circuit quærens quem devoret*, „ non jam, ut cernimus, caulas circuit, ſed „ ita validè in quibuſdam Eccleſiæ neceſſariis

„ riis membris dentem figit, ut nulli ſit dubium, quia niſi unanimiter, favente Domino, cunctorum provida Paſtorum turba concurrat, omne, quod abſit, citiùs ovile dilaniet.

256 „ Perpenditis, fratres chariſſimi, quid è vicino ſubſequatur, cùm & in Sacerdotibus erumpunt tàm perverſa primordia. Quia enim juxta eſt ille, de quo ſcriptum eſt: *Ipſe eſt Rex ſuper univerſos filios ſuperbiæ* (quod non ſine gravi dolore dicere compellor, dùm frater & Coepiſcopus noſter Joannes mandata Dominica & Apoſtolica Præcepta, regulaſque Patrum deſpiciens, eum per elationem præcurrere conatur in nomine) veſtræ Beatitudini indicet omnipotens Deus, quàm gravi conſiderationis hujus gemitu torqueor, quòd ille quondam mihi notiſſimus, ille omnibus dilectus, ille, qui eleemoſynis, orationibus, atque jejuniis videbatur occupatus, & ex eo, quem ferebat cinere, ex ea, quam prætendebat humilitate, jactantiam tantam ſumpſit, ita ut univerſa ſibi tentet adſcribere, & omnia, quæ ſoli uni capiti cohærent, videlicet Chriſto, per electionem pompatici ſermonis ejuſdem Chriſti ſibi ſtudeat membra ſubjugare. Nec mirum, quòd ille tentator, qui initium omnis peccati ſcit eſſe ſuperbiam, & tunc eâ in primo homine ante omnia uſus eſt, & nunc eam in quibuſdam hominibus ponit in fine virtutum; & qui aliquatenus bonis vitæ ſtudiis videbantur crudeliſſimas manus ejus effugere, eis in ipſis metis boni operis, & in ipſa quodammodò apponat perfectionis concluſione tendiculum. Undè magnoperè orandum eſt, & omnipotens Deus aſſiduis precibus implorandus, ut hunc à mente illius avertat errorem, hoc ab unitate atque humilitate Eccleſiæ malum ſuperbiæ & confuſionis amoveat, & favente Deo, omnibus viribus concurrendum atque providendum, nè in unius veneno ſermonis viventia in Chriſti corpore membra moriantur. Si enim dici hoc licenter permittitur, honor Patriarcharum omnium negatur, & fortaſsè is in errore perit, qui univerſalis dicitur, & nullus jam Epiſcopus remanſiſſe in ſtatu veritatis invenitur.

257 „ Oportet ergò, ut conſtanter ac ſine præjudicio ſervetis, ſicut accepiſtis, Eccleſiâs, & nihil ſibi in vobis hæc tentatio diabolicæ uſurpationis adſcribat. State fortes, ſtate ſecuri: ſcripta quæ univerſalis nominis falſitate condemnata ſunt, nec dare unquam, nec accipere præſumatis. Omnes Epiſcopos curæ veſtræ ſubjectos ab hujus adulationis inquinatione prohibete, ut univerſa vos Eccleſia Patriarchas non ſolùm in bonis operibus, ſed etiam in veritatis auctoritate cognoſcat. Si quâ autem „ forſitan adverſa ſubſequantur, unanimiter perſiſtentes, etiam moriendo debemus oſtendere, quia in damno generalitatis noſtrum ſpecialiter aliquid non amamus. Dicamus cum Paulo: *Mihi vivere Chriſtus eſt, & mori lucrum*. Audiamus quod primus omnium Apoſtolorum dicit: *Si quid patimini propter juſtitiam, beati eritis*. Mihi enim credite, quia honorem, quem pro prædicanda ſuſcepimus veritate relinquimus, ſi neceſſitatis cauſa exigat, ſecuriùs pro eadem veritate relinquimus, quàm tenemus. Orate fratres, ut honor Eccleſiaſticus noſtris diebus non evacuetur, nec unquam Romana Sedes, quæ (inſtruente Domino) caput eſt omnium Eccleſiarum, privilegiis ſuis uſquam careat, aut expolietur: *Confidimus autem de vobis, chariſſimi, meliora atque viciniora ſaluti; quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque inſtantia, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia* (Magiſtro Gentium docente) *poterit nos ſeparare à charitate Domini noſtri Jeſu Chriſti*; & quæ in ipſo eſt, rectâ fide: *Nolite itaque amittere confidentiam veſtram, quæ magnam habet remunerationem*.

258 „ Patientia enim vobis neceſſaria eſt ad colluctationes adverſariorum, quatenùs fidem intemeratam uſque in finem conſervantes, repromiſſionem percipiamus, quam repromiſit his, qui legitimè certare deproperant: *Adhùc enim modicum aliquantulum, qui venturus eſt veniet, & non tardabit. Ecce enim Judex ante januam aſſiſtit, coronas hilariter promittens his, qui pro eo paſſionibus ſubmittuntur. Quòd ſi quis ſe ſubtraxerit, non placebit animæ meæ; ſed cadet de promiſſione propter negationem. Nos autem non ſumus ſubtractionis filii in perditionem animæ. Propter quod aſſumite arma Dei, ut poſſitis reſiſtere in die malo adverſus omnes inimicos ſanctæ* Dei *Eccleſiæ, & veſtros, & induite loricam juſtitiæ, calceati pedes in præparationem Evangelii pacis, in omnibus aſſumentes ſcutum fidei, in quo poſſitis omnia jacula nequiſſimi ignea extinguere, & galeam ſalutis accipite, & gladium ſpiritus, quod eſt Verbum Dei, per omnem orationem & obſecrationem radicati & fundati in ſolatio fratrum pro Chriſto Jeſu Domino noſtro*.

259 „ *Sed & nunc, fratres, commendamus vos omnes Domino, & verbo gratiæ ejus, qui poteſt perficere & dare hæreditatem vobis cum omnibus Sanctis. Ipſe autem Deus pacis & conſolationis det vobis idipſum ſapere in alterutrum, ut vobis invicem ſuccurratis, ut non ſitis diviſi, ut unanimes uno ore, & uno corde honorificemus eum in concordiam & conſolationem fratrum, qui potens eſt confirmare vos ſecundùm Evangelium ejus, & juxta revela-*

la-

„ *lationem myſterii æternis temporibus taciti, quibus vobis futurorum gaudiorum largienda ſunt munera*.

260 „ Summoperè etiam conſiderare debetis, quòd, hi qui fratribus invident, eoſque damnare aut perdere cupiunt, per ſe & ſua dogmata deſtruuntur. Dicit enim Dominus: *Omne regnum in ſe diviſum non ſtabit*; & omnis ſcientia & lex adversùm ſe non ſtabit. Ideoque neceſſe eſt, ut concorditer ſalubres ſuſcipiatis hortatus, & nihil per contentionem agentes, ſed ad omne ſtudium devotionis unanimes Divinis & Apoſtolicis conſtitutionibus pareatis, & in nullo patiamini providentiſſima Canonum decreta violari, quatenùs & Nicænorum Canonum conſtituta, & quæ à nobis, vel à prædeceſſoribus noſtris, ſunt providè & ſalubriter decreta, intemerata permaneant in futuro; & in Apocalypſi Dominus per Joannem loquitur dicens: *Nolite timere, ego ſum primus & noviſſimus, & vivus, & fui mortuus, & ecce ſum vivus in ſæcula ſæculorum, & habeo claves mortis & inferni*: & paulò poſt: *Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod eſt in Paradiſo Dei mei*. Item idem: *Eſto fidelis uſque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ*. Et iterum: *Qui vicerit, & cuſtodierit uſque in finem opera mea, dabo ei poteſtatem ſuper gentes, & reget illas in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringentur*. Item idem: *Ecce ſto ad oſtium & pulſo. Si quis audierit vocem, & aperverit mihi januam, introibo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipſe mecum. Qui vicerit, dabo ei ſedere mecum in throno meo, ſicut & ego vici & conſedi cum Patre meo in throno ejus*.

261 „ Vos, fratres, ſi non vultis cum eo damnari (quia non ſolùm qui faciunt, ſed qui conſentiunt facientibus, rei ſunt) hortamini eum, & monete recedere à præfatis illicitis, & memor ſit undè exciderit, & agat pœnitentiam, & prima opera faciat. Sin minùs, non mea loquar verba, ſed ipſa Domini Salvatoris, quæ per prædictum Joannem in jam dicto libro locutus eſt, replicans, ajo: *Veniam & movebo candelabrum tuum de loco ſuo, niſi pœnitentiam egeris*. Ipſe enim magis tenet doctrinam Balaam, qui docebat Balac mittere ſcandalum coram filiis Iſrael, ſicut iſte docet vos ſcandalizare ſanctam Matrem Eccleſiam, & univerſum cœtum tàm Sacerdotum, quàm Religioſorum Chriſtianorum atque fidelium. Undè & in ſupradicto libro continetur ita, (ſemper enim potiùs vos Verbis Domini Salvatoris ferire & inſtrui cupio, quàm meis, licèt & ipſa Apoſtolicæ auctoritatis ſint ponderibus plena): *Novi opera tua noviſſima plura prioribus, ſed habeo adversùs te pauca, quia permittis mulierem Jezabel, quæ ſe dicit propheten, docere, & ſeducere ſervos meos, fornicari & manducare de Idolothytis. Et dedi illi tempus, ut pœnitentiam ageret, & non vult pœnitere à fornicatione ſua. Ecce ego mitto eam in lectum, & qui mœchantur cum ea in tribulationem maximam, niſi pœnitentiam egerint ab operibus ſuis, & filios ejus interficiam in morte. Et ſcient omnes Eccleſiæ, quia ego ſum ſcrutans corda & renes, & dabo unicuique veſtrùm ſecundùm opera veſtra*.

262 „ Hæc, fratres, valdè cavenda ſunt & præcepta Domini, atque ſanctæ Sedis Apoſtolicæ, quæ vice Domini Salvatoris legatione fungitur, monita fideliter amplectenda, & peragenda. De cætero, fratres, ſuper Provinciæ cauſa, undè Sedem Apoſtolicam dudùm conſulere voluiſtis, videtur nobis ſufficienter tractatum à ſanctis prædeceſſoribus noſtris; ſed quia denuò noſtram mediocritatem de eadem re interrogare dignum duxiſtis, ſcitote, certam Provinciam eſſe, quæ habet decem vel undecim Civitates, & unum Regem, & totidèm minores poteſtates ſub ſe, & unum Epiſcopum, alioſque ſuffragatores decem vel undecim Epiſcopos judices, ad quorum judicium omnes cauſæ Epiſcoporum, & reliquorum Sacerdotum, ac Civitatum cauſæ referantur, ut ab his omnibus juſtè conſonâ voce diſcernantur, niſi ad majorem auctoritatem fuerit ab his, qui judicandi ſunt, appellatum. Undè non oportet ut degradetur, vel dehonoretur unaquæque Provincia, ſed apud ſemetipſam habeat Judices, Sacerdotes, & Epiſcopos ſingulos, videlicet juxta ordines ſuos. Et quicumque cauſam habuerit, à ſuis Judicibus judicetur, & non ab alienis, ideſt, à ſuis juſtis Judicibus Provinciæ, & non ab externis, niſi (ut jam prælibatum eſt) à judicatis fuerit appellatum. Si verò in qualibet Provincia ortæ fuerint quæſtiones, & inter ipſius Provinciæ Epiſcopos diſcrepare cœperit ratio, atque inter ipſos diſſidentes non conveniat, ad majorem tunc Sedem referantur: & ſi illic facilè & juſtè non diſcernuntur, ubi fuerit Synodus regulariter congregata, canonicè & juſtè judicentur. Majores verò & difficiles quæſtiones (ut ſancta Synodus ſtatuit, & beata conſuetudo exigit) ad Sedem Apoſtolicam ſemper referantur.

263 „ Cæterùm Sanctorum Patrum ſtatuta ſequentes, Synodali auctoritate omnes qui adversùs Patres armantur, ut Patrum invaſores & mactatores, infames eſſe cenſemus, quoniam ea vulnera, quæ fomentis non ſanantur, ferro abſcindi, vel curari neceſſe eſt. Unde, fratres, ceſſent injuſtæ æmulationes, ceſſent inſidiæ, ceſſent falſæ criminationes, nè infirmus quiſquam, propter quem Chriſtus mortuus eſt, talibus laceretur inſidiis, nè ovis pretio Chriſti redempta, lupinis à fratre ſaucie-

„ tur morſibus. Meritò ergò cauſa nos reſpicit, ſi talibus favere cœperimus. Corripiantur ſemper talia, nec illis, qui hæc exercere conantur, aut Patribus, vel fratribus inſidiantur, liberè loqui concedatur, aut pro voluntate ſermo proferri permittatur. Liquet omninò, quòd conniveant illis, qui talia eos loqui permittunt, quoniam occurreret veritas, ſi falſitas & calumnia diſpliceret vel odium.

264 „ Deſinat igitur falſitas inceſſere veritatem; deſinat ſuſpicio, quæ juſtè repellitur, inſidiari; deſinat odium & inimicitia, perſequi Patres, vel fratres: deſinat conſpiratio, quæ ab omnibus eſt repudianda, infeſtare Magiſtros. Horum igitur vitiorum auctores vel patratores non ſunt in accuſatione Pontificum recipiendi, ſed penitùs repellendi, quoniam jubent canonica decreta Patrum, ut accuſatio vel teſtimonium eorum, qui odio quoslibet inſequuntur, vel qui inimici vel ſuſpecti habentur, nullo modo recipiantur. Quorum ſtatuta & nos firmantes, eadem omnibus inviolabiliter futuris temporibus tenère cenſemus. Quidquid autem ſuper hac cauſa Patres noſtri decernendum duxere dignum, ut condecet, neceſſe eſt, cùm labefactari vel infirmari cœperit, Apoſtolicâ denuò auctoritate firmari ac renovari, fratribuſque dari. Data Kal. Martii Anno Domini DLXXXVII. Indictione v. *Hactenus Pelagii literæ*.

265 Scribit Sanctus Gregorius Magnus lib.4. Epiſt.38. ad Joannem Epiſcopum Conſtãtinopolitanum datâ, nedùm Pelagium Acta Synodi recepiſſe, verùm & Archidiacono ſuo apud Imperatorem in Regia Conſtantinopolis Urbe munus Apocriſarii ex more gerente, præcepiſſe, nè unà cum Joanne Miſſarum ſolemnia celebraret: „ Et quidem hac de re, *ait*, ſanctæ memoriæ deceſſoris mei Pelagii gravia ad Sanctitatem veſtram ſcripta tranſmiſſa ſunt, in quibus Synodi, quæ apud vos de fratris quondam & Conſacerdotis noſtri Gregorii causâ congregata eſt, propter nefandum elationis vocabulum acta diſſolvit; & Archidiaconum, quem juxta morem ad veſtigia Dominorum tranſmiſerat, Miſſarum vobiſcum ſolemnia celebrare prohibuit. *Hæc Gregorius*, qui & lib.7. Epiſt.70. datâ ad Euſebium Epiſcopum Theſſalonicenſem, ſive Urbicum, eadem repetit, additque, ſolùm cauſam Gregorii definitam eâ in Synodo ratãm habuiſſe, cæteris caſſatis & annullatis actis, inquiens: „ Pelagius deceſſor noſter agnoſcens omnia geſta ejuſdem Synodi, præter illa, quæ illic de cauſę venerandę memorię Gregorii Epiſcopi Antiocheni ſunt habita valida, omninò diſtinctione caſſavit, diſtrictiſſimâ illum increpatione corripiens, ut ſe à novo & temerario ſuperſtitionis nomine cohiberet; adeout ſuum illi Diaconum, niſi tantum nefas emendaret, procedere prohiberet. *Hactenus Sanctus Gregorius*. Cæterùm territus Joannes Romani Pontificis minis, nec tutus hac in re de Principis patrocinio, ab incœpto deſtitit, nihilque novi, vitâ durante Pelagii, auſus eſt attentare, quamvis vitâ functo Pelagio, ſub Magno Gregorio priora inſtaurare curaverit, prout infra.

266 Interea prętereunda non ſunt quæ de hoc œcumenici nomine ab Epiſcopis Conſtantinopolitanis ſibi uſurpato in veteribus monumentis ante Pelagii & Joannis Epiſcopi Conſtantinopolitani tempora adnotata reperiuntur. Legitur enim in Actis Synodi Conſtantinopolitanæ ſub Menna, hoc œcumenici Epiſcopi nomen ipſi Mennæ attributum; ſic Act.2. ubi dicitur: „ Poſt Conſulatum Flavii Belliſarii clariſſimi, pridie Nonas Majas, Indictione XIV. in Chriſti amantiſſima & Imperiali Româ Conſtantinopoli, præſidente Domino noſtro Sanctiſſimo & Beatiſſimo Archiepiſcopo Patriarcha œcumenico Menna. *Hæc ibi*. Et ſub eodem œcumenici nominis titulo in exordio aliarum Actionum ſubſequentium pariter inſcribitur; undè & in ſententia lecta ab eodem Menna, recitata Act.v. dicitur ſimiliter œcumenicus: *Sanctiſſimus, Beatiſſimus, œcumenicus Archiepiſcopus & Patriarcha Mennas dixit*. Immò ante Mennam alter Joannes Epiſcopus Conſtantinopolitanus eundem habuit titulum, ut ferunt Acta Synodi Conſtantinopolitanæ celebratæ tempore coronationis Juſtini, inſerta in Actis ſextæ Synodi ſub Menna. Etenim in eis dicitur: *Et acclamavit Sanctiſſimus ac Beatiſſimus Epiſcopus noſter Patriarcha œcumenicus Joannes ſic*. Et item: *Sequenti Dominica, quæ eſt decimaſexta menſis Julii, Indictione* XI. *finitâ memoriâ prædictorum Sanctorum Patrum, rursùmque facto introitu à Sanctiſſimo & Beatiſſimo Archiepiſcopo Patriarcha œcumenico Joanne*.

267 Atqui hęc minimè concordare videntur cum Pelagii literis, ubi ad reprimendam Joannis arrogantiam inter alia ſcribit, nunquam antea aliquem Conſtantinopolitanum Epiſcopum fuiſſe permiſſum eo uti nomine œcumenici, ſed omnes ipſorum conatus retuſos, penitùſque repreſſos eſſe à Romanæ Eccleſiæ Pontificibus. Conſtat enim ex recenſitis Actis hoc nomine uſos Mennam & alterum Joannem, nequaquam conſtat hos à Romanis Pontificibus fuiſſe repreſſos. Hinc Baronius ad Annum Domini DXVIII. ſub num. 14., & ex eo Binius in notis ad Synodum Conſtantinopolitanam ſub Menna, in ea ſunt opinione, ut quotiès in Actis prælibati Concilii Joannes Epiſcopus Conſtantinopolitanus nominatur, totiès ſit ei adjectum nomen œcumenici à poſterioribus Græcis, non reverà quòd in Synodo tali nomine fuerit appellatus; & idem de eodem titulo adjuncto Men-

Mennæ dicendum eſt. Et quidèm non ſine rationabili motivo. Nam cùm Acta illius Concilii vera ſint & legitima, atque à Romana Eccleſia ſub Hormiſda magnâ ex parte recepta, ſine dubio contra Pelagium & Gregorium uſurpatum œcumenici Patriarchæ titulum damnantes, auctoritate ejuſdem Concilii Conſtantinopolitani Epiſcopi ſe conſtanter defendiſſent, ſi hoc titulo Joannes & Mennas citra contradictionem orthodoxorum Epiſcoporum in legitimo eorundem conventu condecorati fuiſſent. Cùm ergò conſtet, Joannem in ſui defenſionem hoc minimè uſum teſtimonio, fit clarum, in legitimis Actis præfatum titulum non adfuiſſe, ac ideò evincitur eſſe à poſterioribus additum Græcis.

CAPUT VII.

De renovato Joannis ſchiſmate ſub Pontificatu Sancti Gregorii Magni.

268 POſt aliqualiter repreſſam, licèt non penitùs extinctam Joannis ſuperbiam, Pelagius, graſſante in Urbe Roma peſte, Anno ſui Pontificatus XIII., qui fuit Mauritii Imperii V., & Dñi DXC. VI. Idus Februarias è vivis ſublatus eſt, cùm ſediſſet Annos XII. menſes II. & dies XXVII., cui poſt menſes VI. & dies XXVI. vacantis Sedis, datus eſt ſucceſſor Gregorius, cognominatus Magnus, natione Romanus, Gordiani & Sylviæ filius, pronepos Felicis Papæ III. ut notat Joannes Diaconus. Hic verò graviſſimas concertationes habuit cum Mauritio Imperatore, quę initium deſumpſerunt à quadam lege data ab ipſo Principe, quæ Eccleſiaſticam lædebat libertatem. Etenim devicto Hormiſda Perſarum Rege, legem tulit, qua prohibebat, nè quis Miles nondùm expletâ militiâ Monachus effici poſſet, eamque per Longinum virum illuſtrem Gregorio remiſit, ut in Occidente publicaretur. Doluit Sanctiſſimus Pontifex, & datis ad eum literis pietate, humilitate, ac omni reverentia refertis, conatus eſt à propoſito revocare. Sunt verò literæ, quæ habentur lib. 2. Epiſt. 62. tenoris ſequentis, videlicet.

Gregorius Mauritio Auguſto.

269 „ Omnipotenti Deo reus eſt qui Sereniſſimis Dominis in omne quod agit & loquitur purus non eſt. Ego autem indignus pietatis veſtræ famulus in hac ſuggeſtione neque ut Epiſcopus, neque ut ſervus jure Reipublicæ, ſed jure privato loquor, quia, Sereniſſime Domine, ex illo jam tempore Dominus meus fuiſti, quandò adhùc Dominus non eras. Longino viro clariſſimo Stratore veniente, Dominorum legem ſuſcepi, ad quam fatigatus tunc ægritudine corporis reſpondere nihil valui. In qua Dominorum pietas ſanxit, *ut quiſquis publicis adminiſtrationibus fuerit implicatus, ei ad Eccleſiaſticum officium venire non liceat*. Quod valdè laudavi, evidentiſſimè ſciens, quia qui ſæcularem habitum deferens, ad Eccleſiaſtica officia venire feſtinat, mutare vult ſæculum, non relinquere.

270 „ Quod verò in eadem lege dicitur: *ut ei in Monaſterio converti non liceat*, omninò miratus ſum, dùm & rationes ejus poſſint per Monaſterium fieri, & agi poteſt, ut ab eo loco, in quo ſuſcipitur, ejus quoque debita ſolvantur. Nam & ſi quiſquam devotâ mente converti voluiſſet, priùs res malè ablatas redderet, & de ſua anima tantò veriùs, quantò expeditiùs cogitaret. In qua lege ſubjunctum eſt, *ut nulli, qui in manu ſignatus eſt*, *converti liceat*. Quam conſtitutionem ego, fateor Dominis meis, vehementer expavi; quia per eam Cœlorum via multis clauditur, & quod nunc uſque licuit, nè liceat prohibetur. Multi enim ſunt, qui poſſunt religioſam vitam etiam cum ſęculari habitu ducere. Et plerique ſunt, qui niſi omnia reliquerint, ſalvari apud Deum nullatenùs poſſunt.

271 „ Ego verò hæc Dominis meis loquens, quid ſum, niſi pulvis & vermis? Sed tamen quia contra auctorem omniũ Deum hanc intendere conſtitutionem ſentio, Dominis tacere non poſſum. Ad hoc enim poteſtas Dominorum meorum pietati cœlitùs data eſt ſuper omnes homines, ut qui bona appetunt, adjuventur, ut Cœlorum via largiùs pateat, ut terreſtre Regnum Cœleſti Regno famuletur. Et ecce apertâ voce dicitur: *ut ei, qui ſemel de terrena militia ſignatus fuerit, niſi aut expletâ militiâ, aut pro debilitate corporis repulſus, Domino noſtro Jeſu Chriſto militare non liceat*. Ad hæc ecce per me ſervum ultimum ſuum & veſtrum, reſpondebit Chriſtus, dicens: Ego te de Notario Comitem Excubitorum, de Comite Excubitorum Cæſarem, de Cæſare Imperatorem, nec ſolùm hoc, ſed etiam patrem Imperatorum feci; Ego Sacerdotes meos tuæ manui commiſi, & tu à meo ſervitio milites tuos ſubtrahis? Reſponde, rogo, piiſſime Domine, ſervo, quid venienti & hæc dicenti reſponſurus es in judicio Domino tuo? Sed fortaſſe creditur, quia nullus eorum puro animo convertatur. Ego indignus famulus veſter ſcio quanti his diebus meis in Monaſterio milites converſi miracula fecerunt, ſigna & virtutes operati ſunt. Sed per hanc legem jam nè quiſquam talium converti valeat, prohibetur. Requirat ergò Dominus meus piiſſimus, qui prior Imperatorum talem legem dederit, & ſubtiliùs æſtimet, ſi debuit dari.

272 „ Et quidèm conſiderandum valdè „ eſt, quia eo jam tempore prohibentur qui- „ que relinquere ſæculum, quo appropin- „ quat finis ipſe ſæculorum. Ecce enim mo- „ ra non erit, & ardente Cœlo, ardente Ter- „ râ, coruſcantibus Elementis, cum Ange- „ lis & Archangelis, cum Thronis & Domi- „ nationibus, cum Principatibus & Poteſta- „ tibus tremendus Judex apparebit. Si om- „ nia peccata dimiſerit, & ſolùm hanc legem „ contra ſe dixerit eſſe prolatam, quæ, rogo, „ erit excuſatio? Undè per eundem tremen- „ dum Judicem deprecor, nè illæ tantæ la- „ crymæ, tantæ orationes, tanta jejunia, „ tantæque eleemoſynæ Domini mei ex qua- „ libet occaſione apud omnipotentis Dei „ oculos fruſtrentur, ſed aut temperando „ pietas veſtra, aut immutando rigorem ejuſ- „ dem legis inflectat; quia tunc magis Do- „ minorum Exercitus contra hoſtes creſcit, „ quantò Dei Exercitus ad orationem cre- „ verit. Ego quidèm juſſioni ſubjectus, ean- „ dem legem per diverſas Terrarum partes „ tranſmitti feci; & quia lex ipſa omnipo- „ tenti Deo minimè concordat, ecce per ſug- „ geſtionis meæ paginam Sereniſſimis Domi- „ nis nunciavi. Utrobique ergò quæ debui „ exſolvi, qui & Imperatori obedientiam „ præbui, & pro Deo quod ſenſi, minimè ta- „ cui. *Hactenus Gregorius*, qui eodem tem- pore ſcripſit ad Theodorum Medicum ejuſ- dem argumenti literas, cui & ſupra recenſi- tas, quas per ſuum Apocriſarium Imperatori contradendas noluit, inſeruit, ut ipſe eas Im- peratori contraderet. Sunt autem ad Theo- dorum datæ literæ, ut ex lib.2. Epiſt. 65. te- noris ſequentis.

Gregorius Theodoro Medico.

273 „ Quanta bona omnipotentis Dei & „ Sereniſſimi Domini mei Imperatoris ha- „ beam, lingua mea non ſufficit explere. Pro „ quibus bonis quid eſt meum retribuere, ni- „ ſi eorum veſtigia purè amare? Peccatis au- „ tem meis facientibus, ex quorum ſuggeſtio- „ ne vel conſilio, neſcio, an veſtro, tranſa- „ cto anno talem in Republica ſua legem „ protulit, ut quiſquis eum purè amat, flere „ vehementer debeat. Ad quam legem tunc „ reſpondere non potui, quia ægrotus fui. „ Modò autem eidem Domino aliqua ſuggeſ- „ ſi. Præcipit enim: *ut nullus qui actionem* „ *publicam egit, nullus qui officio, vel manu* „ *ſignatus, vel inter milites fuit habitus, ei in* „ *Monaſterio converti liceat, niſi fortè ſi mili-* „ *tia ejus fuerit expleta.* Quam legem pri- „ mùm, ſicut ii dicunt, qui leges veteres no- „ verunt, Julianus protulit, de quo ſcimus „ omnes quantùm Deo adverſus fuerit. Quod „ ſi ideo Sereniſſimus Dominus noſter fecit, „ quia fortè multi milites convertebantur, & „ exercitus decreſcebat, numquid per virtu- „ tem militum ſubjugavit ei omnipotens „ Deus Imperium Perſarum? Numquid non „ ſolæ lacrymæ illius auditæ ſunt, & eo ordi- „ ne, quem ipſe neſcivit, ejus Imperio Perſa- „ rum Regnum ſubdidit?

274 „ Valdè autem mihi durum videtur, „ ut ab ejus ſervitio milites ſuos prohibeat, „ qui ei omnia tribuit, & dominari eum non „ ſolùm militibus, ſed etiam Sacerdotibus „ conceſſit. Numquid ſi intentio eſt ſervan- „ darum rerum, non poterant ea ipſa Mona- „ ſteria, quæ milites ſuſcepiſſent, alienas res „ reddere, atque ad converſionem homines „ tantummodò habere? Hæc quia mihi valdè „ dolent, eidem Domino ſuggeſſi. Sed ve- „ ſtra gloria opportuno tempore ſecretè ſug- „ geſtionem meam ei offerat. Nolo eam à „ reſponſali meo publicè dari, quia vos, qui „ ei familiariùs ſervitis, loqui ei liberiùs & „ apertiùs poteſtis, quæ pro ejus ſunt anima, „ quoniam multis eſt occupatus, & vix ani- „ mus ejus invenitur à curis majoribus va- „ cuus. Tu quidem, glorioſe fili, pro Chri- „ ſto loquere. Si auditus fueris, lucrum „ operatus es animæ prædicti Domini tui, „ & tuæ, ſi verò auditus non fueris, lucrum „ ſolummodò tuæ feciſti. *Hactenus ad Theo-dorum.*

275 Cæterùm ex prælibatis literis non- nulla examinanda veniunt, quæ ſcrupulum piis mentibus ingerere poſſunt. Et quidem primùm, quod nimis abjectè, humilèque & floccidum, ſcribere Mauritio videatur, prorſùs Apoſtolicæ Sedis dignitati alienum, atque indignum. Sed in hoc rectè excuſatur, dùm in præfatione prædictæ Epiſtolæ conteſtatur, ſe non ut Epiſcopum eam ſcribere, ſed jure privato loqui, cujus rei causâ nec per ſuum Apocriſarium reddendam voluit Imperatori, ut in more erat apud Romanos Pontifices, ſed per Principis Medicum contradendam illi voluit, ut etiam in ipſius Epiſtolæ redditione appareret, non talia ſcripſiſſe utendo Pontificiâ auctoritate, ſed magis, veluti eâ, pro tunc exutum, ut aſſolet amicus amico privatè ſcribere.

276 Alterum verò eſt, quòd in ea aſſerere videtur, Sacerdotes Imperiali poteſtati eſſe ſubjectos, quoniam ad Imperatorem ſcribens, introducit Chriſtum loquentem atque ei dicentem. *Ego Sacerdotes meos tuæ manui commiſi*. Ad Theodorum verò ſcribit.: *Ei & omnia tribuit, & dominari eum non ſolùm militibus, ſed etiam Sacerdotibus conceſſit*. Verùm non eſt ſenſus Beatiſſimi Pontificis, quòd aliquo jure legitimo conveniat Imperatoribus ſuperioritas, & Dominium ſuper Sacerdotes, benè verò loquebatur juxta illorum temporum ab Imperatoribus uſurpatam in Sacerdotes juriſdictionem, quoniam jus ſibi confirmandi etiam electum Romanum Pontificem à Juſtiniani tempore ſibi Orientis uſurparant Imperatores: proindè dùm dicit à Deo ſubje-

ctos fuiſſe Sacerdotes Imperatori, non adeo intelligenda ſunt, quaſi Deus ſubjecerit Sacerdotes ſæcularibus Principibus, ſed quòd permiſerit ſubdi, quos aliundè liberos fecerat. Quoniam idem Gregorius in pſal. 4. pœnitentialem deplorat præfatam ſubjectionem veluti juri Divino contrariam, inquiens: „ Concitavit enim adversùs Eccleſiam Dei „ (*ideſt Diabolus*) non ſolùm innumerabilem „ populi multitudinem, verùm etiam regiam (ſi fas eſt dicere) poteſtatem: nulla „ enim ratio fuit, ut inter Reges habeatur „ qui deſtruit potiùs, quàm regat Imperium. „ *Et poſt aliqua*: Eccleſiam quippe, *ſubjungit*, quam ſuo ſanguinis pretio redemptam, Salvator noſter voluit eſſe liberam, „ hanc iſte, poteſtatis regiæ jura traſcendens, „ facere conatur Ancillam. *Et item*: Quid „ Nero, quid Diocletianus, quid denique iſte, „ qui hoc tempore Eccleſiam perſequitur? „ Numquid non omnes portæ inferi? Ex quibus liquet, ſecundùm tyrannidē ſub Mauritio, non ſecundùm aliquod jus, Sacerdotes Imperiali poteſtati extitiſſe ſubjectos, & hanc fuiſſe genuinam S. Pontificis mentem, manifeſtum eſt.

277 Denique ultimum quod remanet examinandum ſcrupulum, quod ex Epiſtola Gregorii data ad Imperatorem exoritur, in eo ſiſtit, quòd Gregorius, licèt non probaret edictum Imperatoris, ut adverſarium Eccleſiaſticæ libertatis, illud tamen parendo Imperatoris juſſioni, ſcribit ſe miſiſſe publicandum per diverſas terrarum partes. Pro quo diluendo ſcrupulo opere pretium eſt ſcire, Gregorium non miſiſſe edictum in diverſas orbis partes publicandum, in iiſdem terminis ab Imperatore conceptum, ſed ſuâ utens Apoſtolicâ auctoritate, edictum correxit, ſicque correctum publicandum à ſuis voluit, adeout non diſcreparet ab Eccleſiæ regulis. Etenim primùm correxit in eo, quòd cùm Imperator in ſuo edicto prohiberet, actionibus publicis implicatos nullo pacto recipiendos in Monaſterio, S. Gregorius hos recipiendos eſſe declaravit, dùm iiſdem obligationis nexibus fuerint ſoluti. Deindè cùm Imperator ſtatuiſſet, milites nonniſi abſoluto tempore militiæ poſſe ingredi Monaſterium; Sanctus Pontifex ſancivit, eos poſſe recipi atque retineri etiam non expletâ militiâ, dummodò probati inventi fuerint idonei. Quæ omnia palàm fiunt in ea Epiſtola ab eodem S. Pontifice data ad Epiſcopos Orientis, & Occidentis, in qua de Imperialis leges promulgatione agit, ut ex lib. 7. Epiſt. xi. quæ ita ſe habet.

Gregorius Euſebio Theſſalonicenſi, Urbico Dyrrachtitano, Conſtantio Mediolanenſi, Andreæ Nicopolitano, Joanni Corinthi, Joanni primæ Juſtinianæ, Joanni Cretenſi Coritano, Joanni Lariſſeo, Materniano Ravennati, Joanni Calaritano, Sardiniæ, & omnibus Epiſcopis Siciliæ.

278 „ Legem, quam piiſſimus Imperator dedit, nè fortaſsè hi, qui militiæ, vel „ rationibus ſunt publicis obligati, dùm cauſarum ſuarum periculum fugiunt, ad Eccleſiaſticum Habitum veniant, vel in Monaſteriis convertantur veſtræ ſtudui fraternitati tranſmittere; hoc maximè exhortans, quòd, qui ſæculi actionibus implicati ſunt, in Clero Eccleſiæ præproperè „ ſuſcipiendi non ſunt, quia dùm in Eccleſiaſtico Habitu non diſſimiliter quàm vixerunt vivunt, nequaquam ſtudent ſæculum fugere, ſed mutare. Quòd ſi etiam tales quoque Monaſterium petunt, ſuſcipiendi nullo modo ſunt, niſi priùs ratiociniis publicis abſoluti fuerint. Si qui verò ex militantibus Viris in Monaſteriis „ converti feſtinant, non ſunt temerè ſuſcipiendi, niſi eorum vita fuerit ſubtiliter inquiſita. Et juxta normam regularem debent in ſuo Habitu per triennium probari, „ & tunc Monachicum Habitum, Deo auctore ſuſcipere. Qui ſi ita ſunt probati atque ſuſcepti, & pro anima ſua pœnitentiam „ de perpetratis culpis agere ſtudent, pro „ eorum vita & lucro cœleſti non eſt eorum „ converſio renuenda. Qua de re etiam Sereniſſimus & Chriſtianiſſimus Imperator, „ mihi credite, omni modo placatur, & libenter eorum converſionem ſuſcipit, quos „ in rationibus publicis implicatos non eſſe „ cognoſcit. *Hactenus Gregorius.*

279 Interea Româ jam ab Agilulpho Longobardorum Rege captâ, compluribus unà cum univerſa Italia premebatur calamitatibus, quibus, ut occurreret, aliqualemque medelam præſtaret pius Pontifex, de generali pace facienda cum Agilulpho tractatum propoſuit, nè continuato Bello res Italiæ, immò & Imperii in pejus abirent, nec alienum Regem invenerat; pro qua re ſcripſit ad Severum Scholaſticum, ut ageret apud Exarchum, quatenùs prælibatam generalem pacem minimè refugeret; nam ſi ſecus, Romanos exhibitam à Rege pacem pro ſeipſis promptos eſſe recipere. Extant literæ lib. 4. Epiſt. 29. tenoris ſequentis.

Gre-

Gregorius Severo Scholaſtico Exarchi.

280 „ Qui aſſiſtunt Judicibus, & ſinceris „ erga eos dilectionibus obſtringuntur, illa „ eis ſuadere debent atque ſuggerere, quæ & „ animam ſalvent, & opinioni non derogent. „ Proinde quoniam novimus quantâ fidei ſinceritate Excellentiſſimum Exarchum diligatis, idcircò Magnitudini veſtræ quæ acta „ ſunt indicare curavimus, ut hæc cognoſcentes, ad conſentiendum eum rationabiliter provocetis.

281 „ Scitote autem, quia Agilulphus „ Longobardorum Rex generalem pacem facere non recuſat, ſi tamen ei Dominus Patricius judicium eſſe voluerit; nam multa „ ſibi in locis ſuis intra pacis terminum queritur eſſe commiſſa. Et quoniam ſibi, ſi „ ratio judicantium invenerit, ſatisfieri poſtulat, & ipſe quoque ſe ſatisfacturum modis omnibus pollicetur, ſi quid à partibus „ ſuis conſtiterit in pace eſſe commiſſum. „ Quia ergò rationi non ambigitur convenire quod petit, oportet eſſe judicium, ut „ ſi quâ ab utraque parte mala facta ſunt, „ componantur, dummodò generalis pax fiat, „ atque Deo valeat protegente, firmari; „ nam qualiter ſit nobis omnibus neceſſaria, „ benè noſtis.

282 „ Sapienter itaque, ſicut conſuevi- „ ſtis, agite, ut Excellentiſſimus Exarchus „ ad hoc ſine mora debeat conſentire, nè per „ eum pax renui, quod non expedit, videatur. Si enim conſentire noluerit, nobiſcum quidèm ſpecialem pacem facere repromittit: ſed ſcimus quia & diverſæ Inſulæ „ & loca ſunt alia proculdubiò peritura. Hęc „ autem conſideret, & pacem habere feſtinet, „ quatenùs in hac ſaltem dilatione & nos „ quietem poſſimus habere ad modicum, & „ Reipublicæ reſiſtendi vires, adjuvante „ Domino, meliùs reparentur. *Hactenus Epiſtola*.

283 Cùmque hæc ab Exarcho delata eſſent ad Mauritium Imperatorem, deriſit Beatum Gregorium, velut nimis ſimplicem, quòd facilè adeò crederet Regi barbaro. Cujus rei causâ ſcripſit ad Gregorium non dignas Summò Pontificè literas, atque nullo habito reſpectu, fatuum appellare non eſt veritus, atque de pluribus eum accuſare, prout ex literis Gregorii reſponſivis ad Imperatorem datis; nam illæ Imperatoris non extant, manifeſtum ſit. Reſcripſit ergò Gregorius, ut habetur lib.4. Epiſt.31. ad Mauritium, purgans ſe de omnibus, de quibus Imperator conqueſtus eſt, innatâ in eis literis ſervatâ ſtyli modeſtiâ. Suntque ſequentes.

Gregorius Mauritio Auguſto.

284 „ In Sereniſſimis Juſſionibus ſuis „ Dominorum pietas, dùm me de quibuſdam „ redarguere ſtuduit, parcendo mihi minimè „ pepercit. Nam in eis urbanæ ſimplicitatis „ vocabulo me fatuum appellat. In ſcriptura etenim ſacra, cum in bono intelligentia ponitur ſimplicitas, vigilanti ſæpè prudentiæ atque rectitudini ſociatur. Undè „ etiam de Beato Job ſcriptum eſt: *Erat vir* „ *ſimplex & rectus*. Et Beatus Paulus Apoſtolus admonet, dicens: *Eſtote ſimplices in* „ *malo, prudentes in bono*. Et per ſemetipſam „ admonet veritas, dicens: *Eſtote prudentes* „ *ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ*. „ Eſſe valdè inutile indicans, ſi aut ſimplicitati prudentia, aut prudentiæ ſimplicitas „ deſit. Ut ergò ſervos ſuos ad cuncta eruditos efficeret, eſſe eos & ſimplices ſicut „ columbas, & prudentes ut ſerpentes voluit; quatenùs in eis & ſerpentis aſtutia „ columbæ ſimplicitatem acueret, & columbæ ſimplicitas ſerpentis aſtutiam temperaret.

285 „ Ego igitur, qui in Sereniſſimorum „ Dominorum juſſionibus ab Arnulphi aſtutia deceptus, non adjunctâ prudentiâ, ſimplex denuncior, conſtat proculdubiò, quia „ fatuus appellor; quod ita eſſe ego quoque „ ipſe conſiteor. Nam ſi hoc veſtra pietas „ taceat, cauſæ clamant. Ego enim, ſi fatuus „ non fuiſſem, ad iſta toleranda, quæ inter „ Longobardorum gladios hoc in loco patior, minimè veniſſem. In ea autem re, „ quam de Arnulpho perhibui, quia toto „ corde venire ad Rempublicam paratus fuit, „ dùm mihi non creditur, etiam mentitus „ eſſe reprehendor. Sed & ſi Sacerdos non „ ſum, ſcio gravem eſſe hanc injuriam Sacerdoti, ut veritati ſerviens, fallax credatur. Et dudùm novi, quoniam Arnulpho plùs eſt credendum, quàm mihi, Leoni ampliùs eſt creditum, quàm mihi; & „ nunc eis, qui eſse ad medium videntur, „ plùs quàm meis aſsertionibus credulitas „ impenditur. Et quidèm ſi terræ meæ captivitas per quotidiana momenta non excreſceret, de deſpectione mea atque irriſione „ lætus tacerem. Sed & hoc me vehementer „ affligit, quia ego, undè crimen falſitatis „ tolero, inde Italia quotidiè ducitur ſub „ Longobardorum jugo captiva. Dùmque „ meis ſuggeſtionibus in nullo creditur, vires hoſtium immaniter excreſcunt. Hoc „ tamen piiſſimo Domino ſuggero, ut de me „ mala omnia quælibet exiſtimet; de utilitate verò Reipublicæ & cauſa ereptionis „ Italiæ non quibuslibet facilè pias aures „ præbeat, ſed plùs rebus quàm verbis „ credat.

286 „ Sacerdotibus tamen non ex terrena

„ na poteſtate. Dominus noſter citiùs indi-
„ gnetur, ſed excellenti conſideratione, pro-
„ pter eum, cujus ſervi ſunt, eis ita domi-
„ netur, ut etiam debitam reverentiam im-
„ pendat. Nam in divinis eloquiis aliquandò
„ Sacerdotes Dii, aliquandò Angeli vocan-
„ tur. Nam & per Moyſen de eo, qui ad ju-
„ ramentum ducendus eſt, dicitur: *Applica*
„ *illum ad Deos*, ideſt ad Sacerdotes. Et rur-
„ sùm ſcriptum eſt, *Diis non detrahes*, ſcili-
„ cet Sacerdotibus. Et Propheta ait: *Labia*
„ *Sacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem re-*
„ *quirent ex ore ejus, quia Angelus Domini*
„ *Exercituum eſt*. Quid ergò mirum, ſi illos
„ veſtra pietas dignetur honorare, quibus in
„ ſuo eloquio honorem tribuens, eos aut An-
„ gelos, aut Deos ipſe etiam appellat Deus?
„ Eccleſiaſtica quoque teſtatur Hiſtoria, quia
„ cùm piæ memoriæ Conſtantino Principi
„ ſcripto oblatæ accuſationes contra Epi-
„ ſcopos fuiſſent, libellos quidèm accuſatio-
„ nis accepit, & eoſdem, qui accuſati fue-
„ rant, Epiſcopos convocans, in eorum con-
„ ſpectu libellos, quos acceperat, incendit,
„ dicens: *Vos Dii eſtis à vero Deo conſtituti,*
„ *Ite & inter vos cauſas veſtras diſcutite, quia*
„ *dignum non eſt, ut nos judicemus Deos*. In
„ qua tamen ſententia, pie Domine, ſibi ma-
„ gis ex humilitate, quàm illis aliquid præ-
„ ſtitit ex reverentia impenſa. Ante eum
„ quippè Pagani in Republica Principes fue-
„ runt, qui verum Deum neſcientes, Deos
„ ligneos & lapideos colebant, & tamen eo-
„ rum Sacerdotibus honorem maximum tri-
„ buebant. Quid ergò mirum, ſi chriſtia-
„ nus Imperator veri Dei Sacerdotes digne-
„ tur honorare, dùm Pagani, ut prædiximus,
„ Principes honorem impendere Sacerdoti-
„ bus noverunt, qui Diis ligneis & lapideis
„ ſerviebant? Hæc enim pietati Dominorum
„ non pro me, ſed pro cunctis Sacerdotibus
„ ſuggero.

287 „ Ego enim homo peccator ſum. Et
„ quia omnipotenti Deo inceſſanter quoti-
„ diè delinquo, aliquid mihi apud tremen-
„ dum examen illius eſſe remedium ſuſpicor,
„ ſi inceſſantibus quotidiè plagis ferior. Et
„ credo, quia eundem omnipotentem Domi-
„ num tantò vobis ampliùs placatis, quantò
„ me ei malè ſervientem diſtrictiùs affligitis.
„ Multas enim jam plagas acceperam, & ſu-
„ pervenientibus Dominorum juſſionibus, in-
„ veni conſolationes, quas non ſperabam.
„ Si enim poſſum, has celeriter plagas enu-
„ mero.

288 „ Primùm, quòd mihi pax ſubducta
„ eſt, quam cum Longobardis in Tuſcia po-
„ ſitus ſine ullo Reipublicæ diſpendio fece-
„ ram. Deinde corruptâ pace, de Romana
„ Civitate milites ablati ſunt. Et quidèm
„ alii ab hoſtibus occiſi, alii verò Narniæ &
„ Peruſii poſiti, & ut Peruſium teneretur,
„ Roma relicta eſt. Poſt hoc plaga gravior
„ fuit adventus Agilulphi, itaut oculis meis
„ cernerem Romanos more canum in collis
„ funibus ligatos, qui ad Franciam duceban-
„ tur venales. Et quia nos, qui intra Civi-
„ tatem fuimus, Deo protegente, manus
„ ejùs evaſimus; quæſitum eſt, undè culpa-
„ biles eſſe videremur, videlicet, cur fru-
„ menta defuerint, quæ in hac Urbe diù mul-
„ ta ſervari nullatenùs poſſunt, ſicut in alia
„ ſuggeſtione pleniùs indicavi. Et quidèm
„ de me metipſo in nullo turbatus ſum, quia
„ teſte conſcientiâ, fateor, adverſa quælibet
„ pati paratus ſum, dummodò hæc omnia
„ cum ſalute dumtaxat meæ animæ evadam.
„ Sed de glorioſis viris Gregorio Præfecto &
„ Caſtorio Magiſtro Militum non mediocri-
„ ter ſum afflictus; qui & omnia, quæ po-
„ tuerunt fieri, nullo modo facere neglexe-
„ runt, & labores vigiliarum & cuſtodiæ
„ Civitatis in eadem obſeſſione vehementiſ-
„ ſimos pertulerunt; & poſt hæc omnia, gra-
„ vi Dominorum indignatione percuſſi ſunt.
„ De quibus patenter intelligo, quia eos
„ non ſua acta, ſed mea perſona gravat.
„ Cum qua, quia pariter in tribulatione
„ laboraverant, poſt laborem pariter tribu-
„ lantur.

289 „ Quod autem Dominorum pietas
„ illud mihi pavendum & terribile omnipo-
„ tentis Dei Judicium intentat, rogo per
„ eundem omnipotentem Dominum, nè hoc
„ ulteriùs quidèm faciat; nam adhùc neſci-
„ mus, quis ibi qualis ſit. Et Paulus egre-
„ gius Prædicator ait: *Nolite judicare ante*
„ *tempus, donec veniat Dominus, qui & il-*
„ *luminabit abſcondita tenebrarum, & mani-*
„ *feſtabit conſilia cordium*. Hoc tamen bre-
„ viter dico, quoniam indignus & peccator
„ plùs de venientis Jeſu miſericordia, quàm
„ de veſtræ pietatis juſtitia præſumo. Et
„ ſunt multa, quæ de judicio illius homines
„ ignorant, quia fortaſsè quæ vos laudatis,
„ ille reprehendet; & quæ vos reprehendi-
„ tis, ille laudabit. Inter hæc ergò omnia
„ incerta, ad ſolas lacrymas redeo, petens,
„ ut idem omnipotens Deus piiſſimum Do-
„ minum noſtrum, & ſuâ hic manu regat,
„ & in illo terribili Judicio liberum ab om-
„ nibus delictis inveniat; & me ita placere,
„ ſi neceſſe eſt, hominibus faciat, ut æter-
„ nam ejus gratiam non offendam. *Hactenus*
Epiſtola ad Mauritium.

290 Acta ſunt hæc Mauritium inter & Gregorium Anno Domini DXCIV. Pontificatus Gregorii Anno V. Imperii verò ejuſdem Mauritii Anno IX. currente Indictione XII. quo nimirum anno Joannes Epiſcopus Conſtantinopolitanus, arreptâ per ejuſmodi controverſias occaſione, patrocinio fretus Imperatoris, quo fortè ſub Pelagio deſtitutus erat, iterùm ſuperbiâ tumens, nomen Epiſcopi univerſalis ſibi uſurpavit. Etenim in Actis adversùm Joannem Presbyterum Eccle-

ſiæ

ſiæ Chalcedonenſis, de hæreſi accuſatum, &, ut hæreticum in judicio Conſtantinopolitano declaratum, ſæpè Epiſcopum œcumenicum ſe ſubſcripſit; prout Gregorius ſcribit in Epiſtola ad Sabinianum datâ infra recitandâ. Appellante poſtea Joanne Presbytero Apoſtolicam Sedem à ſententia adversùs eum in judicio Conſtantinopolitano latâ, coactus eſt Joannes Epiſcopus Acta illius judicati Romam transmittere. Cùmque Gregorius vidiſſet in eis Joannem pluriès ſub nomine Epiſcopi univerſalis ſubſcriptum, doluit, & tantæ ſuperbiæ maximè miratus eſt: quare depoſito pro tunc Apoſtolico rigore, quem jam per ſuum reſponſalem priùs monere fecerat, per ſeipſum iterùm corripere voluit, ut inde parere renuentem, ſervatâ jam Evangelicâ regulâ, Eccleſiaſtico judicio juſtiùs coercere poſſet: proinde ſequentes paterno amore refertas literas ad eum dedit.

Gregorius Joanni Epiſcopo Conſtantinopolitano.

291 „ Eo tempore, quo fraternitas veſtra
„ in Sacerdotalem honorem provecta eſt,
„ quantam Eccleſiarum pacem atque concor-
„ diam invenerit, recolit. Sed quo auſu,
„ quovè tumore, neſcio, novum ſibi conata eſt
„ nomen arripere, undè omnium fratrum
„ corda potuiſſent ad ſcandalum pervenire.
„ Qua in re vehementer admiror, quia nè
„ ad Epiſcopatum venire potuiſſes, fugiſſe
„ velle te memini: quem tamen adeptum ita
„ exercere deſideras, ac ſi ad eum ambitioſo
„ deſiderio cucurriſſes. Qui enim indignum
„ te eſſe fatebaris, ut Epiſcopus duci debuiſ-
„ ſes, ad hoc quandoque perductus es, ut
„ deſpectis fratribus Epiſcopus appetas ſolus
„ vocari.

292 „ Et quidèm hac de re ſanctæ me-
„ moriç deceſſoris mei Pelagii gravia ad San-
„ ctitatem veſtram ſcripta tranſmiſſa ſunt.
„ In quibus Synodi, quæ apud vos de fratris
„ quondam & Conſacerdotis noſtri Gregorii
„ cauſâ congregata eſt, propter nefandum
„ elationis vocabulum, Acta diſſoluit: &
„ Archidiaconum, quem juxta morem ad ve-
„ ſtigia Dominorum tranſmiſerat, Miſſarum
„ vobiſcum ſolemnia celebrare prohibuit.
„ Poſt eius verò obitum, cùm indignus ego
„ ad Eccleſiæ regimen adductus ſum, & ante
„ per alios reſponſales meos, & nunc per
„ communem filium meum Sabinianum Dia-
„ conum alloqui fraternitatem veſtram, ut à
„ tali ſe præſumptione compeſceret, non
„ equidèm ſcripto, ſed nudo ſermone curavi.
„ Et ſi emendari nollet, eum Miſſarum ſo-
„ lemnia cum fraternitate veſtra celebrare
„ prohibui, ut Sanctitatem veſtram priùs ſub
„ quadam verecundiæ reverentia pulſarem,
„ quatenùs ſi emendari nefandus ac profanus
„ tumor verecundè non poſſet, tunc ad ea
„ debuiſſet, quæ ſunt diſtricta atque canonica
„ perveniri.

293 „ Et quia reſecanda vulnera priùs
„ levi manu palpanda ſunt, rogo, deprecor
„ & quantâ poſſum dulcedine expoſco, ut
„ fraternitas veſtra cunctis ſibi adulantibus,
„ atque erroris nomen deferentibus contradicat,
„ nec ſtulto ac ſuperbo vocabulo appellari
„ conſentiat. Verè enim flens dico, atque ex
„ intimo viſcerum dolore peccatis meis de-
„ puto; quòd ille meus frater nunc uſque ad
„ humilitatem reduci non valuit, qui ad
„ hoc in Epiſcopatus gradu conſtitutus eſt, ut
„ aliorum animas ad humilitatem reducat:
„ quòd ille, qui veritatem docet alios, ſemet-
„ ipſum docere, nec, me quoque deprecante,
„ conſenſit. Perpende, rogo, quia in hac
„ præſumptione temerariâ pax totius turba-
„ tur Eccleſiæ, & gratiæ contradicitur com-
„ muniter omnibus effuſæ, in qua nimirum
„ ipſe tantùm creſcere poteris, quantùm pe-
„ nès temetipſum decreveris, tantòque ma-
„ jor efficeris, quantò te à ſuperbi & ſtulti
„ vocabuli uſurpatione reſtringis, atque in
„ tantum proficis, in quantum tibi non ſtu-
„ dueris derogando fratribus arrogare.

294 „ Humilitatem ergò, frater chariſſi-
„ me, totis viſceribus dilige, per quam cun-
„ ctorum fratrum concordia, & ſanctæ uni-
„ verſalis Eccleſiæ unitas valeat cuſtodiri.
„ Certè Paulus Apoſtolus cùm audiret quoſ-
„ dam dicere: *Ego ſum Pauli, ego Apollo,*
„ *egò vero Cephæ*, hanc dilacerationem cor-
„ poris dominici, per quam membra ejus aliis
„ quodammodò ſe capitibus ſociabant, vehe-
„ mentiſſimè exhorreſcens exclamavit, dicens:
„ *Numquid Paulus pro vobis crucifixus eſt:*
„ *aut in nomine Pauli baptizati eſtis?* Sic ergò
„ ille membra dominici corporis certis extra
„ Chriſtum quaſi capitibus, & ipſis quidèm
„ Apoſtolis ſubjici particulariter evitavit.
„ Tu quid Chriſto univerſalis ſanctæ Eccle-
„ ſiæ capite in extremi Judicii es dicturus
„ examine, qui cuncta ejus membra tibimet
„ conaris univerſalis appellatione ſuppone-
„ re? Quis, rogo, in hoc tàm perverſo vo-
„ cabulo, niſi ille ad imitandum proponitur,
„ qui deſpectis Angelorum legionibus ſecum
„ ſocialiter conſtitutis, ad culmen conatus
„ eſt ſingularitatis erumpere, ut & nulli ſu-
„ beſſe, & ſolus omnibus præeſſe videretur?
„ Qui etiam dixit: *Conſcendam in Cœlum;*
„ *ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum, ſedebo*
„ *in monte teſtamenti, in lateribus Aquilonis;*
„ *aſcendam ſuper altitudinem nubium, ſimilis*
„ *ero Altiſſimo.* Quid enim fratres tui omnes
„ univerſalis Eccleſiæ Epiſcopi, niſi aſtra
„ Cœli ſunt? Quorum vita ſimul & lingua
„ inter peccata, erroreſque hominum, quaſi
„ inter noctis tenebras lucent. Quibus dùm
„ cupis temetipſum vocabulo elationis præ-
„ ponere, eorumque nomen tui comparatio-
„ ne calcare, quid aliud dicis, niſi: *In Cœ-*

lum

„ *lum conſcendam; ſuper Aſtra Cœli exaltabo* „ *ſolium meum?* An non univerſi Epiſcopi „ nubes ſunt, qui & verbis prædicationis „ pluunt, & bonorum operum luce & mira- „ culis coruſcant? Quos dùm veſtra frater- „ nitas deſpiciens ſub ſe premere conatur, „ quid aliud dicit, niſi hoc, quod ab antiquo „ hoſte dicitur: *aſcendam ſuper altitudinem* „ *nubium?*

295 „ Quæ cuncta ego cùm flens conſpi- „ cio, & occulta Dei judicata pertimeſco, „ augentur lacrymæ, gemitus ſe in meo cor- „ de non capiunt, quòd ille vir Sanctiſſimus „ Dominus Joannes, tantæ abſtinentiæ atque „ humilitatis, ſuorum familiarium ſeductio- „ ne linguarum ad tantã ſuperbiam erupit, ut „ in appetitu perverſi nominis illi eſſe cone- „ tur ſimilis, qui dùm ſuperbè eſſe ſimilis Deo „ voluit, etiam donatæ ſimilitudinis gratiam „ amiſit, & ideò veram beatitudinem perdi- „ dit, quia falſam gloriam quæſivit. Certè „ Petrus Apoſtolus primum membrum ſan- „ ctæ univerſalis Eccleſiæ eſt. Paulus, An- „ dreas, Joannes, quid aliud quàm ſingula- „ rium ſunt plebium Capita? Et tamen ſub „ uno Capite omnes membra ſunt Eccleſiæ. „ Atque ut cuncta brevi cingulo locutionis „ adſtringam, Sancti ante legem, Sancti ſub „ lege, Sancti ſub gratia, omnes hi perfi- „ cientes Corpus, in membris ſunt Eccleſiæ „ conſtituti, & nemo ſe unquam univerſa- „ lem appellare voluit.

296 „ Veſtra autem Sanctitas agnoſcat „ quantùm apud ſe tumeat, quæ illo nomine „ vocari appetit, quo vocari nullus præſum- „ pſit, qui veraciter Sanctus fuit. Numquid „ non, ſicut veſtra fraternitas novit, per ve- „ nerandum Chalcedonenſe Concilium hu- „ jus Apoſtolicæ Sedis Antiſtites, cui, Deo „ diſponente, deſervio, univerſales, oblato „ honore vocati ſunt? Sed tamen nullus „ unquam tali vocabulo appellari voluit, „ nullus ſibi hoc temerarium nomen arripuit; „ nè ſi ſibi in Pontificatus gradu gloriam ſin- „ gularitatis arriperet, hanc omnibus fratri- „ bus denegaſſe videretur. Sed hæc ſcio, „ quia veſtræ Sanctitati ab illis oriuntur, „ qui vobis deceptioſâ familiaritate deſer- „ viunt, contra quos peto, ut veſtra frater- „ nitas ſolerter invigilet, nec ſe eorum ver- „ bis fallendum præbeat. Tantò enim ma- „ jores hoſtes credendi ſunt, quantò magis „ laudibus adulantur. Relinque tales, & ſi „ omninò decepturi ſunt, ſaltèm terrenorum „ hominum, & non Sacerdotum corda deci- „ piant: *ſine, mortuos ſepelire mortuos ſuos*, „ Vos autem cum Propheta dicite: *Aver-* „ *tantur ſtatim erubeſcentes, qui dicunt mihi:* „ *Euge, euge*. Et rursùs: *Oleum autem pec-* „ *catoris non impinguet caput meum*. Unde & „ benè quidem ſapiens admonet: *Multi ſint* „ *pacifici tui, conſiliarius autem ſit unus tibi* „ *de mille. Corrumpunt enim bonos mores col-* „ *loquia mala*.

297 „ Antiquus enim hoſtis cùm robuſti „ cor irrumpere non valet, ſubjectas & in- „ firmas perſonas quærit, & quaſi contra al- „ ta mœnia ſcalis appoſitis aſcendit. Sic „ Adam per ſubjectam mulierem decepit. „ Sic Beato Job, cùm filios occidit, infir- „ mam mulierem reliquit, ut qui ejus cor „ per ſe minimè poterat, ſaltèm ſi poſſet per „ mulieris verba, penetraret. Quicumque „ ergò juxta vos infirmi ac ſæculares ſunt, in „ ſua ſemper perſuaſione atque adulatione „ frangantur; quia inde æternas Dei inimici- „ tias pariunt, undè ipſi perverſi amatores vi- „ dentur. Certè olim clamabatur per Apo- „ ſtolum Joannem: *Filioli noviſſima hora eſt*; „ ſecundùm quod veritas prædixit, peſtilen- „ tia & gladius per Mundum ſævit, gentes „ inſurgunt in gentes, terra concutitur, Or- „ bis cum habitatoribus ſuis terrâ dehiſcente „ ſorbetur. Omnia enim, quæ prædicta ſunt, „ fiunt. Rex ſuperbiæ propè eſt, & quod „ dici nefas eſt, Sacerdotum eſt præparatus „ exitus; quia cervici militant elationis, qui „ ad hoc poſiti fuerant, ut Ducatum præbe- „ rent humilitatis.

299 „ Sed hac in re, etiam ſi noſtra lin- „ gua minimè contradicat, illius virtus con- „ trà elationem in ultionem erigitur, qui ſu- „ perbiæ vitio per ſemetipſum ſpecialiter ad- „ verſatur. Hinc enim ſcriptum eſt: *Deus* „ *ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gra-* „ *tiam*. Hinc rursùs dicitur: *Immundus eſt* „ *apud Deum, qui exaltat cor*. Hinc contra „ ſuperbientem hominem ſcriptum eſt: *Quid* „ *ſuperbis terra & cinis?* Hinc per ſemetipſam „ veritas dicit: *Omnis qui ſe exaltat, humi-* „ *liabitur*. Quæ ut nos ad viam vitæ per hu- „ militatem reduceret, in ſemetipſa dignata „ eſt, quod nos admonet demonſtrare, di- „ cens: *Diſcite à me, quia mitis ſum & humi-* „ *lis corde*. Ad hoc namque unigenitus Dei „ Filius formam infirmitatis noſtræ ſucepit; „ ad hoc inviſibilis, non ſolùm viſibilis, ſed „ etiam deſpectus apparuit; ad hoc contu- „ meliarum ludibria, illuſionum probra, „ paſſionum tormenta toleravit, ut ſuperbum „ non eſſe hominem doceret humilis Deus. „ Quanta igitur humilitatis virtus eſt, pro- „ pter quam ſolam veraciter edocendam, is, „ qui ſine ęſtimatione magnus eſt, uſque ad „ paſſionem mortis factus eſt paruus? Quia „ enim originem perditionis noſtræ ſe præ- „ buit ſuperbia Diaboli, inſtrumentum re- „ demptionis noſtræ invẽta eſt humilitas Dei. „ Hoſtis quippe noſter inter omnia conditus, „ videri ſupra omnia voluit elatus. Redem- „ ptor autem noſter magnus manens ſu- „ per omnia, fieri inter omnes dignatus eſt „ parvus.

299 „ Quid ergò nos Epiſcopi dicimus, „ qui honoris locum ex Redemptoris noſtri „ humilitate ſuſcepimus, & tamen ſuper- „ biam hoſtis ipſius imitamur? Ecce novi-

„ mus Creatorem noſtrum de ſuæ Celſitudi-
„ nis culmine, ut humano generi daret glo-
„ riam, deſcendiſſe, & nos de infimis creati,
„ de fratrum minoratione gloriam quærimus.
„ Humiliavit ſe uſque ad noſtrum pulverem
„ Deus, & in Cœlum os ſuum ponit, & ſu-
„ per terram lingua pertranſit pulvis huma-
„ nus, & non erubeſcit: non metuit extolli
„ homo putredo, & Filius hominis vermis.
„ Reducamus ad animum, frater chariſſime,
„ hoc, quod per ſapientiſſimum Salomonem
„ dicitur: *Ante tonitrum praibit coruſcatio*;
„ *& ante ruinam exaltabitur cor*. Ubi è di-
„ verſo ſubjungitur: *Ante gloriam humilia-*
„ *bitur*. Humiliemur ergò in mente, ſi ad
„ ſolidam conamur venire celſitudinem. Ne-
„ quaquam per elationis fumum oculi cordis
„ obſcurentur, qui quantò magis excreverit,
„ tantò celeriùs evaneſcit.

300 „ Penſemus quid nos præcepta ad-
„ moneant Redemptoris noſtri, dicentis:
„ *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt*
„ *Regnum Cœlorum*. Hinc etiam per Pro-
„ phetam dicit: *Super quem requieſcet ſpiri-*
„ *tus meus, niſi ſuper humilem & quietum &*
„ *trementem ſermones meos?* Certè cùm Do-
„ minus ad humilitatis viam adhùc infirman-
„ tium Diſcipulorum corda reduceret, dixit:
„ *Si quis inter vos vult primus eſſe, erit om-*
„ *nium minimus*. Qua in re apertè cogno-
„ ſcitur, quoniam ille veraciter ſublimis eſt,
„ qui in ſuis cogitationibus humiliatur. For-
„ midemus ergò in illorum numerum adſcri-
„ bi: *Qui primas in Synagogis Cathedras*
„ *quærunt, & ſalutationes in foro, & vocari*
„ *ab hominibus Rabbi*. Quo contra Diſcipu-
„ lis Dominus dicit: *Vos autem nolite vocari*
„ *Rabbi: unus enim Magiſter veſter eſt: vos*
„ *autem omnes fratres eſtis: & Patrem nolite*
„ *vocare vobis ſuper terram. Unus eſt enim Pa-*
„ *ter veſter*.

301 „ Quid ergò, frater chariſſime, in
„ illo terribili examine venientis Judicis di-
„ cturus es, qui non ſolùm Pater, ſed etiam
„ generalis Pater in Mundo vocari appetis?
„ Caveatur ergò malorum prava ſuggeſtio,
„ fugiatur omnis inſtigatio Diaboli: *Opor-*
„ *tet quidèm, ut veniant ſcandala; veruntа-*
„ *men væ homini illi, per quem ſcandalum ve-*
„ *nit*. Ecce ex hoc nefando elationis vo-
„ cabulo Eccleſia ſcinditur, fratrum omnium
„ corda ad ſcandalum provocantur. Num-
„ quidnam mente excidit quod veritas dicit:
„ *Qui ſcandalizaverit unum de puſillis iſtis, qui*
„ *in me credunt, expedit ei, ut ſuſpendatur*
„ *mola aſinaria in collo ejus, & demergatur in*
„ *profundum Maris?* Scriptum verò eſt: *Cha-*
„ *ritas non quærit quæ ſua ſunt*. Ecce veſtra
„ fraternitas ſibi arrogat etiam aliena. Rur-
„ sùs ſcriptum eſt: *Honore invicem præve-*
„ *nientes*. Et tu conaris eum omnibus tolle-
„ re, quem tibi illicitè deſideras ſingulariter
„ uſurpare. Ubi eſt, frater chariſſime quod
„ ſcriptum eſt: *Beati pacifici, quoniam filii*
„ *Dei vocabuntur?* Conſiderare vos conve-
„ nit, nè quà radix amaritudinis furſùm ger-
„ minans, impediat, & per illam coinqui-
„ nentur multi. Quod tamen ſi conſiderare
„ negligamus, contra tantæ elationis tumo-
„ rem judicia ſuperna vigilabunt. Et nos
„ quidèm, in quos talis, tantaque per auſum
„ nefarium culpa committitur, ſervamus
„ quod veritas præcepit, dicens: *Si pecca-*
„ *verit in te frater tuus, vade, & corripe eum*
„ *inter te & ipſum ſolum. Si te audierit, lu-*
„ *cratus eris fratrem tuum: ſi autem te non*
„ *audierit, adhibe tecum adhùc unum vel duos,*
„ *ut in ore duorum vel trium teſtium ſtet omne*
„ *verbum. Quod ſi non audierit eos, dic Ec-*
„ *cleſiæ: ſi autem Eccleſiam non audierit, ſit*
„ *tibi ſicut Ethnicus & Publicanus*.

302 „ Ego itaque per reſponſales meos
„ ſemel & bis verbis humilibus hoc, quod
„ in tota Eccleſia peccatur, corripere ſtudui;
„ nunc per me ipſum ſcribo. Quidquid fa-
„ cere humiliter debui, non omiſi. Sed ſi
„ in mea correptione deſpicior, reſtat, ut
„ Eccleſiam debeam adhibere. Hæc itaque
„ dicens, Omnipotens Deus fraternitati ve-
„ ſtræ indicet, quanto circa vos amore con-
„ ſtringor; quantùmque in cauſa non contra
„ vos, ſed pro vobis lugeo. In qua tamen
„ præceptis Evangelicis, inſtitutionibus Ca-
„ nonum, utilitatibus fratrum perſonam
„ præponere non poſſum, nec ejus, quem
„ multùm amo. Scripta autem Sanctitatis
„ veſtræ dulciſſima atque ſuaviſſima de cauſa
„ Presbyterorum Joannis & Athanaſii ſuſce-
„ pi, de qua vobis in ſubſequentibus, Do-
„ mino adjuvante, reſpondebo; quia ſub
„ tantis tribulationibus circumfuſus Barba-
„ rorum gladiis premor, ut, non dico multa
„ tractare, ſed mihi reſpirare vix liceat. Da-
„ tis Kalen. Januarii, Indict. XIII. *Hactenus*
Epiſtola S. Gregorii ad Joannem.

303 Ex hac Epiſtola colligitur, B. Gre-
gorium à ſui Pontificatus exordio monuiſſe
per ſuos reſponſales ipſum Joannem, ut ab
attentatis ſub Pelagio omninò ceſſaret, pro-
fanumque œcumenici nomen ſibi uſurpatum
prorsùs dimitteret, hoc quoque eiſdem re-
ſponſalibus adjecto mandato, ut ſi emendari
nollet, cum eo nullatenùs Miſſarum ſolem-
niis intereſſent. Quod quidèm ad Sabinia-
num Diaconum ſuum pariter Apocriſarium
ſcripſiſſe meminit. Joannes verò in propoſito
conſtans, nec ab inſtituto recedens, auditis
monitionibus, ut auctoritate Principis in eo
confirmaretur titulo, egit cum Mauritio,
quatenùs datis ad Gregorium literis, perſua-
deret eum pacem cum Joanne habere, hac
etiam uſus calliditate, ut ſi Gregorius Im-
peratoris poſtulatis minimè præberet aſſen-
ſum, in Principis indignationem incideret,
ipſe verò ejuſdem patrocinio fretus, ſecuriùs
certare cum Romano Pontifice poſſet pro
uſur-

uſurpato titulo retinendo. Hæc quidem conſtant ex literis ejuſdem Gregorii lib.4.Ep.39. ad eundem Sabinianum datis, quæ ita ſe habent.

Gregorius Sabiniano Diacono.

304 „ De cauſa fratris noſtri viri Reverendiſſimi Joannis Epiſcopi Conſtantinopolitani duas Epiſtolas facere nolui; ſed „ una breviter facta eſt, quæ utrumque habere videretur admixtum, ideſt & rectitudinem & blandimentum. Tua itaque dilectio eam Epiſtolam, quam nunc direxi, „ propter voluntatem Imperatoris dare ſtudeat; nam de ſubſequenti talis alia tranſmittitur, de qua ejus ſuperbia non lætetur. Ad hoc enim uſque pervenit, ut ſub „ occaſione Joannis Presbyteri geſta hùc „ tranſmitteret, in quibus ſe penè per omnem verſum œcumenicum Patriarcham nominaret. Sed ſpero in omnipotentem Deũ, „ quia hypocriſim illius Superna Majeſtas „ ſolvet. Miror autem quomodò dilectionem tuam fallere potuit, ut permitteres „ Domno Imperatori perſuaderi, quatenùs „ ad me ſua ſcripta de hac cauſa tranſmitteret, in quibus admoneret, ut cum eo pacem habere debuiſſem. Qui, ſi juſtitiam „ tenère vult, illum debuit admonere, ut ſe „ à ſuperbo vocabulo compeſceret, & protinùs inter nos pax fieret. Tamen qua id „ calliditate à prædicto fratre noſtro Joanne „ factum ſit, minimè ſuſpicor penſaſti. Idcircò enim hoc ille fecit, ut audiretur „ Domnus Imperator, & ille in ſua vanitate „ confirmatus eſſe videretur, aut non à me „ audiretur, & ejus animus contra me irritaretur. Sed nos rectam viam tenemus, „ nihil in hac cauſa aliud, niſi omnipotentem Dominum metuentes.

305 „ Undè tua dilectio in nullo trepidet. Omnia, quæ in hoc ſæculo videt acta „ eſſe contra veritatem, pro veritate deſpiciat; in omnipotentis Dei gratia, atque „ Beati Petri Apoſtoli adjutorio confidat: „ vocem veritatis recolat, dicentis: *Major „ eſt qui in Cœlis eſt, quàm qui in Mundo*; „ & in hac cauſa quidquid agendum eſt, cum „ ſumma auctoritate agat. Poſtquàm enim „ defendi ab inimicorum gladiis nullo modo „ poſſumus, poſtquàm pro utilitate Reipublicæ argentum, aurum, mancipia, veſtes „ perdidimus, nimis ignominioſum eſt, ut „ per eos etiam fidem perdamus. In iſto enim „ ſceleſto vocabulo conſentire, nihil aliud „ eſt, quàm fidem perdere. Undè ſicut tibi „ jam tranſactis Epiſtolis ſcripſi, nunquam „ cum eo procedere præſumas. *Hactenus Epiſtola ad Sabinianum.* Sed & ad ipſum Mauritium ejuſdem argumenti ſequentem dedit Epiſtolam.

Gregorius Mauritio Auguſto.

306 „ Piiſſimus atque à Deo conſtitutus „ Dominus noſter, inter cæteras Auguſtorum ponderum curas, conſervandæ quoque „ ſacerdotali charitati, rectitudine ſtudii ſpiritalis invigilat; videlicet piè, veraciterque conſiderans, neminem poſſe rectè terrena regere, niſi noverit Divina tractare, „ pacemque Reipublicæ ex univerſalis Eccleſiæ pace pendere. Quæ enim, Sereniſſime Domine, virtus humana, quodque „ carnei robur brachii contra veſtri chriſtianiſſimi culmen Imperii irreligioſas præſumeret manus erigere, ſi ſtuderet concors „ Sacerdotum mens Redemptorem ſuum lingua pro vobis, atque ut oportebat meritis „ exorare? Aut quis ferociſſimæ Gentis gladius in necem fidelium tantâ crudelitate „ graſſàretur, niſi noſtra vita, qui Sacerdotes nominamur, & non ſumus, à praviſſimis „ gravaremur operibus? Sed dùm nos competentia nobis relinquimus, & nobis incompetentia cogitamus, peccata noſtra „ barbaricis viribus ſociamus, & culpa noſtra hoſtium gladios exacuit, quæ Reipublicæ vires gravat. Quid autem dicturi „ ſumus, qui populum Dei, cui indignè præſumus, peccatorum noſtrorum oneribus „ premimus? Qui quod per linguam prædicamus, per exempla deſtruimus? Qui „ iniqua docemus operibus, & ſolâ voce ea, „ quæ ſunt juſta prætendimus? Oſſa jejuniis „ atteruntur, & mente turgemus. Corpus „ deſpectis veſtibus tegitur, & elatione cordis purpuram ſuperamus. Jacemus in cinere, & excelſa non deſpicimus. Doctores „ humilium, Duces ſuperbiæ, ovinâ facie „ lupinos dentes abſcondimus. Sed quis horum finis eſt, niſi quod hominibus ſuademus, Deo autem manifeſti ſumus? Quamobrem providentiſſimè piiſſimus Dominus „ noſter ad compeſcendos bellicos motus, pacem quærit Eccleſiæ, atque ad hujus compagem Sacerdotum dignatur corda reducere.

307 „ Quod quidèm ego opto, atque „ quantum ad me attinet, ſereniſſimis juſſionibus obedientiam præbeo. Quia verò non „ cauſa mea, ſed Dei eſt; & quia non ſolus „ ego, ſed tota turbatur Eccleſia, quia piæ „ leges, quia venerandæ Synodi, quia ipſa „ Domini noſtri Jeſu Chriſti mandata ſuperbi, atque pompatici cujuſdam ſermonis inventione turbantur; piiſſimus Dominus „ locum ſecet vulneris, atque reſiſtentem „ ægrum Auguſtæ auctoritatis vinculis conſtringat. Adſtringendo enim, ſtatum Reipublicæ ſublevatis, & dùm talia reciditis, „ de Regni veſtri prolixitate tractatis. Cunctis ergò Evangelium ſcientibus liquet, „ quòd voce dominica Sancto & omnium

„ Apoſtolorum Petro Pincipi Apoſtolo to„ tius Eccleſiæ cura commiſſa eſt, ipſi quip„ pè dicitur: *Petre amas me? Paſce oves meas.* „ Ipſi dicitur: *Ecce Satanas expetiit cribrare* „ *vos ſicut triticum. Et ego pro te rogavi, Pe*„ *tre, ut non deficiat fides tua: & tu aliquan*„ *dò converſus, confirma fratres tuos.* Ipſi di„ citur: *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram* „ *ædificabo Eccleſiam meam, & portæ Inferi* „ *non prævalebunt adverſùs eam; & tibi dabo* „ *claves Regni Cælorum, & quodcumque liga*„ *veris ſuper terram, erit ligatum & in Cælis;* „ *& quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſo*„ *lutum & in Cælis.*

308 „ Ecce claves Regni Cœleſtis accipit, poteſtas ei ligandi ac ſolvendi tri„ buitur, cura ei totius Eccleſiæ & Princi„ patus committitur, & tamen univerſalis „ Apoſtolus non vocatur. Et vir ſanctiſſi„ mus Conſacerdos meus Joannes vocari „ univerſalis Epiſcopus conatur. Exclamare „ compellor ac dicere: *Oh tempora, ob mo*„ *res!* Ecce cuncta in Europæ partibus Bar„ barorum juri ſunt tradita, deſtructæ Ur„ bes, everſa Caſtra, depopulatæ Provinciæ, „ nullus terram cultor inhabitat; ſæviunt & „ dominantur quotidiè in necem fidelium „ cultores Idolorum; & tamen Sacerdotes, „ qui in pavimento, & cinere flentes jacere „ debuerunt, vanitatis ſibi nomina expetunt, „ & novis ac prophanis vocabulis gloriantur. „ Numquid ego hac in re, piiſſime Domine, „ propriam cauſam defendo? Numquid ſpe„ cialem injuriam vindico? Et non magis „ cauſam omnipotentis Dei, & cauſam uni„ verſalis Eccleſiæ? Quis eſt iſte, qui con„ tra ſtatuta Evangelica, contra Canonum „ decreta, novum ſibi uſurpare nomen præ„ ſumit? Utinam, vel ſine aliorum imminu„ tione unus ſit, qui vocari appetit univer„ ſalis.

309 „ Et certè multos Conſtantinopoli„ tanæ Eccleſiæ in hæreſeos voraginem inci„ diſſe novimus Sacerdotes, & non ſolùm „ hæreticos, ſed etiam hæreſiarchas factos. „ Inde quippe Neſtorius, qui mediatorem „ Dei & hominum Jeſum Chriſtum duas eſſe „ perſonas exiſtimans, quia Deum fieri ho„ minem potuiſſe non credit, uſque ad judai„ cam perfidiam erupit. Inde Macedonius, „ qui conſubſtantialem Patri & Filio Spiri„ tum Sanctum Deum eſſe denegavit. Si igi„ tur illud nomen in ea Eccleſia ſibi quiſ„ quam arripuit, quod apud bonorum om„ nium judicium fuit; Univerſa ergò Eccle„ ſia, quod abſit, à ſtatu ſuo corruit, quan„ dò is, qui appellatur univerſalis, cadit. Sed „ abſit à cordibus Chriſtianorum nomen „ iſtud blaſphemiæ, in quo omnium Sacer„ dotum honor adimitur, dùm ab uno ſibi de„ menter arrogatur.

310 „ Certè pro Beati Petri Apoſtolo„ rum Principis honore per venerãdam Chal„ cedonenſem Synodum Romano Pontifici „ oblatum eſt; ſed nullus eorum unquam „ hoc ſingularitatis nomen aſſumpſit, nec vo„ cabulo uti conſenſit, nè, dùm privatum ali„ quid daretur uni, honore debito Sacerdo„ tes privarentur univerſi. Quid eſt ergò, „ quòd nos hujus vocabuli gloriam & obla„ tam non quærimus, & alter ſibi hanc arri„ pere etiam non oblatam præſumit? Ille „ ergò magis eſt piiſſimorum Dominorum „ præceptione flectendus, qui præceptis ca„ nonicis obedientiam præbere contemnit. „ Ille coercendus eſt, qui ſanctæ univerſali „ Eccleſiæ injuriam facit, qui corde tumet, „ gaudere de nomine ſingularitatis appetit, „ qui honori quoque Imperii veſtri ſe per „ privatum vocabulum ſuperponit. Ecce om„ nes hac de re ſcandalum patimur. Ad vitam „ ergò rectam revertatur auctor ſcandali, & „ omnium Sacerdotum jurgia ceſſabunt. Ego „ enim cunctorum Sacerdotum ſervus ſum, „ in quantum ipſi ſacerdotaliter vivunt. Nam „ qui contra omnipotentem Dominum per „ inanis gloriæ tumorem, atque contra ſta„ tuta Patrum ſuam cervicem erigit, in om„ nipotente Domino confido, qui meam ſibi „ nec cum gladiis flectit. Quid autem nuper „ in hac Urbe ex ejus auditu vocabuli ge„ ſtum ſit, Sabiniano Diacono, ac reſpon„ ſali meo ſubtiliùs indicavi. Cogitet ergò „ Dominorum pietas de me proprio ſuo, „ quem ſpecialiter præ cæteris ſemper fovit „ atque continuit, qui & vobis obedientiam „ præbere deſidero, & tamen de mea negli„ gentia reperiri reus in ſuperno tremendo„ que Judicio pertimeſco.

311 „ Ad ſecundam petitionem prædicti „ Sabiniani Diaconi, aut piiſſimus Domi„ nus ipſum dignetur judicare negotium, aut „ ſæpè nominatum Virum, ut ab hac tandem „ intentione ceſſet, deflectere. Si ergò judi„ cio pietatis veſtræ juſtiſſimo vel clementi„ bus admonitionibus ceſſerit, omnipotenti „ Deo gratias referimus, atque de conceſſa „ per vos omni Eccleſiæ pace gaudemus. Sin „ autem in eadem diutiùs contentione perſti„ terit, hac de re jam veritatis ſententiam „ certam tenemus, quæ ait: *Omnis, qui ſe* „ *exaltat, humiliabitur.* Et rursùs ſcriptum „ eſt: *Ante ruinam exaltabitur cor.* Ego au„ tem Dominorum juſſionibus obedientiam „ præbens, prædicto Conſacerdoti meo & „ dulciter ſcripſi & humiliter, ut ab hac ina„ nis gloriæ appetitione ſeſe emendet, admo„ nui. Si igitur me audire voluerit, habet „ devotum fratrem: ſi verò in ſuperbia per„ ſiſtit, jam quid aſſequatur aſpicio, quia „ illum ſibi adverſarium invenit, de quo ſcri„ ptum eſt: *Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus* „ *autem dat gratiam. Hactenus ad Mauritium Gregorius*, qui pariter ejuſdem argumenti literas fecit ad Conſtantinam Auguſtam, ut ex lib.4. Epiſt.34. quæ ſic ſe habent.

Gre-

Gregorius Conſtantinæ Auguſtæ.

312 „ Omnipotens Deus, qui pietatis
„ veſtræ cor ſuæ dexterâ Majeſtatis tenet, &
„ nos ex vobis protegit, & vobis pro tem-
„ poralibus actibus æterna præmia remune-
„ rationis parat. Nam Sabiniano Diacono
„ reſponſali meo ſcribente, cognovi in cauſis
„ Beati Petri Apoſtolorum Principis contra
„ quoſdam ſuperbos, humiles facie tenus &
„ blandos, quantâ ſe juſtitiâ veſtra Sereni-
„ tas impendat. Et in Redemptoris noſtri
„ largitate confido, quia bonum hoc in Se-
„ reniſſimo Domino & piiſſimis filiis in Cœ-
„ leſtis quoq; Patriæ retributione recipietis.
„ Nec dubium eſt, peccatorum vinculis ſolu-
„ tis, æterna vos bona recipere, quæ in cauſis
„ ejus Eccleſiæ ipſum vobis, cui poteſtas li-
„ gandi & ſolvendi data eſt, debitorem feci-
„ ſtis. Undè adhùc peto, ut nullius præva-
„ lere contra veritatem hypocriſim permit-
„ tatis; quia ſunt quidam, qui juxta egre-
„ gii Prædicatoris vocem: *per dulces ſermo-*
„ *nes & benedictiones ſeducunt corda innocen-*
„ *tium*, qui veſte quidèm deſpecti ſunt, ſed
„ corde tument; & quaſi in hoc Mundo cun-
„ cta deſpiciunt, ſed tamen ea, quæ Mundi
„ ſunt, ſimul cuncta adipiſci quærunt; qui
„ indignos ſe omnibus hominibus fatentur,
„ ſed privatis vocabulis contenti eſſe non
„ poſſunt, quia illud appetunt; undè omni-
„ bus digniores eſſe videntur.

313 „ Veſtra itaque pietas, quam omni-
„ potens Deus cum Sereniſſimo Domino
„ univerſo Mundo præeſſe conſtituit, illi per
„ favorem juſtitiæ famulatum ſuum reddat,
„ à quo jus tantæ poteſtatis accepit, ut quan-
„ tò veriùs in executione veritatis auctori
„ omnium ſervit, tantò ſecuriùs commiſſo
„ ſibi Mundo dominetur. Præterea indico,
„ quia piiſſimi Domini ſcripta ſuſcepi, ut
„ cum fratre & Conſacerdote meo Joanne
„ debeam eſſe pacificus. Et quidem ſic re-
„ ligioſum Dominum decuit, ut iſta præci-
„ peret Sacerdotibus. Sed cùm ſe novâ præ-
„ ſumptione atque ſuperbia idem frater meus
„ univerſalem Epiſcopum appellet, itaut
„ ſanctæ memoriæ deceſſoris mei tempore
„ adſcribi ſe in Synodo tali hoc ſuperbo vo-
„ cabulo faceret, quamvis cuncta Acta illius
„ Synodi, Sede contradicente Apoſtolicâ, ſo-
„ luta ſint, triſte mihi aliquid Sereniſſimus
„ Dominus innuit, quòd non eum corripuit,
„ qui ſuperbit, ſed magis ab intentione mea
„ declinare ſtuduit, qui in hac cauſa Evan-
„ geliorum & Canonum ſtatuta humilitatis
„ atque rectitudinis virtute defendo. Qua
„ in re à prædicto fratre & Conſacerdote
„ meo contra Evangelicam ſententiam, con-
„ tra Beatum quoque Apoſtolum, & contra
„ omnes Eccleſias, contraque Canonum ſta-
„ tuta agitur. Sed eſt omnipotens Dominus,
„ in cujùs manu ſunt omnia, de quo ſcriptum
„ eſt: *Non eſt ſapientia, non eſt prudentia,*
„ *non eſt conſilium contra Dominum.*

314 „ Et quidèm ſæpèfatus ſanctiſſimus
„ frater Sereniſſimo Domino multa ſuadere
„ conatur; ſed benè novi, quia tantæ illæ
„ orationes ejus & lacrymæ nil ei à quoquam
„ contra rationem aut animam ſuam ſurripi
„ permittunt. Triſte tamen valdè eſt, ut pa-
„ tienter feratur, quatenùs, deſpectis omni-
„ bus, prædictus frater & Coepiſcopus meus
„ ſolus conetur appellari Epiſcopus. Sed in
„ hac ejus ſuperbia, quid aliud, niſi propin-
„ qua jam Antichriſti eſſe tempora deſigna-
„ tur? Quia illum videlicet imitatur, qui,
„ ſpretis in ſociali gaudio Angelorum Le-
„ gionibus, ad culmen conatus eſt ſingulari-
„ tatis erumpere, dicens: *Super aſtra Cœli*
„ *exaltabo ſolium meum; ſedebo in monte Te-*
„ *ſtamenti; in lateribus Aquilonis; & aſcen-*
„ *dam ſuper altitudinem nubium, & ero ſimi-*
„ *lis Altiſſimo.* Undè per omnipotentem Do-
„ minum rogo, nè pietatis veſtræ tempora
„ permittatis unius hominis elatione macu-
„ lari, neque tàm perverſo vocabulo ullum
„ quoquomodò præbeatis aſſenſum, atque
„ hac in cauſa nequaquam me pietas veſtra
„ deſpiciat; quia etſi peccata Gregorii tan-
„ ta ſunt, ut pati talia debeat, Petri tamen
„ Apoſtoli peccata nulla ſunt, ut veſtris tem-
„ poribus pati iſta mereatur. Undè iterùm
„ atque iterùm per omnipotentem Dominum
„ rogo, ut ſicut parentes priores veſtri Prin-
„ cipes Sancti Petri Apoſtoli gratiam quæ-
„ ſierunt, ità vos quoque & hanc vobis quæ-
„ rere & conſervare curetis, & propter pec-
„ cata noſtra, qui ei indignè ſervimus, ejus
„ apud vos honor nullatenùs minuatur, qui
„ & modò vobis adjutor eſſe in omnibus,
„ & poſtmodùm veſtra valeat peccata di-
„ mittere.

315 „ Viginti autem jam & ſeptem an-
„ nos ducimus, quòd in hac Urbe inter Lon-
„ gobardorũ gladios vivimus. Quibus quàm
„ multa hac ab Eccleſia quotidianis diebus
„ erogantur, ut inter eos vivere poſſimus,
„ ſuggerenda non ſunt. Sed breviter indico,
„ quia ſicut in Ravennæ partibus Domino-
„ rum pietas apud primum Exercitum Italiæ
„ Sacellarium habet, qui cauſis ſupervenien-
„ tibus quotidianas expenſas faciat, ita & in
„ hac Urbe in cauſis talibus Sacellarius ego
„ ſum. Et tamen hæc Eccleſia, quæ uno,
„ eodemque tempore Clericis, Monaſteriis,
„ pauperibus, populo, atque inſuper Lon-
„ gobardis tàm multa indeſinenter expendit,
„ ecce adhùc ex omnium Eccleſiarum pre-
„ mitur afflictione, quæ de hac unius ſuper-
„ bia multùm gemunt, etſi nihil dicere præ-
„ ſumunt.

316 „ Salonitanæ verò Civitatis Epiſco-
„ pus, me ac reſponſali meo neſciente, ordi-
„ natus eſt, & facta res eſt, quæ ſub nullis
an-

„ anterioribus Principibus evenit. Quod „ ego audiens, ad eundem prævaricatorem, „ qui inordinatè ordinatus eſt, protinùs miſi, „ ut omninò Miſſarum ſolemnia celebrare „ nullo modo præſumeret, niſi priùs à Sereniſſimis Dominis cognoſcerem, ſi hoc fieri „ ipſi juſſiſſent, quod ei ſub excommunicationis interpoſitione mandavi. Et contempto me atque deſpecto, in audaciam „ quorundam ſæcularium hominum, quibus, „ denudatâ ſuâ Eccleſiâ, præmia multa præbere dicitur, nuncuſque Miſſas facere præſumit, atque ad me venire ſecundùm juſſionem Dominorum noluit. Ego autem „ præceptioni eorum obediens, eidem Maximo, qui, me neſciente, ordinatus eſt, „ hoc,quod in ordinatione ſuâ me,vel reſponſalem meum prætermittere præſumpſit, ita „ ex corde laxavi, ac ſi, me auctore, fuiſſet „ ordinatus. Alia verò perverſa illius, ſcilicet mala corporalia, quæ cognovi, vel „ quia cum pecuniis eſt electus, vel quia „ excommunicatus Miſſas facere præſumpſit, „ propter Deum irrequiſita præterire non „ poſſum. Sed opto, & Dominum deprecor, „ quatenùs nihil in eo de his, quæ dicta ſunt, „ valeat inveniri, & ſine periculo animæ meę „ cauſa ipſius terminetur.

317 „ Priùs tamen quàm hęc cognoſcantur, Sereniſſimus Dominus,diſcurrente juſſione,præcepit, ut eum venientem cum honore ſuſcipiam. Et valdè grave eſt, ut vir, „ de quo tanta & talia nunciantur, cùm ante requiri & diſcuti debeat, honoretur. Et „ ſi Epiſcoporum cauſæ mihi commiſſorum „ apud piiſſimos Dominos aliorum patrociniis diſponuntur, infœlix ego in Eccleſia „ iſta quid facio? Sed ut Epiſcopi mei me „ deſpiciant, & contra me refugium ad ſæculares Judices habeant, omnipotenti Deo „ gratias ago, peccatis meis deputo. Hoc „ tamen breviter ſuggero, quia aliquantulum expecto; & ſi ad me diù venire diſtulerit, in eo exercere diſtrictionem canonicam nullo modo ceſſabo. In omnipotente „ autem Domino confido, quia longam piiſſimis Dominis vitam tribuet, & de nobis „ ſub manu veſtra non ſecundùm peccata noſtra, ſed ſecundùm gratiæ ſuæ dona diſponet. Hæc ergò, tranquilliſſimæ Dominæ, „ ſuggero, quia integerrima ſerenitatis ejus „ conſcientia, quanto moveatur zelo rectitudinis atque juſtitiæ, non ignoro. *Hactenus Epiſtola*.

318 Porrò idem Beatus Gregorius, nè quid omitteret in tanti ſcandali cauſa, timens nè fortè Orientales Epiſcopi, timore Imperatoris perculſi, eo titulo cohoneſtarent Joannis nomen, ſcripſit ad duos primarum Orientis Sedium Epiſcopos, Eulogium ſcilicet Alexandrinum, & Anaſtaſium Antiochenum, admonens eos, ut ſuperbiam inſequantur Joannis, neminemque Epiſcopum nominent univerſalem, nec de Imperatoris animo timorem ullum concipiant. Sunt ergò literæ ſequentes.

Gregorius Eulogio Epiſcopo Alexandrino & Anaſtaſio Epiſcopo Antiocheno.

319 „ Dùm Predicator egregius dicat: „ *Quandiù quidèm ſum Gentium Apoſtolus*, „ *miniſterium meum honorificabo*; qui rursùs „ aliàs dicit: *Facti ſumus ut parvuli in medio* „ *veſtrùm*, exemplum proculdubiò nobis ſequentibus oſtendit, ut & humilitatem teneamus in mente, & tamen ordinis noſtri „ dignitatem ſervemus in honore, quatenùs „ nec in nobis humilitas timida, nec erectio „ ſit ſuperba.

320 „ Ante hos ſiquidèm annos octo ſanctæ memoriæ deceſſoris mei Pelagii tempore, frater & Coepiſcopus noſter Joannes „ in Conſtantinopolitana Urbe ex cauſa alia „ occaſionem quærens, Synodum fecit, in „ qua ſe univerſalem appellare conatus eſt. „ Quod mox idem deceſſor meus, ut agnovit, directis literis ex auctoritate Sancti „ Petri Apoſtoli ejuſdem Synodi Acta caſſavit. Quarum videlicet Epiſtolarum Sanctitati veſtræ exemplaria ſtudui deſtinare. „ Diaconum verò, qui juxta morem pro reſponſis Eccleſię faciendis piiſſimorum Dominorum veſtigiis adhærebat, cùm præfato Conſacerdote noſtro Miſſarum ſolemnia „ celebrare prohibuit. Cujus ego quoque „ ſententiam ſequens, ſimilia prædicto Conſacerdoti noſtro ſcripta tranſmiſi, quorum „ exemplaria veſtrę Beatitudini cenſui tranſmittenda; hoc præcipuè intendens, ut hac „ de re, qua ex nova ſuperbia tota univerſalis Eccleſiæ viſcera perturbantur, priùs ſæpèfati fratris noſtri animum modeſtâ intentione pulſemus. Qui ſi nequaquam à ſuæ „ elationis rigore voluerit inclinari, tunc „ quid fieri debeat, cùm omnipotentis Dei „ ſolatio ſubtiliùs pertractetur. Sicut enim „ veneranda mihi veſtra ſanctitas novit, uni „ per ſanctam Chalcedonenſem Synodum „ Pontifici Sedis Apoſtolicæ, cui, Deo diſponente, deſervio, hoc univerſalis nomen „ oblatum eſt. Sed nullus unquam deceſſorum meorum hoc tàm prophano vocabulo „ uti conſenſit; quia videlicet ſi unus Patriarcha univerſalis dicitur, Patriarcharum nomen cæteris derogatur. Sed abſit „ hoc, abſit à chriſtiana mente id ſibi velle „ quempiam arripere, undè fratrum ſuorum „ honorem imminuere ex quantulacumque „ parte videatur.

321 „ Cùm ergò nos hunc honorem nolumus oblatum ſuſcipere, penſate quàm „ ignominioſiùs ſit hunc ſibi quempiam violenter uſurpare voluiſſe. Propterea ſanctitas veſtra in ſuis Epiſtolis neminem unquam

„ quam univerſalem nominet, nè ſibi debi-
„ tum detrahat, cùm alteri honorem offert
„ indebitum: Nè hac in re de Sereniſſimis
„ Dominis animum veſtrum mordeat ſuſpi-
„ cio ſiniſtra, quia omnipotentem Domi-
„ num metuit, & contra ſtatuta Evangelica,
„ contra ſacratiſſimos Canones agere ali-
„ quid nullo modo conſentit. Ego verò,
„ quamvis à vobis per longa Terrarum, at-
„ que Maris ſpatia disjunctus ſim, ſum ta-
„ men omninò vobis corde conjunctus. Id-
„ que de veſtra Beatitudine erga me modis
„ omnibus confido; quia cùm me viciſſim
„ diligitis, à me non longè eſtis. Et magis
„ gratias referimus grano illo Sinapis; quia
„ ex modici deſpicabiliſque ſeminis ſpecie,
„ ita eſt ramis ex eadem radice ſurgentibus,
„ atque ſe diſtendentibus uſquequaque dif-
„ fuſus, ut in eis volatilia Cœli cuncta ni-
„ dificent, gratiaque ſit fermento illi, quo
„ tribus farinæ ſatis totius humani generis
„ maſſam in unitate conſperſit; atque parvo
„ lapidi, qui abſciſſus de monte ſine mani-
„ bus, occupavit univerſam faciem Orbis
„ terræ, qui ad hoc ſe uſquequaque diſten-
„ dit, ut ex omni humano genere in unita-
„ tem redacto totius corporis perſiceretur
„ Eccleſiæ; atque ita ad totius compaginis
„ pertineret commodum membrorum partia-
„ lis iſta diſtinctio. Undè nos quoque à vo-
„ bis non longè ſumus, quia in illo, qui ubi-
„ que eſt, unum ſumus.

322 „ Agamus ergò ei gratias, qui, ſolu-
„ tis inimicitiis, in carne ſua fecit, ut in
„ omni Orbe terrarum unus eſſet Grex &
„ unum ovile ſub uno Paſtore; memores ſem-
„ per quid nos Prædicator veritatis admo-
„ neat, dicens: *Sollicíti ſervare unitatem ſpi-
„ ritus in vinculo pacis*. Et, *pacem ſectamini
„ cum omnibus & ſanctimoniam, ſine qua ne-
„ mo videbit Deum*. Qui aliis quoque Di-
„ ſcipulis dicit: *Si fieri poteſt quod ex vobis
„ eſt, cum omnibus hominibus pacem habentes*.
„ Vidit enim, pacem bonos cum malis habere
„ non poſſe; & idcircò, ſicut noſtis, præmi-
„ ſit, *ſi fieri poteſt*. Sed quia pax, niſi in dua-
„ bus partibus firmari non valet, cùm hanc
„ mali fugiunt, boni tenère medullitùs de-
„ bent. Undè & mirè dicitur: *quod ex vobis
„ eſt*, ut videlicet in nobis maneat, etiam
„ cùm à pravorum hominum mente repelli-
„ tur. Quam videlicet pacem tunc veraci-
„ ter tenemus, cùm ſuperborum culpas cha-
„ ritate ſimul & juſtitiâ inſiſtente perſequi-
„ mur, cùm eos diligimus, & eorum vitia
„ odio habemus. Opus quippè Dei homo
„ eſt, ſed opus hominis vitium. Nos ergò
„ diſcernamus quid Deus, quid item homo
„ fecerit; & neque propter errorem odio ha-
„ beamus hominem, neque propter hominem
„ diligamus errorem.

323 „ Unitâ ergò mente inſequamur in
„ homine malum ſuperbiæ, ut ab hoſte ſuo,
„ videlicet errore, priùs ipſe homo libere-
„ tur: Præſtabit vires omnipotens Redem-
„ ptor noſter charitati atque juſtitiæ; præ-
„ ſtabit nobis longè à nobis poſitis unitatem
„ ſpiritus ſui, ipſe, cujus artificio quaſi in
„ Arcæ modum quatuor Mundi conſtructa
„ lateribus, atque imputribilium lignorum
„ compage, & bitumine charitatis adſtricta,
„ nullius adverſitate ſpiritus, nullius venien-
„ tis extrinſecus tumore fluctus perturbetur
„ Eccleſia. Sed quemadmodùm, illius guber-
„ nante gratiâ, petendum eſt, ut nulla nos
„ ſuperveniens exteriùs unda conturbet, ita
„ ex totis orandum eſt viſceribus, fratres
„ chariſſimi, ut ſuæ providentiæ dextera cu-
„ mulum ſentinæ in nobis interioris exhau-
„ riat. Adverſarius quippe Diabolus, qui
„ contra humiles ſæviens, ſicut Leo rugiens
„ circuit quem devoret, non jam, ut cerni-
„ mus, caulas circuit, ſed ita validè in qui-
„ buſdam Eccleſiæ neceſſariis membris den-
„ tes figit, ut nulli ſit dubium, quia niſi
„ unanimiter, favente Domino, cunctorum
„ provida Paſtorum turba concurrat, omne,
„ quod abſit, citiùs ovile dilaniet.

324 „ Perpendite, fratres chariſſimi,
„ quid è vicino ſubſequitur, cujus & in Sa-
„ cerdotibus erumpunt tam perverſa princi-
„ pia. Quia enim juxta eſt ille, de quo ſcri-
„ ptum eſt: *Ipſe eſt Rex ſuper univerſos filios
„ ſuperbiæ*, quod non ſine gravi dolore di-
„ cere compellor, frater & Coepiſcopus no-
„ ſter Joannes mandata Dominica, Apoſto-
„ lica præcepta, Regulas Patrum deſpiciens,
„ eum per elationem præcurrere conatur in
„ nomine. Veſtræ autem Beatitudinis indi-
„ cet omnipotens Deus, quàm gravi conſi-
„ derationis hujus gemitu torqueor, quòd
„ ille mihi quondam modeſtiſſimus, ille om-
„ nibus dilectus, ille qui in eleemoſynis,
„ orationibus atque jejuniis, videbatur oc-
„ cupatus, ex eo, in quo ſedebat cinere, ex
„ ea, quem prætendebat humilitate, jactan-
„ tiam ſumpſit, itaut univerſa ſibi tentet ad-
„ ſcribere, & omnia, quæ ſoli uni capiti co-
„ hærent, videlicet Chriſto, per elationem
„ pompatici ſermonis ejuſdem Chriſti ſibi
„ ſtudeat membra jugare. Nec mirum, quòd
„ ille tentator, qui initium omnis peccati
„ ſcit eſſe ſuperbiam; & tunc eâ in primo
„ homine ante omnia uſus eſt; & nunc eam
„ quibuſdam hominibus ponit in fine virtu-
„ tum, ut qui aliquatenùs bonis vitæ ſtudiis
„ ejus videbantur crudeliſſimas manus effu-
„ gere, eis in ipſa meta boni operis, & in ipſa
„ quodammodò apponat perfectionis con-
„ cluſione tendiculum. Undè magnoperè
„ orandum eſt, & omnipotens Deus aſſiduis
„ precibus implorandus, ut hunc à mente
„ illius avertat errorem, hoc ab unitate at-
„ que humilitate Eccleſiæ malum ſuperbiæ
„ & confuſionis amoveat. Et favente Domi-
„ no, omnibus viribus concurrendum atque
pro-

„ videndum, nè in unius veneno ſermonis „ viventia in Chriſti corpore membra moriantur. Si enim hoc dici licenter permittitur, honor Patriarcharum omnium negatur. Et cùm fortaſsè is in errore perit, „ qui univerſalis dicitur, nullus jam Epiſcopus remanſiſſe in ſtatu veritatis invenitur.

325. „ Obteſtor ergò, ut conſtanter ac „ ſine præjudicio ſervetis, ſicut accepiſtis, „ Eccleſias, & nihil ſibi in vobis hæc tentatio diabolicæ uſurpationis adſcribat: State fortes, ſtate ſecuri, ſcriptaque cum univerſalis nominis falſitate nec dare unquam, „ nec ſuſcipere præſumatis; omnes Epiſcopos curæ veſtræ ſubjectos ab hujus elationis inquinatione prohibete, ut univerſæ „ vos Eccleſiæ Patriarchas non ſolùm in bonis operibus, ſed etiam in veritatis auctoritate cognoſcant: ſi quà autem forſan adverſa ſubſequuntur, unanimiter perſiſtentes, etiam moriendo debemus oſtendere; „ quia in damnando generalitatis nomine „ noſtrum ſpecialiter aliquid non amamus. „ Dicamus cum Paulo: *Mibi vivere Chriſtus eſt, & mori lucrum*. Audiamus quod primus omnium Paſtorum dicit: *Si quid patiamini propter juſtitiam, beati eritis*. Mihi „ enim credite, quia honorem, quem pro „ prædicanda veritate ſuſcepimus, ſi neceſſitatis cauſa exigat, ſecuriùs pro eadem „ veritate relinquimus quàm tenemus. Pro „ me autem, ſicut veſtram chariſſimam beatitudinem decet, orate, ut hoc quod vobis loqui audeo, operibus oſtendam. *Hactenus B. Gregorius*.

326 Dùm verò hæc ageret Gregorius, ut ſuperbia Joannis coerceretur, factum eſt, ut juſto Dei judicio Joannes ipſe ex hac vita ſublatus incideret in ejuſdem Dei viventis manus, ad extremum præfati anni, cùm ſediſſet annos decem, ab Anno nimirum DLXXXVI. ad Annum uſque DXCVI. Nicephorus verò lib. 18. Hiſtor. cap. 34. ſediſſe ſcribit annos treſdecim: *Tum verò*, inquit, *Herarcha Vrbis Conſtantinopolitanæ Joannes poſt Epiſcopatus ſui annos treſdecim ex hac vita deceſſit*. Laudatur ab eodem Nicephoro propter incredibilem illius abſtinentiam, & erga pauperes largitatem, illudque permaximè celebrat, quòd propter ſuam erga pauperes affectionem, plurimis ab Imperatore Talentis mutuò ſumptis, Syngrapham illi dederit, qua ſubſtantiam ſuam mutuæ pecuniæ tanquam hypothecam appoſuit atque impignoravit. Subjungit inde agens de Mauritii geſtis poſt Joannis obitum, inquiens „ At poſtquàm is è vita migravit, Mauritius Antiſtitis facultates requirens, paupertatem „ eum magnoperè conſectatum fuiſſe comperit; eumque de virtute tanta admiratus, „ Syngrapham ſtatim diſcerpſit, & Lectulum „ tantùm ligneum, qui in bonis ejus repertus eſt, & amiculum laneum tenue admodùm, necnon penulam quandam deformem „ (fuerat namque Joannes malè veſtitus, frugalitate vitæ conſpicuus) in Aulam Imperialem inferri juſſit, eaque rebus omnibus „ prætulit; & jejuniorum ſolemni tempore „ deinceps, lectis ex auro & lapillis pretioſis „ concinnatis, ſericiſque veſtibus & aliis Imperialibus deliciis vale dicto, ligneo Præſulis ejus thoro noctibus totis uſus eſt, „ gratiam quandam divinam ex eo ſe conſecuturum exiſtimans. *Hactenus Nicephorus*. Ex hoc enim Mauritii exemplo univerſus Populus Joannem pro Sancto venerari cœpit, & inter Sanctos à ſuis receptus eſt & connumeratus Græcis. Sed quàm falsò, liquet, quoniam extra communionem Eccleſiæ Catholicæ deceſſit, extra quam ſalus eſſe non poteſt; undè meritò Beatus Gregorius inſtar Samuelis lugentis Saulem, luctum fecit in Joannem.

327 Itaque poſt Joannis obitum, non ſtatim, verùm elapſo tempore ſubſtitutus eſt Cyriacus œconomus, vir quidèm optimi nominis, qui ſimul ac Regiæ Civitatis Epiſcopalem Thronum conſcendit, mox ad promerendam catholicam communionem à Romano Pontifice, duos miſit Romam ad Gregorium Legatos, Georgium Presbyterum & Theodorum Diaconum, datis per eos ad eundem Gregorium literis, unà cum ſuæ fidei profeſſione in eis inſerta. At Gregorius & honorificè Legatos ſuſcepit, & gratanter profeſſionem fidei recepit, utpotè in omnibus catholicæ fidei conformem; cui & reſcripſit, remittens quoque ſuæ & Eccleſiæ Romanæ fidei profeſſionem, ut conſtat ex lib. 6. Epiſt. 4. in qua Epiſtola inter alia ſcribit: „ Præterea „ Epiſtolas veſtras directas plenas fide ſuſcepimus, atque omnipotenti Deo gratias „ agimus, qui inconſutilem tunicam deſuper „ contextam, videlicet Eccleſiam ſuam vicarià confeſſione fidelium in unitate gratiæ „ ab omni erroris ſciſſione cuſtodit, & contra pereuntis Mundi, ut ita dicam, tot „ culparum diluvium, ex multis lignis Arcam conſtruit, in qua omnipotentis Dei „ electi ſerventur ad vitam. Nam cùm viciſſim vobis fidei noſtræ confeſſionem tranſmittimus, & charitatem noſtram erga vos „ oſtendimus, quid aliud in ſancta Eccleſia „ agimus, niſi Arcam bitumine linimus, nè „ unda erroris intret, & vel ſpiritales quoſque „ tanquam homines, vel carnales tanquam „ animalia occidat?

328 Poſt hoc ad pacem ſervandam invitat, quam ſervari minimè poſſe conteſtatur, niſi prophanum univerſalis nomen abjiciatur: „ Sed cùm ſapienter, *ſubjungit*, à vobis recta fides prolata ſit, reſtat, ut proculdubiò debeatis pacem cordium prudentiùs „ cuſtodire, propter hoc quod veritas dicit: „ *Habete ſal in vobis, & pacem habete inter vos.*

„ *vos*. Et Paulus Apoſtolus admonet, dicens: „ *Solliciti ſervare unitatem ſpiritus in vinculo* „ *pacis*. Qui rursùs ait: *pacem ſequimini cum* „ *omnibus & ſanctimoniam, ſine qua nemo vi-* „ *debit Deum*. Quam videlicet pacem tunc „ nobiſcum veraciter habebitis, ſi prophani „ nominis ſuperbiam declinetis, juxta quod „ idem Magiſter Gentium dicit: *O' Timothee* „ *depoſitum cuſtodi devitans prophanas vocum* „ *novitates*. Nimis quippe iniquum eſt, ſi hi, „ qui Predicatores hujus veritatis facti ſunt, „ de vani nominis elatione glorientur, cùm „ verus Prædicator dicat: *Mihi autem abſit* „ *gloriari, niſi in Cruce Domini noſtri Jeſu* „ *Chriſti*. Ille ergò verè glorioſus eſt, qui „ non de temporali potentia, ſed pro Chri- „ ſti nomine de ſua paſſione gloriatur. In „ hoc itaque vos medullitùs amplectimur. „ In hoc Sacerdotes vos eſſe recognoſcimus, „ ſi repulsâ vanitate verborum ſanctitatis lo- „ cum cùm ſancta humilitate teneatis. *Hæc & alia ejuſdem argumenti ibi*. Cùmque interea & alias literas ejuſdem Cyriaci accepiſſet, qua ſe infirmum profitebatur ad illius Eccleſiæ regimen, reſcripſit iterùm Gregorius, ut habetur eodem lib. 6. Epiſt. 5. laudans ipſum de ſua humilitate, & hortans ad pacem ſanctæ Eccleſiæ conſervandam.

329 Inter has verò reciprocas literas non omiſit Gregorius cautum reddere Sabinianum reſponſalem ſuum, nè cùm Cyriaco Miſſarum ſolemnia celebraret, ſi ab uſu prophani Epiſcopi univerſalis nomine non ſe contineret. Sed cùm eo uti vellet Cyriacus, ſecutus deceſſoris ſui veſtigia, paruit Sabinianus Gregorio, & à communicando cum Cyriaco ſe abſtinuit. Cùmque hæc reſcirent Epiſcopi Alexandrinus, & Antiochenus, Eulogius & Anaſtaſius, reſcripſerunt Gregorio, non ſibi æquum videri pro re tàm levi Eccleſiam Dei ſcindi, nomenclaturam Epiſcopi univerſalis rem eſſe parvi momenti, ſciſſuram verò Eccleſiæ maximè conſiderandam. Quibus Beatus Gregorius, ut habetur lib. 6. Epiſt. 31. his verbis reſpondit: „ Charitas, qua vobis valdè conſtrictus ſum, tacere me minimè per- „ mittit, ut Sanctitas veſtra, quæcumque „ apud nos aguntur, agnoſcat, & falſis rumo- „ ribus non decepta, ſuæ juſtitiæ atque re- „ ctitudinis viam, ſicut perfectè cœpit, per- „ fectiùs teneat. Reſponſales ſiquidèm fra- „ tris & Coepiſcopi noſtri Cyriaci venien- „ tes, ejus ad me Synodicam detulerunt Epi- „ ſtolam. Et quidèm inter nos & ipſum, ſicut „ veſtra Beatitudo novit, propter appellatio- „ nem prophani nominis eſt gravis diſcordia. „ Sed in cauſa fidei tranſmiſſos reſponſales „ ejus exiſtimavi eſſe ſuſcipiendos, nè culpa „ elationis, quæ in Conſtantinopolitana Ec- „ cleſia penè contra omnes Sacerdotes exor- „ ta eſt, diſſenſionem fidei & rixam Eccle- „ ſiaſticæ faceret unitati. Eoſdem verò re- „ ſponſales, quia hoc omninò humiliter pre- „ cabantur, Miſſarum ſolemnia mecum cele- „ brare feci, quia ſicut & Sereniſſimo Impe- „ ratori noſtro intimare ſtudui, reſponſales „ fratris & Cõſacerdotis noſtri Cyriaci mihi „ cõmunicare debuerunt, quia, auctore Deo, „ in elationem erroris non cecidi. Meus verò „ Diaconus cum prædicto fratre noſtro Cy- „ riaco Miſſarum ſolemnia celebrare non de- „ bet; quia per prophanum vocabulum cul- „ pam ſuperbiæ aut commiſit aut ſequitur; „ nè ſi, quod abſit, procedit, ei in tali ela- „ tione poſito, vanitatem ſtulti nominis con- „ firmare videamur. Eundem verò fratrem „ admonere ſtudui, ut ſeſe à tali elatione „ corrigat; quia ſi hanc non correxerit, pa- „ cem nobiſcum nullo modo habebit. *Hæc ibi*. Sed clariùs & fortiùs, ut liquet ex eodem lib. 6. Epiſt. 24. ſcripſit in literis datis ad Anaſtaſium Epiſcopum Antiochenum, quas integras recenſemus: ſuntque tenoris ſequentis.

Gregorius Anaſtaſio Epiſcopo Antiocheno.

330 „ Deſideratam ſuaviſſimæ veſtræ „ Sanctitatis Epiſtolam communi filio meo „ Sabiniano Diacono referente, ſuſcepi, in „ qua non linguæ, ſed animæ verba proflue- „ bant. Et non mirum, ſi benè loquitur qui „ perfectè vivit. Quia enim per Magiſtrum „ Spiritum in ſchola cordis præcepta vitæ „ didiciſtis terrena cuncta deſpicere, ad Cœ- „ leſtem patriam feſtinare, quantùm vos in „ bono profeciſtis, tantùm bona etiam de „ aliis ſentitis. Dùm verò in ſcriptis veſtræ „ Beatitudinis multa de me dici laudabilia „ audirem, intellexi ſtudium, quia comme- „ morare voluiſtis, non quid ſum, ſed quid „ eſſe debeam. Illud verò quod me dicitis „ morum meorum debere reminiſci, & ma- „ ligno ſpiritui quærenti animas cribare, pro „ nulla cauſa locum dare; ego quidèm me „ ſemper malis moribus fuiſſe recolo, atque „ eoſdem in me mores, ſi poſſum, vincere ac „ delere ſummoperè feſtino. Si tamen, ut „ vos creditis, aliquid boni habui, in omni- „ potentis Dei adjutorio confido, quia obli- „ tus non ſum. Sed Sanctitas veſtra, ut vi- „ deo, in præmiſſis verbis dulcedinis, & ſub- „ ſequenti hoc verbo Epiſtolam ſuam api eſſe „ ſimilem voluit, quæ mel ſimul & aculeum „ portat, ut me & melle ſatiaret & aculeo „ pungeret. Sed inter hæc ego ad meditan- „ dam Salomonis vocem redeo: *Quia melio-* „ *ra ſunt vulnera diligentis, quàm inimici blan-* „ *dientis oſcula*.

331 „ Quod verò dicitis pro nulla cauſa „ dare nos locum ſcandalo debere, hæc mihi „ & piiſſimus Dominus filius noſter, pro cu- „ jus vita inceſſanter orandum eſt, jam ſæ- „ piùs ſcripſit. Et quod ille ex poteſtate, „ ſcio quia hoc vos ex amore dicitis. Nec

,, miratus ſum, vos in veſtris Epiſtolis Imperialia verba poſuiſſe, quia habent inter ſe ,, maximam cognationem amor & poteſtas. ,, Nam utraque principaliter præſunt, utraque per auctoritatem ſemper loquuntur. ,, Et quidèm in ſuſcipienda fratris & Conſacerdotis noſtri Cyriaci Synodicâ Epiſtolâ ,, dignum non fuit, ut pro cauſa prophani ,, vocabuli moras facerem, nè unitatem ſanctæ Eccleſiæ perturbarem, ſed tamen de ,, eodem ſuperſtitioſo & ſuperbo vocabulo ,, eum admonere ſtudui, dicens: quia pacem ,, nobiſcum habere non poſſet, niſi elationem ,, prædicti verbi corrigeret, quam primus ,, Apoſtata invenit.

332 ,, Vos tamen eandem cauſam nullam eſſe dicere non debetis, quia ſi hanc ,, æquanimiter portamus, univerſæ Eccleſiæ ,, fidem corrupimus. Scitis enim quanti non ,, ſolùm hæretici, ſed etiam hæreſiarchæ de ,, Conſtantinopolitana Eccleſia ſunt egreſſi. ,, Et ut de honoris veſtri injuria taceam, ſi ,, unus Epiſcopus vocatur univerſalis, univerſa Eccleſia corruit; ſi unus, univerſus ,, cadit. Sed abſit hæc ſtultitia, abſit hæc ,, levitas ab auribus meis. In omnipotente ,, autem Domino confido, quia quod promiſit, citiùs impleturus eſt: *Omnis, qui ſe* ,, *exaltat, humiliabitur*. Hæc occupatus in ,, multis, ad Epiſtolarum veſtrarum dicta in ,, brevitate reſpondi: Nam quæ modò loqui ,, per ſcripta non debeo, in animo ſignata ,, manent. Peto, ut me Beatitudo veſtra in ,, ſuis ſanctis orationibus ſemper ad memoriam reducat, quatenùs à malis me temporalibus & æternis veſtræ interceſſiones eripiant. Pro Sereniſſimo autem Domino Imperatore ſtudioſè & ferventer orate, quia ,, valdè eſt ejus vita Mundo neceſſaria. Ceſſo autem ampliùs dicere, quia & vos non ,, dubito ſcire. *Hactenus Gregorius*, qui novis literis, à Cyriaco ad eum datis, receptis, reſpondit Sanctus Pontifex, ut habetur lib.6. Epiſt.28.ad hoc, ut pax Eccleſiæ conſervetur, & ſcandala multorum auferantur, opus eſſe, ut ſe omninò ab uſu prophani vocabuli abſtineat; ſeque Anatolium, revocato Sabiniano, Apocriſarium apud Imperatorem mittere, cui in mandatis dediſſe, ut ei ſatisfaceret; ſic verò ſe habent literæ.

Gregorius Cyriaco Epiſcopo Conſtantinopolitano.

333 ,, Scripta Beatitudinis veſtræ ſuſcepimus, quæ nobis non linguæ, ſed animæ ,, verba loquebantur. Aperiebant etenim ,, mentem, quæ tamen mihi clauſa non erat, ,, quia per me metipſum ſuavitatis ipſius experimentum tenebam, Undè omnipotenti ,, Deo inceſſanter gratias refero, quia ſi erga ,, nos in corde veſtro virtutum mater Charitas permanet, bonorum operum ramos ,, nunquam amittitis, quia ipſam bonitatis ,, radicem tenetis.

334 ,, Oportet ergò, ut mihi atque omnibus fratribus veſtris ejuſdem charitatis ,, pulchritudinem in hoc primùm opere monſtretis, ut verbum ſuperbiæ, per quod grave ſcandalum in Eccleſiis generatur, auferre feſtinetis, hoc modis omnibus implentes ,, quod ſcriptum eſt: *Sollicíti ſervare unitatem ſpiritus in vinculo pacis*. Et rursùs: ,, *Nullam occaſionem dare adverſario maledicti gratià*. Tunc enim oſtenſa charitas vera ,, eſt, ſi per typhum ſuperbiæ inter nos ſchiſma non fuerit. Ego enim Jeſum teſtem invoco in anima mea, quia à ſummo uſque ,, ad ultimum nulli hominum dare ſcandali ,, occaſionem volo. Omnes magnos eſſe & ,, honorabiles cupio, quorum tamen honor ,, honori omnipotentis Dei non detrahat; ,, nam quiſquis ſe contra Deum honorari appetit, mihi honorabilis non eſt.

335 ,, Sed ut cognoſcatis quam erga veſtram Beatitudinem habeam voluntatem, ,, dilectiſſimum filium meum Anatolium Diaconum ad piiſſimorum Dominorum veſtigia tranſmiſi, qui eorum pietati ac veſtræ ,, fraternitati ſatisfaciat, quia nulli in hac ,, cauſa nocere appeto, ſed humilitatem Deo ,, placitam & Sanctæ Eccleſiæ concordiam ,, cuſtodire. Et quia hoſtis omnipotentis Dei ,, Antichriſtus juxta eſt, ſtudioſè cupio, nè ,, proprium quid inveniat, non ſolùm in ,, moribus, ſed etiam nec in vocabulo Sacerdotum.

336 ,, Ea ergò, quæ novo modo introducta ſunt, ipſo ordine, quo illata ſunt, ,, auferantur, & pax nobis illibata in Domino permanebit. Nam, quæ erit inter nos ,, dulcedo, quæ charitas, ſi nosmetipſos voce refovemus, & rebus pungimur? Hoc ergò veſtra Sanctitas agat, ut bona, quæ dicitis, nos in cordis medulla ſentiamus; ,, quatenùs dùm in unanimitate corda fuerint Sacerdotum, pro piiſſimorum Dominorum vita deprecantes, tantò citiùs exaudiri meremur, quantò & orationes veſtras ante Dei oculos pax illuminat, & diſcordiæ macula non obſcurat. *Hactenus ad Cyriacum Gregorius*.

337 At Imperator Mauritius cauſam Cyriaci fovens, quaſi indignatus adversùs Gregorium, quòd reprehenderit Cyriacum, datis ad eum literis, admonet priùs, ut Cyriaci reſponſales citiùs remittat, indeque eum reprehendit, quòd indiſcretè ſe egerit in cauſa Cyriaci; cui Sanctus Pontifex per alias literas ſuas, quæ habentur lib.6. Epiſt.30. ſatisfacere conatur, refellens quæ pro Cyriaci cauſa Imperator adduxerat. Sunt autem literæ ſequentes.

Gre-

Gregorius Mauritio Auguſto.

338 „ Dominorum pietas provida, nè „ quid fortaſsè ſcandali in unitate Sanctæ „ Eccleſiæ ex Sacerdotum diſſenſione gene- „ rari potuiſſet, ſemel ac bis me admone- „ re dignata eſt, ut reſponſales fratris & „ Conſacerdotis mei Cyriaci benignè ſuſci- „ perem, eoſque ad remeandum citiùs rela- „ xarem. Et licèt, piiſſime Domine, aptè „ & providè cuncta præcipiatis, ego tamen „ invenio, quia eorum judicio indiſcretus „ eſſe ex hac tali admonitione reprehendor. „ Numquidnam, ſi ex ſuperbo ac prophano „ vocabulo meus non in modico eſt animus „ vulneratus, tantæ indiſcretionis eſſe potui, „ ut neſcirem quid unitati fidei, quid con- „ cordiæ Eccleſiaſticæ deberem, & fratris mei „ Synodicam Epiſtolam ſuſcipere, cujuslibet „ cauſæ amaritudine interveniente, recuſa- „ rem? Abſit hoc. Nimis mihi fuerat deſi- „ puiſſe ſic ſapere.

339 „ Aliud namque eſt quod conſer- „ vandæ unitati fidei, atque aliud quod de- „ bemus comprimendæ elationi. Diſtinguen- „ da ergò erant tempora, nè prædicti fratris „ mei ex quolibet articulo charitas turbare- „ tur. Undè & reſponſales ejus cum magno „ affectu ſuſcepi. Quidquid debui, charita- „ tis exhibui, meliùſque eos, quàm con- „ ſuetudo priſca fuerat, honoravi, & mecum „ feci eos ſacra Miſſarum ſolemnia celebrare; „ quia ſicut meus Diaconus ad exhibenda „ ſancta myſteria illi non debet miniſtrare, „ qui elationis culpam aut commiſit, aut „ commiſſam ab aliis ipſe non corrigit, ità „ Miniſtri illius in celebratione Miſſarum „ mihi adeſſe debuerunt, qui, cuſtodiente „ Deo, in ſuperbiæ errorem non cecidi. Eun- „ dem verò fratrem & Conſacerdotem meum „ ſtudiosè admonere curavi, ut ſi habere pa- „ cem omnium, concordiamque deſiderat, „ ab ſtulti vocabuli ſe appellatione com- „ peſcat.

340 „ De qua re mihi in ſuis juſſionibus „ Dominorum pietas præcepit, dicens, ut „ pro appellatione frivoli nominis inter nos „ ſcandalum generari non debeat. Sed rogo, „ ut Imperialis pietas penſet, quia alia ſunt „ frivola valdè innoxia, atque alia vehemen- „ ter nociva. Numquid non cùm ſe Anti- „ chriſtus veniens, Deum dixerit, frivolum „ valde erit? Sed tamen nimis pernicioſum. „ Si quantitatem ſermonis attendimus, duæ „ ſunt ſyllabæ. Si verò pondus iniquitatis, „ univerſa pernicies. Ego autem fidenter „ dico, quia quiſquis ſe univerſalem Sacer- „ dotem vocat, vel vocari deſiderat, in ela- „ tione ſua Antichriſtum præcurrit, quia „ ſuperbiendo ſe cæteris præponit.

351 „ Nec diſpari ſuperbiâ ad errorem „ ducitur, quia ſicut ille perverſus Deus vi- „ deri vult ſuper omnes homines, ita quiſ- „ quis iſte, qui ſolus Sacerdos appellari ap- „ petit, ſuper cæteros Sacerdotes ſe extol- „ lit. Sed quoniam veritas dicit: *Omnis, „ qui ſe exaltat, humiliabitur*; Scio quia quę- „ libet elatio tantò citiùs rumpitur, quantò „ ampliùs inflatur. Illis ergò pietas veſtra „ præcipiat, nè quod per appellationem fri- „ voli nominis ſcandalum gignant, qui in ſu- „ perbiæ typhum ceciderunt. Nam peccator „ ego, qui, auctore Deo, humilitatem teneo, „ admonendus ad humilitatem non ſum. Om- „ nipotens autem Deus Sereniſſimi Domini „ noſtri vitam & ad pacem Sanctæ Eccleſiæ, „ & ad utilitatem Reipublicæ Romanæ, per „ tempora longa cuſtodiat. Certi etenim ſu- „ mus, quia ſi vos vivitis, qui Cœli Domi- „ num timetis, nullam contra veritatem ſu- „ perbiam prævalere permittetis. *Hæc ad Mauritium Gregorius*. Sed fruſtrà hæc omnia, in ſua pertinacia confirmato Cyriaco, favente Principe.

CAPUT VIII.

De Mauritii nece, Phocæ aſſumptione, & ejuſdem Phocæ auctoritate ſedato ſchiſmate.

342 CUrrente Anno Dñi DCII. Pontificatus Gregorii Anno XIII., qui fuit Annus Imperii Mauritii XVII. inchoatus, Indictione v. ipſe Mauritius militari ſeditione captus, & indè unà cum filiis necatus eſt, acclamato per eoſdem ſeditioſos Milites in ejus ſucceſſorem Phocâ, Cohortis cujuſdam Centurione, viro audaci & ſtrenuo, quem Imperatorem crearunt. Hiſtoria verò hujus compendiosè deſcribitur à Gregorio Turonenſi lib. 11. cap. 1. his verbis: „ In no- „ mine Domini Dei & Salvatoris noſtri Jeſu „ Chriſti per Indictionem ſextam (*ſupple „ quintam*) Die vigeſima tertia menſis No- „ vembris, temporibus Domini & Beatiſſi- „ mi Papæ Gregorii coronatus eſt Phoca & „ Leontia Auguſta Septimo in Palatio, quod „ dicitur Secundianas, & occiſus eſt Mau- „ ritius Imperator cum omnibus filiis ſuis „ maſculis, ideſt, Theodoſio jam coronato, „ Tiberio, Petro, Paulo, & Juſtiniano, ſimul „ & Petro fratre ſupraſcripti Mauritii Au- „ guſti. Sed & aliqui Procerum, qui ei co- „ hærebant, ideſt, Conſtantius Patricius & „ Curator, & Placidus, ſed & Georgius No- „ tarius Principis. *Hactenus Turonenſis*.

343 Auctores Græci, Theophanes ſcilicet, Cedrenus, Nicephorus, Zonara, & alii, quos Beda eſt ſecutus, ſcribunt, Mauritium perveniſſe ad Annum uſque ſui Imperii vigeſimum; verùm Evagrius lib. 5. cap. 23. qui eâ ætate fuit, & geſtà ſui temporis accuratè deſcribit, rationemque temporum permaximè

mè obſervat, prout ipſemet teſtatur, ſolùm Annos XVI. & paucos menſes Mauritii tribuit Imperio: „ Ut autem, *inquit*, ordi-„ nem temporum accuratiſſimè complecta-„ mur, intelligendum eſt, Juſtinum junio-„ rem per ſe ſolùm ad Annos XII. & menſes „ decem cum dimidio regnaſſe, atque unà „ cum Tiberio ad annos tres & undecim „ menſes, totumque tempus Regni ſui an-„ nos ſexdecim & menſes novem cum dimi-„ dio complexum eſſe. Regnavit autem Ti-„ berius per ſe ſolùm annos quatuor, cum „ Juſtino autem tres & menſes undecim. *Hæc Evagrius*. Undè ſubjungit Eminentiſs. Baronius: „ Sic igitur, dùm numerat ab obitu „ Juſtiniani Imperatoris, cui Juſtinus ſuc-„ ceſſit; cùm conſtet Juſtinianum Idibus No-„ vembris diem objiſſe Anno Domini quin-„ genteſimo ſexageſimo quinto, atque teſte „ eodem Evagrio, imperaſſe annos triginta „ octo & menſes octo, ſicque objiſſe anno „ Redemptoris quingenteſimo ſexageſimo „ quinto: His ſi addas annos decem & ſe-„ ptem minùs menſe uno cum dimidio, qui-„ bus imperavit Juſtinus, pervenies ad An-„ num Domini quingenteſimum octuageſi-„ mum ſecundum: His junges quatuor, qui-„ bus ſolùm regnaſſe Tiberium, idem Eva-„ grius tradit, pervenies ad Annum Domini „ quingenteſimum octuageſimum ſextum; à „ quo tempore incipe numerare annos Mau-„ ritii uſque ad præſentem annum, utique „ non ampliùs, quàm annos ſexdecim & tres „ menſes reperies. *Hæc Baronius in ter-„ minis*.

344 Juſto Dei judicio periiſſe Mauritium, Hiſtorici omnes fatentur: Sed quænam fuerint ejus gravia crimina, ob quæ talia meruerit, ex dictis colligi poſſunt, nimirum, quòd ſpreverit Sanctum Gregorium Magnũ, quòd leges contra Eccleſiaſticam libertatem atque immunitatem tulerit, & quòd foverit Joannem & Cyriacum Epiſcopos, nomen Epiſcopi univerſalis ſibi uſurpantes. His addunt, quòd avaritiâ ſuâ, nè vili pretio multa Chriſtianorum millia ſub poteſtate Chajani in captivitate detenta, redimeret, permiſerit à barbaro Rege crudeliter necari. Hoc factum in ſua Miſcella recenſet Theophanes, ubi enarratâ victoriâ Chajani Avarorum Regis adversùs Chriſtianos partâ, & quomodò depopulatâ Driziparâ Civitate Reliquias Sancti Martyris Alexandri prophanaverit, recenſitâ Divinâ vindictâ in eum ob tale ſcelus, ſubjungit de Legatione ad eum à Mauritio miſsâ, & de petitione pretii factâ à Chajano pro reddendis Captivis, inquiens: „ At „ verò Senatus rogabat Cæſarem, ut Lega-„ tionem ad Chajanum mitteret. Imperator „ autem Armazonem miſit ad Chajanum „ cum multis muneribus Driziparam, qui „ verbis mitibus blandiretur. At ille nolebat „ dona ſuſcipere, lamento intolerabili filio-„ rum morte detentus: (*Septem enim filii „ ejus uno die obierunt, immiſsà peſtilentià in „ ſuos, propter prædicti Martyris per eum pro-„ phanatas Reliquias*.) Dicebat autem ad „ Legatum: Judicet Deus inter me & te, & „ Imperatorem Mauritium. Ego verò Ca-„ ptivos ei reddo, per unam animam unum „ numiſma percepturus ab eo. Mauritius au-„ tem id dare minimè paſſus eſt. Verùm Cha-„ janus petiit per ſingulas animas unum ac-„ cipere nummum. At Imperator nec ſic da-„ re conſenſit, ſed nec in quatuor ſiliquis. „ Tùm Chajanus commotus furore, omnes „ occidit, & ad propria rediit. *Hæc Theo-„ phanes*.

345 Varia quoque prodigia viſa ſunt prenotantia infœlicem Mauritii caſum, à diverſis recenſita Scriptoribus. Euluſius in Vita Theodori Siceotæ Epiſcopi Anaſtaſiopolitani apud Surium tom. 2. ſub die 22. Aprilis, refert ante obitum Mauritii, Theodoro in Monaſterio Beatæ Virginis Officia Divina cum Monachis perſolvente, lucernam, quæ in Sanctuario recens ædificato ſemper ardebat, extinctam fuiſſe, & licèt bis & ter accenſa fuerit, nequaquam accenſam remanſiſſe. Cujus rei admiratus Sanctus Epiſcopus, Monachos convocaſſe ſcribit, eoſque, habito ſermone, monuiſſe, ut ſi quis apud Deum peccaſſet, delictumque pœnitentiâ expiaret; nemine verò alicujus criminis reperto reo, ad Deum conſulendum Theodorum confugiſſe, ſubjungit; quo conſulto, apertoque divinitùs myſterio, hæc dixiſſe, ait: *Verè tu Iſaia naturam hominis expendiſti, cùm diceres: omnis homo fœnum, & omnis gloria ejus tanquam flos fœni; aruit fœnum, & flos ejus decidit*: „ Et „ cùm hæc loqueretur, *ſubjungit Auctor*, „ fratres rogabant eum, ut rem omnibus pa-„ tefaceret. Quibus cùm præcepiſſet, ut rem „ nemini indicarent, prædixit eis, quo mor-„ tis genere Mauritius Imperator eſſet inte-„ riturus. Fratribuſque meritò illi eventu-„ rum reſpondentibus ob ea, quæ improbè „ feciſſet. Sic ipſe quidèm, filii, inquit San-„ ctus Theodorus, morietur, ſed poſt eum „ multò deteriora contingent, quæ hæc ætas „ non expectat. *Hactenus Euluſius*.

346 Cedrenus verò ante annum Imperatoris necem hæc quoque præceſſiſſe narrat: „ Monachus quidam, *inquit*, cujus vitæ exer-„ citatio illuſtris erat, ſtrictum gladium te-„ nens à foro, uſque ad æneam portam pro-„ cucurrit, omnibus prædicens, Imperatorem „ gladio occiſum iri. Sed Herodianus Mau-„ ritio palàm, quæ ipſi eventura eſſent, de-„ nunciavit. *Hæc Cedrenus*, qui etiam affirmat, Populum Conſtantinopolitanum in Mauritii ludibrium Maurum quendam hominem, Mauritio ſimilem, ſuper Aſinum impoſuiſſe, & coronâ ex alliis confectâ coronaſſe, ac ſi Imperator eſſet, per Urbem duxiſſe, ſanniſque, jocis, ſcommatibus, ac ſibilis inſectatum

tum eum univerſum vulgus. Plura quoq; portenta è Cœlo viſa enarrat Nicephorus lib. 18. Hiſt. cap. 38. Quibus territus Mauritius, ad Deum cor ſuum direxiſſe commemorat, inquiens: „ Sic igitur eodem anno ultimo „ Mauritii Imperatoris ipſe ad ſe reverſus, „ recordatuſque Deum nihil clàm eſſe, eumque pro meritis cuique ſuis ſive bona, ſive „ mala tribuere, tùm quàm graviter peccaſſet, quòd Captivos redimere noluit, ex„ pediens eſſe cogitavit, ut in hac vita temporaneas, & non in futura æternas pœnas „ daret. Itaque libellos ſupplices ſcripſit ad „ omnes Patriarchas & Monachos in omnia „ Monaſteria, etiam Hieroſolymam miſit, ut „ à Deo peterent, ut ipſe de peccatis admiſ„ ſis, in hac vita, & non in futura pœnas lue„ ret. *Hæc Nicephorus*.

347 Porrò, cùm ei pronunciatum fuiſſet cavendum ab PH., ut Nicephorus ipſe ſubjungit, ſuſpicatus Imperator, nè proderetur à Philippo ſororis ſuæ viro, eum judicio ſiſti juſſit. Verùm in ſomniis admonitus ab ipſo Domino Ieſu Chriſto, à Phoca interimendus, ſi vellet in hac vita, & non in alia ſcelerum ſuorum pœnas luere; mutatâ ſententiâ, Philippum ad ſe accerſiri juſſit, ad cujus pedes pervolutus, veniam petiit de injuria ei illata. Apparuit quoque in Cœlo horribilis aſpectu Cometa, gladii formam habens, quę quaſi lingua cœleſtis, quæ eſſent ventura, prædiceret, ut habet idem Nicephorus. Cùm verò Legati ad conſulendos Sanctos, miſſi ad Mauritium, redirent, Magiſtrianum, unum ex ipſis, talia reſpondiſſe affirmat: *Probat Deus converſionem tuam, & animæ ſalutem concedit, teque, totamque familiam tuam collocat inter Electos, ſed Imperii cum dedecore jacturam patieris*. Quibus auditis, Mauritium laudes Deo dixiſſe, & gratias reddidiſſe, ait.

348 Concitatam ad extremum adverſùs Mauritium ſeditionem, his verbis Nicephorus tradit, nimirum: „ Inter hæc autem accidit, „ ut Petrus germanus Imperatoris literas ip„ ſius juſſu ad Exercitum mitteret, quibus „ juberet, ut trajecto Iſtro, Milites ibidem „ hyemarent. Quod cùm audiſſet Exercitus, „ commotus vehementer, ſeditionemque fa„ ciens de novo creando Imperatore, tumul„ tuosè agere incipiens, quem audacem ſci„ rent eſſe militem Phocam Centurionem, „ ſuper ſcutum elevantes acclamant, ſalu„ tantque Imperatorem. Ubi autem iſta in„ notuere Petro, mox Bizanzium veniens, „ certiorem de his reddidit Imperatorem; qui „ jam adventare ſentiens hoſtem, Navim con„ ſcendit cum liberis, & uxore; ſed tempe„ ſtate repulſus, vix periculum evaſit dela„ tus ad Sanctum Antonomum; eàdemque „ nocte podagræ dolores corripuere. Qui ve„ rò erant Conſtantinopoli contrariæ factio„ nis Praſini, occurrentes Phocæ, eundem „ plurimùm honoravere, perſuaſeruntque in „ Hebdom venire. Inter hæc accidit peti à „ populo adverſæ partis Theodoſium filium „ Mauritii Imperatorem. His Mauritius ad„ verſatus, timens ſibi germanus, in Deipa„ ræ, Cyri dictum, Templum aufugit; quò „ juſſus abſtrahi à Militibus, ſed tutatus eſt „ eum Populus. *Hæc Nicephorus*.

349 Deveniendo modò ad coronationem & unctionem Phocæ, Baronius ex Theophane ſic eam deſcribit: „ Cùm ſe contuliſſet, „ *inquit*, ad Septimum Phocas, facti ſunt illi „ obviam Patriarcha Conſtantinopolitanus, „ necnon & Senatores. Exegit verò ab eo „ Cyriacus Patriarcha, ex more, confeſſionem „ Catholicæ Fidei, promiſſionemque, quà „ polliceretur, juxta ritum, ſe Eccleſiam à „ diſſenſionibus conſervaturum immunem. „ Quibus peractis, idem Phocas in Eccleſia „ Sancti Joannis Baptiſtæ Inſignibus Impe„ ratoriis decoratur; ex quo facto clades „ provenit Imperii. Biduo poſt Phocas cur„ ru Imperatorio advectus, venit in Regiam. „ Quintâ verò die Leontiam conjugem ſuam, „ coronâ ei impoſitâ, Auguſtam nuncu„ pavit.

350 Deinde de Mauritii nece & filiorum ejus hæc alia ſubnectit: „ Cùm autem ex „ more priſtino in editione Spectaculorum „ Phocas totus eſſet, & in Circo de loci pre„ rogativa oborta contentio fuiſſet, Populus „ tumultuarius Mauritium appellavit, quòd „ nondùm mortuus eſſet. Movit res inexpe„ ctata invidiam Imperatoris, qui mox ex„ citatus, miſſis Militibus ad Mauritium, „ ad Portum Eutropii adduci juſſit; ubi an„ te oculos ejus juſſi ſunt necari quinque filii „ maſculi. Ad quæ ille altâ Philoſophiâ di„ xiſſe fertur illud Davidicum: *Juſtus es, Domine, & rectum judicium tuum*. Interea „ verò cùm Nutrix ſubtraxiſſet unum è nece, „ & pro illo filium ſuum offerret, id Mauri„ tius fieri vetuit, infantemque ſuum pro„ didit, qui viſus eſt è vulneribus lac dare „ cum ſanguine. Tandem verò ultimo loco „ Mauritius ipſe occiſus eſt, cùm ſe caſu ſu„ periorem in omnibus demonſtraſſet. Ho„ rum omnium abſciſſa capita, delata in cam„ pum juxta Tribunal, ad fœtorem uſque ibi „ permanſerunt, donec Phocas licentiam ea „ auferendi atque ſepulturæ mandandi, con„ ceſſit, quæ unà cum corporibus delata ſunt „ ad ſepulchrum S. Mamantis. *Hæc de Mauritii nece atque filiorum ejus, & Phocæ Imperio*.

351 Confirmato itaque Phocâ in Imperio Icones, ſuam, & uxoris ſuæ Lontiæ Romam miſit, perveneruntque ſeptimo Kalendas Majas, undè & ab univerſo Senatu, Populo, atque Clero, Romanus acclamatus eſt conſuetis acclamationibus, ut ſcribit Gregorius Turonenſis lib. 11. cap. 1., inquiens: „ Venit autem Icona ſupraſcriptorum Phocæ & „ Leontiæ Auguſtorum Romam ſeptimo Kalen-

,, lendas Maji, & acclamatum eſt eis in La-
,, teranis in Baſilica Julii ab omni Clero, vel
,, Senatu: *Exaudi Chriſte Phocæ Auguſto, &*
,, *Leontiæ Auguſtæ vitâ*. Tunc juſſit ipſam
,, Iconam Dominus Beatiſſimus & Apoſtoli-
,, cus Gregorius Papa reponi in Oratorio
,, Sancti Cæſarei Martyris intra Palatium.
Hæc Turonenſis. Porrò Sanctus Gregorius Papa acceptis literis de Phocæ inthronizatione, ad eum infraſcriptas fecit literas, quæ habentur lib. 11. Epiſt. 38. ſequentis tenoris, videlicet.

Gregorius Phocæ Auguſto.

352 ,, *Gloria in excelſis Deo*, qui juxta
,, quod ſcriptum eſt, *mutat tempora & tranſ-*
,, *fert Regna*. Et quia hoc cunctis innotuit,
,, quod per Prophetam ſuum loqui dignatus
,, eſt, dicens: *quia dominatur Excelſus in Re-*
,, *gno hominum, & cui voluerit ipſe dat illud*.
,, In omnipotentis quippe Dei incomprehen-
,, ſibili diſpenſatione alternatim vitæ morta-
,, lis ſunt moderamina, & aliquandò cùm in-
,, juſtorum multorum peccata ferienda ſunt,
,, unus erigitur, per cujus duritiam tribula-
,, tionis jugo ſubjectorum colla depriman-
,, tur, quod in noſtra diutiùs afflictione pro-
,, bavimus.

353 ,, Aliquandò verò, cùm miſericors
,, Deus mœrentium multorum corda ſua de-
,, crevit collatione refovere, unum ad regi-
,, minis culmen provehit, per cujus miſeri-
,, cordiæ viſcera in cunctorū mentibus exul-
,, tationis ſuæ gratiam infundit. De qua
,, exultationis abundantia roborari nos ci-
,, tiùs credimus, qui benignitatem veſtræ pie-
,, tatis ad Imperiale faſtigium perveniſſe gau-
,, demus.

354 ,, *Lætentur Cæli, & exultet terra*,
,, & de veſtris benignis actibus univerſæ Rei-
,, publicæ Populus nuncuſque vehementer
,, afflictus hilareſcat. Comprimantur jugo
,, Dominationis veſtræ ſuperbæ mentes ho-
,, ſtium. Releventur veſtrâ miſericordiâ con-
,, triti ac depreſſi animi ſubjectorum. Virtus
,, cœleſtis gratiæ inimicis terribiles vos fa-
,, ciat, pietas ſubditis benignos. Quieſcat
,, fœliciſſimis temporibus veſtris univerſa
,, Reſpublica, prolatâ ſub cauſarum imagine
,, prædâ pacis. Ceſſent teſtamentorum inſi-
,, diæ, donationum gratiæ violenter exactæ.
,, Redeat cunctis in rebus propriis ſecura
,, poſſeſſio, ut ſine timore habere ſe gaudeant
,, quæ non ſunt eis fraudibus acquiſita. Re-
,, formetur jam ſingulis ſub jugo Imperii pii
,, libertas ſua.

355 ,, Hoc namque inter Reges Gentium
,, & Reipublicæ Imperatores diſtat, quòd
,, Reges Gentium Domini ſervorum ſunt,
,, Imperatores verò Reipublicæ Domini li-
,, berorum. Sed meliùs hoc orando, quàm
,, ſuggerendo dicimus: Omnipotens Deus
,, in cuncta cogitatione & opere cor veſtræ
,, pietatis, ſuæ gratiæ manu teneat, & quæ-
,, que juſtè, quæque clementer agenda ſunt,
,, inhabitator veſtri pectoris Spiritus San-
,, ctus benignè diſponat, ut de temporali Re-
,, gno veſtra clementia poſt multorum anno-
,, rum curricula ad Cœleſtia Regna pertin-
gat. Datâ menſe Junii Indictione VI. *Hacte-nus Gregorius*.

356 Interea verò Phocas dedit ad Gregorium literas, quibus conqueſtus eſt, quòd nullum invenerit Conſtantinopoli ex more reſidere ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Apocriſarium. Etenim Anatolius, quem loco Sabiniani miſerat Gregorius, ibidem deceſſerat, nec alium ſubſtituerat Sanctus Pontifex, qui tamen acceptis Phocæ literis, ſelecto Bonifacio Diacono, ad tale munus exercendum Conſtantinopolim miſit; & datis ad Imperatorem literis, ſe excuſat ob temporis iniquitatem, cujus causâ nullus inventus eſſet, qui ejuſmodi Provinciam ſubire vellet; & ſimul de miſerando ſtatu Romanæ Eccleſiæ eum certiorem reddit. Extant literæ in Regeſto Sancti Gregorii lib. 11. Epiſt. 45. tenoris ſequentis,

Gregorius Phocæ Auguſto.

357 ,, Conſiderare cum gaudiis & ma-
,, gnis actionibus gratiarum libet, quantas
,, omnipotenti Domino laudes debemus,
,, quòd remoto jugo triſtitiæ, ad libertatis
,, tempora ſub Imperiali benignitatis veſtræ
,, pietate pervenimus. Nam quòd permane-
,, re in Palatio, juxta antiquam conſuetudi-
,, nem, Apoſtolicæ Sedis Diaconum veſtra
,, Serenitas non invenit, non hoc meæ ne-
,, gligentiæ, ſed graviſſimæ neceſſitatis fuit;
,, quia dùm Miniſtri omnes hujus noſtræ Ec-
,, cleſiæ tàm contrita, aſperaque tempora
,, cum formidine declinarent atque refuge-
,, rent, nulli eorum poterat imponi, ut ad
,, Urbem Regiam in Palatio permanſurus ac-
,, cederet. Sed poſtquàm veſtram Clemen-
,, tiam, omnipotentis Dei gratiâ diſponente,
,, ad culmen Imperii perveniſſe cognoverunt,
,, ipſi quoque, ſuadente lætitiâ, ad veſtra ve-
,, ſtigia venire feſtinant, qui priùs illuc acce-
,, dere valdè timuerant. Sed quia eorum qui-
,, dam ita ſenectute ſunt debiles, ut laborem
,, ferre vix poſſint, quidam Eccleſiaſticis cu-
,, ris vehementer implicantur, & lator præ-
,, ſentium, qui primus omnium defenſor fuit,
,, benè mihi ex longa aſſiduitate compertus
,, eſt vitâ, fide, ac moribus approbatus, hunc
,, aptum pietatis veſtræ veſtigiis judicavi.
,, Undè eum, auctore Deo, Diaconum feci,
,, & ſub celeritate tranſmittere ſtudui, qui
,, cuncta, quæ in his partibus aguntur, in-
,, vento opportuno tempore, valeat Clemen-
,, tiæ veſtræ ſuggerere.

358 ,, Propter quod rogo, ut Serenitas
ve-

„ veſtra ei pias aures inclinare dignetur, ut
„ tantò nobis valeat celeriùs miſereri, quantò
„ afflictionem noſtram veriùs ex ejus relatione
„ cognoverit. Qualiter enim quotidianis
„ gladiis, & quantis Longobardorum
„ incurſionibus, ecce jam per triginta quinque
„ annorum longitudinem premimur, nullis
„ explere vocibus ſuggeſtionis valemus,
„ ſed in omnipotente Domino confidimus,
„ qui quæ cœpit, conſolationis ſuæ nobis bona
„ perficiet; & qui ſuſcitavit in Republica
„ pios Dominos, etiam extinguet crudeles
„ inimicos. Sancta itaque Trinitas vitam
„ veſtrā per tempora longa cuſtodiat, ut
„ de bono veſtræ pietatis, quod tardè ſuſcepimus,
„ diutiùs gaudeamus. *Hactenus Gregorii ad Phocam literæ.*

359 Eodem tempore, ut captaret ſibi benevolentiam Leontiæ Auguſtæ, gratulatorias ei literas fecit pro Auguſtali adepta dignitate, per quas hortatur quoque eam ad fovendam Eccleſiam Romanam, eamque protegendam, allegato in exemplum zelo Pulcheriæ Auguſtæ, quæ propter defenſionem Eccleſiæ Romanæ, & Catholicæ Fidei, meruit in Chalcedonenſi Synodo Act.6. ejuſdem à Patribus cognominari *nova Helena*. Literę verò ejuſmodi, quæ recitantur lib. 11. Regeſti Epiſt.45. ad hunc modum ſe habent.

Gregorius Leontiæ Auguſtæ.

360 „ Quæ lingua loqui, quis animus
„ cogitare ſufficiat quantas de Serenitate veſtri
„ Imperii Omnipotenti Deo gratias debemus,
„ quòd tàm dura longi temporis pondera
„ cervicibus noſtris amota ſunt, & Imperialis
„ culminis leve jugum ſubiit, quod
„ libeat portare ſubjectis? Reddatur ergò
„ Creatori omnium ab Hymnidicis Angelorum
„ Choris gloria in Cœlo, perſolvatur
„ ab hominibus gratiarum actio in terra, quia
„ univerſa Reſpublica, quæ multa mœroris
„ pertulit vulnera, jam nunc conſolationis
„ veſtræ invenit fomenta. Undè nobis neceſſe
„ eſt omnipotentis Dei miſericordiam eniʼxiùs
„ exorare, ut cor veſtræ pietatis ſua
„ ſemper dextera teneat, ejuſque cogitationes
„ cœleſtis gratiæ ope diſpenſet; quatenùs
„ tranquillitas veſtra tantò rectiùs valeat
„ ſibi ſervientes regere, quantò Dominatori
„ omnium noverit veriùs deſervire.

361 „ In amore Catholicæ Fidei faciat
„ defenſores ſuos, quos fecit ex benigno
„ opere Imperatores noſtros. Infundat in veſtris
„ mentibus zelum ſimul & manſuetudinem,
„ ut ſemper pio fervore valeatis, &
„ quidquid in Deo exceditur, non inultum
„ relinquere, & ſi quid in vos delinquitur,
„ parcendo tolerare. Det vobis in veſtra
„ pietate Pulcheriæ Auguſtæ clementiam,
„ quæ pro zelo Catholicę Fidei in ſancta Synodo,
„ Helena nova vocata eſt. Omnipotentis
„ Dei miſericordia largiora vobis cum
„ piiſſimo Domino ſpatia vivendi concedat,
„ ut quò veſtra longiùs vita extenditur, ſubjectorum
„ omnium conſolatio validiùs confirmetur.

362 „ Rogare forſitan debui, ut Eccleſiam
„ Beati Petri Apoſtoli, quæ nuncuſque
„ gravibus inſidiis laboravit, haberet veſtra
„ tranquillitas ſpecialiter commendatam.
„ Sed quia ſcio, quia omnipotentem Deum
„ diligitis, non debeo petere quod ſpontè
„ ex benignitate veſtræ pietatis exhibetis.
„ Quantò enim plùs timetis Conditorem omnium,
„ tantò ampliùs ejus poteſtis Eccleſiam
„ amare, cui dictum eſt; *Tu es Petrus,*
„ *& ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam*
„ *meam; & portæ Inferi non prævalebunt adversùs eam.*
„ Et cui dicitur: *Tibi dabo claves*
„ *Regni Cœlorum; & quodcumque ligaveris*
„ *ſuper terram, erit ligatum & in Cœlo: &*
„ *quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in Cœlo.*
„ Undè vobis dubium non
„ eſt quàm forti amore ad eum vos ſtringitis,
„ per quem ſolvi ab omnibus peccatorum nexibus
„ deſideratis. Ipſe ergò ſit veſtri cuſtos
„ Imperii, ſit vobis protector in terra, ſit
„ pro vobis interceſſor in Cœlo, ut per hoc,
„ quod relevatis duris ponderibus in veſtro
„ Imperio ſubjectos gaudere facitis, poſt
„ multa annorum tempora in Cœleſti Regno
„ gaudeatis. *Hæc Gregorius ad Leontiam Auguſtam.*

363 Neque ſui muneris oblitus, per eundem Bonifacium Diaconum Apocriſarium ſcripſit ad Cyriacum Epiſcopum Conſtantinopolitanum, commendans utique præfatum Bonifacium, ſed ſimùl admonens, ut à prophano illo univerſalis Epiſcopi nomine utendo ſe abſtineat, ut pax inter eos conſtabiliri poſſet. Recitantur ejuſmodi literæ lib. 11. Epiſt.47., & ſunt.

Gregorius Cyriaco Patriarchæ Conſtantinopolitano.

364 „ Quanta ſit pacis virtus, chariſſime
„ frater, ex voce dominica diligentiùs intuentes,
„ quæ ait: Pacem relinquo vobis,
„ pacem meam do vobis; ita in ejus nos decet
„ dilectione perſiſtere, ut locum præbere
„ diſcordiæ nullo modo debeamus. Sed quia
„ in radice ipſius vivere aliter non valemus,
„ niſi mente & actu humilitatem, quam ipſe
„ Auctor pacis docuit, teneamus cum ea
„ charitate, qua dignum eſt, ſuademus, ut
„ prophanam elationem, quæ animabus ſemper
„ adverſa eſt, cordis pede calcantes, perverſi,
„ ſuperbique vocabuli ſcandalum Eccleſiæ
„ auferre de medio feſtinetis, nè à pacis
„ noſtræ ſocietate diviſi inveniri poſſitis.
„ Sed unus in nobis ſpiritus, una mens, una
„ charitas, una in Chriſto, qui ſua membra
„ eſſe nos voluit, ſit compago concordiæ.

365

365 „ Nam quàm durum, quàm indecens, quàm crudele, quàmque à ſacerdo-
„ tali propoſito ſit extraneum, pacem illam,
„ quam aliis prædicat, non habere, Sancti-
„ tas veſtra conſideret, & ſuos de ſuperbia
„ fratres ſcandalizare abſtineat. Sed hæc
„ magis ſtudeat, ut vanæ aut ſuperfluæ ela-
„ tionis Auctorem humilitatis queat enſe
„ proſternere, quatenùs ex ejuſmodi victo-
„ ria ſuum vos habitaculum Sancti Spiritus
„ gratia ſibi vindicet, & apertè impleatur in
„ vobis quod ſcriptum eſt: *Templum Dei*
„ *ſanctum eſt, quod eſtis vos*. Præſentium ve-
„ rò portitorem dilectiſſimum communem fi-
„ lium Bonifacium Diaconum vobis in om-
„ nibus commendamus, ut quocumque ne-
„ ceſſe fuerit ſolatia veſtræ, ſicut decet, inve-
„ niat ſanctitatis. *Hactenus ad Cyriacum Gregorius*.

366 Cęterùm diù, ac tanto cordis affectu, animique ardore optatam à Sanctiſſimo Pontifice pacem cum Cyriaco habere non potuit, qui in ſuperbia uſurpati tituli confirmatus, contemptis antefatis Gregorii monitionibus, eo uti nullatenùs deſtitit: quare Beatus Gregorius ad Superos evocatus, vivus in ſchiſmate remanſit Cyriacus. Deceſſit Beatiſſimus Pontifex IV. Idus Martias Anni Dñi DCIV. Imperii Phocæ II., ſui verò Pontificatus XIV. currente Indictione VII., cùm ſediſſet, ut ait Anaſtaſius, Annos XIII. menſes VI. dies verò X., cui poſt menſes quinque, & novendecim vacantis Sedis dies, Sabinianus, non Innocens, ut cum errore ſcribit Nicephorus, non tamen ſine tumultu, ut ex conſtituto Bonifacii ſucceſſoris liquet, ſubſtitutus eſt in ipſis Kalendis Septembris ejuſdem Anni DCIV., qui non diù Pontificatum tenuit. Etenim poſt annum, & menſes quinque & novendecim dies, XI. Kalendas Martias Anni Domini DCV., currente VIII. Indictione inter diras calamitates, quibus Roma premebatur, ultimum clauſit diem. Fuit enim tunc temporis fames in Civitate Romana, de qua Paulus Diaconus lib.4. cap.9. ſcribens, ait: *Fuit hyems frigida nimis, & emortuæ ſunt vites penè in omnibus locis, meſſeſque percuſſæ uredine paſſim evanuere*. Hunc porrò adverſatum fuiſſe Gregorio, ejuſque geſtis, quinimmò & ſcriptis, auctor eſt Honuphrius. Et denique propter ejus avaritiam à Deo percuſſum, ſcribit Sigibertus in Chronico. Itaque propter ejus vitæ brevitatem, & propter alias calamitates, ſub hujus Pontificatu nihil actum eſt in cauſa Cyriaci Epiſcopi Conſtantinopolitani.

367 Poſt Sabiniani obitum vacavit Sedes menſes XI. & dies XXVI., & inde renunciatus eſt Romanus Pontifex Bonifacius hujus nominis III. ex Diacono, filius Joannis, Romanus patriâ, qui à Sancto Gregorio, ut ſupra monuimus, poſt Anatolii obitum, petente Phocâ, miſſus fuerat Conſtantinopolim Apocriſarius ad eundem Phocam Imperatorem, creatus XV. Kalendas Martias Anni Domini DCIV. Phocæ Imperii IV. currente Indictione IX., ideò quòd gratus eſſet Imperatori, cum quo Conſtantinopoli uſque ad obitum Gregorii amicè vixerat. Cùm enim, ait Binius, quod etiam notat Baronius, tyrannicâ uſurpatione Imperatorum Orientalium (& certè à Juſtiniani tempore) oporteret ad electionem Cleri Romani accedere conſenſum Imperatoris, eum eligere ſtudebant, quem eidem gratum fore ſciebant. Proinde plurimi, qui officio & munere Apocriſarii functi fuerant apud Imperatores Orientales, electi fuere in Romanos Pontifices, ut ex ſupra recenſitis conſtat.

368 Hoc itaque regnante Pontifice, in exordio ſui regiminis, facta eſt Conſtantinopoli aliqua adversùs Phocam conjuratio, quam his verbis Theophanes recenſet: „ An-
„ no Imperii Phocæ quarto Scholaſticus Eu-
„ nuchus, vir glorioſus Palatii, Conſtanti-
„ nam Dominam olim Auguſtam conjugem
„ Mauritii Imperatoris cum tribus filiabus
„ ejus accipiens, ad magnam Eccleſiam con-
„ fugit, conſilio germani Patricii deſideran-
„ tis Imperium. Fit igitur ſeditio magna in
„ Urbe. Germanus autem Demarcheo Pra-
„ ſinorum Talentum auri miſit, ut coopera-
„ retur ei: Primores autem vulgi id admit-
„ tere voluerunt. At verò Tyrannus in Ec-
„ cleſiam ad abſtrahendum mulieres deſtina-
„ vit. Sanè Patriarcha Cyriacus tunc reſti-
„ tit Tyranno, minimè paſſus è Templo ty-
„ rannicè abduci mulieres. Verùm juramen-
„ tis certo eo reddito à Phoca, quòd non læ-
„ deret eas, educuntur è Templo, & clau-
„ duntur in Monaſterio. *Hæc Theophanes*. Ex quo facto Phocas in Cyriacum valdè exacerbatus eſt, quaſi ſeditioni fomenta præbuiſſet, nec rectis oculis deinceps aſpexit.

369 His intellectis Bonifacius, captâ opportunâ occaſione hujus diſſidii inter Principem & Cyriacum, cùm aliundè amicus eſſet Imperatoris, per literas, licèt non extent, Imperatorem interpellatus eſt, quatenùs ſuperbiam comprimeret, coerceretque Cyriaci, præciperetque, ut ab utendo nomine Epiſcopi univerſalis prorsùs ſe abſtineret. Id, quod libenter præſtitit Imperator, qui edito decreto, ſancivit, neminem, niſi Epiſcopum Romanum appellandum œcumenicum. Sic Anaſtaſius in vita Bonifacii per hæc verba: „ Hic
„ obtinuit apud Phocam Principem, ut Se-
„ des Apoſtolica Beati Petri Apoſtoli Caput
„ eſſet omnium Eccleſiarum, ideſt, Eccleſia
„ Romana, quia Eccleſia Conſtantinopoli-
„ tana primam ſe omnium Eccleſiarum ſcri-
„ bebat. *Hæc Anaſtaſius*. Paulus verò Diaconus lib.4. de Geſtis Lōgobardorum cap.11. veteris edit. eadem recenſet, inquiens: *Hic Phocas Imperator, rogante Papà Bonifacio, ſtatuit, Sedem Romanæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ pri-*

primam eſſe, cùm priùs Conſtantinopolitana ſe primam omnium haberet. Hoc ergò Principis decreto ſedata eſt controverſia, abolitumque ſchiſma à tempore Joannis Epiſcopi Conſtantinopolitani, ſub Pelagio Romano Pontifice primùm exortum. Et ſanè valdè obſervandum eſt, nullum hactenus Græcorum ſchiſma ſedatum, niſi Imperatorum Orientis interpoſitâ auctoritate. Tanta fuit Eccleſiaſticorum Græcorum ſuperbia, quòd vi tantùm coacti ſunt cedere, nullis ſuffragantibus rationibus.

CAPUT IX.

An Romanus Pontifex ſanctè & juſtè uti poſſit titulo Epiſcopi Eccleſiæ Univerſalis.

370 MOvetur hæc controverſia propter quoſdam criticos, alioſque Romanæ Eccleſiæ adverſarios, qui fulti auctoritate Pelagii & Gregorii in ſupra recenſitis literis, debacchantur Epiſcopum Romanum ſibi uſurpaſſe titulum Epiſcopi Eccleſię Univerſalis, eâdem de cauſa & Primatum ſuper univerſas Orbis Eccleſias. Quoniam ante Bonifacium III., & Phocæ decretum neminem eo vocabulo uſum aſſerunt, dicente Pelagio in Epiſt. VIII. *Nullus enim Patriarcharum hoc tam prophano vocabulo unquam utatur; quia ſi Summus Patriarcha univerſalis dicitur, Patriarcharum nomen cæteris derogatur*. Gregorius verò, ut habetur in recenſita Epiſtola data ad Joannem Epiſcopum Conſtantinopolitanum, quæ eſt 38. lib. 4. inter alia ſcribit: „ Numquid non ſicut fraternitas „ veſtra novit, per venerandum Chalcedonenſe Concilium hujus Apoſtolicæ Sedis „ Antiſtites, cui, Deo diſponente, deſervio, univerſales oblato honore vocati ſunt? „ Sed tamen nullus unquam tali vocabulo „ appellari voluit, nullus ſibi hoc temerarium nomen arripuit; nè ſi ſibi in Pontificatus gradu gloriam ſingularitatis arriperet, „ hanc omnibus fratribus denegaſſe videatur. *Hactenus Gregorius*, id, quod ſæpiùs repetit in aliis Epiſtolis, in quibus etiam præcurſorem Antichriſti appellat eum, qui hujuſmodi ſuperbiæ utitur, & elationis nomine.

371 His non obſtantibus, ſanctè & juſtè Pontificem Romanum poſſe uti hoc titulo Epiſcopi Univerſalis, ſive Epiſcopi Eccleſiæ Univerſalis, conſtantiſſimum eſt; cui enim commiſſa eſt cura totius Chriſti Gregis, univerſalis, ſive Eccleſiæ univerſalis, ſive totius Eccleſiæ Paſtor meritò appellari poteſt; & rectè commiſſam eſſe hujuſmodi curam Petro, & ex conſequenti univerſis ei ſuccedentibus, liquet ex textu Joannis cap. 21. dicente Domino Petro: *Paſce Oves meas, paſce Agnos meos*. Cujus rei cauſâ longè ante Gregorii & Bonifacii ætatem reperimus Romanos Pontifices eodem titulo uſos. Etenim legimus, Sixtum hujus nominis Primum, in Epiſtola ejus ſecunda datâ univerſis Eccleſiis, ſe ſcripſiſſe: *Sixtus Univerſalis Apoſtolicæ Eccleſiæ Epiſcopus*; qui tamen ſolo Anno Domini CXXXII. Pontificatum adeptus eſt. Zepherinus quoque, qui Sedem Pontificiam conſcendit Anno Domini CCIII. in quodam ſuo edicto lato in favorem pœnitentium, ſe Pontificem Maximum, & Epiſcopum Epiſcoporum intitulavit, ut auctor eſt Tertullianus in lib. de Pudicitia cap. 1., inquiens: *Audio etiam edictum propoſitum, & quidèm peremptorium, Pontifex ſcilicet Maximus, & Epiſcopus Epiſcoporum dicit: Ego & mœchiæ & fornicationis delicta pœnitentiâ functis dimitto*.

372 Deinde Victor Papa hujus nominis Primus, qui ſedere incœpit Ann. Dñi CXCIV. in Epiſtola data ad Alexandrinos, pariter eodem utitur titulo, inquiens: *Victor Romanæ ac univerſalis Eccleſiæ Archiepiſcopus*. Sic & Pontianus Pontifex de Anno CCXXXIII. in ſua Epiſt. 2. *Pontianus*, ait, *ſanctæ & univerſalis Eccleſiæ Epiſcopus*. Sic Stephanus hujus nominis Primus de Anno CCLVII. Epiſt. 2. datâ ad univerſos Epiſcopos, ſe ſcribit: *Stephanus ſanctæ Apoſtolicæ & univerſalis Romanæ Eccleſiæ Epiſcopus*. Ad hæc Sanctus Athanaſius, ſi Epiſtola genuina eſt, unà cum Epiſcopis Ægypti, ſcribens ad Marcum Papam, qui Pontificatum adeptus eſt Anno Chriſti CCCXXXVI. hoc eodem honoravit titulo: *Domino Sancto & Apoſtolici culminis venerando ſanctæ Romanæ & Apoſtolicæ Sedis, atque univerſalis Eccleſiæ Papæ*. Et ipſe eis reſpondens, ſe ſcribit: *Marcus ſanctæ Romanæ, Apoſtolicæque Sedis & univerſalis Eccleſiæ Epiſcopus*. Sed & Felix II., ſi pariter genuina eſt Epiſtola, ſcribens ad Epiſcopos in Alexandrina Synodo congregatos: *Felix*, inquit, *Almæ Romanæ Urbis & univerſalis Eccleſiæ Epiſcopus*. Et in Epiſtola ſecunda: *Felix ſanctæ & univerſalis Eccleſię Papa*.

373 Item Stephanus Epiſcopus Africanus cum univerſa Africana Synodo in Epiſtola Synodica datâ ad Damaſum Papam: *Beatiſſimo Domino*, ſcribunt, *& Apoſtolico culmine ſublimato Patri Patrum Damaſo Papæ, & Summo omnium Præſulum Pontifici*. At verò & idem Sanctus Leo in Epiſt. 54. ad Marcianum Auguſtum datâ, ubi Anatolii ſuperbiam damnat, ab eo non abhorret titulo, cùm ſe ſcribat: *Leo Epiſcopus Romanæ & univerſalis Eccleſiæ*. Et in Epiſt. 62. datâ ad Maximum Antiochenum, qua refutat Eutychetis & Neſtorii errores, ſe Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopum abſolutè appellat, ſcribens: *Leo Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus*. In Epiſtola quoque 65. datâ ad Eudociam Auguſtam, de Paſcha, utitur & eodem titulo, inquiens: *Leo Romanæ & univerſalis Eccleſiæ Epiſcopus*. Sic & in Epiſtola 97. datâ ad Leonem Auguſtum, ſcri-

ſcribit ; *Leo Romæ & univerſalis, Catholicæque Eccleſiæ Epiſcopus.*

374 Porrò in libellis diverſorum exhibitis Leoni, & univerſæ Chalcedonenſi Synodo, hoc eodem titulo honoratur Beatiſſimus Papa Leo: undè in libello Theodori Diaconi Eccleſiæ Alexandrinæ contra Dioſcorum exhibito, prout habetur Actione III. ejuſdem Synodi, dicitur: *Sanctiſſimo ac Dei amantiſſimo & univerſali Archiepiſcopo & Patriarchæ Magnæ Romæ Leoni.* In libello Iſchyrionis Diaconi pariter Alexandrini, ſimiliter adversùs Dioſcorum exhibito, præfixus eſt titulus; *Sanctiſſimo & Beatiſſimo univerſali Archiepiſcopo & Patriarchæ Magnæ Romæ Leoni.* In altero etiam Athanaſii Presbyteri Alexandrini libello contra eundem Dioſcorum, idem præfixus eſt titulus: *Sanctiſſimo & Beatiſſimo univerſali Patriarchæ Magnæ Romæ Leoni.* Ac denique & in libello Sophronii eadem habentur verba, ſcilicet; *Sanctiſſimo & Beatiſſimo univerſali Archiepiſcopo & Patriarchæ Magnæ Romæ Leoni.*

375 Ad hæc verò poſt Sanctum Leonem & ante Pelagium atque Magnum Gregorium, alii quoque Romani Pontifices ejuſmodi, aut æquivalenti titulo, vel uſi ſunt, vel ab aliis exhibito honorati reperiuntur. Undè Symchus in Epiſtola datâ ad Theodorum Laureacenſem, cui Pallii uſum conceſſit, abſolutè Apoſtolicæ Sedis Epiſcopum ſe ſcribit, nullâ adjectâ Urbis limitatione, inquiens: *Symmachus ſanctæ Apoſtolicæ Sedis gratiâ Dei Epiſcopus.* Joannes verò Epiſcopus Nicopolitanus in literis datis ad Hormiſdam Papam hunc titulum præfixit: *Domino meo per cuncta Sanctiſſimo ac Patri Patrum, ac Comminiſtro Principi Epiſcoporum Hormiſdæ.* Et ſimilem titulum præfixum legimus in relatione Synodi Epiri veteris, per eundem Joannem Nicopolitanum, alioſque in ea Synodo congregatos Epiſcopos tranſmiſsâ ad eundem Beatiſſimum Papam Hormiſdam. Avitus quoque Epiſcopus Viennenſis gratulatoriam pro converſione Provinciarum Dardaniæ & Illyrici ſcribens ad eundem Hormiſdam, *Domino*, inquit, *ſanctis meritis præcellentiſſimo in Chriſto glorioſiſſimo & Apoſtolicæ Sedis digniſſimo Papæ.* Archimandritæ ac cæteri Monachi ſecundæ Syriæ in relatione de Eutychianorum geſtis, quin potiùs in libello Appellationis eidem Hormiſdæ exhibito, ſic titulum ei præfigunt: *Sanctiſſimo & Beatiſſimo univerſæ Orbis Terræ Patriarchæ Hormiſdæ, continentis Sedem Principis Apoſtolorum Petri.*

376 Item Andreas Epiſcopus Prævalitanus in ſua relatione, de ſimulatione Epiſcoporum in Synodo Epiri novi, ac de geſtis Legatorum Apoſtolicæ Sedis in Civitatibus Scampis & Lignidi, datâ ad eundem Hormiſdam, ita ſcribit: *Domino ſemper meo Beatiſſimo, & Apoſtolicâ Sede intimâ veneratione præferendo, atque Angelicis meritis coæquando Patri Patrum Papæ Hormiſdæ.* Juſtinianus Comes, nondùm Imperator, in Epiſtola ad eundem Hormiſdam datâ, poſt pacem initam, & ſedato Acaciano ſchiſmate, appellat eum Archipontificem, ſcribens: *Domino meo Sanctiſſimo Hormiſdæ primo Archipontifici & Papæ Urbis Romæ.* Sed & Pompejus vir illuſtris, ſcribens ad eundem Pontificem ejuſdem argumenti literas, univerſalis Eccleſiæ Archiepiſcopum appellat, inquiens: *Domino meo Beatiſſimo & Apoſtolico Patri Hormiſdæ Archiepiſcopo univerſalis Eccleſiæ.* Immo & Synodus Conſtantinopolitana in relatione data ad prælibatum Pontificem Hormiſdam de ordinatione Epiphanii in Epiſcopum Conſtantinopolitanum, ſic in titulo ſcribit: *Domino noſtro Sancto ac Beatiſſimo Patri Patrum Archiepiſcopo & Patri Hormiſdæ.*

377 Bonifacio inſuper hujus nominis Secundo ſcribens Stephanus Epiſcopus Lariſſæ, eundem titulum univerſalis Patriarchæ tribuit, inquiens: *Domino meo Sancto ac Beatiſſimo ac per omnia Beatiſſimo & reverà venerando Patri Patrum univerſali Patriarchæ Bonifacio.* In altera porrò Epiſtola Patrem Patrum appellat. Epiſcopi quoque Theſſaliæ in eorum Epiſtola, recitatâ in tertia Romana Synodo ſeſſ. 2. ſub eodem Bonifacio, pariter Patrem Patrum vocant. In libello diverſorum Monachorum exhibito Agapito Papæ, & relecto in Synodo Conſtantinopolitana ſub Menna Act. I. œcumenicus Patriarcha appellatur Pontifex: *Domino noſtro*, ibi, *Sanctiſſimo & Beatiſſimo Archiepiſcopo antiquæ Romæ & œcumenico Patriarchæ Agapito.* In libello Orientalium Epiſcoporum orthodoxorum, relecto pariter in eadem Synodo, eademque Actione, Pater Patrum appellatur idem Sanctiſſimus Pontifex Agapitus. Ex quibus omnibus palàm fit, tùm ante Synodum Chalcedonenſem, tùm poſt eandem Synodum Romanos Pontifices condecoratos fuiſſe titulo Epiſcoporum Eccleſiæ univerſalis, eoque vel uſos eſſe, vel oblatos, ut in prærecitatis teſtimoniis apparet, non reſpuiſſe, ut ex hoc liqueat de jure eis convenire, & poſſe eo rectè, ſanctè & licitè uti.

378 Ad allegata in contrarium ex Epiſtola Pelagiii, dicendum eſt, Pelagium per illa verba: *Nullus enim Patriarcharum hoc tàm prophano vocabulo utatur*; *quia ſi Summus Patriarcha univerſalis dicitur, Patriarcharum nomen cæteris derogatur*, coercere inferiores Patriarchas à Romano Pontifice, quoniam illis nullo jure poterat convenire nomen Epiſcopi univerſalis, quibus nullo jure competebat primatus ſuper cæteros Patriarchas, & ſuper univerſam Eccleſiam. Ex eo enim titulo Joannes Conſtantinopolitanus uſurpare ſibi conabatur jus ſuper univerſam Eccleſiam, quo jure uſurpato auſus fuit indicere Generalem Synodum, ut ſupra oſtenſum fuit. Exemplo enim ſuorum anteceſſorum, qui nullo jure,

ſed

ſed potentiâ tantum ſæculari, ut alibi præfati ſumus, titulum & nomen Patriarchæ uſurparunt, eâ ſola ratione, quod Conſtantinopolis nova eſſet Roma, voluit & Joannes fimbrias dilatare, & quemadmodum Imperator Orientis erat tunc totius orbis & univerſalis Imperator; ita & ipſe titulum univerſalis Epiſcopi & Patriarchæ vindicare ſibi volebat: Ut poſtea paulatim ad inſtar Imperatoris, qui in ſæculari dominio univerſa moderabat, poſſet ipſe in ſpiritualibus ſimilia agere. Id quod hactenus nemo ex ſuis anteceſsoribus attentare auſus fuerat.

379 Porrò quòd Pelagius per illa verba noluerit derogare primatui Eccleſiæ Romanæ, ſive Romani Pontificis, ex contextu ejuſdem epiſtolæ perſpicuum fit: quoniam in primis ſcindit, & caſſat acta Concilii Conſtantinopolitani, auctoritate ſui Primatus ſuper omnes Eccleſias; unde ait: *Quapropter quidquid in veſtro Conventiculo (quia Synodus taliter præſumpta eſſe non potuit) ex auctoritate Sancti Petri Apoſtolorum Principis, & Domini Salvatoris voce, qua Beato Petro poteſtatem ligandi atque ſolvendi ipſe Salvator dedit, quæ etiam poteſtas in ſucceſſoribus ejus indubitanter tranſivit, præcipio, omnia, quæ ibi habuiſtis, & vana & caſſata eſſe; itaut deinceps nunquam appareant & ventilentur*. Et ſubjungit inde, ſoli Petro datam eſſe voce Salvatoris poteſtatem ligandi atque ſolvendi, quæ in ſolos illius Succeſſores tranſivit. Addit quoque conſtare Canonicis, Apoſtolicis & Eccleſiaſticis regulis, *non debere abſque ſententia Romani Pontificis Concilia celebrari*: Non ergò Pelagius per illa verba derogare voluit primatui Romani Pontificis, ſi in eadem epiſtola illud clariſſimè comprobat.

380 Docet inſuper Pelagius in eadem epiſtola, ipſum Joannem, ſuoſque anteceſſores, ſcriptis libellis & epiſtolis ſe proteſtatos fuiſſe, nolle quidquam agere contra jura Apoſtolicæ Sedis, vel in minimo ejus privilegiis derogare: „ Prædeceſſores verò Joannis, & „ ipſe Joannes, *inquit*, non ſemel ſed ſæpiſſimè „ epiſtolas atque libellos propria manu ſubſcriptos Sanctis anteceſſoribus noſtris miſerunt, quibus coram Deo proteſtati ſunt, „ nihil unquam protervè contra Apoſtolicam „ Sedem agere, nec de illius ac aliorum privilegiis quidquam uſurpare. „ Unde liquet, ipſum Joannem atque ſuos anteceſſores primatum Eccleſiæ Romanæ agnoviſse, & ex Pelagii ſententia nova prætenſione Joannis ob profanum titulum ſibi uſurpatum, derogaſſe.

381 Denique jure primatus ſuper univerſas Eccleſias idem Pelagius excommunicandum minatur Joannem, niſi ab inſtituto deſiſteret. *Sciat ſe tamen*, inquit, *& ipſe Joannes, niſi errorem ſuum citò correxerit, à nobis excommunicandum fore, & Apoſtolicæ Sedis atque omnium Sanctorum Epiſcoporum communione carere*. Nemo certò niſi à Superiore excommunicari poteſt, nemo poteſt quempiam ſegregare à communione totius cœtus Epiſcoporum, niſi in univerſum cœtum ſuperioritatem exercere poſſit. Si hæc minatur Pelagius, vindicat ſuam auctoritatem in univerſi orbis Epiſcopos, ſicque palam fit per eandem epiſtolam conſtabilire magis, quam deprimere primatum Eccleſiæ Romanæ: Et ita firmum ſtat, per allegata verba præcipere inferioribus Patriarchis, ne præfato nomine Epiſcopi univerſalis uti audeant: Ne per tale nomen injuria fiat cæteris aliis Patriarchis, aut eorum privilegiis derogetur: nec aliud ſubſequentia Pelagii verba indicare poſſunt, connectendo poſteriora cum prioribus.

382 Ad ea porrò, quæ ex verbis D. Gregorii referunt, qui in Epiſtola 32. lib. 4. ad Mauritium datâ ſcribit, præfatum nomen Epiſcopi univerſalis oblatum Romano Pontifici a Synodo Calcedonenſe, nullum ex Romanis Pontificibus aſſumpſiſſe, inquiens: *Certè pro Beati Petri Apoſtolorum Principis honore, per venerandam Calcedonenſem Synodum Romano Pontifici oblatum eſt: Sed nullus eorum unquam hoc ſingularitatis nomen aſſumpſit, nec vocabulo uti conceſſit*: Dicendum eſt, quod cum conſtet ex ſupradictis, complures Romanos Pontifices & ante Synodum Calcedonenſem, & poſt eam uſos fuiſſe vocabulo Epiſcopi univerſalis, vel Epiſcopi univerſalis Eccleſiæ, atque etiam conſenſiſſe aliquando ſic appellari, verba Gregorii eſſe intelligenda de uſu pompatico, ſolemni, & frequenti illius vocabuli, vel in omnibus inſcriptionibus, prout notat Binius ad Actionem III. Concilii Chalcedonenſis. Nam certè ſuprarecenſiti Pontifices, etſi aliquando uſi ſint tali vocabulo, raro tamen: Unde Beatus Leo Papa inter plurimas, quas ſcripſit epiſtolas, vix in quatuor epiſtolis reperitur ejuſmodi inſcriptio, & idem videre eſt in aliis Pontificibus, qui parcè co uſi ſunt vocabulo.

383 Deinde in duplici ſenſu accipi poſſe nomen univerſalis, adnotat Baronius ad annum Domini DXCV. ſub num. 32. & ſeq. primò in potentiore ſignificatione, quatenus ſignificat Epiſcopum orbis terrarum, adeòut Patriarcha œcumenicus idem ſonet, ac Pater, ſive Patriarcha orbis terrarum, & ita ut ipſe ſolus Patriarcha in orbe ſit, præter quem nemo. Secundò accipi hoc nomen univerſalis poſſe, ait, pro eo quod ſignificat Epiſcopum unum, qui, remanentibus cæteris Epiſcopis, eis tamen ſupereminèat. In primo ſenſu ait, videtur loqui S. Gregorius in Epiſtola ad eundem Joannem Antiochenum datâ ut ex lib. 4. epiſt. 38. dum ait: „ Tu quid Chriſto univerſalis Sanctæ Eccleſiæ capiti in extremi „ judicii es dicturus examine, qui cuncta „ ejus membra tibimet conaris univerſalis „ appellatione ſupponere. *Et inde*. Qui enim „ te indignum eſſe fatebaris ut Epiſcopus duci debuiſſes, ad hoc quandoque perductus

 es,

„ es, ut deſpectis fratribus Epiſcopus appe-
„ tas ſolus vocari. *Et poſtea*. Numquid non
„ ſicut veſtra fraternitas novit per veneran-
„ dum Calcedonenſe Concilium hujus Apo-
„ ſtolicæ Sedis Antiſtites, cui, Deo diſponen-
„ te, deſervio, univerſales oblato nomine
„ vocati ſunt? Sed tamen nullus unquam ta-
„ li vocabulo appellari voluit, nullus ſibi hoc
„ temerarium nomen arripuit: Ne ſi ſibi in
„ Pontificatus gradu gloriam ſingularitatis
„ arriperet, hanc omnibus fratribus denegaſ-
„ ſe videretur.

384 In hoc quoque ſenſu nomen univerſalis accepiſſe videtur in epiſtola ad Conſtantinam Auguſtam, dum ait. *Triſte tamen valde eſt, ut patienter feratur, quatenus, deſpectis omnibus, prædictus frater & Coepiſcopus meus ſolus conetur appellari Epiſcopus*. Et ad Eulogium. *Si unus Patriarcha univerſalis dicitur, Patriarcharum nomen cæteris derogatur.* Itaque nomen univerſalis Epiſcopi, prout hunc ſenſum facere poteſt, licèt oblatum à Synodo Calcedonenſi Romano Pontifici, nemo aſſumere voluit, quoniam ſolus Chriſtus eſt Caput univerſalis Eccleſiæ, cui omnia membra ſubjiciuntur, Romanus Pontifex eſt caput univerſalis Eccleſiæ, cui cæteri Epiſcopi ſubjiciuntur ut fratres, & in adminiſtratione Collegii, non derogando neque eorum nominibus, neque eorum dignitatibus.

385 Et ita in ſecundo ſenſu nomen Epiſcopi univerſalis retinuerunt Romani Pontifices, quatenus remanentibus partibus integris, hoc eſt, in ſuo nomine, honore, gradu, atque dignitate Epiſcopis, eis ſupereminead; Et in hoc ſenſu nullus, excepto Romano Pontifice, appellari poteſt Patriarcha œcumenicus, quia nemo ex aliis Patriarchis ſupereminet cunctis Eccleſiæ Epiſcopis & Patriarchis. Itaque in Romano Pontifice nomen Epiſcopi œcumenici, nihil aliud importat, niſi quòd ipſi ſit commiſſa cura, ſeu quòd habeat curam Paſtoralem univerſi Dominici Gregis, & ita aliis Epiſcopis ſupereminead, ut ipſi maneant in ſuo gradu. *Hæc ex Eminentiſſimo Baronio*.

386 Cæterum Beatum Gregorium in ſenſu expoſito à Baronio damnaſſe in ſe nomen Epiſcopi œcumenici, fundamentum deſumi poteſt, ex iis quæ ſupra præfati ſumus, quoniam Epiſcopi Conſtantinopolitani propter ſuperbiam ſuam ſpiritualem poteſtatem ſatagebant commenſurare cum poteſtate temporali ſui Principis, & quemadmodum ille erat Imperator orbis terræ, ita & ipſi conabantur affectare ſpiritualem poteſtatem ſuper univerſam terram: Hoc peroptimè potuit comprehendere Sanctiſſimus Pontifex, cum noſſet, hac ſola via & ratione, quòd Conſtantinopolis erat Imperii Sedes & nova Roma, vindicaſſe ſibi dignitatem Patriarchalem, licèt renuentibus Romanis Pontificibus. Cùm poſtea vidiſset velle adhuc & nomen Patriarchæ œcumenici, non dubitavit credere illud ſibi uſurpare voluiſſe, ad inſtar Dominii ſæcularis, unde optimè inferebat, quòd hoc nomen ſive titulus, derogatorius erat univerſis Epiſcopis, ſive nominibus aliorum Epiſcoporum & Patriarcharum: quòd ipſe ſolus vellet vocari Epiſcopus, & alia quæ ſubnectit Sanctus Pontifex: quoniam ſicut Imperator in toto orbe erat unus, & uni tantum hoc nomen competebat: Sic Epiſcopus Conſtantinopolitanus appellatus œcumenicus, eſſet unus & ſolus, itaut nemini alteri conveniret ampliùs nomen Epiſcopi & Patriarchæ, ſicut alteri competere non poterat nomen Imperatoris. Ut porrò præfati ſumus, non ſic hoc titulo uſi ſunt unquam, vel uſuri ſunt Romani Pontifices, ut aliis Epiſcopis derogetur, licèt univerſis ſupereminead: unde potiùs ſe ſubſcribunt Epiſcopi Eccleſiæ univerſalis, ſivè Epiſcopi Catholicæ Eccleſiæ, quàm Epiſcopi univerſales, nam dicendo Epiſcopus Eccleſiæ univerſalis clariùs exprimit ſignificatum ſuum, quod eſt eſſe ei commiſſam curam univerſi Dominici Gregis.

387 Nec per hoc, quod Gregorius appellet præcurſorem Antichriſti Epiſcopum Conſtantinopolitanum tale profanum nomen ſibi arrogantem, inferri poteſt, quempiam tali nomine utentem, & ſic Romanum Pontificem, dici ſive appellari præcurſorem Antichriſti: quoniam præcurſor Antichriſti rectè vocatur ille, qui ſe extollit ſupra id quod non eſt, & coli vult, & venerari ſupra omnes honore ſibi indebito: Sicut Paulus in Epiſt. 2. ad Theſſal. cap. 2. de Antichriſto ſcribit, dicens: *Adverſatur & extollitur ſuper omne quod dicitur Deus, aut quod colitur*; At Romanus Pontifex utens hoc titulo, non utitur aliquo ſibi indebito, neque pariter ſe extollit ſupra id quod non eſt, ſi primatum exercet ſuper univerſas orbis Eccleſias, cùm ei Divino jure ſit talis conceſſus primatus. In Epiſcopo autem Conſtantinopolitano rectè verificantur Gregorii verba.

388 Certè noluit Gregorius dãnare principatum, ſive primatum Romanæ Eccleſiæ, vel Romani Pontificis, qui talem primatum & principatum in univerſam exercuit Eccleſiam. Scribit etiam in Epiſtola 32. lib. 4. datâ ad Mauritium, qua ſuperbia Joannis Epiſcopi Conſtantinopolitani deteſtatur, Petro, datas eſſe claves regni Cœleſtis, poteſtatemque ligandi atque ſolvendi ei eſſe attributam, ac inde eidem commiſſam eſſe totius Eccleſiæ curam & principatum. Scribens poſtea ad Natalem Epiſcopum Salonitanum lib. 1. epiſt. 19. fatetur totius Chriſtiani Gregis curam ſibi eſſe commiſſam. *Pro qua re*, ait, *reverentiam veſtram epiſtolario ſermone depoſcimus, ut tàm nos, quàm Chriſtianus Grex curæ noſtræ commiſſus orationis veſtræ ſolatiis perfruatur*.

389 Deinde ratione ſui primatus ſuper univerſas orbis Eccleſias lib. 1. epiſt. 72. Scribit ad Gennadium Patricium & Exarchum in

in Africa, ut adversùs hæreticos Concilium Catholicorum Epiſcoporum congregari ſinat; & Epiſt. 75. monet Epiſcopos Numidiæ, ut nullum ex Donatiſtis ordinare præſumant; ac etiam lib. 2. Epiſt. 4. vicem ſuam ſuper omnes Siciliæ Eccleſias Maximiano Epiſcopo committit. Ejuſdem porrò Primatus auctoritate lib. 2. Epiſt. 30. mandat Lucillo Epiſcopo de Mellita, ut cogat Clericos Africanos habentes Eccleſiarum poſſeſſiones, ut conſuetas ſolvant penſiones; & Epiſt. 7. ad Joannem Epiſcopum Lariſſæum in cauſa depoſitionis Hadriani Epiſcopi præcipit, ut iterùm cauſa cognoſcatur, quòd ſi ardua videatur, ad Apoſtolicam Sedem deducatur definienda, ac inſuper excommunicationem eidem Joanni minatur, ſi quid contra ſtatuta ab eodem Gregorio in prælibata cauſa attentare præſumeret. Eâdem inſuper auctoritate abſoluit Honoratum Archidiaconum Salonitanum condemnatum à ſuo Epiſcopo, Sedemque Apoſtolicam appellantem, ut in Epiſt. 32. ejuſdem lib. 11. ſic & eodem jure approbavit depoſitionem Epiſcopi Anaſtaſii, ut ex lib. 4. Epiſt. 50., & eundem admonuit, nè pro ordinationibus quidquam accipiat. Id, quod etiam ſcripſit ad univerſos Epiſcopos per Heladiam Provinciam conſtitutos, ut ex lib. 4. Epiſt. 56. Et lib. 3. Epiſt. 20. interminatur excommunicationem adversùs Maximum contra Canones ordinatum Epiſcopum, niſi ſe abſtineat à munere Epiſcopali exercendo, donec cauſa ſuæ ordinationis recognoſcatur.

390 Sed longum eſſet omnia Gregorii geſta recenſere, quibus oſtendit Primatum ſuper univerſas Orbis Eccleſias, cùm in ejus literis quilibet percurrere poſſit. Satis eſt dicamus, Joannem Presbyterum Chalcedonenſē à Joanne Conſtantinopolitano in Conventu ibidèm habito injuſtè damnatum, ſed Apoſtolicam Sedem appellantem, in Romana Synodo à Gregorio habita fuiſſe abſolutum, caſſatis & irritatis Actis conventus, ſive judicii Conſtantinopolitani, ut liquet ex lib. 5. Epiſt. 15. ad eundem Joannem Epiſcopum Conſtantinopolitanum, & Epiſt. 16. ad Mauritium Auguſtum, & 17. ad Theoctiſtum Imperatoris cognatum. In qua cauſa eundem Joannem Conſtantipolitanum agnoviſſe in Romano Pontifice Primatum ſuper univerſas Orbis Eccleſias, atque ſupra ſuam Conſtantinopolitanam, perſpicuum fit ex eo, quòd Gregorio petente Acta adversùs Joannem geſta, ut cauſam legitimè recognoſcere poſſet, non eſt auſus denegare, eique remiſit; & inde ſententiæ latæ à Gregorio & à Romana Synodo ſtetit, etſi caſſativa & annullativa prioris ſuæ ſententiæ.

391 Sed inſtant ejuſmodi Critici aſſerentes, ex teſtimonio Anaſtaſii, Eccleſiam Romanam à Phoca Principe ſub Bonifacio III. Primatum obtinuiſſe, ſcribente de hoc Bonifacio Anaſtaſio: *Hic obtinuit apud Phocam Principem, ut Sedes Apoſtolica Beati Petri Apoſtoli Caput eſſet omnium Eccleſiarum, ideſt Romana Eccleſia, quia Eccleſia Conſtantinopolitana primam ſe omnium Eccleſiarum ſcribebat.*

392 Cæterùm inſulſa eſt hujuſmodi inſtantia, quoniam verba Anaſtaſii non ſunt intelligenda eo in ſenſu, quo critici exponunt, ut Eccleſiæ Romanæ Principatui adverſentur, quaſi per Phocæ decretum tunc primùm Primatum Eccleſia Romana obtinuiſſet, cùm conſtet ex hactenùs dictis, à fundata Eccleſia Romana, Pontifices ſuos Primatum exercuiſſe ſuper univerſas Eccleſias, & ipſum Gregorium ante Phocam idem præſtitiſſe, id quod poſtea ſuo loco fuſiùs demonſtrabimus. Quare verba Anaſtaſii intelligenda ſunt, quòd Phocas Princeps, ſtante controverſiâ exortâ ratione Primatus inter Eccleſiam Romanam & Conſtantinopolitanam, ſive veriùs, ſtante præſumptione Epiſcopi Conſtantinopolitani uſurpantis ſibi nomen & titulum Epiſcopi univerſalis, ut ex eo quodammodò Primatum ſuæ Eccleſiæ vindicaret: Phocas latâ ſententiâ definivit, ut par erat, in favorem Eccleſiæ Romanæ, repreſsâ Epiſcopi Conſtantinopolitani ſuperbiâ. Undè Paulus Diaconus ſcribit, ut ſupra præfati ſumus: *Hic Phocas Imperator, rogante Papa Bonifacio, ſtatuit Sedem Romanæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ primam eſſe*, hoc eſt, definivit, ſententiam protulit propter antedictam controverſiam; undè ſubjungit: *Cùm priùs Conſtantinopolitana ſe primam omnium ſcriberet*; nimìrum propter uſurpatum Epiſcopi univerſalis titulum. Id itaque præſtitit Phocas, quod Theodoſius & cæteri Imperatores præſtiterunt, dùm in ſimilibus controverſiis ad ſedanda ſchiſmata in favorem Eccleſiæ Romanæ, Pontificumque Romanorum ſententiam protulerunt, nihil tribuendo jurium Eccleſiæ Romanæ, ſed favendo juri accepto à Chriſto Domino & Beato Petro, derogando uſurpatis juribus Epiſcoporum Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ.

CAPUT X.

De altera ſeceſſione Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ à Romana ſub Sergio Patriarcha.

393 PAulò poſt latam à Phoca ſententiam, Cyriacus mœrore confectus, ut ſcribit Cedrenus, exceſſit è vita, cùm ſediſſet Annos X. inchoato XI., in cujus locum ſubrogatus eſt Thomas Diaconus & Sacellarius magni Templi. Eodem Anno, qui fuit Domini DCVI. Phocæ Imperatoris IV. currente Indictione IX. ex hac vita migravit etiam Bonifacius Papa hujus nominis Tertius die XII. Novembris, cùm ſediſſet men-

menſes VIII. & dies XIII. Poſt verò decem menſes & ſex dies vacantis Sedis creatus eſt die VIII. Septembris Anni Domini DCVII. Imperii Phocæ V. currente Indictione X. alter Bonifacius hujus nominis Quartus, natione Marſorum, de Civitate Valeria, ex Patre Joanne Medico, ut ſcribit Anaſtaſius. Interea temporis Thomas Epiſcopus Conſtantinopolitanus ſanctè & rectè munus paſtorale exercuit, nihil innovans, ſacrorum Conciliorum regulas ſervans; non tamen diù vixit, ereptus ex hac vita poſt annos duos & menſes ſeptem ſui regiminis, ut Nicephorus ſcribit in Chronico. Cujus geſta Euluſius in vita Theodori Siceonitæ ſcribit apud Surium tom.2. die 22. Aprilis.

394 Anno itaque Domini DCVIII. Pontificatus Bonifacii IV. Anno II., Imperii Phocæ VIII. currente Indictione XI. Orientalibus infauſto propter omnium rerum penuriam & magnam hominum mortalitatem, ut annotat Cedrenus, & ſcribit Theophanes in ſua Miſcella cap. 17. ſubſtitutus eſt loco Thomæ Sanctiſſimi Patriarchæ, Sergius genere Syrus, ex Jacobitis parentibus ortus, ut Cedrenus & Theophanes notant. Qui quaſi reluctans, Epiſcopatum accepit, undè ex vita hactenus ducta ſpecimen optimi Prælati exhibuit; licèt poſtea qualis fuerat ſe exhibuerit, quoniam in tranſverſum actus hæreticum Monothelitam ſe palàm declaravit, & ejuſdem hæreſis acerrimum fautorem, promotorem atque defenſorem. Ut Catholicus habitus fuit & creditus uſque ad Annum Domini DCXXIX., qui fuit Imperii Heraclii Anno XX., atque Honorii Papæ Pontificatus Anno IV., currente Indictione XI., prout infra.

395 Cùm Phocas imperaſſet Annis VIII. Anno Domini DCX., qui fuit Annus IV. Pontificatus Bonifacii IV. currente Indictione XIII. Heraclius, qui tùm in Africa Exercitum habebat, à ſuis conclamatus eſt Imperator, qui poſtea Conſtantinopolim cum univerſo veniens Exercitu, victis inimicis, intercepit ipſum Phocam, qui à vulgo interfectus, igni cremandus traditus eſt, ut ſcribit Nicephorus lib.18. cap. 26. in fine. Cedrenus verò de exitu Phocæ hæc ſcribit: „ Tunc Photinus quidam, cujus uxori Phocas ſtuprum intulerat, in Regiam cum Militibus irrumpit, Phocam ignominiosè è Solio detrahit, Imperatoris veſte ſpoliat, nigrâque circumdatum veſte, & numellis incluſum, contemptim ad Heraclium deducit. Qui ut primùm conſpexit Phocam: *Miſer*, inquit, *itanè Rempublicam gubernaſti?* At deploratus Phocas reſpondit: *Tuum eſt rectiùs eam gerere.* Illicò autē Heraclius jubet, manus & pedes, mox humeros & pudēda amputari, tandèm & caput truncari, trunci quod reliquum fuit, Milites in foro Bovis combuſſerunt. *Hæc Cedrenus de Phocæ exitu.*

396 Imperante itaque Heraclio Anno ejus Imperii V., qui fuit Domini DCXIV. currente Indictione II. Bonifacius IV. Romanus deceſſit die VIII. menſis Maji cùm ſediſſet Annos VI. menſes VIII. dies verò XIII. ut ſcribit Anaſtaſius, ſucceſſit ejus loco in Sede Pontificia Deusdedit poſt menſes V. & dies XII. vacantis Sedis, natione Romanus, ex patre Stephano, Eccleſiæ Romanæ Subdiaconus, creatus die XIII. menſis Novembris, raro exemplo, quoniam hactenus ex ordine Subdiaconatus nullus aſſumptus fuerat ad Sedem Pontificiam. Hic verò cùm Eccleſiam ſanctiſſimè gubernaſſet annis tribus ac diebus quinque, in Domino obiit, licèt alii ſcribant, Pontificatum tenuiſſe annis tribus minùs quinque diebus, & fortè veriùs, quoniam VIII. die Novembris hujus Anniverſaria memoria recolitur. Cui datus eſt ſucceſſor Bonifacius V. Campanus natione, de Civitate Neapoli, poſt unum menſem, & ſex, vel ſexdecim dies vacantis Sedis, creatus die XIV., vel XXIV. menſis Decembris Anni Domini DCXVII. Imperii Heraclii VIII. currente Indictione V. Exactis verò in Pontificatu Annis VII. menſibus decem & uno die, non Annis dumtaxat V. & diebus XIII., ut cum errore ſcribit Anaſtaſius, migravit ad Dominum die XXV. menſis Octobris Anni Dñi DCXXV. Imperii Heraclii XVII. currente Indictione XIII. Poſt cujus obitum vacatâ Sede ſpatio menſium ſex, dierumque decem & octo, die XIII. Maji Anni ſequentis, nimirum, Domini DCXXVI. Imperii Heraclii XVII. currente Indictione XIV. creatus eſt Romanus Pontifex Honorius, natione Campanus, ut ſcribit Anaſtaſius, ex patre Petronio Conſule.

397 Hoc itaque regnante Pontifice, ſui Pontificatus Anno IV., qui fuit Annus Domini DCXXIX., Heraclii Imperii XX., currente Indictione II. Monothelitarum hæreſis, Eutychianæ propago invaleſcere cœpit, ipſo favente Principe, Sergio quoque Patriarcha patrocinante. Notat tempus Cedrenus, cauſamque introductæ hæreſis, & modum quoque deſcribit, inquiens: „ Anno vigeſimo Imperii Heraclii Hormiſda regnat in Perſis. Cùm autem eſſet Heraclius apud Hierapolim, venit ad eum Athanaſius Patriarcha Jacobitarum, vir acris & nequam ingenii Syrorum inditas verſutias poſſidens, & moto de fide ad Imperatorem ſermone, repromiſit ei Heraclius: Si Chalcedonenſem Synodum ſuſcepiſſet, Patriarcham illum Antiochiæ ſe facturum. At ille ſimulatè ſuſcepit Synodum, confitens in Chriſto duas naturas. Interrogavit autem Imperatorem de operatione & voluntatibus, qualiter has in Chriſto oporteret dicere, duplas an ſimplas. Tunc Imperator voce novitatis conſternatus, ſcribit Sergio Conſtantinopolitano Epiſcopo; advocat etiam

Cy-

„ Cyrum Phaſidis Epiſcopum; & hoc interrogato, reperit eum conſentientem Sergio in unam voluntatem, & unam operationem. Sergius enim, utpotè Syrus genere, ac parentibus Jacobitis exiſtens, unam naturalem voluntatem, & unam operationem in Chriſto reſcripſit, atque confeſſus eſt. At Imperator utriuſque acquieſcens conſilio, reperit & Athanaſium eis conſentientem; noverat enim, quia ubi una operatio reperitur, ibi & una natura cognoſcitur. *Hactenus Cedrenus.*

398 Itaque Athanaſius ſub novitate verborum Principem decepit, atque in hæreſim traxit; ſed non ipſe ſolus, & fortè nihil profeciſſet, niſi Cyri & Sergii auctoritas acceſſiſſet, quos conſulere voluit Imperator, nec quidèm Cyrus conſultus à Principe, ſententiam ſuam aperire auſus fuiſſet, niſi prius à Sergio accepiſſet quid in hac ſentiret controverſia. Etenim à Sergio in errorem ductus eſt Cyrus, qui eum per ſequentes literas, quæ relectæ fuerunt Act. xvi. ſextæ Synodi œcumenicæ, & Conſtantinopolitanæ tertiæ, conſulere voluit, ſcribens.

Deo honorabili meo Domino benigno Principi Paſtorum, Patri Patrum, univerſali Patriarchæ Sergio, à Cyro humili veſtro.

399 „ Prompto me exiſtente, præſentem ſuggeſtionem porrigere Deo honorabili meo Domino, diverſæ mihi ſubibant cogitationes, & in duabus ſententiis animam partiebar. Putasnè, inquam, docenti conſentiam: *Altiora te nè quæſieris, & potiora te ne ſcrutatus fueris; & clauſtra labiis imponens, ſilère ſtudeam? Aut auſcultem nè eum, qui dicit: quærens quære, & apud me mane?* Deindè in hoc meipſum ſufficienter examinans, etiam ſcribendi ſumebam fiduciam, cùm ter Beatitudinis veſtræ à Deo inſpiratam doctrinam in mente percipiebam, perſuaſus, quòd unum è duobus, ſive etiam utrumque ex hoc mihi conquiretur. Aut enim, inquam, ſuſcipiar, aut per omnia emendabor in his, quę ſuggeruntur, ſi non ita ſeſe habent.

400 „ Dùm dignus fuiſſem effectus, Deo honorabiles piiſſimis veſtigiis à Deo confirmati noſtri Domini, ſimulque & Deo honorabilem ejus condeſcenſionem indeptus, fiduciam capiebam, Divinam juſſionem ejus Serenitatis relegendi, quæ ad Archadium ſanctiſſimum Archiepiſcopum Cypri contrà Paulum Primatem Anepiſcoporum Deo decenter conſtructa eſt, cujus laudabilis, ac Deo amabilis verè eſt omnis quidèm intentus, piè immaculatam noſtræ fidei rectitudinem allegans, duas autem operationes in Domino noſtro Jeſu Chriſto, ut poſt unitionem dicatur, prohibentem eam, inveniens abnuebam, & proferre tentabam honoratiſſimam Leonis Epiſtolam, duas operationes cum alterutrum ſcilicet communione, quemadmodùm docet ſanctiſſimus meus Dominus, manifeſtiſſimè proclamantem. Ex hoc ergò deinceps nobis exorto ſermone, venerandam ſuggeſtionem à Deo inſpirabilium veſtrum ad relegendum jubebar ſuſcipere, quæ dicebatur ac putabatur præfatæ piæ juſſionis eſſe reſcriptum, mentionem enim faciebat illius Pauli Sauli, ſed & juſſionis exemplaris, & intentum eorum, quæ in ea ſcripta fuerant, admittebat.

401 „ Opportunè ergò tunc ſilentium gerere, & nequaquam contradicere perſtruebar: ad verò à Deo eruditam veſtram doctrinam confugere didici, venerabiles ejus ſyllabas poſtulans promereri, liquidiùs declarantes, qualiter duas operationes poſt unitionem dicere recuſantes in una, ideſt, ſingulari operatione in omnibus Divinis eloquiis poſſumus concludere, tàm quod paſſibile, quàm quod impaſſibile eſt ipſius ineffabilis diſpenſationis Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, quatenùs à Deo illuſtratâ eruditione, Deo inſtructorum veſtrorum illuminata imperitia noſtra, forſitan vel in hoc imitetur pinguiſſimam, atque fertilem terram, ſeminatumque verbi granum libenter ſuſcipiens, ad fœcunditatem ſalvum perducat. Deo acceptas denique ſui orationes ſolitæ miniſtrare tàm meæ parvitati, quàmque his, qui mecum ſunt, benignus meus Dominus dignetur. Subſcriptio. *Cyrus humilis exorans pro honoratiſſima vita Deo honorabilis mei Domini ſuggeſſi.* Hactenus Cyri Epiſtola.

402 Ex qua clarum fit, nihil definiiſſe Cyrum ante conſultum Sergium. Sergio porrò reſcribente, in errorem traxiſſe eum certum fit; undè Imperator conſentientibus in eam hæreſim Athanaſio, Cyro, & Sergio, conſenſit & ipſe, eamque conſtabilire totis viribus conatus eſt. Et quamvis Imperium Romanum à potentia Saracenorum Mohometis Sectatorum plurimùm devaſtaretur, neglectis omnibus, totus occupatus in hac firmanda hæreſi videbatur. Electo jam, ut promiſerat, in Epiſcopum Antiochenum Athanaſio; cùm obiiſſet interea Gregorius Epiſcopus Alexandrinus, ipſum Cyrum ſubſtituit, taliter ut tres primariæ Patriarcharum Orientis Sedes à Monothelitis Epiſcopis regerentur, ut faciliùs inferiores Epiſcopos in ſuam trahere poſſent ſententiam. Sed quoniam ſub ſpecie defendendi Chalcedonenſem Synodum ſubdolè omnia agebant, non facilè & tàm promptè detecti ſunt hæretici. Quare Sanctus Maximus in diſputatione habita cum Theodoſio, initia hujus hæreſis refundit in Annum Domini DCXXXIII., qui fuit VIII. Pontificatus Honorii, Imperii verò Heraclii XXIV. cur-

currente Indictione VI., inquiens: *Scitis enim factas innovationes à ſexta Indictione præteriti circuli, quæ ab Alexandria incœperunt per expoſitionem novem Capitulorum à Cyro, qui neſcio quomodò, ibi Præſul fuit, quæ confirmata ſunt à Throno Conſtantinopolis*.

403 Hoc enim Anno menſe Maji die V. ejuſdem menſis Cyrus Synodum Alexandriæ congregavit, ſub prætextu uniendi hæreticos omnes Eccleſiæ Catholicæ, veriùs tamen ut Synodali auctoritate hæreſim Monothelitarùm confirmaret atque roboraret. In ea namque Synodo, ut produnt Acta ſextæ Synodi Act. XIII. pro Theodoſianorum ſatisfactione, ut ibi præfertur, novem Capitula, ſive novem Anathematiſmi editi ſunt, in quibus non patenter & apertè ſtatuta eſt una in Chriſto operatio, ſed confusè tantùm & complicatis verbis. Etenim in ſeptimo Capitulo, ſive Anathematiſmo, ubi mentio fit de Chriſti Domini operationibus, ita dictum eſt.

404 „ Si quis unum Dominum noſtrum „ Jeſum Chriſtum in duabus conſiderari dicens naturis, non eundem unum de Trinitate confiteatur, ſempiternè quidèm ex Patre genitum Deum Verbum, noviſſimis autem ſæculi temporibus eundem incarnatum atque genitum ex Sanctiſſima & Intemerata Domina noſtra Dei Genitrice, ſemperque Virgine Maria, ſed alterum hunc noſcit, & alterum, & non unum eundemque, ſecundùm ſapientiſſimum Cyrillum, in Deitate perfectum, & in humanitate eundem perfectum, ex hocque ſolo in duabus contemplandum naturis, eundem paſſum, & non paſſum, ſecundùm aliud & aliud, ſicut idem Sanctus Cyrillus ait; & patientem quidèm humanitùs carne, ſecundùm quòd homo eſt: permanentem verò impaſſibilem, ut Deum in paſſionibus propriæ carnis; eundemque unum Chriſtum & Filium, operantem Deo decibilia & humana unâ Deivirili operatione, ſecundùm Sanctum Dionyſium, ſolâ contemplatione diſcernens ea, ex quibus unitio facta eſt, & hæc intellectu conſiderans, inconvertibilia & inconfuſa poſt eorum naturalem, & ſecundùm ſubſiſtentiam unitionem manentia, in hiſque indiviſè, atque inſeparabiliter unum, eundemque Chriſtum & Filium recognoſcens, juxta quod duo ad invicem inconfusè convenientia conſiderat, intellectu realem cauſativam eorum contemplationem faciens, & non phantaſiâ mendaci, atque inanibus mentis figmentis, nullatenùs verò disjungit, quaſi peremptâ jam illâ, quæ in duo eſt, ſectione propter ineffabilem & inconfuſam & inexcogitabilem unitionem, dicens ſecundùm Sanctum Athanaſium: *Simul enim caro, ſimul Dei Verbi caro; ſimul caro animata rationalis; ſimul Dei Verbi caro animata rationalis*. Sed ad diviſionem per „ partes hujuſmodi aſſumit vocem, Anathema ſit. *Hactenus ibi*.

405 Hujuſmodi ergò intricatis verbis, obſcuris atque confuſis, hæreſim ſuam Cyrus expreſſit; ut appareret catholicè in cunctis ſentire, & Chalcedonenſem recipere Synodum atque pro ea pugnare in ea Synodo, poſtquam Cap. VIII. Anathema dixerit Arrio, Eunomio, Macedonio, Apollinario, Neſtorio, Eutycheti, Cyro, & Joanni Ægeotis, & univerſis, qui contradixerunt duodecim Capitulis Sancti Cyrilli Alexandrini; Cap. IX. & ultimo, anathematizat eos, qui ſcripta Theodoreti adverſùm rectam fidem & Sanctum Cyrillum edita, Epiſtolam, quæ dicitur Ibæ, & Theodorum Mopſueſtenum, ejuſque ſcripta non anathematizant; eoſque pariter anathematizat, qui ſcripta Cyrilli, præcipuè quę ſunt contra Theodorum, Theodoretum, Andream, atque Neſtorium, non ſuſcipiunt.

406 His peractis à Cyro, de geſtis in ea Synodo certiorem reddidit Imperatorem, miſſo ad eum Joanne Diacono unà cum literis & Actis Synodalibus. Id quod præſtitit etiam cum Sergio Epiſcopo Conſtantinopolitano, ad quem inflatus dedit adulatione plenas ſequentes literas, quæ ſunt recitatæ eâdem Actione XIII. ſextæ Synodi, nimìrum.

Proprio Domino per omnia à Deo honorando, atque ter Beatiſſimo, benigno Paſtorum Paſtori, Patri Patrum univerſali Patriarchæ Sergio, Cyrus humilis veſter.

407 „ Fœcunditatis & iterùm ſpiritalis „ fructificantis per Deo acceptabiles orationes Beatitudinis Deo amabilis mei Domini, quæ concurrit doctrinis & temporibus piiſſimorum à Deo conſervandorum, & veraciter Chriſto amabilium Dominorum noſtrorum, & nunc promereor ter Beatiſſimo meo Domino primitias ſuggerere.

408 „ Notum enim facio, quòd omnes, „ qui dicuntur dogmatis Theodoſianorum circa hanc Alexandrinorum Chriſto amabilem Civitatem Clerici, unà cum his, qui in dignitatibus & exercitibus clarent, inſuper & qui ex plebe ſunt in millibus conſtituti, per tertiam Junii menſis adunati ſanctæ noſtræ Catholicæ Dei Eccleſiæ, intemerabilia nobiſcum Dei myſteria perceperunt, ad hoc adducti præviante profectò beneplacito omnipotentis Dei per collatam mihi doctrinam, tàm à piiſſimis ac invictiſſimis noſtris Dominis, quàmque à Deo inſpiratâ Domini mei ſanctitate, ut per hoc ſtabiliretur, ſecundùm quod ſcriptum eſt: *in confrequentationibus dies feſtus uſque ad cornua Altaris*. Si autem oportet veraciùs dicere, non in confrequentationibus tan-

„ tantùm, neque uſque ad cornua Altaris, „ ſed & in omnem Alexandrinorum Chriſto amabilem Civitatem, ejuſque confinia uſ- „ que ad nubes ipſas, & ultra has cœleſti- „ bus ordinibus in pace ſanctarum Eccleſia- „ rum, & in his, quæ ad eamdem conver- „ tuntur lætantibus.

409 „ Qualiter autem hæc adunatio aſ- „ ſecuta eſt, ſubtiliter præſumens ſuggeſſi „ piiſſimis auribus Inviĉtiſſimorum ac Sere- „ niſſimorum noſtrorum Dominorum per „ conſamulum meum Joannem Deo amabi- „ lem Diaconum, qui adfuit in omnibus, „ quæ mota ſunt; & certus ſum, quia & in „ hoc acceptat ultimum ſuum famulum ſan- „ ctiſſimus meus Dominus. Quæsò itaque „ ter Beatiſſimum meum Dominum, quate- „ nùs cognitionem omnium faciens, ſi quid „ mihi in tali motione forſitan defuit, aut „ per ignorantiam de competentibus fruſtra- „ tus ſum, emendare exiguum ſuum famu- „ lum dignetur. Opus enim hoc Deo hono- „ rabilium veſtrorum eſt, qui omnibus Di- „ vinis Scripturis decoramini, & deſuper „ perficimini. *Subſcriptio*. Cyrus humilis „ Epiſcopus orans pro Deo honorabilis mei „ Domini vitâ ſuggeſſi. *Hactenus Cyri Epi-* „ *ſtola*.

410 Interea temporis, defuncto Modeſto Hieroſolymitano ſanctiſſimo Epiſcopo, ſub- ſtitutus eſt Sophronius, qui probè ſciens hæreticos ea molitos in Synodo Alexandrina ad deſtructionem catholicæ veritatis, ſub doloſo conciliandæ univerſæ Eccleſiæ pacis prætextu, adverſatus eſt VII. Canoni, ſive Capitulo edito in ea Synodo, ubi de una in Chriſto operatione mentio facta eſt. Et quoniam in eo Capitulo allegabatur teſtimonium Magni Dionyſii Areopagitæ pro una operatione, locum falſatum Sanctiſſimi Doctoris ex unius vocis mutatione, proclamavit Sophronius, ut produnt Acta ſextæ Synodi Act. XIV., ubi relecto tomo dogmatico Pyrrhi Epiſcopi Monothelitæ, hæc in eo contineri relatum eſt: „ Unum autem, ut di- „ ctum eſt, tantùm reprehendit Capitulum „ Sophronius Deo amabilis, tanquàm qui „ teſtimonium Dionyſii Deiloqui Doctoris „ depravaſſet per immutationem unius vocis. „ Congrua quippe in hoc maximè dicens „ idem vir & cautelam habentia, in quibus „ ait ille: *Sed virificati Dei novam quandam* „ *Deivirilem operationem nobis exhibens*. „ Unam enim in veritate pro *nova* contine- „ bat eadem charta. *Hæc Pyrrhus*, qui poſtea ſuum Cyrum defendens, hoc alia ſubjungit: „ Non malitiosè, quod abſit, ſecundùm „ meum ſermonem, ſed utpotè quæ non ali- „ ter *nova*, quàm *una* intelligi voluiſſet à „ Cyro ſanctiſſimo, hujuſmodi vox eſt appo- „ ſita. Per extremitatem quippe negationem „ unam Divinus Doctor aſſerit, affirmativam „ faciens, & hanc ſingulariter exprimens, „ quid aliud, quàm unam confiteri operatio- „ nem, tanquàm unius Chriſti ſecundùm „ dùm quamlibet rationem apertè & planè „ contradidit? *Hæc Pyrrhus*.

411 Sed notanda eſt hæreticorum ſubtilitas, immò vafricies, qui, ut eorum ſententiam à catholico ſenſu nullatenùs alienam oſtenderent, operationem illam unam, quam in Chriſto adſtruebant, ad perſonam referebant, non ad naturas, ut quemadmodùm in Chriſto una ſola perſona eſt, ita & una operatio à perſona ſpecificata. Hac enim de cauſa complures, qui rectâ & bonâ fide rem conſiderabant, decepti, ejuſmodi locutionem damnare minimè audebant. At non ſic Sophronius, qui anguem in herba latentem videbat, & dolos hæreticorum optimè noſcebat, reſtitit ejuſmodi locutioni; undè ſcripſit ad ipſum Cyrum, ut emendaret & corrigeret quæ de una operatione in Synodo Alexandrina definierat. Ad Sergium quoque Epiſcopum Conſtantinopolitanum literas fecit, ut deleretur Capitulum Synodi Alexandrini de una in Chriſto operatione. Neque his contentus, perſonaliter acceſſit Conſtantinopolim, ut efficaciùs cum eodem Sergio rem tractare poſſet, ut in Epiſtola Sergii datâ ad Honorium Papam modò recenſendâ dicitur. Itaque Sergius videns ſe habere Sophronium contradictorem, curavit ſe, ſuoſque, atque ſententiam ſuam, ſuorumque defendere apud Romanum Pontificem, datis ad eum ſequentibus literis, recitatis Act. XII. ſextæ Synodi, ſic ſe habentibus.

Exemplar Epiſtolæ Sergii Conſtantinopolitani ad Honorium Papam Romanum.

412. „ Intantùm Vobis Sanctiſſimis con- „ ſonanter in omnibus, unanimitate ſpiri- „ tus conſtringimur, ut ſtudeamus omnium „ conſiliorum noſtrorum & actionum vos ſa- „ cratiſſimos habere Præſidentes; & niſi plu- „ rimùm locorum diſtantia ſejungeret, hoc „ utique quotidiè gereremus veſtræ hono- „ randæ, unanimiſque fraternitatis munito, „ muratoque nosmetipſos circumſepientes „ conſultu: attamen, quoniam nobis etiam „ ſermo, atque abſque labore litera, quod ſtu- „ demus impartit, confeſtim ea, pro quibus „ hoc ſcribimus, enarramus.

413. „ Ante aliquod certum tempus, cùm „ adversùs Perſas à Deo confirmatus Domi- „ nus noſter & magnus Victor promoviſſet „ Exercitum, propter certamina à Deo ſibi „ creditæ Chriſto amabilis Reipublicæ, & ad „ partes Armeniæ Provinciæ perveniſſet, „ unus ex Principibus impiæ partis Severi „ execrabilis, nomine Paulus, in illis locis „ apparens, ad ejus pietatem acceſſit, ſermo- „ nem pro ſua errabunda hæreſi proferens, & „ hoc profectò dumtaxat ſatisfaciendo; in „ quibus piiſſimâ ejus ac regalis magnanimi- tas

„ tas (cum cæteris enim donis Dei, etiam „ divinorum dogmatum locupletari ſcientiâ „ meruit) dùm redarguiſſet atque depom„ paſſet pravam ejus impietatem, profanis „ ejus aſtutiis ſanctæ noſtræ Eccleſiæ, ut ve„ rus ejus propugnator recta atque immacu„ lata è diverſo protulit dogmata, inter quę „ & unius operationis Chriſti veri Dei noſtri „ mentionem fecit..

414 „ Poſt aliquod verò tempus idem à „ Deo confirmatus Imperator in Provinciam „ Lazorum adveniens, recordatus eſt diſpu„ tationis, quam, ſicut diximus, fecerat „ ad Paulum illum hæreticum in præſentia „ Cyri ſanctiſſimi, tunc quidèm ejuſdem „ Chriſto amabilis Lazorum Provinciæ Me„ tropolitanam Sedem tenentis, nunc autem „ magnam Alexandriam regentis. Prædictus „ igitur ſanctiſſimus vir, his auditis, ejus Se„ renitati reſpondit, neſcire ſubtiliter, utrùm „ unam, an duas operationes Chriſti veri „ Dei noſtri adſtruere neceſſe ſit. Ergò per „ juſſionem ejus pietatis, per literas proprias „ interrogavit nos prædictus ſanctiſſimus vir, „ utrùm unam operationem, an duas in Sal„ vatore noſtro Chriſto neceſſe ſit dicere, „ etſi quoſdam noſcamus Sanctorum ac Bea„ tiſſimorum Patrum, unam dicentes opera„ tionem.

415 „ Undè nos, quæ noſtræ erant ſcien„ tiæ, per noſtra reſcripta ei ſignificavimus, „ dirigentes etiam ſermonem acclamatorium „ Mennę ſanctiſſimi quondam Patriarchæ hu„ jus à Deo conſervandæ Regiæ Urbis, por„ rectum ab eo hìc præſenti Vigilio ſanctæ „ memoriæ prædeceſſori Sanctitatis veſtræ; „ habentem & diverſa teſtimonia paterna de „ una operatione, & una voluntate Salva„ toris noſtri Chriſti veri Dei noſtri. Nihil „ tamen proprium penitùs in hujuſmodi no„ ſtris reſcriptis promulgavimus, ſicut ſup„ petit noſſe vos ſacratiſſimos, & unanimes „ relegentes eorum, quæ miſſa ſunt, exem„ plaria. Et ſilentium quidèm ex illo tem„ pore hujuſmodi ſuſcepit Capitulum.

416 „ Quia igitur ante parvum tempus, „ cooperante gratiâ Dei, *qui omnes homines* „ *vult ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis* „ *venire*, pio zelo fortiſſimi ac inviсtiſſimi „ magni Imperatoris excitatus Cyrus ſan„ ctiſſimus Alexandriæ magnæ Civitatis Pa„ triarcha & communis frater noſter & Con„ ſacerdos Dei amabiliter & modeſtè adhor„ tatus eſt eos, qui in magna Civitate Ale„ xandrina, Eutychetis, & Dioſcori, Severi „ quoque & Juliani Deo odibilium hæreſi „ languerent, ad Catholicam Eccleſiam ac„ cedere. Et poſt multas diſputationes & „ labores, quos cum nimia prudentia & ſa„ luberrimâ diſpenſatione in hac cauſa im„ pendit, hoc, quod feſtinabat, per ſuper„ nam gratiam ordinavit. Facta ſunt inter „ utraſque partes dogmatica quædam Capi„ tula, in quibus omnes, qui antea quidèm „ in diverſas portiones diviſi fuerant, pro„ avoſque ſibi Dioſcorum atque Severum „ ſceleratos hæreticos inſcribebant, coadu„ nati ſunt cum ſanctiſſima & ſola Catholica „ Eccleſia, & unus grex Chriſti veri Dei no„ ſtri, omnis Chriſto amabilis Alexandriæ „ populus factus eſt, & penè univerſa cum „ eis Ægyptus & Thebais & Lybia & cæte„ ræ Ægyptiacæ diſpoſitionis Regiones, quas „ olim conſiderabant, ut diximus, in innume„ rabilem hæreſeon multitudinem diſciſſas; „ nunc autem beneplacito Dei, & ſtudio prę„ dicti ſanctiſſimi Alexãdrinorum Antiſtitis, „ unum labium facti ſunt omnes, una vox, & „ in unitate ſpiritus recta Eccleſiæ dogmata „ confitentur. Ex his autem, quæ dicta ſunt „ atque ſtabilita, unum exiſtit Capitulum „ de una operatione Chriſti Magni Dei & „ Salvatoris noſtri.

417 „ His ita provenientibus, Sophro„ nius venerabilis Monachus, qui (ut nunc „ ex uno auditu didicimus) Hieroſolymorum „ Præſul eſt ordinatus (necdùm enim hacte„ nus ejus ex more Synodica ſuſcepimus) „ apud Alexandriam tunc temporis poſitus „ cum præfato Sanctiſſimo Papa, quandò, „ ſicut diximus, admirabilem illam circa eos, „ qui dudùm hæretici fuerant, Dei benepla„ cito, unitatem componebat, atque cum „ eo de eiſdem Capitulis pertractabat, ad„ verſatus eſt, & contradixit ad unius ope„ rationis Capitulum, duas omninò opera„ tiones Chriſti Dei noſtri dignum, inquiens, „ cenſeri. Prænominato autem Sanctiſſimo „ Papa, præſertim teſtimonia ei quorundam „ Sanctorum Patrum noſtrorum proferente, „ diſperſim in quibuſdam opuſculis ſuis unam „ operationem aſſerentium, ad hæc quoque „ & ex abundanti inquiente, quod multotiès „ Sancti Patres noſtri, ut lucrarentur pluri„ marum animarum ſalutem, dùm talia emer„ gerent Capitula, Deo gratis diſpenſatio„ nibus, ac placitis uſi fuiſſe videntur, nihil „ de ſubtilitate rectorum Eccleſiæ dogma„ tum exagitantes; & dicente, quòd opor„ teat utique etiam in præſenti, dùm tanto„ rum millium populorum ſalus prę manibus „ ponitur; nihil de hoc per contentionem „ altercari; idcircò quòd, ſicut dictum eſt, „ etiam à quibuſdam ſacris Patribus vox hu„ juſmodi dicta eſt, nihilque de hoc lædatur „ rectæ fidei ratio, memoratus Deo amabi„ lis Sophronius talem diſpenſationem nul„ latenùs accepto tulit..

418 „ Quia igitur pro hoc cum literis „ ejuſdem ſanctiſſimi Comminiſtri ad nos „ conjunxit, de hoc quoque etiam apud nos „ ſermonem movendo inſiſtens, ut de talibus „ adimeretur Capitulis poſt factam unitio„ nem vox unius operationis, durum nos hoc „ arbitrati ſumus. Quomodò enim non eſſet „ durum & valdè oneroſum, quandò hoc re-

ſol-

,, ſolvere, evertereque erat futurum omnem illam concordiam atque unitatem, quę benè fuerat affecta, tàm apud Alexandrinam magnam Civitatem, quàmque per univerſas ſub ea Provincias, quæ nullo tempore usquenunc acquieverant, nomen ſaltem ſimplex divini atque laudabilis Patris noſtri Leonis, aut ſancti & magni, atque univerſalis Chalcedonenſis Concilii mentionem facere, nunc verò præclarâ & magnâ voce in divinis Miſſarum arcanis hoc prædicantes?

419 ,, Multis igitur à nobis de hoc motis ſermonibus ad prænominatum venerabilem Sophronium, poſtremò adhortati eum ſumus teſtimonia nobis proferre Sanctorum ac probabilium Patrum, illorum videlicet, quos omnes communiter Doctores confitemur, & quorum dogmata legem ſanctæ Dei cognoſcunt Eccleſiæ, duas nominatim, & ipſis verbis operationes in Chriſto dicendas tradentia; ille autem hoc facere minimè valuit.

420 ,, Nos verò conſiderantes, incipientem ex hoc inter quoſdam hic contentionem exardeſcere, & ſcientes, quòd ſemper ex hujuſmodi decertationibus hæreſeon diſſenſiones effectæ ſunt, neceſſarium judicavimus, omne ſtudium ponere ad ſedandum atque amputandum talem ſuperfluum verborum conflictum; & ad ſupradictum ſanctiſſimum Alexandrię Patriarcham ſcripſimus, ut poſtquàm unitatem cum his, qui pridèm ſeparabantur, Deo auxiliante, compoſuit, de cætero nullum permitteret unam aut duas proferre operationes in Chriſto Deo noſtro, magis autem (ſicut ſancta & univerſalia tradiderunt Concilia) unum eundemque Filium unigenitum Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum verum Deum operatum confiteri, tàm divina, quàmque humana, & omnem Deo decibilem & homine dignam operationem ex uno eodemque Incarnato Deo Verbo indiviſè procedere, & ad unum eundemque redigi, eò quòd unius quidèm operationis vox, quamquàm à quibuſdam Sanctis dicta eſt Patribus, tamen peregrina videatur, & perturbare aures quorundam ſuſpicantium ad peremptionem hanc proferri inconfuſè, atque ſecundùm ſubſiſtentiam unitarum in Chriſto Deo noſtro duarum naturarum, quod non eſt unquam, nec fiat.

421 ,, Similiter autem & duarum operationum dictio multos ſcandalizet, utpotè à nullo Sanctorum & probabilium Eccleſiæ Inſtitutorum edita. Inſuper & conſequens ei ſit prædicare duas voluntates, contrarietates circa invicem habentes, tanquàm Deo quidèm Verbo ſalutarem volente adimpleri Paſſionem, humanitate verò ejus obſiſtente ejus voluntati & reſiſtente, & perinde duo contraria volentes introducantur, quod impium eſt. Impoſſibile quippe in uno eodemque ſubjacenti duas ſimul & erga hoc ipſum contrarias ſubſiſtere voluntates; nam ſalutaris Deum gerentium Patrum doctrina manifeſtè inſtruit, quòd nunquam intellectualiter animata Domini caro ſeparatim, & ex appetitu proprio contrario nutui uniti, ſibi ſecundùm ſubſiſtentiam Dei Verbi naturalem motum ſuum effecit, ſed quando & qualem, & quantum ipſe Deus Verbum volebat: & ut planiùs dicatur, quemadmodùm corpus noſtrum regitur & ornatur, & diſponitur ab intellectuali & rationali anima noſtra, ita & in Domino noſtro tota humana ejus conſperſio ab ipſius Verbi Deitate ſemper in omnibus mota, Deimobilis erat, ſecundùm Nyſſenum Gregorium, dicentem contra Eunomium ita: Secundùm quòd Deus Filius impaſſibilis utique eſt & immortalis. Si quà autem Paſſio de eo in Evangelio dicitur, per humanitatem profectò, quæ ſuſcipiebat Paſſionem, hujuſmodi operatus eſt. Operatur quippe verè Deitas per corpus, quod circa ipſam eſt, omnium ſalutem, ut ſit carnis quidèm paſſio, Dei autem operatio.

422 ,, Hanc igitur, ut dictum eſt, contentionem incipientem accendi videntes, neceſſarium judicavimus, attritas potiùs Sanctorum Patrum voces & ſynodicè definitas ſemper ſequi; & neque quæ rarò à quibuſdam Patribus dicta ſunt, & non circa hæc intentionem habentibus, quaſi planam & inambiguam de eis doctrinam exponerent, ad regulam & legem per omnia dogmaticam reducere, quale eſt & quod de una operatione ab eis dictum eſt; neque iterùm quæ nullatenùs dicta ſunt à probabilibus Patribus, nunc verò à quibuſdam proferentur, duas, inquam, operationes, tanquàm dogma Eccleſiaſticum proferre.

423 ,, Et ad ultimum ſtetit ac placuit, quatenùs prædictus Sophronius venerabilis nullum ſermonem de cætero de una, ſive duabus operationibus movere debeat, ſed ei ſufficiat præfata cautaque ac trita Sanctorum Patrum recta traditio atque doctrina. His itaque contentus ſæpènominatus venerabilis Vir & hæc cuſtodire certificans, petivit nos etiam per Epiſtolam de his ei præbere reſponſum, quatenùs hujuſmodi Epiſtolam, ut ait, oſtendat his, qui forſitan interrogare eum de prædicta quæſtione voluerint, quod & alacriter egimus; & ille quidèm in his hinc enavigavit.

424 ,, Nuper autem piiſſimus & à Deo coronatus Dominus noſter apud Edeſſenam demorans Civitatem, pios ad nos apices fecit, præcipientes, ut paterna illa teſtimonia defloraremus, quæ continentur in

„ libro dogmatico, ſicut dictum eſt, facto à
„ ſanctæ memoriæ Menna ad Sanctiſſimum
„ Vigilium de una operatione & una volun-
„ tate, & hæc à Deo inſtructæ ejus Sereni-
„ tati dirigere deberemus, quod & ad effe-
„ ctum perduximus. Nos autem quæ dudùm
„ mota ſunt, memoriâ retinentes, & tumul-
„ tum, qui ex ejuſmodi motione cœpit, ſcien-
„ tes, ſuggeſſimus ejus piiſſimæ Serenitati
„ per mediocrem noſtram ſuggeſtionem, &
„ ſcripta ad Excellentiſſimum Sacellarium
„ Imperialem conſequenter hujus Capituli
„ omnem ſubtilitatem, horumque, quæ à no-
„ bis de hoc actitata ſunt; & quòd non opor-
„ teat de hujuſmodi inquiſitione perſcrutari,
„ ſed permanere in attrita Patrum doctrina,
„ quam omnes conſonanter confitentur de
„ hujuſmodi quæſtione, & confiteri unige-
„ nitum Filium Dei, qui veraciter Deus ſimul
„ & homo eſt, eundem operari divina & hu-
„ mana, & ex eo uno eodemque incarnato
„ Deo Verbo, ſicut jam ſumus effati, inſe-
„ parabiliter atque indiviſè omnem divinam
„ atque humanam operationem procedere.
„ Hoc namq; nos Leo Dei portitor inſtruit,
„ manifeſtè perhibens: Agit enim utraque
„ forma cum alterius communione, quod
„ proprium habet. In quibus reſcriptum piç
„ juſſionis ab ejus manſuetiſſima ſuſcepimus
„ fortitudine, quæ à Deo conſervandam ejus
„ Serenitatem condecent, continentem.

425 „ His igitur omnibus principio ita
„ provenientibus, rationabile ſimul & neceſ-
„ ſarium judicavimus de his, quæ partim me-
„ morata ſunt, cognitionem dare veſtræ fra-
„ næ atque unanimi Beatitudini per exem-
„ plaria, quæ à nobis directa ſunt, & ad-
„ hortamur vos Sacratiſſimi hæc omnia lege-
„ re, & Deo placitam ac pleniſſimam chari-
„ tatem, quæ in vobis eſt, nunc quoque ſe-
„ quentes, ſi quid ampliùs minùſve invene-
„ ritis, hoc per datam vobis à Deo gratiam
„ adimplere, atque per ſanctas ſyllabas ve-
„ ſtras unà cum veſtra optabili ſoſpitate, quç-
„ que ſuper his vobis fuerint placita, ſigni-
„ ficare. *Hactenus Sergius ad Honorium Papam.*

426 Aſtutè ſanè & conſuetâ calliditate hæreticorum talia ſcripſit Sergius, quoniam nè deprehenderetur hæreticus, nihil expreſsè poſuit, quod adverſaretur ſacroſanctæ Chalcedonenſi Synodo de duabus naturis in Chriſto indiviſis & inconfuſis, quas adeſſe in Chriſto contra Eutychetis hæreſim profeſſus eſt Sergius, & ſe recipere atque etiam defendere Sancti Leonis Epiſtolam conteſtatur. Dùm porrò agit de duabus operationibus & voluntatibus in Chriſto, abſtinendum dicit ab ejuſmodi locutione, nè, propter aliquorum infirmitatem, videantur duas in Chriſto contrarias inter ſe voluntates aſſeri: ab una quoque operatione & voluntate aſſerenda pariter abſtinendum exiſtimat, propter aliorum ſcandalum, nè ſcilicet ab ejuſmodi locutione inferatur, unam eſſe in Chriſto naturam: Et ad extremum, ut reverà Catholicus credatur, ſe ſubjicit Romani Pontificis cenſuræ, per illa verba: *Si quid ampliùs minùſve inveneritis, hoc per datam vobis à Deo gratiam adimplere, atque per ſanctas ſyllabas veſtras unà cum veſtra optabili ſoſpitate, quæque ſuper his vobis fuerint placita, ſignificare*. Sic ſubdolè omnia Sergius; quoniam in Epiſtola reſponſiva datâ ad Cyrum, qua, ut præfati ſumus, eum in ſuam traxit ſententiam, apertiùs loquitur, in ea namque, ut habetur eàdem Actione XII. ſextæ Synodi, ſic ſcribit.

427 „ Apparuit quidèm nobis ſtatim &
„ à primo experimento vehementia, & ſedu-
„ litas ſenſus Deo amabilitatis veſtræ, nunc
„ autem multò ampliùs per hec, quæ ſcripſit,
„ ſolertiam ejus atque diligentiam addidici-
„ mus. Inſinuans quippe relegiſſe divinam
„ juſſionem fortiſſimi & á Deo conſervandi
„ noſtri Imperatoris ad Archadium reveren-
„ dum Præſulem Cypri contra Paulum Prio-
„ rem maligni cœtus Acephalorum, & in-
„ veniſſe prædictam piam juſſionem, prohi-
„ bentem duas in Chriſto Deo noſtro dicere
„ operationes: interrogavit nos per notio-
„ nem ſuam, utrùm oporteat duas prædicare
„ operationes, an unam dicere in Domino
„ operationem. Undè nos ſimplici & com-
„ pendioſo ſermone utimur, & quæ noſtræ
„ ſunt ſcientiæ, perhibemus.

428 „ Aſſerimus igitur, quòd in ſanctis
„ quidèm magnis & univerſalibus Conciliis
„ nulla de hoc mentio facta eſt, nec invenire
„ eſt de hujuſmodi quæſtione diffinitionem
„ quamlibet eſſe prolatam à quodam ortho-
„ doxorum Conciliorum. Nonnullos verò
„ probabilium Patrum ſcimus, & præcipuè
„ ſanctiſſimum Cyrillum Alexandriæ Archi-
„ epiſcopum in quibuſdam ſcriptis ſuis, unam
„ vivificam operationem Chriſti veri Dei no-
„ ſtri dicentem. Sed & Mennas ſanctæ me-
„ moriæ, quondam Archiepiſcopus à Deo
„ conſervandæ hujus Regiæ Urbis, ſermo-
„ nem compoſuit acclamatum ad Vigilium
„ quondam Sanctiſſimum Papam antiquæ
„ Romæ, in quo & ipſe ſimili modo unam
„ voluntatem & unam Magni Dei & Salva-
„ toris noſtri Jeſu Chriſti operationem ad-
„ ſtruxit. Et ut prudentiſſima veſtra diligen-
„ tia relegens vigorem, quæ in eo contine-
„ tur, agnoſcat, neceſſariò præfatum ſermo-
„ nem tranſcribi fecimus, ſubnectentes teſti-
„ monia diverſa ad ſtabiliendam propoſitam
„ intêtionem, & hunc unà cum noſtris literis
„ ad eam deſtinare præcepimus.

429 „ Quoniam igitur aſſeruit veſtra
„ Reverentia, Leonem Sanctiſſimum Papam
„ Romanum in eo, quod dicit: *Operatur*
„ *enim utraque forma cum alterius communio-*
„ *ne*, duas operationes in Chriſto vero Deo
no-

,, noſtro tradere atque prædicare, oportet
,, ſcire, quòd multis ex impio ſchiſmate ma-
,, ledicti Severi adversùm pietatis dogmata
,, decertantibus, & adversùm prædicti egre-
,, gii Patris Epiſtolam latrantibus, quæ com-
,, muni revera rectæ fidei fundamentum exi-
,, ſtit, diverſi probabilium Catholicæ Eccle-
,, ſiæ Doctorum ad juſtam & veram advo-
,, cationem prædictæ Epiſtolæ aſſurrexerunt,
,, & nullum horum ſcimus dixiſſe, quòd in
,, præſenti libro duas operationes Leo ſan-
,, ctiſſimus aſſeruiſſet; ſed ut non omnes hos
,, ad medium deducentes, literas extendamus,
,, unius eorum, qui plurimam ob doctrinam
,, veracium dogmatum ab omnibus laudem
,, adeptus eſt, Eulogii, dico, venerabilis me-
,, moriæ quondam Alexandrinorum Paſtoris,
,, librum; qui integrum pro præfata ſcripſit
,, Epiſtola, teſtimonium ad præſentem per-
,, tinens textum, ſuperiùs memorato ſermo-
,, ni ſubnecti poſt paterna teſtimonia fe-
,, cimus.

430 ,, Neque ergò eos, quos ſcimus piè
,, pro ſuperiùs dicta Epiſtola propugnaſſe,
,, neque alium quemquam à Deo inſpirabi-
,, lium Eccleſiæ Inſtitutorum uſque hodie
,, duas operationes in Chriſto Deo noſtro re-
,, perimus adſtruxiſſe. Si quis verò de ſoler-
,, tioribus oſtendere valuerit, quemquam
,, probabilium Patrum noſtrorum, quorum
,, dogmata Catholicæ adſtruunt Eccleſiæ,
,, duas operationes in Chriſto dicere tradi-
,, diſſe, opportunum eſt per omnia ſequi.
,, Omninò enim neceſſe eſt, non ſolùm ſe-
,, cundùm ſenſum ſequi Sanctorum Patrum
,, dogmata, & eiſdem vocibus uti cum illis,
,, nihilque penitùs innovare. Quæ igitur
,, novimus propoſiti Capituli gratiâ, hæc
,, ſunt. Suſcipiens autem Deo amabilitas ve-
,, ſtra, & ſequentur ea, quæ à nobis miſſa
,, ſunt, relegens quæ ſunt ædificationis qui-
,, dèm in ejuſmodi ſermonibus, atque opu-
,, ſculis ipſis, ſcientiarum Deo & Patribus
,, adſcribat, gratis autem pro noſtra exoret
,, humilitate, & horum reſcripta veloci-
,, ter ad nos dirigat. *Hactenus ad Cyrum*
,, *Sergius*.

431 Sed antequàm ulteriùs progrediamur, altiùs repetenda ſunt hujus hæreſis primordia. Etenim ſub Juſtiniano Principe Anno Domini DLXIII. Joannis Papæ IV. Pontificatus Anno IV. & ejuſdem Imperii Juſtiniani Anno XXXVII. Poſt Conſulatum Baſili XX. currente Indictione XI. exorta eſt corrupticulorùm & incorrupticulorum, ſive corruptiblium & incorruptibilium hæreſis, à Severo ex una parte Pſeudoepiſcopo Antiocheno, & à Juliano ex altera pariter Pſeudoepiſcopo Halicarnaſſeo, ambobus ex Eutychiana hæreſi prodeuntibus; Theodoſius tunc temporis Epiſcopus Alexandrinus, à quo Theodoſiani dicti ſunt, ſectâ Eutychianus fautor corrupticulorum è propria Sede pulſus fuit, incorrupticulis prævalentibus, quorùm erat tunc Gajanus Anteſignanus inthronizatus in Eccleſia Alexandrina loco Theodoſii, ut ſcribit Liberatus in Breviario cap. 20. & aſſerit Leontius in lib. de Sectis cap. 5. & 10. Corrupticulæ verò, ſive Severiani Eutychiani hæretici affirmabant, Chriſtum habuiſſe carnem corruptibilem & paſſionibus neceſſitate obnoxiam, ut nequaquam ſe ab his liberum reddere potuerit. Incorrupticulæ verò, qui & Aphthardocitæ dicti ſunt, pariter Eutychiani, docebant è contrario, Chriſti carnem ſuâ naturâ incorruptibilem & paſſionum expertem fuiſſe; tamen quando volebat, eam paſſionibus ſubjicere potuiſſe. Inter quas ſententias ſibi invicem contradicentes in medium poſitus Juſtinianus, inconſultâ Apoſtolicâ Sede, inconſultiſque Epiſcopis, ut arbiter propriâ ſæculari auctoritate pro Incorruptibilibus definitivam ſentētiam pronunciavit, propoſito edicto, quo omnes eandem ſententiam tenere cogerentur, exilio mulctato Eutychio Epiſcopo Conſtantinopolitano ei contradicente, aliiſque Epiſcopis eadem de cauſa in exilium relegatis, ut ſcribit Evagrius lib. 4. cap. 38. & referunt alii Scriptores Græci. Undè factum eſt, ut cùm paulò poſt Juſtinianus ex hac vita migraſſet, fama percurreret hæreticum objiſſe, quamvis non deſint, qui referant ante obitum pœnituiſſe, atque Eutychium ab exilio revocaſſe, ut videre eſt apud eos, qui hujus Principis geſta recenſent.

432 Utramque certè ſententiam, ſive Corrupticulorum, ſive Incorrupticulorum hæreticam eſſe citra eſt controverſiam, quoniam Catholica Fides docet, Chriſti corpus naturâ ſuâ eſſe paſſionibus obnoxium, quemadmodùm cæterorum hominum corpora; non enim Dei Verbum naturam humanam diverſę à noſtra cæteriſque hominibus naturæ aut conditionis aſſumpſit; undè quemadmodùm noſtra omniumque hominum natura paſſionibus eſt obnoxia, ſic & fuit Chriſti Domini humana natura; undè in hoc hæretici erant Incorrupticulæ, docentes naturam humanam Chriſti Domini ex ſui natura incorruptibilem ac proinde non obnoxiam paſſionibus. Sed quoniam eadem Catholica Fides docet, ejuſmodi Chriſti naturam ex ſua natura paſſionibus obnoxiam, non tali neceſſitate obnoxiam, ut ſi Chriſtus noluiſſet, adhùc coacta fuiſſet ex neceſſitate pati. Altera quoque ſententia Corrupticulorum hæretica fuit; etenim, *oblatus eſt, quia ipſe voluit*, ſi enim noluiſſet, paſſionem minimè ſuſtinuiſſet. Ex hæretica porrò Eutychianorum Incorrupticulorum ſententia, à Juſtiniano ſuo edicto confirmata, exorti ſunt Monothelitæ, unam voluntatem in Chriſto affirmantes, & hanc divinam, ratione cujus poterat Chriſtus corpus ſuum, aliundè ex natura impaſſibile, paſſionibus ſubjici, ad quod minimè ſuffeciſſet

ſet humana voluntas, ſi aliter voluiſſet, ut prælibati hæretici inferebant. Et quoniam plauſibilis videbatur opinio iſtorum à Principe roborata, ideò propagata ſemper fuit uſque ad Heraclii tempora, licèt tacito nomine Incorruptibilis, vel Corruptibilis. His itaque ad eruditionem dumtaxat recenſitis, ut Hiſtoriam noſtram præſentem proſequamur, videndum erit quid ad Sergium, poſt relectas illius literas, reſpondit Honorius Papa. Extant ejuſmodi literæ eâdem Actione XII. ejuſdem ſextæ Synodi, quæ ita ſe habent, videlicet:

433 „ Scripta fraternitatis veſtræ ſuſcepimus, per quæ contentiones quaſdam, & novas vocum quæſtiones cognovimus introductas per Sophronium quendam, tunc Monachum, nunc verò ex auditu Epiſcopum Hieroſolymitanæ Urbis conſtitutum adversùs fratrem noſtrum Cyrum Alexandriæ Antiſtitem, unam operationem Domini noſtri Jeſu Chriſti converſis ex hæreſi prædicantem. Qui denique ad veſtram fraternitatem Sophronius veniens, quærelam hujuſmodi deponens, multiformiter eruditus, petiit de his, quæ à vobis fuerat inſtructus, paginalibus ſibi ſyllabis reſerari: quarum literarum ad eundem Sophronium directarum ſuſcipientes exemplar, & intuentes ſatis providè circumſpectèque fraternitatem veſtram ſcripſiſſe, laudamus novitatem vocabuli auferentem, quod poſſet ſcandalum ſimplicibus generare.

434 „ Nos enim in quo percepimus, oportet ambulare. Enimverò, duce Deo, perveniemus uſq; ad menſuram rectę fidei, quam Apoſtoli veritatis Scripturarum ſanctarum funiculo extenderunt, confitentes Dominum Jeſum Chriſtum mediatorem Dei & hominum operatum divina, mediâ humanitate Verbo Dei hypoſtaticè unitâ, eundemque operatum humana ineffabiliter atque ſingulariter aſſumptâ carne, diſcretè, inconfusè atque inconvertibiliter plenâ Divinitate; & qui coruſcavit in carne plena divinis miraculis, ipſe eſt, & carneus effectus plenè Deus & homo: paſſiones & opprobria patitur unus mediator Dei & hominum in utriſque naturis, Verbum caro factum, & habitavit in nobis; ipſe Filius hominis de Cœlo deſcendens, unus atque idem, ſicut ſcriptum eſt, crucifixus Dominus Majeſtatis, dùm conſtet, Divinitatem nullas poſſe perpeti humanas paſſiones; & non de Cœlo, ſed de Sancta eſt aſſumpta caro Dei Genitrice; (nam per ſe veritas in Evangelio ita inquit: *Nullus aſcendit in Cœlum, niſi qui de Cœlo deſcendit Filius hominis, qui eſt in Cœlo*) profectò nos inſtruens, quòd Divinitati unita eſt caro paſſibilis ineffabiliter atque ſingulariter, ut diſcretè atque inconfusè, ſic indiviſè videretur conjungi.

435 „ Ut nimìrum ſtupendâ mente, mirabiliter manentibus utrarumque naturarum differentiis, cognoſcatur uniri. Cui Apoſtolus, concinens ad Corinthios, ait: *Sapientiam loquimur inter perfectos, ſapientiam verò non hujus ſeculi, neque Principum hujus ſæculi, qui deſtruuntur, ſed loquimur Dei ſapientiam in myſterio abſconditam, quam prædeſtinavit Deus ante ſæcula in gloriam noſtram, quam nemo Principum hujus ſæculi cognovit. Si enim cognoviſſent, nunquam Dominum Majeſtatis crucifixiſſent.* Dùm profectò Divinitas nec crucifigi potuit, nec paſſiones humanas experiri vel perpeti, ſed propter ineffabilem conjunctionem humanæ Divinæque naturæ, idcircò ubique Deus dicitur pati, & humanitas ex Cœlo cum Divinitate deſcendiſſe. Undè & unam voluntatem fatemur Domini noſtri Jeſu Chriſti, quia profectò à Divinitate aſſumpta eſt noſtra natura, non culpa; illa profectò, quæ ante peccatum creata eſt, non quæ poſt prævaricationem vitiata. Chriſtus enim Dominus, in ſimilitudinem carnis peccati veniens, peccatum Mundi abſtulit, & de plenitudine ejus omnes accepimus; & formam ſervi ſuſcipiens, habitu inventus eſt ut homo, quia ſine peccato conceptus de Spiritu Sancto, etiam abſque peccato eſt partus de Sancta & Immaculata Virgine Dei Genitrice, nullum experiens contagium vitiatæ naturæ.

436 „ Carnis enim vocabulum, duobus modis ſacris eloquiis, boni malique cognovimus nominari, ſicut ſcriptum eſt: *Non permanebit ſpiritus meus in hominibus iſtis, quia caro ſunt.* Et Apoſtolus: *Caro & ſanguis Regnum Dei non poſſidebunt.* Et rurſùm: *Mente ſervio legi Dei, carne autem legi peccati. Et video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivum me trahentem in legem peccati, quæ eſt in membris meis.* Et alia multa hujuſmodi in malo abſolutè ſolent intelligi vel vocari. In bono autem ita, Iſaia Propheta dicente: *Veniet omnis caro in Hieruſalem, & adorabunt in conſpectu meo.* Et Job: *In carne mea videbo Deum.* Et aliàs: *Videbit omnis caro ſalutare Dei.* Et alia diverſa. Non eſt itaque aſſumpta, ſicut prefati ſumus, à Salvatore vitiata natura, quæ repugnaret legi mentis ejus, ſed venit *quærere & ſalvare quod perierat*, ideſt, vitiatam humani generis naturam. Nam lex alia in membris, aut voluntas diverſa non fuit, vel contraria Salvatori, quia ſuper legem natus eſt humanæ conditionis. Et ſi quidèm ſcriptum eſt: *Non veni facere voluntatem meam, ſed ejus, qui miſit me Patris.* Et: *Non quod ego volo, ſed quod tu vis, Pater:* Et alia hujuſmodi; non ſunt hæc diverſæ voluntatis, ſed diſpenſationis huma-

ma-

„ manitatis aſſumptæ. Iſta enim propter nos „ dicta ſunt, quibus dedit exemplum, ut ſequamur veſtigia ejus, pius magiſter diſcipulos imbuens, ut non ſuam unusquiſque „ noſtrùm, ſed potiùs Domini in omnibus „ præferat voluntatem.

437 „ Viâ igitur regiâ incedentes, & „ dextrorſum vel ſiniſtrorſum venatorum laqueos circumpoſitos evitantes, ne ad lapidem pedem noſtrum offendamus, Idumæis, „ ideſt, terrenis, atque hæreticis propria relinquentes, nec veſtigio quidem pedis ſenſus noſtri terram, ideſt, pravam eorum doctrinam omnimodo atterentes, ut ad id, „ quò tendimus, hoc eſt, ad fines patrios pervenire poſſimus, Ducum noſtrorum ſemitâ „ gradientes, & ſi fortè quidam balbutientes, ut ita dicam, niſi ſunt, proferentes exponere, formantes ſe in ſpeciem Nutritorum, ut poſſent mentes imbuere auditorum, „ non oportet ad dogmata hæc Eccleſiaſtica „ retorquere: que neque Synodales apices ſuper hæc examinantes, neque auctoritates „ Canonicæ viſæ ſunt explanaſſe, ut unam, „ vel duas energias aliquis præſumat Chriſti „ Dei prædicare, quas neque Evangelicæ, vel „ Apoſtolicæ literæ, neque Synodalis examinatio ſuper his habita, viſę ſunt terminaſſe, „ niſi fortaſſis, ſicut præfati ſumus, quidam „ aliqua balbutiendo docuerunt, condeſcendentes ad informandas mentes, atque intelligentias parvulorum, quæ ad Eccleſiaſtica „ dogmata trahi non debent, quæ unuſquiſque in ſenſu ſuo abundans videtur ſecundùm „ propriam ſententiam explicare. Nam quia „ Dominus Jeſus Chriſtus, Filius ac Verbum „ Dei, per quem facta ſunt omnia, ipſe ſit unus „ & idem operator Divinitatis, atque humanitatis, plenæ ſunt ſacræ literæ luculentiùs „ demonſtrantes.

438 „ Utrùm autem propter opera Divinitatis, & humanitatis, una, an geminæ „ operationes debeant derivatæ dici vel intelligi, ad nos iſta pertinere non debent, relinquentes ea grammaticis, qui ſolent parvulis, exquiſita derivando nomina venditare. Nos enim non ſecundùm unam operationem vel duas Dominum Jeſum Chriſtum, „ ejuſque Sanctum Spiritum, ſacris literis „ percipimus, ſed multiformiter cognovimus „ operatum; ſcriptum eſt enim: *Si quis Spiritum Chriſti non habet, hic ejus non eſt*; Et „ alibi: *Nemo poteſt dicere Dominus Jeſus, „ niſi in Spiritu Sancto. Diviſiones verò gratiarum ſunt, idem autem Spiritus, & diviſiones miniſtrantium ſunt, idem autem Dominus. Et diviſiones operationum ſunt, idem „ verò Deus, qui operatur omnia in omnibus*. „ Si enim diviſiones operationum ſunt multę, „ & has omnes Deus in membris omnibus „ pleni corporis operatur, quantò magis capiti noſtro Chriſto Domino, hæc poſſunt „ pleniſſimè coaptari? Ut Caput & Corpus „ unum ſit perfectum, ut profectò *occurrat*, „ Sicut ſcriptum eſt, *in virum perfectum, in „ menſuram ætatis plenitudinis Chiſti*. Si enim „ in aliis, ideſt in membris ſuis, Spiritus „ Chriſti multiformiter operatur, in quo vivunt, moventur, & ſunt: quantò magis per „ ſemetipſum mediatorem Dei, & hominum, „ plenè ac perfectè, multisque modis, & ineffabilibus confiteri nos communione utriuſq; „ naturæ condecet operatum?

439 „ Et nos quidem ſecundùm ſanctiones Divinorum eloquiorum oportet ſapere, „ vel ſpirare, illa videlicet refutantes, quæ „ quidem novæ voces noſcuntur Sanctis Dei „ Eccleſiis ſcandala generare, ne parvuli aut „ duarum operationum vocabulo offenſi, ſectantes Neſtorianos nos veſana ſapere arbitrentur: aut certè ſi rurſus unam operationem Domini noſtri Jeſu Chriſti fatendam „ eſſe cenſuerimus, ſtultam Eutychianiſtarum „ attonitis auribus dementiam fateri putemur, præcaventes, ne quorum inania arma „ combuſta ſunt, eorum Cineres redivivos „ ignes flammivomarum denuò renovent quęſtionum, ſimpliciter atque veraciter confitentes Dominum Jeſum Chriſtum unum „ operatorem Divinæ, atque humanæ naturæ electiùs arbitrantes, ut vani naturarum „ ponderatores, otiosè negotiantes, & turgidi adversùs nos inſonent vocibus ranarum „ philoſophi, quàm ut ſimplices, & humiles „ ſpiritu populi Chriſtiani poſſint remanere „ jejuni.

440 „ Nullus enim decipiet per philoſophiam, & inanem fallaciam diſcipulos piſcatorum, eorum doctrinam ſequentes; „ omnia enim argumenta ſcopuloſa diſputationis callidæ, atque fluctivaga intra eorum „ retia ſunt colliſa. Hæc nobiſcum fraternitas „ veſtra prædicet, ſicut & nos ea vobiſcum „ unanimiter prædicamus, hortantes vos, ut „ unius vel geminę novę vocis inductùm operationis vocabulum aufugientes, unum nobiſcum Dominum Jeſum Chriſtùm Filium „ Dei vivi, Deum veriſſimum, in duabus naturis operatum Divinitùs, atque humanitùs, fide orthodoxa, & unitate Catholica „ prædicetis. *Subſcriptio*. Deus te incolumem cuſtodiat dilectiſſime, atque ſanctiſſime frater. *Hactenus Honorii epiſtola ad Sergium*.

441 Hæc itaque epiſtola multorum fuit petra ſcandali & lapis offenſionis, condemnantium Honorium Papam velut hæreticum Monothelitam, quaſi in ea epiſtola cum Sergio, & Cyro unam voluntatem, unamque operationem tantùm in Chriſto Domino noſtro eſſe pronunciaſſet, id quod non ſine recto examine prætereundum eſt: quoniam cum Honorius ſcribat: *Unde & unam voluntatem fatemur Domini noſtri Jeſu Chriſti*. Et item. *Nos enim non unam operationem, vel duas Dominum Jeſum Chriſtum ejuſque Sanctum Spiritum, ſacris literis*

teris

teris percepimus. Et in fine. *Hæc nobiſcum fraternitas veſtra prædicet, ſicut & ea nos vobiſcum unanimiter prædicamus, hortantes vos, ut unius vel geminæ novæ vocis inductum operationis vocabulum aufugientes*. Quæ quidem verba innuere videntur de mente Honorii unam tantùm fuiſſe voluntatem in Chriſto, nec dici debere in eo duas fuiſſe operationes, ſicut placuerat Sergio, & definiverat Cyrus Monthelitarum hæreſis promulgatores.

442 Verùm ſpectato inſtituto Honorii in ea conſcribenda epiſtola, & omnibus libratis rectèque perpenſis, alienum certè ab hujus hæreſis labe Honorium reperiemus, rectamque fidem profeſſum, ſi ſenſus & intellectus verborum legitimus ac genuinus Pontificis percipiatur. Etenim unam voluntatem in Chriſto & ipſe profitetur reſpondens Sergio, eo in ſenſu, quo idem Sergius duas voluntates in Chriſto non eſſe adſtruendas fatetur, hoc eſt duas contrarias voluntates: Scribit enim Sergius in ſua epiſtola: *Inſuper & conſequens ei ſit prædicare duas voluntates, contrarietates circa invicem habentes, tanquam Deo quidem Verbo ſalutarem volente adimpleri paſſionem, humanitate verò ejus obſiſtente ejus voluntati, & reſiſtente, & perinde duo contraria volentes introducantur, quod impium eſt. Impoſſibile quippè eſt in uno eodemque ſubjacenti duas ſimul, & erga hoc ipſum contrarias ſubſiſtere voluntates*. Hoc idem ergo fatetur Honorius reſpondens Sergio, nimirùm unam eſſe in Chriſto voluntatem ad excludendas duas contrarias voluntates, proindè probat non vitiatam Carnem Dei Verbum aſſumpſiſſe ſe, habentem in ſe aliam legem repugnantem legi mentis. *Undè*, ait, *& unam voluntatem fatemur Domini noſtri Jeſu Chriſti, quia profectò à Divinitate aſſumpta eſt noſtra natura, non culpa*. Et infrà: *Non eſt itaque aſſumpta, ſicut præfati ſumus, à Salvatore vitiata natura, quæ repugnaret legi mentis ejus*. Et paucis interjectis. *Nam lex alia in membris, aut voluntas diverſa non fuit, vel contraria Salvatori: Quia ſuper legem natus eſt humanæ conditionis*. Undè palàm fit, duas tantùm contrarias ſibi invicem voluntates in Chriſto rejeciſſe Honorium, non tamen denegaſſe duas voluntates concordes, humanam ſcilicèt, naturam comitantem humanam, atque & Divinam Verbi Dei ſequentem naturam: quas duas voluntates ſic concordes ineſſe Chriſto, ex iis quæ ſubjungit, demonſtrat, dùm ait: *Et ſi quidem ſcriptum eſt, non veni facere voluntatem meam, ſed ejus qui miſit me Patris. Et: non quod ego volo, ſed quod tu vis Pater*. Quibus teſtimoniis probat in Chriſto fuiſſe humanam voluntatem in omnibus Divinæ voluntati concordem: proindè ſubjungit: Non ſunt hæ diverſæ voluntatis, ideſt contrariæ voluntatis, *Sed diſpenſationis humanitatis aſſumptæ*, habentis ſcilicèt voluntatem Divinæ voluntati conformem propter perfectionem naturæ aſſumptæ non vitiatæ, & unionem illius cum Verbo Divino. In eo ergo, quòd dixerat unam voluntatem in Chriſto in ſenſu antefato, & explicato, non eſt undè accuſari poſſit de errore Monothelitarum, qui ut exitus probavit poſteà, unam tantùm ſubſtantialem in Chriſto voluntatem, & hanc divinam adſtruebant, id quod Sergius in prærecenſita epiſtola ad Honorium tacuit, nec aperuit, ſolumque, ut ſilentium Sophronio contradicenti indiceretur, faſſus eſt controverſiam eſſe de duabus voluntatibus in Chriſto inter ſeſe contrariis, prout præfati ſumus, & verba ejus demonſtrant.

443 Ad illud verò de una, vel duabus operationibus, abſtinendum ab ejuſmodi locutione, propoſuerat Sergius, propter periculum ſubverſionis aliquorum: ait enim: *eo quòd unius operationis vox, quamquam à quibusdam Sanctis dicta eſt Patribus, tamen peregrina videatur, & perturbare aures quorumdam ſuſpicantium ad peremptionem hanc proferre inconfusè, atque ſecundùm ſubſiſtentiam unitarum in Chriſto Deo noſtro duarum naturarum, quod non eſt unquam, nec fiat. Similitèr autem, & duarum operationum dictio multos ſcandalizet, utpotè à nullo Sanctorum, & probabilium Eccleſiæ Inſtitutorum edita*. Itaque Honorius huic articulo reſpondens, non negavit in Chriſto duas operationes, nec aſſeruit unam, abſtinendum prò tùnc exiſtimavit & ipſe ab ejuſmodi utendis vocabulis, ne propter infirmum aliquorum intellectum unam dicendo, Eutychianam hæreſim ab inferis revocarent; & unam naturam, ſicut & unam operationem in Chriſto dicerent; vel ſi duæ dicerentur, in ſententiam jam proſcriptam abirent Neſtorii de duabus in Chriſto perſonis diſtinctis. Nam ait Honorius. *Illa videlicèt refutantes, quæ quidem novæ voces noſcuntur Sanctis Dei Eccleſiis ſcandala generare, ne parvuli aut duarum operationum vocabulo offenſi, ſectantes Neſtorianos nos veſana ſapere arbitrentur: aut certè, ſi rurſus unam operationem Domini noſtri Jeſu Chriſti fatendam eſſe cenſuerimus, ſtultam Eutychianiſtarum attonitis auribus dementiam fateri putemur, præcaventes nè quorum inania arma combuſta ſunt, eorum cineres redivivos ignes flammivomarum denuò renovet quæſtionum*. Itaque ex novitate vocum unius, vel duarum operationum in Chriſto Domino, quæ poterant ſcandalum ingerere ex malo illarum intellectu; & quoniam nondùm hac de re in Sacris Conciliis aliquid expreſsè definitum fuerat, nec apud Sanctos Patres apertè quicquam ſcriptum reperiebatur, conſultiùs cenſuit Honorius ab hujuſmodi vocibus tùnc abſtinendum, quàm aliquid decernendum.

444 Et hoc fortiùs, quoniam controverſia videbatur potiùs de denominatione, quàm de realitate operationum, an ſcilicèt operationes Chriſti Domini, quæ ab uno ſuppoſito in duabus naturis procedebant, duæ à dualitate naturarum, an una ab unitate ſuppoſiti rectè dici

dici deberent, quoniam cum actiones ſint ſuppoſitorum ſecundùm Philoſophos, & unum in Chriſto ſit ſuppoſitum, videbatur potuiſſe ſalvâ fide, aſſeri in Chriſto unam operationem, propter ſuppoſiti unitatem: aliundè propter dualitatem naturarum, aliis videbatur eſſe duas dicendas operationes: Undè potiùs de nomine tunc videbatur quæſtio quam de re. Id quod perbellè obſervavit Honorius, dum in ſua epiſtola ſcribit: *Utrum autem propter opera Divinitatis, & humanitatis, an geminæ operationes debeant derivatæ dici, vel intelligi, ad nos iſta pertinere non debent, relinquentes ea Grammaticis, qui ſolent parvulis exquiſita derivando nomina venditare*. Quibus verbis confitetur Honorius alia eſſe opera Divinitatis, alia humanitatis in Chriſto, an poſtea derivatè dici debeant duæ propter dualitatem naturarum, an una propter unitatem ſuppoſiti, Grammaticis conſideranda relinquit: quoniam ad dogma fidei ſolùm pertinet aſſeri alia in Chriſto fuiſſe Divinitatis opera, alia humanitatis: Quantùm poſtea ad denominationem propter derivationem, quæſtionem de nomine cenſuit, proindè à Grammaticis definiendam, minimè à Theologis. Et in fine ait: *Simpliciter atque veraciter confitentes Dominum Jeſum Chriſtum unum operatorem, Divinæ atque humanæ naturæ, electiùs arbitrantes, ut vani naturarum ponderatores, ocioſè negociantes & turgidi adversùs nos inſonent vocibus ranarum Philoſophi, quàm ut ſimplices & humiles ſpiritu populi Chriſtiani poſſint remanere jejuni*. Per quæ verba alludit ad Philoſophos, qui ſubtilia perſcrutantes, de denominationibus, undè deſumantur, plura proferunt. Non eſt ergo eâ in epiſtola unde de errore, vel minimo in cauſâ fidei reprehendi poſſit Honorius.

445 Sed redeundo ad hiſtoriam, his peractis inter Sergium & Honorium, tenuit ſilentium Sophronius, quemadmodum in ſua epiſtola Sergius conteſtatur. Atqui non ità paruit Cyrus Epiſcopus Alexandrinus, qui unam operationem in Chriſto aſſerendam præcipiebat, qua de re offenſus Sophronius, miſſâ ad Honorium legatione rogavit, ut petulanti Cyri linguæ talia docentis frænum imponeret: Cujus legationis mentio fit in Concilio Lateranenſi ſub Martino I. Secretar. II. ubi Stephanus Epiſcopus Hieroſolymitanus dixit.

446 „ *Benedictus Deus & Pater Domini* „ *noſtri Jeſu Chriſti, Pater miſerationum, &* „ *Deus totius conſolationis, qui conſolatus eſt* „ *nos*, per Sacratiſſimum in idipſum & Sacer„ dotalem Conventum ſanctitatis veſtræ in om„ ni tribulatione noſtra, quæ facta eſt nobis „ propter Sanctam Catholicam ejus Eccle„ ſiam, ab adverſantibus verbo fidei: Hanc „ etenim, Beatiſſime, in pace & tranquilli„ tate conſiſtentem veluti fluctus immanes ir„ ruentes per ſuam hæreſim turbaverunt, „ priùs quidem Theodorus Pharanitanæ Ec„ cleſiæ quondam Epiſcopus; Poſtmodum „ autem Cyrus Alexandrinus Antiſtes, item „ Sergius Conſtantinopolitanus, nec non „ ſucceſſores ejus Pyrrhus, & Paulus. Hi „ namque Apollinaris & Severi dogmata hæ„ reticorum renovari auſi ſunt, per hoc, quod „ prædicaverunt, unam voluntatem & opera„ tionem Divinitatis & humanitatis Chriſti „ dogmatizare, quorum ſcripta teſtantur con„ tra omnem præſeminata orbem terrarum, „ ad deceptionem ſimplicium: qui ſtuduerunt „ non ſolùm exponere audacter & conſcribe„ re, ſed & divulgare contra paternas, & Sy„ nodalis Eccleſiæ inſtitutiones in aperto niſi „ ſunt, & tàm per capitulorum ſeriem ſuper „ ambone cum anathematis vinculo, qui ſic „ non ſaperet, & ſecundùm ſenſum eorum „ recitatam, quâmque per ſententias & ſub„ ſcriptiones ac geſtorum monimenta.

447 „ Ac per hoc univerſam Catholicam „ Eccleſiam in his conturbantibus memoratis „ viris, juxta quod Beatus Hieremias inquit: „ *Confuſi ſumus, quia audivimus impropre*„ *rium: dereliquimus in confuſione vultum no*„ *ſtrum, quia intraverunt alienigenæ in San*„ *ctuarium noſtrum*: & propterea aliquandò „ quidem aquam capiti, & oculis fontes la„ crymarum exquirebamus, ubique omnes fi„ deles hujuſmodi miſeram calamitatem plo„ rantes: aliquandò autem pennas Columbæ „ ſecundùm Beatum David, & volemus, & „ annuntiemus hæc omnia omnium propoſi„ tæ; Sed dico autem ſummæ veſtræ & prin„ cipali ad medicinale conſultum emerſi vul„ neris: quippè quoniam hoc proteſtativè „ olim & ab antiquitus facere per Apoſtoli„ cam ſivè Canonicam conſuevit auctorita„ tem: dum aperta lucubratione, non ſolùm „ claves regni Cœlorum creditæ ſunt ei, atque „ ipſe tantummodò ad aperiendum eas fide„ libus quidem dignè, minimè autem Evan„ gelio credentibus juſta claudere magnus ſe„ cundùm veritatem, & princeps Apoſtolo„ rum meruit Petrus; Sed etiam & paſcere „ primus juſſus eſt oves Catholicæ Eccleſiæ, „ cum Dominus dicit: *Petre amas me? Paſce* „ *oves meas*: Et iterum ipſe præcipuè ac ſpe„ cialiter firmam præ omnibus habens in Do„ minum Deum noſtrum & immutabilem fi„ dem: convertere aliquandò & confirmare „ exagitatos conſortes ſuos, & ſpiritales me„ ruit fratres, utpotè diſpenſativè ſuper om„ nes ab ipſo, qui propter nos Incarnatus eſt „ Deus, poteſtatem accipiens & Sacerdota„ lem auctoritatem.

448 „ Quod utique ſciens Beatæ memo„ riæ Sophronius quondam Patriarcha San„ ctæ Chriſti Dei noſtri Civitatis, ſub cujus „ Diœceſi fungebar Sacerdotale officium, non „ acquieſcens omninò carni & ſanguini, ſed „ ſola quæ Chriſti ſunt juxta ſanctitatem ve„ ſtram excogitans, ſtuduit meam humilita„ tem ſine mora pro hujuſmodi tantummodò

,, capitulo cum ſua ſuggeſtione ad hanc Apoſto-
,, licam magnamq; dirigere Sedem, in ſcripto,
,, atque ſine ſcripto, per me ſupplicem veſtrum
,, omnium prædictorũ virorum adaperiens no-
,, vitatem, quam videlicèt contra orthodoxam
,, fidem memorati viri exponere auſi ſunt.

449 ,, Quippè nam & ipſe, dùm adjuva-
,, ret, ſuperiùs dictis temeratoribus in Orien-
,, te validiſſimè contradixit, conteſtans eos,
,, & admonens, ut à propria hæreſi quieſce-
,, rent, & ad rectam Patrum fidem remea-
,, rent, dans in duobus libris ſexcenta teſti-
,, monia Patrum ad evictionem impietatis eo-
,, rum, & veritatis oſtenſionem. Quos qui-
,, dem revocare minimè valuit; commovit
,, autem eos contra ſe àd inſidias, & mali-
,, gnam detractionem: Sed nullo modo pro-
,, pter hoc reveritus eſt omninò ille, nec ti-
,, muit timorem ubi non timor, quoniam
,, *juſtus ſicut leo confidit*. Zelo autem Dei &
,, fiducia repletus, duxit me indignum, & ſta-
,, tuit in Sancto Calvariæ loco, ubi propter
,, nos, ipſe qui ſuper nos ſecundùm naturam
,, Deus eſt, Dominus noſter Jeſus Chriſtus
,, ſpontè crucifigi ſecundùm carnem dignatus
,, eſt: & ibi alligavit me vinculis indiſſolubi-
,, libus, dicens: Tu dabis rationem ipſi, qui
,, propter nos ſecundùm carnem in hoc ſancto
,, loco ſpontè crucifixus eſt Deus, quandò
,, cum gloria in terribili ejus adventu judica-
,, turus eſt vivos & mortuos, ſi diſtuleris &
,, poſtpoſueris fidem ejus periclitantem, li-
,, cèt ego hoc facere corporaliter, ut noſti,
,, propter emerſam ex noſtris peccatis incur-
,, ſionem ſaracenorum præpedior.

450 ,, Quantocyus ergo de finibus terræ ad
,, terminos ejus deambula, donec ad Apoſto-
,, licam Sedem, ubi orthodoxorum dogma-
,, tum fundamenta exiſtunt, perveniens, non
,, ſemel, non bis, ſed multò ſæpiùs aperiens
,, ſacris viris ibidem conſiſtentibus omnia ſe-
,, cundùm veritatem, quæ in iſtis partibus mo-
,, ta ſunt, & non quieſcas inſtantiùs expe-
,, tens, atque exorans eos, donec ex Apo-
,, ſtolica prudentia, quæ in Deo eſt, ad vi-
,, ctoriam judicium perducere debeant, & no-
,, viter introductorum dogmatum perfectam
,, faciant ſecundùm Canones deſtructionem, &
,, nè ſecundùm quod Beatus Apoſtolus Pau-
,, lus ait, ſicut cancer paſcuam in ampliùs in-
,, veniant depaſcentes ſimplicium animas.

451 ,, Igitur in his pertimeſcens ego,
,, atque perterritus, propter impoſitam mihi
,, terribilem in tremendo & venerabili loco
,, conjurationem, nec non & creditum mihi
,, ex Dei permiſſu Epiſcopale miniſterium
,, conſiderans, ſed & ſupplicationes omnium
,, penè habitantium orientalium tractum, Re-
,, verendiſſimorum Epiſcoporum, & Chriſtia-
,, norum populorum conſonanter prædicto
,, beatæ memoriæ Sophronio ad hoc me invi-
,, tantium, utpotè primùm Hieroſolymitanæ
,, Diœceſeos, pervenire; *non dedi*, ſecundùm
,, ſcripturam, *Somnum oculis meis*, *& palpe-*
,, *bis meis dormitationem*, *& requiem tempori-*
,, *bus meis*, quatenus adimplere debuiſſem
,, hujuſmodi deſiderabilem juſſionem: ſed
,, abſque ulla mora propter hoc ipſum tan-
,, tummodò huc properavi: à quo tempore
,, tertiò viſus ſum veſtris Apoſtolicis adeſſe
,, veſtigiis, expetens, ac deprecatus, ut quod
,, ille, & omnes libenter poſtulare noſcuntur,
,, hoc eſt, fidei Chriſtianorum periclitanti
,, manum porrigere.

452 ,, Quod addiſcentes contrarii, non
,, levibus me implicuerunt afflictionibus, præ-
,, ceptiones propter me per loca, & Provin-
,, cias dirigentes, quatenus comprehendi &
,, ferris conſtrictus ad eos deberem deſtinari,
,, ſicut omnes cognoſcunt. Sed Dominus auxi-
,, liatus eſt mihi, & liberavit me ab omnibus
,, perſequentibus me, ideoque ad propoſi-
,, tum currentem, & ad bravium properantem
,, veſtræ Apoſtolicæ Sedis. Neque deſpexit
,, Deus preces cum lacrymis oblatas ſuppli-
,, cum ſuorum, ſed excitavit non equidem
,, mediocriter præceſſores Apoſtolicosq; Præ-
,, ſules in commonitione, nec non conteſta-
,, tione prædictorum virorum, licèt nullo
,, modo eos flectere potuerunt. *Hactenus Ste-*
,, *phanus*, qui functus fuerat legatione So-
,, phronii ad Honorium Papam.

453 Ex qua Stephani atteſtatione liquet
Honorium curaſſe hoc malum evellere, ac fræ-
na impoſuiſſe Cyri petulantiæ, quamvis Cy-
rus, contemptis Honorii juſſionibus, nihil im-
mutare voluiſſet. Teſtatur quoq; ipſemet Ho-
norius in ſecunda quam hac de re fecit ad Ser-
gium epiſtola, cujus pars lecta eſt in ſexta
Synodo in fine Actionis XIII. habebatque &
præfixum titulum. *Dilectiſſimo fratri Sergio*
Honorius. In eâ namque, ſic ſcribit: ,, Nec
,, non & Cyro fratri noſtro Alexandriæ Civi-
,, tatis Præſuli, quatenùs novæ adinventionis
,, unius, vel duarum operationum vocabulo
,, refutato, elato Dei Eccleſiarum præconio,
,, nebuloſarũ concertationum caligines offun-
,, di non debeant vel aſpergi, ut profectò unius
,, vel geminæ naturæ Chriſti Dei vocabulum,
,, noviter introductum ex prædicatione fidei
,, eximatur; Nam qui hæc dicunt, quid aliud
,, niſi juxta unius vel geminæ naturæ Chriſti
,, Dei vocabulum, ita operationem unam, vel
,, geminam ſuſpicantur? Super quòd elata ſunt
,, Divina teſtimonia. Unius enim operationis
,, vel duarum eſſe, vel fuiſſe mediatorem Dei
,, & hominum Jeſum Chriſtum, ſentire & pro-
,, mere ineptum eſt. ,, *Hæc Honorius*: Cujus
verba ſunt intelligenda modo ſupra explicato.
Sed in eadem epiſtola hæc alia relecta ſunt.

454 ,, Et quidem, quantùm ad inſtruen-
,, dam notitiam ambigentium, ſanctiſſimæ
,, fraternitati veſtræ per eam inſinuandam
,, prævidemus. Cæterùm quantum ad dog-
,, ma Eccleſiaſticum pertinet, quæ tenere vel
,, prædicare debemus propter ſimplicitatem
,, ho-

„ hominum, & amputandas inextricabiles „ quæſtionum ambages, ſicut ſuperiùs diximus, non unam vel duas operationes in „ mediatore Dei & hominum definire, ſed „ utraſque naturas in uno Chriſto unitate naturali copulatas, cum alterius communione operantes, atque operatrices confiteri „ debemus, & Divinam quidem, quæ Dei „ ſunt operantem; & humanam quæ carnis „ ſunt exequentem, non diviſè, neque confusè, aut convertibiliter, Dei naturam in „ hominem, & humanam in Deum converſam „ edocentes, ſed naturarum differentias integras confitentes: unus enim, atque idem „ eſt humilis & ſublimis, æqualis Patri, & „ minor Patre, ipſe ante tempora, natus in „ tempore eſt: Per quem facta ſunt ſæcula, factus in ſæculo eſt: & qui legem dedit, factus „ ſub lege eſt, ut eos qui ſub lege erant, redimeret: Ipſe Crucifixus, ipſe Chirographum, „ quod erat contra nos evacuans in Cruce, de „ Poteſtatibus & Principatibus triumphavit.

455 „ Auferentes ergo, ſicut diximus, „ ſcandalum novellæ adinventionis, non nos „ oportet unas vel duas operationes definientes prædicare, ſed pro una, quam quidam „ dicunt, operatione, oportet nos unum operatorem Chriſtum Dominum in utriſque naturis veridicè confiteri: & pro duabus operationibus, ablato geminæ operationis vocabulo, ipſas potiùs duas naturas, ideſt „ Divinitatis & carnis aſſumptæ, in una perſona Unigeniti Dei Patris inconfuſè, indiviſè, atque inconvertibiliter nobis prædicare, propria operantes. Et hoc quidem „ Beatiſſimæ fraternitati veſtræ inſinuandum „ prævidimus, quatenùs unius confeſſionis „ propoſitum unanimitati veſtræ Sanctitatis „ monſtremus, ut profectò in uno ſpiritu, „ anhelantes, pari fidei documento conſpiremus. Scribentes etiam communibus fratribus Cyro & Sophronio Antiſtitibus, ne novæ vocis, ideſt, unius vel geminæ operationis vocabulo inſiſtere vel immorari videantur: Sed abraſâ hujuſmodi novæ vocis „ appellatione, unum Chriſtum Dominum „ nobiſcum in utriſque naturis Divina vel „ humana prædicent operantem. Quamquam „ hos, quos ad nos prædictus frater & Coepiſcopus noſter Sophronius miſit, inſtruximus, nè duarum operationum vocabulo deinceps prędicare innitatur, quod inſtantiſſimè „ promiſerunt prędictum virum eſſe facturum, „ ſi etiam Cyrus frater, & Coepiſcopus noſter „ ab unius operationis vocabulo diſceſſerit. „ *Hæc Honorius ad Sergium in ſecunda epiſtola.*

456 Mirandum eſt ſanè quoſdam propter hæc Honorii ſcripta Monothelitam facere, vel Monothelitarum fautorem: cum nullo pacto ex iis Monothelitica hereſis evinci poſſit. Etenim optimè explicat duas naturas in Chriſto, & ſecundùm eaſdem diverſas operationes, Divinam ſcilicèt & humanam: dicens: *Sed utraſque naturas in uno Chriſto unitate naturali copulatas, cum alterius communione operantes, atque operatrices confiteri debemus: & Divinam quidem, quæ Dei ſunt operantem, & humanam, quæ carnis ſunt exequentem.* Non enim clariùs Catholicam ſententiam exprimere poterat de diſtinctis in Chriſto operationibus, humanâ ſcilicet, & Divinâ. Deindè explicat in quo ſenſu poſſet dici una operatio, reſpectu ſcilicet unius ſuppoſiti operantis, inquiens: *Sed pro unâ, quam quidam dicunt, operatione, oportet nos unum operatorem Chriſtum Dominum in utriſque naturis veridicè confiteri.* Et inde in quo ſenſu duæ ab aliis dicantur, explicans dicit: *& pro duabus operationibus, ablato geminæ operationis vocabulo, ipſas potiùs duas naturas, ideſt Divinitatis & carnis aſſumptę in una perſona Unigeniti Dei Filii, inconfuſè, indiviſè, atque inconvertibiliter nobiſcum prædicare propria operantes:* Sicque utramque opinionem in bono ſenſu explicare voluit: licèt propter ſuperiùs allegatas rationes ab hujuſmodi vocabulis, unius, vel duarum operationum abſtinendum cenſuerit: & quidem alicujus œconomiæ gratiâ, quam œconomiam non contempſit Stephanus Sophronii Legatus, nec ab ea abhorruit Sophronius pro eo tempore, ut teſtatur in eadem epiſtola idem Honorius, dummodò tamen & ipſe Cyrus ab unius operationis vocabulo ſe quoque abſtineret. Nondum enim detecta erat prava Cyri, aliorumque Monothelitarum mens, atque ſententia, ut poſtea evenit: Proinde ſilentium à Pontifice indictum tolerabile erat: Sed dum poſtea conſtitit, ex aſſertione unius operationis, uniuſque voluntatis, ac duarum denegatione, Monothelitarum mentem fuiſſe denegandi in Chriſto diſtinctas operationes humanam, & Divinam, voluntatem humanam à Divina diſtinctam, & ex conſequenti ipſam humanam naturam à Divina diſtinctam, nec controverſiam eſſe de ſola denominatione, ſive appellatione, quemadmodum viſum fuit ab initio, tunc ejuſmodi ſilentium non fuit ampliùs tolerabile, ut infra ſuo loco oſtendemus.

457 Interea rebus ſic ſtantibus Honorius Papa ex hac vita migravit, anno Domini DCXXXVIII. Imperii Heraclii XXIX. currente Indictione XI. cùm ſediſſet annos XII. menſes IV. & dies XXVII. Obiit enim IV. Idus Octobris, ut ex Actis Lateranenſis Synodi conjicere licet, quibus corrigendus eſt Anaſtaſius dicens, ſediſſe annos XII. menſes XI. & dies XVII. Cujus loco univerſo conſiſtente Romano Clero, ſuffectus eſt Severinus, natione Romanus ex Patre Abieno, ut ſcribit Anaſtaſius. Eodem tempore Sergius Epiſcopus Conſtantinopolitanus nomine Heraclii Imperatoris Ecthesin compoſuit, ſive quandam fidei explanationem, ut ſuam hæreſim de unâ in Chriſto voluntate conſtabiliret, eandemque ejuſdem Heraclii nomine publicare fecit, adiecto mandato de ita credendo, quem-

admodùm in eo Decreto Catholica fuerat expoſita fides. Quæ quidem Ectheſis, ſive fidei explanatio lecta eſt Secretar. III. Synodi Lateranenſis ſub Martino Papa I. & ita ſe habet.

Expoſitio orthodoxæ fidei facta à Deo conſervando, & piiſſimò noſtro Domino, Magno Principe Heraclio, propter emerſam ab aliquibus altercationem pro requiſitione operationis, cōſonans in omnibus Sanctis, & Univerſalibus quinque Conciliis, quam cum multa ſatisfactione, & gratia exceperunt Patriarchis Sedibus Præſules, & gratanter ei conſenſerunt, utpotè pacem Sanctis Dei Eccleſiis inferentem.

458 „ Credimus in Patrem, & Filium, &
„ Sanctum Spiritum, Trinitatem conſubſtan-
„ tialem, unam Deitatem ſivè naturam &
„ eſſentiam, virtutemque & poteſtatem in
„ tribus ſubſiſtentiis, ſivè perſonis, cogno-
„ ſcentes uniuſcujuſque ſubſiſtentiæ familia-
„ ritatem, unitatem in Trinitate, & Trinita-
„ tem in unitate: Unitatem quidem eſſentiæ
„ ſuæ Deitatis rationem, Trinitatem autem
„ ſecundùm ſubſiſtentias, ſivè perſonas.

459 „ Nec enim unum ſecundùm eſſen-
„ tiam confitentes, à perſonarum differentiâ
„ excedimus: neque autem Trinitatem per-
„ ſonarum confitentes unam denegamus Dei-
„ tatem, Unus Deus Pater, unus Deus Filius,
„ unus Deus Spiritus Sanctus, unus hæc tria
„ Deus in eadem & immutabili Deitatis ratio-
„ ne: Nam perſonarum differentia, Deitatis
„ ſivè eſſentiæ non infert divi-ſionem.

460 „ Unam igitur confitemur Deitatem
„ proprietates inconfuſas ſervantem, & non
„ in unam perſonam tribus nominibus nun-
„ cupatam, aſſerentes hæc tria ſecundùm
„ Sabellium. Neque autem in tres eſſentias
„ unam Deitatem dividentes, aut extranean-
„ tes à Patris eſſentia Filium, aut Spiritum
„ Sanctum ſecundùm inſaniam Arii. Unum
„ enim eſt in tribus Deitas, ut dicit magnus
„ Gregorius in Theologia, & tria unum, in
„ quibus Deitas, ſivè ut veriſſimè dicatur,
„ Quædeitas.

461 „ Confitemur autem unum Sanctæ
„ Trinitatis Unigenitum Filium Dei, Deum
„ Verbum, à Patre progenitum ante omnia
„ ſæcula, lumen de lumine, ſplendorem glo-
„ riæ, vultum paternæ ſubſtantiæ, per quem
„ omnia facta ſunt, in extremis diebus pro-
„ pter nos, & propter noſtram ſalutem, de-
„ ſcendere de Cœlis, dignarique in intacto
„ Utero Sanctiſſimæ Dei Genitricis, & ſem-
„ per Virginis Mariæ habitare, & ex ea con-
„ glomerantem ſibi carnem in una ſubſtantia,
„ animam habentem rationalem, atque intel-
„ lectualem, natum eſſe ab ea, & ſemper ma-
„ nentem perfectum Deum, eundemque fie-
„ ri perfectum hominem inconfusè, atque in-
„ divisè, conſubſtantialem Deo, & Patri ſe-
„ cundùm Deitatem, & conſubſtantialem no-
„ bis eundem ſecundùm humanitatem, & per
„ omnia ſimilem nobis ſine peccato.

262 „ Undè & duas nativitates ejuſdem
„ Unigeniti Dei Verbi confitemur: unam
„ ante ſæcula à Patre ſine tempore & incor-
„ poraliter, alteram ipſius in extremis diebus
„ à Sancta intactâque Dei Genitrice & ſem-
„ per Virgine Maria, cum animato intelle-
„ ctualiter ejus corpore. Quapropter Sanctam
„ & nimis laudabilem ſemper Virginem Ma-
„ riam rectè & veraciter Dei Genitricem præ-
„ dicamus: Non quia Dei Verbum initium
„ ab ea accepit ut eſſet, ſed in extremis die-
„ bus Incarnatus ex ea, immutabiliter homo
„ factus eſt, & Paſſionem pro nobis ſponta-
„ neam carne ſuſtinuit. Compoſitum autem
„ Chriſtum glorificamus, Sanctorum Patrum
„ ſequentes doctrinam.

463 „ Pro enim myſterio, quod in Chri-
„ ſto eſt, per compoſitionem unitio, & confu-
„ ſionem & diviſionem ejicit, & ſervat qui-
„ dem utraque natura proprietatem, unam
„ autem ſubſtantiam, & unam perſonam Dei
„ Verbi cum animata intellectualiter ejus
„ carne oſtendit, neque quaternitate nobis
„ pro Sancta Trinitate introductâ: abſit, nec
„ enim quartæ perſonæ additamentum San-
„ cta Trinitas ſuſcepit, & Incarnato uno ex
„ ea Dei Verbo.

464 „ Neque autem alter erat qui mira-
„ cula operabatur ut Deus, alter autem quàm
„ ipſe qui paſſiones ſuſtinuit, ſed unum eun-
„ demque Filium confitemur Deum ſimul &
„ hominem, unam ſubſiſtentiam, unam per-
„ ſonam, paſſibilem carne, impoſſibilem Dei-
„ tate, perfectum Deitate, & perfectum eun-
„ dem humanitate, & ipſius miracula, &
„ paſſiones, quas ſpontè ſuſtinuit Corpore.
„ Unde & ex duabus naturis unum Chriſtum
„ confitemur, unum Filium, unum Domi-
„ num, unam perſonam, unam ſubſtantiam
„ compoſitam, & unam naturam Dei Ver-
„ bi incarnatam corpore animato intelle-
„ ctualiter, ſicut Cyrillus Magnus ſapuit &
„ docuit, & in duabus naturis eundem eſſe
„ glorificantes: ut in Deitate & humanitate
„ unum Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum
„ verum Deum cognitum eſſe confitemur, dif-
„ ferentiam per hunc modum ſolùm ſignifi-
„ cantes naturarum, pro quibus inconfusè
„ ineffabilis unitas facta eſt.

465 „ Nec enim Deitas tranſmigravit in
„ carnem, neque caro in Deitatem traſmuta-
„ ta eſt, ſed in proprietate naturali, & pro
„ uniuſcujuſque ſubſiſtentiæ unitate utrum-
„ que permanſit. Unde unum ſcimus Filium
„ Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, ex ini-
„ tium non habente Patre, & ex intacta Ma-
„ tre, eundem ante ſæcula, & in extremis
„ diebus conſtitutum, impaſſibilem atque
„ paſſibilem, viſibilem atque inviſibilem, unius
„ ejuſdemque miracula & paſſiones prædica-
„ mus, & omnem Divinam & humanam ope-
ra-

„ rationem uni eidemque Incarnato Dei Verbo tribuimus, & unam ei offerimus venerationem ſpontè & veraciter propter nos crucifixo carne, & exurgenti ex mortuis, & in Cœlos aſcendenti & reſidenti in dextera Patris, & iterùm venienti judicare vivos & mortuos; nullo modo concedentes alicui ex omnibus unam vel duas dicere ſive docere operationes in divina Domini Incarnatione; ſed magis, ſicut ſanctæ & univerſales tradiderunt Synodi, unum eundemque Filium unigenitum Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum verum Deum confiteri, operari divina & humana, & omnem Deo congruam & homini operationem ex uno eodemque Incarnato Dei Verbo indiviſè & inconfuſè procedere, & in unum eundemque ſortiri; eò quòd unius quidèm operationis vox, licèt ab aliquibus Patribus dicta eſt, tamen turbat, extraneat quorundam aures arbitrantium in interitum eandem prolatam eſſe duarum naturarum, quæ in una ſubſiſtentia unitæ ſunt in Chriſto Deo noſtro.

466 „ Similiter autem & duarum operationum vocem multos ſcandalizare, utpotè à nemine dictam Sanctorum, & præcipuorum Patrum; ſed & ſequi in eo, ut duas confiteamur voluntates, contrariè ad invicem venientes, Deo quidèm Verbo volente, ſaluberrimam Paſſionem explere, Incarnationem autem in eo factam, obviam euntem ipſius voluntati & oppugnantem, & exinde duo contraria volentes introduci, quod impium eſt & extraneum chriſtianici dogmatis.

467 „ Si enim inſanus Neſtorius, licèt dividens divinam Domini noſtri humanitatem, & introducens filios duos, voluntates iſtorum dicere non auſus eſt, è contrario autem conſonantem voluntatem in eo, formatis duabus perſonis, confeſſus eſt; quomodò poſſibile eſt orthodoxam confitentes fidem, & unum Filium Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum verum Deum glorificantes, duas & has contrarias voluntates in eo ſuſcipere? Undè Sanctos Patres in omnibus & in hoc ſequentes, unam voluntatem Domini noſtri Jeſu Chriſti veriſſimi Dei confitemur, utpotè in nullo tempore animati intellectualiter ejus corporis ſeparatim, & ex proprio impetu contrariè mutui uniti ei Dei Verbi in una ſubſtantia naturalem ejus producere motionem, ſed quando & qualem & quantam ipſe Deus Verbum voluerat.

468 „ Hæc pietatis dogmata tradiderunt nobis, qui ab initio præſentialiter viderunt, & Miniſtri Verbi facti ſunt, eorumque diſcipuli & ſucceſſores, quique ſequenter à Deo inſpirati Eccleſiæ Doctores, ideſt ſanctę & univerſales quinque Synodi, Nicçæ, & in hanc Regiam Civitatem, necnon in Epheſum primùm, & in Chalcedonam & iterum in Conſtantinopolim in quinto congregati Concilio.

469 „ Et hæc in omnibus ſequentes, & divina eorum ſuſcipientes dogmata, omnes, quos exceperunt, excipimus; & quos ejecerunt, ejicimus & anathematizamus, prçcipuè Novatum, Sabellionem, Arrium, Eunomium, Macedonium, Apollinarium, Origenem, Evagrium, Didymum, Theodorum Mopſueſtenum, Neſtorium, Eutychen, Dioſcorum, Severum, & impia conſcripta Theodoreti, quæ contra rectam & Epheſinam primam Synodum, & duodecim Capitula Sancti Cyrilli, & quanto pro Theodoro & Neſtorio conſcripſit, & nuncupatam Ibæ Epiſtolam. Et hortamur omnes Chriſtianos ſic ſapere, & ſic glorificare, nihil addentes his, nihil ſubtrahentes, nihil tranſmutantes, ſecundùm quod ſcriptum eſt. Definitiones æternales à Deo inſpirati Eccleſiæ Sacerdotes ad ſalutem cunctorum præfixerunt. *Et ſubſcriptio Principis*. Heraclius fidelis Jeſu Chriſto Deo Princeps ſubnotavit. *Hactenus Heraclii Ecthaſis*.

470 Hac ergò editâ Ecthaſi, ſive fidei explanatione, Sergius Patriarcha Coſtantinopolitanus convocatâ in eadem Regia Civitate complurium Epiſcoporum atque ſuæ factionis Sacerdotum Synodo, decreto ſynodali comprobatam atque receptam voluit. Sicque coram Patribus ea in Synodo promulgatâ, nemo inventus eſt qui ei contradiceret, quinimmò communi omnium voce, ut conſona doctrinæ Patrum atque orthodoxæ fidei recepta fuit, ut exhibent ejuſdem Synodi Acta recitata Secretar. 111. Synodi prælaudatæ Lateranenſis, ubi legitur: „ Relecta nunc magni & ſapientiſſimi Principis Ecthеſis, ſecundùm veritatem Apoſtolicæ conſonat prædicationi. Hæc ſunt Patrum dogmata, hæc ſunt præſidia Eccleſiæ, hæc orthodoxæ fidei ſtabilitas, hæc ſanctorum quinque Conciliorum ſymbola, hæc unitatem Chriſti dilecti Orbis Terrarum ſtabiliunt populi, hec ſimpliciorum infirmitatem confirmant, & perfectos, diligentioreſq; tuentur, hæc generalem humanitatis operantur ſalutem: ſic & nos credimus, hæc & nos confirmamus, his & nos conſentimus. *Hæc ibi*. Deinde & decretum adjectum eſt, quo præcipitur univerſis Chriſtifidelibus, non aliam ſequi fidē præter illam in Ecthaſi explanatam: „ Si quis ergò, *dicitur ibi*, à præſenti die temerator prohibitorum tàm ab à Deo conſervando Domino & magno Imperatore, atque hac congregatâ ſanctâ Synodo factus, unam aut duas præſumpſerit dogmatizare aut proferre in Chriſto Deo noſtro operationes, hunc ſi quidèm Epiſcopus, aut Presbyter, vel Diaconus, ſive de frequentibus fuerit gradibus, ab omni eſſe ſu-

„ ſuſpenſum Eccleſiaſtico miniſterio vel offi- „ cio definimus. Si autem Monachorum ha- „ bitum habuerit, aut Laicus fuerit, hunc de „ ſancta communione vivifici Corporis & „ Sanguinis Magni Dei & Salvatoris noſtri „ Jeſu Chriſti ſeparamus.

471 His porrò in hac impia Synodo peractis, idem Sergius curavit ejuſdem Ecthe-ſis exemplaria unà cum Actibus Synodalibus prædictis ad univerſos Orientis Epiſcopos & Patriarchas tranſmittere; nec hoc ſolo contentus, auſus eſt tentare, ſi poſſet à Romano Pontifice, tunc Severino, omnium confirmationem extorquere: Cujus rei causâ egit cum Heraclio, ut unum exemplar tranſmitteretur ad Iſacium in Italia Exarchum, adhibito mandato, ut ageret cum Papa Severino, quatenùs eandem Ecthesim approbaret & confirmaret, prout indicant literæ Cyri Epiſcopi Alexandrini ad Sergium datæ, recitatæ eodem Secretario ejuſdem Lateranenſis Synodi, quæ ſunt tenoris ſequentis.

Domino Deo honorabili Beatiſſimo ſpiritali & Conſacerdoti Sergio, Archiepiſcopo & Patriarchæ, Cyrus ultimus de Alexandria.

472 „ Paratis nobis relaxare reſponſa in „ Regia Urbe, conjunxit Euſtathius glorio- „ ſus Magiſter Militum, & detulit mihi ve- „ nerandos apices præcipui mei Domino Deo „ honorabilis Beatitudinis, intùs habentes „ & exemplar competenter & conſultiſſimè, „ pariterque Deo amabiliter factæ Ecthefeos „ venerabilis noſtræ fidei à piiſſimo & à Deo „ conſervando Domino noſtro magnoque „ Principe pro pia fide noſtra, ad Iſacium „ Excellentiſſimum Patricium & Exarchum „ Italiæ deſtinatæ, quam debet profiteri com- „ munis frater noſter Severinus Sanctiſſi- „ mus, Deo juvante, qui ordinatur in Ro- „ ma; quam non ſolùm ſemel & bis, ſed & „ multò ſæpiùs diligenter relegiſſe dignoſcor, „ & lętatus ejuſdem ſuæ electionis, atq; con- „ ſiſtentes mecum congratulans per laudabi- „ lem Scriptorum expoſitionem, veluti So- „ lis ſplendorem nitentem, & veram incon- „ vertibilem & inviolabilem noſtram fidem „ fixiùs rectèque & apertiſſimè prædicantem, „ gratiarum hymnos retuli Domino omnium „ Deo, qui nobis dedit prudentiſſimum Gu- „ bernatorem, ſanctas ſuas Eccleſias rectè „ regentem, neque permittentem fortaſſis ab „ emergente tempeſtate quoquomodò nos „ perturbari, nec iterùm purè accedentibus „ in eam aſperrimis ſaxis quaſſari; magis au- „ tem ſine periculo & benigniſſimè ad tran- „ quillum portum nos deducens, & pro pace „ fideliſſimi populi eorum Deo decibiliter „ cogitantem.

473 „ Sed qui eum talem & in ſpiritua- „ libus conſtituit Deus, ipſe virtutem & for- „ titudinem condonet, & pio ejus Imperio „ contra repugnantes inimicos ſervilem ejus „ Rempublicam, ut tunc cum gratia & can- „ ticis exclamemus: Salvavit nos, ſalvavit, „ terque ſalvavit nos piiſſimus ter Auguſtus, „ hoc eſt, à tyrannica poteſtate, & Perſarum „ ferocitate, necnon Saracenorum temeri- „ tate. Quia verò & nos veſtræ participatæ „ doctrinæ, & hanc ſine dubio ſequentes, „ amplectimur, & conſervamus, quæ ita piè „ & Deo amabiliter à sereniſſima ejus tran- „ quillitate expoſita ſunt, jam antea veſtra „ Deo honorabilis Sanctitas cognovit per ea, „ quæ ſæpiùs ad eam à noſtra humilitate, „ licèt ruſticiter, attamèn orthodoxè, tranſ- „ miſſa ſunt; omnem, quæ cum veſtra Deo „ honorabili Sanctitate conſiſtit in Chriſto „ fraternitas, ego & qui mecum ſunt, mul- „ tùm ſalutamus. *Et ſubſcriptio*. Salvus in Domino, ora pro nobis Sanctiſſime Pater. *Hactenus literæ Cyri ad Sergium*.

474 Ceterùm aliter à ſpe concepta evenit, nullatenùs Severino Papâ impiam approbante Ecthesim, quin potiùs eam reprobante atq; anathematizante, ut teſtatur Martinus I. in eadem Synodo, dicente poſt recitatam Cyri Epiſtolam: *Nec enim ſuſcepta eſt omninò aut admiſſa eſt ſecundùm vanam eorum ſpem, magis autem condemnata eſt & anathematizata ab Apoſtolica auctoritate hìc tranſmiſſa peſſimæ & præſumptæ novitatis eorum Ecthesis*. Pro qua re indignatus Iſacius adversùs Severinum armatâ manu inſurgere fecit, primùm per Mauritium Chartularium, deinde per ſe ipſum, qui Romam veniens, theſauros Eccleſiæ abſtulit, Clero univerſo in exilium amandato, ut refert Anaſtaſius in vita Severini, ubi inter alia ſcribit: „ Cùmque hæc „ veriùs cognoviſſet Iſacius, venit in Civi- „ tatem Romanam, & miſit omnes Primates „ Eccleſiæ ſingulos per ſingulas Civitates in „ exilium, ut non fuiſſet qui ei reſiſtere de- „ buiſſet de Clero. Et poſt dies aliquantulos „ ingreſſus eſt Iſacius Patricius in Epiſco- „ pium Lateranenſe, & fuit ibi per dies octo, „ uſquedum omnes ſubſtantiam illam depre- „ darentur. Eodem tempore direxit exin- „ de ex ipſa ſubſtantia partem quamdam „ in Civitatem Regiam ad Heraclium Impe- „ ratorem. *Hæc Anaſtaſius*, qui cùm ſubjungat, poſt hæc ordinatum eſſe Severinum, intelligendum eſt, fuiſſe fortè auctoritate Imperiali confirmatum in ſua electione, propter tyrannicè uſurpatum jus ab Imperatoribus Orientis confirmandi à Clero Romano factam Romani Pontificis electionem, quam confirmationem nequaquam ab initio ſuę electionis Severinus ab Heraclio impetraverat. Et hac de cauſa idem Anaſtaſius Pontificatui Severini duos tantùm menſes, ac dies quatuor tribuit, fortè numerando à dicto tempore, quo per Iſacium nomine Heraclii fuerat confirmatus, cùm aliundè conſtet, licèt an-

annum non exceſſerit, duorum menſium tempus exceſſiſſe; undè alii tribuunt ei menſes undecim & dies quatuor.

475 Paulò itaque poſt recenſita, mœrore confectus, ad Dominum migravit Severinus, currente Anno Domini DCXXXIX. Imperii Heraclii XXX. Indictione XII., poſt cujus obitum vacaſſe Sedem menſes IV. & dies XXIX. ſcribit Anaſtaſius, electo in ejus locum Joanne hujus nominis IV. natione Dalmatâ ex Patre Venantio. Eodem anno ſublatus eſt de medio Sergius Epiſcopus Conſtantinopolitanus, evocatus à ſummo Judice reddere rationem ad tremendum illud Divinum Examen Dei viventis & videntis. Succeſſit ejus loco Pyrrhus Chryſopolitanus Monachus & ordine Presbyter, non minùs nequam ac fuerat Sergius, peſſimus & iſte Monothelita.

476 Intereà Joannes Romanus Pontifex, collectâ Romę Synodo Ecthesis Heraclii causâ, poſt examen unà cum univerſa Synodo illam proſcripſit, atque ut hæreticam damnavit & anathematizavit. In Africa quoque diverſis in locis, convenientibus Epiſcopis, eandem Ecthesim damnatam fuiſſe, auctor eſt Theophanes, qui ait: „ Joannes Romanus „ Præſul, collecto Epiſcoporum Concilio, „ Monothelitarum hæreſim anathematizavit: „ Similiter & in Africa penès Bizacium, „ Numidiam & Mauritaniam diverſi Epiſcopi convenientes, Monothelitas anathemate perculerunt. *Hæc Theophanes*. Sed & impius Pyrrhus collectâ & ipſe Conſtantinopoli Monothelitarum Synodo, eandem Ecthesim confirmare ſtuduit, eique ſubſcribere juſſit, quotquot inveniebantur tunc Epiſcopi, qui nondùm ei ſubſcripſerant, adjecto pœnali decreto adversùs contradictores, ut produnt hujus Synodi Acta recitata in ſępèfata Synodo Romana Secretar. III., ſic ſe habentia.

477 „ Sanctiſſimus ac Beatiſſimus Archiepiſcopus univerſalis Patriarcha Pyrrhus dixit: Nunc veraciter Spiritus Sancti gratiâ his, qui nobiſcum præſunt, inſpiratâ, omnem extinxit errorem, & pietatis dogmatibus mentes fidelium illuſtravit, magno Imperatore & clementiſſimo, ſicut ignis in ſemetipſo hac coruſcante atque omnem partem Orbis Terrarum illuminante. *Et poſt alia*: Sicuti magnus Imperator & adinventor ſublimium.

478 „ Competenter igitur & nos ſequenter ejuſdē virtutem & conſtructionem ejus dogmaticę in omnibus admittētes, & à Deo inſpiratæ doctrinæ conſonantem utique in omnibus admittentem, & in omnibus inſpiratę doctrinę conſonantem utiq; in omnibus Apoſtolicæ traditioni atq; ſanctis univerſalibus quinque Conciliis, multis nimis atq; pręcipuè ſublimibus pro tanto zelo, qui in Deo eſt, coronamus laudibus, & ſecundùm noſtræ virtutis menſurā enixiùs pro pia ejus & illuminata anima Domino indeſinenter orationes extollimus, quatenùs inconcuſſum remaneat ejus Regale Imperium, omnes barbaras nationes ſubſternens, & filiis filios cum profunda tranquillitate multis temporibus ſuccedentes, atque immortalis vitæ gaudia in futuro ei condonari.

479 „ Decernimus itaque cum gratia in præſenti quidèm convenientes nobiſcum ſanctiſſimos Epiſcopos, qui necdum imperialis prædicationis inſinuationi ſubſcripſiſſe probantur in tempore præcedenti, ut proprias ſubſcriptiones poſt noſtram ſubſcriptionem actibus ſubjungere debeant, necnon & eos, qui in hac Regia à Deo conſervanda Urbe poſtmodùm conjunxerunt, & minimè ſubſcripſerunt per ſollicitudinem, quorum intereſt ſubſcribere Pręſules. Curavimus autem nihilominus, Deo donante, & ad eos, qui abſentes ſunt, apud nos geſta cum encylia noſtra ſine dubio deſtinare Epiſtola, quatenùs & eorum unuſquiſque per ſuam ſimiliter ſubſcriptionem eidem orthodoxæ prædicationi conſentiat, & ſuam per ſubſcriptionem præcedentibus conjungant mentem; ut nobis inturbolentus fons & ſuaviſſimus ſalutiferorum permaneat dogmatum, ex quo haurientes rationales oves Domini, ſolitæ ſunt bibere ex abundantia divini lactis incraſſantes, atque ſitis penitùs ſine experimento permanentes.

480 „ Qui hoc facere paratus minimè fuerit, ſed permanens in inobedientia, condemnationi ſeparantium ſe de integritate corporis Chriſti ſemetipſum miſerrimè ſubmiſſurus eſt, & judicium contra ſe inrecuſabile ex auctoritate Apoſtolicarum Sedium ſibimet provocans, donec per ſubtiliorem intentum ſemetipſum ad viam ſalutiferam revocaverit. *Et ſubſcriptio*. Pyrrhus miſericordiâ Dei Epiſcopus Conſtantinopoleos Romæ ſubſcripſi. Gloria Deo noſtro, Amen. *Hactenus Acta*.

481 Sed & fortè poſt hæc idem Pyrrhus exemplum Sergii ſui deceſſoris ſecutus, qui ad Severinum Papam pro Ectheſi confirmanda ſcribendum curaverat, ipſe quoque literas fecit ad Joannem IV. Papam, quatenùs & eandem Ecthesim reciperet, confirmaret, eique ſubſcriberet. Sed fruſtrà talia attentare conatus eſt, Apoſtolico zelo reſiſtente Joanne, qui, ut præfati ſumus, eandem Ecthesim jam proſcripſerat atque damnaverat. Hujus Pyrrhi attentatum recenſet Agatho Papa in Epiſtola prima, datâ Heraclio juniori & Tiberio Auguſtis, relectâ Act. IV. ſextæ Synodi, ubi ait: „ Itemque Pyrrhus in conformatione typi, & in aliis pro Cyro Alexandrino ſatisfaciens, unam voluntatem & unam operationem intelligere ſe demonſtrat. Et in ſcriptis ad ſanctæ memoriæ Joannem Papam, unam voluntatem & unam operationem

„ nem Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum
„ habere confirmat.

482 Heraclius verò cùm cognoviſſet quæ & Romæ in Synodo à Joanne, & quæ in Africa in Provincialibus pariter Synodis adversùs ſuam Ecthesim acta fuerant, & quomodò in univerſo Occidente hujus rei causâ decantaretur hæreticus, nomenque ſuùm omnium ubique proſcinderetur ore: ut famæ ſuæ, honoriq; conſuleret, edicto, quod tùm in Oriente, tùm in Occidente publicandum voluit, univerſis notum fecit, Ecthesim illam ſuo nomine promulgatam, minimè à ſe editam eſſe, ſed ab uno & ſolo Conſtantinopolitano Epiſcopo Sergio, qui curaverat propter majorem illius firmitatem, ut Imperatorio promulgaretur nomine. Teſtatur hoc Sanctus Maximus in Actis publicis habitis in Senatu Conſtantinopolitano ſub Conſtante Imperatore, ubi loquens de Conſtante, qui typum hæreticum & ipſe promulgaverat, inter alia dicit: „ Verùm conſilium hoc ei date, ut ſui
„ Avi, nempe Heraclii Imperatoris piæ me-
„ moriæ exemplum ſequatur. Ille enim cùm
„ ſenſiſſet à nonnullis in Occidente probrum
„ ſibi aſpergi, edicto ſe liberavit omni Ec-
„ cleſiaſticâ reprehenſione, hæcque ſcripſit:
„ *Ecthesis mea non eſt, nec ego dictavi, nec fie-*
„ *ri juſſi; verùm cùm Sergius Patriarcha quin-*
„ *que ante annis condidiſſet, quàm ab Oriente*
„ *redirem, oravit me, poſtquàm ad hanc fœli-*
„ *cem Urbem adveni, ut nomine meo promul-*
„ *garetur cum ſubſcriptione; & hortatu id feci.*
„ *Nunc verò cùm cognoverim eam à nonnullis*
„ *oppugnari, declaro ad omnes, non eſſe meam.*
Hæc Maximus, ſubjungens, hoc edictum feciſſe, atque ad Joannem Papam miſiſſe, qui prædictam Ecthesim damnaverat, & acta Pyrrhi proſcripſerat.

CAPUT XI.

De continuata hæreſi & ſchiſmate poſt Heraclii Principis obitum.

483 ANno Domini DCXLI., Joannis Pontificis currente Anno ſecundo, Indictione XIV. menſis Maji, Heraclius Imperator confectus ærumnis animi, corporiſque moleſtiis, diverſis ac putridis affectus ægritudinibus uſque ad Hydropiſim, ultimum clauſit diem, imperitatis Annis XXXI. fortè inchoato XXXII., cui ſucceſſit in Imperio Conſtantinus, quem Heraclius ante obitum Imperii conſortem delegerat; ſed hic menſes dumtaxat quatuor in Imperio abſoluit, inde deceſſit, ut ſcribit Theophanes, veneno fortè ſublatus, ut fama fuit, à Martina Auguſta Noverca ſua propinato, ut Heracleon ejus filius coronaretur, id quod evenit, auxilio præbente Pyrrho Patriarcha: At poſt ſex Imperii menſes, rebellante Senatu, è Solio depoſitus, atque naſo mutilatus, abſciſsâque Martinæ ejus matri impiæ fœminæ linguâ, unâ cum eadem matre in exilium amandatus, coactus eſt miſeram in reliquo ducere vitam. Sed in ipſius loco ad Imperium evectus eſt, eodem procurante Senatu, Conſtans nepos Heraclii, ut ſcribit idem Theophanes, quem alii Conſtantium, alii Conſtantinum appellant.

484 Interea temporis Joannes Romanus Pontifex cùm accepiſſet, hæreticos Monothelitas jactare, auctoritate Honorii Papæ ſuam doctrinam eſſe confirmatam, ad hæc evertenda machinamenta hæreticorum, ſtatim poſt Heraclii obitum ad Conſtantinum, qui Heraclio immediatè ſucceſſerat, ut præfati ſumus, arreptâ ſui deceſſoris defensâ, ejuſque in catholico ſenſu ad Sergium datas interpretatus eſt Epiſtolas, ſequentem ſcribens Apologiam.

Ad Conſtantinum Imperatorem filium Heraclii, Joannis Papæ Apologia pro Honorio.

485 „ Dominus, qui dixit de tenebris
„ lucem ſplendeſcere, qui eripuit nos de po-
„ teſtate tenebrarum in admirabile lumen
„ ſuum, lumen veritatis, & veritas luminis,
„ in quo complacuit omnem plenitudinem
„ Divinitatis habitare, & per eum reconci-
„ liare omnia in ipſo pacificans per ſangui-
„ nem Crucis ejus, ſive quæ in Cœlis ſunt,
„ ſive quæ in terris propter evidentem ma-
„ gnitudinem divitiarum bonitatis ſuæ in fa-
„ ciem Eccleſiæ ſuæ reſpiciens, veſtram præ-
„ cognitam ſibi & prædeſtinatam benignita-
„ tem ad fidei nunc integritatem vocare di-
„ gnatus eſt; ita ut omni fallaci caligine
„ procul amotâ, per vos victricem faciat ve-
„ ritatem.

486 „ Quantùm enim ex diverſis ſugge-
„ ſtionibus, quæ ad nos catervatim venerunt,
„ quinimmò & ex ipſo quoque auditu didi-
„ cimus, omnes Occidentales partes ſcanda-
„ lizatæ turbantur, fratre noſtro Pyrrho Pa-
„ triarcha per literas ſuas hùc atque illùc
„ tranſmiſſas, nova quædam & præter regu-
„ lam fidei prædicante, & ad proprium ſen-
„ ſum quaſi ſanctæ memoriæ Honorium Pa-
„ pam deceſſorem noſtrum attrahere feſti-
„ nante, quod à mente catholici Patris erat
„ penitùs alienum.

487 „ Igitur, ut veſtra benignitas cau-
„ ſam totam rei diſcere poſſit, ſubtiliſſimâ
„ veritate, quæ ante brevis intercapedinem
„ temporis geſta ſunt, enarrabo. Sergius ve-
„ nerandæ memoriæ Patriarcha prædicto ſan-
„ ctæ recordationis Romanæ Urbis Pontifici
„ ſignificavit, quòd quidam in Redemptore
„ noſtro Domino Jeſu Chriſto duas contra-
„ rias dicerent voluntates. Quo præfatus

Pa-

,, Papa comperto, reſcripſit ei, quia Salvator noſter, ſicut eſſet Monadius unus, ita & valdè mirabiliter ſuper omne genus hominum conceptus & natus eſſet. Et ſanctâ quoque ipſius incarnatâ diſpenſatione docebat, quia Redemptor noſter, ſicut eſſet Deus perfectus, ita eſſet & homo perfectus, ut quam primus homo per prævaricationem amiſit, ſine aliquo peccato natus primæ imaginis nobilem originem renovaret. Natus ergò eſt ſecundus Adam, nullum habens naſcendo, vel cum hominibus converſando, peccatum: Etenim Verbum caro factum in ſimilitudine carnis peccati, omnia noſtra ſuſcepit, nullum reatus vitium ferens ex traduce prævaricationis exortum. Similitudinem ergò intelligimus non carnis ejus, ſed peccati.

488 ,, Etenim carnem Dominus veram ſuſcepit ex Intemerata & Beata Virgine Dei Genitrice, conſubſtantialis nobis effectus: ergò ſimilitudinem carnis peccati Sanctus dicit Apoſtolus, quam ſimilem nobis peccatoribus, ſine peccato cum anima rationali ſuſcepit; & idcircò unam voluntatem ſecundùm primam formationem Adæ naturalem humanitatis ſuæ Dominus noſter Jeſus Chriſtus habere dignatus eſt, non duas contrarias, quemadmodùm nunc nos habere dignoſcimur, qui de peccato ſumus Adæ geniti; quoniam corruptibilis per tranſgreſſionem primus homo effectus, & Creatori ſuo ſubdi contemnens, ſenſit carnem, quæ priùs erat ſibi ſubjecta, nihilominus repugnantem, & peccato ſuo totum genus humanum fecit obnoxium, ſicut dicit Apoſtolus: *Regnavit mors ab Adam uſque ad Moyſen etiam in eos, qui non peccaverunt in ſimilitudinem prævaricationis Adæ*.

489 ,, Quapropter & nos, qui per prævaricationem & peccatum illius naſcimur, duas contrarias habere voluntates dignoſcimur. Duas autem dico, mentis & carnis invicem reluctantes, ſicut idem Beatus docet Apoſtolus: *Caro concupiſcit adversùs ſpiritum, & ſpiritus adversùs carnem. Hæc autem invicem adverſantur, ut non quæcumque vultis, illa faciatis*. Et hoc omne humanum patitur genus ſub peccato conſtitutum, quoniam nemo eſt mundus ab hoc peccato prævaricationis, nec infans, ſicut ſcriptum eſt, cujus eſt unius diei vita ſuper terram. Et quemadmodùm Spiritus Sanctus per David ait: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, & in delictis peperit me mater mea. Sicut enim in Adam omnes peccaverunt, ſecundùm Apoſtolum, ita in Chriſto omnes juſtificabuntur. Et ſicut per unum hominem peccatores conſtituti ſunt multi, ita & per unum hominem juſti conſtituentur multi.* Ergò unus & ſolus eſt ſine peccato mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Jeſus, qui in mortuis liber conceptus & natus eſt.

490 ,, In diſpenſatione itaque ſanctæ carnis ſuæ duas nunquam habuit contrarias voluntates, nec repugnavit voluntati mentis ejus voluntas carnis ipſius; neque enim habuit quodcumque peccatum, qui venit dimittere peccatum Mundi, quemadmodùm & ipſe dixit: *Qui ex vobis arguit me de peccato?* Et aliàs taliter ait: *Venit Princeps Mundi hujus, & in me invenit nihil*. Undè ſcientes, quod nullum in eo, cùm naſceretur & converſaretur, eſſet omninò peccatum, decenter dicimus & veraciter confitemur unam voluntatem in ſanctæ ejus diſpenſationis humanitate, & non duas contrarias mentis & carnis prædicamus, ſecundùm quod quidam hæretici, velut in primo homine delirare noſcuntur.

491 ,, Secundùm hunc igitur modum jam dictus deceſſor noſter prænominato Sergio Patriarchæ percontanti ſcripſiſſe dignoſcitur, quia in Salvatore noſtro duæ voluntates contrariæ, ideſt in membris ipſius penitùs non conſiſtunt, quoniam nihil vitii traxit ex prævaricatione primi hominis. In nobis enim, non in eo, coaptatur quod ſcriptum eſt: *Scio enim quia non habitat in me*, ideſt, in carne mea, *bonum*. Et iterùm: *Non quod volo bonum, hoc ago, ſed quod nolo malum, hoc facio. Si autem quod nolo malum, illud facio, non jam ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum*. Et poſt hæc: *Video enim aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis*. Hinc ergò hæ duæ contrariæ voluntates mentis & carnis, quas Apoſtolus docet, in noſtro nequaquam Salvatore fuerunt, eò quòd hic luctaminis ſtimulus ex prævaricatione Protoplaſti ſumpſit initium; quoniam à Redemptore noſtro natura ſuſcepta eſt, non criminis culpa.

492 ,, Sed nè quis nonnunquam minùs intelligens reprehendat, quamobrèm de humana tantùm natura, & non etiam de divina natura docere ſciatur: Etenim Chriſtus in duabus naturis in una perſona unitis cognoſcitur, adoratur & colitur Deus & homo perfectus. Debet qui ſuper hoc ambigit ſcire, quoniam ad hoc facta eſt reſponſio ad jam dicti Patriarchæ interrogationem. Præterea & hoc fieri ſolet, ut ſcilicet, ubi eſt vulnus, ibi medicinale occurrat auxiliū. Nam & B.Apoſtolus hoc ſæpè feciſſe dignoſcitur, ſe ſecundùm auditorum conſuetudinem præparans: & aliquando quidem de ſuprema natura docens, de humana penitùs tacet; aliquando verò de humana diſpenſatione diſputans, myſterium Divinitatis ejus non tangit. Etenim

„ ipſe hic quidem de divina natura ait: *Chri-*
„ *ſtus Dei virtus & Dei ſapientia*. Alibi au-
„ tem de Incarnatione ejus ita dixit: *Quod*
„ *ſtultum eſt Dei, ſapientius eſt hominibus*; &
„ *quod infirmum eſt Dei, fortius eſt hominibus*.
„ Sapientia autem & ſtultitia, virtus & in-
„ firmitas, contrariæ ad invicem abſque du-
„ bietate ponuntur. Ergòne contraria ſibi-
„ met docet Beatus Apoſtolus? Abſit: Sed
„ audientibus ſemet configurat ſapienter, ſe-
„ cundùm tempus docens, ut provida nutrix
„ parvulis quidem lac præbens, perfectis au-
„ tem ſolidum tribuens cibum.

493 „ Quid ergò eſt quod ait: *quod in-*
„ *firmum eſt Dei, fortius eſt hominibus*; &
„ *quod ſtultum eſt Dei, ſapientius eſt homini-*
„ *bus*? Hoc totum capitulum de diſpenſa-
„ tione Chriſti, non de ſuperna natura illius
„ docere videtur: volens oſtendere, quia
„ Deus homo factus, animam habuit & cor-
„ pus humanum, quod ſtultum aſſerit & in-
„ firmum. Sapientia enim humana divinæ
„ collata, ſtultitia eſt; fortitudo verò carnis
„ cum Dei virtute comparata, infirmitas eſt.
„ Quia profectò condita humana ſapientia
„ cum conditrice Sapientia comparata, ſtul-
„ titia eſt. Igitur connectentes utraque, &
„ Chriſtum Dei virtutem & Dei ſapientiam,
„ ſecundùm ejus ſanctæ carnis diſpenſatio-
„ nem, quod ſtultum eſt & quod infirmum
„ eſt Dei, naturam humanitatis veraciter
„ prædicamus, quoniam hoc infirmum &
„ ſtultum, fortius & ſapientius eſt omnibus
„ hominibus.

494 „ Omnes enim homines, ſicut etiam
„ ſuperiùs dictum eſt, ſub peccato prævari-
„ cationis naſcuntur: Dominus autem no-
„ ſter Jeſus Chriſtus abſq; peccato exiſtens,
„ & nullum ſecum vitium ferens vetuſtatis,
„ non ſolùm fortior, ſed & ſapientior eſt
„ omnibus hominibus, quamvis infirmum
„ noſtrum & ſtultum ſolâ miſericordiâ ſu-
„ ſcipere ſit dignatus. Qui verò ex peccato
„ primi hominis nati ſunt, filii iræ ac tene-
„ brarum à Sanctæ Scripturæ magiſterio no-
„ minantur. At verò Chriſtus, cùm lux ve-
„ ra ſit, ſedentes in tenebris & umbrâ mor-
„ tis illuminare dignatus eſt. Quid enim do-
„ ceat Apoſtolus ſcribens ad Epheſios, au-
„ diamus; *Et vos*, inquit, *cùm mortui eſſetis*
„ *delictis & peccatis veſtris, in quibus aliquan-*
„ *dò ambulaſtis ſæculum Mundi hujus, ſecun-*
„ *dùm Principem poteſtatis aeris ſpiritus, qui*
„ *nunc operatur in filiis diffidentiæ, in quibus*
„ *& nos aliquandò converſati ſumus, in deſide-*
„ *riis carnis, facientes voluntates carnis & co-*
„ *gitationum, & eramus naturà filii iræ, ſicut*
„ *& cæteri*.

495 „ Ecce iſtę ſunt duæ voluntates con-
„ trariæ, mentis ſcilicet & carnis, quæ in
„ Salvatore noſtro modis omnibus non fue-
„ re. Nos has ex peccato progenitoris Adæ,
„ qui & ſe & omne humanum genus obno-
„ xium fecit, habere dignoſcimur, ut ali-
„ quandò quidem carnis aculeus menti reſi-
„ ſtere appareat, aliquandò verò voluntas
„ mentis voluntati carnis contradicere ſata-
„ gat, ut taliter cum Apoſtolo gementes
„ confiteamur: *mente quidem ſervio legi Dei,*
„ *carne verò legi peccati*. Dominus autem no-
„ ſter unam voluntatem humanitatis natura-
„ lem ſuſcipere dignatus eſt, quam in pro-
„ pria carne poteſtativè, ut omnium Domi-
„ nus, circumferebat, eò quòd omnia ſer-
„ viant Deo, nullum profectò habens vel af-
„ ferens ex prævaricatione peccatum, quo-
„ niam ſolus ſine peccato & crimine præva-
„ ricationis eſt natus.

496 „ Prædictus ergò deceſſor meus do-
„ cens de myſterio Incarnationis Chriſti di-
„ cebat, non fuiſſe in eo, ſicut in nobis pec-
„ catoribus, mentis & carnis contrarias vo-
„ luntates; quod quidam ad proprium ſen-
„ ſum convertentes, Divinitatis ejus & hu-
„ manitatis unam eum voluntatem docuiſſe
„ ſuſpicati ſunt, quod veritati omnimodis
„ eſt contrarium. Verumtamèn vellem, ut
„ interroganti reſponderent, ſecùndùm quam
„ naturam dicant Chriſti Dei unam volùn-
„ tatem. Si ſecundùm divinam tantùm, de
„ humanitate ipſius, quid reſpondebunt?
„ quoniam & homo perfectus eſt, ut non cum
„ Manichæo condemnetur. Porrò, ſi ſecun-
„ dùm humanitatem Chriſti dixerint, quòd
„ hæc voluntas Deus eſſet perfectus, obſer-
„ vent, nè fortè cum Photino & Ebione ju-
„ dicentur. Jam verò, ſi ex utraque natura
„ unam voluntatem eſſe dixerint, non ſolùm
„ naturales voluntates, ſed & ipſas naturas
„ confundent, ut nec hoc, nec illud, ideſt,
„ divina & humana intelligi poſſit. Sicut
„ enim utraſque naturas in adunatione unius
„ Chriſti, ut impius Neſtorius, non partimur,
„ ita differentiam naturarum penitùs non ne-
„ gamus, ſed neque confundimus, quoniam
„ utraſque naturas cum adunatione uniùs
„ perſonæ Chriſti Dei inenarrabili conſo-
„ nantia confitemur. Quia enim unam vo-
„ luntatem dicunt Divinitatis Chriſti & hu-
„ manitatis, & unam ſimul operationem;
„ quid aliud, niſi quia & unam naturam Chri-
„ ſti Dei, ſecundùm Eutychianam & Seve-
„ rianam diviſionem operari noſcuntur?

497 „ Denique orthodoxi Patres, qui
„ in toto Mundo claruerunt, ſicut utraſque
„ naturas, ita & voluntates ac operationes
„ Chriſti docere concordi prædicatione mon-
„ ſtrantur. Comperimus autem, quòd char-
„ ta quædam mandata ſit, in qua Sacerdotes
„ ſubſcribere coacti ſunt contra tomum bea-
„ tæ memoriæ Papæ Leonis & Chalcedo-
„ nenſem Synodum, in qua charta quædam
„ ſint per novitatem compoſita, quæ dogma
„ Eccleſiaſticum refutare omninò dignoſci-
„ tur. Inſpiret ergò Divina Clementia chri-
„ ſtianiſſimæ pietati veſtræ, ut cùm ſitis cu-
ſto-

,, ſtodes immaculatæ fidei noſtræ, vos ad
,, compunctionem incitet, quo eos, qui no-
,, vis ſunt adinventionibus corrumpendi, Im-
,, peratoriis ſanctionibus arceatis; & prædi-
,, ctam chartam, quæ in ſcandalum properat
,, fidei, & locis publicis eſt ſuſpenſa, præci-
,, piatis depoſitam ſcindi. Omnes enim, qui
,, in Occidentalibus partibus hæc audierunt,
,, hoc audierunt, ſed & populi, qui ſunt
,, Regiæ veſtræ Urbis, cognitâ prædictæ
,, chartæ concinnatione, corde perculſi ſunt.
,, Erit enim per auctoritatem veſtram &
,, Apoſtolicam perfectionem prædicta charta,
,, quæ contra Chalcedonenſem Synodum eſt
,, compoſita, nunc & in omni tempore otio-
,, ſa & cunctis virtutibus irrita. Perfectio
,, verò Fidei quemadmodùm uſque in preſens
,, refulſit, oramus, ut & per vos, ſicut etiam
,, per piæ memoriæ Conſtantinum, divino
,, auxilio, in robore ſuo permaneat. Propter
,, quod chriſtianiſſimi & Chriſti fideles Cu-
,, ſtodes, donate hoc munus in primordiis
,, veſtris Eccleſiæ matri veſtræ, cujus eſtis
,, poſt Deum opitulatores, ut fidem Sponſi
,, ejus ſerpentina calliditas non audeat vio-
,, lare.

498 ,, Hoc in primordiis ſalutare ſacri-
,, ficium afferte Domino Deo noſtro, & ab
,, ejus Eccleſia omnis novitatis nebulam ra-
,, dio pietatis veſtræ diſpergite, quatenùs
,, Dominus Deus noſter vicariâ ope omnes
,, quæ contra vos ſunt, conterat nationes,
,, quæque pacem & inexpugnabilem Deum
,, repellunt. Quatenùs vobis ea, quæ ſunt
,, Dei, curantibus, Deus quæ veſtræ ſunt,
,, benignus dignetur perficere. Propter quod
,, etiam mentis inclinato genu tota mecum
,, Eccleſia ſupplicat, ut ab integritatæ im-
,, maculatæ fidei noſtræ, quam Sancti Apo-
,, ſtoli nobis tradiderunt, & Sanctiſſimi Pa-
,, tres doctrinis luculentiſſimis conſignavere,
,, novę confuſionis turbinem amovere digne-
,, tur. Quatenùs Deus & Dominus noſter,
,, cujus fides immaculata cuſtoditur, miſe-
,, ricordias ſuas meritò vobis & copioſiſſimè
,, largiatur, qui eſt omnipotens & Dominus
,, ſempiternus. Creator omnium ad veſtrum
,, benignè reſpiciat Imperium, & gentes, quæ
,, in ſua feritate confidunt, inexpugnabili
,, ſuo potentatu proſternat. *Hactenus Apo-*
,, *logetica Joannis Epiſtola*.

499 Meminit hujus Apologiæ Sanctus Maximus in diſputatione habita cum Pyrrho, ubi etiam tradit, Joannem ad interpretandam Honorii mentem uſum fuiſſe eodem, qui eidem Honorio Pontifici ab Epiſtolis fuerat, à quo prædicta ad Sergium data Epiſtola ſcripta fuit, ſuperſtite adhùc ſub Joannis IV. Pontificatu. In ea ergò diſputatione Dialogica, cùm Pyrrhus interrogaſſet: *Quid de Honorio ad reſpondendum habes, qui apertè anteceſſori meo (ideſt Sergio) unam voluntatem Domini noſtri Jeſu Chriſti eſſe tradidit?* Reſpondit Sanctus Maximus: *Quis fuit fide & auctoritate dignus Epiſtolæ ejus interpres; is, qui eam ex perſona Sancti Honorii ſcripſit adhùc ſuperſtes, & qui totum Occidentem cùm aliis virtutibus, tùm pietatis dogmatibus illuſtravit, an hi, qui Conſtantinopoli, quæ ex corde erant, loquebantur?* Cùmque Pyrrhus reſpondiſſet: *Ille, qui hanc ſcripſit*, Maximus ſubjunxit, *is igitur cùm ad Divum Conſtantinum Imperatorem rursùs ex perſona Joannis Papæ de hac Epiſtola ſcriberet, dixit: Unam voluntatem diximus in Domino, non Divinitatis & humanitatis ejus, ſed humanitatis ſolius. Cùm enim Sergius ſcripſiſſet, quòd quidam duas voluntates in Chriſto contrarias dicerent, reſcripſimus, Chriſtum non duas voluntates contrarias habuiſſe, carnis, inquam, & ſpiritus, ſicut nos habemus poſt peccatum, ſed unam tantùm, quæ naturaliter humanitatem ejus ſignabat. Hoc autem ita eſſe, argumentum evidens eſt, meminiſſe membrorum & carnis, quæ quidem in Divinitate non licet intelligere*. Hactenus S. Maximus.

500 Hic verò Sanctiſſimur Vir, patriâ Conſtantinopolitanus, in divinis & humanis eruditus literis, in pretio habitus ab Heraclio, atque in Imperiali Palatio, ut Regiis Commentariis operam daret, tractus; cùm primùm conſpiceret Monothelitarum hæreſim ingreſſam in aula, ſibi conſulens, relictâ Curiâ Monaſterium eſt ingreſſus; ubi monaſticam ducens vitam, coactus eſt, licèt invitus ejuſdem Monaſterii, quod in ulteriore littore ſitum erat, Chryſopolis nuncupati, regimen aſſumere. Sed invaleſcente Monothelitarum hæreſi, ſciens ſeniorem Romam tali piaculo carere, Romam properare decrevit: Arreptoque itinere, cùm per Africanas Provincias tranſitum feciſſet, egit, ut diverſis congregatis Synodis, de quibus ſupra egimus, nefanda damnaretur hæreſis. Veniens inde Romam ſub Joannis IV. Pontificatu, perſuaſit Pontifici, ut ad eundem effectum congregaret Synodum; ſicut & factum fuit, damnatâ tunc Synodali judicio maledictâ hæreſi. Quare non ignoravit Acta Joannis, & quid egerit prælaudatus Pontifex in defenſam Honorii, & quomodò Apologiam præfatam, interpretatâ Honorii mente juxta expoſita ab eo, qui à Secretis Honorio fuerat, ad Imperatorem miſerat; quoniam hæc omnia Romæ ipſo præſente acta eſſe, ex iis, quæ retulimus, palàm fit: proinde recolenda ſunt ejuſdem Maximi geſta, quæ habentur edita ad calcem Operum ejus græcè, latinitati donata à Petro Morino Doctore Pariſienſi, in quibus cuncta, quæ præfati ſumus, copioſiùs deſcribuntur.

501 At poſt hæc Joannes Papa eodem anno, quo ſupra adnotavimus, ſcilicet DCXLI. ad Dominum migravit die XII. menſis Octobris, cùm ſediſſet annum unum, menſes novem & dies ſex, ut Anaſtaſius ſcribit. Et poſt

menſem ac dies XIII. vacantis Sedis, die XXV. menſis Novembris renunciatus eſt Romanus Pontifex Theodorus, natione Gręcus, de Civitate Hieroſolyma, ex patre Theodoro Epiſcopo, ut idem refert Anaſtaſius, regnante in Oriente Conſtante, de quo ſupra, ejecto Heracleone; in cujus Pontificatus exordio Pyrrhus Epiſcopus Conſtantinopolitaus, de cujus conſenſu Martina Auguſta venenum Conſtantino primo Heraclii filio propinaverat, tanti criminis reus, ut laqueum pro tanto ſcelere ſibi debitum ſubterfugeret, dimiſsâ Eccleſiâ, in Africam ſpontè ſeceſſit, poſtquàm ſediſſet annos duos, menſes novem, & dies novem, ut adnotat Nicephorus in Chronico, cui ab Imperatore datus eſt ſucceſſor Paulus, & ipſe æquè hæreticus Monothelita. Hic enim eſt ille Paulus Severianæ factionis præcipuus fautor, cujus meminit Sergius in Epiſtola data ad Honorium Papam, recitatâ Act. XII. ſextæ Synodi, à nobis ſupra relatâ ſub num. 405. & ſeq. ſcripſit de ſua ordinatione ex more Synodicam Epiſtolam ad Theodorum Papam, qui reſpondens, illum duplici de cauſa redarguit: Primùm quòd Ecthesis Heraclianæ chartam publicis in locis à Pyrrho ſuſpenſam non ſuſtulerit. Deinde quòd Pyrrhi, qui Patriarchatum odio compulſus abdicarat, adhùc ſuperſtitis & nondum damnati Sedem occuparit; atque ſimul ut Synodo congregatâ coram Apocrifariis ſuis, cauſa Pyrrhi examinetur. Literæ porrò Theodori ſic ſe habent.

502 „ Synodicas fraternitatis veſtræ literas, datas per Georgium Presbyterum & Petrum Diaconum, nos ſuſcepiſſe ſignificamus; quarum percurrentes textum, invenimus eam inter ſpem & metum, quemadmodùm inter fidum gemini littoris portum confidentem pariter & fluctuantem, & non fruſtrà. Nam Sacerdotium grave onus eſt, quòd ſcilicet aliorum vitæ cura fatigat, juxta quod ſcriptum eſt: *Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis ſcandalizatur, & ego non uror?* Et quanto metu ſacerdotalis mens concutitur, nè fortè per ſilentium, vel immoderatum eloquium maculetur, tantò ſpe & maximâ propriæ fortitudinis pennâ ad altitudinem ſublevatur, quandò de ſubjectorum profectu gratulatur. Scriptum eſt enim: *Ubi plurimæ ſegetes, ibi manifeſta fortitudo Boum*. Hinc è contra metum reverberat. Scriptum namque eſt: *Fili mi, ſi ſpoponderis pro amico tuo, defixiſti apud extraneum manum tuam. Illaqueatus es verbis oris tui, & captus propriis ſermonibus. Fac ergò quod dico, fili mi, & temetipſum libera, quia incidiſti in manum proximi tui. Diſcurre, feſtina, ſuſcita amicum tuum, nè dederis ſomnum oculis tuis, nec dormitent palpebræ tuæ. Eruere quaſi damula de manu, & quaſi avis de inſidiis aucupis*. Audivimus, dilectiſſime frater, per timorem periculum noſtrum, audiamus per ſpem repromiſſum conſolationum ſolatium: *Ego ſum*, inquit Deus, *pars hæreditatis tuæ*. Et iterùm: *Sacerdotes tui induant juſtitiam*. Timor autem concutit, cùm aliàs dicitur: *Cui multùm creditur, multùm ab eo exigetur*. Et iterùm: *Potentes potenter tormenta patientur*. Et rurſùs ſpes non refovet, ubi ait: *Labia Sacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem exquirunt de ore ejus, quoniam Angelus Domini Exercituum eſt*.

503 „ Inter tot ergò procellas atque tranquillos fluctus æſtuare profundum, quid aliud eſt, niſi in portu aſperrimi littoris navim mentis noſtrę tempeſtatibus concuti? Sed quia majorem fiduciam ex longanimitate Dei Evangeliorum habere cognoſcimur, ſpe gaudentes hujuſmodi ęſtum nullo modo formidamus. Nos ergò quid, niſi diſpenſatores unius Paſtoris ſumus? Ipſo enim paſcente paſcimus, & regente regimus, quoniam omnes ſub eodem Paſtore cum ovibus ipſius oves paſcuæ ſumus. Neque enim noſtris viribus, ſed Dei gratiæ deputamus quod ſumus. Tantùm reſtat, ut cum divino auxilio petendo, quærendo, pulſando, fide & opere donum gratiæ irreprehenſibiliter exhibere poſſimus, quo conculcatis vitiis, virtutum repromiſſa pręmia percipere mereamur. Superbia, quæ eſt initium omnis peccati, longè à Sacerdotum mentibus fiat. Avaritia rurſùs, quæ eſt Idolorum ſervitus, atque omnium malorum radix, abſciſſa, & à turbine pulveris ſui procul amota deſtruatur, quæ excæcat etiam oculos ſapientum. Dilectionem igitur omnium virtutum matrem, ſine qua nihil perficitur, & in qua omnes virtutes pacis completæ vinculo indiſſolubiliter continentur, fide rectâ & ſpe certâ ſtudio indeſinenti teneamus. Et quoniam fide hominum corda purgantur, lecti apices dilectionis veſtræ limpida fidei fluenta vos de fontibus Salvatoris hauſiſſe, & ſicut prædicamus prædicare, & quemadmodùm credimus credere, & ſicut docemus indiminutè docere manifeſtarunt.

504 „ His ergò ita ſe habentibus, cùm ea, quæ à Pyrrho adversùs Apoſtolicam fidem noſtram, ad ſubverſionem Synodalium Decretorum prolata ſunt, tàm per dogma Sedis Apoſtolicæ, quod expoſitum eſt à Prædeceſſore noſtro, quàm per juſſionem filii noſtri manſuetiſſimi Principis deſtructa ſint; Quamobrèm fraternitas tua à publicis locis chartam, quæ ſuſpenſa, pridemque caſſata fuerat, non abſtulit? Quæ ſcilicet ſcandalum ſanctis Dei Eccleſiis non modicum intulit. *Corde enim creditur ad juſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem*. Si dejiciendum ergò ejuſdem Pirrhi conamen fraternitas veſtra ducit, quæ

pro

„ pro cauſa prædictam chartam de pariete „ non depoſuit? Nemo quippè quod abominatur colit. Si autem, quod abſit, hujuſmodi ſcriptum amplectitur, cujus rei gratiâ „ nobis hoc per propria Synodica ſua minimè patefecit? Neutrum enim ſine horum „ alterius dejectione indemniter ſtare poteſt; „ nam ſi recta fides, quæ à tot Conciliis roborata eſt, ab Heraclio & Pyrrho cum quadam additione & emendatione corrigitur: „ Ergò fides à Patribus ſubtiliter examinata „ commoveri cognoſcitur, & mortui vacuâ „ ſpe Beatitudinis deciderunt, quod avertat „ Deus à fidelium cordibus. Hi enim, qui defuncti ſunt, minimè perierunt; *Pretioſa* „ *namque in conſpectu Domini mors ſanctorum* „ *ejus*. Et qui vivunt in hac fide, mundi effecti ſunt; Patrumque dogma ſignatâ fide, „ verum & pium firmiter eſt poſteris traditum. Reſtat igitur, quòd contra fidem „ promulgatum eſt, irritum fiat, & cum auctore proprio deſtruatur.

505 „ Porrò mirati ſumus, quia Epiſcopi, qui fraternitatem tuam conſecraverunt, „ Sanctiſſimum illum in literis ſuis dixerunt; „ ſed & quia propter vulgarem turbationem „ & odium Eccleſiæ hunc Conſtantinopolitanæ abrenunciaſſe ſignificaverunt. Propter quod etiam in ambiguitate poſiti, quæ „ à fraternitate veſtra ſcripta ſunt judicaveramus ad modicum quid differre, donec „ jam dictus Pyrrhus ab Epiſcopatu Eccleſiæ „ Conſtantinopolitanæ pelleretur; nam turbatio & odium populi Epiſcopatus gradum neſcit auferre. Canonica enim vindicta ſuper eum debuerat provenire, quo „ fraternitatis tuæ conſecratio irreprehenſibilis & firma conſiſtat. Scriptum eſt enim: „ *Si vir ejus mortuus fuerit, ſoluta eſt à lege* „ *viri. Si autem vir ejus vivit, adultera vocabitur, ſi fuerit cum alio viro: erunt enim* „ *duo in carne una. Myſterium autem hoc magnum eſt*, ait Apoſtolus, *ego autem dico in* „ *Chriſto & Eccleſia*. Etenim, licèt indigni „ ſimus, locum tamen ejus in Eccleſiis adimplemus. Vivente itaque prædicto Pyrrho, „ & nondum naturâ vel culpâ extincto, nè „ fortè fieret ſchiſma, oportuerat præcaveri.

506 „ Ut ergò fraternitatis veſtræ ſacerdotalis robuſtior ordo permaneat, oportet „ deditum adversùs eum colligi Epiſcoporum ex propinquioribus locis conventum. „ Præcepimus enim ſuper hoc etiam chariſſimis filiis noſtris Sericio Archidiacono & „ Martino Diacono Apocriſario, quibus & „ locum noſtrum ad hujus rei deliberationem credimus, quatenùs cum fraternitate „ veſtra prędicti Pyrrhi culpa regulariter exquiratur. Non enim præſentia ejus neceſſaria eſt, ubi exceſſus ejus & ſcripta veritati repugnantia prętò ſunt, ut cùm de „ his dijudicatur, modis omnibus condemnetur. Primò quidèm, quoniam Heraclium, „ qui anathematizavit inviolabilem orthodoxorum Patrum fidem, diverſis laudibus „ extulit, & ſophiſticam juſſionem ipſius, in „ qua quaſi ſymbolum fidei compoſuit, ſubſcribendo firmavit; furtiviſque ſubreptionibus quoſdam Sacerdotes apud ſe ſingillatim prædictam chartam roborare coegit, & „ in publicis locis ſuſpendere ad deſtructionem Chalcedonenſis Concilii audaci tranſgreſſione præſumpſit. Undè non modicum „ diſſenſionis ſcandalum Eccleſiis Dei diſſeminavit, & obteſtatione conventus à deceſſore noſtro corrigi parvipendit. His igitur & aliis in Synodo fraternitatis veſtræ „ requiſitis, canonicè hunc executioni ſubmittite, ut Sacerdotali ordine & Epiſcopali legiſlatione, ac regulariter eo ſacerdotio denudato, non ſolùm fides illibata permaneat, ſed & fraternitatis veſtræ gradus „ Epiſcopalis firmior conſervetur.

507 „ At verò, ſi diligenter fraternitas „ veſtra, dum conſiliatur, perſpexerit fautores jam dicti Pyrrhi circumſtrepere, & ſenſeritis crebrò, inſolenter præſenti negotio, „ quod diffiniendum eſt, impedimentum per „ dilationem afferre, ut proprium compleant „ quandòque conſilium, vobis contradicentes, niſi juxta votum ſuum quidquam proveniat; & ſi ob hoc fraternitatem veſtram „ obnoxiam facere, vel etiam ſchiſma de „ eadem perſona tentaverint, poſſibile eſt ut „ abſcindatur etiam in hujuſmodi Capitulo „ talis verſutiarum ipſorum intentio, & obtineatur juſſio à Domino noſtro & filio chriſtianiſſimo Principe, quoniam de hoc enixiùs eum per literas noſtras popoſcimus, ut „ ſcilicet ſæpedictum Pyrrhum ad hanc Romanam Urbem jubeat mitti, quatenùs conventu Synodico à nobis effecto, pro ſua „ temeritate judicetur. Sic enim & fraternitatis veſtræ Epiſcopalis dignitas omni „ futuro contrariorum ſchiſmate firmior apparere valebit, & ſcandalum novitatis ab „ orthodoxa fide pulſum necabitur, atque „ Dei Eccleſia continuæ paci donabitur. Deleri namque ab Eccleſia Dei ſcandala debent & extirpari. Multa enim poſſunt oriri diſſenſionis zizania contra promotionem „ faternitatis tuæ, niſi canonicâ falce, nè „ proficiant radicitùs, reſcindantur. Siquidem cùm patimur unum membrum, compatiuntur reliqua corporis membra. Abſit „ ergò, ut ſchiſmata & diſſenſiones proveniant, ſecundùm quod & manſuetiſſimum „ Dominum & filium noſtrum Principem per „ literas noſtras petivimus, quo ab Epiſcopatu fraternitatis veſtræ omnia, quæ nuper „ orta ſunt ſcandala, reſcindantur, & nos „ quidem veluti fraterna viſcera condolentibus providentiæ noſtrę medelam afferentes „ appareamus. Verumtamèn prædictam chartham, quæ contra orthodoxam fidem & Chal-

„ Chalcedonenſe Concilium ſophiſticè probatur expoſita, cunctis viribus irritam „ eſſe deliberamus, & vinculo anathematis „ refutatam, atque ut à nobis & ab omnibus orthodoxis Epiſcopis abominatam reſpuimus.

508 „ Sufficit namque nobis fides, quam „ Sancti Apoſtoli prædicaverunt, Concilia „ firmaverunt, & Sancti Patres conſignaverunt, per quam renati & docti ſumus, „ quamque docemus, nullum augumentum in „ ſymbolo fidei, quod à Synodis eſt firmatum, recipientes. Anathema his, qui addunt, anathema qui demunt ſancto Mathemati, ideſt Symbolo, quod in Concilio Nicæno diffinitum, Conſtantinopolique firmatum, & in Epheſino primo, „ atque Chalcedone à Sanctis & orthodoxis Patribus, qui in Catholica Fide floruerunt, gratiâ Sancti eſt Spiritus ſtabilitum.

509 „ Hæc & his ſimilia concordi ſenſu „ fraternitas veſtra prædicando nobiſcum ore „ & opere confiteatur. Similiter autem anathematizantes omnes hæreſes & auctores „ earum, ut idipſum dicamus omnes, ſicut „ ſcriptum eſt, & ſchiſmata nullo modo germinent in Eccleſia Dei, quæ ſpirituali jam „ & bis acuto ſententiæ gladio ſunt receſa. „ Porrò præſentem literarum latorem fraternitati veſtræ in omnibus commendamus, „ quoniam & mores ejus exigunt, ut eum „ vobis nos commendare debeamus; quia „ manifeſtè veſtram nobis præſentiam exhibere venerabilitas ejus atq; perfectio morum dignoſcitur. *Hactenus Epiſtola Theodori ad Paulum*.

510 Ex qua apparet, Paulum in ſuo Epiſcopatus exordio ſimulaſſe ſe catholicam fidẽ profiteri, & ſcripto in ejus Synodica nihil, quod orthodoxæ adverſaretur fidei, conſarcinaſſe. Sed quoniam cum affectu edicta Heraclii operâ Pyrrhi appenſa, & veræ fidei contraria minimè delenda curavit, ſuſpectum ſe Romano Pontifici reddidit, cujus rei cauſà idem Theodorus poſitum eſſe ſcribit inter ſpem & metum. Conſtat inſuper ex eadem Epiſtola, Theodorum ex more Apocriſarios ad Imperatoris veſtigia Conſtantinopolim miſiſſe, & per eos contradendas eidem Imperatori, feciſſe literas, quæ tamen non extant. Ejuſdem porrò argumenti alias literas fecit ad Epiſcopos ordinatores Pauli, quas indicat in prærecenſita Epiſtola, à quibus pariter de Pauli ordinatione alias acceperat Epiſtolas. Sunt ergò præfatæ literæ ad antefatos Ordinatores datæ, tenoris ſequentis.

511 „ Literas fraternitatis veſtræ, per „ quas nobis de promotione Pauli fratris & „ Coepiſcopi noſtri ſignificaſtis, ſuſcepimus; „ & gaviſi quidem ſuper hujus ſumus ordinatione. Sed futura mœſtitia huic videlicet ſucceſſura, propter zizania, quæ naſcitura fore ſperantur, animum noſtrum „ valdè concuſſit, niſi diligentiſſimâ manu & „ cautiſſimâ curâ, priuſquàm creſcant, & „ Dominicam meſſem ſuffocent, extirpentur. Debuerat igitur Pyrrhus, qui Sanctis Dei Eccleſiis ſcandalum ſeminavit, „ canonicæ priùs animadverſioni ſubmitti, „ & tùm Prælatus frater noſter Paulus ſacrari, nè fortè tempore aliquo de ejectione „ ſua quampiam ſe putet querimoniam objecturum, quòd odium ſuſtinuerit populare, & vi pulſus libellum dederit, & ſuam „ Eccleſiam refutaverit, ſicut nobis fraternitas veſtra per literas ſuas ſignificavit. „ Facilè quippe mutantur homines, & quidem aliquandò ex odio ad dilectionem aſſurgunt, aliquandò verò à dilectione in „ odium dilabuntur.

512 „ Qua ergò pro cauſa, quæ diſſimulari futura ſunt, provido non contemplantur obtutu? Nè fortè proveniens ſcandalum, variis ſimultationibus Eccleſiam Dei „ diſcindat. Sunt capitula, quibus prædictus Pyrrhus canonicè poteſt ab omni ſacerdotali ordine pelli. Primùm quidem, „ quia Heraclium, qui anathematizavit catholicam fidem, & Patres orthodoxè ſentientes, in literis ſuis laudibus extulit, & „ per ſubreptionem per quoſdam Sacerdotes, „ qui ſubſcripſerant, ſophiſticam quoq; chartam adverſùs Apoſtolicam fidem confirmare præſumpſit, & in publicis locis ſuſpendere feſtinavit, quaſi novam fidem & ſymbolum ſuſcitans contra ſanctam Chalcedonenſem Synodum; pœnam minimè veritus „ æterni judicii, & anathema, quod poſitum „ eſt in eadem Chalcedonenſium Synodo, „ quod nemo unquam ſancto Mathemati, „ ideſt colendo ſymbolo, quidquam addere „ vel minuere audere pertempteret. Prædictus autem Pyrrhus nec proteſtatione conventus à pravitate ſua recedere paſſus eſt. „ Ideo ergò jam memoratam chartam abominantes, & omnia, quæ crebrò dictus „ Pyrrhus contra fidem molitus eſt, anathematizantes, quin etiam nunc iterùm atque iterum anathematizamus; illa tantùm „ amplectentes, quæ Sancti nobis Patres in „ Synodis tradiderunt, nihil fidei addentes „ nec auferentes. Et idcircò quæ in perſonam prædicti Pyrrhi diffinierimus, in literis, quas ad jam memoratum fratrem & „ Coepiſcopum miſimus, agnoſcetis.

513 „ Ut igitur ſcandalum minimè futuro tempore generetur, ſecundùm præfixum modum diligenter ſacra providentia „ extinguere curet. Et res quidem ipſa nos „ magis ad tribulationem provocavit, & naſcitura zizania conjecturis probabilibus „ informavit, quoniam per literas veſtras „ prædictum Pyrrhum Sanctiſſimum nominaſtis. Si enim alia taceamus, & nihil „ omninò peccavit, aut in religionem, aut

in

„ in doctrinam fidei, & nec unâ culpâ dam-
„ navit; quamobrèm de propria ejectus eſt
„ Eccleſia? Sed fortaſsè quis dixerit, gene-
„ rale hoc odium fecit. Sed vulgaris tumul-
„ tus jus Sacerdotii auferre non poteſt, nec
„ odium ſacro quemquam Ordine denudare.
„ Manifeſtè quippe ſunt canonicæ cauſæ, quæ
„ jura Sacerdotii recidere poſſunt. Niſi enim
„ naturæ causâ Præſul extinguatur, Eccle-
„ ſiam ejus alius non poteſt irreprehenſibili-
„ ter apprehendere.

514 „ Et hæc quidèm non contradicen-
„ tes ordinationi prædicti fratris noſtri Pauli
„ ſcribimus, ſed vulnus latens & abſconſum
„ medente manu adaperimus, nè in vitalia
„ viſcera ſerpere poſſit, omnem immundi-
„ tiam fœtidæ putredinis medicinaliter ex-
„ haurientes, & quæ poſſunt fieri diligentiâ
„ providæ inciſionis penetrantes, non ut hęc
„ fiant optantes; nam ſæpèdictum fratrem
„ noſtrum in viſceribus mentis noſtræ com-
„ plectimur & fovemus. Sed nè ſchiſmata
„ fiant, fraternâ providentiâ & affectione di-
„ lectionis terremur; quatenùs Epiſcopatus
„ ejus manus impoſitio nullo modo macule-
„ tur. Denique interemptis & ſuffocatis
„ ſchiſmatibus, & fides quoque orthodoxa,
„ quæ tot ſpiritualibus Paradiſi florum odo-
„ ribus per Agricolas Chriſti Dei noſtri,
„ Sanctos videlicet Apoſtolos, eluxit, nulla-
„ tenùs aliquibus zizaniorum ſpinis poterit
„ ſauciari. *Hactenus Epiſtola*.

515 Sed & præter hæc ſui muneris mini-
mè oblitus Theodorus, Apoſtolicâ, qua fun-
gebatur auctoritate, Acta omnia Pyrrhi Ro-
mæ è Petri Cathedra diro anathematis ful-
mine, ut par erat, cum ſuo perculit auctore,
latâ ſententiâ ac edito decreto, quod nedùm
Conſtantinopolim, verùm & ad univerſas
Orientis & ultramarinas Eccleſias tranſmit-
tere curavit, hiſce verbis cōceptum nimirum.

516 „ Dominus ac Salvator noſter in
„ Evangeliis Apoſtolis ſuis ita dixit: *Qui-
„ cumque ſolverit unum de mandatis iſtis mini-
„ mis, & docuerit ſic homines, minimus vo-
„ cabitur in Regno Cœlorum*. Et alia ſcri-
„ ptura dicit: *Nè transferas terminos æternos,
„ quos poſuerunt Patres tui*. His ergò ſic ſe
„ habentibus, ad notitiam fraternitatis ve-
„ ſtræ deducimus, quia Pyrrhus, qui quon-
„ dam Eccleſiæ Conſtantinopoleos Epiſco-
„ patum ſubripuit, & inſtar Lupi ſub præ-
„ textu Paſtoris latitabat, contra orthodo-
„ xam fidem cornu bellico erecto, quædam
„ novitatis figmenta compoſuit, & chartis à
„ ſe dictatis, quoſdam furtivis ac ſubrepti-
„ tiis modis ſubſcribere compulit Sacerdo-
„ tes; verſutè gerens, ut hæreticum præ-
„ ſumptionis ſuæ dogmata ſubreptis aliorum
„ ſubſcriptionibus ſtabiliret, & veluti novum
„ Mathema contra colendum nobiſque tra-
„ ditum à Sanctis Patribus ſymbolum com-
„ ponere conaretur.

517 „ Et quoniam in Chalcedonenſi
„ Concilio anathema poſitum eſt his, qui ad-
„ diderint, vel dempſerint quid in fide, quæ
„ à tot Patribus eſt roborata, hujus rei gra-
„ tiâ dilectionem veſtram præmunire conſi-
„ deravimus, ut his, quæ à prædicto Pyr-
„ rho adversùs Apoſtolicam fidem pręſumpta
„ ſunt, reprobatis, eandem fidem, ſicut &
„ ſiſi ſumus, retineatis, quam ex ipſo lacte
„ uberum ſanctæ Eccleſiæ ſimul ſuxiſtis,
„ univerſa temerariæ novitatis deliramenta
„ deſtruentes.

518 „ Nos enim tàm per alias literas,
„ quàm per decretum præſentis propoſitio-
„ nis, omnia, quæ contra orthodoxam &
„ Apoſtolicam fidem noſtram ab ejuſmodi
„ Pyrrhi novâ & temerariâ vanitate intro-
„ ducta ſunt, abominantes, ſimulque cum
„ charta, quæ propoſita, & in publicis lo-
„ cis ab eo ſuſpenſa eſt, anathematizantes,
„ volumus omnes illa ſapere, ideſt tenère,
„ quę Sancti Apoſtoli tradiderunt, & Patres,
„ qui in orthodoxa fide floruerunt, poſteris
„ tradita per ſancta quinque Concilia firma-
„ verunt. *Hactenus Theodori decretum adver-
„ sùs geſta Pyrrhi*.

519 Hoc ergò per univerſum Orientem
promulgato Sanctiſſimi Theodori decreto,
plurimi ex Epiſcopis orthodoxis declinantes
Monothelitarum inſidias, Romam ſe contu-
lerunt; alii verò non deſerentes gregem, col-
lectis Synodis præfatam hęreſim diro anathe-
mati ſubjecerunt, amplectentes in omnibus
fidem orthodoxam atque Theodori decretum;
inter quos ſanctæ memoriæ Sergius in Inſula
Cypri Epiſcopus orthodoxus Synodum con-
vocavit, currente Anno Domini DCXLIII.
Conſtantis Imperii Anno II., & pariter II.
Pontificatus Theodori, Indictione 1., ut te-
ſtatur Theophilactus Primicerius Notario-
rum in Synodo Lateranenſi Secret. 11. Atque
in ea Synodo damnata & penitùs rejecta at-
que reprobata & anathematizata eſt hereſis
Monothelitarum, prout ex Synodica Epiſtola
data ad prælibatum Theodorum Papam, reci-
tatâ in antefata Lateranenſi Synodo ſub
Martino, eodem Secret. 11. palàm fit, quæ
eſt tenoris ſequentis, videlicet.

*Sanctiſſimo & Beatiſſimo à Deo noſtro honora-
bili Domino meo, Patri Patrum Archi-
epiſcopo & univerſali Papæ Domino
Theodoro, Sergius humilis in
Domino ſalutem.*

520 „ Firmamentum à Deo fixum & im-
„ mobile, atque tituli formam lucidiſſimam
„ fidei veſtram Apoſtolicam Sedem conſti-
„ tuit, ò ſacer vertex, Chriſtus Deus noſter:
„ Tu es enim, ſicut Divinum veraciter pro-
„ nuntiat Verbum, Petrus, & ſuper funda-
„ mentum tuum Eccleſiæ columnæ confir-
„ matæ ſunt: Tibi & claves Cœlorum com-
mi-

„ miſit, atque ligare & ſolvere poteſtativè „ quæ in Terra & in Cœlis ſunt, promulgavit: Tu profanarum hæreſum depoſitor. „ exiſtis, ut Princeps & Doctor orthodoxæ. „ & immaculatæ fidei. Igitur non deſpicias, „ Patrum tuorum, Pater, fidem æſtuantem, „ & ab aliquibus hæreticis ventis violentatam, necnon periclitantem; reſolve nebulam inſipientium lumine tuæ divinæ ſcientiæ, ò Sanctiſſime; abſcinde blaſphemias „ & jactantiam vaniloquorum & noviter „ emergentium hæreticorum Doctorum. Nihil etenim minùs eſt orthodoxæ & Apoſtolicæ veſtræ definitioni atque traditioni, „ quatenùs augumentum aliquod ſuſcipiat à „ nobis fides.

521 „ Nos autem à Deo inſpirati & Sanctorum Apoſtolorum Confabulatores & „ Conſacerdotes ſapuimus, confitemur atque „ confeſſi ſumus à priſtinis temporibus, & ex „ ipſis cunabulis, ſecundùm Sanctum atque „ Beatiſſimum Papam Leonem, prædicantes „ omnibus & conſitentes: *Operatur utraque natura cum alterius communione*. Cum quo „ Beatiſſimo Viro, & omnes à Deo inſpirati „ & Sancti Patres fatentur. Et hæc quidèm „ à nobis humillimis Servis veſtris atque Diſcipulis proſecuta ſunt. Multiloquium autem & contradictionem adverſariorum non „ admittimus, quia parati ſumus pro orthodoxa fide, auxiliantibus vobis, Sanctiſſimis, & orantibus, martyrium ſuſcipere. „ Et ſi quidem voluerit ea, quæ inanè ad „ conſummationem animarum dogmata, hoc „ eſt, ad interitum doctrinæ & confeſſionis „ Sanctorum Patrum, & glorioſi atque præcipui Papæ Leonis propoſita ſunt in Regia „ Urbe deponere, quorum contraria ſapientes non deſiſtimus, ſufficit hoc, atque amica „ Deo pax ſanctis Eccleſiis intercedit, & „ omnis diviſio Eccleſiarum de medio abſiſtit, necnon ſchiſmata diſſoluuntur, ad „ unitatem denuò reſtaurata: Si autem noluerint hoc facere, Apoſtolicos vos Patres, „ ſequentes, in ſcripto & ſine ſcripto eos anathematizamus. Non eſt enim, non eſt Deo „ placitum, neque juſtum, propoſita peſtilentia hæreſum & anathematis blaſphemiis, verbis contendere. Honorent igitur „ rationem & erubeſcant Deum, & hujuſmodi blaſphemias ſubtrahere feſtinent, & „ in quocumque voluerint loco vel tempore, „ de quibus exiſtimant ſapere, movebimus „ dogmata.

522 „ Compendioſè autem, ò Sanctiſſime, dicimus: ea, quæ ad everſionem & „ depoſitionem à Deo inſpiratorum Patrum „ & Sanctiſſimi Papæ Leonis, necnon veſtræ „ à Deo ſapientiæ conſcripta ſunt, deponantur; nam & nos, ſicut dictum eſt, jubentibus vobis Dominis noſtris, & à Deo inſpiratis Patribus percutimus eos anathematibus, & tunc motiones de quæſtionibus eorum & certamina faciemus, ſperantes in veſtram Deo placitam & beatam „ protectionem, quoniam non reveremur, neque formidaturi ſumus timore, ubi non eſt „ timor, præpoſito Deo & orthodoxâ requiſitione. Uſque ad hanc igitur diem diſpenſationem aliquam quærentes, tacuimus eis, „ arbitrantes ad meliora immutare eos proprias doctrinas. Sic etenim & ſanctiſſimæ „ memoriæ Divinus & Sanctus noſter Arcadius ſapuit, veſtram orthodoxam ſequens „ doctrinam; cujus veſtigia & nos omni virtute, & ſequi oramus, conſonantes orthodoxæ & à Deo inſpiratæ doctrinæ veſtræ ſanctiſſimæ Dominationis atque Paternitatis. Ulteriùs autem jam non patimur, „ ſeminantibus eis zizania & ſcandala, ut ita „ dicamus, in omnem Mundum.

523 „ Hi ſunt noſtri Sancti Concilii intellectus, ſed & tomum beatæ memoriæ & à „ Deo inſpirati admittit & amplectitur Leonis, & ſicut ancoram ſalutiferam orthodoxiæ detinet, & veſtris divinæ ſcientiæ lætatur dogmatibus, nihil omninò minuens, „ & cum ea orthodoxa confeſſione proficiſci „ & ad Dominum, & terribili ejus exorat „ aſſiſtere judicio. Deus igitur creator omnium conſervet longævum Sanctiſſimum „ Dominum noſtrum ad ſtabilitatem ſanctarum ejus Eccleſiarum & orthodoxæ fidei, „ vos Paſtorem bonum, qui pro ſpiritalibus „ ovibus tuam animam pones, atque Paſtorali baculo Lupos rapaces expelles. Omnes, qui digni ſunt aſſiſtere Sanctiſſimo & à „ Deo honorato Domino meo, ego & qui „ mecum ſunt, plurimùm in Domino ſalutamus. *Et ſubſcriptio*. Incolumem me & „ Domino beneplacitum ora, Sanctiſſime Pater Patrum. *Hactenus Epiſtola Synodica Sergii Epiſcopi Cypri*.

524 Interea temporis commorante in Africa Pyrrho, relictâ, ut præfati ſumus, Sede Conſtantinopolitana, occurrit ei Sanctus Maximus, qui Româ in Africam pariter receſſerat, atque cum eo congreſſum & diſputationem habuit ſupra propoſita de una vel duabus in Chriſto voluntatibus & operationibus quæſtione; in qua quidem diſputatione à ſancto Viro victus Pyrrhus, faſſus eſt duas in Chriſto voluntates, duaſque operationes, abjurato priſtino ſuo errore de una voluntate, unaque operatione; quare in fine ejuſdem diſputationis hæc faſſum Pyrrhum proditur: „ Demonſtratum etiam profectò „ eſt in quæſtione de operationibus, abſurdum eſſe, unam operationem in Chriſto „ dicere, quomodocumque dicatur. Sed veniam poſtulo tùm iis, qui anteceſſerunt, ex „ ignorantia enim in abſurdas has ſententias „ & argumentationes prolapſi ſumus, & obſecro, ut inveniatur modus delendi hanc „ introductam abſonam ſententiam, & parcendi memoriæ anteceſſorum. *Maximo verò*

„ *rò dicente*. Non eſt alius modus, quàm ta-
„ ceri perſonas, & anathemate affici talia
„ dogmata. *Pyrrhus reſpondit*. At ſi hoc fiat,
„ reperientur cum his ſimul ejecti Sergius &
„ Synodus me Patriarchâ habita. *Cui Maximus*. Subit me admiratio, quomodò Synodum vocas, quæ non eſt habita, ut leges & Canones Synodici & jura Eccleſiaſtica jubent. Nec enim Epiſtola Encyclica ex conſenſu Patriarcharum edita eſt, neque locus, neque dies conveniendi decretus. Non fuit aliquis actor aut accuſator; qui convenerunt, Epiſtolas commendatitias non habuerunt, nec Epiſcopi à Metropolitanis, neque Metropolitani à Patriarchis, non Epiſtolæ, neque Vicarii ab aliis Patriarchis miſſi ſunt. Quis igitur particeps rationis Synodum ſuſtineat appellare, quæ ſcandalis & diſcordiâ cunctum Orbem implevit? *Tùm Pyrrhus dixit*. Si non eſt alius modus præter hunc, pluris faciens ſalutem meam, quàm cætera omnia, præſtò ſum ad faciendum hoc cum omni ſatisfactione: hoc ſolùm rogo, ut dignus habear in primis Templorum Apoſtolorum, ac potiùs ipſorum Principum Apoſtolorum adoratione, deinde, ut videam faciem Sanctiſſimi Papæ, eique tradam libellum eorum, quæ abſurdè facta ſunt. *Cui Maximus & Gregorius Patricius reſponderunt*: Quandoquidem tua propoſitio bona eſt, & Eccleſiæ utilis, ſic fiat. „ *Hactenus ibi*.

525 Acta eſt hæc diſputatio Anno Domini DCXLV. Theodori Pontificatus Anno IV. qui fuit & Annus IV. Imperii Conſtantis, currente Indictione III. Meminit hujus diſputationis Theophanes in ſua Miſcella, per hæc verba: „ Pyrrhus verò cùm „ perveniſſet in Africam, mutuis cum Sanctiſſimo Maximo videtur aſpectibus, Abba videlicet religioſiſſimo in monaſticis correctionibus, necnon & Divinorum illic exiſtentium Pontificum præſentatur obtutibus; qui hunc redargutum & perſuaſum, Romam ad Papam Theodorum direxerunt: qui, orthodoxo libello tradito Papæ, ab eo „ receptus eſt. *Hæc Theophanes*. Itaque poſt abſolutam prælibatam diſputationem, ut promiſerat, Romam acceſſit, atque orthodoxo ſuæ fidei profeſſionis exhibito Sanctiſſimo Papæ Theodoro libello, in communionem receptus eſt. Hoc idem legitur in fine antefatæ diſputationis cum Maximo, ubi habetur: „ In hac ergò celeberrimâ Urbe Româ, „ cùm adeſſet nobiſcum, promiſſum præſtitit, damnavitque dogmata impiæ expoſitionis; ſeque per rectam profeſſionem cum ſancta Catholica & Apoſtolica Eccleſia conjunxit, gratiâ & cooperatione Magni Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, cui „ gloria in ſæcula ſæculorum. Amen. *Hactenus ibi*. Sed & Anaſtaſius in vita Theodori deſcribens geſta Pyrrhi Romæ cum Sanctiſſimo Pontifice Theodoro, ait: „ Ipſis „ temporibus venit Pyrrhus ex Africa, qui fuerat Patriarcha Conſtantinopolitanus, in Urbem Romam ad limina Apoſtolorum; qui ingreſſus, libellum obtulit cum ſua ſubſcriptione Apoſtolicæ noſtræ Sedi in præſentia cuncti Cleri & populi, condemnans in eodem libello omnia, quæ à ſe, vel à deceſſoribus ſuis ſcripta vel acta ſunt adversùs immaculatam noſtram fidem. His itaque ab eo peractis, fecit eum munera erogare in populo, & Cathedram ei poni juxta Altare, honorans eum ut Sacerdotem Regiæ Civitatis. *Hæc Anaſtaſius*.

526 Sed perverſi corde difficilè corriguntur, quoniam paulò poſtea in priſtinam relapſus eſt hæreſim. Etenim cùm Imperator accepiſſet quæ Pyrrhus Romæ egerat, revocato Platone Exarcho, Olympium peſſimum hæreticum ejus loco ſubſtitutum in Italiam miſit, adjecto mandato, ut ageret cum Pyrrho, quatenùs priſtinam reaſſumeret ſententiam. Cùmque Olympius Ravennam veniſſet, omne adhibuit ſtudium, ut mandata Imperatoris perficeret; quod, ut implere poſſet, elaboravit, ut illum ab Urbe Ravennam adduceret; cùmque illud ex animi ſententia conſecutus eſſet, qua pollebat auctoritate ipſum aggreſſus, nunquam deſeruit, quouſque deſertorem fidei & aſſertæ catholicæ confeſſionis prævaricatorem effecerit. Quare ſubjungit Anaſtaſius: „ Poſtea rursùs more „ Canis ad proprium impietatis vomitum reverſus eſt. Tunc Sanctiſſimus Theodorus Papa convocans univerſos Sacerdotes & Clerum in Eccleſia Beati Petri Apoſtolorum Principis, condemnavit eum ſub vinculo anathematis, juxta mercedem ac retributionem propriæ transgreſſionis canonicam pœnam, ſive depoſitionem decernens. *Hæc Anaſtaſius*. Idem quoque recenſet Theophanes ſub Anno XX. Heraclii Imperatoris, per hæc verba: „ Pyrrhus cùm „ Româ diſceſſiſſet, & Ravennam perveniſſet, ut Canis ad vomitum ſuum reverſus eſt. Quo Papa Theodoro comperto plenitudine convocatâ Eccleſiæ, ad ſepulchrum verticis Apoſtolorum acceſſit, & Divino Calice expoſtulato, ex vivifico Sanguine in atramentum ſtillavit, & ita propriâ manu depoſitionem Pyrrhi excommunicati facit. *Hactenus Theophanes*. Horum quoque meminit Martinus I. in Synodo Lateranenſi Secret. I.

527 In libello quoque Synodico apud Labæum tom. 6. Conciliorum pag. 1699. ſub titulo, *Romana Theodori*, orthod. hæc de Pyrrhi geſtis referuntur: „ Cùm autem Heraclius morti vicinus jam eſſet, Pyrrho, qui hætherodoxus erat, ſeriò manadavit, ut Martinam uxorem ſuam & filios à primogenito Conſtantio affligi non pateretur,

„ datâ ei & gratiâ ipſorum & pecuniâ ſanè „ multâ in recompenſationem. Quam ob „ cauſam Bizantini motâ adversùs Pyrrhum „ ſeditione, Solio eum exturbarunt, & in „ Africa exulatum abire compulerunt; ac „ Petrum Monotheleten in Pyrrhi Solium „ evexerunt, cui Paulus ejuſdem Sectę ſucceſſit. Pyrrho autem in Africam delato, „ contra eum inſurrexerunt, Maximus, qui „ inter Monachos venerabilis erat, quique „ illic erant ſacri Antiſtites divinâ præditi „ ſapientiâ. Ipſe verò Romam profectus, „ tanquam Presbyter libellum orthodoxæ „ confeſſionis obtulit. Sed Ravennæ poſtea, „ inſtar Canis, ad proprium reverſus eſt vomitum. Quod cùm Beatus Theodorus, qui „ Sancto Joanni ſucceſſerat, intellexiſſet, „ universâ Eccleſiâ convocatâ, & ſepulchro „ Apoſtolorum Principis Petri occupato, „ Divino etiam Calice poſtulato, ex tremendo & vivifico ſanguine Chriſti, atramento „ affundens, propriâ manu depoſitionem ejus, „ & eorum, qui cum ipſo communicarent, „ exaravit. Pyrrho autem Bizantium reverſo, cùm Paulus blaſphemâ linguâ vitam „ cum morte commutaſſet, generoſuli & audiculi heterodoxi Pyrrhum denuò in Solium per vim intrudunt. *Hæc ex Libello* „ *Synodico*.

528 Hæc tamen non ſunt intelligenda, quaſi ſtatim Pyrrhus in hæreſim relapſus fuerit; quoniam nonniſi elapſo biennio à ſua reconciliatione hæreſim reaſſumpſit, prout infra oſtendemus. Perlatâ porrò notitiâ reconciliationis Pyrrhi Conſtantinopolim, hæretici ægrè ferentes, ad calumniam converſi, vi tormentorum extortam illius fidei confeſſionem à Theodoro Papa dixerunt, & unà ſimul ſuper januas primariæ Eccleſiæ appenſâ chartâ, Monothelitarum hæreſim credendam atque ſequendam præceperunt. Catholici porrò & orthodoxi, quibus Pyrrhi converſio pergratiſſima fuit, non ſuſtinentes quę ab hæreticis in Regia Conſtantinopolis Civitate agebantur & dicebantur, diverſis in locis & Provinciis habitis Synodalibus conventibus, præfatam hæreſim anathematizantes, catholicam atque orthodoxam fidem nuper à Pyrrho Romæ receptam, ubique & ab omnibus ſequendam decreverunt. Primi ergò Epiſcopi, qui ad hunc effectum in Synodo convenerunt, fuere Provinciæ Bizacenæ ſub Stephano Epiſcopo illorum Primate, de qua Synodo in Libello Synodico hæc habentur: „ Sed Stephanus, à Deo inſpiratus, „ Bizacii Epiſcopus, collectâ à ſpiritu motâ „ Synodo, ea, quæ Sergius & Pyrrhus & „ Cyrus decreverant, decenti ſubjecit anathemati; & duas voluntates, operationeſque Servatoris Chriſti prædicavit. *Hæc ibi.* Quâ peractâ Synodo, decreta fuit Legatio ad Imperatorem Conſtantem, ſive Conſtantinum, & ad Paulinum Epiſcopum Conſtantinopolitanum datis Synodicis Literis, quarum ſolùm extant quæ datæ fuerunt ad Imperarorem, recitatæ Secret. 11. Concilii Lateranenſis ſub Martino I., ad hunc modum ſe habentes.

Domino Clementiſſimo Terræ, Mariſque Domino Conſtantino Auguſto, Stephanus primæ Sedis Epiſcopus, vel univerſi Epiſcopi Concilii Bizaceni veſtræ pietatis ultimi famuli.

529 „ Omnipotens Deus Eccleſiæ ſuæ „ providens, præſcitos ac prædeſtinatos in „ præſidio ejus conſtituit Romani nominis „ Reges, ut quoties turbo diabolicæ factionis quiddam contra eam excitare tentaverit, à veſtræ Clementiæ rigore valeat „ comprimi; quatenùs quies ei procurata, „ veſtræ potentiæ ſuffragio debeat defenſari, „ quia ei poteſtatem veſtram ſerviendo ſubicitis, cujus munere & protectione imperatis? Undè divinitùs præordinati, ejus „ curam ſingularem habetis aut primam. „ Scriptum eſt igitur de vobis, & de eadem „ ſancta Eccleſia toto terrarum Orbe diffuſa: „ *Erunt Reges nutritii tui*. Pariterque ſcriptum eſt: *Honor Regis judicium diligit*; „ quia dum divina rebus humanis præponitis, & orthodoxàm fidem curis ſęcularibus „ præfertis, quid aliud, quàm judicium rectum Dei cultui immolaſtis?

530 „ Pro qua re pietati veſtræ cuncti „ veſtræ Africæ Domini Sacerdotes coràm „ Domino ſupplicamus, ut novellæ præſumptionis ſcandalum, quod adversùs fidem „ noſtram attentatum eſt, auferatur, fratremque noſtrum Paulum Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Epiſcopum, regali auctoritate, ut nobiſcum, ideſt, cum omni generalitate orthodoxè ſapere debeat, coarctare dignemini. Fidem namque rectam à „ Sanctis Patribus nobis traditam, ſine adjectione aut imminutione cuſtodire debemus; quia quidquid auctum fuerit, aut „ ſubtractum, nunquam probatur fuiſſe perfectum.

531 „ Scripſimus enim prædicto fratri & „ Coepiſcopo noſtro Paulo per latores præſentium, ut noſtrâ eum vice cum veſtræ „ Clementiæ præceptione admoneant, deſtinantes injunximus; quos veſtræ manſuetudini commendantes, petitionis noſtræ „ vota ut effectui mancipentur, omnes unanimiter genu mentis flexo deprecamur. „ Pro qua re, expedit cenſuræ ejus & famæ, „ ut quod auctor tantæ præſumptionis correxit, à ſe, vel ab aliis, non ſinat incorrectum jamque ſcandalum defenſari.

532 „ Injunximus autem Legationi noſtræ ſupplici pietatis veſtræ, ut ea, quæ „ prædicto fratri noſtro ſcripſimus, ad pias ve-

,, veſtræ Serenitatis aures deducere non mo-,, rentur; quatenùs pietas veſtra divinitatis ,, amore inſtructa, pro pace Eccleſiarum Dei ,, regale præcipiat largiri præſidium, ut pa-,, ce Dei fruentes, quæ omnem ſuperat in-,, tellectum, Regnum veſtrum in pace ſecu-,, rum annis innumeris propagetur. Omni-,, potens Deus noſter, cujus poteſtate cun-,, cta reguntur, benignus ad veſtrum reſpi-,, ciat Principatum, paganaſque gentes, quæ ,, de ſua feritate confidunt, potentiæ ſuæ ,, dexterâ, pietatis veſtræ chriſtianiſſimæ di-,, tioni ſubjugare dignetur. *Hactenus Epi-ſtola*. Cui ſubſcripſerunt poſt Stephanum viginti duo Epiſcopi.

533 Eodemque tempore habita eſt Synodus altera à Guloſo Primate Provinciæ Proconſularis, Probo, atque aliis Africanis Epiſcopis numero ſexaginta octo, in qua quidem Synodo rejecta quoque eſt Monothelitarum hæreſis, & ſola orthodoxa & catholica fides recepta & approbata, Sanctorum Patrum doctrina planè confirmata. Qua abſolutâ, expeditæ fuerunt Synodicæ Literæ ad Paulum Conſtantinopolitanum Epiſcopum, quæ pariter habentur inſertæ in Actibus Synodi Lateranenſis eodem Secretar. 11. & ſic ſe habent.

Domino Beatiſſimo & honorabili Sancto fratri Paulo Patriarchæ, Guloſus, Probus & cæteri Epiſcopi ſancti Concilii Proconſularis, qui ſubſcripturi ſumus.

534 ,, Caput & fundamentum fidei ca-,, tholicę vel univerſalis Eccleſię noſter Deus ,, & Dominus Jeſus Chriſtus, qui cum Pa-,, tre & Spiritu Sancto indiviſam habens na-,, turam Deitatis, ſuis (ſicut nos Evange-,, lium docet) ait Diſcipulis: *Euntes, docete* ,, *omnes gentes, baptizantes eos in nomine Pa-*,, *tris & Filii & Spiritus Sancti*. Dùm ergò, ,, *in nomine*, diceret, non *in nominibus*, uni-,, tatem inſeparabilem, non ſchiſma, fideliter ,, eum colentibus, & in eum ſyncerè creden-,, tibus, demonſtravit. Beati igitur Apoſtoli ,, præceptum ſui Magiſtri, noſtri Domini Je-,, ſu Chriſti, perficientes, ſanam & rectam ,, doctrinam in omni Orbe terrarum prædi-,, caverunt quonam modo ſit Deus colendus, ,, & Chriſtus ejus Filius noſter Deus & Do-,, minus, Deus & homo credendus, & coęter-,, nus & coæqualis Patri, & Filio Divinitate ,, Spiritus Sanctus.

535 ,, In hac ergò fine querelâ vera Dei ,, culturâ catholicâ ſanctâ Eccleſiâ manente ,, unitâ, invidiâ Diaboli mors introivit in ,, cordibus Infidelium, qui à viâ veritatis de-,, viantes, ſecundùm ſuæ errores pravæ con-,, ſcientiæ à fide, ſicut Apoſtolus loquitur, ,, erraverunt, & inſeruerunt ſe doloribus ,, multis, juxta uniuſcujuſque malum intel-,, lectum; per hæreſes fidei catholicæ adver-,, ſantes; contra quas Concilia venerabilium ,, Pontificum per ſacras Chriſtianiſſimorum ,, Principum juſſiones congregata tunc eſſe ,, noſcuntur, in quibus de hæreticorum di-,, verſorum verſutia, vel aſtuta adversùs re-,, ctam fidem eorum ſubtili fallaciâ, Sancti ,, & veri Pontifices exquirentes, mundam ,, fidei orthodoxæ, & liquidiùs declarata ,, dogmata omnes hæreticos prædamnantes, ,, uniſonam dixere ſententiam; ſancientes, ,, quomodo fidelis Populi credulitas obtine-,, ret ſolidata & inevulſibiliter radicata, ,, Chriſti Domini noſtri Dei, quemadmo-,, dùm confitemur perſonam, eum, qui ſuper ,, hæc auderet quippiam adjicere aut muta-,, re, vel exinde quiddam adimere, perpe-,, tuo anathemate condemnando. Quam ,, piam & ſanctam & Deo placitam determi-,, nationem omnis ſuſcepit libenter fidelis ,, Eccleſia, & per tot temporum curricula ,, habetur & retinetur à rectè credentibus ,, hæc definitio immaculata & immutilata ,, firmiſſimè....

536 ,, Quià verò comperimus, quòd quę-,, dam contraria in Conſtantinopolitana ſunt ,, Civitate contra inſtituta fidelium & anti-,, quiſſimorum Patrum & univerſalium Con-,, ciliorum propoſita per chartulæ cujuſdam ,, venenoſæ dicta, miramur, imò dolemus, ,, cur à vobis hæc ſunt permanere permiſſa, ,, aut non ſtatim conſciſſa, & recto ſacerdo-,, tali propoſito radicitùs amputata.

537 ,, Nos ergò omnia, quæ adversùs ,, definitiones Patrum, vel ſanctorum ortho-,, doxorum Conciliorum, catholicam fidem ,, per Apoſtolorum doctrinam fundantium, ,, & jam noviter temporibus Sergii, tunc in ,, tempore Patriarchæ, fuerunt aſſumpta vel ,, prædicata, utpotè execranda, damnamus; ,, illa ſcilicet amplectentes, quæcumque à ,, Sanctis Patribus terminata ſunt, in quibus ,, fides noſtra firma & recta permanet incon-,, vulſa, &, favente Chriſto, inviolabiliter ,, incorrupta. Nec neceſſarium nobis eſt ea-,, dem repetere, quæ ſemel ſunt benè poſita ,, & decreta, nè ad contentionem provocati ,, in periculum incidamus, ſuſcipientes jux-,, ta Patrum definitionem anathema, ſi ſuper ,, eos aliquid dicere vel mutare vel minuere, ,, quod abſit, præſumpſiſſemus nova quædam, ,, quæ jam intelliguntur perverſa, hæretica ,, & Deo adverſantia Capitula, cùm in aſſu-,, mentes talia ultio infertur juſta divina, ,, niſi pœnitentiæ fletibus ad Chriſtum, in ,, quem delinquunt, converterint puriſſima ,, ſua corda.

538 ,, Hoc autem, quod ſancta ſuſcepit ,, recta fides, & vera ſicut prædicavit & fate-,, tur univerſalis immaculata Eccleſia, coli-,, mus & tenemus, Patrem & Filium & San-,, ctum Spiritum inſeparabilem eſſe Trinita-,, tem, unum Deum. Unum autem Sanctæ

„ Trinitatis, Filium Dei, ideſt, Chriſtum „ Dominum Deum noſtrum carnem veram „ habere humanam cum anima rationali & „ intellectuali, nullatenùs Deitate amiſsâ „ aut diminutâ, ſed eundem Dominum no- „ ſtrum Jeſum Chriſtum, Deum & hominem „ confitemur, dicentes & divinam naturam, „ voluntatem & operationem ut Deum ha- „ bere perfectum; & quod eſt hominis, eun- „ dem ipſum ſine quolibet dumtaxat peccati „ vel concupiſcentię modo ſimiliter naturam, „ voluntatem & operationem habere pleniſ- „ ſimam; ideſt, in Deo Domino noſtro Jeſu „ Chriſto duas eſſe naturas, duaſque volun- „ tates naturales, ſicut catholica docuit & „ docet ſemper Eccleſia. Ut autem etiam „ exemplis Sanctorum Patrum, quæ præmiſ- „ ſa ſunt, multò ampliùs roborentur, eorum „ exempla huic noſtro epiſtolari eloquio ex „ multis pauca inſeri maturavimus. *Hacte- nus Epiſtola*. Cui ſubnexa ſunt teſtimonia ex libris S.Auguſtini, & inde ſequuntur omnium Epiſcoporum ſubſcriptiones.

539 Sed & Victor eodem tempore electus Eccleſiæ Carthaginenſis Epiſcopus, defuncto aut ejecto Fortunio ejuſdem Eccleſiæ Epiſcopo, qui Paulo Conſtantinopolitano communicaverat, aliam Syndodum in ſui Epiſcopatus exordio coëgit adversùs eoſdem Monothelitas, de qua in Libello Synodico ſcribitur: *Victor verò Carthaginis admiratione dignus Epiſcopus, pariter ſacrà convocatà Synodo, Sergium, Cyrum & Pyrrhum anathemate notavit; duaſque voluntates & operationes in Chriſto Salvatore noſtro declaravit*. Qua porrò abſolutâ Synodo idem Victor decretà Legatione ad Theodorum Papam per Melloſum Epiſcopum Gipponenſem, Redemptum Diaconum Carthaginenſem, & Creſciturum ejuſdem Eccleſiæ Notarium ſynodicas literas miſit, quibus in primis de ſua in Epiſcopum creatione eum certiorem reddidit, inde ſe catholicæ fidei profeſſorem eſſe ſignificavit, denique Acta Synodica ad Paulum Patriarcham per ſuos reſponſales contradenda mittere rogavit. Extant prælibatæ literæ in Actis Synodi Lateranenſis Secretar. II. tenoris ſequentis, videlicet.

Domino Beatiſſimo & honorabili Sancto fratri Theodoro Papæ, Victor.

540 „ Veſtræ Beatiſſimæ Paternitatis „ apud Deum acceptabilia opera & conver- „ ſatio glorioſa penè Mundo toti ſunt mani- „ feſta. Prædicationibus igitur Apoſtolicis „ & doctrinis, dùm veræ fidei culturâ uni- „ verſa repleta ſit terra, per divinorum ta- „ men eruditionem eloquiorum, veſtrâ in- „ ſtruente admonitione exhortatoriâ, ſuper- „ ędificatur orthodoxa Chriſti Eccleſia, Apo- „ ſtolicâ inſtitutione fundata, & à fidelibus „ Patribus firmiſſimè roborata. Ad quam „ omnes Beatiſſimi Apoſtoli, pari honoris & „ poteſtatis conſortio præditi, populorum „ agmina convertentes piè & ſanctè de tene- „ bris ad lumen, de lapſu ad veram fidem, de „ morte ad vitam homines divinæ prædeſti- „ nationis gratiâ præſcitos, ſalutaribus prę- „ ceptis ac monitis perduxerunt. Quorum „ Sanctorum Apoſtolorum veſtra fraternitas „ honoranda, ſequens pleniùs merita, & per- „ fectiùs implens exempla, Eccleſiam Dei „ morum probitate & actuum ſanctitate con- „ decorat, & fide ſacrâ vel chriſtianis mori- „ bus vigens, quæ fieri Deo placita pręcipit, „ ſtudiis Pontificalibus indeſinenter opera- „ tur & perficit, ſervans Legis Divinę man- „ data: *Quia non legis auditores juſti ſunt* „ *apud Deum*, ſicut narrat Apoſtolus, *ſed* „ *factores legis juſtificabuntur*. In qua lege „ divina veſtra ſancta & venerãda ſynceritas, „ ſicut ſcriptum eſt, *meditatur die ac nocte*; „ quæ meditatio non lectione per figuram „ literarum tantùm conſpectâ, ſed uberante „ in vobis Chriſti gratiâ, in veſtra cognoſcitur conſcientia immobiliter inſita, nul- „ latenùs de veſtro corde recedente lege „ Chriſti Dei Domini ſacroſanctâ, ſicut in „ Pſalmis dicit Propheta: *Os juſti meditabi-* „ *tur ſapientiam, & lingua ejus loquetur ju-* „ *dicium. Lex Dei ejus in corde ipſius; non* „ *atramento, ſed ſpiritu Dei vivi veſtra in* „ *arcana conſcripta; neque in tabulis lapideis,* „ *ſed in tabulis cordis carnalibus*. Sicut Bea- „ tiſſimi Apoſtoli Pauli ad Corinthios miſſa „ nos docet Epiſtola.

541 „ Quibus præmiſſis, ſignificavimus „ Deo placitæ fraternitati veſtræ die XVII. „ Kalendarum Auguſtarum, Indictionis IV., „ noſtram humilitatem, divinâ gratiâ, ſuo „ ut præcepit munere, præveniente, ut veſtris „ ſanctis ac Deo dignis precibus, in ſancta „ Carthaginenſis Civitatis Eccleſia Pontifi- „ calis honoris accepiſſe conſecrationem & „ ſtolam. In quo dignitatis faſtigio, ut à „ Deo omnipotente regamur ab Altiſſimo, & „ à malis actibus liberati, ſacerdotale non „ nomen tantùm, ſed Chriſti Domini Dei „ noſtri protegente auxilio, & meritum ha- „ beamus, veſtris ſanctis ac Deo acceptabi- „ libus nos commendantes orationibus, po- „ ſcimus; quatenùs & veſtris deprecationi- „ bus pro nobis ad Deum effuſis muniti, „ & eruditionibus bonis inſtructi, digni „ efficiamur cum omni nobis populo chri- „ ſtiano commiſſo illæſi protegi velamento „ divino.

542 „ Ad ſalutationem ergò veſtræ ſan- „ ctæ & honorandæ fraternitatis vice noſtrâ „ Melloſum humilem veſtrum fratrem no- „ ſtrum Epiſcopum & Redemptum Diaco- „ num, vel Creſciturum Notarium ſanctæ „ noſtræ Sedis, veſtros famulos deſtinavi- „ mus, quos poſtulamus celeriùs nobis à „ veſtra Beatitudine perſolvi, quò poſſint ad pro-

„ proprias Eccleſias ante hyemem, Deo pro-„ pitio, remeare. Prę omnibus autem fateor, „ in ipſo noſtrę provectionis exordio cor no-„ ſtrum non leviter vulneratum fuiſſe, ut „ propheticum illud præceptum exoptarem, „ dicens: *Quis dabit capiti meo aquam, aut* „ *oculis meis fontem lacrymarum,& ſedens plo-* „ *rabo die ac nocte?* Ecce enim Eccleſię Dei nō „ leviter perturbantur, Chriſtianiſſimorum „ voces, ac gemitus Epiſcoporum non ſup-„ portamus, querentium & clamantium, no-„ vitates & concinnationum figmenta, à Pau-„ lo venerabili Conſacerdote noſtro, ut di-„ citur, contra fidem veraciſſimam approba-„ ta debere repelli.

543 „ Nos autem temperamentum cau-„ ſis innectentes, expedire putavimus præ-„ dictorum Beatiſſimorum Conſacerdotum „ noſtrorum, licèt juſtiſſimos queſtus æqua-„ nimiter ſupportare, & ad auditus vene-„ randos fraternitatis veſtræ hoc ipſum per-„ vigili cura adducere. Inquiunt enim, quæ-„ dam vice Epigrammatum, chartarum vo-„ lumina in ſacris ædibus apud Regiam Ci-„ vitatem nuper eſſe ſuſpenſa Religioni Ca-„ tholicæ, & ipſi veræ fidei ac Patrum tra-„ ditionibus omninò contraria. Quis enim „ vecors ſacrilegâ voce audeat prædicare, in „ Domino noſtro Jeſu Chriſto aut unam tan-„ tummodo voluntatem, aut unam opera-„ tionem exiſtere, dùm manifeſtiſſimis Pa-„ trum definitionibus liquidiùs clareat, in „ Domino noſtro Jeſu Chriſto duas naturas, „ & earum duas voluntates, duaſque opera-„ tiones vel proprietates naturales modis „ omnibus inveniri? Et poſſumus multipli-„ cibus Patrum documentis noſtrę parvitatis „ intentionem firmare, niſi veſtram ſanctiſ-„ ſimam fraternitatem in omnibus corde ea „ retinere firmiſſimè teneamus. Ut autem „ ipſius Sedis Apoſtolicæ decretis per omnia „ confirmemur, Leonis Beatiſſimi prædeceſ-„ ſoris veſtri Apoſtolicæ memoriæ definitio-„ nem inſeri pervidemus, & continet: *Agit* „ *enim utraque natura cum alterius commu-* „ *nione quod proprium eſt*. Nos itaque Pa-„ trum in omnibus decreta ſequentes, in „ Chriſto Domino noſtro duas naturas, ea-„ rumque duas voluntates, duaſque opera-„ tiones firmiſſimè prædicamus, Deum ve-„ rum atque hominem verum abſque delictis „ humanis veraciter confitemur, repudian-„ tes cunctarum hæreſum ſubſannationes, „ vanitates & inſanias mendaces.

544 „ Veſtrùm eſt igitur, frater ſanctiſ-„ ſime, canonicâ diſcretione ſolitè contra-„ riis catholicæ fidei obviare, nec permitte-„ re noviter dici, quod Patrum venerabi-„ lium auctoritas omninò non cenſuit. Nos „ enim humiles corde, quæ recta ſunt, adju-„ tore Domino, ſapientes, uno vinculo cha-„ ritatis vobiſcum ſumus conſtricti, veram „ Fidem ac Religionem catholicam in omni-„ bus fortiter defenſantes. Studioſiùs itaque „ à Catholicis improbis poſſe reſiſtere, im-„ minendum eſt, nè torpore deſidiæ oppreſſi, „ culpæ taciturnitatis teneamur obnoxii, & „ quaſi favorem impendentes judicemur, „ dùm adverſa catholicæ fidei propulſare ne-„ gligimus. A' Beato namque Felice Apoſto-„ lo veſtræ Sanctitatis prædeceſſore dictum „ eſt: *Negligere quippe, cùm poſſit, deturbare* „ *perverſos, nihil eſt aliud quàm fovere; nec* „ *caret ſcrupulo ſocietatis occultæ, qui manifeſto* „ *facinori deſinit obviare*.

545 „ Liquet, Doctor ſanctiſſime, ve-„ nenoſa ſerpentum ſine ſimplicitate aſtutia, „ manifeſta eſt doloſa hæreticorum fallacia. „ Quid eſt enim naturarum in Chriſto Do-„ mino noſtro proprietates auferre, niſi ea-„ rundem naturarum confuſionem inducere? „ Quod catholicæ Eccleſiæ, id eſt, ſtatutis „ quammaximè Patrum ſancti Chalcedonen-„ ſis Concilii extat contrarium, ex quo am-„ pliùs & fundamentum fidei & perfectio in-„ dubitatè conſiſtit. Poſſemus verò etiam ei-„ dem fratri & Coepiſcopo noſtro Paulo „ beatiſſimo Regiæ Civitatis Antiſtiti ſimi-„ lia noſtris ſcriptis dirigere, niſi malorum „ cognoſceremus falſis locutionibus dictum „ fuiſſe, noſtram quaſi Africanam Provin-„ ciam poſſe aliqua, quæ in vero non conſi-„ ſtunt, mala peragere. Sed & hoc noſtræ „ poſtulationi ſubjungimus, ut ea, quæ epi-„ ſtolariter à Coepiſcopis noſtris ſancti Con-„ cilii ad Beatiſſimum Paulum Patriarcham „ ſcripta ſunt, per veſtræ Beatitudinis re-„ ſponſarios eidem fratri noſtro Paulo diri-„ gere jubeatis. *Hactenus Synodica Victoris ad Theodorum*.

546 In Numidia quoque Columbus Epi-ſcopus in eadem cauſa ſymbolum coëgit, quemadmodùm & in Mauritania Reparatus Epiſcopus, quarum Synodorum mentio fit in præcitato Libello Synodico, ubi ſub titulo, *Numidica Colybi orthodoxa*, dicitur: *Similiter autem & Colybus* (ſive Columbus) *Numidiæ Africæ ſanctiſſimus Epiſcopus, ſacrà convocatà Synodo, Sergium, Pyrrhum & Cyrum anathemate notavit; & duas voluntates ac operationes Servatoris noſtri & Dei Jeſu Chriſti docuit*. Et ſub titulo, *Mauritanica Reparati orthodoxa*, ſubjungitur: *Eodem modo & Reparatus ſanctiſſimus Mauritaniæ Epiſcopus, divinà & ſanctà inſtitutà Synodo, Sergium, Cyrum & Pyrrhum anathemate notavit; & duas voluntates & operationes Servatoris noſtri & Dei Jeſu Chriſti prædicavit*. Cùmque prælibati prærecenſitarum Synodorum Patres decreviſſent ad Paulum Conſtantinopolitanum cum Actibus Synodalibus Legationem, Gregorius in Africa pro Imperatore Præſes, utpotè Paulo, atque Monothelitis addictus, intercluſo Africanorum cum Orientalibus commercio, nè id fieret, impedivit: Quo ab Epiſcopis comperto, ad Theodorum Romanum Pon-

Pontificem Literas fecerunt, eiſque Epiſtolas & Synodalia geſta ad Paulum directa adnexerunt, poſtulantes, ut per Apoſtolicæ Sedis reſponſales ipſi contraderentur Paulo; ſupplicantes pariter, quatenùs niſi Paulus emendaret errorem, veramq; & orthodoxam fidem reciperet, Apoſtolicâ auctoritate cum cœtu Fidelium ſejungeret. Extant ejuſmodi Literæ recitatæ pariter Secret. II. Synodi Lateranenſis ſub Martino I. ad hunc modum ſe habentes.

Domino Beatiſſimo Apoſtolico culmine ſublimato, Sancto Patri Patrum Theodoro Papæ & Summo omnium Præſulum Pontifici, Columbus primæ Sedis Epiſcopus Concilii Numidiæ, & Stephanus primæ Sedis Epiſcopus Concilii Bizaceni, & Reparatus Epiſcopus primæ Sedis Concilii Mauritaniæ, & univerſi Epiſcopi de tribus Conciliis antedictis Africanæ Provinciæ.

547 „ Magnum & indeficientem omnibus Chriſtianis fluenta redundantem apud „ Apoſtolicam Sedem conſiſtere fontem, nullus ambigere poſſit, de quo rivuli prodeunt affluenter, univerſum largiſſimè irrigantes „ Orbem Chriſtianorum, cui etiam in honore Beatiſſimi Petri Patrum decreta peculiarem omnem decrevere reverentiam in „ requirendis Dei rebus, quæ omninò & ſollicitè debent, maximè verò juſtèque ab ipſo Præſulum examinari vertice Apoſtolico, „ cujus vetuſta ſollicitudo eſt, tàm mala damnare, quàm probare laudanda.

548 „ Antiquis regulis ſancitum eſt „ enim, ut quidquid, quamvis in remotis „ vel in longinquo poſitis, ageretur Provinciis, non priùs tractandum vel accipiendum „ ſit, niſi ad notitiam almæ Sedis veſtræ fuiſſet deductum, ut hujus auctoritate, juxta „ quæ fuiſſet pronuntiatio firmaretur, indeque ſumerent cæteræ Eccleſiæ, velut de „ natali ſuo fonte prædicationis exordium, „ & per diverſas totius Mundi Regiones puritatis incorruptæ maneant fidei Sacramenta ſalutis.

549 „ Quocircà humillimum Apoſtolico veſtro culmini perſolventes obſequium, „ cum lacrymis ſuggerimus, quod ſine cordis gemitu reticere non valemus, ante hoc „ temporis ſpatium exoſum apud Conſtantinopolitanam Civitatem novitatis commentum ad nos uſque opinanter fuiſſe delatum. Et ut hactenùs ſiluiſſemus, putavimus ſereniſſimo examine veſtræ Apoſtolicæ Sedis fuiſſe defectum. Quod ubi pertinaciter cognovimus invaleſcere, relegentes videlicet libellum Pyrrhi noſtri fratris, „ & Coepiſcopi dudùm ejuſdem Conſtantinopolitanæ Civitatis, apud veſtram venerabilem Sedem prolati, relationem qualem neceſſitas exegit, fratri Paulo, nunc „ Conſtantinopolitanæ Civitatis Eccleſiam „ occupanti, emiſimus, exhortantes cum nimio fletu, jam dictum novitatis commentum, non quidèm ſuis temporibus adinventum, à ſuo videlicet auctore confutatum, „ à ſe quoque, vel omni Eccleſia, cui præſidet, repellere, & chartas omnes præ foribus ipſius ſanctæ Eccleſiæ ad ſcandalum „ populorum ſuſpenſas projicere, qualiter „ fides, quæ nunc uſque permanſit integra, & Apoſtolica eruditio illibata ſervetur.

550 „ Certum eſt enim, quòd tales ſermonum novitates de malo gloriæ amore „ naſcuntur; dum ſibi nonnulli volunt acuti, „ perſpicaces, & ſapientes videri, quærunt „ quid novi proferant, neſcientes, quia Deus noſter *infirma Mundi eligit, ut confundat fortia*, & ſapientes per ſtulta Mundi confudit. Ad Timotheum quippe Doctoris „ Gentium ſollicitè legiſſet ſermones, quibus „ ait, ut novitates vitet vocum profanas; ad „ impietatem nempè iſta proficiunt, quæ ſuper ſpinas & tribulos contulerunt; & Epheſi „ remanens denuntiet quibuſdam, nè quis „ aliter prædicaret: Et ut aliqua de veteribus proferamus, Jeremiæ Prophetæ verba ſunt: *Horribilia*, inquit, *facta ſunt ſuper terram; Prophetæ iniquitatem prophetant*. „ Multa ſunt Divinæ Legis documenta, quæ „ de largo veſtri culminis fonte noſtris rivulis infundantur.

551 „ Quia verò in quandam ſuſpectionem noſtra Africana à malignis hominibus apud memoratam Regiam Civitatem recitata eſt Provincia, ante dictam „ relectionem memorato fratri Paulo Conſtantinopolitano Antiſtiti tranſmiſſam, veſtræ Deo amabili Beatitudini direximus, „ quam rogamus humiliter per veſtræ ſacratiſſimæ Sedis Reſponſales tranſmittere, „ qualiter proſperè cognoſcamus, ſi memoratus ſuperiùs frater à nefanda ſe novitatis adinventione ad integram reformaverit „ orthodoxæ fidei prædicationem. Quòd ſi „ diſſimulaverit, auctoritas almæ Sedis veſtræ, juxta Patrum ſanctiones, ſalubri conſilio petractabit à ſano corpore ſeparare „ vulnus inſanum, remotoque morbi ſævientis flatu cautiùs, quæ ſunt ſyncera, perdurent, & grex purior ab hac mali contagione, ſpiritali veſtri culminis ferramento „ purgetur.

552 „ Noviſſimè hoc, neceſſitatis eventu quod accidit, in veritate ſuggerimus, „ quia nobis ſpecialiter per unamquamque „ Provinciam Synodos contrahentibus venerandas, dùm ex noſtro Collegio fratribus „ electis plenam tranſmittere nitimur Legationem cum noſtris relationibus, quædam „ oborta ſunt, quæ noſtram intentionem ratio-

„ tionabiliter prohiberent. Sed hujus rei, „ quam memoravimus, urgente neceſſitate, „ generali Africanę Provincię Conſtituto per „ Legatos diverſorum Conciliorum inito, „ generalem hanc proſperè veſtro culmini „ demandavimus relationem, poſtulantes non „ nobis, ſed ipſi, quæ evenit, neceſſitati ad„ ſcribere. Ora pro nobis Domine Sancte „ ac Beatiſſime Patrum Pater. *Hactenus Litera*.

553 Acta ſunt hæc omnia, prout innuimus, poſt Romæ reconciliatum Pyrrhum, anno ſcilicet ſequenti, hoc eſt Domini Anno DCXLVI., Imperii Conſtantis V., & pariter V. Pontificatus Theodori, currente Indictione IV. Porrò Theodorus, acceptis præenarratis Literis, atque ex eis intelligens univerſam Africam, nedum catholicam profiteri fidem, verùm in unam, eandemque convenire ſententiam, ut Paulus Conſtantinopolitanus admoneretur, quatenùs conceptam dimitteret hæreſim, ſanamque & orthodoxam amplecteretur fidem, reluctans verò excommunicationi ſubjiceretur; zelo Apoſtolico indutus, id quod per blandas literas hactenus à Paulo minimè obtinere potuerat, datis ad eum cominatoriis literis, addito quoque ſuis Reſponſalibus mandato, de ipſum increpando, ſaltem terrore pœnæ conatus eſt ab eo extorquere. Et licèt ejuſmodi literæ Theodori non extent, attamen ex ipſis, quas Paulus ad Theodorum reddidit, præfata omnia liquent. Sunt autem literæ ejuſmodi.

Sanctiſſimo & Beatiſſimo fratri & Conſacerdoti Domino Theodoro, Paulus indignus Epiſcopus, ſalutem.

554 „ *Ecce quàm bonum & quàm jucundum habitare fratres in unum*, ſpiritali dico „ habitaculo & concordiâ, quæ in Deo eſt, „ & unitate fidei hujus delectabilis ſecun„ dùm veritatem inhabitaculi, quæ videlicet „ in Aaron magis decorabatur, atque ſacer„ dotalem induentibus dignitatem, ſicut un„ guentum ſuper caput, principalem intel„ lectum irrigans, & uſque ad ipſam extre„ mam ſcientiam deducens. In hoc enim ha„ bitaculo benedictionem & æternam vitam „ promiſit Dominus.

555 „ Hujus igitur propheticæ vatici„ nationis meritum amplectentes, præſen„ tem fraternam ſyllabam expoſuimus, no„ ſtra propter charitatem minimè quærentes „ aut quæſituri. Nec enim detrahentibus, „ bonum eſt detrahere, aut palo, ſecundùm „ vulgarem fabulam, excutere palum: Abſit, „ non ſunt noſtra hæc. Avertat Divinitas, „ non ſunt edocti habitus noſtri ita vincere, „ ſed in patientia longanimitatis & ſpiritu „ humilitatis, quia ſicut minimè per duri„ tiam, ut propheticè dicamus, purgatur „ nigella, ita nec pacis ſaporatus fructus „ intelligentiæ, per aſperitatem exprimitur. „ Propter hoc enim & verborum ſupportavi„ mus colaphos, ut vel paulatim valeamus „ eum imitari, qui propter nos ſe humiliare „ dignatus eſt, ut extremæ illius ultionis „ per hanc plagam verbera declinemus.

556 „ Audiamus igitur & conſentiamus „ Eccleſiæ Oratori, qui per linguam Spiri„ tus clarâ voce exclamat, dicens: *Omnia à* „ *vobis in charitate fiant*. Ergò ſivè quærimus „ ſivè tantummodò dicimus, & tantummodò „ audimus, charitas intercedat, ars aliqua „ exiſtens ad compoſitionem concordię boni „ & conjunctionem. Oportet enim de Deo „ quærentibus nobis, ſparto rectitudinis „ mentis noſtræ denumerantes Templum, „ pacificè inhabitare in eo propter Domi„ num, qui per Prophetam locutus eſt: *Quærens quare, & apud me habita*. Speculum „ enim dedit Deus populo ſuo, ut oportet „ eos, qui à Deo ſunt deputati, Sacerdo„ tium adipiſci, ita in humilitate greſſum „ mentis ad invicem tendere, ut meliùs ædi„ ficentur hi, qui ad nos reſpiciunt, quàm, „ quod dicere piget, per noſtram diſcordiam „ ſemitam pedum eorum concutere. Ad con„ cordiam inclinemus nosmetipſos, & unum „ ad charitatem ſapiamus. Humilitatem ve„ neremur, per quam apprehendi ſolet alti„ tudo ſpiritus.

557 „ Si enim & verbo ampliùs uſque „ hùc taciturnitatem diliximus, hoc quidèm „ benè habere arbitrati ſumus, nè ſcriptis „ veſtris reciprocata reſpondentibus, inju„ riæ fomitem exhortemur, & puſillanimitate „ dijudicemur ab eo, qui omnia ad charita„ tem dirigere promulgavit. Oravimus ve„ rò, & tunc oſtium circumſtantiæ labiis no„ ſtris imponi, & verbum inſonitum conci„ pere potiùs, quàm verbum invigile; & ta„ men hoc mihi donum eſt à Domino: *Et* „ *factus ſum ſicut homo non audiens & non ha*„ *bens in ore ejus argumentationes, ſed quia* „ *tempus eſt loquendi, & tempus tacendi*, ape„ rio verbum, & claudo oſtium per tacitur„ nitatem, competenter exorans: *Domine* „ *labia mea aperies, ut reſpondeam exprobran*„ *tibus mihi verbum*. Licèt enim tacuimus, „ non ſemper tacebimus, adaperiente nobis „ Deo claves verbi.

558 „ Igitur directis in præſenti à Bea„ titudine fraternitatis veſtræ Apocrifariis, „ qui poſt multas factas inter nos de Eccle„ ſiaſtica requiſitione diſſonantes ſermocina„ tiones, in fine ad hoc pervenerunt, admo„ nentes nos atque adhortantes interpretari „ unius Chriſti veri Dei noſtri voluntatis „ intellectum, atque hujuſmodi interpreta„ tionem deſtinari veſtræ ſacratiſſimæ vene„ rationi. Nos autem acceptam habentes „ bonæ conſcientiæ prædictorum venerabi„ lium Virorum admonitionē, cognoſcentes „ autem & quæ Principatus Apoſtolorum ſum-

„ ſummitas docet, paratos eſſe *ad ſatisfa-*
„ *ctionem omni poſcenti nos verbum de ſpe,*
„ *quæ in nobis eſt*, ſecundùm Dei timorem,
„ manſuetudinem ad bonam ſcientiam tem-
„ perantes, ſuper tali tantummodò requiſi-
„ tione mentem noſtram per has ſyllabas ex-
„ ponimus, ſuperfluam excitationem & al-
„ tercationem verborum propter ſatietatem
„ & præſentis temporis incongruitatem de-
„ clinantes, ac præcaventes, nihil noſtrum
„ intelligentes aut proferentes, vel dicentes,
„ ſed quæ audivimus & cognovimus à ſan-
„ ctis & univerſalibus magnis Conciliis, &
„ Patres noſtri enarraverunt nobis; quoniam
„ via veritatis intellectus eſt ſapientum,
„ ſicut proverbiatori Salomoni atque verita-
„ ti benè placere dignoſcitur. Sed quia tem-
„ pus jam trahit nos promiſſionis, & ad ape-
„ riendam requiſitionem provocat, incipia-
„ mus noſtræ rectæ fidei formam ſcripturæ
„ imaginibus enarrare, ſicuti tinctitiis ali-
„ quibus coloribus paternis teſtimoniis cer-
„ tiùs decorantes quæ à nobis dicuntur.

559 „ Nos igitur, ideſt, juriſdictio Ec-
„ cleſię noſtrę & Synodus, confitemur unum
„ conſubſtantialis & Auctoris vitæ Trinita-
„ tis Filium ac Verbum ſine initio Genito-
„ ris Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum ve-
„ rum Deum noſtrum ex Spiritu Sancto &
„ immaculata Dei Genitrice ſemperque Vir-
„ gine Maria, inconvertibiliter incarnatum,
„ perfectum eſſe eundem Deitate, & perfe-
„ ctum humanitate, unam perſonam, unam
„ ſubſtantiam compoſitam in duabus, & poſt
„ unitatem prædicantes naturis, differentiam
„ utrarumque naturarum cognoſcentes, ſe-
„ cundùm earum proprietatem. Nec enim
„ earum per partem diviſionem, aut in alte-
„ rutram mutationem, aut commixtionem
„ ſive confuſionem penitùs intelligimus aut
„ ſuſcipimus: Abſit; ſed in uno Chriſto ſal-
„ vatâ utrâque naturâ Divinitatis & huma-
„ nitatis & in eſſentiæ proprio termino, ſe-
„ cundùm ſubſtantiam inenarrabilis ſummæ
„ unitatis convenientiâ conſervatis & per-
„ manentibus (manſit enim Verbum quod
„ erat, & factum eſt quod non erat). Pro-
„ pterea & omnem congruam Divinitati &
„ humanitati operationem ab uno eodemque
„ procedentem Incarnato Deo Verbo dici-
„ mus, & in unum eundemque reduci. Ideo-
„ que & diviſio non introducitur, & incon-
„ fuſio ſalvatur.

560 „ Reſipiſcat plebs impiorum hęreti-
„ corum, ſileant cum Neſtorio, Diodoro
„ & Theodoro Severus & Eutyches & Apol-
„ linaris execrabiles, ex alterutra diſſonan-
„ tia conſonantes ad impietatem, aliis con-
„ fuſionem, aliis diviſionem malè inducen-
„ tibus, & benè à veritatis regulis denuda-
„ tis. Unius autem & ejuſdem Dei Verbi
„ Incarnati miracula prędicamus, & paſſio-
„ nes cognoſcimus, quas, ſecundùm carnem,
„ propter nos ſpontè ſuſtinuit. Ideoque &
„ Deus dicitur pati, & Filius hominis à Cœ-
„ lo deſcendiſſe propter ſummam & indiſſi-
„ pabilem, ſecundùm ſubſtantiam, duarum
„ naturarum unitatem.

561 „ Undè & unam voluntatem Domi-
„ ni noſtri Jeſu Chriſti intelligimus, nè con-
„ trarietatem aut differentiam voluntatum
„ uni eidemque perſonæ Domini noſtri Jeſu
„ Chriſti applicemus, aut ipſum ſe expugnan-
„ tem dogmatizemus, aut duas voluntates
„ introducamus. Non enim ad conglomera-
„ tionem omninò aut confuſionem duarum
„ naturarum, quæ in eodem videntur unius
„ voluntatis, hanc producentes vocem, aut
„ ad interemptionem alterius tantùm aliam
„ eſſe prędicantes: Sed hoc per ejuſmodi
„ ſignificantes vocem, quoniam caro ejus
„ rationabiliter & intellectualiter animata,
„ ex ipſa ſumma unitate inenarrabiliter om-
„ nibus divinis ditata, unientis eam ſibi ſe-
„ cundùm ſubſtantiam Divini Verbi, divi-
„ nam habebat indiſcretam voluntatem, quæ
„ ab ipſo ſemper ducebatur & movebatur,
„ utpotè in nullo tempore eadem diviſè &
„ ex proprio impetu contrariè nutui uniti
„ ſecundùm ſubſtantiam Dei Verbi, natura-
„ lem ejus faciens motionem; Sed quando
„ & qualem & quantam ipſe Deus Verbum
„ volebat, nè (quod abſit) in blaſphemia di-
„ judicemur, quod utique cavendum & ter-
„ ribile dicendum: Vę hujuſmodi pravitati,
„ ut per neceſſitatem naturę violentiam ſu-
„ ſtinentem introducamus ejus humanitatem
„ & communicantem Petro digne ejus incre-
„ pationi, ſi utique per ſimilem recuſatio-
„ nem ex verborum ſignificatione paſſioni
„ ejus communicat.

562 „ Sic & Evangelicam intelligamus
„ Lectionem, ubi dicit: *Non ut faciam vo-*
„ *luntatem meam, ſed ejus, qui miſit me.*
„ Sed & in recuſatione Paſſionis non diver-
„ ſam in unum eundemque Chriſtum & re-
„ ſultantem introducentes voluntatem, ma-
„ gis autem recuſativè & non poſitivè hujuſ-
„ modi ſuſcipiamus vocem. Non enim quaſi
„ exiſtens hoc verbum dictum eſt, ſed ac ſi
„ non eſt; ſicuti, *neque peccatum meum, ne-*
„ *que iniquitas mea*, ut peritiſſimus in dog-
„ matibus Theologus Gregorius, ſed & om-
„ nes Doctores, qui Paſſionis verba memo-
„ raverunt, ex affectione & relatione noſtrę
„ maſſe hanc ſuſceperunt; ſicut & magnus
„ Eccleſię lucifer Athanaſius edocuit nos,
„ noſtram oſtendens pronam in hanc vitam
„ naturam, ſine paſſione nolentem à præſenti
„ vita diſrumpi, & non ut animatam intel-
„ lectualiter carnis Verbi impromptam exi-
„ ſtentem ad totius Mundi ſalutiferam Paſ-
„ ſionem, aut diſcordantem Patri & inhabi-
„ tanti Verbo.

563 „ Sed & hujus intellectui diligen-
„ tiſſimum expoſitorem & interpretatorem
ſu-

„ ſuſcipiamus, ideſt, bis acutum pugionem „ ſpiritualem Cyrillum, in Sacerdotibus ſecundùm Zelotem Phinees, qui validiſſimo „ linguæ ictu percuſſit optimè meretricem „ confuſionem, diviſionis intellectum, & „ verbum pravitatis, in quarto de Anathematibus Capitulo, dictis adversùm contradictiones duodecim Capitulorum factas à „ Theodorito, atque probatis à ſancta univerſali Chalcedonenſi Synodo, & quintâ „ Synodo, luculentiùs Evangelicam proferens atque adaperiens vocem. Sed & omnes pietatis Doctores & Prædicatores hujuſmodi unius voluntatis mente detinentur: Quorum ſi opus eſt requiſitione proveniente, & competenter relegimus teſtimonia, quibus concordantes & conſonantes facti ſunt piæ memoriæ Sergius & Honorius; unus quidem novæ, alter autem antiquæ Romæ Summi Sacerdotii Sedem decorantes.

564 „ Igitur de his ita nos habemus, ſic „ intelligimus, ſic prædicamus: In his orthodoxię manifeſtatio, in his Eccleſię laus, „ in his ſalutis noſtræ ſpes. Hæc eſt ſpiritui „ germen nutriferum, hæc Patrum ſalutaris „ flos, hæc eſt rationabilium ovium vivificus veritatis Paradiſus. Hæc meditari, in „ his eſſe, per hæc illuminari & illuminare „ oramus; quoniam hoc facientes, & nos „ ſalvamur, & audientes prædicabimus. Ad „ ſupernam vocationem noſtrum eſt ſtudium, „ ubi pacis compoſitio; his, qui in ſtudio „ pietatis benè unica gloriæ interceſſor tribuitur corona. Non jurgialiter ſtamus, „ non ad contradictionem reſpicimus, non „ favorem inanem amplectimur, ſed in verbo Dei præpoſitæ hujuſmodi requiſitionis „ reſolutionem feciſſe dignoſcimur; confidentes, quoniam pacis Dominus Deus ad „ alterutrum noſtrorum unitatem & dilectionem conſervabit, in gloria ejus beniginiſſimæ Majeſtatis. Omnem cum veſtra „ Beatitudine in Chriſto exiſtentem fraternitatem, tàm nos, & qui nobiſcum ſunt, „ multùm ſalutamus. *Et ſubſcriptio*. Incolumes in Domino orate pro nobis Sanctiſſime, & Beatiſſime Frater. *Hactenus literæ Pauli ad Theodorum*.

565 Atqui hæreticus homo eis in literis hęreticâ verſutiâ & conſuetâ omnium hęreticorum vafricie, ſermone blando atque verborum & periodorum circulatione, hęreſim aliquo pacto ſuam tegere conatus eſt, ſed non adeo benè, ut ab habentibus intellectum, ſolum veritati accomodatum non detegeretur. Id porrò, quod eſt notatu dignum, ſanctiſſimos & orthodoxos Patres ſuæ hęreſis patronos allegat, nè deſtitutà credatur patrocinio nova & ſimul impia adinventio doctrinę, nunquam à Sanctis Patribus excogitata; quoniam Patres, ſi aliquandò unam in Chriſto faſſi ſunt voluntatem, id reſpectu unius perſonæ volentis, minimè ex naturarum intellexerunt confuſâ proprietate. Rectè quidem allegat pro ea Sergium opinione, qui primus eſt illam machinatus, calumnioſè verò Honorium citat, qui tantùm duas contrarias voluntates reſpectu ejuſdem humanitatis Chriſti negavit, non reſpectu utriuſque naturæ, ut Joannes Papa ejus ſucceſſor, & S. Maximus ſuprarelati expoſuerunt, & clariùs nos ſuo loco.

566 Intereà verò, cùmque conſpiceret univerſam Eccleſiam Africanam, & Romanum Pontificem magis magiſque ſuæ hęreſi adverſari, duaſque in Chriſto voluntates & duas operationes prędicare, docere, ac ita credendum & ſentiendum definire, atque Synodalibus judiciis pronunciare; Paulus timens, nè paulatim impia ſua doctrina patronis deſtitueretur, ad conſuetam hęreticorum fraudem animum adjiciens, exemplo ductus Sergii præfati erroris Principis, id quod ille egit cum Heraclio, ipſe operatus eſt cum Imperatore Conſtante; & quemadmodùm Sergius dictatâ Ecthesi, qua in controverſia de duabus aut unâ in Chriſto voluntate & operatione ſilentium indicebatur, ita Paulus, ipſomet etiam fortè dictante, egit, ut novum decretum ab Imperatore promulgaretur ſub nomine Typi, quo pariter ſimile ſilentium cunctis indiceretur. Extat hujuſmodi Typus in Actis Synodi Lateranenſis Secret. IV. ſub hac forma conceptus, videlicèt.

Conſtantis Imperatoris Typus hæreticus.

567 „ Conſuetudinem habentes de omnibus curam agere & intendere, quæ reſpiciunt ad utilitatem Chriſtianiſſimæ noſtræ Reipublicæ, & præcipuè quæ feruntur „ ad immaculatam noſtram fidem, per quam „ nobis omnia proſpera fieri credimus, cognovimus in multa perturbatione eſſe noſtrum orthodoxum populum, utpotè dicentibus quibuſdam unam voluntatem in „ diſpenſatione Magni Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, & eundem ipſum operari „ divina & humana. Aliis autem dogmatizantibus duas voluntates & duas operationes in eadem diſpenſatione Incarnati Verbi; & illis quidem in ſatisfactione propter „ unam perſonam, eſſe Dominum noſtrum „ Jeſum Chriſtum in duabus naturis inconfuſis & indiviſè volentem & operantem divina & humana. Aliis autem propter convenientes naturas indiviſè in ipſa una perſona, & ut ſalvetur & maneat earum differentia ſecundùm naturas, eundemque ipſum unum Chriſtum naturaliter operari „ divina & humana; & ex hoc in multam diſſenſionem & contentionem noſtram Chriſtianiſſimam Rempublicam produci, ut „ diſcordantes invicem non convenirent, &

„ ex hoc ſecundùm multos modos eam lædi „ oportere.

568 „ Igitur arbitrati ſumus, ab omni- „ potente Deo inſpirati, ſicut talem accen- „ ſam diſcordiæ flammam extinguere, & non „ concedere eam ulteriùs humanas animas „ depaſci. Quapropter ſancimus nobis ſub- „ jectos, qui conſiſtunt in orthodoxa & im- „ maculata noſtra Chriſtianorum fide, qui „ ſunt Catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ, non „ habere licentiam invicem à præſenti, de „ una voluntate aut una operatione, aut dua- „ rum voluntatum aut duarum operationum „ qualemcumque proferre altercationem, aut „ contentionem aut rixam.

569 „ Hæc autem ſancimus, nihil ali- „ quid interficientes penitùs de piiſſimis dog- „ matibus, quæ à Sanctis probabilibus Pa- „ tribus de diſpenſatione Incarnati Verbi „ Dei dogmatizata ſunt, ſed ulteriùs con- „ tentionem, quę gratiâ propoſitæ quæſtio- „ nis orta eſt, ceſſare pręcipientes, & tan- „ tummodò de eis ſequi & ſufficienter habere „ divinas ſcripturas & traditiones ſanctorum „ quinque univerſalium Conciliorum, & ſim- „ plicibus ſinè queſtione Sanctorum proba- „ bilium Patrum uſibus ſive vocibus, quo- „ rum dogmata, regulæ & leges ſanctę Dei „ Catholicę & Apoſtolicę Eccleſię conſi- „ ſtunt, nihil eis addentes proprium, neque „ minuentes, aut per ſuam intentionem eas „ interpretantes, ſed priorem habitum ubi- „ que cuſtodiri, ſicuti antequam procederet „ contentio prædictarum queſtionum, quaſi „ nulla de eis exorta contentio, nulli de „ omnibus uſque ad preſens unam volunta- „ tem & unam operationem, aut duas vo- „ luntates & duas operationes dogmatiza- „ verunt, ſub qualemcumque querelam hu- „ jus gratiâ aut accuſationem facto, niſi tan- „ tummodò qui ex ſanctis quinque univerſa- „ libus Conciliis & cęteris orthodoxis pro- „ babilibus Patribus ejecti ſunt heretici cum „ impiis eorum dogmatibus & conſcriptis; „ & ut compendioſè dicamus, quod ſancta „ Catholica & Apoſtolica Eccleſia non acci- „ pit, ſed abjecit.

570 „ Ad perfectam autem unitatem ſan- „ ctarum Dei Eccleſiarum & communem „ concordiam, & ut nulla occaſio relinqua- „ tur eis, qui ſinè fine volunt contendere; & „ chartas, quæ poſitæ fuerunt in Narthece „ ſanctiſſimæ magnæ Eccleſiæ hujus à Deo „ conſervandæ noſtrę Regię Urbis, quę con- „ tinent prædictas quæſtiones, juſſimus le- „ vari.

571 „ Qui autem ea preſumpſerint pre- „ varicari, primùm quidem ſubjacent judi- „ cio terribili omnipotentis Dei; deinde au- „ tem & non qualemcumque regalem indi- „ gnationem revereantur; per quam ſiqui- „ dem Epiſcopi aut Clerici ſunt, ſui Sacer- „ dotii, ſive ſui Cleri modis omnibus exci- „ dant: Sin autem Monachi, ſegregentur & „ alieni ſint de ſuis locis; ſin autem digni- „ tatem aut cingulum aut militiam habeant, „ nudentur de eis. Si autem ſint privati, „ ſiquidem nobiles conſiſtunt, ſuarum ſub- „ ſtantiarum proſcriptionem patiantur; ſin „ autem ignobiles conſiſtunt, non ſolùm in „ corpore verberentur, ſed in exilio perpe- „ tuo caſtigentur; ut omnes timore Dei com- „ preſſi, & comminata eis digna ſupplicia „ reverentes, immobilem & ſinè turba pa- „ cem ſanctarum Dei Eccleſiarum cuſtodiant. *Hactenus Typus Conſtantis*. Acta ſunt hæc Indictione VI., ut produnt Acta publica Sancti Maximi, ſcilicet Anno Dñi DCXLVIII. Imperii Conſtantis, & Pontificatus Theodori Anno VIII.

572 Hunc porrò Typum editum eſſe, ut non ſolùm in humana natura Chriſti Domini, ſed etiam in utraq; omninò cùm ſine voluntate & operatione, hoc eſt, abſque natura & eſſentia denunciaratur, dixit Beatus Martinus Papa in Synodo Lateranenſi poſt præfatum Typum recitatum. Hinc Theodorus Papa tùm ex literis Pauli ſuprarecenſitis, tùm ex pręfato Typo comperiens, nihil ſe cum eo poſſe proficere, ejuſque curationem eſſe planè deſperatam, collectâ Romæ Synodo, relectis in ea Africanarum Eccleſiarum Synodicis, omnibuſque perpenſis & maturè libratis, viſum eſt, Paulum ampliùs minimè tolerandum, ac proinde Synodali judicio lata eſt in eum depoſitionis, ejectionis atque excommunicationis ſententia, damnatâ ſimul hæreſi Monotheliticâ, & abjecto Conſtantis Typo. Hæc quidem ex Anaſtaſio Bibliothecario in Theodori vita manifeſta ſunt, ubi dicitur: „ Tunc Sanctiſſimus Theodorus Papa ſcri- „ pſit Paulo Patriarchę Regię Civitatis tàm „ rogans, quàmque regulariter increpans, „ necnon per Apocriſarios, ut dictum eſt, „ pro hoc maximè deſtinatos pręſentialiter „ admonens & conteſtans, quatenùs pro- „ prium emendaret commentum, atque ad „ orthodoxam fidem Catholicę Eccleſię re- „ mearet. Et neque rogantes neque incre- „ pantes potuerunt eum à ſuo conamine quo- „ quomodo revocare. Propter quod ab Apo- „ ſtolica Sede ipſe depoſitionis ultione per- „ cuſſus eſt. *Hæc Anaſtaſius*. Contigerat & eodem tempore lapſus Pyrrhi Ravennę operâ Olympii Exarchi, ut ſupra monuimus, proindeque eâdem in Synodo Pyrrhus quoque anathematizatus eſt unà cum univerſis ejuſdem Monothelitarum hęreſis fautoribus.

573 Similia docet Martinus Primus Papa Theodori ſucceſſor in exordio Synodi Lateranenſis, inquiens: „ Paulus autem prę- „ ceſſores ſuos in his ſuperare contendens, „ non ſolùm in ſcripto per propriam Epiſto- „ lam, ad hanc directam noſtram Sedem, con- „ firmavit & ipſe contra ſe ſuperiùs memora- „ tæ Ectheſeos irrationabilem hęreſim, ſed

etiam

,, etiam contradicens in ſcripto adversùs recta ſanctæ Dei Eccleſiæ dogmata, audacter præſumpſit paternis definitionibus contraire. Propter quod juſtè ab Apoſtolica Sede & ipſe depoſitionis ultione percuſſus eſt: Inſuper ſtuduit ad cooperimentum proprii erroris, & in hoc Sergium imitatus, quibuſdam ſubreptionibus uti, & clementiſſimo Principi ſuadere, Typum exponere, qui catholicum dogma deſtrueret; in quo Typo omnes omninò voces Sanctorum Patrum cum nefandiſſimorum hæreticorum dictionibus enervavit, nec unam, nec duas voluntates aut operationes in Chriſto Deo noſtro definiens confiteri. Ac per hoc ſinè voluntate penitùs & operatione Chriſtum denuntiando, ideſt, abſque ſubſtantia & natura eum prædicare noſcuntur. *Hæc Sanctus Pontifex Maximus*.

574 Porrò accipiens Paulus quæ adverſùs eum, & Principis Typum in Synodo Romana geſta erant à Sanctiſſimo Theodoro Pontifice, immò & Pyrrhum quoque diro anathemate percuſſum, converſus in furorem, patrocinio Principis fultus, cujus Imperialis Majeſtas offenſa quoque in Typi damnatione videbatur, motâ perſecutione, in Apocriſarios Apoſtolicæ Sedis primùm, inde in cæteros orthodoxos inſurrexit: Et quod ſceleſtius eſt, neque pepercit Altari Deo ſacrato in domo Placidiæ ad uſum Apocriſariorum erecto, qui in eadem domo domicilium habere conſueverant, quod penitùs ſubvertendum atque demoliendum curavit; adjectâ prohibitione, nè ampliùs ibi ſacra peragerentur Myſteria, declarans quaſi excommunicatos atque indignos, ut Sacra perciperent, eoſdem prælibatos Apocriſarios: Hęc quidem idem Beatus Martinus Papa loco mox citato recenſet, inquiens: ,, Qui de re hujuſmodi pravitatem ſuam defendens, quod nunquam nec à prioribus hæreticis præſumptum eſt, ipſe illicitè præſumere ſtuduit. Altare enim ſanctæ noſtræ Sedis in domo Placidiæ ſacratum in venerabili oraculo ſubvertens, diripuit, prohibens, nè adorandam & immaculatam Hoſtiam, ideſt, ſacram celebrationem Apocriſarii noſtri ibidem Deo offerre valeant, & vivificæ Divinæ Communionis Sacramenta percipiant. Quos videlicèt Apocriſarios, qui ex præceptione Apoſtolicæ auctoritatis commonuerunt eum; ut de tali hæretico intentu recederet, necnon conteſtari viſi ſunt, perſecutionibus diverſis cum aliis orthodoxis Viris & venerabilibus Sacerdotibus inſecutus eſt eos, quoſdam eorum in cuſtodiam retrudens, alios in exilio deportans, alios autem verberibus ſubmittens. *Hæc Martinus Papa*, de Pauli excitata perſecutione adverſùs orthodoxos in Regia Urbe Conſtantinopolis degentes.

CAPUT XII.

De ſtudio Martini Papæ I. pro abolenda Monothelitarum hæreſi, atque delendo ſchiſmate.

575 INter hæc Theodorus Papa ad ſuperos evocatus, obiit in Domino Pridie Idus Majas Domini Anno DCXLIX. Imperii Conſtantis, & ſui Pontificatus Anno VIII., cùm ſediſſet Annos VII. menſes v. dies verò xx., licèt Anaſtaſius ſcribat dies x. Poſt cujus obitum vacavit Sedes per menſem unũ & dies xvi., ut idem Anaſtaſius tradit; quo elapſo tempore, univerſo ſuffragante Clero, renunciatus eſt Romanus Pontifex Martinus, hujus nominis Primus; de Civitate Tudertina, Provinciâ Tuſciæ, creatus die prima menſis Julii prælibati anni: Hic ab exordio ſui Pontificatus nil magis in animo habuit, quàm extirpare hæreſim Monothelitarum, & ſuadente Sancto Maximo, qui Romam iterùm remeaverat, atque conſulente, Synodum complurium Epiſcoporum coëgit, cujus meminit Theophanes in Heraclio ſub Anno XIX. inquiens: *Cùm autem Maximus Romam perveniſſet, Papamque Martinum ad æmulationem accendiſſet, Synodo centum decem Epiſcoporum collectâ, Sergium, Pyrrhum & Cyrum, & Paulum anathematizaverunt*.

576 De hac eadem Synodo in Actis publicis atque rebus geſtis Sancti Maximi hæc leguntur: ,, Poſtquàm autem evenit, ut Theodorus Præſul Romæ è vita migraret, vir (ut ſcimus) multis laboribus exercitus & pietate clarus, Martinus religioſiſſimus in illius Throno inſtituitur, multis & ipſe chariſmatibus fulgens, præclaràque vitâ illuſtris; cujus virtutem Divinus Maximus admiratus, eum plurimùm frequentabat, atque ubi opus erat, de multis cum eo, quæ fieri oporteret, loquebatur. Itaque cum eo conſilium capit, omnes, qui ubique eſſent, Epiſcopos congregare, magnamque Synodum celebrare, ut ſub tot Deiferis Viris ſana fides firmiorem haberet ac certiorem confeſſionem, perverſitas verò adverſariorum apertam & inſigniorem repudiationem atque expulſionem: Hi ad centum & quinque convenerunt. Cùm his ſapientiſſimus Maximus intereſſet, omnia cum ratione ac Divino Spiritu egerunt, omniàque acta (ut par erat) in Commentarios contulerunt, multâ defenſione rectæ doctrinæ datâ, cùm ſuam quiſque operam ac induſtriam ſtudioſè navaſſet. *Hæc ibi*.

577 In Actis porrò Sancti Audoëni Epiſcopi Rothomagenſis, apud Surium tom.4. ad diem 24. Auguſti cap.8. dicitur, Conſtantem Imperatorem, ſuadente Paulo Epiſcopo Conſtantinopolitano, cùm primùm accepiſſet Mar-

Martinum ad Pontificatus apicem evectum, Typum à ſe nuper editum, confirmandum atq; ſubſcribendum miſiſſe; id quod Apoſtolico zelo agere renuit Pontifex, ac hujus rei causâ Synodum coëgit, ſimulque literas ad Regem Francorum dedit, rogans, ut ſelectos ſui Regni Epiſcopos ad eandem Synodum remitteret: Remiſſos poſtea ab eodem Rege, ſubjungit, Audoënum unà cum Sancto Eligio: „ Cùmque ea de re, *inquiunt Acta*, Paulo „ & cæteris infauſti dogmatis aſſertoribus, „ cum auctoritate etiam Imperatoris Con- „ ſtantis, tertii Nepotis Heraclii, Beato Mar- „ tino Pontifici Romano ſcripta dirigeren- „ tur, ut ipſe huic ſententiæ aſſentiret & „ ſubſcriberet; guſtum mortiferæ ſuaſionis „ ſummâ cum execratione reſpuit, ita dicens: „ Etiamſi totus Orbis dogmata peregrina „ & à fide aliena amplecti velit, ſe nec mi- „ nis cujuſquam, nec blandimentis, nec mor- „ te ipsâ à Doctrina Evangelica & Apoſtoli- „ ca ullo pacto poſſe avelli. Mox verò ad „ Francorum Regem Legatos mittens, rogat, „ ut Viros in fidei puritate fundatos, verbo „ & ſapientiâ præditos quamprimùm ad ſe „ mittat, ut cum illis & totius Italiæ Præ- „ ſulibus, Domino auxiliante, aliquam ad- „ versùs tantæ pravitatis venena antidotum „ adhibere poſſit. Rex igitur, cunctis Regni „ ſui Sacerdotibus in unum collectis, quid „ Legati tanti Pontificis afferant, exponit, „ jubetque, ut ex ſemetipſis Viros tales eli- „ gant, quos ad ſuſcipiendum tantæ rei mu- „ nus, puritate fidei, & Verbi ſapientiâ ido- „ neos norint. Tunc illi uno animo Beatum „ Audoënum cum Sancto Eligio ei rei deſti- „ nandos eligunt. *Hactenus Acta*.

578 Denique ejuſdem Synodi mentio fit in Libello Synodico, ubi ſub titulo, *Romana Martini Orthodoxa*, hæc habentur: „ Sed „ & Martinus Sanctiſſimus Papa Romanus, „ qui Theodoro ſucceſſerat, eodem, quo „ Divinus Maximus, zelo ſuccenſus, Divi- „ nam & ſanctam convocavit Synodum, in „ qua Sergium, Cyrum, Petrum & Paulum „ & Pyrrhum anathemate notavit; ſumma- „ riâ definitione expoſitâ, in qua & duas vo- „ luntates ac operationes Chriſti Dei & Ser- „ vatoris noſtri corroboravit. *Hactenus Libellus Synodicus*.

579 Coacta eſt hæc Synodus, ut ejus Acta produnt in exordio, ſive titulo præpoſito Secretar. I. Anno I. Pontificatus Martini, inchoato Anno IX. Imperii Conſtantis, ſive Conſtantini, qui fuit Dñi Annus DCXLIX. currente Indictione VIII. Et ſub die III. Nonas Octobris habita eſt prima Seſſio, præſentibus centum & quinque Epiſcopis, extra Abbates, alioſque inferioris in Clero Ordinis, quorum erat conſulere tantùm, minimè Actis ſubſcribere: Præſedit porrò ei perſonaliter ipſemet Martinus Papa. Hinc Acta: „ In „ nomine Domini Dei Salvatoris noſtri Jeſu „ Chriſti, Imperii Domini Conſtantini piiſ- „ ſimi Auguſti Anno IX. ſub die III. Nonas „ Octobris, Indictione VIII. præſidente San- „ cto ac Beatiſſimo Martino Papa Sanctæ Se- „ dis Apoſtolicæ Urbis Romæ, propoſitis ſa- „ croſanctis & venerabilibus Evangeliis in „ Eccleſia Domini Dei & Salvatoris noſtri „ Jeſu Chriſti, quæ vocatur Conſtantiniana, „ reſidentibus etiam Viris venerabilibus, pa- „ riterque cum eo audientibus Maximo San- „ ctiſſimo Aquilejenſi Eccleſiæ Epiſcopo &c. „ Theophilactus primus Notariorum Apo- „ ſtolicæ Sedis dixit &c. *Hæc ibi*.

580 Hæc porrò Synodus quinque dumtaxat continet Seſſiones, ſive Secretarios, vel Conſultationes, quarum prima habita eſt, ut præfati ſumus, III. Nonas Octobris, in qua Sanctus Martinus habitâ oratione ad Synodum luculenter oſtendit per hæreſim Monothelitarum Incarnationis Myſterium in univerſum everti, probatque tùm Scripturæ auctoritate, tùm Sanctorum Patrum teſtimonio dogma catholicum; geſta Cyri, Sergii, Pyrrhi & Pauli hæreticorum recenſet, atque eorum objecta refellit. Duas porrò in Chriſto voluntates, duaſque operationes, lecto priùs Mauri Epiſcopi Ravennatis excuſatorio libello, egregiè confirmat.

581 Secunda Seſſio celebrata eſt VIII. Idus Octobris, & in ea Sanctiſſimus Pontifex nonnulla pręfatus eſt ad judicium Eccleſiaſtiſticum pertinentia. Inde lecti ſunt libelli exhibiti à Stephano Epiſcopo Dorenſi in Paleſtina Apoſtolicæ Sedis Vicario, & à Presbyteris, Monachis, atque Græciæ Abbatibus, quibus poſcebatur, ut inventores & fautores prædictæ hæreſis, unà cum Typo à Conſtante Auguſto edito, damnarentur. Scripta quoque producta ſunt eorum, qui prædeceſſori Theodoro Papæ adversùs eoſdem hæreticos querelarum obtulerant libellos. Item recitatæ ſunt Epiſtola Sergii, data ad Theodorum Papam, atque Epiſtolæ conſcriptæ ab Africanis Epiſcopis tùm ad Theodorum Papam, tùm ad Conſtantem Imperatorem & ad Paulum Conſtantinopolitanum, quas omnes nos ſupra per extenſum recenſuimus.

582 Tertia Conſultatio ſivè Seſſio celebrata eſt XVI. Kalendas Novembris, in qua, præmiſſo diſcurſu Martini ſuper vigilantia debita ex Divino mandato Paſtori univerſæ Eccleſiæ pro extirpandis hæreſibus, & ſtudio, quo eis reſiſtere debet, exhibita ſunt & recitata impia Theodori Pharanitæ Epiſcopi de una in Chriſto voluntate & operatione, quæ ex doctrina Sanctorum Patrum ſunt omninò confutata. Poſt hæc recitata ſunt novem Capitula edita à Cyro in Pſeudoſynodo Alexandrina, de quibus nos ſupra, & inde Epiſtola Sergii reſponſiva ad Cyrum, quam nos ſupra omiſimus, eſtque tenoris ſequentis.

Epi-

Epiſtola ſcripta à Sergio Epiſcopo Conſtantinopolitano ad Cyrum Epiſcopum Alexandrinum, in qua eum laudat pro una operatione, & confirmat eam quaſi pro unitate Acephalorum hæreticorum.

583 „ Sacras ſyllabas veſtræ à Deo honorandæ Sanctitatis ſuſcepimus per gratiam Divini Spiritus, & Deo placitum ſtudium à Deo conſervandi & Sereniſſimi noſtri Principis, atque divinâ inſtitutione, necnon totius Orthodoxiæ plena ſacratiſſimæ veſtræ Beatitudinis annunciantes facta in Alexandrinam Chriſti dilectam magnam Civitatem, & in omnes Regiones ejus, eorum videlicet, qui priùs dicebantur Theodoſiani, in Catholicam & Apoſtolicam atque Orthodoxam Eccleſiaſticam unitatem. Pro quibus ſpiritali & ineffabili gaudio repleti, gratiæ laudes omnipotenti Deo & Salvatori noſtro Jeſu Chriſto ex toto corde retulimus, quoniam tandem aliquandò cooperatione divinâ medio pariete diſcordiæ abſtracto, per quem priùs communis omnium inimicus à fratribus fratres ſeparare ſtuduit, conjuncti & comparticipes paruerunt, & facti ſunt omnes unum labium & una lingua, bonam confeſſionem & glorificationem, ut oportet, glorioſæ atque vivificæ Trinitati celebrantes, & prædicatur ab omnibus conſonanter, *unus Dominus, una Fides, unum Baptiſma*.

584 „ Dicta enim oſtendentes eis venerabilium & univerſalium ſanctarum Synodorum, per gratiam Sancti Spiritus convenientium, & unam eandemque orthodoxam fidem definientium, ideſt, Nicænam, Conſtantinopolitanam ſub temporibus Divæ memoriæ Juſtiniani congregatam ſanctam quintam Synodum, atque omne ſcandalum de medio per eas, ſicut aliquas petras à ſemita jactantes, apertum & nimis facilem ad Deo amabilem unitatem tranſitum effeciſtis. Pro qua re multa veſtræ ſacræ perfectioni tàm apud Deum & omnes homines merces & laus repoſita eſt.

585 „ Aſſeruiſtis igitur in Capitulis, quę ad ipſos facta ſunt, confiteri (bonum eſt enim, ut ipſis ſacris vocibus veſtris utamur) Patrem & Filium & Spiritum Sanctum, Trinitatem conſubſtantialem, unam Deitatem in tribus ſubſiſtentiis. Ipſum autem unum de ſancta Trinitate Deum verum, qui ante ſæcula ex Patre genitus eſt, deſcendere de Cœlis in ultimis diebus, & incarnari ex Spiritu Sancto, & Domina noſtra ſecundùm veritatem Dei Genitrice ſemperque Virgine Maria, carnem aſſumentem ex ipſa nobis conſubſtantialem, animatam anima rationali & intellectuali, eandemque ex ipſa conceptione unire ſibi unitate naturali & ſubſtantiali; & ita natum ex ipſa unum exiſtentem inconfuſum, indiviſum, perfectum in Deitate; perfectumque in humanitate, eundemque paſſibilem & impaſſibilem ſecundùm aliud & aliud, quomodò Beatus Cyrillus aſſeruit; patientem quidem humaniter carne, quia homo; manentem autem impaſſibilem eundem, quomodò Deum, in paſſionibus ſuæ carnis. Atque eundem unum Chriſtum operari Deo decibilia & humana unâ operatione, quia omnis divina & humana operatio ex uno eodemq; incarnato Deo Verbo procedebat.

586 „ Secundùm hunc pium intellectum & Leo ſanctæ memoriæ Romanus Archiepiſcopus ſapuit & docuit, dicens: *Operatur utraque natura cum alterius communione*. Undè & ex duabus naturis, ideſt, divinitate & humanitate unum Chriſtum venerari convenienter docuiſtis, & unam naturam Dei Verbi incarnatam, ſecundùm beatæ memoriæ confeſſi eſtis Cyrillum, unamque ſubſiſtentiam compoſitam, quæ eſt ipſe Dominus noſter Jeſus Chriſtus, unus de ſancta & conſubſtantiali Trinitate. Similiter autem & in duabus naturis eundem confiteri prædicantes, non alium & alium eſſe aſſeruiſtis, ſed unum eundemque, ſecundùm ſapientiſſimum Cyrillum, contemplatione tantùm diſcernentes ea, ex quibus unitio facta eſt; & hæc per intellectum conſiderantes, inconvertibilia & inconfuſa poſt eorum naturalem & conſubſtantialem unitatem permanentia, veracem eorum viſionem exponentes; Non enim phantaſiâ falsâ & inanibus fictionibus mentis, utique interemptâ in duobus diviſione propter ineffabilem & inconfuſam atque incircumſcriptam unitatem.

587 „ Hæc piè & nimiùm acribioſiùs exponentes, omnes ſequentes impiarum hæreſum auctores anathemati ſubmiſiſtis, cum quibus & omnes contradictores duodecim Capitulorum ſapientiſſimi & mirabilis Cyrilli; quos minimè pœnitentes, ſed in eòdem uſque in finem permanentes errore, ſimilibus execrationibus condemnaſtis. Igitur hanc veſtram orthodoxam relegentes doctrinam, per quam gloriæ beneplacitum eſt Domino, tantorum fratrum noſtrorum unitionem diſpenſare, ipſius benignitatem glorificavimus; laudavimus autem & veſtram ſacratiſſimam Sanctitatem, in tali mirifico & ultra omnem ſpem intercedere dignatam negotio, tàm per gratiam ſancti & vivifici, atque electione & doctrinâ à Deo ſapientiſſimi & veraciter pacifici magni Imperatoris, qui ſanctificatum ejus cor in manu Deì habet, & ab ipſa ſecundùm veritatem in omnibus actionibus ſuis ducitur & gubernatur; quem ſuper omnes ſolus potens Deus in amplius exaltet, ſalvet,

„ vet, conſervans eum ut firmamentum San-
„ ctarum Dei Eccleſiarum & immaculatæ
„ Chriſtianorum fidei, commodans ei longin-
„ quitatem temporum, multitudinem pacis,
„ & omnium hoſtilium Gentium ſubjugatio-
„ nem, in filios ex filiis regale ſuccedens Im-
„ perium".

588 „ Donet autem & tuæ ſanctæ & ſa-
„ cræ charitati abundantiùs ſuam gratiam in
„ labiis, & verbum in aperitione oris, per
„ quem; & quod fortaſſis reſiduum eſt eo-
„ rum, qui nobis ſtultè & ineptè contradi-
„ cunt, ſalvetur, veſtigia ſequentes nuper no-
„ bis adunatis dilectiſſimis filiis noſtris, quos
„ videlicet per vos beatiſſimos ſpiritualibus
„ brachiis amplectentes, & oſculo ſancto ſa-
„ lutantes, oramus hos omnium bonorum
„ ex Deo percipere jucunditatem. *Et ſub-
„ ſcriptio*. Salus in Domino, ora pro nobis
„ Reverendiſſime frater. *Hactenus Sergii epi-
„ ſtola*.

589 Qua lectâ, cumque priùs recitatum fuiſſet & ſeptimum capitulum pſeudoſynodi Alexandrinæ, à Cyro compoſitum, in quo allegabatur pro una in Chriſto operatione teſtimonium Dionyſii Areopagitæ dicentis: *Eundem unum Chriſtum, & unum filium operantem Deo decibilia, & humana unâ Dei, & viri operatione*, Sergius Epiſcopus Tempſanenſis dixit, eſſe accipiendum codicem Beati Dionyſii, videndumque in eo ſi talia dixiſſet, qualia allegaverat Cyrus, quo allato codice, relectum fuit, non ſicut Cyrus allegaverat ſcripſiſſe Dionyſium in epiſtola ad Cajum, ſed ita: *Etiam non ſecundùm Deum divina operatus, neque humana ſecundùm hominem, ſed Deo homine facto, novam quandam Deivirilem, ideſt Theandricin operationem nobis oſtendens*. Apparuitque ex hoc, Cyrum textum Sanctiſſimi Doctoris adulteraſſe, & ubi Dionyſius ſcribit, *novam quandam Deivirilem operationem*, Cyrum *novam*, in *unam* commutaſſe, dicens, *una Dei & viri operatione*.

590 Deinde in eodem Secretario recitata eſt epiſtola quædam Themiſtii hæretici data ad Marcellum Presbyterum, & Stephanum Diaconum, de una in Chriſto operatione ex Dionyſii Deivirilis operationis malè accepta ſententia; unde Martinus Papa rectè exponens textum ejuſdem Dionyſii, per Deivirilem operationem, non unam, ſed unius perſonæ duas, humanam ſcilicet & Divinam ſignificare voluiſſe pluribus oſtendit. Id quod etiam Deuſdedit Epiſcopus Calaritanus adnotavit, & ejuſdem argumenti adverſùs Themiſtium, Cyrum & Sergium plura interlocutus eſt: Quibus peractis lecta eſt Ectheſis à Sergio nomine Heraclii promulgata; & recitatæ pariter ſunt epiſtolæ, quas pro confirmatione prædictæ Ectheſeos Sergius ad Cyrum; & Cyrus ſcripſerat ad Sergium, quas nos ſupra recenſuimus.

591 Quarta porrò ſeſſio, ſivè conſultatio celebrata eſt VI. Kal. Novembris; atque in ea Beatus Martinus Papa Ectheſim Heraclii, eiuſque defenſores Cyrum & Sergium, habito ſermone, validiſſimis impugnavit rationibus, præcepitque poſteà judicium quoque peragi de Paulo, qui typum Conſtantis edendum propoſuerat: juſſumque fuit & literas ad Theodorum Romanum Pontificem redditas recitare, ex quibus illius refractarius animus cognitus fuit. Recitatus pariter fuit & typus Conſtantis, atque à Patribus ut ſubdolus, inconſtans, mendax, & impius rejectus eſt & damnatus. Et poſt hæc juſſu Sanctiſſimi Pontificis Nicænum & Conſtantinopolitanum Symbolum, duodecim anathematiſmi Concilii Epheſini, Definitio fidei Catholicæ facta in Chalcedonenſi Concilio, & quatuordecim capita quintæ Synodi recitata fuerunt. Quibus lectis, nomine totius Synodi locutus eſt Maximus Aquilejenſis Epiſcopus, plura inculcans in Conciliorum commendationem, & in hæreſeos ejuſque ſectariorum deteſtationem.

592 Denique celebrata eſt ultima, & quinta conſultatio, ſeu ſeſſio Pridie Kalendas Novembris, in qua hortatu Martini, allata ſunt volumina Sanctorum Patrum, ex quibus Patres Concilii adversùs præfatam hæreſim plura teſtimonia excerpſerunt, præcipuè ex ſcriptis S. Ambroſii S. Auguſtini, Sancti Baſilii, Sancti Cyrilli Alexandrini, Sancti Gregorii Theologi, Sancti Gregorii Niſſeni, aliorumque plurium Patrum: indeque juſſa ſunt legi veterum hæreticorum ſcripta, nimirum Lucii Ariani, Apollinaris, Polemonis diſcipuli Apollinaris, Severi, Themeſtii Agnoitarum, hoc eſt, Ignorantium hæreticorum principis, Colluthi, Theodori Mopſueſteni, Pauli Diaconi Perſæ Neſtoriani, Juliani quondam Halicarnaſſenſis Epiſcopi, Theodoſii hæretici Alexandriæ, atque Severi; eo fine, ut recentiores hæretici convincerentur, qui ad decipiendum ſimpliciores, ſequi ſe mentiebantur Patres orthodoxos, Concilia tueri, & nequaquam de fide hæreticorum ſententias ſequi. Poſteà edito Fidei Decreto, ad confutandas adverſariorum aſſertiones, viginti Canones ſanciti ſunt, adjecto ad cujuſque finem anathemate aliter ſentientibus.

593 Sed in Canone XVIII. damnatis & anathematizatis antiquis hæreticis, nimirum Ario, Sabellio, Eunomio, Macedonio, Apollinari, Polemone, Eutychete, Dioſcoro, Timotheo Æluro, Severo, Theodoſio, Colluthо, Themeſtio, Paulo Samoſateno, Diodoro, Theodoro, Neſtorio, Theodulo Perſa, Origene, Didymo, & Evagrio, & qui ſimilia illorum ſentiunt, nominatim quoque damnati, & anathematizati ſunt Theodorus Epiſcopus Pharanitanus, Cyrus Epiſcopus Alexandrinus, Sergius, Pyrrhus, & Paulus Epiſcopi Conſtantinopolitani, unà cum illorum

rum

rum impiis conſcriptis, atque univerſis ſimi-
lia cum illis docentibus, defendentibus, atq;
ſentientibus. Item proſcripta eodem modo eſt
impiiſſima nomine Heraclii à Sergio edita &
promulgata Ecthesis adversùs orthodoxam fi-
dem: eademque ſententia pronunciata eſt ad-
versùs Typum Conſtantis Imperatoris ſuaſio-
ne Pauli editum, atque promulgatum. Ad
hæc verò, & in fine Canonum ſequutæ ſunt
ſubſcriptiones omnium Epiſcoporum, inde-
que data eſt epiſtola Encyclica ad omnes Chri-
ſtifideles, cujus initium eſt: *Gratia vobis,
& pax multiplicetur*. Porrò idem Martinus
Papa Synodalia acta ad univerſos Epiſcopos
mittere curavit, ut liquet ex ejus epiſtola da-
ta ad Amandum Epiſcopum Trajectenſem,
cujus initium, *fraternitatis tuæ ſtudium*.

594 De hac Synodo Anaſtaſius in vita
Martini hæc ſcribit: „ Tunc Martinus ſan-
„ ctiſſimus ac Beatiſſimus Epiſcopus miſit,
„ & congregavit Epiſcopos in Urbem Ro-
„ mam numero centum & quinque, & fecit
„ Synodum ſecundùm inſtituta Patrum or-
„ thodoxorum in Eccleſia Salvatoris, juxta
„ Epiſcopium Lateranenſe; Sedentibus Epiſco-
„ pis & Presbyteris, adſtantibus Diaconis &
„ univerſo Clero, condemnaverunt Cyrum
„ Alexandrinum, Sergium, Pyrrhum, &
„ Paulum Patriarchas Conſtantinopo litanos,
„ qui novitates contra immaculatam fidem
„ præſumpſerunt innectere. Quippè quoniam
„ ipſam excludere properantes, hæreticorum
„ dogmatum contra Catholicam Dei Eccle-
„ ſiam confuſionem continuaverunt, Anathe-
„ matis ultione percuſſi ſunt. Quæ Synodus
„ hodie Eccleſiæ archivio continetur. Et fa-
„ ciens exemplaria per omnes tractus Orien-
„ tis & Occidentis direxit, & per manus Or-
„ thodoxorum fidelium diſſeminavit. *Hæc
„ Anaſtaſius*. „ Conſtat porrò ex epiſtola
Martini data ad Eccleſiam Carthaginenſem,
cujus initium: *Omnis quidem virtus*, Acta
hujus Synodi ad eam miſiſſe. Sic pariter ge-
ſta in eadem Synodo retuliſſe ad Eccleſias Hie-
roſolymitanam, & Antiochenam, liquet ex
literis ad eas datis, incipien. *Gratia vobis,
& pax à Deo Patre*. Ejusdem argumenti ferè
literas fecit ad Eccleſiam Theſſalonicenſem,
quæ incipiunt: *Univerſitatis opifex Domi-
nus*.

595 Sed quæ per Olympium Exarchum,
ut juſſa Imperatoris impleret, pendente Con-
cilio, geſta ſunt adversùs Beatiſſimum Ponti-
ficem, ex Anaſtaſio deſcribemus, qui loco ci-
tato mox ſubjungit. „ Ipſis diebus direxit Im-
„ perator in Italiam Olympium cubicularium
„ & exarchum ad regendam omnem Italiam,
„ præcipiens & dicens; Oportet gloriam
„ tuam, ut ſicut nobis ſuggeſſit Paulus Pa-
„ triarcha, hujus à Deo conſervandæ Urbis
„ peragere. Et ſi quidem inveneris Provin-
„ ciam ipſam conſentientem in Typo à nobis
„ expoſito, facias tenere omnes, qui ibidem
„ ſunt, Epiſcopos & poſſeſſores, atque ha-
„ bitatores & peregrinos in eodem ſubſcribe-
„ re. Si autem, quomodò nobis ſuggeſſit
„ Platon glorioſus Patricius, & Eupraxius
„ glorioſus, potueritis ſuadere exercitui ibi-
„ dem conſiſtenti, jubemus teneri Martinum,
„ qui hic erat Apocrifarius in regia Urbe. Et
„ poſtmodum omnes Eccleſias relegere eum,
„ qui factus eſt à nobis orthodoxus typus, ut
„ omnes Epiſcopi Italiæ in ipſo ſubſcribant.
„ Si autem inveneritis contrarietatem, in ta-
„ li caſu exercitum taciti habetote, do-
„ nec obtinueritis Provinciam, & poteritis
„ vobis exercitum aggregare, tàm Romanæ
„ Civitatis, quàm Ravennatis, ut ea, quæ
„ à nobis præcepta ſunt, quantociùs explere
„ valeatis.

596 „ Qui prædictus Olympius veniens
„ in Civitatem Romanam, invenit Sanctam
„ Romanam Eccleſiam coadunatam cum om-
„ nibus Epiſcopis Italiæ, ſeu Sacerdotibus
„ vel Clero. Et volens adimplere ea, quæ ei
„ juſſa ſunt, armans ſe cum exercitus virtu-
„ te, voluit ſchiſma in Sanctam Eccleſiam in-
„ tromittere, (hoc per plurimum tempus
„ actum eſt,) & non illi permiſit omnipotens
„ Deus, quæ nitebatur perficere. Videns
„ ergo ſe à Sancta Dei Catholica & Apoſtoli-
„ ca Eccleſia ſeparatum, neceſſe habuit, de
„ ſua tàm mala intentione declinare: & quod
„ non potuit per manum armatam facere,
„ ſubreptitio modo per Miſſarum ſolemnia ni-
„ ſus eſt implere.

597 „ In Eccleſia enim Dei Genitricis
„ Mariæ ad Præſepe, dum ei communionem
„ porrigeret Sanctiſſimus Papa, voluit inte-
„ rimere eum, ut demandaverat ſuo ſpatha-
„ rio. Sed Deus omnipotens, qui ſolitus eſt
„ ſervos ſuos orthodoxos circumtegere, & ab
„ omni malo eripere, ipſe excæcavit Spatha-
„ rium Olympii Exarchi, & non eſt per-
„ miſſus videre Pontificem, quando Exarcho
„ communionem perrexit, vel pacem dedit,
„ nè ſanguis ejus effunderetur, & Catholica
„ Dei Eccleſia hæreſi ſubjugaretur: quod poſt-
„ modùm prædictus armiger diverſis cum jure-
„ jurando profeſſus eſt.

598 „ Videns ergò Olympius Exarchus,
„ quia manus Domini circumtegebat Marti-
„ num Papam, neceſſe habuit ſe cum Ponti-
„ fice concordare, & omnia, quæ ei juſſa fue-
„ rant, eidem ſanctiſſimo viro indicare. Qui,
„ pace factâ cum Sancta Dei Eccleſia, colli-
„ gens exercitum, profectus eſt in Siciliam
„ adversùs gentem Saracenorum, qui ibidem
„ inhabitabant, & peccato faciente, major
„ interitus tunc in exercitum Romanum per-
„ venit. Et poſt hoc idem Exarchus morbo
„ interiit. *Hæc Anaſtaſius*.

599 His tamen non obſtantibus, licèt co-
gnitâ Imperatoris perfidiâ, & in Monotheli-
tarum hæreſi induratâ pertinaciâ, ex præfati
Exarchi geſtis, & narratione, incredibili &
ad-

admirabili conſtantia, zelo Divini honoris armatus, atque fidei conſervandæ orthodoxæ, quovis humano ſepoſito reſpectu, excuſſoque quovis timore, ad ipſum Imperatorem ſcripſit, geſtaque in Synodo retulit, quin & ipſa Synodalia acta transmiſit, & ad ea ipſe quoque recipienda, Monothelitarumque hæreſim jam in Synodo damnatam, damnandam & ab ipſo, forti animo adhortatus eſt. Sunt autem literæ tenoris ſequentis.

Domino piiſſimo & Sereniſſimo Victori Triumphatori filio diligenti Deum & Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, Conſtanti Auguſto, Martinus Epiſcopus ſervus Servorum Dei, & univerſa Synodus in hac Urbe Roma congregata.

600 „ Cœleſti ſæculorum Regi, Chriſto
„ Deo, qui per carnem unâ cum mente ani-
„ matam, & ipſi ſecundùm hypoſtaſim uni-
„ tam, in terris apparuit; Magi terrena
„ munera promptè obtulerunt, non magis
„ quæ Divinâ gloriâ ipſius digna eſſent (eſt
„ enim incomparabilis,) quàm quæ prom-
„ ptam eorum voluntatem declararent; illa
„ enim infinita eſt, hæc ſingularem Deo amo-
„ rem exhibet.

601 „ Vobis autem, Sereniſſime, qui
„ in terra per ipſum regnatis, & ad eum pro-
„ peratis, cum multa libertate precioſa offe-
„ rimus dona, qui omnes per gratiam Sacer-
„ dotes ejus exiſtimus, ſalutaria nempè San-
„ ctorum Patrum & Synodorum præconia,
„ ad veram oſtenſionem internæ ergà ipſum
„ Dominum ac Deum noſtrum charitatis, &
„ erga vos, qui ſynceri ejus eſtis miniſtri. Et
„ quoniam *omne datum optimum, & omne do-*
„ *num perfectum deſurſum eſt, deſcendens à Pa-*
„ *tre luminum*, tanquam ſplendidum aurum
„ poſſidemus firmam in eum & ſynceriſſimam
„ confeſſionem: Theologiam verò, thus pu-
„ rum & eximium & optimi odoris: Myrrham
„ conſervatricem bonorum, & contrariorum
„ expultricem doctrinam. Hæc enim ſtabili-
„ ter cuſtodita, erunt ditioni veſtræ corona
„ decoris, & diadema gloriæ in manu Domi-
„ ni. Nam regni ornamentum eſt veritatis
„ cognitio, ſplendida & immarceſcibilis,
„ quæque invenitur his, qui eam quærunt:
„ quoniam hæc dignos ſe circuit quærens, &
„ iis ſe oſtendit, qui eam non tentant.

602 „ Quapropter vobis, optime Impe-
„ rator, ut Dominum quærentibus in ſimpli-
„ citate cordis, & in mentis bonitate de eo
„ ſentire properantibus, ſtuduimus ejus an-
„ nuntiare ſalutare, has relationis noſtræ
„ mediocritate. Nobis enim per Amos Pro-
„ phetam de ſe annuntiare præcepit, dicens:
„ *Sacerdotes audite, & teſtificamini Domui*
„ *Iſrael*, *dicit Dominus Deus omnipotens*.
„ Edocemus igitur pium veſtrum ac ſerenum
„ Imperium, quòd in hac Dei amante & cul-
„ trice veſtra Urbe Roma convenientes nos
„ omnes, qui ad manſuetudinem veſtram
„ confugimus, & Apoſtolica & ſpirituali una-
„ nimitate & conſenſu, in eadem mente, &
„ eadem ſententia, piam orthodoxæ fidei de-
„ finitionem confirmavimus, & congruenter
„ infirmavimus inconvenientem hæreticorum
„ ſermonem, qui quondam quique nunc pro-
„ priorum ſenſuum pravitate ſe à veritate ſe-
„ pararunt, qui intra ſe ipſos non rectè ratio-
„ cinati, dixerunt non habere in humanitatis
„ ſuæ natura voluntatem, aut operationem
„ naturalem, ipſum, qui propter nos huma-
„ natus eſt, Dominum: Sed ſine voluntate
„ ipſum exiſtere, ac ſine operatione, intan-
„ gibilemque, & inanimem eſſe: & quidem
„ cum Patrum doctrina, teſtem veritatis pro-
„ priam habentes naturam, ad redarguendam
„ eam, quæ de hoc ab iis dogmatizatur, ab-
„ ſurditatem, cùm ſubſtantiam ſuam videant
„ ab ipſo Creatore voluntate præditam, &
„ operatoriam factam eſſe. Quomodò igitur
„ à ſe fabricatam, & propria Incarnatione
„ aſſumptam à naturali voluntate & opera-
„ tione deminuit? Non verè faciens ſubſtan-
„ tiæ noſtræ in ſe fidem, ſed imaginariè &
„ fallaciter diſpenſationem ſecundùm illos
„ perpetrans, qui ob hoc unam Divinitatis
„ ejus, atque humanitatis voluntatem & ope-
„ rationem eſſe dogmatizarunt.

603 „ Qua propter ab omnibus ferè alia-
„ rum Provinciarum Deo amabilibus Epiſco-
„ pis & Apoſtolicis Pontificibus in hac ſenio-
„ re Roma conſtitutis, in dilectione admoni-
„ ti, ut ab ejuſmodi damnabili novitate ab-
„ ſtinerent, ad correctionem non venerunt,
„ ſed in deterius progreſſi ſunt, Divinam ejus
„ voluntatem, & operationem in humanam
„ contrahentes: ac veluti aſſerentes, nullam
„ ullo modo eum in utraque earum, ex qui-
„ bus & in quibus eſt, naturarum, volunta-
„ tem & operationem habere, ſed abſque vo-
„ luntate naturam eſſe, & abſque operatione:
„ quod omnium tùm Sanctorum Patrum,
„ tùm Oecumenicorum quinque Concilio-
„ rum definitiones evertit, quæ per omnia
„ perfectum eundem in Divinitate, & in hu-
„ manitate perfectum prædicaverunt: tan-
„ tùm abſque peccato. Nàm in peccato natu-
„ ræ perfectio non conſpicitur, ſed vitium
„ agnoſcitur noſtræ tranſgreſſionis. Quòd ſi
„ perfectus eſt, videlicèt perfectus ſecundùm
„ Divinam voluntatem & operationem,
„ quemadmodum & juxta naturam principii
„ expertem atque increatam: & ſecundùm
„ humanam quoque tùm voluntatem, tùm
„ operationem, ut & ſecundùm naturam crea-
„ tam, & quæ principium habuit. Qui ve-
„ rò in aliquo eum imminuit, manifeſtè ever-
„ tit perfecti rationem, eam conſpici nullo
„ modo permittens propter ejus quod naturæ
„ convenit defectum: quem adverſarii, Theo-
„ dorus videlicèt, qui Pharan Epiſcopus fuit,

& Cy-

„ & Cyrus qui Alexandriæ, Sergius qui Regiæ Urbis, ac eorum ſucceſſores Pyrrhus & Paulus, in prima & ſecunda conſcriptione dogmatum ſuorum non ſolùm poſuerunt, ſed etiam ſtuduerunt, ut ſibi illa per Ecthesim, hæc per Typum confirmaretur, idque contra fidem: nefariè ſubrepentes veſtræ ſerenitatis auribus, ut & antea auribus beatæ memoriæ avi manſuetudinis veſtræ: ut culpam ſuam callidè aliis aſpergerent, dèque manu Domini hanc ob cauſam duplicia peccata ſua reciperent, juſtas videlicèt pro iis pœnas, utpotè qui ea peccaverint, ex quibus non exigua perturbatio tamdiù univerſam terram vexat: quòd non ſolùm pii populi ſcandalizentur, ſed impii etiam barbari magnum confeſſionis noſtræ myſterium traducant; quia non ſolum prima ac potiſſima fides ab adverſariis labefactetur, ſed ea etiam, quam excogitarunt, ſtatim ab iis evacuetur, oppoſitâ nova peſſimæ hæreſeos pravitate: ut decætero nè illi quidem intelligant, quid ab illis credatur aut exiſtimetur, propter obſtinatam propriarum opinionum everſionem.

604 „ Quo circà omnium ferè piorum Sacerdotum & populorum contrà eos clamores Apoſtolica Sedes accipiens, orantium atque obteſtantium, nè uſque in finem Catholicam Eccleſiam ab ipſis in periculum adductam negligamus, ſed exurgamus acriter, & immaculatam Chriſtianam fidem diligenti paternarum & Synodicarum traditionum obſervatione conſervemus: nos omnes Sacerdotali ordine convocavit, ut à nobis omnia adverſariorum dogmata tractentur, & canonicè per commentariorum acta judicentur, de quibus opinionibus ſuis ad ſimpliciores fallendos auſi ſunt, dicere, hæc pietatis eſſe dogmata, quæ tradiderunt, qui ab initio ipſi viderunt, & miniſtri fuerunt ſermonis, quique deinceps eorum diſcipuli & ſucceſſores fuere, Catholicæ Eccleſiæ divinitùs inſpirati Doctores, ideſt, Sanctæ & Occumenicæ quinque Synodi.

605 „ Ad veritatis igitur oſtenſionem, & denudationem calumniæ adverſariorum, abſurdam illorum doctrinam, & piam Sanctorum Patrum Synodorumque prædicationem, adverſa dilucidè inter ſe comparantes, nec horum ad illa ullam convenientiam & cognationem invenientes, quemadmodùm nec tenebris prorſus ad lucem; hæc, ut diximus, definientes ſancivimus, ſalutaria nempè Sanctorũ Patrum & Synodorum decreta: illa verò omnes, ut piis definitionibus contraria & inimica, una voce damnavimus, ipſoſque etiam hæreticos, prædictos nempè homines, unà cum ipſorum expoſitione, & præfata formula (*ſupple Typo*,) orta ex ſuggeſtione & pravo eorum dogmate, cumque omnibus, quæ pro iis acta ſcriptaque ſunt: ut veſtrùm in omnibus ſine ullâ macula fœlicem converſationem tueamur, quæ adverſariorum ſcriptis gravatur: In quam auſi ſunt Religioſis Africæ Epiſcopis dicere ſcribentes, quod mente conſilioque regio verè excitati, memoratam piam formulam expoſuiſtis, præcipientes de nimia obſervatione paulùm ſine damno remittere. Hæc autem ſcripſerunt Sanctis Patribus nullo modo auſcultantes, quòd in iis, quæ ad Deum pertinent, inque Divinis prædicationibus, id quod parùm abeſt, paulùmque mutatum eſt, non parvum tamen eſt ducendum.

606 „ Sed in eo vel maximè veſtræ poteſtati labem, ut dictum eſt, inurere properarunt in eo, quòd illam formulam præter exactam rationem eſſe teſtati ſunt, & ſcripto aliis ſignificarunt. Quorum in his nequitiam & fraudem averſantes, cum his ipſis & eorum hæreſim Canonicè damnavimus, ubique omnibus & ante omnes veſtræ divinitùs ſtabilitæ ſerenitati notum facientes. Per ea quæ Synodicè à nobis pro orthodoxa fide in præſenti acta ſunt, quòd duas ejuſdem & unius Chriſti Dei edicunt Theologi naturas ſivè ſubſtantias confiteri, ſecundùm hypoſtaſim unitas inconfusè, & indivisè: & duas juxta naturam voluntates, duaſque juxta naturam operationes, Divinam & humanam, increatam & creatam conjunctè unitas, ad veram confirmationem, quòd Deus naturâ perfectus, & homo naturâ itidem perfectus, idem propriè eſt, & unus Chriſtus, ac filius: quòdque omnes Sanctis Patribus contraeuntes hæretici, quique confuſione, quique diviſione propriis dogmatibus depravati ſunt, impiè in eo unam voluntatem, & unam operationem confeſſi ſunt: Alii quidem, ut per inanem ſpeciem; alii verò ut per nudam nominum ſimilitudinem, ſivè per puram ambiguitatem: Magnum Incarnationis Chriſti myſterium temerariè reprobarent.

607 „ Undè nos ad pietatem veſtram confugientes, ut utrorumque tùm paternorum piorumque decretorum, tùm impiorum hominum ac dogmatum differentiam veſtræ poteſtati apertè exhiberemus, hæc à nobis Synodicè acta unâ cum eorum Græca interpretatione miſimus, orantes atque hortantes ſerenitatem veſtram Divinæ ſapientiæ deditam, ut hæc diligenter legere dignetur, pietatiſque legibus memoratos hæreticos unâ cum eorum hæreſi condemnet, ac religionis Divinæ rationibus ſolam nobiſcum, qui minimi ſumus, Sanctorum Patrum & Synodorum orthodoxam confeſſionem ſanciat, ad Catholicæ Eccleſiæ commendationem & laudem, & ad incolumitatem Reipublicæ veſtræ Chriſtum amantis, ipſique ſervientis.

608 „ Solet enim unâ cum orthodoxa fi-

„ fide ſtatus Reipublicæ florere, ac veſtræ po-
„ teſtati meritò hoſtes ſubjugabit Dominus,
„ à veſtra Serenitate rectè creditus, ad vin-
„ dictam inimicorum creaturam armans. In-
„ duet enim loricâ juſtitię pietatem veſtram,
„ galeâque muniet, judicio vero ac ſimula-
„ tionis experte; & clypeum præbebit,
„ inexpugnabilem Religionem, ad ſubjicien-
„ dum pedibus ejus barbaras omnes gentes,
„ quæ bella volunt; utque victorem efficiat,
„ rebus contra vitia pariter & homines feros
„ præclarè gerendis; & glorioſorum laborum
„ prœmium reddat, æternam cum Sanctis,
„ qui à ſæculo ſunt, fruitionem & quietem;
„ piiſſimum Domini Imperium ſupernâ gra-
„ tiâ cuſtodiat, & omnium gentium cervices
„ ei ſubdat. *Hactenus Synodica ad Conſtan-*
„ *tem*, cui univerſi Epiſcopi, qui Synodo
„ interfuerunt, ſe ſubſcripſerunt.

609 At Imperator, his acceptis literis, & cùm noſſet nihil actum per Olympium Exarchum, ſecundùm ejus juſſa, ſed & contraria omnia ſuis præceptionibus eveniſſe; & cùm non ſolùm Typum ſuum confirmatum à Romano Pontifice, aliiſque Italiæ Sacerdotibus, ut optabat, minimè fuiſſe, cognoviſſet, verùm potiùs ſynodali judicio infirmatum, reprobatum, atque penitùs damnatum; irâ fremens, excitante quoque illum ad indignationem Paulo, ſuggerenteque læſam per Typi damnationem Imperialem Majeſtatem, ad ſe, ut de gravi recepta injuria vendicandum animum adjecit; ac proinde tribus conſarcinatis calumniis adversùs Sanctum Pontificem proſilivit, & quòd traditam mutaſſet à Majoribus fidem, & quòd adversùs Romanum Imperium nonnulla cum Saracenis molitus eſſet, ad eoſque pecunias miſiſſet, & quòd denique contra Dei Genitricem Beatam Mariam Virginem quædam locutus fuiſſet. Quibus mendaciis compoſitis, miſſo in Italiam Theodoro Calliopa Exarcho, in mandatis dodit, ut adhibitâ vi militari Martinum caperet, & vinctum Conſtantinopolim remitteret. Cùmque Calliopa Romam veniſſet, divulgatis prædictis calumniis adversùs Sanctum Pontificem, manu armatâ è Lateranenſi Eccleſia, undè ab Exercitu priùs conſtrinctus fuerat, extractus, die xv. Kalendas Julias & eâdem nocte impoſitus in Navim, miſſus eſt Conſtantinopolim, paucis ſuis comitantibus pueris, Calliopâ non permittente alios de Clero ipſum ſequi. Hujus rei geſta diffuſiori ſermone enarrat ipſemet Sanctus Martinus in duabus Epiſtolis, quas de Regia Urbe ſcripſit ad Theodorum Epiſcopum, quarum prima, quæ inter Epiſtolas Martini eſt xiv. ſic ſe habet:

Martinus Theodoro ſynceràaffectione dilecto fratri.

610 „ Quoniam agnovi, ut potui, ea,
„ quæ in ſcriptis à vobis ſignificata ſunt, in
„ paucis verbis exequar. Cùm exirem ab Ec-
„ cleſiâ, quæ vocatur Conſtantiniana, in qua
„ Exercitus me cum armis conſtrinxerat, in
„ præſentia Exarchi ac Theodori Cubicula-
„ rii, ſeu Cleri, clarâ voce dixerunt: Ana-
„ thema habeat quiſquis dixerit vel credide-
„ rit, quia Martinus uſque ad unum apicem
„ fidem mutavit aut mutaturus eſt; & ana-
„ thema habeant qui in orthodoxa fide ſua
„ uſq;ad mortē non permanſerint. His auditis,
„ Calliopas cœpit reddere rationem, aliam
„ fidem, præterquàm nos tenemus, non eſſe,
„ neque aliter ſe credere: ſed hoc propter
„ eos, qui audiebant, non propter fidem
„ dicere.

611 „ Et ſcire te volo, dilectiſſime fra-
„ ter, de fide, quam ſignificaſti, necnon &
„ falſis calumniis, quas adversùs veritatem
„ proponunt, quia opitulantibus nobis ora-
„ tionibus veſtris ac omnium fidelium Chri-
„ ſtianorum, qui vobiſcum ſunt, & vivens
„ & moriens ſalutis noſtræ fidem defendam,
„ & quemadmodùm Beatus Paulus Apoſto-
„ lus docet: *Mihi vivere Chriſtus eſt, & mori*
„ *lucrum*. De falſis autem accuſationibus,
„ quas noviter hæretici faciunt, abjicientes
„ veritatem Chriſti Dei, qualem omninò po-
„ terunt hominibus veritatem loqui, qui Dei
„ veritati reſiſtunt?

612 „ Tibi igitur reddo rationem, dile-
„ ctiſſime frater, per eum, qui judicaturus
„ eſt Mundum iſtum per ignem, qui & red-
„ det unicuique ſecundùm opus ſuum. Ego
„ aliquandò ad Saracenos nec literas miſi,
„ nec quem dicunt tomum, qualiter credere
„ debeant, aut pecunias unquam tranſmiſi,
„ exceptis dumtaxat quibuſdam illuc ve-
„ nientibus Servis Dei causâ eleemoſynæ,
„ quibus & modicum quid præbuimus, mini-
„ mè ad Saracenos tranſmiſſum.

613 „ Porrò de Domina noſtra glorioſa
„ ſemper Virgine Maria, quæ Deum & Do-
„ minum noſtrum Jeſum Chriſtum peperit,
„ quam omnes Sancti catholici Patres Dei
„ Genitricem appellant, utpotè quæ Deum
„ hominem genuit, falsò contrà me, imò con-
„ tra ſuas ipſorum animas iniqui viri teſti-
„ ficati ſunt; Nam quiſquis Beatam ſuper
„ omnem creaturam & naturam humanam,
„ abſque eo, qui genitus eſt ex ea, venera-
„ bilem ſemperque Virginem, Matrem vide-
„ licèt Domini noſtri non honorat atque
„ adorat, anathema ſit in præſenti ſæculo &
„ in futuro; Sed homines occaſiones quæ-
„ rentes, ſcandala obiiciunt ad ſcandalizan-
„ dos multos. *Subſcriptio*. Deus te inco-
„ lumem cuſtodiat, amantiſſime Fili. *Ha-*

cte-

ſlenus Epiſtola. Sed & altera, ubi ſeriem facti recenſet, ad hunc modum ſe habet.

Martinus Theodoro.

614 „ Noſcere voluit chara veſtra dilectio; qualiter de Sede Sancti Petri Apoſtoli, ſicut unus Paſſer ſolitarius ab ædificio raptus fuerim. Et miror, quia ſuper hoc me inquirere voluiſti, cùm prædixerit Dominus noſter de nequam temporibus iſtis Diſcipulis ſuis: *Quia in diebus illis erit tribulatio, qualis non fuit ab origine Mundi uſque nunc; & niſi quia abbreviati ſunt dies illi, non poſſet ſuſtinere omnis caro, ſed qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit*. Hoc in paucis de Antichriſto dicitur; nam & Sanctus Paulus, ſecundùm datam ſibi gratiam ſpiritus, prænunciavit dies iſtos Timotheo Diſcipulo ſuo, dicens: *In noviſſimis diebus diſcedent homines à fide & à veritate auditum avertent, ſeipſos amantes, avari*, & cetera. Et crede mihi, deſideratiſſime fili mi, non videndum tempus aliud, niſi manifeſtè hoc, in quo ſunt initia dolorum, quemadmodùm Dominus prędixit adventum Antichriſti. Et mihi breviter dicere neceſſarium viſum eſt, antequàm in toto Mundo prævaleat judicium, & finem curſus tradam, hoc mihi expedire arbitratus, quò aliis mala mihi præparantibus exultem, potiùs quàm fleam.

615 „ Igitur, ut ſcias, qualiter ſublatus & ductus ſim à Romana Urbe, nil falſum audies accidentium. Omnia præſcivi per totum tempus quæ meditabantur; & ſumpto meipſo cum omni Clero meo, privatim manſi in Eccleſia Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, quæ cognominatur Conſtantiniana, quæ prima in toto Mundo conſtructa & ſtabilita eſt, à beatæ memoriæ Conſtantino Imperatore, & eſt juxta Epiſcopium. Illic enim omnes nos ſeorſum morabamur à die Sabbati, quandò Calliopas cùm Ravennati Exercitu & Theodoro Cubiculario introivit Civitatem. Miſi ergò in obviam ejus quoſdam ex Clero, quibus ſuſceptis in Palatio, æſtimavit & me cum eis eſſe. Cùm autem quæſiſſet, & non inveniſſet, dixit primis Cleri: Quia nos eum voluimus adorare; ſed cras, quod eſt Dominica dies obvii ei erimus, & ſalutabimus eum, quia hodiè non ſuffecimus.

616 „ Porrò Dominico die datis Miſſis in prædicta Sancta Dei Eccleſia, ſuſpicatus ille turbam multam colligi propter diem, nuntiavit hoc: Quia multùm fatigati ſumus ex itinere, & non poſſumus occurrere hodiè, ſed cras omnimodis occurremus, & adorabimus Sanctitatem veſtram. Ego verò ipſe graviter infirmus eram ab Octobrio menſe uſque ad prædictum tempus, ideſt uſque ad XVI. Kalendas Julias. Ergò feriâ ſecundâ diluculò mittit Chartolarium ſuum, & quoſdam ex obſequio ſuo, dicens: Quia arma præparaſti, & armatos habes intùs, & multitudinem lapidum collegiſti ad repugnandum, & hoc neceſſarium non eſt, nec aliquid tale fieri permittas. Cùmque præſens audiſſem hæc, neceſſarium magis non habui, qualiter hos certos redderem, quàm mittere illos giraturos per totum Epiſcopium, & ſi arma, vel lapides vidiſſent, ipſi teſtimonium perhiberent. Cùm autem eſſent, & nihil inveniſſent, ſubintuli eis per verba, quòd nunquam aliquandò aliter, ſed ſemper per complexionem & fallacem accuſationem incederent adversùs nos; & cùm in adventu infamis Olympii vani cujuſdam hominis cum armis me hunc potuiſſe repellere faterentur.

617 „ Ego itaque ante Altare Eccleſiæ lectulum meum habebam, in quo jacebam, & nondùm tranſactâ mediâ horâ, ecce Exercitus cum eis veniens in Eccleſiam obumbrati omnes tenentes lanceas & ſpathas ſuas, quin & arcus ſuos paratos unà cum ſcutis ſuis, & facta ſunt illic quæ nec dicenda ſunt. Quemadmodùm namque in hyemali tempore, vento validè flante, folia ex arboribus concuſſa cadunt, ita percutiebantur armis candelę ſanctæ Eccleſiæ, & retunſæ excutiebantur in pavimentum, & audiebatur ſonitus, qui in eadem fiebat Eccleſia, veluti tonitrus quidam horribilis, tàm ex preſſura armorum, quàm ex multitudine candelarum ab eis fractarum. Quibus confeſtim introeuntibus, juſſio à Calliopa porrecta eſt Presbyteris & Diaconibus, in qua humilitatis meæ abjectio continebatur, quòd irregulariter & ſine lege Epiſcopatum ſubripuiſſem, & non eſſem in Apoſtolica Sede dignus inſtitui, ſed omnimodis in hanc Regiam Urbem tranſmitti, ſubrogato in loco meo Epiſcopo; quod necdùm aliquandò factum eſt, & ſpero, quòd nec aliquandò fieri habet; quia in abſentia Pontificis Archidiaconus & Archipresbyter & Primicerius locum præſentant Pontificis.

618 „ Dùm ergò hæc moventur, quæ de fide geſta fuerant jam manifeſtavi vobis. Quòd autem præparati non fuerimus ad repugnandum, meliùs judicavi decies mori, quàm uniuſcujuſque ſanguinem in terram fundi. Quod quidèm & ſinè periculo hoc geſtum, non paucis, quæ non placuerunt Deo, malis effectis. Eâdem itaque horâ dedi meipſum ad exhibendum Imperatori, & non reſiſtendum. Porrò acclamantibus mihi, ut veritatem dicam, quibuſdam ex Clero, nè facerem hoc, nulli eorum accomodavi aurem, nè ſubitò fierent homicidia. Sed dixi illis: Sinite mecum venire ex Clero, qui neceſſarii mihi ſunt, Epiſco-

„ pos videlicèt, Presbyteros & Diaconos, & „ abſolutè qui mihi videntur. Reſpondit „ Calliopas: Quotquot voluerint venire, „ cum bono veniant, nos cuiquam neceſſita- „ tem non facimus. Reſpondi ego: Clerus „ in poteſtate mea eſt. Exclamantes autem „ quidam de Sacerdotibus, dicebant: Cum „ ipſo vivimus, & cum ipſo morimur.

619 „ Poſt hæc cœpit dicere per ſe Cal- „ liopas, & qui cum ipſo erant: Veni nobiſ- „ cum ad Palatium. Nec hoc facere recuſa- „ vi; ſed exivi cum eis in Palatium eâdem „ ſecundâ feriâ. Et tertiâ feriâ venit ad me „ omnis Clerus, & multi erant, qui ſe para- „ verant ad navigandum mecum; qui etiam „ res ſuas jam immiſerant in ea, quæ voca- „ bantur levamenta, & alii quoque nonnulli „ præparabantur Clerici & Laici, qui feſti- „ nabant pervenire ad nos. Eâdem ergò no- „ cte, quæ illuceſcit in feria quarta, quæ „ erat XIII. Kalend. Julias circa horam quaſi „ ſextam noctis, tulerunt me de Palatio, re- „ truſis omnibus, qui mecum in Palatio erant, „ uſque ad res diverſas, quæ mihi in via, & „ hic erant neceſſariæ; & nonniſi cum ſex „ puerulis, & uno cauculo eduxerunt nos ex „ Urbe, & cùm immiſiſſent nos in unum eo- „ rum, quæ dicebantur levamenta, circa ho- „ ram plùs minùs quartam diei ad portum „ pervenimus. In ea ſanè hora, qua egreſſi „ ſumus ab Urbe Roma, ſtatim, ut erant „ obſeratæ portæ, iterùm eas obſeraverunt, „ & ſic remanſerunt, nè exirent à Civitate „ aliqui, & venirent ad nos in portu, donec „ navigaſſemus; Undè neceſſitas nobis effe- „ cta eſt, ut omnium eorum res, quæ in le- „ vamenta miſſæ fuerant, in prædicto por- „ tu dimitteremus, & mox eâdem die mo- „ veremur.

620 „ Et pervenimus Kalendas Julias „ Meſenam, in qua erat navis, ideſt carcer „ meus. Non autem Meſenæ tantùm, ſed & „ in Calabria; & non tantùm in Calabria, „ quæ ſubdita eſt magnæ Urbi Romanorum, „ ſed & in plurimis Inſularum, in quibus nos „ vel tribus menſibus peccata impedierunt, „ nullam compaſſionem adeptus ſum, exce- „ pto dumtaxat in Inſula Naxia, quoniam „ ibi annum fecimus, merui lavari duobus „ vel tribus balneis, & apud Urbem manſi „ in Hoſpitio quodam. Et ecce quadraginta „ & ſeptem dies ſunt hodie, ex quo non me- „ rui calidâ nec frigidâ aquâ rigare me, & „ effluxi & refrigui totus, quoniam ventris „ fluor & in navi & in terra uſque ad præſen- „ tem horam requiem mihi omninò non de- „ dit; & in ipſa quoque neceſſitatis meæ ho- „ ra, cùm guſtaturus ſum, totus conquaſſa- „ tus corpore, ea, quæ neceſſaria ſunt per- „ cipere ad confortandam naturam non ha- „ beo, quia quod habeo, tędet me ſumere, „ cùm id habeam penitùs in faſtidium. Sed „ credo in virtutem Dei, qui omnia conſpi- „ cit, quia cùm de præſenti vita ſubductus „ fuero, exquirentur de his omnibus, qui „ me perſequuntur, ut ſaltèm ſic ad pœniten- „ tiam ducti, ab iniquitate ſua convertantur. „ *Subſcriptio*. Incolumem te cuſtodiat Deus, „ fili dulciſſime. *Hactenus Epiſtola*.

621 Anno itaque Domini DCL. Imperii Conſtantis, Anno IX. Martini, Pontificatus I. currente Indictione VIII. die XV. Kalend. Julias captus eſt idem Beatus Pontifex, ductuſque in Palatium Calliopæ Exarchi feriâ ſecundâ, & die poſtea XIII. Kalendas Julias raptus è Palatio, coactus eſt ſuper Tiberim naviculam conſcendere, atque ad portum navigare. Porrò XII. Kalendas Julias feriâ IV. conſcensâ navi, iter per Mare eſt aggreſſus. Diem & menſem conſignat idem Sanctus Pontifex, annum verò adnotat Theophanes ad Annum XX. Heraclii, inquiens: *Cæterùm nono Anno Imperii ſui Conſtans nepos Heraclii, Indictione* VIII. *bis agnitis, furore repletus, Sanctum Martinum & Maximum Conſtantinopolim ductos & cruciatos apud Cherſonam, & alia climata exilio relegavit, multos etiam Heſperiarum Epiſcoporum punivit*. Anaſtaſius compendioſè eandem hiſtoriam his verbis recenſet: „ Deinde directus eſt ab Imperatore „ Theodorus Exarchus, qui cognomento „ Calliopa dicitur, cum Theodoro Impe- „ riali Cubiculario, qui & Polarius diceba- „ tur, cum juſſione; qui tollentes Sanctiſſi- „ mum Martinum Papam de Eccleſia Salva- „ toris, quæ & Conſtantiniana appellatur, „ perduxerunt Conſtantinopolim; & nec ſic „ eis acquievit: Deinde directus eſt prædi- „ ctus ſanctiſſimus Vir in exilium in locum, „ qui dicitur Cherſona; & ibìdem, ut Deo „ placuit, vitam finivit in pace Chriſti Con- „ feſſor. *Hæc Anaſtaſius*. Ejuſdem ſceleris fit quoque mentio in Libello Synodico, ubi additur, Sanctum Maximum, juſſu Conſtantis Caucaſiis Montibus fuiſſe incluſum, exſectâ ei priùs linguâ: *Quin & generoſum illum Maximum*, ait, *poſtea comprehenſum, exſectâ ei linguâ, Caucaſiis ipſum Montibus incluſit*.

622 Cæterùm ea alia, quæ in ſuo itinere paſſus eſt mala Beatiſſimus Pontifex, quidam ſuæ peregrinationis comes, in relatione, quã ſcripſit ad univerſos orthodoxos Occidentis, inſertâ inter Epiſtolas ejuſdem Sancti Martini, ita recenſet, inquiens: „ Traditus igitur „ Romę de catholica Eccleſia Sancti Joannis „ à potentibus hujus ſæculi his, qui hoc „ erant miniſterio digni Miniſtri, atque Cu- „ ſtodibus, depoſitus eſt ad portum, & con- „ jectus eſt in Lembo, & navigantibus, ſicut „ ſcitis, euntibuſque juxta Avidum, in Inſu- „ la, quæ vocatur Naxos, non conceſſerunt „ Beato illi Apoſtolico Viro Cuſtodes peni- „ tùs contingere terram, dolentibus prorsùs „ pedibus ejus, cùm ipſi per loca conferrent, „ & omninò quieſcerent. Hi autem, qui per lo-

„ loca erant Sacerdotes & cæteri fideles Regionis ipſius dirigebant munera Beato illi „ causâ utilitatis ejus, non parvæ multotiès „ quantitatis; quas quidèm directas ſpecies „ & quantitates Cuſtodes beſtiales continuò „ coram eo diripiebant, improperioſa & amara plurima congerentes in eum. Eos autem qui munuſcula detuliſſent, injuriis & „ verberibus afficientes dimittebant, dicentes ad eos: Quoniam quicumque diligitis iſtum, inimici eſtis Reipublicæ. *Hæc ibi*.

623 Deinde poſt moram unius anni in Inſula Naxos, ut ipſemet Martinus in præfata ſua Epiſtola indicat, ductus eſt Conſtantinopolim, ante cujus adventum, præmiſſis à Cuſtodibus Nuntiis, nuntiatum eſt in Bizantio adventum & captionem ejus, proferendo adverſùs eum plurima mala, & proclamando hæreticum & rebellem, Deique adverſarium, atq; ſubvertentem univerſam Terram Romanorum, ut his vocibus plebs univerſa ad iram & odium adverſùs Sanctum Pontificem concitaretur, nemoque eſſet qui tantis malis compati dignaretur. Itaque pervenit Bizantium die XVII. menſis Septembris, ſui Pontificatus Anno III. inchoato, Imperii Conſtantis Anno X., qui fuit Domini DCLI. Indictione IX., appulitque in portum Euphemiæ prope Archadianon, ibidemque à Miniſtris derelictus, à manè manſit uſque ad horam decimam, recumbens in grabbato navis, univerſâ concurrente populari cujuſvis generis turbâ ad ipſum videndum, ſimulque irridendum & ſubſannandum, factus lacrymabile ſpectaculum hominibus, Angelis admirabile. Porrò ad occaſum Solis ejuſdem diei, veniente Sagolevâ Scribâ cum multis Excubitoribus, raptus de Lembo, atque in Geſtatorio poſitus, ductus eſt in cuſtodiam Excubitorii, quæ cognominabatur Prandearia, & adjecto Cuſtodibus mandato, ut nemini dicerent ibidem fuiſſe detentum, abierunt. Manſit ibidem recluſus in multis ærumnis & tribulationibus Sanctiſſimus Pontifex nonaginta tres dies, quibus elapſis extractus è cuſtodia, juſſus eſt ſiſtere coràm univerſo Senatu, ubi compluribus falſis teſtibus introductis, poſtpoſito Dei timore, adhibito jurejurando de pluribus accuſarunt, non ſinè extremo ejus dolore propter malam accuſatorum & teſtium conſcientiam, adeout Beatus Vir commiſerans jacturam illarum animarum, ad Senatum converſus dixerit: *Obſecro vos per Deum, nolite præparare eos jurare, ſed abſque ſacramento dicant quæcumque volunt, voſque facite quæcumque vultis. Et quid opus eſt etiam jurando perdere illos animas ſuas?*

624 Poſt plura ignominioſè dicta, calumnioſè pronunciata & iniquè geſta, ait præfatæ Relationis Scriptor: „ Eduxerunt „ Sanctum Apoſtolicum Virum de Cella Ju„ dicii, magis autem ex aula Calephæ, in Ge„ ſtatorio Sedili ſedentem, & ſtatuerunt eum „ in medio Atrii, quod erat ante Cellam „ Sacellarii & Imperialis Stabuli, quo con„ ſueverat omnis populus convenire & expe„ ctare Sacellarii ingreſſum. Circumdede„ runt eum Excubitores, eratque omnibus „ ſpectaculum formidabile turbis. Poſt pau„ lulùm ergò juſſerunt inferri eum in Sola„ rium expoſitionis, ut eſſet ibi, quatenùs „ proſpiceret Imperator per cancellos tricli„ nii ſui ea, quæ futura erant, fieri. Erat ita„ que multitudo populorum uſque ad Hip„ podromium conferta convenientium illic: „ Statuerunt ergò Reverendiſſimum Virum „ in medio Solarii diſpoſitionis, præſentiâ „ totius Senatus ſubnixum hinc & inde. Fa„ cta eſt ergò conſtipatio ſubitò non minima, „ & exiens ab Imperatore Sacellarius aper„ tis januis triclinii in Solarium, dividere „ univerſum populum juſſit. Venienſque „ Imperator ad Sanctum & Venerabilem vi„ rum Martinum Apoſtolicum, dixit ad eum: „ *Vide quomodò Deus te duxit, & tradidit in* „ *manus noſtras. Tu nitebaris contra Impera*„ *torem, quid tibi ſpei erat? Ecce dereliquiſti* „ *Deum, & dereliquit te Deus*.

625 His ab Imperatore abſolutis verbis, ut ſubjungit idem Scriptor: „ Continuò ex„ clamans Sacellarius quemdam adſtantium „ Excubitorum Tonſorem, præcepit ſinè mo„ ra auferre Pſachnion Summi & Apoſtolici „ atque præcipui Paſtoris omnium Chriſtia„ norum, qui orthodoxam Sanctorum Pa„ trum & Synodorum confeſſionem, hoc eſt, „ fidem confirmavit, & novi erroris exortos „ auctores, novos videlicèt hæreticos cum „ impiis dogmatibus eorum, canonicè & ſy„ nodicè anathematizavit. Cùm ergò inci„ diſſet Pſachnion Beati Viri Excubitor, & „ corrigiam compagiorum ejus, ſtatim tra„ didit eam Sacellarius Præfecto Urbis, di„ cens: *Tolle eum Domine Præfecte, & con*„ *tinuò membratim incide illum*. Cum his au„ tem omnibus juſſit adſtantibus anathema„ tizare eum, quod & fecerunt. Non reſpon„ derunt autem hujuſcemodi voci viginti Vi„ rorum animæ; ſed omnes quique hoc ipſum „ videbant, & ſciebant quia eſt Deus in Cœ„ lo conſpector eorum quæ fiebant, demiſſo „ vultu cum multa mœſtitudine recedebant „ tribulati.

626 Porrò enarrans ea, quæ poſt hæc acta ſunt in Sanctum Virum, proſequitur idem Auctor, inquiens: „ Suſcipientes ergò eum „ Carnifices, exuerunt exteriùs ejus Pallium „ Sacerdotalis Stolæ, & ſcindentes alas tu„ nicæ, quæ erat interiùs à ſummo uſque de„ orſùm, circumpoſuerunt ferrea vincula in „ ſanctam ejus cervicem, & per omne cor„ pus ejus trahentes eum vi, non conceſſe„ runt penitùs ei alicubi reſidere, & animam „ refocillare, ſed à Palatio duxerunt eum

pu-

,, publicantes & dehoneſtantes per medium Civitatis ad Prætorium, & gladius coràm eo. *Et poſt aliqua*. Qui cùm veniſſet in Prætorium dehoneſtatus, & à Carnificibus vinculatus, cum gladiis conjecerunt eum in unum carcerem cum homicidis, & poſt unam quaſi horam tulerunt eum inde, & tranſportaverunt in eam, quæ dicitur Diomedis cuſtodia in Prætorio Præfecti. Tantâ autem inſtantiâ & vi trahebant eum vinculis nexum, ut dilaniarentur crura & poplites ejus, & ſanguis efflueret per aſcenſum ſchalæ ejuſdem Cuſtodiæ: Sunt enim ſcopuloſi & aſperi valdè, ac penitùs in altum porrecti gradus. Hæc & alia de ſævitia in Sanctum Virum, antequàm in exilium amandaretur, recenſet prælibatus Scriptor.

627 Dùm verò hæc agerentur in Sanctiſſimum Chriſti Confeſſorem & Martyrem, contigit, juſto Dei judicio, Paulum Conſtantinopolitanum Epiſcopum, omnium horum malorum architectum & auctorem, graviter infirmari; qui cùm reſciviſſet ab Imperatore eum viſitante, quæ in Martinum hactenùs geſta fuerant: *Ingemiſcens*, ut ait idem Scriptor, *& converſus ad parietem dixit: Hej mihi! & hoc ad abundantiam judiciorum meorum actum eſt*. At percunctante Imperatore quamobrèm talia dixerit, reſpondiſſe ait; *Numquidnam, Domine, non eſt miſerabile talia pati Pontifices? Tunc attentiùs*, ſubjungit Auctor, *adjuravit Imperatorem ſufficere ei in his, quæ paſſus eſt, nihilque ampliùs ſuſtinere*. Sed infelix Paulus paulò poſt ad ſupremum Tribunal evocatus exceſſit è vita. Poſt cujus obitum nitente Pyrrho, qui poſt lapſum Conſtantinopolim repeterat, iterùm in Thronum conſcendere, contradixerunt ei plurimi propter fidei libellum, quem Romæ exhibuerat. Rem verò idem Scriptor ſic enarrat: ,, Interea, *inquit*, defuncto Paulo, & Pyrrho reſidere nitente, atque quibuſdam Eccleſiæ contradicentibus & prohibentibus, libellumque ejus publicantibus in Palatio, aſſerentibuſque, quoniam & à Beatiſſimo Paulo anathematizatus eſt: Pyrrhus reprobatus eſt Sacerdotio propter libellum, quem fecerat Romæ, & multâ commotione factâ. *Hæc ille*. Quæ contentio in cauſa fuit, ut Martinus Papa iterùm judicio & examini ſubjiceretur; quoniam, ut ſupra præfati ſumus, ad defenſionem Pyrrhi, qui ex parte ſtabant, evulgatum jam fuerat libellum, & ejus fidei confeſſionem à Theodoro Papa vi tormentorum extortam, non liberè à Pyrrho exhibitam fuiſſe; pro qua re miſſus eſt Demoſthenes reſcriptor & collaborator Sacellarii unà cum Libelliſio ad Diomedis carcerem, ad effectum examinandi Sanctum Pontificem ſuper his, quæ acciderant Romæ inter Pyrrhũ & Theodorum, & ſciſcitandum nùm ſpontè, an coactè Pyrrhus libellum fidei Theodoro exhibuerit.

628 Capita porrò interrogationum à Demoſthene factarum Sanctiſſimo Pontifici hæc fuerunt: Pro qua cauſa Pyrrhus Romam abierat, juſſus nè, an proprio propoſito? Quomodo Pyrrhus à Theodoro Papa ſuſceptus fuerat? Undè ſumebat Pyrrhus ea, quæ ad uſum ſui corporis neceſſaria erant? Qualis Panis dabatur ei? An vi libellum fecerit, & vincula, & carceres ſuſtinuerit? Quibus omnibus reſpondit pro veritate Sanctus Pontifex, adjecitque in fine ſummâ animi conſtantiâ hæc verba: ,, Quid volumus plurima quærere? Ecce in manibus veſtris retinetis me, & quodcumque vultis, conſumate in me, Deo indulgente, in veſtra eſt poteſtate. Utique ſi membratim inciditis carnes meas, ſicuti Præfecto juſſiſtis, cùm me traderetis, non communicabo Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ. Ecce hìc ſum, examinate me & tentate, & invenietis experimento gratiam Dei, & fidelium ſervorum ejus. Item Pyrrhus in medium venit, qui toties anathematizatus & nudatus eſt divino honore. *Hæc Sanctus Pontifex*. His dictis, ſubjungit Auctor: *Stupefactus Demoſthenes reſcriptor, & admirans ſuper hac voce æquanimis Papæ audaciam atque conſtantiam pro Chriſto in morte ſua, equidem ad hoc poſitus erat calix paſſionis. Similiter & hi, qui conſequentes erant ei, ſtupentes, accepto Libellario, ſeriatim cuncta dicta à Beato Viro conſcribentes, receſſerunt*.

629 Poſt hæc decurſis jam à ſuo ingreſſu in Regiam Civitatem diebus CLXXVIII., hoc eſt diebus LXXV, enumerandis à prima die, qua coràm Senatu juſſus eſt ſiſti, poſt dies XCIII. à ſuo adventu, lata eſt in eum relegationis ſententia in Inſulam Cherſonam, & extractus è cuſtodia, ductuſque à Sagoleba Scriba in domum propriam, ita mandante Principe, poſt aliquot dies, clanculò in navigio tranſvectus, ad locum relegationis deductus eſt. Abiit ergò in exilium menſe Martii, currente Anno Domini DCLII., Imperii Conſtantis Anno XI., ſui Pontificatus Anno IV., Indictione X. circa quæ tempora acciderunt Orbi Romano quæ recenſet Cedrenus in Annum XX. Heraclii, inquiens: ,, Ubi in hunc modum Eccleſia & à Regibus, & ab impiis ſacrorum Antiſtitibus turbata eſt, erexit ſe Amalechus ſolitudinis cultor feriens nos, qui populi chriſtiani ſumus. Prima clades tunc accidit Romani Exercitus ad Habitanem & Hiermuchamum ſanguinis effuſio injuſta. Deinde Paleſtini, Cæſarienſes, & Hieroſolymitani capti ſunt. Poſt Ægypti ſubſecutum excidium, ac deinceps Mediterraneæ Inſulæ, omniſque Romana Ditio in poteſtatem hoſtium venerunt. Additur his Romani Exercitus & Claſſis in Phœnicia interitus, omniumque chriſtianorum Populorum & locorum vaſtationes, quorum finis nullus fuit, donec Eccleſiæ per-

„ perſecutor infœlici morte affectus eſt, oc-
„ ciſus in Sicilia in Balneo Daphnes. *Hæc*
Cedrenus.

630 Porrò in exilio conſtitutus & poſitus
Beatiſſimus Pontifex Martinus, quantis &
qualibus ærumnis, tribulationibus & angu-
ſtiis ſubjici coactus fuerit, deficientibus eâ
in Inſula etiam quæ ad vitæ ſuſtentationem
neceſſaria ſunt, nemine eum miſerante, nec
auxilium præbente, ipſemet Sanctus Ponti-
fex teſtatur duabus in Epiſtolis ad quendam
ſibi chariſſimum Bizantii commorantem da-
tis, quarum prima ſic ſe habet.

Epiſtola prima Martini data ad quendam ſibi chariſſimum de exilii ſui calamitate.

631 „ Indicamus germanæ charitati ve-
„ ſtræ, Domine frater, quia poſtquam egreſſi
„ ſumus ex eo, quod Jeron dicitur à Con-
„ ſtantinopoli, navigantes ſanctâ quintâ fe-
„ riâ Cœnæ Domini pertranſivimus Pharum,
„ per diverſa loca tranſmeantes Idibus Majis
„ & Cherſonem pervenimus. Ergò gerulus
„ harum, qui præſentem vobis tradit Epi-
„ ſtolam, poſt triginta dies poſt nos à parti-
„ bus Bizantii venit Cherſonem; & gaviſi
„ ſumus ſuper adventum ipſius, æſtimantes,
„ expenſæ miſſæ nobis ab Italia eſſent in ter-
„ ram hanc, quæ deberent nos, eo veniente,
„ conſolari. Et cùm interrogaſſemus, co-
„ gnovimus ab eo, quòd nihil hùc detulerit
„ ab Italia & miratus ſum, & glorificavi Deũ
„ meum etiam in hoc, quoniam, ſicut ſcit,
„ tribulationes noſtras diſpenſat, maximè
„ cùm fames in hac terra & neceſſitas ta-
„ lis eſſet, ut panis in ea tantùm nomine-
„ tur, non tamen penitùs videatur; Quo-
„ niam niſi mittantur nobis ex partibus illis
„ ſumptus, vel à partibus Ponti, hìc vivere
„ omninò nequimus. Spiritus enim prom-
„ ptus eſt; caro verò infirma, ut etiam ipſe
„ noſti. Neque enim diſpenſatio quævis po-
„ teſt in hac terra ullatenùs inveniri in ſola-
„ tium ſaltèm modici ſumptus.

632 „ Si ergò, ut dictum eſt, tranſmiſ-
„ ſum fuerit illinc frumentum & vinum, aut
„ oleum, & alia quædam quoquomodò, fe-
„ ſtina, prout potueris mittere nobis. Ne-
„ que enim hujuſcemodi mala, ut reor, oſten-
„ di Sanctis, qui ibidem ſunt, vel his, qui
„ ſunt Eccleſię illius, ut uſque adeò manda-
„ tum Domini parvipenderent; præſertim
„ cùm Apoſtolus Philippenſibus ſcripſit, gra-
„ tias agens eis, quòd & Theſſalonicam &
„ ſemel & bis in uſum ſibi miſerint, ubi &
„ ſubdit: *Habeo autem omnia, & abundo*. Si
„ enim Peregrinos illic, ideſt Romæ, ita
„ reficit Sanctus Petrus, quid dicemus de
„ nobis, qui proprii ſervi ejus ſumus, & ſal-
„ tèm ad momentum miniſtravimus ei, & in
„ tali exilio & afflictione conſiſtimus? Co-
„ gnitionem autem feci ad dilectionem ve-
„ ſtram quarundam ſpecierum, quæ compa-
„ rari debent illic, & horum quęsò te, more
„ ſolito curam habeto, ut noſti, ad emen-
„ dum & mittendum nobis propter multas
„ neceſſitates noſtras & frequentes infirmita-
„ tes. *Hactenus prima Martini Epiſtola de*
„ *loco exilii*. Secunda verò ad hunc modum
„ ſe habet.

Epiſtola ſecunda Martini Papæ ad eundem ſibi chariſſimum ejuſdem pariter argumenti.

633 „ Omne deſiderium habemus ſem-
„ per literis noſtris charitatem veſtram con-
„ ſolandi & relevandi vos à ſollicitudine,
„ quæ vobis de nobis eſt. Vobiſcum verò &
„ omnes Sanctos & fratres noſtros, qui cu-
„ ram noſtri propter Dominum gerunt. Ec-
„ ce & in præſentiarum ſcribo vobis quæ co-
„ arctant nos. Veritatem dico in nomine
„ Chriſti Dei noſtri. Remoti enim ex omni
„ mundana turbatione & depoſiti à peccatis
„ noſtris, ecce & ipsâ vitâ caruimus. Si
„ quidèm hi, qui in hac Regione habitant,
„ omnes Gentiles exiſtunt, & gentiles mo-
„ res acceperunt hi, qui hìc habitare noſcun-
„ tur, nullam charitatem prorsùs habentes,
„ quam jugiter hominum natura & inter ip-
„ ſos quoque Barbaros crebrâ compaſſione
„ demonſtrat. Novit itaque Deus, niſi ex
„ naviculis, quæ veniunt ex partibus Roma-
„ niæ, ut hi, qui hìc ſunt, nuncupant, par-
„ tes videlicèt Græcorum, Ponticas partes
„ vocantes; Nam nec ſemèl de Regione iſta
„ uſque ad unum trimiſium frumentum po-
„ tui comparare, ſed nec alterius cujuſcum-
„ que generis ſpeciem, niſi, ut prædictum
„ eſt, ex naviculis, quæ hùc raro veniunt,
„ ut ſale onuſtę recedant. Sic potuimus eme-
„ re tres vel quatuor modios nomiſmate uſ-
„ que ad præſentem Septembrium menſem,
„ uſquenunc verò non potuimus de novis
„ geniminibus emere, niſi uno nomiſmate
„ modios quatuor.

634 „ Miratus ſum autem, & adhùc mi-
„ ror indiſcretionem & incompaſſionem om-
„ nium, qui quondam mihi pertinebant, &
„ amicorum meorum & propinquorum, quia
„ ſic funditùs infœlicitatis meæ obliti ſunt,
„ & nec ſcire volunt, ut invenio, ſivè ſim ſu-
„ per terram, ſivè non ſim. Miratus quo-
„ que multò magis ſum in eos, qui ſunt ſan-
„ ctiſſimæ Apoſtoli Petri Eccleſiæ, quoniam
„ tantam dederunt operam de corpore, ac
„ membro ſuo, ideſt ſuper dilectione noſtra,
„ ad reddendos nos ſinè ſollicitudine, ſaltèm
„ ſuper corporali uſu, quotidianoq; ſumptu;
„ Nam & ſi aurum Eccleſia Sancti Petri non
„ habet, frumento tamen & vino, & aliis
„ neceſſariis expenſa non caret per gra-
„ tiam Dei, ut modicæ ſaltèm exhibitionis
cu-

„ curam geſſiſſent. Qualem putas conſcien-
„ tiam habemus exhibendi, ante Tribunal „ Chriſti accuſantibus omnibus tunc, & ra- „ tionem reddentibus hominibus, qui ex eo- „ dem luto & maſſa conſiſtunt? Quæ formi- „ do eſt, quæ cecidit ſuper homines ad man- „ data Dei minimè facienda, aut timor ubi „ non eſt timor? An ſubtractione uſqueadeò „ nos ſpiritus maligni operiunt? An ita ini- „ micus omni plenitudini Eccleſiæ apparui, „ & adverſarius illis?

635 „ Verumtamèn Deus, qui vult om- „ nes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem „ veritatis venire, per interceſſiones Sancti „ Petri ſtabiliat corda eorum in orthodoxa „ fide, & confirmet contra omnem hæreticam „ & adverſariam Eccleſiæ noſtræ perſonam, „ & immobiles cuſtodiat, præcipuè Paſto- „ rem, qui eis nunc præeſſe monſtratur; quò „ in nullo prorsùs decidentes vel declinantes „ aut dimittentes eorum, quæ in conſpectu „ Domini & Sanctorum Angelorum ejus in „ ſcriptis profeſſi ſunt uſq; ad puſillum quip- „ piam, unà cum humilitate mea coronam „ percipiant juſtitiæ orthodoxæ fidei de ma- „ nu Domini & Salvatoris noſtri Jeſu Chri- „ ſti. De humili namque hoc corpore meo „ & ipſi Domino cura erit, ut ſibi gubernare „ placet ſivè in tribulationibus indeſinenti- „ bus, ſivè in modico refrigerio. Dominus „ enim prope eſt, & quid ſollicitus ſum? „ Spero quippe in miſerationes ejus, quòd „ non tardet modò finire meum, quo juſſerit, „ curſum. Omnes veſtrates propter Domi- „ num ſalutate, & omnes, qui pro Dei amo- „ re meis compaſſi ſunt vinculis. Deus ex- „ celſus potenti manu ſuâ protegat vos ab „ omni tentatione, & ſalvet in Regnum „ ſuum. *Hactenus Epiſtola.*

636 Sed & Maximus, ut ex Theophane antefati ſumus, eandem ſortem ſuſtinuit ac Martinus, cùmque & ipſe Romæ eſſet, cujus ſuaſu & Concilium à Martino celebratum fuit, relatum eſt Imperatori, præfatum ſanctiſſimum Virum magnoperè ipſi adverſari, in eum obloqui, & alia his ſimilia in hæreſis odio facere, cujus rei causâ indignatus Imperator, eidem Exarcho Calliope in mandatis dedit, ut curaret eum vinctum Conſtantinopolim perduci. Id quod ante captum Martinum præſtitit Calliopas. Cùmque perveniſſet Conſtantinopolim, & ipſe coràm univerſo Senatu ſiſti juſſus eſt, ubi plura adversùs eum denunciata ſunt, & præcipuè quòd magnas Urbes prodidiſſet, Alexandriam ſcilicèt & Ægyptum & Pentapolim, atque Saracenis dediſſet, quorum maximè domeſticum & in ipſos benevolum fuiſſe, ajebant accuſatores. Alia quoque crimina eidem objecerunt, ut refert horum geſtorum Scriptor apud Baronium ad Annum Domini DCL. à num. 30. & ſeq., à quibus Sanctiſſimus Vir rectè ſe purgavit, ſed prævalente perfidiâ, quamvis rationibus & argumentis Judices victi eſſent, poſt varias cōtumelias in eum latas, inito conſilio, Imperator cum Paulo Patriarcha, in exilium aſportandum, latâ ſententiâ pronunciavit: „ Conſilium autem, *in- „ quit geſtorum ejus Scriptor*, unà habentes „ Imperator & Patriarcha (quemadmodùm „ Pilatus & Judæi ſuper meo Jeſu) juſtum „ damnant exilio in quoddam Oppidulum, „ cui Bizia nomen erat, ſtatim abducentes, „ ſimùlque diſcipulum Anaſtaſium in quen- „ dam locum valdè malum, Romanorumque „ Imperii ultimum ſolum deportantes, Per- „ ba, aliàs Perberis, ille locus lingua Barba- „ rorum nuncupabatur. Itidèmque fecerunt „ ejus cognomini Romæ Apocriſario, qui „ Meſembriam relegatus eſt. *Hæc ille.*

637 Intereà Romæ cùm delatum fuiſſet, Sanctum Pontificem exilio damnatum, Calliopas, ut juſſa Principis impleret, egit, ut in locum Martini alius renunciaretur Pontifex. Recuſante Clero, vim adhibere minatus eſt Calliopas, quare nè cogeretur Eccleſia Romana, quod imminebat ſubire periculum, ut niſi ipſe Clerus eligeret, daretur ipſis invitis ab Imperatore Epiſcopus, qui & ejuſdem cum ipſo eſſet hæreſis & propagator. Penitùs inviti coacti ſunt alium ſubſtituere Paſtorem, qui Vicariâ tantùm poteſtate loco abſentis & exulis Martini Eccleſiam regeret. Sicque die IX. Auguſti ejuſdem Anni, ſcilicèt DCLII. ſelecto egregio Viro, virtutibus & moribus exculto, ad regendam Eccleſiam modo ſupradicto Clerus Romanus aſſumpſit: Is fuit Eugenius, natione Romanus, de Regione prima Aventina, Clericus à cunabulis, ex patre Ruffiniano, ut ſcribit Anaſtaſius, vir benignus, mitis, manſuetus, omnibus affabilis, & ſanctitate præclarior.

638 Porrò Conſtantinopoli defuncto, ut dictum eſt, Paulo Epiſcopo, poſt multas & varias altercationes, prævalente Pyrrhi factione apud ipſum Imperatorem, iterùm idem Pyrrhus Thronum Epiſcopalem conſcendit; non tamen diù permiſſus eſt Eccleſiam illam regere, raptus ad tremendum Divini Judicis Tribunal poſt menſes IV. & dies XXIII., ut notat in Chronico Nicephorus, cui datus eſt ab hæreticis hæreticus quoque ſucceſſor Petrus, qui in eadem Eccleſia ſuſcipiendorum hoſpitum munere fungebatur. Hic, ut faciem catholici hominis ſaltèm oſtenderet, ad Eugenium, ut ab eo in communionem recipi mereretur, Synodicam, reaſſumpto more, ſcripſit Epiſtolam, perplexam tamen, confuſam & ambagibus plenam, nihil de operationibus & voluntatibus in Chriſto explicantem; quare meritò ab Eugenio & univerſo Romano Clero & populo rejecta fuit. Ita Anaſtaſius in Eugenio, inquiens: „ Hujus tempo- „ ribus Patriarcha Conſtantinopolitanus „ direxit Synodicam Epiſtolam ad Sedem „ Apoſtolicam, juxta conſuetudinem prio-

rem

„ rem omninò obſcuriſſimam & ultra regu-
„ lam, non autem declarans operationes aut
„ voluntates in Domino noſtro Jeſu Chriſto.
„ Et accenſus Populus vel Clerus, eò quòd
„ talem Synodicam direxiſſet, minimè eſt
„ ſuſcepta, ſed cum majore ſtrepitu eſt à ſan-
„ cta Dei Eccleſia projecta. Ut etiam nec
„ eundem Papam dimitteret Populus vel Cle-
„ rus, Miſſas celebrare in Baſilica Sanctę Dei
„ Genitricis, ſemperque Virginis Mariæ,
„ quæ appellatur ad Præſepe, niſi promiſiſſet
„ his ipſe Pontifex, minimè eam aliquandò
„ ſuſcipere. *Hactenus Anaſtaſius*.

639 Poſt hæc variis ærumnis confectus glorioſiſſimus Chriſti Athleta Pontifex & Martyr Sanctus Martinus à mundano exilio, ſolutis corporis nexibus, ad Cœleſtia Regna migravit Anno Domini DCLIV., Imperii Conſtantis Anno XIII., ſui Pontificatus VI., Indictione XII., cùm ſediſſet Annos V. menſes IV. dies verò XII., exactis in ſuo exilio ferè annis duobus cum dimidio. Teſtatam voluit Deus rectam ſui Confeſſoris fidem & ſanctitatem miraculis plurimis: Undè Anaſtaſius in ejus vita ſcribit: *Directus eſt Sanctiſſimus Vir in exilium, in locum, qui dicitur Cherſona, & ibidem, ut Deo placuit, vitam finivit in pace Chriſti Confeſſor, qui & multa mirabilia operatur uſque in hodiernum diem*. Teſtatur hoc idem Gregorius II. Papa in Epiſtola data ad Leonem Iſauricum hæreticum Imperatorem, inquiens: „ At Beatum Mar-
„ tinum eſſe Sanctum, teſtatur Civitas Cher-
„ ſonenſis & Boſphori, in quam relegatus
„ eſt, & totus Septemptrio atque Incolæ Se-
„ ptemptrionis, qui ad Sepulchrum ejus con-
„ fluunt, & morborum curationes experiun-
„ tur; Atque utinam faxit Deus, ut nos
„ Martini viam ingrediamur, eandemq; ſor-
„ tem ſubeamus. *Hæc Gregorius*. Item Sanctus Audonëus Epiſcopus Rothomagenſis in vita Sancti Eligii cap. 34. apud Surium ad diem 1. Decembris, de eodem Sanctiſſimo Pontifice hæc alia ſcribit: „ Conſtantino-
„ polim perductus Sanctus Martinus, atque
„ ibi in exilium relegatus, ſolâ oratione me-
„ ruit cęco lumina reddere: Porrò exulans
„ & deliteſcens, poſt multa tormenta, cla-
„ ram valdè & nobilem vitam optimo & ve-
„ nerabili fine concluſit. Simulent nunc hę-
„ retici quantum volunt; confundantur &
„ erubeſcant à ſe Martyrem factum, quam-
„ vis in pace exhalaſſe animam clamitent;
„ quamvis non à ſe interemptum, ſed pro-
„ priâ fingant morte defunctum, quaſi non
„ eum pœna conſumpſerit, in quo pœna con-
„ ſumpta eſt. Qui ſi in præſenti nunc adeſ-
„ ſent, hæc à me pro Martyre verba audi-
„ rent: Etſi imminente Carnificis gladio
„ mortuus non fuit, in confeſſione tamen
„ catholicæ Fidei in exilium relegatus, poſt
„ continuam & indefeſſam profeſſionem, glo-
„ rioſum mortis exitum meruit; ſicque ad
„ Deum ſuum redeuntem, Cœleſtis Aula
„ Martyrem ſuſcepit. *Hæc & alia ejuſdem argumenti Audonëus*. Scribit Baronius ad hunc annum ſub num. 6. ſe accepiſſe à Viro quodam maximè pio & fide integro, quòd in hanc uſque diem memoria Sancti Martini Papæ à Græcis adhùc frequentetur; quòdque Populus frequenti cœtu ad Sepulchrum ejus confluens, gratias curationum accipiat, & alia juſta petita impetret; quare probi cenſent, quòd dùm Corpus ejus Romam tranſlatum fuit, Cherſonenſes unam partem ipſius ſibi aſſervaverint. Non inultam tamen voluit Deus tanti Pontificis mortem: Eodem namque anno, ut ſcribit Theophanes, diverſas à Saracenis Clades Imperium Romanum ipſeque Imperator paſſus eſt.

640 Delatâ Romam S. Pontificis morte, à Clero Romano idē Eugenius, novo accedente conſenſu, in Sede Pontificia confirmatur: qui ab eo tempore, ut verus & abſolutus Pontifex Eccleſiam Dei regere cœpit, rexitque à Martini obitu menſibus VI. & diebus XXIII. A' prima verò aſſumptione numerantur ab Anaſtaſio Anni II. & menſes VIII. Obiit Eugenius Romæ die II. Junii, currente Domini Anno DCLV., Imperii Conſtantis XIV., Indictione XIII. Scribit Anaſtaſius vacaſſe Sedem per menſem unum & dies viginti novem; alii, viginti tres; ſed cùm electio Succeſſoris ſtatuatur ſub ultima die menſis Auguſti, ſi deceſſit Eugenius ſecundâ die menſis Junii, ſequitur vacaſſe Epiſcopatum menſes duos & dies viginti ſeptem. Loco porrò Eugenii ſuffectus eſt Vitalianus, patriâ Signinus. Provinciæ Campaniæ, Anaſtaſii filius, creatus, ut dictum eſt, die XXI. menſis Auguſti.

CAPUT XIII.

De ſtudio Vitaliani pro Eccleſiarum pace, & Monothelitarum geſtis ſub hoc Pontifice.

641 Conſcendens Apoſtolicum Petri Thronum Vitalianus, reſponſales ſtatim Conſtantinopolim miſit cum Synodicis de ſua ordinatione, ſimulque cum literis ad Petrum Patriarcham, hortans eum ad fidem catholicam, deteſtatâ Monothelitarum hæreſi, amplexandam; Quos reſponſales humaniter ſuſcepit Imperator, & renovatis privilegiis Eccleſiæ, cum donariis offerendis Eccleſię Sancti Petri eos remiſit. Petrus quoque per eoſdem reſcripſit Pontifici, ſe illa profiteri, quæ veteres Patres docuerunt, quorum teſtimonia, licèt incorrupta, intexuit. Horum reſponſalium per Vitalianum ad Imperatorem tranſmiſſorum, ac ejuſdem Imperatoris munerum Sancto Petro oblatorum, meminit Anaſtaſius in Vitaliani vita, ita ſcribens: „ Hic direxit reſponſales ſuos cum
„ Synodica, juxta conſuetudinem, in Re-

„ giam Urbem apud piiſſimos Principes, „ ſignificans de ordinatione ſua, & dùm ſuſcepti eſſent, renovantes privilegia Eccleſiæ, reverſi ſunt, quorum Principum clementia per eoſdem miſſos direxerat Beato „ Petro Apoſtolo & Evangelia aurea cum „ gemmis albis miræ magnitudinis in circuitu ornata. *Hæc Anaſtaſius*. Certè mirâ calliditate talia egit Imperator, ut enim ſibi Populum Romanum conciliaret, quaſi cum Eccleſia Romana communicaret, donaria Beato Petro miſit. Cùmque munera hæreticorum minimè à Pontifice Romano reciperentur, credendum eſt, unà cum illis fidei etiam orthodoxæ profeſſionem externè tantùm, tranſmiſiſſe, ratione cujus Vitalianus potuit prælibata munera accepiſſe.

642 De Epiſtola porrò Petri Patriarchæ ad Vitalianum directa, ex corruptis Patrum teſtimoniis in ſui dogmatis confirmatione conſarcinatâ, mentio fit in Actis ſextæ Synodi Act. XIII., ubi dicitur: „ Item relecta „ eſt ex altero Regeſto Epiſtola Petri & ipſius quondam Preſulis Regiæ Civitatis ad „ Vitalianum ſanctæ memoriæ, qui fuit Papa Romanus, cujus eſt initium: *Spiritalem nobis lætitiam peperit litera veſtræ unanimis & ſanctæ fraternitatis*. Dùmque relegeretur eadem Epiſtola, habens diverſa Patrum teſtimonia, hi, qui locum gerebant „ Agathonis Sanctiſſimi Papæ Romani, dixerunt: Innoteſcimus veſtræ gloriæ, quòd „ paterna teſtimonia, quæ continentur in „ præſenti, quæ nunc relegitur, Petri Epiſtolâ, circumcisè deflorata ſunt ab eodem Petro ex hoc, quòd oſtendere voluiſſent ſuam, „ ſuper una voluntate & una operatione, intentionem. Glorioſiſſimi Judices dixerunt: „ Comperimus diligenter, juxta quæ à veſtra Reverentia dicta ſunt, quòd talia teſtimonia, quæ continentur in præſenti Epiſtola, detruncatè poſita ſunt. *Hæc ibi*.

643 Cæterùm verſipellis Imperator ſuam in corde retinens hæreſim, ejuſdem propagationis atque ſtabilitatis avidus, inito cum hæretico Patriarcha Petro conſilio, concluſit, nil poſſe magis proficere ad proprii dogmatis ſtabilitatem, quàm ſi in eandem ſententiam deſcenderet Sanctiſſimus Maximus, utpotè apud Orientem & Occidentem in magna habitus æſtimatione, ſpectatis ſanctitate ejus vitæ & ſanctarum literarum incomparabili ſcientiâ. Quare concordantibus Petro & Conſtante, decreta eſt Legatio ad Beatum Virum ad locum ſui exilii, ideſt ad Caſtrum Biziæ, ubi exul morabatur, ut initâ cum eo diſputatione, ſi fieri poſſet, in Monothelitarum errorem induceretur. Selecti ſunt ad hoc munus Theodoſius Epiſcopus Cæſareæ Bithyniæ ex parte & perſonâ Petri Conſtantinopolitani Epiſcopi, Paulus & alter Theodoſius Conſules ex perſona Imperatoris, ille ut diſputaret cum Maximo, iſti ut veluti Judices & Teſtes conſederent: Qui juſſa Principis exequentes, perrexerunt ad præfatum locum Anno Domini DCLVI. die IX. Kalendas Septembris, Indictione XIV., currente Anno II. Pontificatus Vitaliani, ſivè labente Anno I., Imperii Conſtantis Anno XV. Hinc Auctor, qui eandem diſputationem conſcripſit, in exordio tempus initæ diſputationis conſignans, ait: *Igitur nono Kalendas Septembris, quæ nunc tranſacta eſt quartadecimæ Indictionis, exivit ad eum in exilium, in quo poſitus ſervabatur, ideſt, ad Caſtrum Biziæ, prædictus Epiſcopus Theodoſius ex perſona, ut dixit, Petri Conſtantinopolitani Præſulis miſſus; necnon & Paulus ac Theodoſius Conſules, ut faſſi ſunt, & ipſi ex perſona Imperatoris directi*.

644 In ea ergò diſputatione, ut prodit tomus geſtorum Sancti Maximi apud Labeum tom. 6. Concil. pag. 472., & refert etiam Baronius ad hunc Annum, nonnulla primùm de Præſcientia & Prædeſtinatione, interrogante Theodoſio, expoſuit Sanctiſſimus Abbas; & inde progreſſum eſt ad examen principalis controverſiæ de una vel duabus voluntatibus in Chriſto & operationibus: in qua controverſia ad Theodoſii Epiſcopi interrogata ſatisfaciens Maximus tùm rationibus validiſſimis, cùm Sanctorum Patrum teſtimoniis, ac eorum præcipuè, quibus uſi fuerant Patres Concilii Lateranenſis, oſtendit in Chriſto duas voluntates, duaſque operationes confiteri oportere. Et dicente Theodoſio: *Unam propter unitionem Salvatoris noſtri voluntatem per omnia & omninò dicere oportere, ſicut Sergius & Pyrrhus benè intelligentes ſubſcripſerunt*, Beatus Maximus ſex rationibus probavit, neque propter unitionem ullo modo afferi poſſe unam in Chriſto voluntatem, & operationem: Quare victus Theodoſius, victi quoque Conſules coacti ſunt pro tunc in ſententiam Maximi deſcendere, qui relictis ei quibuſdam muneribus, abierunt, iterum repetentes Conſtantinopolim, relaturi Imperatori præfata geſta.

645 Intereà temporis & hoc eodem anno Petrus Patriarcha Conſtantinopolitanus vivere deſiit, vocatus rationem reddere ad Tribunal Æterni Judicis, ubi ſediſſet Annos duos & menſes tres, non verò Annos duodecim, ut non ſinè errore manifeſto conſignat Nicephorus in Chronico: In ejus locum ſuffectus eſt Thomas, qui in Actis depravatis ſextæ Synodi, ut notat Baronius, prædicatur catholicus, quandò illius geſta prorsùs contrarium demonſtrant, ut idem Baronius ad hunc eundem annum eruditè probat. Sub hoc ergò Patriarcha miſſus eſt Paulus Conſul iterùm Biziam ad Maximum, ut cum honore eum reduceret Conſtantinopolim; quoniam menſe Septembris, Indictione XV., currente Domini Anno DCLVII., qui fuit Conſtan-

tis,

tis, Imperii Anno XVI., & inchoato Anno III. Vitaliani Pontificis, miſſum Paulum ad obducendum Maximum, ex Actis ſupracitatis evincitur.

646. Cùmque enim, ut præfati ſumus, Theodoſius & Conſules remeaſſent ad Regiam Urbem, ac Imperatori retuliſſent exitum habitæ diſputationis cum Maximo, & quomodò veritate victi manus dediſſent: commotus Imperator juſſit Paulum remeare Biziam, adjecto mandato de reducendo Maximo Bizantium; unde in Actis prædictis ſcribitur: „ Poſtquam verò abierunt prædicti viri, VI. „ Idus Septembrias præſentis XV. Indictionis, „ exivit rursùs Paulus Conſul in Bizyen ad „ Abbatem Maximum juſſionem ferens con„ tinentem ſecundùm hanc formam: *Jubemus* „ *gloriæ tuæ ire Bizyen & adducere Maximum* „ *Monachum cum honore multo, atque blan*„ *ditie, tàm propter ſenectam infirmitatem,* „ *quàm eò quòd ſit à progenitoribus noſtris, fue*„ *ritque illis honorabilis. Et ponite hunc in* „ *Venerabili Monaſterio S. Theodori, quod re*„ *jacet juxta Regium, & venire & nuntiare* „ *nobis: & mittemus ad eum ex perſona noſtra* „ *Patritios duos, qui debeant illi declarare,* „ *quæ nobis placuerint, nos ex animo amantes* „ *& à nobis amatos; & venire nuntiaturi no*„ *bis adventum ejus*. Porrò juſſa complens „ Paulus, adduxit Maximum Conſtantinopo„ lim, atque in nominato repoſuit Monaſte„ rio, ubi die ſequenti, jubente Principe, miſſi „ ſunt ad ſanctum virum Epiphanius, & Troi„ lus Patritii, quibus & comitatus eſt Theo„ doſius Epiſcopus.

647 Conſedentibus itaque præfatis Patritiis cum Theodoſio Epiſcopo, & Maximo, novum certamen initum eſt inter eos, conantibus Patritiis perſuadere Maximo, ut Typo Imperatoris ſubſcriberet, ac ita illius juſſa adimpleret. At reſiſtente Beatiſſimo Viro, & palàm fatente duas in Chriſto voluntates, duaſque operationes, irati abjerunt, nuntiantes Imperatori omnia. Redeuntes poſtea die XIII. Septembris, nimirum in vigilia Exaltationis Sanctæ Crucis majori cum ira, comitante eos Theodoſio Conſule, qui abſtulit à Sancto Viro quidquid habebat, adjecto ſermone: *Quia noluiſti honorem, prolongatus eſt à te*, dixerunt eidem Maximo: „ Quia „ modis omnibus adducemus etiam ambos „ Diſcipulos tuos, ideſt tàm eum, qui eſt „ Meſembriæ, quàm illum, qui eſt Perberis, „ & probabimus etiam ipſos, ac videbimus „ & ipſorum quoque proventum. Verumta„ men ut ſcias, Domine Abbas, quoniam ſi „ ſaltèm modicam requiem ſumpſerimus à „ confuſione Gentium, conjungi vobis ha„ bemus per Sanctam Trinitatem, & Papam, „ qui nunc eſt, tollemus, & omnes ibidem „ loquentes, & reliquos Diſcipulos tuos, & „ omnes vos conflabimus, unumquemque in „ apto ſibi loco, ut conflatus eſt Martinus. *Hæc illi*. Quibus verbis abſolutis, per Theodoſium Conſulem traditus eſt Militibus, ductuſque primùm in Salambriam, ubi per quemdam Militem diffamatus fuit, quia blaſphemaſſet in Sanctiſſimam Dei Genitricem, ut ſic in opprobrium cunctis redderetur: ſed ab hac infamia in eodem loco coràm Clero & populo ſe rectè purgavit: Et dùm ſancta verba annuntiaret & populo, & Militibus, juſſu Prætoris extra Caſtra miſſus eſt, & exinde aſportatus Perberis ad locum novi exilii.

648 At non contentus his, quæ in Maximum acta erant, Imperator iterùm à loco exilii Conſtantinopolim unà cum ſuis Diſcipulis Maximum adduci juſſit, ut produnt Acta ejuſdem Sancti Viri ex codice Vaticano exſcripta à Baronio & ſuis inſerta Annalibus, ad annum Domini DCLVII. à num. 3. In quibus hæc leguntur: „ Poſtquam verò multum temporis „ præterjiſſet, ac Sanctus eſſet in exilio, rur„ sùm miſit Imperator, eumque acceſſivit. „ Quo verò die ad hanc Urbem regiam appu„ lerunt tùm Dominus, tùm ejus Diſcipu„ li ſub occaſum Solis, venerunt duo Manda„ tores cum decem Excubitoribus, eoſque è „ Navigio eduxerunt nudos & incalceatos, ac „ disjunxerunt, & in diverſis excubiis custo„ dierunt. *Hæc Acta illa*. Sed poſt aliquot dies ad aliud certamen provocatus eſt Maximus, ut referunt eadem Acta, quoniam ductus in Palatium coràm univerſo Senatu, & multa turba, juſſus eſt in medio ſiſti, ubi introductis compluribus Satellitibus Satanę falſis teſtibus, atque iniquis accuſatoribus, de pluribus criminatus eſt, & præcipuè de proditione adversùs Imperium & Principem, plura hujuſmodi argumenta mendacia confingendo. Sed inter alia à quodam Gregorio, cujuſdam Photini filio, accuſatus eſt, quia Romę dixiſſet, Imperatorem non eſſe Sacerdotem; ſuper qua accuſatione mota eſt quæſtio, nùm Imperator eſſet Sacerdos: Id quod palàm negavit Maximus, rationibuſque probavit.

649 Poſt hæc dimiſſo Maximo, juſſus eſt ingredi ejus Diſcipulus: „ Illo foras ducto, „ *inquiunt Acta*, Diſcipulum ejus intromit„ tunt, ab eo poſtulantes; ut judicium fa„ ceret in præceptorem, ut qui Pyrrhum af„ flixiſſet. At ille ſedatâ voce ſic verum reſ„ pondit: *Nemo æquè honorem habuit Pyrrho,* „ *ac meus Magiſter*. Cùm igitur de multis in„ terrogatus non potuiſſet adduci, ut à de„ cente & religioſa voce, atque ab obſervan„ tia decederet, jubet eum Sacellarius co„ ràm jis, qui aderant, verberari: Quem pu„ gnis cædentes, ſeminecem fecerunt. *Hæc ibi*. At poſtero die ad occaſum Solis abjerunt ad Sanctum Maximum Troilus Patritius & Sergius Euphratas Regię Menſę Præfectus, & conſedentes exquiſierunt à Beato Viro, quoſnam ſermones tùm in Africa, tùm Romæ cum Pyrrho habuiſſet, & quibus argumentis perſuaſiſſet ei, ut proprium anathematizaret,

ſuoque aſſentiretur. Cui interrogationi reſpondens, argumenta, & rationes adduxit, quibus dogma Catholicum probatur de duabus operationibus, atque in Chriſto Domino voluntatibus. Interrogantibus illis, cur non communicaret Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, reſpondit: „ Quia Sanctas quatuor Synodos ejecerunt per novem Alexandriæ facta „ Capitula, & per Ecthesim proximè à Sergio in hac Urbe factam, & per Typum „ deinceps ſexta Indictione expoſitum: & „ quòd ea, quæ per Ecthesim dogmatizaverunt, per Typum repudiaverunt; ac ſe ipſos toties deſtruxerunt. *Hæc & alia Maximus*. Et poſt multam diſcuſſionem de duabus voluntatibus & operationibus in Chriſto, & diverſas altercationes, dimiſſus eſt Maximus.

650 Alio poſtea die, qui die Sabbati erat, ductus eſt in Palatium Maximus unà cum Anaſtaſio Diſcipulo, & coram univerſo Senatu & Thoma Patriarcha, ambos ſanctos viros examini ſubjecerunt. Primò interrogatus & Anaſtaſius, adversùs quem Conſtantinus quidam & Menas diverſorum Criminum Capita detulerant: ſed ſanctus vir, ut infames accuſatores rejecit. Exinde interrogatus nùm Typum anathematizaſſet, conſtanter reſpondit invictoque animo, ſe anathematizaſſe, & etiam libellum adversùs eum feciſſe. Et poſt varias alias interrogationes, & reſponſiones dimiſſus eſt. Converſis poſtea ad Maximum, Troilus Patricius ſic ad eum affatus eſt: „ Vide Abbas, dic veritatem, Dominus tui miſeretur: quandoquidem ſi in legitimam „ quæſtionem veniamus, & vel unum eorum „ Criminum, quæ tibi objecta ſunt, verum „ inveniatur; lex te interfecit. *Cui Sanctus* „ *Maximus dixit:* Jam dixi, & rurſum dico, „ tantum poſſibile eſſe, ut ex jis vel unum „ verum ſit, quantum, ut qui eſt Satanas, „ Deus ſit. Sed cum Deus non ſit nec eſſe „ poſſit, qui eſt Apoſtata; Crimina quoque „ hæc falsa ſunt, nec ſubſiſtunt. Attamen ſi „ quid jubetis facere, facite, Deum colens, „ non afficior injuria. *Hæc Maximus*.

651 Hinc Troilus, an Typum anathematizaverit, eum interrogavit, & affirmante Maximo, ſubjunxit, *ergo anathematizaſti quoque Imperatorem*. Cui Dei ſervus reſpondit. *Ego Imperatorem non anathematizavi, ſed chartam alienam ab orthodoxa & Eccleſiaſtica fide*. Subjungente inde Troilo, ubi Typum anathematizaſſet, reſpondit S. Abbas, *à Synodo Romana, in Eccleſia Salvatoris, & in Dei Genitricis*. Exinde Eparcus verba faciens interrogavit eum, an communicaret Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, negativè reſpondit, dans rationem, quoniam Synodos rejiciebat. Et poſt alia ſermonem fecit Sacellarius, eum interrogans, qua de cauſa Romanos diligebat, Græcos verò odio habebat: cui Sanctus Abbas dixit, neminem ſe odiſſe, Romanos diligere ut ejuſdem fidei, Græcos verò ut ejuſdem linguæ: Interrogatus poſtea ſuper ætate ſua, & ſui Diſcipuli, reſpondit, ſe habere annos ætatis ſeptuagintaquinque, Diſcipulum verò ſuum trigintaſeptem. Et poſtea habita quæſtione de Synodo Romana ſub Martino, quam nullam Græci deprædicabant, traditus eſt Maximus unà cum Anaſtaſio Diſcipulo Urbis Præfecto flagellandus.

652 Sic ergo habent Acta: „ Et quidem „ cum eos Urbis Præfectus ſibi traditos accepiſſet, atque in Prætorium adduxiſſet, „ primùm quidem Divinum Maximum diſtentum nervis duriſſimis juſſit verberari, „ non ſenectutem nefarius vir miſeratus, non „ membra ſquallida & rugis contracta, non „ corpus illud jejunio & laboribus conſumptum, adeoque crudeliter cædit, ut ob defluentis ſanguinis copiam ſubjectum pavimentum cruentaretur, caroque univerſa „ conſumeretur, nec unum membrum ſanum „ & integrum relinqueretur. Tum bellua ſe „ ad ejus Diſcipulum transferri, deinde ad „ ejus cognominem, Anaſtaſium itidem appellatum; multaſque eis plagas imponit, „ vibicibus corpora eorum replens; atque „ hic præcones adhibuit, qui dum flagellarentur, hæc clamarent: *Qui Regiis Sanctionibus non parent, & in contumacia perſiſtunt, digni ſunt, qui hæc patiantur*. Ac „ eos quidem ægrum tenuemque ſpiritum „ ducentes, in carcerem contruſerunt.

653 Sed quid poſtea? Eadem Acta ſubjungunt „ Poſtero verò die religioſum Virum „ unà cum Diſcipulo ſiſtunt, totum vibicibus exaratum, totum ſcatentem tumoribus, totum plagis inuſtum. Quin etiam „ cùm tot doloribus confectus eſſet, non tamen ſibi temperarunt, quin alia pejora ei „ facerent, naturam penitus aſpernantes: „ Linguam enim illam Theologam, quæque „ ſermonibus fluviorum inſtar ſcaturierat, à „ faucibus uſque & à contigua Epiglottide „ ſceleſtiſſimè præcidunt; ut vocis adempto „ inſtrumento, doctrina ei quoque & „ ſermones eriperentur, poſteaquam conticeſceret, & mutus eſſet. At verò, egregie Maxime, non eras vel linguâ exſectâ „ taciturnus. Verùm qui linguam perficit infantium, & muto, ſurdoque dedit ſermonem; ipſe fecit, ut præter opinionem loquereris, ſermoneſque emitteres magis, „ quàm antea articulatos.

654 „ Poſteaquam autem idem & Diſcipulo Anaſtaſio fecerunt, ejuſque linguam „ introrsùm præciderunt, eàdem ipſum corroboravit gratia, ſermonem dans abſque „ loquentis inſtrumento, eumque uberem „ inopinatò & copioſum. Quarè majori invidia ſceleſti homines perculſi, alium generoſis Athletis inuſitatiorem cruciatum „ inflixerunt; quaſi ſe injurios eſſe exiſtimarent, niſi omnem in eos acerbitatem experirentur: quos & multò ſatius erat, morte affe-

„ affectos tollere de medio, ſicut illis quoque
„ videbatur, quàm hujuſmodi ſuppliciis ad-
„ dicere: nam veſtibus tenuibus beatum com-
„ plentes, ac tormentis undique adhibitis,
„ ei cultro & malleo dexteram manum ab-
„ ſcindunt, & in pavimentum abjiciunt: con-
„ feſtimque certaminis ſocium Anaſtaſium
„ adeunt, idem ab eo ſupplicium expetentes,
„ ut paris gloriæ fructu omninò potiretur.

655 „ Hos linguâ & manu expertes eji-
„ ciunt è Prætorio, trahunt & circumducunt
„ per forum, excifa membra oſtentantes,
„ clamoribus utentes incertis, eoſque ludi-
„ briis & dicteriis appetentes. Tum poſt in-
„ honeſtam illam circumductionem, exilio
„ longinquo tradunt unà cum Apocriſario
„ Anaſtaſio, ab omni cura & ope deſertos, &
„ nudos ſine calceis, ſine cibo, omni vitæ fa-
„ cultate privatos, procul à mari propter
„ miſericordem hominum viſitationem, &
„ (quod omnium graviſſimum) inter ſe diſ-
„ junctos; hoc ſolùm facientes pulchrè San-
„ ctos Scelerati à ſe ſegregatos. *Hæc de* ſan-
„ cto illorum Martyrio in Regia Conſtanti-
„ nopolis Civitate. De eorum porrò exilio,
„ ac ultimo vitæ exitu, hæc ſubjungunt Acta.

656 „ Poſtquam autem, ut ſermo narra-
„ vit, in exilium Maximum deportarunt;
„ contigit, ut is in via multa pateretur,
„ multaſque ærumnas ſubiret, ac dolo-
„ res, utpote qui nec in jumento, nec in ſel-
„ la aut lectica ſedere poſſet, multis dolori-
„ bus confectus, ac innumeris afflictus an-
„ goribus. Eum igitur in quoddam grabba-
„ tum vimine contextum impònunt, ac vix
„ ægrèque geſtantes longo itinere abducunt.
„ Quem in quoddam Alaniæ Caſtello, quod
„ Schimaris appellatur, cuſtodiâ incluſum col-
„ locantes, ſinunt ab ope & cura deſertum.
„ Cumque præclarum ejus Diſcipulum cum
„ ejus cognomine, eodem itinere duxiſſent,
„ disjungunt, utrumque à præceptore, eoſ-
„ que etiam ab invicem dirimunt, ſingillatim
„ multa commutantes loca, & à longè in Ab-
„ ſagorum inducunt regionem. Ex his alter
„ multis incommodis feſſus, ipſum ſpiritum,
„ qui ſolus reliquus erat, emiſit: nec ſatis
„ ſcitur dies, quo diſceſſit è vita, ut ejus di-
„ xit cognominis Apocriſarius Anaſtaſius.
„ At Divino Maximo in Caſtello Alaniæ, jam
„ triennium concluſo, ſibimet in corporis
„ cura miniſtrans, quamvis plenus dierum
„ eſſet, ut dictum eſt, ac infirmo corpore,
„ divinam quoddam viſum ſupernè oblatum
„ eſt, mortis diem ei ſignificans, ad illa ac-
„ cerſens tabernacula. Qui dies cum veniſſet
„ (erat autem decimus tertius menſis Augu-
„ ſti) hæc dimittens percurrit ad Cœlos, re-
„ vera Cœlis & illa habitatione dignus. Mo-
„ numentum autem, in quo ſacrum ejus cor-
„ pus depoſitum eſt, tres lucidæ faces per
„ unam noctem ex tunc ſplendore illuſtrant,
„ mirificum quidem emittentes fulgorem, mi-
„ rabiliorem verò, ut par eſt, ſtuporem in-
„ tuentibus afferentes, mirificique Dei erga
„ famulum ſuum ditiſſimam oſtendentes gra-
„ tiam. *Hactenus Acta præcitata*.

657 Poſt hæc Thomas Patriarcha Con-
ſtantinopolitanus ubi ſediſſet annos duos, &
menſes ſeptem, ut in Chronico adnotat Ni-
cephorus, vivere deſiit: currente ſcilicet Do-
mini anno DCLVIII. Conſtantis Imperii an-
no XVII. Vitaliani verò Pontificatus anno IV.
Indictione prima: cui ſucceſſit Joannes Pre-
ſbyter, vel Diaconus ejuſdem Eccleſiæ Syn-
cellus, & cuſtos vaſorum: qui pariter in Actis
ſextæ Synodi prædicatur Catholicus: id quod
non approbat Baronius ad præcitatum annum
ſub numero primo, & ſecundo. Sub hoc Epi-
ſcopo, anno immediatè ſequenti, Conſtans
fratrem ſuum germanum Theodoſium, jam Dia-
conum conſecratum, Satana inſtigante, oc-
cidi juſſit, ut ſcribit Theophanes, inquiens:
„ Anno decimo octavo Imperii Conſtans ger-
„ manum ſuum fratrem Theodoſium interfe-
„ cit: quem quidem, offenſus ab eo antea,
„ operâ Pauli Patriarchæ attonſum Diaco-
„ num conſecrari voluiſſet: à quo miniſtrante
„ idem Imperator Sancto Sanguinis poculo
„ in Sacroſanctis Myſteriis impetitus fuiſſet.
„ *Hæc Theophanes*. Porrò altero anno, qui
fuit Domini DCLX. Imperii Conſtantis XIX.
Vitaliani Papæ VI. currente Indictione III.
Beatiſſimus Martyr Maximus in loco ſui exilii
ad ſuperos evocatus martyrium conſummavit,
prout ex antērelatis Actis liquet.

658 Triennio poſt, anno nimirum Domi-
ni DCLXIII. Pontificatus Vitaliani anno IX.
Indictione VI., qui erat Imperii Conſtantis
annus XXII. Romam venit Conſtans viſitatu-
rus Apoſtolorum limina, honorificè exceptus
à Vitaliano Papa: cujus adventum ſic Anaſta-
ſius in Vitaliani vita deſcribit: „ Hujus tem-
„ poribus venit Conſtantinus Auguſtus (*ſic*
„ *eum appellat*) de Regia Urbe per litoraria
„ in Athenas, & exindè Tarantum, inde Be-
„ neventum & Neapolim, per Indictionem VI.
„ Poſtmodum venit Romam, ideſt die v. men-
„ ſis Julii, Feriâ quartâ Indictione ſupraſcri-
„ pta, & occurrit ei obviam Apoſtolicus cum
„ Clero ſuo milliario ſexto ab Urbe Roma, &
„ ſuſcepit eum. Et ipſa die ambulavit Impe-
„ rator ad Sanctum Petrum ad orationem,
„ & donum ibi obtulit. Die Sabbati ad San-
„ ctam Mariam, itemque donum obtulit.
„ Dominico die proceſſit ad Sanctum Petrum
„ cum exercitu ſuo. Omnes cum cereis ex-
„ ierunt obviam ei, & obtulit ſuper Altare
„ illius pallium auro textile, & celebratæ ſunt
„ Miſſæ. Iterum Sabbati die venit Imperator
„ ad Lateranas, & lavit ſe, & ibidem pran-
„ ſit in Baſilica Julii. Item Dominico die fuit
„ Statio ad Sanctum Petrum, & poſt Miſſas
„ celebratas, valefecerunt ſibi invicem Impe-
„ rator & Pontifex, duodecim dies in Civitate
„ Romana perſeverans. *Hæc Anaſtaſius*.

659 Hujus peregrinationis cauſam conſignat Cedrenus, qui refert, quòd poſt necem fratris Thedoſii quietem ampliùs per noctes habere minimè potuit, ſibi apparente fratre Levitico induto habitu, ac in manibus habente poculum ſanguine plenum, eique porrigente ac dicente: *Bibe mi frater*; quare ejuſmodi viſione vexatum Imperatorem decreviſſe aliò abire, ſi fortè eam effugere potuiſſet, ſcribit idem Cedrenus; inquiens: „ Is ergò Theodoſius à morte ſua ab ipſo Conſtante crebrò per quietem viſus eſt habitu Diaconi, poculum ſanguine plenum porrigens, atque dicens: *Bibe, mi frater*. Ejus viſionis acerbitate victus infœlix Imperator, ſtatuit in Siciliam abire. Itaque in Urbe relinquens uxorem & tres filios, Celocem conſcendit. Cumque ſoluiſſet, converſus retrò Urbem Imperii Sedem conſpuit; ſed nè in Sicilia quidèm inſomnium illud vexare Conſtantem deſiit. Syracuſas ſibi delegit, ubi vitam ageret, ubi & ſtatuit Imperium Romanum transferre, cùm inviſus eſſet ob Monothelitarum hæreſim, aliaſque pravas de Religione ſententias. Miſit ergò qui uxorem & liberos adducerent; ſed hanc Bizantii cum liberis detinuerunt. *Hactenùs Cedrenus*.

660 Ejuſmodi verò ſeceſſionem in Siciliam eveniſſe poſtquàm ab Urbe Roma diſceſſerat, notat prælaudatus Anaſtaſius, qui loco mox relato ſubjungit: „ Omnia, quæ erant in ære ad ornatum Civitatis, depoſuit, ſed & Eccleſiam Beatæ Mariæ ad Martyres, quæ tegulis æreis erat cooperta, diſcooperuit, & in Regiam Urbem cum aliis diverſis, quæ depoſuerat, direxit. Et poſtmodùm ſecundâ feriâ egreſſus eſt de Civitate Romana, & reverſus eſt Neapolim. Inde Mari Tyrrheno perrexit Rhegium, ingreſſus Siciliam per Indictionem ſeptimam, & habitavit in Civitate Syracuſana. *Hæc Anaſtaſius*.

661 Sed cur Vitalianus tantâ cum humanitate hæreticum Imperatorem ſuſcepit? Cur nullâ Cenſurarum, quibus erat alligatus, tùm propter hæreſim, tùm propter impia geſta in Sanctum Martinum, atque in Beatiſſimum Maximum, ejuſque ſocios, factâ mentione, permiſerit intereſſe Miſſarum ſolemniis, neque abnuerit cum Principe hæretico & excommunicato, non pridèm reconciliato, in ſacris communicare? Reſpondet Baronius ad hunc eundem annum ſub num. 4. & 5. talia egiſſe Vitalianum divinitùs inſpiratum, ut ita veritati catholicæ fidei tutiùs conſuleret. Non enim eum, qui ſaltèm externè catholicum eſſe oſtendebat, conveniens erat exaſperare, nè cauſa fidei in pejus abiret. Optimè quoque norat Beatiſſimus Vitalianus, ab uno ſolo Imperatore pependiſſe, aut totius Orientis ſciſſionem ab Eccleſia Romana, aut cum ea unionem; quoniam communicante cum Eccleſia Romana Imperatore, viſum ſemper fuit communicaſſe quoque majori ex parte Orientales, & præcipuè Eccleſiam Conſtantinopolitanam. Neque in malum ceſſit hujuſmodi Vitaliani Oeconomia; quoniam præfatus Imperator uſque ad obitum ſuum ſimulavit ſaltèm ſe catholicum eſſe, nec Romanam Eccleſiam etſi aliundè crudeliſſimus, auſus eſt impoſterùm vexare.

662 Intereà tamen in Regia Conſtantinopolis Urbe prævalebat Monothelitarum hæreſis, quæ, ut viſum eſt in Actis Sancti Maximi, Senatores & Patritios, ac præcipuos de Clero Patronos habebat. Cùm verò Anno Domini DCLXIV., Indictione VII. ex hac vita migraſſet Joannes Epiſcopus Conſtantinopolitanus, cùm ſediſſet Annos V. & menſes IX., ut tradit Nicephorus in Chronico, datus eſt ei ſucceſſor Conſtantinus ejuſdem Eccleſiæ Diaconus Oeconomus & Vaſorum Cuſtos, quem catholicum fuiſſe non improbabile cenſet Baronius: Sed non diù Epiſcopatum tenuit; etenim poſt annum & menſes duos & dies ſeptem, ut ait idem Nicephorus, vivere deſiit; & in ejus locum ſubſtitutus eſt peſſimus hæreticus Monothelita, nomine Theodorus, Presbyter & ejuſdem Eccleſiæ Vaſorum Cuſtos: Hic ſedère cœpit Anno Domini DCLVI., Imperii Conſtantis XXV., & Vitaliani XII., currente IX. Indictione, & toto ſui Epiſcopatus tempore nil magis in corde habuit, quàm ſuam hæreſim promovere, nec tàm brevi tempore in Epiſcopali Sede vixit, cùm ferè in ea duodecimum annum compleviſſet in excidium catholicæ fidei.

663 Anno porrò Domini DCLXVIII., Imperii Conſtantis XXVII., & Vitaliani Pontificatus XIV., Indictione XI., Syracuſis in Balneo occiſus moritur prefatus Conſtans; neci autem ejus occaſionem præbuiſſe ſuam crudelitatem, ſuamque tyrannidem, ex iis, quæ ſcribit Anaſtaſius in vita Vitaliani, conjicere licebit; ait enim: „ Et habitavit in Civitate Syracuſana, & talem afflictionem poſuit in populo, ſeu habitatoribus vel poſſeſſoribus Provinciarum Calabriæ, Siciliæ, Africæ, Sardiniæ, per Diagrapha, ſeu Capita, atque navigationes per annos plurimos, quales à ſæculo nunquam fuerant, ut etiam uxores à maritis, vel filios à parentibus ſepararent, & alia multa inaudita perpeſſi ſunt, ut alicui ſpes vitæ non remaneret, ſed & Vaſa ſacrata vel Cimelia ſanctarum Dei Eccleſiarum tollentes, nihil dimiſerunt. Et poſtmodùm XV. die menſis Julii per XI. Indictionem prædictus Imperator in Balneo occiſus eſt. *Hæc Anaſtaſius*. Paulus Diaconus lib. 5. cap. XI. occiſum tradit Indictione XII. Poſt cujus necem Metius, qui ei rebellaverat, ſive Mezentius, ut alii vocant, genere Armenus, Imperator creatur. Sed Conſtantinus filius Conſtantis, co-

cognomento Pagonatus, aſſumptis Copiis, & profectus in Siciliam, inito cum Tyranno prælio, eum unà cum ſuis occidit, auxiliante Principi Vitaliano, ut idem Conſtantinus in literis datis ad Donum Papam infra recitandis, indicat per illa verba: *Hoc autem & propter collatam nobis charitatem ab eodem Vitaliano, dùm ſupereſſet in motione Tyrannorum noſtrorum*. Is ergò Princeps orthodoxam fidem profeſſus eſt, eamque in Oriente conſtabilire omni viâ curavit, prout ex infra dicendis palàm fiet.

CAPUT XIV.

De ſedato Schiſmate & damnatâ Monothelitarum hæreſi ſub Conſtantino Pagonato, & Agathone Romano Pontifice.

664 POſt Conſtantis necem & firmatum Conſtantini Pagonati Imperium, Vitalianus Papa ad Deum migravit Anno Domini DCLXIX. ejuſdem Conſtantini currente Anno II. ſui Imperii, Indictione XII. die VI. Kal. Februarias, ubi ſediſſet Annos XIII., menſes IV. & dies XXVI., licèt Anaſtaſius ſcribat, ſediſſe Annos XIV. & menſes VI. Et poſt menſes duos, ſecundùm eundem Anaſtaſium, & dies XIII., univerſo ſuffragante Clero, & communi totius populi gaudio, renunciatus eſt Romanus Pontifex Adeodatus, natione Romanus, ex Monachis de patre Joviniano, ut idem inquit Anaſtaſius, vir quidem mitiſſimus & benigniſſimus, ac proinde à majori uſque ad minimum cunctis charus & acceptus. Sub quo Pontifice Civitas Conſtantinopolitana integro biennio paſſa eſt Saracenorum obſidionem, liberatam denique Dei Genitricis auxilio. Cæterùm quidquid egerit in cauſa Monothelitarum hereticorum altum eſt ſilentium, monumentis geſtorum ejus temporis injuriâ deperditis. Vixit in Pontificatu Annos VII. menſes II. dies verò XVII., obiitque in Domino Anno ſalutis DCLXXVI., Imperii Conſtantini Pagonati Anno IX., Indictione IV., die verò VI. Kalendas Julias. In aliquibus tamen Anaſtaſii Codicibus legitur vixiſſe in Pontificatu Annis dumtaxat quatuor, ſed verior lectio eſt, ſediſſe, ut dictum eſt, Annos ſeptem; cui datus ſucceſſor Donus, quem alii Domnum, alii Domnionem appellant, natione Romanus, ex patre Mauritio, ut ſcribit Anaſtaſius, creatus in ipſis Kalendis Novembris ejuſdem Anni, vacatâ jam Sede menſibus IV. diebus verò VI.

665 De hujus Pontificis electione perlatâ Conſtantinopolim notitiâ, Theodorus illius Eccleſiæ Epiſcopus & hæreticus Monothelita, intermiſſis, quas de ſua ordinatione ſcribere ad eum debebat, literis Synodalibus, miſit dumtaxat Epiſtolam hortatoriam, qua petebatur, ut tandèm aliquandò concordia inter Orientalem & Occidentalem Eccleſiam ſanciretur, ut ex litera Conſtantini ad eundem Donum datâ perſpicuum fit. Cùmque Imperator bellicis curis ſolutus eſſet, pace cum Saracenis initâ, ad Eccleſiæ pacem reſtituendam animum adjecit, licèt reſiſtentibus Theodoro Patriarcha Conſtantinopolitano, & Machario Antiocheno, qui, excepto Honorii nomine, quem pro Monotheliti s ſteтiſſe mentiebantur, aliorum Romanorum Pontificum nomina nequaquam in ſacris Diptycis recitanda aut retinenda eſſe contendebant: At eorum audaciæ repugnante Principe, coacti ſunt ei aſſentiri, ut Vitaliani nomen, aliorumque Romanorum Pontificum omninò retinerentur, atque in ſacris Diptycis recitarentur. Verùm ſceleſti illi hæretici promiſſis minimè ſteterunt, & inſcio, vel Imperatore invito, Vitaliani nomen prorsùs è Diptycis amoverunt atque ejecerunt. Quo comperto, Imperator, offenſus ex hac Theodori temeritate, juſtè irâ ſuccenſus, eum ab Epiſcopali Sede amovit, ſuffecto ejus in locum Georgio, qui & ſextæ Synodo interfuit. Ejectus eſt à ſua Sede impius Theodorus Anno Domini DCLXXVIII., Imperii Conſtantini XI., Indictione VI., ad extremum Pontificatus Domni, cùm ſediſſet, ut ſupra monuimus, Annos duodecim & menſes tres, non Annos duos, ut corruptè legitur apud Nicephorum in Chronico. Et hoc eodem anno Imperator pro componenda Eccleſiarum pace literas fecit ad Donum Papam, in quibus continentur & ea, quæ ſupra præfati ſumus. Extant ejuſmodi literæ in Actis ſextæ Synodi relatæ ante primam Actionem, quæ ſic ſe habent.

In nomine Domini Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, Imperator Flavius Conſtantinus, fidelis, magnus Imperator, ſacra Dono Sanctiſſimo Archiepiſcopo antiquæ noſtræ Romæ & univerſali Papæ.
Data pridie Idus Auguſti Conſtantinopoli, Indictione ſexta.

666 „ Per omnia novit veſtra paterna „ Beatitudo, & plures veſtræ ſanctæ Eccleſiæ „ antiquæ Romæ, quia ex quo juſſit Deus „ principaliter nos imperare, dùm voluiſſent „ multotiès quidam motionem facere de verbis, de quibus eſt contentio pro dogmate „ pietatis inter partes tàm ſanctæ veſtræ Eccleſiæ, quàmque hujus ſanctæ magnæ Dei „ Eccleſiæ, ut ambigerent, & hoc prohibuimus fieri tempore non admittente, cognoſcentes, quòd ex particulari contentione non ſolùm unitas fieri non poſſet, ſed „ magis malum accreſceret. Et licèt animo „ doleremus ultra omnem dolorem, tàm pro ex-

„ exprobratione, quæ nobis ob hoc ab inimicis inferebatur, & propter ipſam veritatem, quòd Pontifices ſecundùm vos, & orthodoxus noſter populus propter quaſdam novitates vocum in ſchiſma incidiſſet, exultatioque ex hoc fieret impiis & hæreticis; attamen Deo noſtro commiſimus, ipſo pro nobis potiora providente, & dùm ejus benignitas juſſerit correctionem hujus rei fieri, tunc nobis condonare opportunitatem temporis ad generalem collectionem faciendam utrarumque Sedium. Quatenùs conſiderantibus eis definitiones ſanctarum quinque Synodorum & editiones Sanctorum probabilium Patrum, ſatiſfacerent ſibimetipſis, & convenirent in uno ore, unoque corde, ad glorificandum honorificum nomen Dei noſtri.

667 „ Sed quoniam ſicut homines cogitamus, ſicut autem jubet Deus, omnia perficit; ipſe enim novit futura & quæque nobis expediunt, ſic ei placitum eſt, ut ad effectum perducantur: cognoſcere facimus veſtram paternam Beatitudinem, quòd dùm ordinatus eſſet Theodorus Sanctiſſimus & Beatiſſimus Patriarcha à Deo conſervandæ hujus Regiæ noſtræ Urbis, ſuggeſſit noſtræ Serenitati ſuſpectum ſe eſſe, dirigere conſueta Synodica ad veſtram paternam Beatitudinem, nè forſan non recipiantur, ſicut & ſub prædeceſſoribus ejus Patriarchis factum eſt; Sed quia magis prævidit adhortatoriam Epiſtolam facere ad veſtram paternam Beatitudinem, quam & direxit, ejus per omnia ſcientiam habet veſtra paterna Beatitudo, & non prævidimus per præſentem noſtram piam Sacram, de hujuſmodi Epiſtola uti multiloquio.

668 „ Sed poſteaquàm directa eſt eadem Epiſtola ad veſtram paternam Beatitudinem, interrogavimus eundem Sanctiſſimum & Beatiſſimum Patriarcham, & Macharium Sanctiſſimum & Beatiſſimum Patriarcham Civitatis Theopolitanæ, quænam eſſet difficultas, quæ pervenerat inter veſtram paternam Beatitudinem, ſeu veſtram Apoſtolicam Sedem, & ipſos, olim omnibus expletis, quæcumque ſunt de immaculata noſtra & incommutabili Chriſtianorum fide, tàm per doctrinam Sanctorum Apoſtolorum, quàmque per definitiones Sanctorum quinque Synodorum & doctrinam Sanctorum ac probabilium Patrum, & omnibus hæreſibus jam manifeſtatis atque condemnatis, & nullo deinceps remanente modo, quo poſſit diviſio aut ſchiſma ſanctæ & immaculatæ noſtræ fidei inferri. Satisfecerunt nobis iidem ipſi Sanctiſſimi Patriarchæ, quòd verba quædam novitatis intromiſſa ſunt, aliquibus quidèm ex imperitia hæc introducentibus, aliquibus verò incongruè ſcrutantibus incomprehenſibilia opera Dei; & quia ex quo hæc verba moveri cœperunt, & uſque hactenùs utraque Sedes inter ſe minimè convenerunt, ut inquirentes ſibimet ſatisfacerent pro veritate.

669 „ Propter viles igitur inquiſitiones non ſit infinita contentio, nè nobis inſultent Pagani & Hæretici, neque in nobis uſquequaque locum accipiant ſemina adverſarii. Cadens namque ab humano genere, quod ei ſerviebat, & confuſus per apparitionem Domini noſtri, propterea non quieſcit hæc ad ſuam conſolationem facere; ſed per gratiam Domini noſtri Jeſu Chriſti, veri Dei noſtri, etiam in his confundatur per ſtudium veſtræ paternæ Beatitudinis, & ſecundùm quod ſcriptum eſt, deponentibus nobis omnem zelum & omnem contentionem omnemq; invidiam, veritati concurramus. Veritas enim Deo chara eſt; & ſecundùm Domini vocem, quicumque voluerit omnium primus eſſe, ſit omnium miniſter. Et iterùm dictum eſt: *In hoc cognoſcent omnes, quia mei eſtis Diſcipuli, ſi dilectionem habueritis ad invicem*.

670 „ Poſteaquàm igitur tempus non recipit perfectam Congregationem fieri, adhortamur veſtram paternam Beatitudinem per præſentem noſtram piam Sacram dirigere Viros utiles ac modeſtos, notitiam habentes totius à Deo inſpiratæ doctrinæ, & peritiam irreprehenſibilem habentes dogmatum, indutos perſonam veſtræ Apoſtolicæ Sedis, ejuſque Concilii deferentes & libros, qui oportent proferri; & omnem auctoritatem habentes, quatenùs convenientes cum hìc poſito Sanctiſſimo ac Beatiſſimo Patriarcha, & Machario Sanctiſſimo Patriarcha Theopolitanæ Civitatis, perſcrutentur cum omni manſuetudine & modeſtia, & per gratiam Sancti Spiritus veritati inſiſtere & conſentire, munitionem habentibus eis, qui hùc advenerint ex parte Sedis veſtræ per præſentem noſtram piam Sacram. Per Deum enim omnipotentem non eſt apud nos partis cujuſlibet favor, ſed æqualitatem utriſque partibus conſervabimus, nullatenùs neceſſitatem facientes in quocumque Capitulo eis, qui à vobis dirigantur quoquomodò; ſed & omni honore cum competenti munificentia & ſuſceptione dignos eos habebimus. Et ſi quidèm utrique convenerint, & benè: Sin autem minimè convenerint, iterùm cum omni humanitate eos ad vos dirigemus.

671 „ De cætero nos excuſantes in judicio Dei imminente nobis, juxta quod conſtituti ſumus ſervare fidem ſanctam & immaculatam, quam percepimus, unoquoque proprio ſenſu abundante, & rationem redditura ante ſanctum & terribile Tri-

„ Tribunal Dei noſtri. Invitare enim & rogare poſſumus ad omnem emendationem & „ unitatem omnium Chriſtianorum, neceſſitatem verò inferre nullatenùs volumus. „ Perſonas verò, quæ dirigentur à paterna „ veſtra Beatitudine ita decernet; ex veſtra „ quidèm ſancta Eccleſia (ſi utique videtur „ ei) tres perſonæ ſufficiant; quòd ſi & plures, quantæ ei placuerunt, dirigat. De „ Concilio verò uſque ad duodecim Metropolitas & Epiſcopos. De quatuor verò „ Monaſteriis Bizantinis, ab unoquoque Monaſterio Monachos quatuor; Nam ſi reciperet tempus, ut dictum eſt, & perfectam „ Congregationem ſtuduiſſemus facere: Sed „ quoniam tempus non admittit, Deus autem noſter proprio conſilio protulit, quod „ nos differebamus, in hoc tempore per omnia volumus veſtram paternam Beatitudinem minimè effici impedimentum voluntati Dei, ſed eos dirigere. Sic enim ſperamus in ejus benignitate, quoniam qui voluit hujuſmodi Capitulum moveri in præſenti, per Spiritum Sanctum concedere „ habet, ut veritas clareat, & inſtruantur „ omnes ſinè ſchiſmate atque contentione „ veritatem profiteri, & uno ore, unoque „ corde glorificare nos omnes ejus benignitatem.

672 „ Tacere quippe hoc, terribile æſtimavimus, ut nè plebs, quæ ut ſanctificetur, accedit ad ſanctas Dei Catholicas & „ Apoſtolicas Eccleſias, contrariis occupationibus occupetur, conſiderans Antiſtitum ad invicem diſſonantiam. Multam „ enim nobis inſtantiam fecerunt tàm hìc „ Sanctiſſimus ac Beatiſſimus Patriarcha, „ quàmque Macharius Sanctiſſimus Patriarcha Theopoleos, ut ejiceretur Vitalianus „ Beatiſſimus de Diptycis, aſſerentes Honorium memorari in Diptycis propter honorem Apoſtolicæ antiquæ noſtræ Romæ; „ Nam non acquieſcere, ut memorentur Patriarchæ, qui poſtmodùm fuerunt in prædicta Sancta Romana Eccleſia, donec conquiſitio & ſatisfactio proveniat verborum, „ de quibus contenditur inter utraſque Sedes, & ita veſtra paterna Beatitudo conſequenter memoretur: Sed hoc nos non „ acquievimus, ideſt, ut ejiceretur idem Vitalianus de Diptycis; hoc quidèm, utpotè „ omnem æqualitatem ſervantes, & utroſque orthodoxos habentes; hoc autem & „ propter collatam nobis charitatem ab eodem Vitaliano, dùm ſupereſſet in motione Tyrannorum noſtrorum. Sed ſic polliciti ſumus prædictis Sanctiſſimis Patriarchis, quòd per ómnia dirigit veſtra Beatitudo homines, qui debeant conquirere cum „ ipſis; & tunc ſecundùm quod claruerit, „ perfecta diſpoſitio fiet; Nam ante hoc nullo modo nos acquieſcere, ut idem Beatiſſimus Vitalianus ejiciatur.

673 „ Hæc cognoſcens veſtra paterna „ Beatitudo ſtudeat ſequi voluntatem Dei. „ Sicut enim prædictum eſt, ſpem habemus „ in coronatore noſtro Deo, quia dùm præviderit ſuper hoc ferventem noſtrum affectum, ejus benignitas etiam ingruentes nobis perturbationes gentium ſedabit. Omnem verò concurſum venientibus juſſimus „ præbere. Theodorum glorioſum Patritium „ & Exarchum Chriſto amabilis noſtræ Italiæ Provinciæ tàm in navi, quàmque in expenſis, & omni utilitate eorum; & ſi neceſſitas exegerit, etiam caſtellatos Dromones præbere ad eorum munimen, ut ex „ omnibus illæſi, & ſine periculo (Deo cooperante) iidem ad nos perducantur. *Subſcriptio*. Divinitas te ſervet per multos annos, Sanctiſſime ac Beatiſſime Pater. *Hactenus Sacra Conſtantini ad Donum Papam*.

674 Sed hac eàdem ſextâ Indictione ad Dominum migravit Donus Papa, ubi ſediſſet Annum I. menſes v. & dies x., ut notat Anaſtaſius, quamvis alii in ea verſentur ſententia, ipſum ad aliquot menſes ampliùs Sedem propagaſſe, propter ſupra recenſitã Conſtantini Epiſtolam datam ad eundem Pontificem Pridie Idus Auguſti; quoniam non videtur probabile, ut poſt menſes quatuor obitus Romani Pontificis Imperatorem adhùc latuerit. Vacaſſe Sedem menſes duos, & dies quindecim Anaſtaſius ſubjungit, indèque electum in Romanum Pontificem Agathonem, natione Siculum, ex Monachis, cujus benignitatem, manſuetudinem, hilaritatem atque jucunditatem plurimùm commendat. Itaque Agathonis electio contigit Anno Domini DCLVIII., Conſtantini Pagonati Imperii Anno XI., Indictione vi. Et cùm literæ antefatę ejuſdem Imperatoris poſt Doni obitum Romam perveniſſent, electo jam Agathone, ad ipſum Agathonem redditæ fuerunt, teſte eodem Anaſtaſio, qui in Agathone ait: „ Hic „ ſuſcepit divalem juſſionem piiſſimorũ Principum Conſtantini, Heraclii, & Tiberii „ Auguſtorum per Epiphanium glorioſum à „ Secretis, miſſam prædeceſſori ſuo Dono „ Papæ, invitantem atque adhortantem, ut „ debeat Sacerdotes, vel Miſſos ſuos dirigere „ in Regiam Urbem pro adunatione facienda ſanctarum Dei Eccleſiarum, quod & ordinare non diſtulit.

675 Intereà cognitâ ab Epiſcopis Occidentalibus per antefatas literas Imperatoris mente, de cogenda Generali Synodo in cauſa Monothelitarum; & quòd à Sede Apoſtolica poſtulaſſet, qui ejuſdem Sedis nomine & intereſſent, & loco Romani Pontificis eidem præeſſent Synodo, curarunt, ut habitis Provincialibus, ſive Nationalibus Synodis, catholicâ comprobatâ atque confirmatâ fide, novitas Monothelitarum, ſive hæreſis, prorſùs damnaretur; ut indè ſententia eorum in ea controverſia ex Synodicis mittendis ad

Generale Concilium, univerſis illius Patribus pateret, & ipſimet Imperatori. Proindè anno Domini DCLXXIX. Imperii Conſtantini XII. Indictione VII. qui fuit annus II. inchoatus Agathonis Papæ, Inſubres, ſub Modeſto Epiſcopo Mediolanenſi, tunc temporis ſanctitate & virtute præclaro, àtque magni nominis, & celebris famæ viro, coactâ plurium Epiſcoporum Synodo, præfatam hæreſim, cunctis conſentientibus, damnavit, & editâ fidei expoſitione, unà cum Epiſtola Synodica à Damiano Ticinenſi Epiſcopo, tunc etiam celeberrimo nomine Manſueti, ut ait Paulus Diaconus lib. 6. Cap. 4. ſcriptâ, cujus initium eſt, *Si apicem Imperialis faſtigii*; remiſit ad ipſum Imperatorem, quæ quidèm fidei explanatio, ad hunc modum ſe habet.

Expoſitio fidei Patrum Mediolanenſis Synodi.

676 „ Profitemur nos credere indiviſibilem Sanctam Trinitatem, hoc eſt, Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, unum Deum, ità unum, ut trinum, & ità trinum, ut unum: Trinitatem in diſtinctis, atque diſcretis perſonis, hoc eſt, Patrem, ex quo omnia; Filium, per quem omnia; Spiritum Sanctum, in quo omnia, unius tamen Divinitatis, unius eſſentiæ, uniuſque ſubſtantiæ, in tribus quidem ſubſiſtentiis ſeu perſonis, ut Pater, Pater ſit: Filius, Filius ſit; Spiritus Sanctus, Spiritus Sanctus ſit: in una natura, unaque ſubſtantia, ut Deus unus, & ſolus, & ſummus credatur: non tres introducentes, ut Arius blaſphemat, qui tres Deos prædicavit, excellentiorem, minorem, & inferiorem. Nos verò Sanctam Trinitatem in unitate, & unitatem in Sancta Trinitate confitemur. Nam cùm dicimus Omnipotentem Patrem, appellatio hujus paterni nominis ad filii perſonam intenditur: & cùm dicimus æternum Filium, ad æterni Patris perſonam refertur: & cùm nominamus Spiritum Sanctum, ab æterni Patris perſona eum procedere, monſtramus.

677 „ Cùm autem dicimus Deum Patrem Omnipotentem, non poteſt hujus nominis evacuari Sacramentum. Quià cùm dicimus Patrem, Filium demonſtramus: & cùm dicimus Filium, Patrem declaramus; & cùm dicimus æternum Patrem, æternum Filium demonſtramus. Nàm ſi non invenimus initiùm vocabuli hujus paterni nominis, quando Pater ſit dictus, conſequenter oſtenditur, quia nec initium geniti reperimus. Obſecramus, ut detur nobis ratio, quando Pater hoc vocabulum, ut Pater vocaretur, ſortitus eſt; ſi in tempore, ſi extra tempus, dicat nobis aliquis, quando primitùs cœperit appellari: & ſi potuerit hoc approbare, nulla erit dubietas ex illo initio paterni nominis, filium initium accepiſſe, quo Pater nominatus eſt. Et ſi defecerit, imò quia deficit; nec poterit approbare, nec dare initium paterni nominis, quando Pater eſſe cœperit; Profiteatur ergo nobiſcum Sanctam Trinitatem coeſſentialem, atque conſubſtantialem, nec Patrem ante Filium, nec Filium poſt Patrem, nec Spiritum Sanctum inferiorem fuiſſe, quià dùm initium paterni nominis non invenitur, neſcimus qua ratione Filio initium adſcribatur. Quia cùm dicimus ſempiternum Deum Patrem, ſempiternum Deum Filium oſtendimus. Ideò Sanctam Trinitatem in una natura, unaque eſſentia atque ſubſtantia, & tribus ſubſiſtentiis, ſivè perſonis profitemur.

678 „ Credimus autem ipſum Dei Verbum, hoc eſt, Filium Patris ſinè initio genitum: eundem unum ex tribus ſubſiſtentiis, de Sancta Trinitate, æternum Filium, pro diſpenſatione facta pro nobis & noſtra ſalute deſcendiſſe de Cœlis, incarnatum Verbum Dei & hominem factum intra Virginis uterum, uniens ſibi noſtræ naturæ veritatem, ex Sancta & Glorioſa Dei Genitrice Maria Virgine, perfectus Deus, & perfectus homo in duabus naturis, Divinitatis ſcilicèt, atque humanitatis; conſubſtantialis Deo Patri ſecundùm Divinitatem, & conſubſtantialis idem ipſe nobis ſecundùm humanitatem, non in duos Filios diviſus, ſed unus & idem Dei & hominis Filius, in veritate duarum naturarum: in una ſubſiſtentia ſivè perſona, Divinitatis videlicèt & humanitatis unitione facta, ut ex duabus perfectis naturis non duo Filii, ſed unus idem Dei & hominis Filius, permanens quod erat, cœpit eſſe quod non erat, dùm ſinè initio æterni Patris Filius, factus eſt hominis Filius. Ideò & unus eſt Dominus Noſter Jeſus Chriſtus habens in ſemetipſo perfectionem divinæ naturæ, & perfectionem humanæ naturæ, & eſt unigenitus quidem & Verbum; utpote ex Deo Patre natus & primogenitus in multis fratribus; Filius enim Dei Filius hominis factus eſt. Undè & duas Nativitates ejuſmodi ipſius unigeniti Dei Verbi confitemur; antè ſæcula quidèm ex Patre incomparabiliter unam, in ultimis autem diebus, ejuſdem ipſius incarnati alteram de Sancta Glorioſa Dei Genitrice, & ſemper Virgine Maria, qui de Patre ſplenduit ſupra intellectum, de Matre ortus eſt ſupra rationem, & cùm Deus verè eſſet, factus eſt verè homo.

679 „ Ideò propriè & verè Dei Genitricem Sanctam & Glorioſam, & ſemper Virginem Mariam confitemur, non quià Deus Verbum initium ex ipſa accepit, ſed quòd in ultimis diebus unigenitus Deus Verbum, qui antè ſæcula erat, incarnatus ex ipſa

mi-

„ mirabiliter homo factus eſt, & cùm inviſi-
„ bilis in ſuis eſſet, viſibilis factus eſt in no-
„ ſtris: & cùm impaſſibilis Deus eſſet, non
„ dedignatus eſt, paſſibilis homo eſſe: & im-
„ mortalis, mortis legibus ſubjacere. Ipſum
„ autem Deum & Dominum, qui in Bethle-
„ hem ſecundùm carnem natus eſt & ſimilis
„ factus eſt hominibus, abſque peccato, &
„ crucifixus eſt pro hominibus ſub Pontio
„ Pilato, ipſum confitemur Deum, ipſum
„ hominem, ipſum filium Dei, ipſum filium
„ hominis, ipſum de Cœlo, ipſum de Terra,
„ ipſum impaſſibilem, ipſum paſſibilem.

680 „ Deus enim verus, qui natus ex
„ Deo Patre ineffabiliter, inenarrabiliter,
„ incomprehenſibiliter, ipſe in tempore na-
„ tus eſt de Sancta Virgine Maria: idem
„ ipſe Dominus Noſter Jeſus Chriſtus, unus
„ de Sancta Trinitate conglorificandus eſt
„ cùm Patre & Spiritu Sancto: nec enim
„ quartæ perſonæ adjectionem ſuſcepit San-
„ cta Trinitas: duas autèm naturas in una
„ perſona divinitatis & humanitatis incon-
„ fusè, incommutabiliter Dominum No-
„ ſtrum Jeſum Chriſtum habere, veraciter
„ confitemur: Ità quoque & duas naturales
„ voluntates, & duas naturales operationes
„ habere, utpote perfectum Deum, & per-
„ fectum hominem, unum eundemque ipſum
„ Dominum Noſtrum Jeſum Chriſtum pieta-
„ tis nos regula perſtruit, ipſum natum, ip-
„ ſum paſſum, ipſum crucifixum, ipſum ſe-
„ pultum, eundem ipſum reſurgentem, & in
„ Cœlos aſcendentem, ad dextram Patris ſe-
„ dentem, & ad vivos & mortuos judicandos
„ venturum, cujus regni non erit finis. *Ha-
ctenus explanatio fidei*, appoſita ad calcem
præcitatæ Epiſtolæ datæ ad Conſtantinum
apud Labæum tom. 6. Concil. pag. 604.

681 Sed & in Anglia aliam Synodum
Congregatam tradit Beda lib. 4. hiſt. Cap. 17.
his verbis: „ His temporibus audiens Theo-
„ dorus, fidem Eccleſiæ Conſtantinopoli per
„ hæreſim Eutychetis multùm eſſe turbatam,
„ & Eccleſias Anglorum, quibus præerat,
„ ab hujuſmodi labe immunes perdurare deſi-
„ derans, collecto Venerabilium Sacerdotum,
„ Doctorumque plurimorum cœtu, cujus eſ-
„ ſent fidei ſinguli ſedulus inquirebat, om-
„ niumque unanimem in fide Catholica repe-
„ rit conſenſum. Et hunc Synodalibus lite-
„ ris ad inſtructionem memoriamque ſequen-
„ tium commendare curavit. *Hæc Beda.* Erat
tunc temporis in Anglia Theodorus Epiſco-
pus Dorovernenſis natione Græcus, vir ejus
ſæculi rudioris doctiſſimus, peritiâque ſacra-
rum literarum celeberrimus, hunc per Joan-
nem Abbatem Monaſterii Sancti Martini
Agatho Papa ad Synodum Romæ celebran-
dam vocaverat: ſed cùm non liceret ipſi coa-
leſcentem Eccleſiam ſuam, atque lacte adhùc
opus habentem deſerere, placuit Synodali
Conventu fidem ſuam explanare, ſicque ex-
planatam, ad Romanam Synodum tranſmit-
tere, facta legatione Walfrido Abbati, qui
nomine ſuo, & nomine univerſæ Eccleſiæ An-
glicanæ Synodo Romanæ intereſſet. Vocatum
ergò ab Agathone, & expectatum, tradit
idem Pontifex in Epiſtola Synodica, data ad
Imperatorem, per illa verba. *Sperabamus
deindè de Britannia Theodorum conſamulum,
atque Coepiſcopum noſtrum, magnæ Inſulæ Brit-
tanniæ Archiepiſcopum & Philoſophum, cum
aliis, qui ibidem uſque hactenus commoran-
tur.*

682 Porrò prælibata Synodus Anglicana
Hedtfeldæ celebrata fuit Indictione VIII., ut
præſefert Actorum illius inſcriptio, ſicque an-
no Domini DCLXXX. Imperii Conſtantini
Pagonati anno XIII. & currente anno III. Pon-
tificatus Agathonis: cujus Actorum fragmen-
ta continentia fidei expoſitionem, idem Beda
loc. mox cit. recenſet ad hunc modum ſe ha-
bentia.

683 „ In nomine Domini Noſtri Jeſu
„ Chriſti Salvatoris, imperantibus Dominis
„ piiſſimis noſtris Ecgfrido Rege Humbronen-
„ ſium, anno X. regni ejus, ſub die XV. Ka-
„ lendarum Octobris, Indictione VIII. &
„ Edilfredo Rege Extranglorum, anno XVII.
„ regni ejus, & Lodthario Rege Cantuario-
„ rum, regni ejus anno VII., præſidente ip-
„ ſo Theodoro, gratia Dei Archiepiſcopo
„ Britanniæ Inſulæ, & Civitatis Dovernis,
„ unà cum eo ſedentibus cæteris Epiſcopis
„ Britanniæ Inſulæ viris Venerabilibus, præ-
„ poſitis Sacroſanctis Evangeliis, in loco,
„ quem Saxonico vocabulo Hedtfelt nomi-
„ nant, pariter tractantes, fidem rectam &
„ orthodoxam expoſuimus, ſicut Dominus
„ Noſter Jeſus incarnatus tradidit Diſcipulis
„ ſuis, quòd præſentialiter viderunt & au-
„ dierunt ſermones ejus, atque Sanctorum
„ Patrum tradidit Symbolum, & generaliter
„ omnes Sanctę, & univerſales Synodi, & omnis
„ probabilium Catholicæ Eccleſiæ Doctorum
„ Chorus.

684 „ Hos itaque ſequentes nos piè, at-
„ que orthodoxè, juxta divinitùs inſpiritam
„ doctrinam eorum, profeſſi credimus, con-
„ ſtanter & confitemur, ſecundùm Sanctos
„ Patres propriè & veracitèr, Patrem Filium
„ & Spiritum Sanctum, Trinitatem in unita-
„ te conſubſtantialem, & unitatem in Trini-
„ tate, hoc eſt, unum Deum in tribus ſub-
„ ſiſtentiis, vel perſonis conſubſtantialibus,
„ æqualis gloriæ & honoris. *Et poſt multa
„ hujuſmodi, quæ ad rectæ fidei confeſſionem
„ pertinebant, hæc quoque Sancta Synodus
„ ſuis literis addidit.*

685 „ Suſcipimus ſanctas, & univerſa-
„ ſales quinque Synodos, beatorum & Deo
„ acceptabilium Patrum, ideſt, qui in Ni-
„ cæna congregati fuerunt, trecentorum de-
„ cem & octo contra Arium impiiſſimum, &
„ ejus dogmata. Et in Conſtantinopoli cen-

„ tum quinquaginta, contrà veſaniam Macedonii & Eudoxii, & eorum dogmata. Et in Epheſo primò ducentorum contrà nequiſſimum Neſtorium & ejuſdem dogmata. Et in Calchedone ducentorum & triginta contrà Eutychem & Neſtorium, & eorum dogmata. Et iterùm in Conſtantinopoli, quinto congregati ſunt Concilio in tempore Juſtiniani Minoris, contrà Theodorum & Theodoretum, & Ibæ Epiſtolas, & eorum dogmata contrà Cyrillum. *Paulò poſt.* & Synodum, quæ facta eſt in Urbe Roma tempore Martini Papæ Beatiſſimi, Indictione VIII. Imperante Conſtantino piiſſimo anno IX.

686 „ Suſcipimus & glorificamus Dominum Noſtrum Jeſum Chriſtum, ſicut illi glorificaverunt, nihil addentes vèl ſubtrahentes, & anathematizamus corde & ore, quos anathematizaverunt, & quos ſuſceperunt ſuſcipimus, glorificantes Deum Patrem ſinè initio, & Filium ejus unigenitum ex Patre generatum antè ſæcula, & Spiritum Sanctum procedentem ex Patre & Filio inenarrabiliter, ſicut prædicaverunt hi, quos memoravimus ſupra, Sancti Apoſtoli, & Prophetæ & Doctores, & nos omnes ſubſcribimus, qui cum Theodoro Archiepiſcopo fidem Catholicam expoſuimus, „ *Hactenus expoſitio fidei præfatæ Synodi ex* „ *Beda*, quæ exſcripta habetur apud Labæum tom. 6. cit. pag. 577. Cujus exemplar à Theodoro Romam tranſmiſſum, ut ſupra innuimus, author eſt idem Beda lib. 4. cit. cap. 18., inquiens: „ Tales namque eo tempore Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ fidem multùm turbaverant, ſed Domino donante, proditi jam ſunt & victi ſunt; Undè volens Agatho Papa, ſicut in aliis Provinciis, ità etiam in Britannia, qualis eſſet Status Eccleſiæ, quomodò ab hæreticorum contagiis caſtus, ediſcere, hoc negotium Reverendiſſimo Abbati Joanni in Britanniam deſtinato injunxit. Quamobrem collectâ pro hoc in Britannia Synodo, quam diximus, inventa eſt in omnibus fides Catholica inviolata, datumque illi exemplar ejus Romam perferendum. *Hæc Beda*.

687 In Gallia quoque Synodum, ejuſdem rei causâ celebratam, Conſtat ex Actis ſextæ Synodi Act. IV. ubi dicitur à Synodo in Gallia celebrata, miſſos ad Concilium Generale Legatos Felicem Arelatenſem, Adeodatum Leucorum Epiſcopum, & Taurinum Diaconum: ſed hujus Synodi Acta non extant. At celebrior fuit Synodus Romæ habita ab eodem Agathone Papa, cui perſonaliter præfuit, conſedentibus ex diverſarum Provinciarum Epiſcopis CXXV. exceptis aliis de Clero inferiorum. De qua Synodo, idem Beda Cap. 20. ejuſdem lib. 4. ait. *Eo tempore idem Agatho Papa, cùm Synodum congregaret Romæ centum viginti quinque Epiſcoporum adversùs eos, qui unam in Domino Salvatore voluntatem, atque operationem dogmatizabant, vocari juſſit & Wilfridum, atque inter Epiſcopos conſidentem dicere fidem ſuam, ſimùl & Provinciæ, ſivè Inſulæ, de qua venerat.* In Libello quoque Synodico conſignatur eadem Synodus ab Agathone celebrata, licèt in duobus corrigendus ſit, & quòd dicat Agathonem Martino ſucceſſiſſe, & quòd afferat fidei definitionem ejuſdem Synodi ab Agathone miſſam eſſe ad Leonem Imperatorem Filium Conſtantini. Conſtat enim Agathonem poſt Martinum, Eugenium, Vitalianum, Adeodatum, & Donum Pontificatum adeptum; Epiſtolam verò Synodicam datam eſſe ad Conſtantinum Pagonatum Imperatorem, Heraclium, & Tiberium Auguſtos, ejuſdem Conſtantini fratres.

688 Itaque prælibata Romana Synodus eodem, quo ſupra anno habita eſt, nimirum, Domini DCLXXX. Pontificatus Agathonis anno III. Imperii Conſtantini Pagonati anno XIII. Indictione IX. In qua, damnatâ priùs hæreſi Monothelitarum, atque firmatâ & corroboratâ orthodoxâ fide, decreta eſt Legatio ad Imperatorem, & Synodum Generalem, ad quam delecti ſunt Joannes Portuenſis, Abundantius Paternenſis, & Joannes Regienſis Epiſcopi, datis Synodicis literis exhibendis, atque adjecto eis mandato, ut de incertis & dubiis nihil contenderent, eaque dumtaxat, quæ Romano Concilio de fide conſtructa fuerant, in univerſali Patrum conſenſu proponerent, proùt apparet ex jis Synodicis literis, quæ ità ſe habent.

Piiſſimis Dominis & Sereniſſimis Victoribus, ac Triumphatoribus, dilectis Filiis Dei & Domini Noſtri Jeſu Chriſti, Conſtantino Magno Imperatori, Heraclio & Tyberio Auguſtis.

Agatho Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, cum Univerſis Synodis ſubjacentibus Concilio Apoſtolicæ Sedis.

689 „ Omnium bonorum ſpes ineſſe prænoſcitur, dùm Imperiale Faſtigium ejus, à quo ſe coronatum, & hominibus præſtitutum ad ſalubriter gubernandum cognoſcit, veram confeſſionem, qua ſola præ omnibus muneribus delectatur, inquirit fideliter, & vivaciter amplecti deſiderat. Et hoc Dei præſtantiſſimum munus eſt, à quo procedit omne quod bonum eſt, ad quem redigitur, quod de ejus Majeſtate perceptum eſt, cujus ſpiritu præſtruente in mentis arcanis, & convaleſcente ſpiritali flagrantia piæ intentionis, radii circumquaque perluſtrant, & ſuavitatis odor de Sacrificio Cordis aſcendit ad Dominum, qui tali munere complacatur, undè & in terreſtibus fœlicitatem donet, & gentes ſubjuget univerſas, quas ad veræ de ſe cognitionis confeſſionem adſciſ-

„ ſciſcat, quas ſubjectas Chriſtiano Imperio „ de poteſtate liberet tenebrarum, ut fœlices „ faciat humiliatos, quos infœliciter exaltari, „ ad eorum dejectionem permiſerat.

690 „ Quia verò, piiſſimi atque fortiſſi- „ mi Principum Auguſti, veſtræ pietatis cùm „ laude admiramur Deo dignum propoſitum, „ quòd circà Apoſtolicam noſtram fidem ha- „ bere dignamini, Deo ſecretiùs ſatisfacien- „ te, non verbis fluentibus, nec loquacitate „ fallaci, ſed divinâ ſuâ gratiâ commonente, „ omnique ambiguitate ſublatâ, deſideratis „ cognoſcere, quæ veritas orthodoxæ & Apo- „ ſtolicæ fidei contineat: omnes nos exigui „ Eccleſiarum Præſules, veſtri Chriſtiani Im- „ perii famuli, in ſeptemtrionalibus vèl oc- „ ciduis partibus conſtituti, licèt parui & „ ſimplices ſcientiâ, fide tamen per Dei gra- „ tiam ſtabiles, pro jis, quæ per Divalem „ Sacram præcepta cognovimus, conregnan- „ ti, ac diſpenſanti vobiſcum conditori, ac „ diſpenſatori omnium Deo exhilarati, pro „ hujuſmodi pio propoſito cùm intimis Cor- „ dis fletibus gratias reddere cœpimus, quòd „ tàm laudabile, tàm mirificum, tàm ſalu- „ berrimum, tàm ſingulariter Deo præ omni- „ bus terrenis Sacrificiis acceptabile tran- „ quillitas veſtra opus creditur concupiſſe, „ quod à multis quidèm pietate & juſtitia „ præditis regibus deſideratum, pauciſſimis „ tamen, raròque ad effectum Deo placitum, „ cùm ſynceritate Apoſtolicæ fidei, perduci „ poſſibile demonſtratum eſt.

691 „ Credimus autem, quia quod pau- „ cis raròque conceſſum eſt, à Deo coronato „ veſtro Imperio divinitùs concedetur, ut „ per ipſum Catholicæ, atque Apoſtolicæ „ veræ noſtræ fidei ſplendidiſſimum in omniū „ mentibus emicet lumen; quod ex veri lu- „ minis fonte tanquam de radio vivifici ful- „ goris, per miniſtros Beatos Petrum & Pau- „ lum Apoſtolorum Principes, eorumque Di- „ ſcipulos & Apoſtolicos Succeſſores, gra- „ datim uſq; ad noſtram parvitatem, Dei opi- „ tulatione ſervatum eſt, nulla hæretici er- „ roris tetrâ Caligine tenebratum, nec falſi- „ tatis nebulis confœdatum, nec intermixtis „ hæreticis pravitatibus velut caliginoſis ne- „ bulis perumbratum, immune atque ſynce- „ rum & ſuis radiis perluſtratum, piis ſuis „ conatibus conſervare cupit veſtrum à Deo „ coronatum faſtigium.

692 „ In hoc enim tàm Apoſtolicæ Sedis, „ quàmque noſtri exigui famulatus Prædeceſ- „ ſores, uſque adhuc non ſinè periculis deſu- „ darunt, nunc decretali commonitione cum „ Apoſtolicis Pontificibus conſulentes, nunc „ Synodali definitione, quæ veritatis regula „ continebat, omnibus innoteſcentes, & ſem- „ piternos terminos, quos transgredi nefas „ eſt, uſque ad animæ ipſius exitum conſtan- „ ter defendentes: non ſeducti adulationibus, „ non periculis territi, ut illam Domini No- „ ſtri in Evangeliis ſententiam operibus de- „ monſtrarent, qua ſententialiter præcipit, „ dicens; *Qui me confeſſus fuerit coràm homi-* „ *nibus, & ego confitebor illum coràm Patre* „ *meo, qui in Cœlis eſt*, & ſubſequenti pœna „ deterret, qua ſeveriter comminatur: *Qui* „ *me negaverit coràm hominibus, negabo &* „ *ego eum coràm Patre meo, qui in Cœlis eſt*. „ Execratur enim vera confeſſio pietatis, jux- „ ta diverſitatem temporum variari, ſicut nec „ ipſe varietatem admittit, de quo eſt ipſa „ vera confeſſio, qui dicit. *Ego ſum, & non* „ *mutatus*.

693 „ Igitur quia tranquilliſſimæ fortitu- „ dinis veſtræ clementia perſonas de Epiſco- „ pali numero dirigi juſſit, vità atque ſcien- „ tiâ omnium Scripturarum præditas, de vi- „ tæ quidèm puritate, quamvis quiſquam „ purè vixerit, confidere tamen non præſu- „ mit: perfecta verò ſcientia, ſi ad veræ pie- „ tatis ſcientiam redigatur, ſola eſt verita- „ tis cognitio: ſi ad eloquentiam ſæcularem, „ non æſtimamus, quemquam temporibus no- „ ſtris reperiri poſſe, qui de ſummitate ſcien- „ tiæ glorietur: quandoquidem in noſtris re- „ gionibus diverſarum gentium quotidiè „ æſtuat furor, nunc confligendo, nunc di- „ ſcurrendo, ac rapiendo. Unde tota vita „ noſtra ſollicitudinibus plena eſt, quos gen- „ tium manus circumdat, & de labore cor- „ poris victus eſt, eò quòd priſtina Eccleſia- „ rum ſuſtentatio paulatim per diverſas cala- „ mitates deficiendo ſuccubuit. Et ſola eſt „ noſtra ſubſtantia fides noſtra: cum qua „ nobis vivere ſumma eſt gloria, pro qua mo- „ ri lucrum æternum eſt. Hæc eſt perfecta „ noſtra ſcientia, ut terminos Catholicæ, at- „ que Apoſtolicæ fidei, quos uſque adhuc „ Apoſtolica Sedes nobiſcum & tenet, & tra- „ dit, tota mentis cuſtodiâ conſervemus.

694 Et indè proſequitur exponens Catholicam & Orthodoxam fidem, & duas voluntates, duaſque naturales operationes in Chriſto confitendas denunciat, Theodorum Pharanitanum, Cyrum Alexandrinum, Sergium, Pyrrhum, Paulum, & Petrum Conſtantinopolitanos Epiſcopos, veritati adverſarios declarat, atque alienos à fide Catholica, poſteaque ſubjungit.

695 „ Præterea ſatisfaciendum eſt noſtro „ exiguo famulatui apud Sereniſſimorum „ Dominorum noſtrorum clementiam, pro „ tarditate miſſarum ex Concilio noſtro per- „ ſonarum, quas dirigi per ſuam auguſtiſſi- „ mam ſacram veſtrum piiſſimum faſtigium „ juſſit. Primùm quidem, quòd numeroſa „ multitudo noſtrorum, uſque ad Oceani re- „ giones extenditur, cujus itineris longin- „ quitas in multi temporis curſum protrahi- „ tur. Sperabamus deinde de Britannia Theo- „ dorum conſamulum, atque Coepiſcopum „ noſtrum, Magnæ Inſulæ Britanniæ Archie- „ piſcopum & Philoſophum, cùm aliis, qui

ibi-

„ ibidem uſque hactenùs demorantur, exindè ad noſtram humilitatem conjungere atque diverſos hujus Concilii Epiſcopos in diverſis Regionibus conſtitutos, ut à generalitate totius Concilii ſervilis noſtra ſuggeſtio fieret, nè ſi tantùm pars, quod agebatur, cognoſceret, partem lateret; & maximè, quia in medio gentium tàm Longobardorum, quàmque Sclavorum, necnon Francorum Gallorum & Gothorum, atque Britannorum, plurimi conſamulorum noſtrorum eſſe noſcuntur, qui & de hoc curiosè ſatagere non deſiſtunt, ut cognoſcant quid in cauſa Apoſtolicæ fidei peragatur; qui quantùm prodeſſe poſſunt, dùm in conſonantia fidei nobiſcum tenentur, nobiſque concorditer ſentiunt; tantùm, quod abſit, ſi quid ſcandali in fidei Capitulo patiantur, inveniuntur infeſti atque contrarii.

696 „ Nos autem, licèt humillimi, ſummis viribus enitimur, ut chriſtiani veſtri Imperii Reſpublica, in qua Beati Petri Apoſtolorum Principis Sedes fundata eſt, cujus auctoritate omnes chriſtianæ nobiſcum Nationes venerantur & colunt, per ipſius Beati Petri Apoſtoli reverentiam, omnium gentium ſublimior eſſe monſtretur. Perſonas autem de noſtræ humilitatis ordine prævidimus dirigere ad veſtræ à Deo protegendæ fortitudinis veſtigia, quæ omnium noſtrùm, ideſt, univerſorum per Septentrionales vel Occiduas Regiones Epiſcoporum ſuggeſtionem, in qua & Apoſtolicæ noſtræ fidei confeſſionem prælibavimus, offerre debeant, non tamen tanquàm de incertis contendere, ſed ut certa atque immutabilia compendioſâ definitione proferre; ſuppliciter obſecrantes, ut à Deo coronato veſtro Imperio favente, hæc eadem omnibus prædicari, atque apud omnes vim obtinere jubeatis, ut Deus, qui veritatem & juſtitiam diligit, omnia proſpera veſtræ Sereniſſimæ benignitatis temporibus donet, in quibus Apoſtolicæ prædicationis & pietatis veritas fulgeat, meliori ac proſpero ſucceſſu eorum fortiſſimæ tranquillitatis Imperium lętari de hoſtium ſubjectione concedens.

697 „ Suſcipere itaque dignamini, piiſſimi Principes, à noſtra humilitate directos Epiſcopos cum reliquis Eccleſiaſtici Ordinis Viris, atque religioſis Servis Dei cum ſolitæ tranquillitatis clementia, quatenùs ex ipſorum teſtimonio cũ gratiarum actione in propria remeantium, apud omnes Nationes laus Clementiæ veſtræ crebreſcat; ſicut Magni illius Conſtantini, cujus poſt obitum laudabilis fama nihilominùs viget, cujus inſigne non tantùm poteſtatis eſt, ſed & pietatis, cum quo illud ſacratiſſimum Concilium trecentorum & octo Antiſtitum in Nicęna Civitate in defenſionem conſubſtantialis Trinitatis convènit. Et ſicut Theodoſii Magni, cujus inter alias ejus virtutes ſingularis pietas prædicatur; quo annitente, per Sancti Spiritus gratiam centum quinquaginta Patrum ſententiâ, quam eis inſpirabat, Spiritus Sanctus conſubſtantialis Patri & Filio prædicatus eſt. Et ſicut egregii veritatis amatoris Marciani Principis, qui & primum Concilium Epheſinum, utpotè Catholicam & Apoſtolicam fidem prædicans, Sanctâ Chalcedonenſi Synodo ſuſcipi fecit, & errores, qui accreverant, de Dei Eccleſia repulit, ſacrum illum tomum amplexus Apoſtolici Viri Papæ Leonis, quem Beatus Petrus Apoſtolus verbis ejus ediderat. Et ſicut extremi quidèm, prętantiſſimi tamen omnium, magni illius Juſtiniani, cujus ut virtus, ita pietas omnia in meliorem ordinem reſtauravit; cujus inſtar fortiſſimæ veſtræ Clementiæ Principatus, virtutis quidèm conatibus Rempublicam chriſtianam tuetur & reſtaurat in melius, pietatiſque ſtudiis Catholicæ ſuccurrit Eccleſiæ, ut in unitate veræ ac Apoſtolicæ confeſſionis perfectiùs copuletur, quam nunc uſque nobiſcum ſancta Romana ſervat Eccleſia, quatenùs ſynceræ pietatis arcanum tubâ clariùs per totum Orbem prædicetur, & ubi hujus veræ confeſſionis ſynceritas pii veſtri Imperii favoribus vim obtinet, laus ſimul ac meritum Sereniſſimi veſtri Imperii prædicetur, ut cum pietatis laudibus, etiam Regni eorum, Deo annuente, dilatantur inſignia; quoſque verę pietatis invitat confeſſio, Imperialis fortitudo poſſideat.

698 „ Nam & nos, licèt indigni, Dei clementiam deprecamur, ut ſinè aliquo lapſu uſque ad ipſius vitæ terminum immaculatam nos ſervare ac prædicare concedat, & per eam in ſuo conſpectu gloriari. Quia & ſi ſæculi ſapientiam & inanem fallaciam (quemadmodùm Beatus Paulus Apoſtolus dicit) penitùs ignoramus, veræ tamen prædicationis normam ſimplici veritate docemus atque defendimus; quia non verborum pompas habere cupimus, ut contentionibus occupemur: nec enim, licèt in anguſtiis nobis degentibus, ſed qui converti ad veritatem voluerint, rectæ noſtræ fidei ordinem cum ſimplicitate cordis, verborumque lenitate proferimus. Salvarę enim per Apoſtolicæ confeſſionis veritatem commiſſas nobis divinâ dignatione animas magis cupimus, quàm per verboſam loquacitatem in errorem audientes immittere.

699 „ Quicumque proinde Sacerdotum hæc, quæ in hac noſtræ humilitatis confeſſione continentur, nobiſcum ſynceriter prædicare deſiderant, ut noſtræ Apoſtolicæ fidei concordes, ut Conſacerdotes, ut Comminiſtros ejuſdem fidei, & (ut ſimpli-

,, pliciter dicamus) ut ſpirituales fratres &
,, Coepiſcopos noſtros ſuſcipimus. Qui ve-
,, rò hæc confiteri noluerint, ut infeſtos ca-
,, tholicæ atque Apoſtolicæ confeſſioni, per-
,, petuæ condemnationis reos eſſe cenſemus,
,, nec aliquandò tales in noſtræ humilitatis
,, collegio, niſi correctos ſuſcipere, patimur.
,, Nec transgredi nos quiſquam eorum arbi-
,, tretur, quod à prædeceſſoribus noſtris per-
,, cepimus.

700 ,, Preterea gaudium magnum erit in
,, Cœlo & in terra, ſi, veſtrâ benigniſſimâ pie-
,, tate mediante, hæc corregnator veſter om-
,, nipotens Deus ad effectum perduxerit, ut
,, Cœlum jucundetur, exultet & terra, dùm
,, pax multa ſit diligentibus veritatem, &
,, non eſt eis ſcandalum, & auferatur de do-
,, mo Dei abominatio ſcandali, quæ erat ad
,, ruinam multorum inconſtantium vel ſim-
,, plicium, ut ſit una fides, unum os & labium,
,, una apud omnes Apoſtolicæ prædicationis
,, confeſſio, dùm omnes unanimes loquen-
,, tur magnalia Dei, quam veſtræ Sereniſſi-
,, mæ fœlicitatis temporibus miſericors Deus
,, concedere dignabitur, dùm diſſipata, in
,, ædificationem Eccleſię Dei conſtruuntur;
,, ſegregata, in compagine veritatis conve-
,, niunt; diſſociata, in charitatem Apoſtoli-
,, cæ fidei copulantur; diſperſa, in unitatem
,, obtinente Apoſtolicâ veritate concurrunt,
,, ut concorditer nobiſcum omnes hoc bo-
,, num operantes, Dei Majeſtatem valeant
,, fideliter obſecrare pro longævitate atque
,, perfecta proſperitatæ veſtræ fortitudinis
,, Imperio divinitùs concedenda, ut eorum
,, invictiſſimæ manſuetudinis laboribus con-
,, gregentur ex gentibus ad confitendum no-
,, mini ſancto ejus, & gloriandum in laude
,, veræ ejus confeſſionis, qui facit mirabilia
,, magna ſolus, qui facit prodigia ſuper ter-
,, ram, auferens bella uſque ad fines terræ,
,, qui diſperſa congregat, & congregata con-
,, ſervat; qui tàm piiſſimos Principes ſuper
,, populum regnare præcipit, qui pervigili
,, pietate & invictis laboribus, Deo coope-
,, rante, cuſtodiunt. *Hactenus Synodica Aga-
thonis, cui univerſi Epiſcopi, qui Synodo
Romanæ interfuerunt, ſe ſubſcripſerunt, ut
apparet in Actis ſextæ Synodi Act. IV.

701 Eodem ſimùl tempore, quo Synodica Legatio decreta eſt, & cum prærecenſitis literis Conſtantinopolim directa, alteram Agatho adjunxit privatam & nomine ſuo Legationem ad eundem Imperatorem, ſelectis ad hoc munus Theodoro & Georgio Presbyteris, Joanne Diacono & Conſtantino Subdiacono: Datiſque eis aliis literis Imperatori contradendis, ſimùl cum Synodi Legatis Conſtantinopolim direxit. Duas haſce Legationes in unam confundit Anaſtaſius in vita Agathonis, ubi ait: *Direxit itaq; Abundantium Paternenſem, Joannem Rhegitanum, & Joannem Portuenſem Epiſcopos; Theodorum & Georgium Presbyteros; Joannem Diaconum & Conſtantinum Subdiaconum; Theodorum Presbyterum Ravennatem atque Religioſos Servos Dei Monachos.* His verò, quos ſuo nomine miſerat, nempe Theodoro & Georgio Presbyteris atque Joanni Diacono, delegaſſe facultatem ſuo nomine præſidendi Concilio Generali, conſtat ex Actis ejuſdem ſextæ Synodi, in quibus præfati Viri nominantur, ut locum tenentes Agathonis Papæ, ut in ſingulis Actionibus videre perſpicuum eſt. Literæ porrò, quas Agatho hiſce ſuis Legatis ferendas Imperatori contradidit, recitatæ Act. IV. ſextæ Synodi, ita ſe habent.

Dominis piiſſimis & Sereniſſimis victoribus ac triumphatoribus chariſſimis filiis, amatoribus Dei & Domini noſtri Jeſu Chriſti, Conſtantino majori Imperatori, Heraclio & Tiberio Auguſtis,
Agatho Epiſcopus Servus Servorum Dei.

702 ,, Conſideranti mihi humanæ vitæ
,, diverſos angores, & ante Deum, qui unus
,, & verus eſt, cum vehementia fletuum in-
,, gementi, ut conſolationem animę fluctuan-
,, ti divinæ miſerationis impertiret inſtinctu,
,, & de profundo mœroris & anguſtiæ poten-
,, tia ſuæ dexteræ ſublevaret, magnam at-
,, que mirabilem cum indeſinenti gratiarum
,, actione, Sereniſſimi Domini filii, confi-
,, teor, conſolationis oportunitatem exhi-
,, bere dignatus eſt, piiſſimum tranquillæ
,, manſuetudinis veſtræ propoſitum, quod ad
,, ſtabilitatem divinitùs commiſſæ Reipubli-
,, cæ Chriſtianæ ejus conceſſit dignatio, ut
,, Imperialis virtus atque clementia de Deo,
,, per quem Reges regnant, qui Rex Regum
,, & Dominus Dominantium eſt, & curet &
,, quærat ejus immaculatæ fidei veritatem,
,, ut ab Apoſtolis atque Apoſtolicis eſt Pa-
,, tribus tradita, inquirere vigilanter, atque,
,, ut vera traditio continet, inſtantiſſimè de-
,, ſideret in omnibus Eccleſiis obtinere, &
,, nè quemquam tàm pia lateret intentio au-
,, dientium, humanavè ſuſpicio perterreret
,, æſtimantium poteſtate nos eſſe compulſos,
,, & non plenâ ſerenitate ad ſatisfaciendum
,, ſuper Evangelicæ noſtræ fidei prædicatio-
,, ne commonitos, divales apices ad Apoſto-
,, licæ memoriæ Donum Pontificem noſtræ
,, puſillitatis prædeceſſorem, cunctis popu-
,, lis ac gentibus per noſtrum miniſterium
,, patefecerunt ac ſatisfaciunt, quos gratia
,, Sancti Spiritus Imperialis linguæ calamo
,, de puro cordis theſauro dictavit, commo-
,, nentis, non opprimentis; ſatisfacientis,
,, non perterrentis; non affligentis, ſed ex-
,, hortantis; & ad ea, quæ Dei ſunt, ſecun-
,, dùm Deum invitantis; quia & ipſe Con-
,, ditor omnium ac Redemptor, cùm poſſet
,, in ſuæ Divinitatis Majeſtate, in ſæculum
ve-

„ veniendo, mortales perterrere, humani-
„ tate magis inæſtimabilis clementiæ humi-
„ liter ad noſtra deſcendens, quos creavit,
„ dignatus eſt & redimere; qui & ſponta-
„ neam de nobis veræ de ſe fidei confeſſio-
„ nem expectat: Et quod Beatus Petrus
„ Apoſtolus Princeps commonet: *Paſcite*,
„ *qui in vobis eſt, gregem Chriſti, non co-*
„ *ctè, ſed ſpontaneè, ſecundùm Deum, ex-*
„ *hortantes*.

703 „ His itaque, manſuetiſſimi rerum
„ Domini, divalibus apicibus animatus, &
„ ad ſpem conſolationis de profundis angori-
„ bus alleviatus, orſus ſum, meliori refe-
„ ctus confidentiâ paulatim, iis, quæ per
„ manſuetiſſimæ fortitudinis veſtræ ſacram
„ dudùm præcepta ſunt, efficaciter promptam
„ obſequentiam exhibere, ut perſonas, qua-
„ les, ſecundùm temporis hujus defectum ac
„ ſervilis Provinciæ qualitatem poterant in-
„ veniri, pro obedientiæ ſatisfactione inqui-
„ rerem; & cum conſilio confamulorum
„ meorum Epiſcoporum tàm de propinqua
„ hujus Apoſtolicæ Sedis Synodo, quàmque
„ de familiari Clero amatores chriſtiani Im-
„ perii, & ſequenter de Religioſis Servis
„ Dei, ut ad piiſſimæ tranquillitatis veſtræ
„ veſtigia properarent, hortarer. Et niſi lon-
„ gus Provinciarum ambitus, in quibus hu-
„ militatis noſtræ Concilium conſtitutum
„ eſt, tanti temporis protelationem ingere-
„ ret, olim hoc, quod vix tandèm nunc fieri
„ potuit, ſtudioſâ obedientiâ noſter famula-
„ tus impleret.

704 „ Sed dùm de diverſis Provinciis fa-
„ miliare nobiſcum Concilium congregatur,
„ & dùm perſonas, quaſdam quidèm de hac
„ ſervili veſtri Sereniſſimi Principatus Ro-
„ manâ Urbe, vel de proximo dirigere pro-
„ curamus; quaſdam de longè poſitis Pro-
„ vinciis, in quibus verbum chriſtianæ fidei
„ ab Apoſtolicis exiguitatis meæ prædeceſ-
„ ſoribus Miſſi prædicabant, remeare præſto-
„ lamur, non parvus temporum curſus ela-
„ pſus eſt; ut corporales ægritudines mei fa-
„ mulatus ſilentio tranſeam, in quibus nec
„ vivere licet, nec libet aſſiduis ægrimoniis
„ laborantem.

705 „ Ideòque, chriſtianiſſimi Domini &
„ filii, ſecundùm piiſſimam juſſionem à Deo
„ protegendæ manſuetudinis veſtræ, pro obe-
„ dientia, quam debuimus, non pro confi-
„ dentia eorum ſcientiæ ſuperabundantis,
„ quos dirigimus, præſentes confamulos no-
„ ſtros Abundantium, Joannem, & Joannem
„ Reverendiſſimos fratres noſtros Epiſcopos;
„ Theodorum & Georgium dilectiſſimos fi-
„ lios noſtros Presbyteros, cum dilectiſſimo
„ filio noſtro Joanne Diacono & Conſtanti-
„ no Subdiacono ſanctæ hujus ſpiritalis Ma-
„ tris Apoſtolicæ Sedis, necnon & Theodo-
„ rum Presbyterum Legatum ſanctæ Raven-
„ natis Eccleſiæ, & Religioſos Servos Dei
„ Monachos, cum ſupplici cordis devotione
„ curavimus demandare; Nam apud homi-
„ nes in medio gentium poſitos, & de labore
„ corporis quotidianum victum cum ſumma
„ hæſitatione conquirentes, quomodò ad
„ plenum poterit inveniri ſcripturarum ſcien-
„ tia, niſi quòd quæ regulariter à ſanctis at-
„ que Apoſtolicis Prædeceſſoribus & venera-
„ bilibus quinque Conciliis definita ſunt,
„ cum ſimplicitate cordis & ſine ambiguita-
„ te à Patribus traditæ fidei conſervamus,
„ unum ac præcipuum bonum habere ſemper
„ optantes atque ſtudentes, ut nihil de eis,
„ quæ regulariter definita ſunt, minuatur,
„ nihil mutetur, vel augeatur, ſed ea-
„ dem & verbis & ſenſibus illibata cuſto-
„ diantur?

706 „ Quibus portitoribus & teſtimo-
„ nia aliquorum Sanctorum Patrum, quos
„ hæc Apoſtolica Chriſti Eccleſia ſuſcipit,
„ cum eorum libris tradidimus, ut faculta-
„ tem ſuggerendi à benigniſſimo veſtræ Chri-
„ ſtianitatis Imperio conſecuti, ex his dum-
„ taxat ſatisfacere ſtudeant, dùm Imperia-
„ lis manſuetudo præceperit, quid hæc ſpiri-
„ talis mater eorum ac à Deo propagati Im-
„ perii Apoſtolica Chriſti Eccleſia credat &
„ prædicet, non per eloquentiam ſæcularem,
„ quæ nec ſuppetit idiotis hominibus, ſed per
„ ſynceritatem Apoſtolicæ fidei, in qua &
„ ab incunabulis edocti uſque in finem pro-
„ pagatori veſtri Chriſtiani Imperii Cœli
„ Domino, omnes nobiſcum deprecamur
„ ſervire atque obedire: Licentiam proinde
„ eis ſivè auctoritatem dedimus apud tran-
„ quilliſſimum veſtrum Imperium, dùm juſ-
„ ſerit ejus clementia ſimpliciter ſatisfacien-
„ di, in quantum eis dumtaxat injunctum
„ eſt, ut nihil profectò præſumant augere,
„ minuere vel mutare, ſed traditionem hu-
„ jus Apoſtolicæ Sedis, ut à prædeceſſoribus
„ Apoſtolicis Pontificibus inſtituta eſt, ſyn-
„ ceriter enarrare. Pro quibus flexo mentis
„ poplite, ſuppliciter veſtram ad manſuetu-
„ dinem ſemper intentam clementiam depre-
„ camur, ut juxta benigniſſimam atque Au-
„ guſtiſſimam Imperialis ſacræ promiſſionem,
„ acceptione eos dignos efficiat Chriſto imi-
„ tabilis veſtra tranquillitas, atq; placabiles
„ auditus eorum humillimis ſuggeſtionibus
„ accomodare dignetur.

707 „ Sic aures Dei omnipotentis ſuis
„ precibus ad exaudiendum inveniat veſtra
„ manſuetiſſima pietas reſeratas, illæſoſque
„ tàm in rectitudine noſtræ Apoſtolicæ fidei,
„ quàmque corporum ſoſpitate in propriis
„ reſtituere jubeat: Sic reſtituat ſuperna
„ Majeſtas per fortiſſimos atque invictiſſimos
„ labores veſtræ à Deo corroboratæ clemen-
„ tiæ ſub benigni veſtri Principatus regimi-
„ ne totam Chriſtianam Rempublicam &
„ fortiſſimis veſtris Sceptris adverſas ſubi-
„ gat Nationes, ut ex hoc omni animæ at-

que

„ que omnibus gentibus ſatisfiat; quia quod „ per Auguſtiſſimos apices de immunitate „ atque illæſione euntium, Deo ſibi aſpirante, „ polliceri dignata eſt, adimplevit in omnibus. Non enim nobis eorum ſcientia „ confidentiam dedit, ut ad pia veſtra veſtigia eos auderemus dirigere; ſed hoc Imperialis veſtra benignitas, clementer jubens, „ hortata eſt, & noſtra puſillitas, quod juſtum eſt, obſequenter implevit. Ut autem „ veſtrę divinitùs inſtructæ pietati quid Apoſtolicæ noſtrę fidei vigor contineat, breviter intimemus, quam percepimus per Apoſtolicam, Apoſtolicorumque Pontificum „ traditionem & ſanctarum quinque Generalium Synodorum, per quas fundamenta catholicæ Eccleſiæ Chriſti firmata atque ſtabilita ſunt. . . . . .

708 Deinde ſubjungit fidei catholicę expoſitionem, & diffusè probat duas naturales voluntates, duaſque in Chriſto operationes, allegans diverſa Sanctorum Patrum teſtimonia, Ambroſii videlicet, Auguſtini, Gregorii Theologi, Gregorii Nyſſeni, Joannis Epiſcopi Conſtantinopolitani, Cyrilli Alexandrini, Leonis Papæ, & aliorum, quæ eaſdem duas naturales voluntates & duas in Chriſto operationes oſtendunt; necnon & diverſis Sacræ Scripturæ utitur auctoritatibus, quæ etiam juxta Sanctorum Patrum intellectum, idem catholicum dogma confirmant. Addit inſuper & rationes quaſdam idem roborantes. Denique Dicta Theodoſii hæretici Alexandrini, Theodori Pharanitani, Cyri Alexandrini, Sergii, Pauli, aliorumque Monothelitarum recenſet, ut ex eis error veritati catholicæ adverſarius appareat, & contradictoria docuiſſe palàm faciat, & perſuaſum reddat Principem de veritate orthodoxæ fidei, in Synodo ejus juſſione indictâ, confirmandâ.

709 Itaque cum prælibatis Agathonis literis iter aggreſſi Apoſtolicæ Sedis Legati, Conſtantinopolim profecti ſunt, ubi venientes, quomodò ab Imperatore ſuſcepti fuerint, quidvè eis dixerit, recenſet Anaſtaſius in vita Agathonis, inquiens: „ Qui ſupraſcripti „ Miſſi Sedis Apoſtolicæ, qui directi fuerant „ in Regiam Urbem, ingredientes die decimâ menſis Novembris, nonâ Indictione, „ Domino ſolatiante, atque Principe Apoſtolorum comitante, in oraculo Beati Petri Apoſtoli intra Palatium, porrigentes ei „ ſcripta Pontificis. Quæ dùm ſuſcepiſſet, „ commonuit eos, atque adhortatus eſt, ut „ non per ſchiſma aut furorem, ſed pacificâ „ diſpoſitione, remittentes philoſophicas aſſertiones, puram ſanctarum Scripturarum, „ Patrumque, & probatam fidem per Synodalia Decreta ſatisfacerent. *Hæc Anaſtaſius.* Quem tamen errare in adnotatione temporis eorum ingreſſus obſervant eruditi, tùm quia in Actis Synodalibus conſtat ipſis præſentibus Legatis die VII. Novembris celebratam Seſſionem primam; tùm quia poſt eorum adventum IV. Idus Septembris conſtat, Imperatorem Sacram dediſſe Georgio Patriarchæ pro inchoanda Synodo. Proinde rectè concludunt, præfatos Legatos Conſtantinopolim perveniſſe vel circa Auguſti finem, vel ſub initium menſis Septembris. Sacra porrò Imperatoris data ad Georgium Patriarcham hæc fuit.

In nomine Domini & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, Imperator pius, pacificus Flavius Conſtantinus, fidelis in Jeſu Chriſto Deo, Georgio Sanctiſſimo ac Beatiſs. Archiepiſcopo Conſtantinopoleos & univerſali Patriarchæ.

Data IV. Idus Septembris Conſtantinopoli, imperante Domino piiſſimo perpetuo Auguſto Conſtantino Imperatore Anno XXVIII., & poſt Conſulatum ejus Anno XII.

710 „ Quamquàm ſollicitudinibus tàm „ militaribus, quàmque civilibus indeſinenter noſtra Serenitas coarctetur, attamen „ omnes Chriſto amabiles noſtræ Reipublicæ „ cauſas in ſecundo ob chriſtianam noſtram „ fidem ponentes, quam in bellis propugnatricem tàm noſtri, quàmque Chriſto dilectorum noſtrorum Exercituum habemus, „ neceſſarium judicavimus præſenti noſtrâ „ piâ Sacrâ ad veſtram paternam Beatitudinem uti, per quam adhortantes eam, ſancimus congregare veſtram paternam Beatitudinem omnes, qui ad ejus Sanctiſſimam „ Sedem pertinent, Sanctiſſimos Metropolitas & Epiſcopos in hanc à Deo conſervandam noſtram Regiam Urbem, quatenùs, „ cooperante omnipotente & miſericorde „ Deo noſtro, diligentiſſima inquiſitio dogmatis fiat, quod olim ante multum tempus „ exortum eſt, de voluntate & operatione in „ diſpenſatione Incarnationis unius de Sancta Trinitate Domini noſtri Jeſu Chriſti „ veri Dei noſtri, quod & diſſidium non minimum per quaſdam perſonas Sanctæ Dei „ Eccleſię intulit; innoteſcere quoque ſuper „ hoc & Macario venerabili Archiepiſcopo „ Antiochenæ magnæ Civitatis, quatenùs „ & ipſe de propria Synodo Deo amabiles „ Metropolitanos & Epiſcopos præparatos „ faciat pro hoc ipſo hùc congregari.

711 „ Jam enim ſuper hoc adhortati ſumus per noſtros pios apices, adhùc inter „ vivos exiſtentem Donum Sanctiſſimum „ Apoſtolicæ Sedis antiquæ Romæ Præſulem; & illo de hoc ſæculo migrante, Agatho Sanctus nuper ordinatus Papa in Apoſtolica Sede prædictæ antiquæ Romæ, huj-

„ juſmodi noſtros pios ſuſcipiens apices, de-
„ ſtinavit in præſenti propriam ejus indutos
„ perſonam, Theodorum & Georgium Deo
„ amabiles Presbyteros, & Joannem Deo
„ amabilem Diaconum: Ex perſona verò to-
„ tius ejus Conciiii, Joannem & Abundan-
„ tium, & Joannem venerabiles Epiſcopos
„ cum cæteris Clericis & Monachis, qui de-
„ beant inveniri in prædicti Capituli quæ-
„ ſtionem; qui & nunc ad noſtra convene-
„ runt veſtigia, porrigentes nobis etiam duas
„ Suggeſtiones, unam quidèm ejuſdem San-
„ ctiſſimi Agathonis Papæ, aliam verò Con-
„ cilii ejus.

712 „ Sciens igitur veſtra paterna Bea-
„ titudo, quia primum & præcipuum (ut
„ prædiximus) hoc orthodoxæ exiſtit Capi-
„ tulum, feſtinet prædictos venerabiles Me-
„ tropolitanos & Epiſcopos celeriter adveni-
„ re in hanc à Deo conſervandam noſtram
„ Regiam Urbem, quatenùs prædictum tra-
„ ctetur Capitulum, & magnorum donorum
„ datore atque coronatore noſtro Deo coo-
„ perante, cauta atque orthodoxa definitio
„ hujuſmodi dogmati imponatur. *Subſcriptio.*
„ Divinitas te ſervet per multos annos, San-
„ ctiſſime ac Beatiſſime Pater. *Hactenus Sa-*
„ *cra Conſtantini.*

713 Ex ea namque palàm fit, primùm, Legatos Apoſtolicæ Sedis appuliſſe Conſtantinopolim ante IV. Idus Septembris; alterum verò, ut ſupra antefati ſumus, Agathonem duplicem ad Conſtantinum feciſſe Legationem, primam ſuo nomine directis cum literis Theodoro & Georgio Presbyteris, atque Joanne Diacono, cum poteſtate præſidendi Synodo loco ſui; Alteram verò nomine Romanæ Synodi per Abundantium, Joannem, & alterum Joannem Epiſcopos explendam, ut & ipſi unà cum Monachis & aliis Clericis Romanis Synodo intereſſent, ſententiamque ſuam cum aliis in Synodo congregatis, & ipſi dicerent, prout in Romana Synodo pronunciata fuit, & in literis nomine ejuſdem Synodi per eoſdem ad Imperatorem allatis, expoſita erat.

714 Infra duos menſes ab hoc tempore convenientibus pluribus Epiſcopis, viſum eſt Imperatori inchoandam eſſe Synodum, congregatiſque omnibus, qui tunc Conſtantinopoli præſentes aderant Epiſcopis, Presbyteris & Monachis in Secretario Palatii Imperialis, cognominato Trullo, unà cum Apoſtolicæ Sedis Legatis, Georgio Patriarcha Conſtantinopolitano, Machario Antiocheno & Legatis Eccleſiarum Alexandrinæ & Hieroſolymitanæ, præſente Imperatore atque nonnullis Magnatibus, celebrata eſt Actio prima die VII. menſis Novembris, Indictione IX., Domini Anno DCLXXX., Imperii Conſtantini, à tempore, quo conregnavit cum patre Anno XXVII. ab obitu patris, & poſt ejus Conſulatum Anno XIII., Pontificatus Agathonis Anno III. In ea namq; Apoſtolicę Sedis Legati cauſam indicti Concilii proponentes, novam hæreſim de una in Chriſto voluntate & operatione à Sergio, Pyrrho, Paulo & Petro Eccleſię Conſtantinopolitanæ Epiſcopis in Eccleſiam Dei invectam eſſe faſſi ſunt: Contradicente Macario Epiſcopo Antiocheno, & aſſerente præfatos Epiſcopos Patrum & Synodorum fidem in eo ſecutos eſſe, ſententiam juſſus eſt probare; & allatis quinque Conciliorum Codicibus ex Patriarchio, relectus eſt ex Synodo Epheſina locus Cyrilli Alexandrini dicentis: *Eſt enim ejus omnipotens voluntas*; ex eo conatus eſt probare unà in Chriſto voluntatem. At Legati falſam illationem eſſe oſtenderunt, probaruntque de divina tantùm voluntate tribus Divinis Perſonis communi, eo in loco locutum eſſe Cyrillum. Et relectis inde Actis Synodi Epheſinæ, jubente Principe, abſoluta eſt Actio, ſive prima Seſſio.

715 Die porrò X. Novembris iterùm convenientes, celebrata eſt Actio ſecunda, in quâ recitata ſunt Acta Synodi Chalcedonenſis; nihil objiciente Macario; Sed dùm legeretur Epiſtola Sancti Leonis Papæ ad Flavianum, Apoſtolicæ Sedis Legati, acceptâ licentiâ dicendi, ex ea demonſtrarunt, Sanctum Leonem duas in Chriſto voluntates, duaſque operationes in Chriſto aſſeruiſſe, non unam, ut hæretici mentiebantur: Quare Macarius ad teſtimonium Dionyſii Areopagitę, dicentis, in Chriſto adeſſe Deivirilem voluntatem, nec duas, nec unam ſignatè determinantis, confugit: Sed Imperator nè extraneis interlocutionibus à propoſito themate diſcederetur, juſſit quod reliquum erat Chalcedonenſis Concilii legendo abſolvi, reſervatâ lectione quintæ Synodi ad ſequentem Seſſionem.

716 Convenientibus poſtea in eodem loco die XIII. ejuſdem menſis Novembris allata ſunt Acta Concilii Conſtantinopolitani ſecundi, ideſt, quintæ Synodi, ut recitarentur; & lectâ ab initio quâdam Epiſtolâ ſub nomine Vigilii Papæ directâ ad Mennam Patriarcham, ubi una in Chriſto voluntas aſſerebatur, Apoſtolicæ Sedis Legati palàm contradixerunt, negantes ejuſmodi Epiſtolam eſſe Vigilii, ſed confictam à Monothelitis ſub nomine Vigilii, atque Actis quintæ Synodi dolosè inſertam: Factâque ſuper hujuſcemodi re diligenti inquiſitione, deprehenſum fuit, tres priores quaterniones, quibus præfata Epiſtola continebatur, Actis Synodalibus ſuperadditos fuiſſe; cujus rei cauſâ juſſum eſt ab Imperatore prætermitti ejuſmodi Epiſtolæ lecturam, & reliqua ejuſdem quintæ Synodi Acta recitari. Cùmque deventum eſſet ad anathematiſmum pronunciatum Actione VII. adversùs Theodorum Mopſueſtenum, ibique legeretur, anathemati ſubjectum fuiſſe, eò quòd non confiteretur

in

in Chriſto unam perſonam, repertum eſt, Monothelitarum ſtudio additum eſſe, *eò quòd in Chriſto unam negabat perſonam & unam operationem*: Id audientes Apoſtolicæ Sedis Legati, Vigilium à calumnia defenderunt, & objectos ſub nomine Vigilii libellos, ſuppoſititios eſſe convicerunt, hac ratione, quòd Vigilius de fide orthodoxa non aliter quàm Sacroſancta v. Synodus œcumenica ſentire potuerit, cum alioquin, ſi aliter ſenſiſſet, ab ea Sancta Synodo minimè receptus fuiſſet. Et poſt hæc omnium Patrum judicio & cognitorum Judicum dictum fuit, nihil in Synodis inventum eſſe, quod Monothelitis faveret: proinde juſſum eſt Macario, ut, ſicut Actione prima promiſerat, Patrum teſtimonia pro una in Chriſto voluntate & operatione in medium afferret: ſed petente Georgio Conſtantinopolitano, ut literæ Agathonis Papæ legerentur, conceſſum eſt, dilatâ tamen lecturâ propter prolixitatem ad ſequentem ſeſſionem.

717 Convenerunt ergo pro iv. Actione die xv. ejuſdem menſis, & quemadmodùm decretum fuerat in antecedenti Actione, ambæ Agathonis epiſtolæ recitatæ ſunt integræ ab initio, uſque ad Calcem: Et licèt in una legeretur, quòd nemo ſuorum anteceſſorum à recta & orthodoxa fide aberraverit, nec Monothelitæ, nec cæteri Patres, quidquam in Honorium, alioſve Romanos Pontifices objecerunt: ſed conclamantibus Patribus Epiſtolam Agathonis, velut oraculum Spiritus Sancti ſuſcipiendam atque colendam eſſe, dimiſſa eſt Actio.

718 Dilata eſt Actio v. ad diem vii. Decembris, in qua Macarius duos exhibuit Codices, quibus, ut aſſerebat, de unica in Chriſto voluntate, & operatione teſtimonia continebantur, quibus perlectis decretum fuit, cætera alia teſtimonia, ſi quæ haberet, alia ſequenti Actione produceret.

719 Elapſis diebus quinque die xii. Decembris in Actione vi. Macarius reliqua Patrum teſtimonia ad ſuam confirmandam ſententiam, uno Codicillo exhibuit: quibus perlectis, Apoſtolicæ Sedis Legati dixerunt, ejuſmodi Patrum teſtimonia detruncata eſſe & mutilata, proinde ad impoſturam detegendam, authenticos Codices fore in medium producendos. Quo audito, Imperator juſſit, utriuſque partis productas probationes ſigillo conſignari, atque diligenter cuſtodiri, & de allegatis utriuſque teſtimoniis, proximo Conventu ſedulò & fideliter inquiri.

720 Poſt duorum menſium interpollationem, die xiii. menſis Februarii novi anni, Domini ſcilicèt DCLXXXI. iterùm Patres, eodem loco congregati vii. habuerunt Actionem, atque in ea Apoſtolicæ Sedis Legati Codicem teſtimoniorum Sanctorum Patrum, quibus duæ voluntates & duæ operationes in Chriſto aſſerebantur, obtulerunt, quibus perlectis, & ſimùl recitatâ ſerie eorum, qui orthodoxam hujus Articuli fidem impugnabant, petente Georgio Epiſcopo Conſtantinopolitano, juſſum eſt, ut loca citata cum Codicibus Patriarchii conferrentur, & an latina exemplaria cum Græcis conſona eſſent, exploraretur: & ne fraus committi poſſet, oblatum teſtimoniorum Codicem conſignarunt.

721 De hac ſeſſione Anaſtaſius Bibliothecarius ſcribit in Vita Agathonis: „ Die xiii. „ menſis Februarii, auxiliante Beato Petro „ Apoſtolo, ut veritatis lumen appareret, „ intromiſſa ſunt coràm Synodo Venerabilium Patrum dicta Joannis Conſtantinopolitani, Cyrilli, Athanaſii, Baſilii, Gregorii, Dionyſii, Hilarii, Ambroſii, Auguſtini & Leonis, duas naturales voluntates „ & operationes in Chriſto dicentium ad ſatisfactionem Principis, vel Synodi. *Poſteà ſubjungit*: Sequenti die in eodem Secretario, reſidente Synodo unà cum Principe, „ Synodica Sanctiſſimi Agathonis Papæ relecta eſt, & ad ſingula comprobata Patrum „ dictis inſertis, in qua Synodica Epiſcopi „ occidentalis partis ſubſcripſerunt, numero „ centum viginti. *Hæc Anaſtaſius*, qui etiàm recenſet in eadem actione, licèt interrogatum, Macarium, neque unam, neque duas voluntates in Chriſto aſſerere voluiſſe: convictum tamen ex quodam hæretico tomo, in quo una voluntas aſſerebatur, ab eo propria manu ſubſcripto, & manu quoque Theodori ex-Patriarchæ firmato. Subjungit poſtea de interrogatione facta à Principe, Georgio Patriarchæ, an reciperet fidem, quam docet Sedes Apoſtolica, juxta Scripturam Agathonis, & Sanctorum Patrum: Georgium verò reſpondiſſe, petitâ licentiâ, ſe in ſcriptis ſatisfacturum, ac deinde die 17. ejuſdem menſis, iterùm convenientibus Patribus in eodem Secretario, Catholicam fidei profeſſionem ſcripto coram Patribus emiſiſſe: „ Et in his recedentes, *ait*, die xvii. menſis Februarii, „ die Dominico intra Oraculum Sancti Petri, „ intra Palatium adſtantes Auguſtus ſimulque Patriarcha, Legatos Sedis Apoſtolicæ „ Syncello ſuſceperunt, relegentes ſuggeſtionem, aliam pro eorum commendatione à „ Sanctiſſimo Papa directam: Qui Georgius „ Sanctiſſimus Patriarcha profeſſus eſt eo die „ in ſcriptis duas naturas, duaſque voluntates & operationes in Domino Noſtro Jeſu „ Chriſto ſe credere, & prædicare, ſicut Sedes Apoſtolica credit: anathematizans eos, „ qui unam naturam, voluntatem, & operationem in Domino Noſtro Jeſu Chriſto dicunt: *Hactenus Anaſtaſius*. Cumque hæc in Actis ſextæ Synodi deſiderentur à Theodoro Epiſcopo Conſtantinopolitano, prælibata Acta eſſe mutilata autumant eruditi, ne ſcilicèt eis ipſemet Theodorus comprobaretur hæreticus.

722 At proſequendo ſeriem Actionum, prout

prout exhibent Acta, quæ nunc extant: Die VII. menſis Martii celebrata eſt Actio VIII. qua Georgius, aliique plures, qui teſtimoniorum collationi cum authenticis exemplaribus factæ interfuerant, retulerunt, ſe loca Patrum in Codice Legatorum Sedis Apoſtolicæ pro duabus voluntatibus & operationibus Chriſti allegata fideliter cognoviſſe, eaque authenticis Patrum voluminibus planè conſona reperiſſe, profitentes inſuper hac occaſione, cum Sanctis Patribus de Chriſti voluntatibus & operationibus ſentire ac credere, deſertâque Monothelitarum perfidiâ, fidem Orthodoxam profiteri: quaſque Agatho Papa ſuggeſtiones direxerat, tanquam à Spiritu Sancto dictatas per os Sancti & Beatiſſimi Principis Apoſtolorum Petri,& digito ter Beatiſſimi Papæ Agathonis ſcriptas ſuſcipere,& amplecti.

723 Poſt hæc Theodorus Melitenus Epiſcopus obtulit acceptum, ut ille dicebat, à Stephano Abbate Macarii diſcipulo libellum; quo continebatur, nihil in fide decernendum, præter ea, quæ in Sanctiſſimis Conciliis decreta eſſent, & quòd ſufficeret in duabus naturis unam operationem confiteri, ideoque de duabus voluntatibus in Chriſto tacendum eſſe videri. Cùm poſt factam ſuffragiorum collationem, ille ab Imperatore interrogatus, unde libellum accepiſſet? iterùmque Stephanum Abbatem diſcipulum Macarii nominaſſet, atque adeò ipſum reliquoſque Macarii diſcipulos de Monothelitarum hæreſi ſuggillaſſet, exurgentes Macarii Diſcipuli conteſtati ſunt, Theodorum Melitenum Epiſcopum eſſe mentitum, ſeque paratos eſſe fidem Catholicam profiteri: Quod ut facerent, ſequente Actione nona, per Decretum Synodi illis mandatum fuit. Quibus peractis ſuggeſſit Georgius Patriarcha Conſtantinopolitanus, ſibi neceſſarium, atque utiliſſimum videri, ut nomen Vitaliani Papæ Sacris Diptychis, è quibus illud Theodorus Conſtantinopolitanus & Macarius Antiochenus invito Imperatore expunxerant, iterùm reſtitueretur: ideo maximè, quòd ea de cauſa plures ſe ab Eccleſia Catholica ſeparaſſent, de quibus hac de cauſa convertendis ſpes maxima foret. Acquieſcente Principe, immenſâ letitiâ repleta Sancta Synodus exclamavit: „ Conſtantino Magno Imperatori multos annos, Conſervatori orthodoxæ fidei multos annos, Pacifico Imperatori multos annos, novo Magno Conſtantino Imperatori multos annos, novo Theodoſio Imperatori multos annos, novo Imperatori Marciano multos annos, novo Juſtiniano Imperatori multos annos. Nos famuli Imperatoris, Agathoni Orthodoxo Papæ Romano multos annos, Georgio Orthodoxo Patriarchę multos annos, Sacro Senatui multos annos, Orthodoxo Senatui multos annos.

724 Abſolutis hujuſmodi acclamationibus, inſtante eadem Sancta Synodo, rogati ſunt Macarius & Syriæ Epiſcopi, ut ſuam fidem edicerent, & an ſuggeſtionibus Agathonis Papæ conſentirent, recuſante Macario, rectam fidem, & Agathonis literas ſe ſuſcipere profeſſi ſunt Syriæ Epiſcopi, nimirum Macrobius Epiſcopus Seleuciæ Iſauriæ, Eulalius Epiſcopus Zenonopoleos, Conſtantinus Epiſcopus Daliſandi, & Theodorus Epiſcopus Olbæ. Deinde allati ſunt Codices, quos porrexerat Macarius, & facta recognitione, juſſus eſt Macarius, ut diceret quid ſentiret de diſpenſatione Domini Noſtri Jeſu Chriſti unius Sanctæ Trinitatis Dei Verbi: & quoniam inter reſpondendum Macarius dixit, à ſe nuper editam fuiſſe fidei confeſſionem, ſivè expoſitionem, juſſit Imperator coram univerſa Synodo eam recitari, & à Diogene Imperiali Secretario relecta eſt, quæ ita ſe habet.

Expoſitio, ſive confeſſio fidei Macarii hæreſiarchæ.

725 „ Pacis Dei, quæ exuperat omnem ſenſum, ſumma eſt pietas, per quam uno ore, unoque corde Deo viventi, & vero, Trinitati ſervientes teneamus confeſſionem, pace Dei conſtricti. Hac non ab homine, neque per hominem, ſed Divinâ gratiâ, ô fideliſſime Imperator, inſtructus, cætera omnia inferiora ponens, ut condecebat Divinum Sacrumque Faſtigium, Divinum Zelum, qui tibi inditus eſt, exacuiſti: & Eccleſiæ oculos ſuſcitans, Pontifices inquam, invitas unumquemque, ut quòd in eo eſt orthodoxiæ proferat lumen, quatenus fulgeat ampliùs in Mundo. Annuat quoque tibi Deus, temporibus pii tui Imperii, Chriſtianiſſimæ prædicationis indeficiens lumen, & hæreticorum novæ Caligines extinguantur. Obedio itaque præparatus Deo placito veſtro conſilio. Quis ego ſum Domine à Deo decrete, vilis & abjectus, nec apparens, & in pavimento rejacens? Dicam quoque, immeritus terribili ſervire atque aſſiſtere tribunali. Verùm à vobis dignus habitus, hanc profeſſionem facio fidei, quam Patres noſtri, qui in Nicæa, & dehinc fuerunt, promulgaverunt; cum qua genitus, & coeducatus ſum, cum hac & abſcedam.

726 „ Credo igitur in unum Deum, Patrem Omnipotentem, omnium viſibilium & inviſibilium factorem, & in unum Dominum Noſtrum Jeſum Chriſtum, Filium ejus unigenitum, qui ex eo natus eſt ante omnia ſæcula, Deum verum ex Deo vero, perfectum Filium, perfectum Patris Verbum, efficax, ſapientiam ſubſiſtentem, & virtutem totius creaturæ factricem. Et in Spiritum Sanctum ex patre procedentem, & per Filium manifeſtatum, videlicèt hominibus, vitam viventium cauſam, immortalem, ſanctitatem totius ſanctificationis lar-

,, largitorem. Trinitatem perfectam gloria,
,, & æternitate & Imperio, & conſilio non
,, diviſam, & unam deitatem, & dominatio-
,, nem. Nihil enim ſervile in Trinitate, vel
,, ſubjectum, & introductitium, tanquam
,, priùs quidem non extitiſſet, poſt verò in-
,, tromiſſum. Neque enim defuit Filius Pa-
,, tri, neque Filio Spiritus, ſed inconver-
,, tibilis ſemper, & conſubſtantialis Sancta
,, Trinitas Deus noſter.

727 ,, Deum verò cùm dico, uno lumi-
,, ne illuſtror, & tribus: tribus quidem, ſe-
,, cundùm proprietates ſivè ſubſiſtentias, &
,, perſonas: uno verò ſecundùm eſſentiæ ra-
,, tionem, ideſt, deitatis. Dividitur quippe
,, indiviſibiliter, ut ita dicam, & conjungi-
,, tur diviſibiliter, unum nempè in tribus ip-
,, ſa deitas, & ipſa tria unum, in quibus dei-
,, tas, ſivè (ut expreſſiùs dicatur) quæ eſt
,, deitas: & neque ipſam unitatem confuſio-
,, nem opinamur, neque ipſam diviſionem,
,, alienationem. Abſit enim à nobis ex æquo
,, & Sabellii confuſio, & Arii diviſio, quæ
,, & è regione mala ſunt, & ſimilia quidem
,, impietate. Quid enim eſt opus, aut Deum
,, confundere malè, aut concidere in inæqua-
,, lia? Nobis verò unus Deus Pater, ex quo
,, omnia; & unus Dominus Jeſus Chriſtus, per
,, quem omnia, & unus Spiritus Sanctus, in
,, quo omnia: unus hæc tria Deus, & hæc tria
,, unum, ſicut diximus.

728 ,, Confitemur autem unum Sanctæ
,, Trinitatis Dominum Noſtrum Jeſum Chri-
,, ſtum Filium Dei unigenitum propter nos
,, in ultimis diebus deſcendiſſe de Cœlis, &
,, incarnatum eſſe de Spiritu Sancto, & San-
,, cta Immaculataque Domina noſtra Dei
,, Genitrice ſemperque Virgine Maria, & hu-
,, manatum eſſe, hoc eſt, veram carnem ac-
,, cepiſſe de ea, animatam anima rationali
,, atque intellectuali: & hanc, nullo modo
,, ante hoc ſubſiſtentem, mirabiliter in ſe ip-
,, ſo formaſſe, & hanc propriam, per unio-
,, nem diſpenſativè feciſſe non ex ſemine hu-
,, mano, vel operatione viri extitiſſe, neque
,, ex voluntate carnis, ſed operatione, & vo-
,, luntate virtutis Altiſſimi Dei. Ait enim
,, Angelus ad Glorioſam & verè Dei Genitri-
,, cem: *Spiritus Sanctus ſuperveniet in te, &*
,, *virtus altiſſimi obumbrabit tibi. Ideoque,*
,, *quod naſcetur ex te Sanctum, vocabitur Fi-*
,, *lius Dei*.

729 ,, Ex hoc quippe ſolùm, Dei Geni-
,, tricem propriè, atque ſecundùm veritatem
,, Dei Verbi Virginem Matrem glorificamus,
,, quoniam qui præerat Deus ſuper natu-
,, ram, ex ſe peperit incarnatum: & ita fa-
,, ctus eſt ſecundùm nos humanatus Deus
,, Verbum, ut non, quod erat, amitteret:
,, ſed & ſi factus eſt in aſſumptione carnis &
,, ſanguinis, ita quoq; manſit quod erat Deus
,, naturâ ſcilicèt & veritate. Nec tamen car-
,, nem dicimus in Divinitatis tranſiſſe natu-
,, ram, neque iterùm in naturam carnis ineſ-
,, fabilem Dei Verbi derivatam eſſe naturam,
,, ſicut Apollinarius, Eutyches, & Severus
,, impudenter aſſerverunt. Nuſquam enim pro-
,, pter unitionem differentia naturarum eva-
,, neſcit. Salvatur autem magis proprietas
,, utriuſque naturæ in una perſona, unaque
,, ſubſiſtentia. Unitum quippe eſſe carni ſe-
,, cundùm ſubſiſtentiam confitentes Verbum,
,, unum illum adoramus, Filium unigenitum
,, Deum verum Dominum omnium noſtrùm
,, Jeſum Chriſtum, in duabus naturis incon-
,, fusè, & indiviſè cognoſcendum, non per
,, partes ponentes, ac ſegregantes hominem,
,, & Deum, neque illum quidem operatum
,, fuiſſe miracula, hunc verò paſſum fuiſſe
,, quæ humana ſunt, ſicut dividentes Theo-
,, dorus & Neſtorius dicunt, ſed unum eun-
,, demque confitemur Deum & hominem per-
,, fectum, conſubſtantialem Patri ſecundùm
,, Deitatem, & conſubſtantialem nobis eun-
,, dem ſecundùm humanitatem, ejuſdem duas
,, nativitates prædicantes, tamque ante ſæ-
,, cula ex Patre ſecundùm Deitatem, quàm-
,, que in ultimis diebus ex Maria Virgine Dei
,, Genitrice ſecundùm humanitatem, ejuſ-
,, dem miracula & paſſiones, & omnem ſimul
,, Deo decibilem, atque homini condecen-
,, tem operationem ex eodem uno Chriſto
,, Deo noſtro nova ratione proceſſiſſe credimus.

730 ,, Neque enim quæ divina ſunt, ſe-
,, cundùm Deum; neque rursùs quæ ſunt ho-
,, minis ſecundùm hominem: ſed humanatus
,, Deus Verbum novam quandam Deiviri-
,, lem operationem, & hanc totam vivifica-
,, tricem demonſtrat: tametſi novum videtur,
,, & perturbat aliquorum auditus ſuſpican-
,, tium in peremptionem hanc nos proferre
,, earum, quæ in Chriſto Deo noſtro ſunt in-
,, confusè, & ſecundùm ſubſiſtentiam aduna-
,, tarum duarum naturarum, quod non eſt
,, unquam, nec fiet. Unum igitur eundem-
,, que operatum fuiſſe dicimus, ideſt, mirè
,, operatum eſſe ſalutem noſtram, eundem-
,, que paſſum propria carne, & omnes verè
,, ſuſtinuiſſe ſalutares paſſiones, idem eſt di-
,, cere & miracula, ut ſit quidem carnis pa-
,, ti, non ſeparatæ videlicèt à Divinitate,
,, quamvis non divinitatis fuit pati, ipſius
,, autem Dei operatio, quamvis per huma-
,, nitatem ejus, hoc eſt, totam noſtram con-
,, ſperſionem hanc adimpleverit una & ſingu-
,, lari voluntate Divina, utpote non exiſten-
,, te in eo & alia voluntate, ſivè obſiſtente &
,, adverſante Divinæ ejus, & potenti illi vo-
,, luntati. Impoſſibile enim eſt, in uno eo-
,, demque Chriſto Deo noſtro duas ſimùl, &
,, adinvicem contrarias ſeu ſimiles exiſtere
,, voluntates.

731 ,, Salutaris verò à Deo inſtructorum
,, Patrum doctrina manifeſtè inſtruit, quia
,, nunquam intellectualiter animata Domini
,, caro, diviſè atque ex proprio appetitu con-

tra

„ tra nutum uniti ſibi ſubſiſtentialiter Dei „ Verbi naturalem ſui feciſſet motionem: ſed „ quando, & quantam, & qualem idem Deus „ Verbum volebat, & ut clariùs dicatur, „ quemadmodùm corpus regitur, & ornatur, atque ordinatur ab intellectuali & rationali anima noſtra, ita & in Domino „ Chriſto tota humana ejus conſperſio ab ejuſdem Verbi Divinitate ſemper & in omnibus mota Deo mobilis erat ſecundùm Nyſſenum Gregorium, dicentem adversùs Eunomium ita: ſecundùm quod Deus eſt Filius impaſſibilis eſt per omnia & immortalis. Si autem paſſio de eodem in Evangelio „ dicatur, per humanitatem, quæ profectò „ per omnia paſſionis eſt capax, hoc operatus eſt. Operatur enim verè Divinitas per „ corpus quod circa eam eſt, omnium ſalutem, „ ut corporis quidem ſint paſſiones, Dei verò operatio, per quam & ſalvati ſumus, & „ hujuſmodi ſaluti nullam introducimus diviſionem. Semel enim moriens & multorum abluens peccata redemptionem & ſalutem ex ſe ipſo nobis, qui in peccatis ſumus „ acquirens, reſurrexit, & conſuſcitavit & „ vivificavit nos, pacem perpetuam donans: „ aſcendenſque in Cœlos, ſedet ad dexteram „ Patris ejus, & iterùm veniet cum gloria „ judicaturus vivos, & mortuos, cujus regni non erit finis. Speramus enim reſuſcitari omnes, & Divino aſſiſtere Tribunali, „ ut percipiat unuſquiſque juſtam ab eo retributionem, finem non habituram.

732 „ Neceſſariè verò & illud adjiciemus: „ aſſerentes quippe mortem, quoad carnem „ Unigeniti Filii Dei, ideſt, Jeſu Chriſti, & „ ex mortuis aſcenſum, & in Cœlos aſſumptionem confitentes, citrà ſanguinem cultum in Eccleſia celebramus. Ita quippe accedimus ad benedictiones arcanas, & ſanctificamur participes effecti tam ſanctę carnis, quàmque pretioſi ſanguinis Chriſti, „ omnium noſtrùm Salvatoris: & non ut „ communem carnem ſuſcipiamus, abſit: neque iterùm ut viri ſanctificati, & copulati „ Verbo per unitatem dignitatis, ſivè ut Divinam inhabitationem habentis, ſed ſicut „ verè vivificatricem, & propriam ejuſdem „ Verbi: vita enim cum ſit naturaliter ut Deus, „ quia factus eſt unum ad carnem ſuam, vivificam eam demonſtravit. Unde cùm dicit „ ad nos: *Amen Amen dico vobis, niſi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem*, non ſicut hominis unius „ ex nobis, & ipſam exiſtimamus eſſe: quomodo enim hominis caro vivificare poterit ſecundùm propriam ſui naturam? Sed ut verè „ propriam Filii Dei, qui pro nobis etiam Filius hominis factus eſt. Cæterùm voces Salvatoris noſtri, quæ in Evangeliis ſunt, neque „ ſubſiſtentiis duabus, neque perſonis patimur: „ ſed tam humanas, ad hæc & Divinas, ab uno „ dictas putabimus, rectè ſentientes. Uni igitur perſonæ univerſas voces, quę ſunt in „ Evangelio deputare oporteret, uni ſubſiſtentię Verbi incarnati: Dominus enim unus eſt „ Jeſus Chriſtus, ſecundùm ſcripturas.

733 „ Hæc ſapere ſumus edocti à Sanctis „ Apoſtolis & Evangeliſtis, ab omni quoque à Deo inſpirata ſcriptura, & à vera confeſſione Beatiſſimorum Patrum eorum, qui „ in Nicæa & Conſtantinopoli, & deinceps, „ ideſt, ſanctarum & univerſalium quinque „ Synodorum, in quibus & Epiſtolæ Sanctorum Cyrilli & Leonis quæque prædicaverunt ac ſuſceperunt, ſuſcipimus & prædicamus: & quæque abiecerunt, & nos „ anathematizamus, & omnem hæreſim à Simone uſque in præſens, præcipuè Arium, „ Eunomium, Macedonium, & Apollinarem, Sabellium, Novatum, & Sabbatium, „ Diodorum, & Neſtorium, Eutychen quoque, Dioſcorum, Severum, & Julianum, „ & Agnoitin (& ignorantem) Themiſtium, „ & omne eorum profanum conſortium, „ Origenem quoque, & Didymum, & Evagrium & fabuloſa eorum deliramenta.

734 „ Ad hæc, anathematizamus & quos „ ſancta quinta Synodus abjecit, Theodorum, inquam, Mopſueſtenum maledictum „ illius Maximi hereſeos diviſioniſq; doctorem „ & impia Theodoreti ſcripta, quæ adversùm „ orthodoxam fidem & duodecim Capitula „ Beati Cyrilli, & Epiſtolam, quæ dicitur „ ab Iba ſcripta fuiſſe ad Marim Perſam, ſuper his etiam omnibus hæreticis, & eum, „ qui his ſubortus eſt, Maximum, nec dicendum cum ejus Diſcipulis, qui manichæizare, & proiicere Corpus Chriſti Domini Noſtri ille paganus edocebat, & impium „ diviſionis ejus dogma, quod & olim noſtri „ Patres reſpuerunt, ideſt, Honorius, Sergius, & Cyrus, & reliqui Eccleſiarum Doctores, atque Antiſtites, ad hæc etiam & „ piæ memoriæ Heraclius proavus veſter, „ cujus proſapiam orthodoxiæ Deus huic pio „ Imperio aſſignavit: cum indignatione quippe cum Sanctis Patribus noſtris, etiam ipſe exortam hanc Maximianorum hæreſim „ condemnavit: quos ſecuta & ea quæ hìc facta eſt per divalem juſſionem piæ memoriæ „ Patris veſtri Sancta Congregatio, Petrus „ quoque Sanctiſſimus ac univerſalis Patriarcha, & præceſſor meæ parvitatis Macedonius beatæ memoriæ, & Vicarius Alexandriæ Theodorus, præſentibus unà cum eis, „ & qui advenerant Epiſcopis, & Sacro Senatu, quæ circa fuerant, in ſcripto diſcutientes, hanc anathematizaverunt, & exilio damnaverunt cum impiis ejus Diſcipulis. Sed univerſos hæreticos apud ſe anathematibus congemiſcere derelinquens, iterum convertor ad Dominum, & ab eo conſervari Veſtram pietatem expoſco., quæ orthodoxiæ ſermonem corroborat. Vos enim „ & à proavis luminaria fidei; luminaria fidei

,, dei Dominus illuſtret; Orthodoxiæ Cu-
,, ſtodes Dominus cuſtodiat; Deus exaltet
,, cornu veſtrum perſequens omnem hoſtem,
,, & pacem profundam Eccleſiis & univerſo
,, Mundo condonans. *Subſcriptio*.

735 *Macharius, miſericordià Dei Epiſcopus Theopoleos, dictans omnem ſupradictum Orthodoxiæ textum, juxta editiones ſanctarum & univerſalium quinque Synodorum & Sanctorum ac probabilium Patrum, qui nominatim à me ſunt poſiti, qui explanaverunt, juxta præfixam virtutem, unam voluntatem in uno Domino Jeſu Chriſto Deo noſtro, qui Deivirilem demonſtravit nobis ſuam operationem, & quia impium ſit dicere, in eodem Chriſto Deo noſtro duas voluntates, conſentiens atque confeſſus, & ita ſentiens & docens, & ſperans aſſiſtere terribili Dei Tribunali cum hac mea orthodoxa fide ſubſcripſi*. Hactenus fidei explanatio Macarii.

736 Eâ itaq; recitatâ & poſtulante Principe, ſi confiteretur duas naturales voluntates & duas operationes naturales in Incarnationis diſpenſatione Chriſti Dei noſtri, reſpondit Macarius, ſe nullatenus faſſurum duas voluntates duaſque operationes, etiamſi membratim incideretur & mitteretur in Mare: *Non dico*, inquit, *duas naturales voluntates, nec duas operationes naturales in Incarnationis diſpenſatione Domini noſtri Jeſu Chriſti, nec ſi membratim incidar & mittar in Mare.* Tunc eodem præcipiente Imperatore, facta eſt collatio teſtimoniorum Patrum, quæ defloraverat Macarius pro una in Chriſto voluntate cum authenticis Codicibus; & cùm Patres cognoviſſent detruncata atque mutilata à Macario fuiſſe, intermiſsâ ulteriori collatione, exclamaverunt: „ Hæreticum ſe
,, ipſum manifeſtè demonſtravit, novo Dio-
,, ſcoro anathema, hujuſmodi deponatur,
,, novum Dioſcorum foràs mitte, novo Apol-
,, linario malos annos; meritò ab Epiſcopa-
,, tu alienetur; nudetur circumpoſito ei pal-
,, lio. Et denudato eo, *inquiunt Acta*, atque
,, in medio adſtante unà cum Stephano ejus
,, diſcipulo, Theophanes venerabilis Presby-
,, ter & Abbas Monaſterii Bajas interrogavit
,, eoſdem. Habuit humanam voluntatem
,, Dominus noſter Jeſus Chriſtus & impec-
,, cabilem? Et Macarius & Stephanus dixe-
,, runt: Nos voluntatem humanam in Chri-
,, ſto non dicimus.

737 De Macarii depoſitione, ejuſque & ſuorum diſcipulorum damnatione Anaſtaſius in vita Agathonis hæc ſcribit: „ Eâ horâ
,, ſancta Synodus unà cum Principe ejus
,, Orarium auferri juſſerunt à collo ejus, &
,, exiliens Baſilius Epiſcopus Cretenſis Ec-
,, cleſiæ, Orarium abſtulit; & anathemati-
,, zantes, projecerunt eum foris Synodum,
,, ſimulq; & Thronum ejus. Stephanum autem
,, diſcipulum ejus cervicibus à ſancta Syno-
,, do Clerici Romani ejicientes expulerunt.
,, Eâ horâ tantæ telæ aranearum nigerrimæ in
,, medio populi ceciderunt, ut omnes mira-
,, rentur ac dicerent, quòd ſordes hæreſum
,, expulſæ ſunt, &, Deo auxiliante, unitæ
,, ſunt ſanctæ Dei Eccleſiæ. In loco verò
,, Macarii ordinatus eſt Theophanius (*ſive*
,, *Stephanus*) Abbas Monaſterii, quod ap-
,, pellatur Bajas Inſulæ Sicilienſis, Patriar-
,, cha Eccleſiæ Antiochenæ; Macarius ve-
,, rò cum ſuis amatoribus, id eſt, Stephano,
,, Anaſtaſio Expresbyteris, & Leontio Ex-
,, diacono, Polychronio, Epiphanio Expreſ-
,, byteris truſi in exilium, in Romanam dire-
,, cti ſunt Civitatem. *Hactenus Anaſtaſius*.

738 Die VIII. menſis Martii ejuſdem Anni DCLXXXI. celebrata eſt Actio IX., ubi factâ publicâ teſtimoniorum Macarii collatione, poſt eorumque depravationem coràm omnibus publicatam & manifeſtatam, latâ jam damnationis ſententiâ, in Macarium & Stephanum executa eſt, clamante Synodo: *Multos annos Imperatori; orthodoxo Imperatori multos annos: Hæreticum foràs mitte, novo Eutycheti malos annos; novo Apollinari malos annos: Hæreticum foràs mitte. Et impulſus eſt Stephanus*, ſubjungunt Acta, *& foràs miſſus eſt*.

739 Poſt hæc iterùm in eodem loco convenientes die XVIII. menſis Martii, habuerunt Actionem X.; atque in ea publicata eſt collatio locorum, quæ citata fuerunt ex Sanctis Patribus in Epiſtolis Agathonis & Romani Concilii; eſtque in omnium conſeſſu manifeſtè cognitum, probatum & declaratum, ipſa teſtimonia cum Græcis Codicibus in omnibus convenire, prorsùſque iiſdem conſentire. Deinceps Petrus Epiſcopus Nicomediæ, recantatâ Palinodiâ, confeſſionem ſuæ fidei ſcripto editam coràm Synodo exhibuit, qua anathemati ſubjiciebat quotquot unam voluntatem & unam operationem in Chriſto confiterentur, quæ omnium judicio ut catholica recepta & approbata fuit. Et inde petente Theodoro Hieroſolymitanæ Eccleſiæ Legato, ut legeretur ea Epiſtola Sophronii Hieroſolymitani, quam Sergius Conſtantinopolitanus Epiſcopus ad ſe tranſmiſſam non ſuſcepit, dictum eſt à Principe, ejuſmodi lectionem transferendam ad ſequentem Actionem, & dimiſſa eſt decima Actio.

740 Uno dumtaxat intermiſſo die convenientibus Patribus in eodem loco unà cum Principe cæteriſque aliis, die 20. Martii celebrata eſt Actio XI., ubi, juxta petitionem factam ſuperiori Actione à Legato Eccleſiæ Hieroſolymitanæ, lecta eſt Epiſtola Sophronii ad Sergium data, quæ incipit: *Papæ, Papę Beatiſſimi*, quæ, cùm omnium judicio approbata fuiſſet, ad hæreſim Macarii, ejuſque diſcipuli magis publicandam & confundendam, utriuſque ſcripta blaſphemiis pleniſſima recitari mandatum fuit: Sed dùm vix ad medium ventum eſſet, lectio eorum interrupta

eſt,

eſt, dicente Concilio: „ Superfluæ fabuloſitatis pulverem Scriptorum Macarii & Stephani ejus diſcipuli, præſertimque tertii eorum ſermonis, qui & in præſenti relegitur, à nobis metipſis excutientes, & juſto anathemati ſubmittentes, interrumpi prævidimus horum animabus noxiam lectionem. *Hæc ibi*.

741 Deindè judicatum fuit non abs re futurum, ſi in deteſtationem hæreſis Monothelitarum ex ſcriptis Macarii blaſphemiæ illius exciperentur, collectæque in unum cum aliis blaſphemiis hæreticorum, qui recenſiti ſunt in Epiſtola Agathonis, conjungerentur. Et cùm hæc recitarentur, ventum eſt ad ſermonem acclamatorium ad Imperatorum ejuſdem Macarii, in quo inter alia hæc dixiſſe relatum eſt: „ Eos, qui contraria eis adſtruxerunt SS. Patres noſtros, condemnaverunt & anathematizaverunt abſolutè omnes, qui unam voluntatem Domini adſtruxerunt, quorum unus extitit Honorius Romanus, qui unam voluntatem maniſeſtiſſimè prædicavit. *Hæc ibi*. Cùmque non conſtet Apoſtolicæ Sedis Legatos quicquam in defenſionem Honorii interlocutos, viſum eſt aliquibus eos conſenſiſſe, talem fuiſſe Honorii doctrinam; verùm ex hoc ipſo quidam eruditi concludunt, talia in Actis inſerta fuiſſe à Monothelitis, cùm probabile non videatur, Legatos, qui acerrimè Romanorum Pontificum fidem defenderunt, in caſu Honorii tacuiſſe. Sed de hac controverſia, infra.

742 Die porrò XXII. ejuſdem menſis Martii (mendosè in Actis notatur XX. Nam eâ die conſtat celebratam antefatam Actionem) abſente Principe, locum tamen ejus tenentibus Conſtantino & Anaſtaſio Patritiis & Exconſulibus, Polyeucto & Petro pariter Exconſulibus, in eodem loco, qui dicitur Trullus, conſedentibus Patribus Actio XII. habita eſt, ubi miſſæ ſunt ab Imperatore quędam chartæ à Macario miſſæ, quarum in numero, dùm poſt ſermonem acclamatorium ſuperiore Actione recitatum, continerentur Epiſtola Sergii ad Cyrum Alexandrinum, cujus initium: *Apparuit quidèm nobis ſtatim*, ejuſdemque alia ad Honorium Pontificem, incipiens: *In tantum vobis*; item Epiſtola prima Honorii ad Sergium reddita, quæ incipit: *Scripta fraternitatis veſtræ*; relecta eſt Epiſtola Sergii ad Cyrum; deindè prolatus eſt ſermo quidam nomine Mennæ ad Vigilium, & dùm relegeretur, jubentibus Judicibus intermiſſa eſt lectio, cognito prælibato ſermone ut ficto & ſuppoſititio; ejuſdem farinæ eſſe pronùciantes Epiſtolam nomine Vigilii datam Juſtiniano & Theodoræ Auguſtæ; quare his omiſſis, recitatæ ſunt Epiſtola Sergii ad Honorium, & altera Honorii ad Sergium. Et poſt hæc declamatum eſt iterùm adversùs Macarium, dicente ſanctâ Synodo: „ Inveteratum Macarium in impietatis dogmatibus, & non ſolùm univerſalem Chriſto amabilem plebem, quę hanc à Deo conſervandam Regiam Urbem inhabitat, everſione turbolentâ potantem, teſtimoniaque Sanctorum & probabilium Patrum falſantem, & quædam quidèm abſcindentem, quædam verò addentem, & ſecundùm quod ei videbatur, in devia mittentem piiſſimum & à Deo coronatum noſtrum Principem, per oblatos ab eo Codices, ſed & à Solis ortu uſque ad occaſum per literas ſuas & per homines, quos mittebat, univerſos perturbantem, & à fide vera ſegregantem, & juſtè atque regulariter à Pontificali habitu denudatum, nullatenùs divina regula de cætero ſuſcipit in Doctoris Sede reſidere, nè ex hoc propriæ ſuæ hæreſeos multò ampliùs recrudeſcere faciat intelligentiam, *& fiant*, juxta quod ſcriptum eſt, *noviſſima illius pejora prioribus*. His & aliis dictis, qui de Eccleſiæ Antiochenæ erant, factâ Suggeſtione, rogarunt, ut de alio Epiſcopo Antiochena Eccleſia provideretur: Sed dilatâ proviſione in alteram Actionem, dimiſſa eſt illius diei Actio.

743 Die XXVIII. menſis Martii abſente pariter Imperatore, & locum ejus tenentibus qui ſupra Exconſulibus, celebrata eſt à Patribus XIII. Actio eodem in loco, qui dicitur Trullus, ubi lata eſt ſententia condemnationis adversùs Cyrum, Sergium, Pyrrhum, Paulum, & Petrum nominatim recenſitos, addita eſt & Honorii perſona, ſed putatur ab Actorum Interpolatore inſerta, ut nos ſuo loco oſtendemus. Deinde recitatâ præfatâ ſententiâ, adjecta eſt lectio novem Capitulorum Conciliabuli Alexandrini ſub Cyro & earum Epiſtolarum, quas Cyrus ad Sergium, Pyrrhus ad Joannem Romanum Pontificem, Petrus, Paulus, aliique plures ad alios tranſmiſerant; & adjecto decreto, ut præfata omnia ſcripta igne cremarentur, coràm univerſo Concilio combuſta ſunt. In hac Actione ſubſtitutum eſſe Theophanium Epiſcopum Antiochenæ Eccleſiæ loco depoſiti Macarii, juxta poſtulata in anteriori Actione ab Epiſcopis Antiochenæ Diœceſis, licèt in Actis deſideretur, certum tamen redditur ex ſubſequenti Actione, ubi Theophanius, ſivè Theophanes, nominatur Epiſcopus Theopoleos Antiochiæ, ſicut & in cæteris ſubſequentibus Actionibus.

744 Die porrò quinta Aprilis, ut habetur in Actis (quamvis Binius legat diem ſecundam) iterùm habita eſt Actio XIV. coràm eiſdem Exconſulibus, locum tenentibus Imperatoris, ipſo abſente, ubi relecta ſunt ex Actis quintæ Synodi quædam ſcripta ſub nomine Mennæ & Vigilii Papæ de una in Chriſto voluntate. Cognitis tamen à Patribus ut ſuppoſititiis & alicujus Monothelitæ Impoſtoris arte ſub nomine præfatorum Epiſcoporum

rum

rum confictis & Actis quintæ Synodi doloſè inſertis, placuit univerſæ Synodo & ſcripta illa & Auctores, qui ea confixerunt, anathemati ſubjici. Poſt hæc Epiſcopi Inſulæ Cypri tomum quendam in medium protulerunt, Athanaſii nomine inſcriptum, ex quo per inductionem longiùs petitam probatum eſt, in Chriſto duas eſſe voluntates, duaſque operationes; & inde dimiſſa eſt Actio.

745 Eodem menſe Aprilis die xxv. iterùm eodem in loco convenientes Patres coràm prælibatis Exconſulibus, abſente Principe, celebrata eſt Actio xv., in qua ſola cauſa Polychronii Presbyteri Monachi, propoſita in fine anterioris Actionis à Domitio Epiſcopo Pruſidiano cognita fuit. Is enim Sectator erat Macarii, ac multos falſo dogmate decipiebat, deluſus quoque à Satana, etiam miracula facere oſtentare non verebatur. Vocatus itaque à Patribus, & ingreſſus, interrogatuſque de ſua fide, & quid ſentiret in cauſa præſentis controverſiæ, dixit: *Ego expoſitionem fidei meæ do in opere mortui, rogans pro eo Filium Dei, ut ſuſcitet eum: Sin autem non reſurrexerit, ecce Concilium & Imperator, quæ eis placuerint, in me faciant.* Et interrogante Concilio, quam expoſitionem ſupra mortuum ponere voluiſſet, reſpondit, non aliam, quàm ſuæ fidei; quarè juſſus eſt eam exhibere, ipſa in quadam obſignata charta exhibita per Antiochum Lectorem & Notarium Patriarchæ Conſtantinopolitani, relecta eſt. Eratque his verbis concepta.

746 „ Conſtantino à Deo coronato ac „ manſuetiſſimo magno Principi ego Poly„ chronius, tanquàm præſens, ſaluto & ado„ ro; & quia vidi multitudinem Virorum „ candidatorum, & in medio Virum, cujus „ virtutem narrare non valeo, dicentem mi„ hi: Quia novam fidem componit, feſtina, „ & dic Imperatori Conſtantino, nè faciat „ novam fidem, neque acquieſcat. Et ve„ niente me ab Heraclea Chryſopolim, & „ ſtante me in Solario (hora erat quaſi ſepti„ ma diei) vidi Virum terribilem, candida„ tum valdè, & ſtetit coràm me, dicens: „ Quia qui non confitetur unam voluntatem „ & Deivirilem operationem, non eſt Chri„ ſtianus. Ego autem dixi: Hoc & Conſtan„ tinus ſapientiſſimus Imperator præfinivit, „ unam voluntatem & Deivirilem opera„ tionem. Ille autem dixit: Multùm benè „ & Deo placitè. *Hactenus explanatio Polychronii*,

474 Eâ itaque recitatâ, juſſus eſt edicere, ſi propriâ ejus manu ſcripta erant contenta in ea chartula: Et ſi ipſa chartula ea erat, cum qua promittebat mortuum ſuſcitare: ipſo affirmante, & egreſſis de loco Synodi univerſis, juſſus eſt mortuum aſportari in Atrio publici Lavacri, ubi ſpectante populo & qui de Concilio erant, Polychronius poſuit ſuper ipſum mortuum ejuſmodi fidei ſuæ chartulam, & ut Inquiunt Acta: *Et per plures horas perſeverans, & inſuſurrans ei, nihil horum, quæ ab eo ſtolidè & blaſphemè promiſſa fuerant; valens peragere, idem Polychronius dixit, nullatenùs ſe poſſe mortuum ſuſcitare.* Quo viſo populus, qui ibidem aderat, exclamavit, dicens: *Novo Simoni anathema, Polychronio ſeductori populi anathema.* Et ingreſſis iterùm Patribus in locum Concilii, nolente Polychronio duas confiteri in Chriſto voluntates & operationes, ab univerſo Concilio depoſitus eſt, & tanquàm hæreticus cum Macario & Stephano anathematizatus & execratus.

748 Tribus porrò elapſis menſibus & aliquibus diebus celebrata eſt Actio xvi. menſe Auguſti, die ix. ejuſdem, ſinè Imperatoris præſentiâ, & coràm iiſdem Exconſulibus, ubi comparens quidam Eccleſiæ Apameæ Presbyter, nomine Conſtantinus hæreticus Monothelita, profeſſus eſt, ſe ad docendam Synodum veniſſe, atque ad concordiam inter Monothelitas & Catholicos ineundam inveniſſe hunc modum, ut dicerentur in Chriſto duæ operationes, voluntas autem una. Et poſt varias interrogationes, reſpondens dixit: Chriſtum unam voluntatem habuiſſe, & hanc divinam: Naturalem quoque voluntatem ab utero uſque ad Crucem habuiſſe, ſed conſummatâ illius Paſſione, non manſiſſe ampliùs in eo naturalem illam voluntatem, ſed eam deſeruiſſe, atque cum carne & ſanguine exuiſſe: & interrogatus, quis exuerit carnem, & cum carne voluntatem, reſpondit, exuiſſe ipſummet Chriſtum. Et hanc fuiſſe Macarii fidem, & ab eo accepiſſe ejuſmodi dogma affatus eſt. Cùmque induci non potuerit, ut duas in Chriſto operationes ſecundùm rectam fidem confiteretur, ſanctâ Synodo exclamante: *Hæc Secta Manichæorum eſt: Hæc eſt fides Apollinarii; anathema illi cum dogmatibus ſuis; novo Manichæo anathema; novo Apollinario anathema; foràs mittatur Manichæus; omnibuſque hæreticis anathema*, ejectus & expulſus eſt. Deinde rogante Georgio Epiſcopo Conſtantinopolitano, ut ſi poſſibile eſſet, nominatim in acclamationibus non anathematizarentur Sergius, Pyrrhus, Paulus, & Petrus, qui ſuæ Eccleſiæ fuerant Epiſcopi, dictum eſt, eos omnes per ſanctam Synodum damnatos, nominatim quoque in acclamationibus fore anathematizandos; ideòque poſt acclamationes Imperatori, Agathoni & univerſo Concilio oblatas, Sergio, Cyro, Theodoro Pharanitano, Pyrrho, Paulo, Petro, Macario, Stephano, Polychronio, & Apergio Pergenſi, nominatim, & univerſis hæreticis dictum eſt anathema. Adeſt etiam in Actis Honorii nomen anathemati ſubjectum.

749 Die poſtea xi. menſis Septembris celebrata eſt Actio xvii. eodem in loco, iiſdem, qui ſupra, conſedentibus Patribus Ex-

conſulibus & Patritiis, in qua edita eſt, lecta & publicata fidei catholicæ definitio, cujus initium eſt: *Unigenitus Dei Patris Filius*, continens Symbolum Nicænum, & alterum Conſtantinopolitanum, atque declarans duas in Chriſto Domino confitendas naturales voluntates, divinam ſcilicet & humanam, duaſque pariter naturales operationes, adjecto pœnali decreto adverſùs aliter credentes, vel dogmatizantes.

750 Denique die XVI. ejuſdem menſis Septembris inchoatâ Indictione X. convenientibus iterùm Patribus eodem in loco, qui dicitur Trullus, ipſo quoque præſente Imperatore, adſtantibus compluribus Conſulibus, Exconſulibus atque Patritiis, habita eſt Actio XVIII. & ultima, ubi præcipiente Imperatore, iterùm relecta eſt Actio, & publicata eadem definitio fidei cum ſubſcriptione omnium Patrum, numero CLXVI., & inde ſanctum Cõcilium exclamavit: „ Omnes ita credimus, „ una fides, omnes idipſum ſentimus, omnes „ conſentientes & amplectentes ſubſcripſimus, orthodoxè omnes credimus. Hæc eſt „ fides Apoſtolorum, hæc eſt fides Orthodo„ xorum. *Hæc ibi.* Et poſt acclamationes oblatas Imperatori, dictum eſt iterùm anathema Neſtorio, Eutycheti, Dioſcoro, Apollinario, Severo, Theodoro Pharanitano, Sergio, Honorio, Pyrrho, Paulo, Cyro, Petro, Macario, Stephano, Polychronio, & univerſis hæreticis, qui prædicaverunt, vel prædicant, aut docent, aut docturi ſunt unam voluntatem & unam operationem in diſpenſatione Domini noſtri Jeſu Chriſti Dei noſtri. Deinde commendatis ab Imperatore univerſis Synodi geſtis, & reiteratis à Patribus eidem Imperatori acclamationibus, & adverſùs hæreticos & aliter ac definitum fuerat ſentientes, anathematibus, recitatus eſt ſermo proſphoneticus, ſive acclamatorius ad eundem Principem, cui univerſi Patres ſubſcripſerunt, & abſoluta eſt Synodus.

751 Editæ ſunt poſtea Synodicæ Literæ, datæ ad Agathonem Papam, incipientes: *Maximi morbi majoribus indigent auxiliis*, quibus pariter univerſi Patres ſubſcripſerunt. Fecit & Imperator Edictum, cujus initium: *In nomine Domini &c. Firmamentum & fundamentum ſuperno nutu*, quo, in ſacro Concilio edita & definita, præcipiuntur eſſe credenda, tenenda, prædicanda & edocenda, adjecto ad calcem pœnali decreto, ſi quis aliter auſus fuerit credere vel docere, ab iis, quæ ſtabilita, definita & ſancita ſunt in eo ſacroſancto & œcumenico Concilio.

752 Sic abſolutâ Synodo per ultimam Actionem celebratam, ut diximus, die XVI. menſis Septembris Anni Dñi DCLXXXI., Imperii Conſtantini Pagonati à Patris obitu Anno XIII., currente jàm Indictione X., ut Acta ipſa conſignant, remiſſi ſunt Romam Legati ad Agathonem Papam cum Synodica Patrum, ut coactâ per eum Romæ Synodo Acta omnia prælibati Concilii confirmaret. Accepiſſe Agathonem ejuſmodi literas, Baronius ad Annum Domini DCLXXXII. ſub num. 1. probat ex quadam Epiſtola ejuſdem Agathonis datâ ad Sanctum Edictum Epiſcopum Viennenſem, ex Monumentis Bibliothecæ Floriacenſis extracta, quæ ſic ſe habet.

Agatho Epiſcopus S. Edicto Viennenſi Archiepiſcopo.

753 „ Presbyter tuus Donatus in Syno„ do, ubi centum penè Epiſcopi reſidebant, „ Romæ de ſanitate tua nos lætificavit, cui „ rem geſtam apud Conſtantinopolim, ſicut „ Legati noſtri detulerunt, Sanctitati tuæ „ deferendam dedimus; ubi reperies Antio„ chenum Epiſcopum pro errore ſuo damna„ tum. Hæc tu, frater Beatiſſime, cùm per„ curreris, omnibus Galliarum Epiſcopis „ legenda & cavenda, ac tenenda tranſmitte. „ Scias autem loco ejus Theophanium Epi„ ſcopum ordinatum. Data pridie Kalendas „ Martii, piiſſimo Conſtantino Auguſto. *Hactenus Epiſtola.*

754 Ex ea ergò clarum fit, Agathonem poſt abſolutam Synodum ſupervixiſſe uſque ad ultimam diem Februarii Anni ineuntis DCLXXXII. non verò obiiſſe die X. Januarii ejuſdem Anni, ut Anaſtaſius ſcribit, qui ait, ſepultum eſſe IV. Idus Januarii, niſi Librariorum errore ſcriptum ſit Januarii, loco Junii, cùm probabiliùs videatur obiiſſe menſe Junii, vel certè poſt ſcriptam ab eo recenſitam Epiſtolam. Scribit porrò idem Anaſtaſius ſediſſe Annos duos, menſes tres, & dies tres, Sedemque vacaſſe Annum unum, menſes ſeptem, dies verò quinque; ſed errat in ſupputatione temporis, quoniam ſiſtendo ejus dictis, cùm, ſecundùm ipſius ſententiam, Donus Papa obierit XI. die Aprilis, & poſt menſes II. dieſque XV. vacantis Sedis, ſtatuat Agathonis electionem, neceſſe eſt afferat, Agathonem electum fuiſſe die XXVI. Julii Anni Domini DCLXVIII. Si porrò verum eſt, quòd de obitu Agathonis ſcribit, objiſſe nimirum, vel ſepultum eſſe die X. Januarii, cùm obierit Anno Domini DCLXXXII. ineunte, ſequitur ſediſſe Annos III. menſes VI. & dies tres; Sed ſi dicamus uſque ad menſem Junii vitam protraxiſſe, ferè ad Annos IV. minùs circiter menſe.

755 De tempore quoque vacantis Sedis poſt Agathonis obitum certant inter ſe eruditi. Anaſtaſius enim, ut antefati ſumus, ſcribit, Sedem vacaſſe per Annum, & ſeptem menſes, dieſque quinque. Cùmque Pontificatui Leonis II., qui ſucceſſit Agathoni, tribuat tantùm menſes X. & dies VII., vel, ut alii legunt, dies XVII., ſequitur, Leonem electum fuiſſe Anno Domini DCLXXXIII., quo-

quoniam tempore Concilii Toletani xiv. celebrati Anno Domini DCLXXXIV. Superſtitem adhùc fuiſſe, indicat prçlibati Concilii Canon II., ubi dicitur ab eo miſſam Epiſtolam cum Actibus Synodi Conſtantinopolitanæ: *Cum quibus etiam geſtis, Leonis quoque antiquæ Romæ Pontificis*, inquit Canon, *invitatorio, Epiſtolaris gratiæ conſulta ſuſcepimus, per quæ omnis ordo geſtorum, geſtaque ordinum dilucidè, ut acta ſunt, noſtris ſenſibus patuerunt*. Si autem ante præfatum annum Cathedram Sancti Petri conſcendiſſet, ex brevitate temporis ſui Pontificatus in vivis eſſe minimè potuiſſet tempore Synodi xiv. Toletanæ.

756 Sed obſtare videtur Epiſtola Conſtantini Imperatoris, data ad eundem Leonem Papam Indictione x., die xiii. menſis Decembris, ſivè, ut corrigit Labęus in notis ad vitam Leonis, die xiii. Aprilis; quoniam menſe Aprilis x. Indictionis currebat Annus Domini DCLXXXII., & ita videtur eo anno Sedem Pontificiam conſcendiſſe. Quarè Labæus in obſervatione ad eandem Leonis vitam ad ejuſmodi difficultates eliminandas ſequentia adnotat; ait ergò: Anno Chriſti DCLXXXII. ineunte, die x. Januarii, Indictione x. obiiſſe, aut ſaltèm ſepultum fuiſſe Agathonem, poſt Sedem annorum trium, menſium ſex, & dierum vigintiquinque, abſoluto jam Concilio Conſtantinopolitano à die xvi. prçteriti menſis Septembris; & paulò poſt Agathonis mortem electum eſſe Leonem II., & ad hunc ſub die xiii. Aprilis ſcripſiſſe Conſtantinum Epiſtolam ſuprarecenſitam, cujus initium: *Cælorum æternum Regnum*. Menſe Julio ejuſdem Indictionis x. affirmat, Legatos ab Agathone miſſos ad Synodum Conſtantinopolitanam, Romam ferentes Synodalia Acta & Epiſtolam Conſtantini, rediiſſe. Die poſtea xv. Auguſti prçfatæ Indictionis, acceptà à Conſtantino ſuæ electionis confirmatione, ordinatum Leonem II. in Romanum Pontificem, tùm ab Epiſcopo Portuenſi, tùm ab aliis, ſubjungit: Ex quibus colligit, Leonem II. ſediſſe annum unum cum menſibus x. & diebus xiv. Sed quoniam alii ordinationem Leonis referunt ad diem xv. Auguſti, labente Indictione xi., Anni ſcilicet DCLXXXIII., ideò ait, quòd ſi verum eſſet, fatendum ſit, Leonem II. à Romanis electum, atque interim Pontificium munus pro dignitate obeuntem, vix ac ne vix tandèm poſt annum ac ſex circiter menſes conſenſiſſe in ſuam conſecrationem, præ ſumma animi demiſſione, aliaſvè ob cauſas.

757 Deinde, cùm Anaſtaſius ſcribat ſub hoc Pontifice, Indictione x., die xvi. Aprilis Eclypſim Lunæ factam, & talem, ut poſt Cœnam Domini nocte penè totâ in ſanguineo vultu elaboraſſet, & nonniſi poſt Galli cantum cœpiſſet paulatim delimpidare, & in ſuum reverti ſtatum, concludit Labæus, tunc temporis aut conſecratum, aut certè electum fuiſſe Leonem. Addit poſteà menſe Maii Indictionis xi. examinatis Actis ſextæ Synodi cum Imperatoris Epiſtola, allatis menſe Julii ſuperioris anni à Legatis, Leonem aut tantùm electum, aut etiam ordinatum, Synodum præfatum confirmaſſe, datis ad Imperatorem confirmationis Literis, quarum initium: *Regi Regum, in cujus poteſtate*, licèt in eis mendosè adnotata ſit Indictio x. Poſt hæc ſub initium Autumni Anni Domini DCLXXXIII., inchoatâ jàm Indictione xii., Leonem miſiſſe, tradit, Acta ſextæ Synodi in Hiſpaniam per Petrum Reginarium S. R. Eccleſiæ Notarium cum Epiſtolis ejuſdem, quarum prima incipit: *Cùm diverſa ſint*; Secunda verò: *Ad cognitionem*; Tertia: *Cùm ſit veſtra*; Et quarta deniquè: *Cùm unus extet Rex omnium Deus*. Sed cùm die iv. Novembris, abſoluto jam Concilio Toletano xiii., & dimiſſis Patribus, hujuſmodi Literæ & Acta delata fuiſſent, eorum Lectionem in menſem Novembris anni ſequentis, quo Concilium xiv. Toletanum celebratum fuit, prorogatam fuiſſe ait; Ac deniquè concludit, Leonem II. obiiſſe die xxviii. Junii Anni DCLXXXIV., labente Indictione xii., ejuſque loco ſuffectum eſſe Benedictum, hujus nominis, Secundum. Hęc omnia ex antefato Labęo.

758 Cæterùm ſivè defectu electionis, ſivè defectu confirmationis electi, quæ ex more tyrannico ab Imperatore exigebatur, diù certè poſt Agathonis obitum remanſit Eccleſia Romana ſuo viduata Paſtore: Cauſam hujus tribuit Baronius Theodoro Patriarchæ Conſtantinopolitano, qui ſimulatè fidem catholicam profeſſus, Anno Domini DCLXXXII. Indictione x. poſt abſolutam ſextam Synodum, mortuo Georgio Patriarcha, qui Actis ſextæ Synodi interfuit, poſt annos tres, & menſes tres ſui Epiſcopatus, ut Nicephorus notat in Chronico, iterùm Solium Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ, à quo turpiter propter ſuam hæreſim ejectus fuerat, conſcendit. Cùmque iſte Monothelita eſſet, & Romanorum Pontificum hoſtis acerrimus, licèt exteriùs, timore Principis percuſſus, catholicum ſe eſſe profiteretur, in corde tamen hęreſim fovebat, & ei favere, quantùm ſibi fas erat, minimè omittebat; Quare ejus ſtudio factum eſt, ut Legati Apoſtolicę Sedis diù retinerentur in Regia Urbe; quoniam cùm ad ejus manus delata eſſent Acta ſextæ Synodi nuper editæ, donec poſſet ea pro ſuo libito adulterare, non eſt paſſus redire Romam Legatos, quibus Acta Synodi ferenda, erant contradenda; Et hac eâdem de causâ non eſt permiſſum, ut citiùs electus Pontifex, ab Imperatore confirmaretur, eo fortè uſus prætextu, ut per eoſdem Legatos confirmationis Literæ mitterentur. Hęc quidèm ex Baronio ad Annum DCLXXXII. ſub num. 2.

CAPUT XV.

De duabus in Chriſto voluntatibus & operationibus Catholica Aſſertio.

759 DUas in Chriſto Domino noſtro voluntates, duaſque operationes, ſolos damnatos hæreticos, ante Monothelitas denegaſſe, Acta Lateranenſis Synodi ſub Martino I. Secret. v. demonſtrant, quorum teſtimonia ibidem relecta ſunt, præcipuèque Lucii Ariani, quondam Eccleſiæ Alexandrinæ Epiſcopi, in quodam ſermone dicto in die Paſchæ, Apollinarii in libro contra Diodorum, in ſermone Divinę Incarnationis, aliiſque in locis; Polemonis Apollinarii diſcipuli in libro de Contradictionibus adversùs ſententias Patrum, & de ſexta Epiſtola ad Timotheum; Severi hæretici in ſermone proſphonetico recitato in Daphne; in Epiſtolis, quas ſcripſit ad Eleuſinium, ad Sergium Grammaticum, ad Oecumenium & adversùs Joannem Epiſcopum Cęſareæ Paleſtinæ; Themiſtii Severiani in ſermone ſecundo, oblato à Theodoſio Theodoræ Auguſtæ, ac in diverſis aliis ejus ſcriptis; Colluthi in opere, quod inſcripſit de ſatisfactione facta pro tomo Theodoſii; Theodori Mopſueſteni ſermone ſecundo pro miraculis facto; & in ſermone de Incarnatione; Neſtorii in libro de Myſterio Apparitionis Chriſti, & in Epiſtola ad Alexandrum Hieropolitanum; Pauli Diaconi Perſæ Sectâ Neſtoriani in ſermone de Judicio; Juliani quondam Halicarnaſſęi Epiſcopi hæretici in ſermonę contra Manichęos; Theodoſii hæretici Alexandrini in tomo ſcripto Theodoræ Auguſtæ, & Theodoli Neſtoriani lib.2. de conſonantia novi & veteris Teſtamenti. Et ipſe Sergius Monothelita plurimùm niſus eſt ſcriptis Theodori quondam Epiſcopi Pharanitani, qui pro una voluntate & operatione tomum integrum ſcripſerat ad Sergium quondam Epiſcopum Arſinoitam Ægyptiacæ Diœceſeos, cujus libri excerpta hæretica recitata ſunt XIII. Actione ſextæ Synodi; aliaque Secret. III. Concilii Lateranenſis ſub Martino I. Eutychianos porrò omnes cum Eutychete & Dioſcoro, unam tantùm naturam in Chriſto Domino poſt unionem ſivè unitionem, & hanc magis divinam, blaſphemando confitentes, Auctores iſtius novæ hæreſis extitiſſe, non eſt undè in dubium revocari poſſit; quoniam unam duntaxat naturam, & hanc divinam concedentes poſt unitionem in Chriſto, ex conſequenti neceſſe eſt afferant & unam ſolummodò voluntatem, unamque operationem in eo extitiſſe, quidèm divinam, comitantem ſcilicèt divinam naturam.

760 At Apoſtolica Chriſti Eccleſia Mater & omnium Magiſtra verum & catholicum fidei dogma ſequens, execratur prærecenſitos omnes hæreticos cum ſuo dogmate, & inſtruens filios ſuos, veriſſimè confitetur unum Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum ex duabus & in duabus exiſtentem naturis & duas ejus naturas, divinam ſcilicèt & humanam, etiam poſt inſeparabilem unitionem inconfuſas, in eo eſſe defendit, & ex proprietatibus naturalibus unamquamque harum Chriſti naturarum perfectam eſſe cognoſcit, & quidquid ad proprietates naturarum pertinet, duplicia omnia confitetur; quia ipſe Dominus noſter Jeſus Chriſtus & Deus perfectus eſt & homo perfectus eſt, & ex duabus & in duabus naturis; & poſt admirabilem Incarnationem exiſtens, nec Deitas ejus ſinè humanitate, nec humanitas ſinè Deitate poteſt intelligi; Et conſequenter duas etiam naturales voluntates in eo, & duas operationes eſſe confitetur, docet & prædicat; Neque enim conſiſtere poteſt in uno Domino noſtro Jeſu Chriſto dualitas naturarum perfectarum inconfusè & diſtinctè in unitate perſonæ unitarum, niſi cum ſuis naturalibus proprietatibus ſuas reſpectivè comitantibus naturas; neque in Chriſto Domino, ſi credatur caro, negari poteſt anima, & ſi concedatur anima rationalis, non poteſt denegari voluntas naturalis, quæ neceſſariò conſequitur animam rationalem, ut proprietas ab ea inſeparabilis. Neque deniquè humana natura perfecta eſt, ſi animâ rationali cum ſuis caret proprietatibus; undè & Chriſtus perfectus homo non eſſet, ſi exanimem naturam hominis, carnemvè humanam aſſumpſiſſet. Cùm ſit itaque, ut dictum eſt, Dominus noſter Jeſus Chriſtus perfectus Deus & perfectus homo, neceſſe eſt confiteri in eo duas perfectiſſimas naturas, divinam, qua Deus eſt, & humanam, qua homo perfectus eſt; duaſque quoque voluntates, unam divinam, quæ ad perfectionem ſpectat naturæ divinæ, humanam alteram perficientem humanam naturam; & conſequenter ex eis duas naturales operationes.

761 Hoc itaq; fidei dogma adversùs Monothelitas, alioſvè inſanientes hæreticos ex Scripturis ſanctis, atque ex Patrum doctrina deprompſit ſacroſancta Apoſtolica Eccleſia; Etenim ſcriptum eſt apud Matthęum cap.26., Salvatorem Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum ante ſuam ſacratiſſimam Paſſionem in Horto orantem, hæc verba protuliſſe: *Pater, ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte: Veruntamen non ſicut volo, ſed ſicut tu vis*; vel, ut legitur apud Marcum cap. 14., & Lucam cap.22. *non mea voluntas, ſed tua fiat*. Quibus verbis duo velle, duaſque voluntates diſtinguit, unam Patris, alteram ſuam, non ſuam, quà Deus erat: hæc namque non eſt voluntas à Patris voluntate diſtincta; una enim & ſola voluntas eſt in Trinitate commu-

munis Patri, & Filio, & Spiritui Sancto: ſuam ergo quà homo erat, ab illa Patris diſtinctam, hoc eſt aliam à voluntate, quæ comitatur in eo naturam Divinam. Ita Sanctus Athanaſius in ſermone de humana natura ſuſcepta contrà Arianos & Apollinarium, inquiens: „ Cùm igitur dicit: *Pater, ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte: verumtamen non mea voluntas fiat, ſed tua: Spiritus enim promptus, caro infirma eſt*: duas voluntates ibi oſtendit: alteram humanam, quæ eſt carnis: alteram Divinam. Si quidem Divina natura prompta eſt: humana verò ob imbecillitatem deprecatur paſſionem. *Hæc Athanaſius*, qui & in ſermone de Annunciatione Sanctiſſimæ Deiparæ, hæc alia ejuſdem argumenti ſcribit, inquiens: „ Si quidem juxta Divinum Characterem humana ejus forma Statum ſuum accepit, unitione ſcilicèt cùm anima: atque ita fit, ut Chriſtus pariter duo ſit, & unum ſingulare, unuſque item ſit, & non duo, & rursùs duo, & nequaquam unum eſt ſecundùm rationem duarum naturarum: & unus non duo, ſecundùm unitatem ſubſiſtendi. Ideòque duas voluntates prædicamus, ſed nequaquam duos volentes, aut duos operantes, ſed unum volentem ſecundùm unitatem perſonæ: contrà, duas voluntates, & duas operationes ſecundùm peculiarem utriuſque naturæ rationem. *Hactenus Athanaſius*.

762 Eundem pariter locum exponit Sanctus Auguſtinus in pſal. 93. & humanam in Chriſto Domino voluntatem ex eo concludit, Divinæ voluntati prorsùs conformem, inquiens: „ Dicit Chriſtus Dominus Noſter: *Pater ſi fieri poteſt, tranſeat hìc calix*. Sed triſtitiam ſic aſſumpſit quomodo carnem. Nolite enim putare, quia hoc dicimus, non fuiſſe triſtem Dominum. Si enim hoc dixerimus, quia non erat triſtis, cum Evangelium dicat: *triſtis eſt anima mea uſque ad mortem*: ergo & quando dicit Evangelium. Dormivit Jeſus, non dormivit Jeſus: & quando Evangelium dicit: manducavit Jeſus, non manducavit Jeſus: ſubrepit vermiculus putredinis, & nihil ſanum relinquet, ut dicatur quia & corpus non erat verum, & carnem veram non habuit: Quidquid ergo de illo ſcriptum eſt, fratres, factum eſt, verum eſt. Ego triſtis fuit? prorsùs triſtis, ſed voluntate ſuſcipiens triſtitiam, quomodo voluntate ſuſcipiens carnem. Quomodo voluntate carnem veram, ſic voluntate triſtitiam veram. *Hæc ibi*. Et clariùs in expoſitione pſalmi centeſimi, ubi ait: „ Quid enim dixit? *Pater ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte*. Ecce habes voluntatem humanam expreſſam. Vide jam rectum cor. *Verùm non quod ego volo, ſed quod tu vis Pater*. Item & lib. 3. contra Maximinum Cap. 20. pariter eandem ſcripturam interpretatus ait: „ Ubi autem dixit Filius Patri, *Verùm non quod ego volo, ſed quod tu vis*: qui te adjuvat quòd tua verba ſubjungis, & dicis. Oſtendit verè voluntatem ſuam ſubjectam ſuo genitori. Quaſi nos negemus, hominis voluntatem voluntati Dei debere eſſe ſubjectam? Nam ex natura hominis hoc dixiſſe eum citò videt, qui locum ipſum Sancti Evangelii paulò attentiùs intuetur. *Et paulò poſt*: Non ait, *triſtis ſum*: quamquàm etiam ſi hoc dixiſſet, nonniſi ex natura hominis oportuiſſet intelligi; ſed ait: *Triſtis eſt anima mea*: quam ſicut homo utique habebat humanam, quanquàm & in hoc quod ait: *Non quod ego volo*, aliud ſe oſtendit voluiſſe quàm Pater.

763 Deinde aliis in locis idem Dominus Noſter Jeſus Chriſtus verba faciens, ſe humanam voluntatem habere à Divina diſtinctam faſſus eſt: & quidem clariſſimè apud Joannem in Evangelio Cap. 5. ubi alloquens Judæos ſub num. 30. ait: *Non quæro voluntatem meam, ſed voluntatem ejus qui miſit me*. Et Cap. 6. verſ. 38. *Quia deſcendi de Cœlo non ut faciam voluntatem meam, ſed voluntatem ejus, qui miſit me*. Dum ergo dicit, *non quæro voluntatem meam*, humanam deſignat voluntatem: quam pariter indicat dum ait: *Deſcendi non ut faciam voluntatem meam*: ſubjungens poſtea: *ſed voluntatem ejus qui miſit me*, Divinam adnotat, Patris ſcilicèt, à quo miſſus eſt Filius, quæ & Filio ipſi, & toti Trinitati communis eſt. Si enim dum dicit ſe propriam facere voluntatem non veniſſe, ſed ejus qui miſit eum, per propriam, humanam minimè deſignaret, ſed Divinam, contradictoria eàdem locutione affirmaret: cùmque enim Divina voluntas eadem & una ſit in tribus, Patri & Filio & Spiritui Sancto communis, dicens non veni facere voluntatem meam, ideſt Divinam, ſed facere voluntatem ejus qui miſit me, pariter Divinam: eſſet idem ac ſi diceret, non veni facere voluntatem Divinam, ſed veni facere voluntatem Divinam, quod quidem abſurdiſſimum eſt; ac proinde ut omnis contradictio in Chriſti Domini verbis adimatur, omneque vitium in ejus tollatur elocutione, conſequens eſt ut dicatur, duas voluntates diſtinctas per eam locutionem enunciaſſe, humanam ſcilicèt, quam ſuam & veluti ſibi propriam dicit, & Divinam, quam Patris appellat toti Trinitati communem. Rectè S. Leo relat. ſecret. v. Synodi Lateranenſis ſub Martino I. ait: *Secundùm quidem formam ſervi non venit facere voluntatem ſuam, ſed ejus qui miſit eum. Propriam dixit, quam temporaliter accepit de Virgine: voluntatem autem ejus, qui miſit eum, utique hanc oſtendit, quam ſinè tempore habuit cum Patre communem*. Et S. Athanaſius in lib. de communi eſſentia adversùs eos, qui hoc dictum ad contumeliam Filii accipiunt: *Non veni facere voluntatem*

lun-

luntatem meam, ait: „ Si probro eſt Filio „ adimplere voluntatem Patris, probro quo- „ que eſt Deo & Patri adimplere volunta- „ tem juſti, cùm David de eo loquatur: *Vo-* „ *luntatem timentium ſe faciet, & depreca-* „ *tionem eorum exaudiet.* Quòd ſi Deus adim- „ plens voluntatem mortalium non confun- „ ditur pudore, Filius ſcilicèt ob humanæ „ carnis negotia diſpenſationemque & habi- „ tum nobis convenientem, & conditionem „ ſervilem, quam noſtri causâ ſuſcepit, in „ probro erit cum dicit: *Non veni facere vo-* „ *luntatem meam*, hoc eſt carnis meæ, *ſed* „ *Patris*, hoc eſt, divinam voluntatem?

764 Præterea, ejuſdem humanam voluntatem deſignat Joannes Cap. 7. ſui Evangelii per illa verba: *Poſt hæc autem ambulabat Jeſus in Galileam, non enim volebat in Judæam ambulare, quia quærebant eum Judæi interficere*. Item & Marcus Cap. 9. verſ. 29. *Et inde profecti prætergrediebantur Galileam: nec volebat quemquam ſcire*. Et Cap. 7. verſ. 24. *ſurgens abiit in fines Tyri & Sidonis, & ingreſſus Domum, neminem voluit ſcire, & non potuit latere*. Non enim voluntate Divina nolebat in Judæam ambulare, aut latere volebat: quemadmodùm enim humana natura, non Divina ambulabat, & ut homo non ut Deus latere volebat, ita humana voluntate non volebat ambulare, aut abſcondi volebat. Ita Sanctus Maximus in diſputatione habita cum Pyrrho, inquiens: „ Si ambulatio naturâ erat „ carnis, & non Divinitatis ſecundùm hy- „ poſtaſim ei unitæ: igitur quatenus homo, „ ambulans in Galilea, nolebat ambulare in „ Judæa: & idem poterat velle quatenus ho- „ mo. *Et item ad locum Marci ſubjungit:* Om- „ nibus certum eſt itionem naturâ eſſe huma- „ nitatis Domini, ut dictum eſt, non Divi- „ nitatis ejus. Quòd ſi itio quatenus homo „ erat, & non quatenus Deus naturâ ei ine- „ rat: igitur etiam quatenus homo tranſiens „ cum Diſcipulis ſuis, non voluit ut aliquis „ ſciret; & poterat idem, etiam quatenus „ homo velle. *Et denique ad alium Marci locum,* „ ait: Si Chriſtus quatenus Deus erat virtus „ per ſe ſubſiſtens: quatenus verò homo, in- „ firmitas: *& ſi enim*, inquit Apoſtolus, *cru-* „ *cifixus eſt ex infirmitate, ſed vivit ex virtu-* „ *te Dei*: Igitur quatenus homo, & non qua- „ tenus Deus, ingreſſus in Domum non vo- „ luit ut aliquis ſciret, & non potuit latere: „ habuitque quatenus homo poteſtatem vo- „ lendi. *Hæc Maximus*.

765 Denique, ex virtute obedientiæ crucem ſubiiſſe & mortem Dominum Noſtrum Jeſum Chriſtum, Paulus Doctor Gentium prædicat in ea, quam ad Philippenſes ſcripſit, Epiſtolâ, inquiens Cap. 2. *Humiliavit ſemetipſum factus obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis*. Eſt autem obedientia, *animæ propriæ conſummata abnegatio, per corpus manifeſtè monſtrata*, ait Climacus, ſivè, *perfecta corporis abnegatio per animam ex voluntate ferventer oſtenſa*. Ergo ad exequendam obedientiæ virtutem anima neceſſaria eſt & animæ voluntas: non enim in Brutis obedientiæ virtus locum habet, quoniam & ſi animâ polleant, voluntate tamen ſunt deſtituta: unde dum Paſtoribus, aut Ductoribus, ſivè Rectoribus parent, ex inſtinctu quodam naturæ parent, minimè ex obedientiæ virtute. Itaque Salvator noſter, qui ex virtute obedientiæ parvit æterno Patri, dum factus obediens eſt ad mortem uſque, & mortem crucis, nec animâ propriâ humanâ, nec voluntate carere potuit, ſinè quibus non conſiſtit obedientiæ virtus. Neque Divina voluntate, qua propter unionem Divinæ naturæ in eadem hypoſtaſi præditus erat, dici potuit factus obediens: quoniam illa erat Patri æqualis, ſeu eadem ipſa erat Patris voluntas: Voluntas, quæ paret ex obedientiæ virtute alia debet eſſe ab ea cui paret, & illi inferior. Rectè Agatho Papa in Epiſtola data ad Imperatorem Conſtantinum & fratres ejus recitata Act. IV. ſextæ Synodi, ait: „ Quis intantum à luce veritatis abſceſſit, ut „ ſecundùm Divinitatis ſuæ voluntatem præ- „ ſumat dicere, Dominum Noſtrum Jeſum „ Chriſtum Patri obediſſe, cui eſt æqualis in „ omnibus, & hoc vult in omnibus & ipſe „ quod Pater? Aut quis non intelligat obe- „ dientiam humanæ magis competere volun- „ tati, in qua nullum habuit omninò pecca- „ tum: nec diceretur obediens uſque ad mor- „ tem, niſi humanam in ſe ſuſciperet volun- „ tatem, ſicut animam rationalem, carnem- „ que cum omnibus ſuis proprietatibus hu- „ manatus aſſumpſit. *Hæc Agatho*.

766 Sed & hoc Pauli teſtimonium refert Sanctus Leo in Epiſtola 97. data ad Leonem Auguſtum, ſivè quiſquis auctor ſit præfatæ Epiſtolæ, & ad illa verba, quæ ibidem Paulus ſubjungit: *Propter quod, & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen*, ait: „ Cùm ergo unus ſit Do- „ minus Jeſus Chriſtus, & veræ Deitatis, ve- „ ræque humanitatis in ipſo una prorſùs ea- „ demque perſona ſit, exaltationem tamen, „ qua illum, ſicut Doctor Gentium dicit, „ *exaltavit Deus, & donavit illi nomen, quod* „ *ſuper omne nomen excellit*, ad eam intelligi- „ mus pertinere formam, quæ ditanda erat „ tantæ glorificationis augmento. In forma „ quippe Dei æqualis erat Filius Patri, & in- „ ter Genitorem, atque Unigenitum, nulla „ in eſſentia erat diſcretio, nulla in Majeſta- „ te diverſitas, nec per Incarnationis Myſte- „ rium aliquid deceſſerat Verbo, quod ei Pa- „ tris munere redderetur. Forma autem ſer- „ vi, per quam impaſſibilis Deitas Sacramen- „ tum magnæ pietatis implevit, humana hu- „ militas eſt, quæ in Gloriam Divinæ pote- „ ſtatis evecta eſt in tantam unitatem, ab ip- „ ſo conceptu Virginis Deitate & humanita- „ te conſerta, ut nec ſinè homine Divina, nec ſinè

„ ſinè Deo agerentur humana, *Hæc ille*.

767 Adſunt & complura Patrum teſtimonia recitata tùm in Synodo Lateranenſi Secretar. v. tùm in ſexta Synodo Act. IV. quibus duæ naturales voluntates, duæque operationes in diſpenſatione incarnationis comprobantur; Et præter eos eleganter S. Joannes Damaſcenus in oratione de duabus Chriſti voluntatibus, ſic duas voluntates, & duas operationes probat, inquiens: „ Si quidem non „ aſſumpſit humanam voluntatem Chriſtus, „ qua voluntate factus eſt Patri obediens? „ Si non aſſumpſit humanam voluntatem, qua „ voluntate factus eſt ſub lege? Si non aſſumpſit humanam voluntatem, qua voluntate „ implevit omnem juſtitiam? Si non aſſumpſit humanam voluntatem, non attulit ei „ remedium quod primum in morbum inciderat. Quod enim non aſſumptum fuit, „ non eſt curatum, ut ait Gregorius Theologus. Quid enim offenderat, niſi voluntas? Quod ergo offenderat, quod peccaverat, id demum ampliùs curatione indigebat. Quòd ſi neges id ab eo aſſumptum „ quod peccaverat, fateare neceſſe eſt, nec „ peccatricem quidem ac ægram naturam aſſumpſiſſe. Quòd ſi non aſſumpſit, nec humanam aſſumpſit naturam: ipſa quippe eſt, „ quæ peccaverat. Si non aſſumpſit humanam voluntatem, quomodo antequam cognoſcat bonum ac malum, non acquieſcet „ malitiæ ut eligat bonum (Iſai. 7.) Non „ enim Divina voluntas velut ſuaſione vel „ non acquieſcit, vel acquieſcit, aut eligit. „ Itaque non acquieſcit, aut paret malitiæ, „ liberè, ut homo, parens ac obtemperans „ voluntati paternæ. *Hæc & alia*, ibi ſcribit Damaſcenus.

768 Nec quidem Catholica hæc ſententia eſt rationibus deſtituta: quoniam ſi in Chriſto natura humana fuit in eadem hypoſtaſi unita cum Divina natura, ut aſſerebant Monothelitæ, ne deprehenderentur Eutychiani, affirmare neceſſe eſt, & animam intellectivam & rationalem Chriſtum Dominum habuiſſe: Concipi enim natura humana abſque anima intellectiva non poteſt: unde homo ex anima intellectiva & corpore ſubſtantialiter, & eſſentialiter componitur, quarum alterâ ex partibus ademptâ deſinit & homo eſſe. Et ita intelligi non poteſt in Chriſto humana natura, quin ſimùl intelligatur & anima intellectiva. Atqui voluntas non minus ac intellectus ſunt animæ proprietates ab ea inſeparabiles, eamque comitantes etiam à corpore ſeparatam; ſemel ergo, quòd in Chriſto ponitur anima rationalis & intellectiva, confitenda eſt, & humana atque naturalis voluntas, quæ eſt ejuſdem animæ inſeparabilis proprietas. Unde S. Auguſtinus tùm in lib. de duabus animabus Cap. 10. tùm lib. 1. Retract. Cap. 15. dicit voluntatem eſſe animi motum, cogente nullo ad aliquid, vel non amittendum, vel adipiſcendum. Animus enim naturam eſſe, ex eodem Auguſtino, aſſerit Agatho Papa in Epiſtola ſupra citata; unde ſequitur quòd voluntas motus ſit naturæ, & proinde à natura inſeparabilis, ideſt ab animo, ſivè animâ: nam idem eſt animus ac anima.

769 Sed quomodo arguat Agatho Sanctiſſimus Pontifex in præfata Epiſtola, videamus: „ Beatus Auguſtinus, *inquit*, in quinto volumine diſputationis adversùs Julianum Pelagianum, quid ſit voluntas, his „ definit verbis: motus animi, quid eſt, niſi motus naturæ? Animus enim ſinè dubitatione natura eſt: proinde voluntas motus eſt naturæ, quoniam motus eſt animi; „ ecce per hujus prudentiſſimi Patris definitionem quid ſit humana voluntas monſtratum eſt, quia animi motus eſt. Item in eodem: veritas autem dicit, quamdiu eſt voluntas ulla, à natura non poteſt ſeparari: „ & rursùs in eodem volumine: & aliunde „ eſt voluntas, & eſſe non cognoſcitur: & ſi „ ejus origo quærenda non eſt, non ideo quærenda non eſt quòd voluntas aliunde non eſt, „ ſed quia manifeſtum eſt unde ſit. Ab illo „ enim eſt voluntas, cujus eſt voluntas: ab „ Angelo ſcilicèt voluntas Angeli, ab homine hominis, à Deo Dei. Et ſi operatur „ Deus in homine voluntatem bonam, id agit, „ ut oriatur ab illo bona voluntas, cujus eſt „ voluntas. Et iterùm. Cur ergò negas, inquit, clauſis oculis res apertas, de natura „ hominis exoriri hominis voluntatem? Itemque: ipſe animi motus, cogente nullo, voluntas eſt: quapropter hoc eſt dicere, voluntas exiſtit de animi motu, quòd voluntas exiſtit de voluntate. Et iterùm. Ita ne „ verò Juliane, ex homine hominis voluntas „ non oritur, cùm homo bonum opus Dei „ ſit? Poſtremò potuit ne aſcendere in cor „ tuum, exoriri quidem hominis voluntatem, „ ſed non de liberò ejus arbitrio? Dic ergo, „ unde, ſi non de natura, ideſt, non de ipſo homine? Quibus teſtimoniis claret, *ſubjungit Agatho*, unamquamque earum, quas „ hic ſpiritalis Pater dinumeravit naturas, „ propriam naturalem habere, & unicuique „ aſſignari debere voluntatem. Neque enim „ poterit Angelica natura Divinam habere „ voluntatem aut humanam, neque humana „ natura voluntatem Dei, vel Angeli; ſicut „ nec alterius, quàm eſt, quidquam naturam „ habere poterit, vel motum, niſi quod eſt „ naturaliter, aut creatum eſt. Cùm hæc ita „ veritas habeat, certiſſimè claret, quòd in „ Domino Noſtro Jeſu Chriſto duas, ideſt, „ Dei & hominis naturas ſivè ſubſtantias confitentes in unam ejus conveniſſe ſubſiſtentiam, ſivè perſonam, neceſſe eſt, & duas „ nos naturales in eo fateri voluntates, Divinam ſcilicèt & humanam; quia neque Divinitatem ejus quantùm ad naturæ rationem pertinet, humanam habuiſſe voluntatem

„ tem, dicendum eſt: Neque humanitatem „ ejus, Divinam habuiſſe naturaliter voluntatem, credendum eſt: neque rursùs aliquam ex eiſdem duabus Chriſti ſubſtantiis „ absque naturali voluntate extitiſſe fatendum: cùm & humana per omnipotentiam „ Divinitatis ejus ſublimata ſit, & Divina „ per humanitatem ejus hominibus reſerata. „ *Hactenus Agatho*.

770 Martinus I. Romanus Pontifex in ſermone habito in Synodo Lateranenſi, Secretario primo, ex dualitate naturarum in Chriſto duas naturales operationes infert: nam quemadmodum ubi una naturalis eſt operatio una aſſeritur natura, ita ubi duæ naturæ diverſæ ſunt, duæ operationes naturales eſſe debent: „Si enim, *inquit*, ubi unam naturalem operationem, & naturam unam eſſe „ docent, utique ubi diverſæ naturæ ſunt, „ diverſas eſſe eſſentiales operationes docere „ noſcuntur: quoniam per differentiam naturæ, differentia naturalium operationum „ introducitur: Sicut & per indiſſimilitudinem naturæ indiſſimile operationis cognoſcitur: & propter hoc unam quidem, ideſt „ Divinam & inconditam naturam atque operationem, ſicut & voluntatem in Patre, & „ Filio, & Spiritu Sancto, Sanctæ & conſubſtantialis adorandæ Trinitatis adorarunt. Duas autem competenter naturas, „ ſicut & voluntates, Divinam dico & humanam in uno eodemque Sanctæ Trinitatis „ Dei Verbo propter nos Incarnato; in unitione inconfuſam & indiviſam tradidiſſe „ monſtrantur, ideſt, increatam atque creatam, quoniam utrumque eamdem naturaliter eſſe, impoſſibile eſt. *Hactenus Martinus*.

771 Adverſantes porrò huic Catholicæ veritati diverſimodè arguebant: & quidem Pyrrhus, ut liquet ex diſputatione habita cum Sancto Maximo, primò dicebat: Ex eo quòd Chriſtus eſt unus, una quoque naturalis operatio in eo admittenda. Secundò: quoniam ſi duæ voluntates naturales in Chriſto concederentur, concedere oporteret in eo contrarias voluntates: quoniam impoſſibile eſt in una perſona duas ſimul eſſe non contrarias voluntates. Tertiò: quoniam ſi in Chriſto admitterentur duæ naturales voluntates ſicut duæ conceduntur naturæ, ſequeretur quòd quemadmodum duæ illæ naturæ unum efficiunt compoſitum: Duæ quoque illæ voluntates aliud efficerent compoſitum.

772 Sed & his & aliis Pyrrhi argumentis occurrit Sanctus Maximus: & quidem futile eſſe primum argumentum demonſtrat: quoniam ſicut non ſequitur, unus eſt Chriſtus, ergò una eſt in Chriſto natura: Minus ſequi poteſt, quòd ſi unus eſt Chriſtus, una ſit pariter naturalis operatio, & una voluntas: Non enim ex numero operationum perſonarum inducitur numerus: Sicùt nec ex unitate perſonæ unitas concluditur naturæ: aliàs in Chriſto ſicut una eſt perſona, ſic & una eſt natura, quemadmodum fatebatur Eutyches: homo quoque conſtat anima & corpore velut duabus formis, licèt una ſit perſona, Multiplicantur individua ad ſuppoſitorum multiplicationem, non quidem formarum. Undè ſi ſint plures formæ naturales in uno ſuppoſito, unum dicitur ſuppoſitum, licèt plures in eo ratione diverſarum formarum diverſæ ſint operationes. Quarè ex unitate perſonæ ſolùm rectè infertur, quòd unus ſit operans, ſed multipliciter operans juxta numerum naturarum in eo unitarum. Sic ergò Chriſtus Dominus unus eſt operans, quia una perſona: dupliciter verò operans, propter dualitatem naturæ in eo unitæ, humanè ſcilicèt propter naturam humanam, Divinè verò propter Divinam: Et ſi dicatur Chriſtum tantùm Divinè operatum, concluditur in eo ſola Divina natura, & quòd ſolus Deus ſit; ſi humanè tantùm, hominem tantùm fuiſſe ſequitur. Itaque ſicut natura humana in ſuppoſito proprio ſuas humanas exercet operationes: ita & in Divino conjuncta ſuppoſito vicem gerenti, ſivè ſupplenti vicem proprii ſuppoſiti, nec ſuas amittit naturales proprietates, nec ſibi proprias & convenientes operationes.

773 Inſtabat Pyrrhus, non unam operationem in Chriſto fateri ratione naturæ, ſed ratione unionis, & quemadmodum una fuit unio, Sic & una operatio conſequens ipſam unionem. Et in hoc ſenſu Theodoſius quoque Epiſcopus Cæſareæ Bithyniæ, ut liquet ex collatione habita cum Sancto Maximo, unam voluntatem propter unitionem cum Sergio & eodem Pyrrho fatebatur in Chriſto Domino noſtro.

774 Reſpondet Sanctus Maximus, quòd ſi ratione unionis & non naturarum una dicenda eſſet operatio, ſequeretur ex unione acceſſiſſe operationem: & proindè quòd ante unionem ipſum Verbum vacaſſet operatione „Si, „ *inquit*, ut vos loquimini ex unione acceſſit „ ei operatio, ante unionem igitur vacabat „ operatione, & per vim fabricatus eſt Mundus, ut veſtra eſt opinio. „ Subjungit inde & ad aliud inconveniens Monothelitarum trahit opinionem, inquiens: „ Ac rurſus: Si „ ex unione acceſſit operatio: Pater autem & „ Spiritus Sanctus non ſunt uniti ſecundùm „ hypoſtaſim cum carne: igitur non ſunt operatores: Si non operatores, ergò neque „ fabricatores, ut non dicam omninò non „ eſſe.

775 Deinde hæc alia ſubnectit, dicens: „ Præterea: quandoquidem unio habitudo „ eſt, & non res: habitudo igitur & non res, „ eſt operatio Chriſti. Deindè neceſſe eſt vobis, ut creatam aut non creatam eſſe dicatis: Si quidem nulla penitùs intermedia eſt „ inter creatam & non creatam. Si creatam „ dicetis, ſolam naturam creatam indicabit

ope-

(operatio creata) ſi non creatam, ſolam naturam non creatam ſignabit: oportet enim omninò naturalia naturis convenire. At quomodo fieri poteſt, ut naturæ creatæ, & quæ cœpit eſſe, operatio ſit non creata, & ſine principio, atque infinita, & creatrix, & conſervatrix? Vel naturæ non creatæ & principio carentis, operatio ſit creata, & cœpta, atque terminata, atque ab alia natura, nè diſſolvi queat, conſervetur. „ *Hæc Maximus*: qui cùm dicit unionem eſſe habitudinem non rem, vult dicere, eſſe relationem, ut Philoſophi ſtatuunt: Et cùm ſit relatio, non res, non natura, non poteſt eſſe principium operationis: natura enim eſt principium motus & naturalium operationum, relatio eſt de genere ſterilium, ut iidem philoſophi pronunciant: quare ratione unionis nulli ſuppoſito competere poteſt hæc vel alia operatio, ſed ratione hujus vel illius formæ tantùm, nam formæ optimè ſunt in genere naturæ, à quo omnis relatio manet excluſa.

776 Neque propter unitionem unam poſſe concludi voluntatem adversùs Theodoſium in antefata collatione pluribus demonſtrat idem Sanctus Martyr. Primò: „ quia ſi propter unitionem, *inquit*, una Dei & Salvatoris noſtri, ſicut Sergius, Pyrrhus, & Paulus ſcripſerunt, voluntas effecta eſt; alterius voluntatis ſecundùm illos erit Filius Patri propter naturam, ſed propter unitionem ſecundùm Filium habenti voluntatem, ſi non idipſum eſt unitio & natura. Hæc S. Martyr: „ Et quidem innuere videtur, ex Theodoſii ratione ſequi aliam eſſe voluntatem quam habet Filius communem cum Patre, ut naturâ Deus eſt, & aliam quam habet propter unitionem cum natura humana, cum qua Pater ſecundùm ſuam hypoſtaſim non eſt unitus. Et certè alia eſſe videretur; quoniam voluntas Divina Patris non poteſt humana operari: & voluntas Divina Filii ſecundùm illorum ſententiam humana quoque operaretur.

777 „ Secundò, *Subjungit Maximus*, Si propter unitionem una ſecundùm ipſum Salvatoris noſtri voluntas effecta eſt, cauſam profectò ſuam unitionem habebit, & non aliam eorum naturam ex quibus exiſtit, & affectus, non naturæ, ſecundùm ipſos erit apertè voluntas; naturam enim, non affectum, veritatis ratio novit. Tertiò, ſi propter unitionem, ut faſſi ſunt, una Salvatoris noſtri voluntas effecta eſt, qua voluntate, ajunt, ipſam fuiſſe unitionem effectam? non enim eâ, quæ per illum effecta eſt, fatebuntur utique, ſi dumtaxat veritati operam dederint, & quod eſt irrationabile fugerint. Quartò, ſi propter unitionem una Salvatoris voluntas effecta eſt, liquet profectò, quòd ante unitionem aut cum multis voluntatibus fuerit, aut penitùs abſque voluntate. Et ſiquidem multarum erat voluntatum, diminutionem multarum pertulit, ad unam nimirùm voluntatem contractus, & convertibilitatis perſpicuæ paſſionem ſuſcepit; multarum, quæ ſibi naturaliter inerant, voluntatum diminutionem. At verò ſi modis omnibus erat abſque voluntate, meliorem naturâ eſſe monſtravit unitionem, ex qua acquiſivit voluntatem, qua natura carebat. Et iterum convertibilis; palàm profectò fecit quod naturâ ſibi non inerat, ſed acquiſivit affectu. Quintò, ſi propter unitionem una Salvatoris noſtri ſecundùm eos, una, ex quibus eſt voluntas, effecta eſt, recens factus eſt voluntate Deus, idem ipſe propter unitionem naturâ permanens ſempiternus, & voluntate homo ſine principio permanens naturâ recens, quod eſt impoſſibile, nè dixerim impium. Sextò, Si propter unitionem una naturarum voluntas effecta eſt, non eſt quidpiam propter eandem cauſam una naturarum effectum natura. *Hæc omnia S. Maximus*.

778 Ad ſecundum poſtea principale de voluntatum contrarietate, reaſſumens Sanctus Maximus Pyrrhi verba dicentis, *impoſſibile eſt in una perſona duas ſimul eſſe non contrarias voluntates*, ait: „ Si non eſt poſſibile eſſe ſimul in una & eadem perſona duas non contrarias voluntates; igitur opinione tua, poſſibile eſt eſſe, ſi contrariæ ſint. Si ſic eſt, confeſſus es hactenus duas eſſe, & non diſſides à numero, ſed tantùm à pugna. *Hæc ille*. „ Qui poſtea ſubjungens ait in Chriſto utique ſalvari dualitatem voluntatum abſque illarum inter ſe pugnâ, ullâve contrarietate: quoniam non ex voluntatis natura præfata oritur pugna, bene verò ex peccato, quod cùm non ſit reperiri in Chriſto, neque erit in eo inveniri voluntatum pugna & contrarietas: „ Reſtat igitur, *inquit*, quæramus cauſam hujus pugnæ effectricem. Quam igitur eſſe hanc ais? Voluntatem nè naturalem, an peccatum? Si naturalem dicis, hujus autem auctorem non alium eſſe ſcimus, niſi Deum. Igitur, ut tua eſt opinio, Deus eſt auctor pugnæ. Si peccatum dicas: peccatum autem non fecit, neque Deus incarnatus ullam quampiam pugnam in naturalibus voluntatibus habuit. Cùm enim cauſa non eſt, planè nec effectus cauſæ erit. *Ita Sanctus Maximus*.

779 Denique ad tertium Pyrrhi argumentum, de compoſito quod ſequeretur ex duabus voluntatibus, idem Sanctus Maximus errare eum dicit ex omnium Philoſophorum ſententia: quoniam compoſitio ex forma fit & ex ſubjecto, non verò ex proprietatibus alteriuſque. Anima & Corpus ad invicem ſe unientes compoſitum conſtituunt, non tamen animæ proprietates cum proprietatibus Corporis compoſitum aliquid efficiunt, nàm animæ proprie-

tates animam ſequuntur, corpus verò, quæ corporis ſunt, proprietates; neque aliqua peculiari unione inter ſe hujuſmodi uniuntur proprietates. In Chriſto autem Domino natura humana eſt illa, quæ per realem unionem Divino ſuppoſito Verbi unitur, in quo per identitatem naturæ ipſa eſt conjuncta Divina natura, ex quibus componitur unus Chriſtus; atqui Divina voluntas ut proprietas Divinæ naturæ eam ſequitur. Quemadmodum & humana voluntas ſequitur naturam humanam ut proprietas illius & ab ea inſeparabilis: quæ quidem duæ voluntates non ſunt inter ſe unitæ peculiari aliqua unione, ut compoſitum aliquod ex eis reſultet.

780 „ Vides, *inquit* Sanctus Maximus, quemadmodum ex eo erratis, quòd penitùs ignoratis, compoſitiones eorum eſſe quæ ſunt in hypoſtaſi, non eorum quæ in alio ſpectantur? Atque hæc quidem eſt omnium tùm Philoſophorum Gentilium, tùm ſapientum Doctorum Eccleſiæ communis ſententia. Quòd ſi voluntatum compoſitionem dicitis, cogemini etiam aliorum naturalium compoſitionem dicere, ſi modò vultis conſentaneè de veſtro dogmate diſſerere. Aliorum, inquam, ideſt, creati & non creati, infiniti & finiti, non definiti & definiti, immortalis & mortalis, ejus quod corrumpi poteſt, & ejus quod corrumpi non poteſt: atque ita in abſurdas opiniones deferimini. Quomodò ex voluntatibus compoſitum voluntas appellatur? Non enim quod compoſitum eſt, appellatione compoſitorum appellari poteſt: aut certè eo modo ex naturis quod conſtat, natura appellabitur, ſecundùm veteres hæreticos. Præterea voluntate à Patre eum ſeparatis, cùm compoſitam & ſolam naturam voluntate compoſita ſignatis. *Hactenus Sanctus Maximus*.

781 Arguebat Sergius, quia non eſt recedendum à mente Sanctorum Patrum, qui unam voluntatem tantùm in Chriſto profeſſi ſunt, inter quos omnium primum citabat S. Dionyſium Areopagitam, quaſi in epiſtola ad Cajum ſcripſiſſet in Chriſto eſſe unam Deivirilem operationem, ut liquet ex ejus epiſtola ad Cyrum data, & relecta Secret. III. Synodi Lateranenſis. Sed quoniam allato codice S. Dionyſii repertum eſt, non dixiſſe S. Dionyſium, *unam Deivirilem operationem*, *ſed novam*, Sergium verò & Cyrum textum corrupiſſe commutando *novam* in *unam*, ut ex Actis ejuſdem Concilii eodem Secretario manifeſtum fit, ideò Pyrrhus, ne in eandem cenſuram incurreret, quaſi & ipſe textum Sancti Dionyſii corrupiſſet, locum integrum expreſſit: & in quodam ſuo tomo Dogmatico, cujus fragmentum relectum eſt Act. XIV. Sextæ Synodi, excuſat Sergium, non malitiosè eum vocem illam commutaſſe, ſed *unam* poſuiſſe, quoniam, *unam* pro *nova* etiam Cyrus intellexerat: „ Unam enim, *inquit*, in veritate pro nova continebat eadem charta non malitiosè quod abſit, ſecundùm meum ſermonem, ſed utpotè quæ non aliter *nova* quàm *una* intelligi valuiſſet à Cyro Sanctiſſimo, ejuſmodi vox eſt appoſita. Per extremitatum quippè negationem *unam* Divinus Doctor aſſerit, & hanc ſingulariter exprimens, quid aliud quàm unam confiteri operationem tanquam unius Chriſti ſecundùm quamlibet rationem apertè & planè contradidit? *Hæc Pyrrhus*. „ Itaque ſecundùm Sergii, Cyri, Pyrrhi, aliorumque Monothelitarum opinionem, ſequi videtur D. Dionyſium per illa verba unam intellexiſſe in Chriſto voluntatem. Unde idem Pyrrhus in diſputatione habita cum S. Maximo, hoc idem teſtimonium pro una in Chriſto voluntate affert inquiens: *Quid præterea dicemus de Sancto Dionyſio, qui in epiſtola ad Cajum cultorem de Chriſto dixit exercuiſſe novam quamdam operationem Theandricam, ideſt Deivirilem?*

782 Ad hoc autem argumentum dicimus novam utique non unam Deivirilem operationem dixiſſe S. Dionyſium; nec per novam rectè intelligi poſſe unam ſecundùm Sancti Doctoris mentem, ex aliis ejus ſcriptis palam fit: quoniam Beatus Dionyſius in lib. 4. de Divinis nominibus palàm fatetur in Chriſto humanam à Divina diſtinctam fuiſſe operationem, inquiens: „ Diſcreta eſt autem benigniſſima circà nos Dei operatio; per hoc, quòd ſecundùm nos ex nobis, integrè & verè ſubſtantialiter plaſmari voluit Verbum, & operatus eſt, & paſſus quanta humanæ ejus operationi congruunt præcipua. In his namque Pater & Spiritus nulla ratione communicant. „ *Hæc ibi Dionyſius*. Quem locum Agatho Papa in epiſtola ad Conſtantinum Imperatorem pro duabus in Chriſto operationibus refert ad hunc modum translatum, nimirum: „ Diſcreta eſt autem benigniſſima circà nos Dei operatio, per hoc, quòd ſecundùm nos ex nobis integrè verèque humanatum eſt Verbum, quod eſt ſupra ſubſtantiam, & operatum, & paſſum quanta humanæ ejus & Divinæ operationi congruunt; præcipua ac probabilia. His namque Pater, & Spiritus nulla ratione communicant: Niſi quis dixerit, ſecundùm benigniſſimam & miſericordem voluntatem, & per omnem ſublimiſſimam & ineffabilem Dei operationem, quam operatus eſt, ſecundùm nos factus incommutabilis, eo quòd Deus & Dei Verbum. „ *Hæc Dionyſius apud Agathonem*. Si ergò expreſsè confitetur duas in Chriſto operationes, nec humanam adimit, immò explicitè affirmat: nunquam de mente ipſius verum erit, quòd ubi dixit, *novam Deivirilem operationem*, ſumi debeat *nova* pro *una*: nè ſibimet contraria aſſerere dicatur.

783 Itaque in Chriſto Domino diverſæ conſiderantur operationes: quædam ſunt, purè divinæ, quas Dominus operatur per ſolam naturam divinam, ut curatio infirmorum facta in ejus abſentia, ut accidit in Centurionis puero, pro cujus ſanatione nulla humanę naturę actio interceſſit. Quædam verò ſunt purè humanæ, & ſecundùm humanam dumtaxat naturam patratæ, ut edere, bibere, flere, pati, & his ſimiles. Aliæ denique ſunt quodammodò mixtæ, ab utraque ſcilicèt natura conjunctim procedentes, ut cum ſolo tactu ægros ſanabat, vel Mare pedibus calcabat, quoniam in iſtis partim quid divinum inerat, partimque humanum, tactus enim quid humanum eſt, ſanatio conſequens tactum quid divinum: humanum eſt ambulare, ſed undas Maris ſolidas effici, quid divinum eſt: Et hujus tertii generis operationes Deiviriles à Dionyſio ſunt nuncupatæ, & novæ. Ita Sophronius in Epiſtola data ad Sergium, relectâ Actione XIV. ſextæ Synodi, inquiens: „ Eſt unus idemque Filius & Chri„ ſtus inſeparabilis in duabus indiviſè agno„ ſcendus naturis; & ipſius unius Filii cun„ cta eſſe certificamus, & omnes ejus & vo„ ces & operationes credimus; licèt quædam „ earum ſint Deo decibiles; quædam verò „ ità rursùs humanæ, quædam verò medium „ quendam ordinem obtinent, tanquàm ha„ bentes in hoc ipſo Deo dignum quid & hu„ manum. Hujus verò aſſerimus eſſe virtu„ tis etiam illam, quæ dicitur nova & Deivi„ rilis operatio, non unam exiſtentem, ſed „ diverſi generis ac differentem, quam ex „ Areopago à Paulo divinitùs captus, Deilo„ quus vocatus aſſeruit Dionyſius, utpotè „ Deo decibile in hoc ipſo, & humanum ha„ bentem perque elegantem atque compoſi„ tam dictionem, unjuſcujuſque ſubſtantiæ, „ atque naturæ unamquamque perfectè ſigni„ ficantem operationem. *Hæc Sophronius*, cui conſonat S. Maximus in Scholiis ad eundem Dionyſii textum.

784 Sed & in diſputatione cum Pyrrho, eidem præfatum Dionyſii locum objicienti, probat novitatem, de qua Sanctus Doctor loquitur, non eſſe quantitatem, ut per eam dictionem numerus ſignificetur, ſivè unitas; aliàs cùm Apoſtolus ſcribens ad Corinthios Epiſt. 2. cap. 5. ſcribit: *Ecce ſunt facta omnia nova*, oporteret dici, Apoſtolum voluiſſe *omnia facta eſſe unum*, quod abſurdum eſt, ſivè accipiatur de unitate naturæ, ſivè de unitate operationis; undè concludit ejuſmodi *novitatem* eſſe qualitatem: „ Si ergò qualitas, „ non unam, *inquit*, operationem declarat, „ ſed novum & arcanum modum demonſtra„ tionis operationum naturalium Chriſti, „ inter ſeipſas, & novam atq; admirabilem ac „ naturæ rerum ignotam cõverſationem ejus „ ſecundùm humanitatem, ac modũ reciprocę „ communicationis ſecundùm unionem in„ explicabilem & arcanam. *Hæc S. Maximus*, qui, ſuggerente Pyrrho atque dicente: *Nec Deivirilis operatio unam operationem declarat?* Reſpondit: *Minimè*: „ Imò contra „ vox ipſa, *ſubjungit*, quadam circuitione „ per numeratas naturas earum operationes „ tradidit; negatis enim extremis, nihil eſt „ medium in Chriſto. Si autem unam ope„ rationem declarat, aliam operationem, „ præter operationem Patris, habebit Chri„ ſtus ut Deus; alius, inquam, operationis „ erit Filius, quàm Pater: Siquidèm ope„ ratio Patris non eſt theandrica, ideſt, Dei„ virilis, quæ nimirum naturam Deivirilem „ ſignat & conſtituit; operatio enim, quæ „ naturalis eſt, naturam teſtatur, & chara„ cter naturalis ejus eſt. *Hæc Maximus*, ubi & adversùs eundem Pyrrhum probat quoque novitatem non eſſe ſubſtantiam...

785 Denique Sanctus Joannes Damaſcenus in Oratione de duabus in Chriſto voluntatibus, expendens eundem Dionyſii teſtimonium, hæc habet: „ Quæcumque huma„ nâ voluntate voluit ac egit, ſalus Mundi „ fuerunt. Non enim divino more agebat „ divina (haud quippe Dei nudi & ſinè car„ ne, ut contactu ac manuum extenſione mi„ racula patraret) nec more humano agebat „ humana. Nec enim ita comparatum eſt, „ ut puri hominis paſſiones Mundo ſalutem „ allaturæ ſint. Sed cùm Deus eſſet, ac fa„ ctus eſſet homo, novam quandam ac inau„ ditam actionem humanam operaretur: Hu„ manam, ſed qua divina miniſtraret, quæ„ que Divinitatis ſibi conjunctæ ſigna præſe„ ferret. Quemadmodùm enim ignis & ferri „ diverſa eſt natura, aliaque & alia munera „ & actiones. Neque enim ignis ſecat, ſed „ incendit ac illuminat eâ vi agendi, quam „ tribuit ei natura; neque rursùs ferrum ſic „ à natura comparatum eſt, ut urat aut illu„ minet, ſed ipſum ſecat, ac nigrum eſt: Cùm „ autem ea conjuncta fuerint, conjunctè jam „ ac indiviſè ſuum munus utrumque exequi„ tur. Simùl enim cum ſectione exiſtit uſtio, „ ignîſque ferri adminiculo tùm incendit, „ tùm illuminat. Cùm interim non ſit una „ naturalis actio, ſed duæ, una ignis, qua „ urit, altera ferri, qua ſecat, ac utriuſque „ effectus proprius eſt, ignis quidèm uſtio, „ ferri autem ſectio: Sic in Domino noſtro „ Jeſu Chriſto agebat utraque natura cum „ alterius communione quod proprium erat; „ cùm intereà nec una duæ eſſent, nec dua„ rum una eſt affectio ac officium; ſed huma„ næ ejus naturæ divino eſſet liberè imperio „ ac voluntati obedire atque ſervire, ſuâque „ voluntate manum porrigere & tangere „ puellam, obſequendo, inquam, voluntati „ divinæ: Deitatis autem contactu efficacis „ eſſet ſuſcitatio puellæ. Quocircà nec ma„ gnus Dionyſius Dei & hominis actionem „ dixit, ſed ſimpliciter *novam*, ideſt, inuſita-

„ tam. Utraque enim inuſitata erat ac di- „ vinohumana; neque enim illis verbis ex- „ preſſit, ſed modum inuſitatum. *Hæc Damaſcenus*.

786 Alia quoque Sanctorum Patrum teſtimonia in medium producebant Monothelitæ pro una in Chriſto voluntate unâvè operatione; Et primò illud Athanaſii in libro de ſalutari adventu Chriſti, dicentis: *Ille vir natus eſt ex muliere, qui ex prima creatione ſibi formam hominis erexit & excitavit in oſtenſione carnis, ſed ſinè voluntatibus carnalibus & ſinè humanis cogitationibus in imagine novitatis. Voluntas enim erat ſolius Divinitatis*. Secundò illud Gregorii Nyſſeni ſcribentis adversùs Eunomium: *Ita Divinitatem per corpus, quod induit, communem omnium ſalutem operari, ut propria ſit carnis perpeſſio, Dei verò ſit operatio.* Tertiò eſt illud Sancti Cyrilli lib.4. in Joannem, ubi ait: *Chriſtum unam cognatam operationem per ambas oſtendiſſe*. Et denique & illud Sancti & Magni Leonis Papæ, dicentis: *Operatur utraque natura cum alterius communione*.

787 Sed ex Actione VIII. ſextæ Synodi apparuit, Monothelitas Sanctorum Patrum teſtimonia aut corrupta, aut mutilata & detruncata allegaſſe, adeò ut convictus Macarius, & à Conſtantino Principe ſollicitatus, ut diceret, cùr Patrum teſtimonia circumciſa allegaſſet, reſpondit: *Ego teſtimonia, quæ defloravi, ſecundùm proprium intentum defloravi*. Alienum quippe eſt à Sanctorum Patrum mente aſſerere unam in Chriſto voluntatem & unam operationem, cùm conſtet expreſſis verbis contraria docuiſſe, & abſque hæſitatione duas in Chriſto voluntates ac duas operationes poſuiſſe. Hinc Sanctus Athanaſius præter teſtimonium allegatum à nobis ſupra ſub num. 761. alibi quoque eandem catholicam veritatem docet, ut videre eſt Actione XIV. ſextæ Synodi, ubi copioſum fragmentum depromptum ex ſermone ejuſdem in illum textum Evangelii: *Nunc anima mea turbata eſt*, pro eodem argumento relectum eſt.

788 Cùm verò prælibatum Athanaſii teſtimonium inter alios Monothelitas allegatum à Pyrrho ſit in diſputatione cum Maximo, ab eodem Sancto Maximo accipienda eſt reſponſio, qui dicit ejuſmodi auctoritatem ſeipſam interpretari; & idcircò nullo penitùs ſubſidio ratiocinationis indigere; quoniam Sanctus Athanaſius, cùm vellet demonſtrare, fuiſſe Incarnationem opus divinæ & ſolius voluntatis, complacente Deo Patre, ac per ſe operante Filio, & cooperante Spiritu Sancto; non autem opus motus carnalis & cogitationum humanarum, ideſt, ordinis & conſecutionis nuptialis, ideò dixit: *Sinè voluntatibus carnalibus & ſinè humanis cogitationibus*. Et item: *Voluntas enim erat ſolius Divinitatis*. Hoc ſanè ex antecedentibus & conſequentibus ejuſdem Sancti Doctoris verbis palàm fit. Ait ergò Athanaſius: „ Dimiſit „ ergò Verbum, quod erat Deus, ut primi „ hominis opifex homo efficeretur ad homi- „ nis vivificationem & demolitionem inimi- „ ci. Natus igitur ex fœmina, formam ho- „ minis ex primaria & originali creatione in „ ſe reſtituit, exhibitâ carne, quæ libidini- „ bus carnalibus & cogitationibus careret in „ imagine novitatis. Hunc enim hominem „ non voluntas carnis, ſed ſola dumtaxat „ voluntas Deitatis conſtituit; ſiquidèm to- „ ta Verbi natura adfuit ad exhibendam hu- „ manam formam & carnem viſibilem, ex „ ſecundo Adam oriundam, non diviſione „ perſonarum, ſed coeſſentiâ Divinitatis & „ humanitatis. *Hæc Athanaſius*; prout exhibet proprius textus, quem præ manibus habemus. Ita palàm fit, loqui Athanaſium de voluntate, qua operatum eſt opus Incarnationis, & hanc ſolam fuiſſe catholicè docet; non tamen ex hoc excludit in Chriſto humanam voluntatem, licèt in opere Incarnationis nullam vel minimam partem habuerit. Rectè etiam Theophanes Presbyter in ſexta Synodo Act.VIII. relecto hoc eodem teſtimonio à Macario allegato, exponens dixit: „ Si „ teſtimonium, quod detrancaſtis, integrè „ poſuiſſetis, inveniebatur, quòd carnales „ voluntates & humanas cogitationes culpabiles & voluptuoſas accepit Sanctus Pater „ Athanaſius, quæ ex ſeminatione diabolica „ illatæ ſunt humanæ naturæ, ſicut idem „ Sanctiſſimus Pater ſuperiùs aſſeruit; nam „ & ego dico, non habuiſſe Dominum no- „ ſtrum Jeſum Chriſtum verum Deum no- „ ſtrum ex ſuperſatione voluntatem carna- „ lem, aut peccabiles cogitationes, abſit, „ ſed naturalem voluntatem, quam ipſe „ Deus creans Adam, ei indidit. *Hactenus ille*.

789 Teſtimonium porrò Gregorii Nyſſeni in ore fuit omnium Monothelitarum, eo enim uſus eſt Sergius in Epiſtola data ad Honorium Papam, relectâ Act.XII. ſextæ Synodi, & poſt Sergium cæteri; undè & Pyrrhus illud idem objecit Sancto Maximo: Sed abeſt à Sanctiſſimi Patris mente ejuſmodi Monothelitarum dementia, qui in ſuis ſcriptis non ſemel & bis, ſed centies expreſsè poſuit duplicem in Chriſto voluntatem & operationes quoque duas, ut videre eſt Secretar.V.Synodi Lateranenſis ſub Martino I. Cæterùm non rectè ex allegatis Nyſſeni verbis concluditur una voluntas vel una operatio; quoniam ſi propterea una Chriſti operatio eſſe debet, quòd operatio ſit ſolius Divinitatis, Paſſio verò humanitatis; ergò una quoque erit aſſirmanda natura in Chriſto, & hæc divina, quæ ſola eſt operatrix, cùm humana potiùs dicenda ſit patibilis; prout arguit ad hominem Damaſcenus lib. 3. de orthodoxa fide cap.15. Idem ergò Sanctus Gregorius per illa ver-

verba non excludit à Chriſto humanas operationes, quæ ſub vocabulo perpeſſionis carnis continentur, omnis enim humana operatio carnis perpeſſio appellari poteſt; quoniam omne creatum eo ipſo patitur, quò movetur, quia ſcilicèt alterius moventis impreſſionem admittit & recipit. Et hæc eſt Sancti Maximi doctrina in diſput. cum Pyrrho, ubi ait: „ Sanctos Patres variis nominibus affeciſſe „ humanæ naturæ motionem, prout ejus di„ verſæ notiones poſtulabant. Appellarunt „ ipſam & facultatem, & operationem, & dif„ ferentiam, & motionem, & proprietatem, „ & qualitatem, & paſſionem. Hanc autem „ uſurparunt, non quatenùs opponitur di„ vinæ, ſed quatenùs quidèm continet ac „ conſervat, & immutabilis, eam facultatem „ nominarunt; quatenùs verò character eſt „ & nota propria, quæ in omnibus eàdem „ comprehenſis ſpecie invariabilem quan„ dam rationem oſtendit, energiam vocarunt; „ ut autem diſtinguit & diſcernit, differen„ tiam; ut indicandi vim habet, motionem; „ ut conſtituit, ac ſoli ipſi, & non alteri na„ turæ ineſt, proprietatem; ut ſpeciem facit, „ qualitatem; ut movetur, paſſionem nuncu„ parunt. Etenim omnia, quæ ex Deo ſunt, „ & poſt Deum, eo ipſo patiuntur, quò mo„ ventur; utpotè quæ non ſunt ipſa motio, „ ipſaque vis aut virtus. *Hactenus Sanctus Maximus*.

790 Quare contra eundem Eunomium ſcribens ſermone 2. idem Beatiſſimus Nyſſe„ nus, ait: „ Quòmodò Dominus, qui ſe„ cundùm Chriſtum homo eſt, Mundum ſibi „ reconcilians diſtribuebat animæ, corpori„ que beneficium, quod ab ea fiebat homi„ nibus, volens quidèm per animam, tan„ gens autem corpore. *Hæc ibi*, ubi aſſerit apertè operationem humanæ voluntatis per illa verba: *Volens quidèm per animam*. Undè & in ſermone facto in Paſcha: *Accedit Leproſus*, ait, *defluxus jam & exterminatus corpore; quomodò fiet in ipſo à Domino mundatio? Anima vult, corpus tangit; per utraque fugatur paſſio*. Clariſſimè poſtea in ſermone contra Apollinarem: „ Hujuſmodi autem, in„ quit, rationabili anxietate una erit con„ ſolatio myſterii vera confeſſio; quoniam „ formidare quidèm in paſſione, humanæ fra„ gilitatis eſt, juxta quod Dominus ait, ſpi„ ritum promptum eſſe dicens, carnem au„ tem infirmam, ſuſcipere autem diſpenſa„ tionem, divinæ voluntatis atque virtutis „ eſt. Quoniam igitur altera humana volun„ tas, & divina altera eſt, loquitur quidèm „ ut homo, quod infirmitati carnis congruit, „ qui noſtras paſſiones ſuſcepit; producit ta„ men ſecundam vocem, excelſam & Deo „ dignam voluntatem confirmari, quàm hu„ manam propter ſalutem hominum volens. „ Qui enim dixit: *Non mea voluntas*, hu„ manam præſenti ſermone ſignavit; addens „ autem, *tuam*, oſtendit conjunctionem pro„ priæ Divinitatis ad Patrem, cujus Divi„ nitatis nulla eſt differentia propter ſocie„ tatem naturæ. *Hæc Nyſſenus*, quæ cum aliis ejuſdem teſtimoniis habentur recitata in antefato Secret. v. Synodi Lateranenſis, atque etiam Agatho Papa in ſua inſeruit Synodica ad Conſtantinum datâ & relectâ Act. IV. ſextæ Synodi.

791 Mirum eſt, Monothelitas pro ſua citare ſententia Beatum Cyrillum Alexandrinum, & tàm apertâ fronte aſſerere in ea fuiſſe opinione, ut una voluntas tantùm fuerit, unaque operatio, cùm luce clarius ex ejus ſcriptis liqueat, palàm & verbis clariſſimis, duas operationes, duaſque volutates poſuiſſe in Domino noſtro Jeſu Chriſto; Undè lib. 10. Theſaur. cap. 3. ſcribit: „ Quandò videtur „ timens mortem & dicens: *Si poteſt fieri*, „ *tranſeat à me calix iſte*; conſidera iterùm, „ quoniam formidans mortem, caro doceba„ tur à Deo Verbo geſtata, hoc deinceps mi„ nimè pati. Dicebat enim ad Patrem: *Non* „ *ſicut ego volo, ſed ſicut tu*. Et non quidèm „ timebat ipſe mortem, ſecundùm quod Ver„ bum eſt & Deus, ſed uſque ad finem di„ ſpenſationem perficere properabat. Hæc „ enim erat Patris voluntas. Habet autem „ & nolle mori, eò quòd mortem caro recu„ ſabat naturaliter. *Hæc ille*. Undè Agatho Papa allato hoc teſtimonio concludit de mente ejuſdem Sancti Doctoris, duas in Chriſto eſſe voluntates, & totidèm operationes.

792 Itaque verba Cyrilli allegata à Pyrrho, dicentis Chriſtum unam cognatam operationem per ambas oſtendiſſe, non pugnare ullo modo cum duabus operationibus, ſed contra potiùs eas defendere, demonſtrat Sanctus Maximus, inquiens: „ Non enim di„ xit unam naturalem operationem Divini„ tatis Chriſti & humanitatis ejus; alioquin „ non dixiſſet alibi: Auctoris & operis ean„ dem eſſe operationem, nunquam aliquis „ ſanæ mentis conceſſerit, ſed potiùs illud „ dixit, cùm vellet demonſtrare, unam eſſe „ Divinitatis ſinè carne, & cum carne ope„ rationem, ſicut ſi quiſpiam, unam eſſe ignis „ operationem cum materia, & ſinè materia „ oſtendere volens, diceret ignem cum mate„ ria & ſinè materia urere. Sic Pater Cyril„ lus non dixit unam operationem duarum „ rum naturarum, ſed unam operationem di„ xit divinam & paternam, quæ eſſentiali„ ter in Verbo Deo Incarnato inerat; qua „ non ſolùm juſſu ſuo, omnium rerum effe„ ctore miracula incorporaliter faciebat, „ ſicut ipſe ait, ſiquidèm etiam poſt Incar„ nationem habebat eandem operationem „ communem cum Patre incorporeè operan„ te, ſed tactu etiam propriæ carnis hæc ipſa „ miracula corporaliter oſtendebat. Hoc „ enim ſignificat, quod ait: *Per ambas*; ut

vita

„ vita reddita puellæ per verbum, & juſſum „ omnia operantem, vel aſpectus cæco reſti„ tutus, vel mundatio leproſi, vel benedi„ ctio panum, cognationem haberet ſecun„ dùm naturam cum operatione per tactum „ corporeè conſummata, ut demonſtraret „ carnem quoque eſſe vivificam, quia ejus „ propriè erat, & non alterius propter ſum„ mam cum ea unionem; per utraque enim „ hæc, per juſſum, inquam, & tactum di„ vina operatio in ipſis rebus apparebat, ne„ quaquam naturalem operationem carnis „ naturæ noſtræ humanæ & patientem læ„ dens, ſed contra potiùs eam conſervans „ ad propriam manifeſtationem; ſicut & ani„ ma tanquàm inſtrumentum proprii corpo„ ris, & per naturalem operationem ejus, ea, „ quæ ſibi propria ſunt, & ſuam operationem „ naturalem profert. Extenſio enim manus „ & tactus, & comprehenſio & mixtio luti „ manufacta, ac fractio panis, & denique „ id omne, quod manu, vel alio membro, „ vel parte corporis ficbat, naturalis opera„ tionis humanitatis Chriſti erat, qua tan„ quàm homo ipſe naturâ Deus operator „ erat, & divina naturaliter operabatur, ut „ per utraque (divina ſcilicèt & humana) „ ſecundùm naturam probaret perfectum „ Deum & perfectum hominem, abſque ſo„ lo peccato, ſe verè eſſe oſtendens. Non „ igitur ignoravit Cyrillus proprietatem præ„ cipuam uniuſcujuſque naturæ, & eam, quæ „ alias naturales proprietates comprehendit; „ operationem dico creatricem & vivifica„ tricem ex anima corpori ejus impartitam, „ quas Verbum Incarnatum ſervans in ſeipſo, „ ſynceras & non confuſas demonſtravit; „ operationem creatricem in creanda ſub„ ſtantia, & qualitate & quantitate, ex „ quibus & in quibus, & quæ rerum eſ„ ſentia eſt & ſpectatur. *Hæc Sanctus Ma„ ximus*.

793 Deinde idem Sanctus Maximus in Epiſtola ad Nicandrum eundem locum Sancti Cyrilli explicans, docet, unam & eandem operationem duarum naturarum vocari à Cyrillo, propter acutiſſimam earum unionem, & eâdem de cauſa cognatam appellare, qua unione fit, ut quemadmodùm natura aſſumpta hominis, ſic hujus actio divina ſit & propria ſuppoſiti Verbi. Et ita in idem opus, cujuſmodi erat mortui ad vitam revocatio, vel viſus reſtitutio, ambæ concurrebant, ab eadem perſona diverſis ex principiis manantes. Cognata enim dicuntur & quæ ſunt ejuſdem, & quæ diverſæ ſubſtantiæ, ſi vinculo connexa ſint unionis. Undè Gregorius Nazianzenus orat. in funere Cæſarii fratris carnem animæ cognatam appellat, quod idem Sanctus Maximus notat, non tamen propter naturam, ſed propter unionem.

794 Ad teſtimonium Sancti Leonis allegatum à Sergio in Epiſtola ad Cyrum, ac inde ab aliis Monothelitis, dicentis: *Agit enim utraque forma cum alterius communione*. Dicimus, non rectè eſſe allegatum & integrum, ſed detruncatum, & tùm ex antecedentibus, tùm ex conſequentibus potiùs contrarium evincitur ab eo, quod inferunt Monothelitæ; Etenim in Epiſtola ad Flavianum, relectâ Act. 2. Synodi Chalcedonenſis cap.4., undè deſumptum eſt à Sergio præfatum teſtimonium, ita ſcribit: „ Aſſumpta eſt igitur de „ matre, Domini natura, non culpa; nec „ in Domino Jeſu Chriſto ex utero Virginis „ genito, quia nativitas eſt mirabilis, ideò „ natura eſt diſſimilis. Qui enim verus eſt „ Deus, idem verus eſt homo; Et nullum eſt „ in hac unitate mendacium, dùm invicem „ ſunt humilitas hominis & altitudo Deita„ tis. Sicut enim Deus non mutatur miſe„ ratione, ita homo non conſumitur digni„ tate: Agit enim utraque forma cum alte„ rius communione; Verbo ſcilicet operan„ te quod Verbi eſt; carne exequente quod „ carnis. Et ſicut Verbum ab æqualitate pa„ ternæ gloriæ non receſſit, ita caro natu„ ram noſtri generis non reliquit. *Hæc Sanctus Leo*, ſecundùm ejus integrum textum. Undè evincitur, non denegaſſe duas operationes in Chriſto Domino, ſed potiùs affirmaſſe, cùm fateatur quæ Verbi ſunt operatum Verbum, carnem verò quæ carnis ſunt, licèt cum alterius communione, propter unionem duarum naturarum in uno, eodemque ſuppoſito Dei Verbi. Alia Patrum teſtimonia in proprium ſenſum extorta producebant Monothelitæ, quæ nos omittimus, cùm in Actis Synodi Lateranenſis, atque in ſexta Synodo, necnon in diſputatione Pyrrhi cum Maximo, refutata tanquàm detruncata, ac quædam explicata ſecundùm verum & genuinum eorundem Patrum ſenſum relegantur.

795 Itaque cum ſancta ſexta Synodo in definitione fidei credimus, unum Sanctæ Trinitatis, & poſt Incarnationem Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum verum Deum noſtrum eſſe: Aſſerimus duas ejus eſſe naturas in una ejus radiantes ſubſiſtentia, in qua tàm miracula, quàmque paſſiones per omnem ſui diſpenſativam converſationem, non per phantaſiam, ſed veraciter demonſtravit ob naturalem differentiam in eadem una ſubſiſtentia cognoſcendam, dùm cum alterius communione utraque natura indiviſè & inconfusè propria vellet, atque operaretur; juxtà quam rationem & duas naturales voluntates & operationes confitemur, ad ſalutem humani generis convenienter in eo concurrentes.

796 Dicimus denique cum ſancta Lateranenſi Synodo: „ Si quis ſecundùm Sanctos „ Patres non confitetur propriè & ſecundùm „ veritatem naturales proprietates Deitatis „ ejus & humanitatis indiminutè in eo, & „ ſine deminoratione ſalvatas, condemnatus

ſit.

„ ſit. *Item*, Si quis ſecundùm Sanctos Patres non confitetur propriè & ſecundùm veritatem duas unius ejuſdemque Chriſti Dei noſtri voluntates cohærenter unitas, divinam & humanam, ex hoc quòd per utramque ejus naturam voluntarius operator naturaliter idem exiſtit noſtræ ſalutis, condemnatus ſit. *Item*. Si quis ſecundùm Sanctos Patres non confitetur propriè & ſecundùm veritatem duas unius ejuſdemque Chriſti Dei noſtri operationes cohærenter unitas, divinam & humanam, ab eo quòd per utramque ejus naturam operator naturaliter idem exiſtit noſtræ ſalutis, condemnatus ſit, *Item*. Si quis ſecundùm ſceleroſos hæreticos, unam Chriſti Dei noſtri voluntatem confitetur, & unam operationem, in peremptionem Sanctorum Patrum confeſſionis, & abnegationem ejuſdem Salvatoris noſtri diſpenſationis, condemnatus ſit. *Item*. Si quis ſecundùm ſceleroſos hæreticos, in Chriſto Deo, in unitate ſubſtantialiter ſalvatis, & à Sanctis Patribus noſtris piè prædicatis duabus voluntatibus, & duabus operationibus, divinâ & humanâ, contra doctrinam Patrum, & unam voluntatem, & unam operationem confitetur, condemnatus ſit. *Item*. Si quis ſecundùm ſceleroſos hæreticos cum una voluntate & una operatione, quę ab hæreticis impiè confitetur, & duas voluntates pariterque & operationes, hoc eſt, divinam & humanam, quæ in ipſo Chriſto Deo in unitate ſalvantur, & à Sanctis Patribus orthodoxè in ipſo prædicantur, denegat & reſpuit, condemnatus ſit. *Denique*. Si quis ſecundùm ſceleroſos hæreticos Deivirilem operationem, quod Græci dicunt, *Theandricbin*, unam operationem inſipienter ſuſcipit, non autem duplicem eſſe confitetur ſecundùm Sanctos Patres, hoc eſt divinam & humanam, aut ipſam Deivirilis, quæ poſita eſt, novam vocabuli dictionem unius eſſe deſignativam, ſed non utriuſque mirificæ & Glorioſæ unitionis demonſtrativam, condemnatus ſit.

CAPUT XVI.

De Honorii Papæ fide in controverſia de duabus in Chriſto voluntatibus & operationibus.

797 MAgna ſanè controverſia, an Honorius cum Monothelitis unã in Chriſto Domino Noſtro Jeſu Chriſto aſſeruerit voluntatem, unamque tantùm operationem, à Viris Doctiſſimis agitata nec hactenus unico ſenſu deciſa, aliis de hæreſi ipſum culpantibus, & aliis ab ea defenſantibus. Scandalum hoc peperit ejus ad Sergium data Epiſtola, in qua cum Sergio conveniſſe videtur, non eſſe nimirum duas in Chriſto voluntates, neque aſſerendum in eo duas extitiſſe operationes, ſed magis abſtinendum propter infirmiores ab ejuſmodi locutione, proindeque nec duas, nec unam prædicandam. Scribit namque in ea: *Unde & unam voluntatem fatemur Domini Noſtri Jeſu Chriſti, quia profectò à Divinitate aſſumpta eſt noſtra natura, non culpa in illa, profectò quæ ante peccatum creata eſt, non quæ poſt prævaricationem vitiata.* Et infra. „ Non oportet, *inquit*, ad dogmata hæc Eccleſiaſtica retorquere, quæ neque Synodales apices ſuper hoc examinantes, neque auctoritates Canonicæ viſæ ſunt explanaſſe, ut unam vel duas energias aliquis præſumat Chriſti Dei prædicare, quas neque Evangelicæ vel Apoſtolicæ literæ, neque Synodalis examinatio ſuper his habita viſæ ſunt terminaſſe, niſi fortaſſis, ſicut præfati ſumus, quidam aliqua balbutiendo docuerunt, condeſcendentes ad informandas mentes, atque intelligentias parvulorum; quæ ad Eccleſiaſtica dogmata trahi non debent, quæ unuſquiſque in ſenſu ſuo abundans, videtur ſecundùm propriam ſententiam explicare. Nàm quia Dominus Noſter Jeſus Chriſtus Filius ac Verbum Dei, per quem facta ſunt omnia, ipſe ſit unus & idem operans Divina & humana, plenè ſacræ literæ luculenter demonſtrant. Utrùm autem propter opera Divinitatis & humanitatis, una, an geminæ operationes debeant derivatæ dici, vel intelligi, ad nos iſta pertinere non debent, relinquentes ea grammaticis, qui ſolent parvulis exquiſita derivando nomina vendicare. Nos enim non unam operationem, vel duas Dominum Noſtrum Jeſum Chriſtum, ejuſque Sanctum Spiritum, ſacris literis percepimus, ſed multiformiter cognovimus operatum. *Et paulò infra ſubjungit*. Et nos quidem ſecundùm ſanctiones divinorum eloquiorum oportet ſapere vel ſpirare, illa videlicèt refutantes, quæ quidem novæ voces noſcuntur Sanctis Dei Eccleſiis ſcandala generare: ne parvuli aut duarum operationum vocabulo offenſi, ſectantes Neſtorianos nos veſana ſapere arbitrentur: aut certè, ſi rursùs unam operationem Domini Noſtri Jeſu Chriſti fatendam eſſe cenſuerimus, ſtultam Eutychianiſtarum, attonitis auribus dementiam fateri putemur. *Hæc Honorius*.

798 Ex ejuſmodi itaque Honorii ſcriptis, qui ei adverſantur concludunt ex duplici capite convinci eum rectam de Chriſti voluntatibus atque operationibus fidem non habuiſſe, primò quia diſertis verbis unam in Chriſto voluntatem faſſus eſt: Ac deinde quoniam nec unam voluntatem, & operationem, nec duas eſſe dicendas mandavit, ſivè in hoc Sergio adhæſit, & conſenſit. Etenim tàm hæreticus eſſe videtur, qui veritatem negat, quàm qui eam

non

non confitetur: ſi eſt fidei dogma eſſe in Chriſto duas voluntates, & duas operationes, hæreticus eſt nedùm ille, qui unam tantùm aſſerit, verùm & ille qui abſtrahit, nec duas confiteri vult, quamvis unam neque dicat. Hac enim ratione Ecthesis Heraclii proſcripta fuit, atque damnatus typus Conſtantis: relectâ namque priùs Ectheſi Secret. IV. Synodi Lateranenſis, indeque typo, quibus pro Eccleſiarum concordia ineunda præceptum erat ut neque una, neque duæ ad ſcandala puſillorum delenda, dicerentur in Chriſto voluntates, & operationes, Martinus I. ejuſdem Concilii præſes dixit: „ Relectus typus
„ bonum quidem intentum habere dignoſci-
„ tur, diſſonantem autem virtutem intentui
„ continet. Bonum eſt namque proculdubiò
„ & omnibus timentibus Deum deſiderabi-
„ le, cohibere diſſenſiones; & altercationes
„ pro cauſa fidei: ſed non eſt utile & bonum,
„ cum malo deſtruere bonum, ideſt cum hæ-
„ reticis Orthodoxorum Patrum verba, & dog-
„ mata; quoniam hoc potiùs exurit, non
„ enim mitigat merito in controverſarium
„ ſtantium, nullo videlicèt patiente denegare
„ cum impietate hæretica Venerabile Verbum
„ fidei. Similiter namque eſt & inhoneſtum
„ malum amplecti, & cum eodem bonum in-
„ diſcretè proiicere, quoniam utrumque ju-
„ ſtitiæ perimit traditionem. Unde & Ma-
„ gnus Abraham in hoc hæſitans, Domino ap-
„ propinquans, ait: *Nùm perdes juſtum cum*
„ *impio, & erit juſtus ſicut impius? Nullo*
„ *modo tu facias ſecundùm hoc verbum, ut*
„ *occidas juſtum cum impio, & erit juſtus ſicut*
„ *impius: non eſt hoc tuum, qui judicas om-*
„ *nem terram: non facies judicium hoc.* Nàm
„ ſi quidem per approbationem Scripturæ,
„ hoc eſt, paternæ doctrinæ, reprehenſibile
„ pariter aut laudabile utrumque oſtenderet,
„ benè utique fuiſſet typus expoſitus, propter
„ utriuſque approbatam per ſpirituales ſer-
„ mones reprehenſionem, aut per ſpiritales
„ Patres utriuſque taciturnitatem definiens,
„ aut è contrariò pro eorum laudabilitate
„ utriuſque profeſſionem. Si autem nihil ho-
„ rum penitùs demonſtravit, ſed taciturni-
„ tati pariter prohibuit unam aut duas dicere
„ operationes & voluntates, ſufficit nobis Pa-
„ triarchæ voce Sereniſſimum Principem al-
„ loqui, ſed & ipſi Regi Regum fiducialiter
„ eam offerentes cum eo, qui ait: *Nullo mo-*
„ *do tu facies, ſecundùm hoc verbum, ut in-*
„ *terficias juſtum cum impio, & erit juſtus ſi-*
„ *cut impius.* Declinare autem à malo & fa-
„ cere bonum, ipſe nobis omnium Dominus
„ præcepit: non enim cum malo bonum aver-
„ ſari, aut penitùs confirmare, quoniam
„ utrumque dùm perficitur, lædit. Illud au-
„ tem tantummodò ſalvare conſuevit, dùm
„ perficitur, ideſt, declinare à malo, & con-
„ fiteri bonum. Præcepit namque nobis per
„ Moyſen dicens: *Ut habeatis ſcientiam diſcer-*
„ *nendi inter ſanctum & profanum, & inter*
„ *pollutum & mundum. Ego Dominus veſter.*
„ *Cuſtodite omnia legitima mea, & non facia-*
„ *tis ex omnibus abominationibus iſtis: quia*
„ *omnis homo, qui fecerit ex omnibus abomi-*
„ *nationibus iſtis, exterminabitur anima ejus*
„ *de populo ſuo.*

799 „ Igitur, *ſubjungit*, nullo modo opor-
„ tet contra eos, qui minimè denegant pari-
„ ter utrumque, ideſt, unam aut duas dicere
„ in Chriſto Deo operationes & voluntates,
„ ſinè diſcretione indignationem infligere, ſed
„ juſtè contra eos tantummodò hanc proferre,
„ qui non confitentur, quas probabiles Ec-
„ cleſiæ Patres confitentur; hoc eſt, duas
„ ejuſdem, atque unius ſicuti eſſentias unitas
„ inconfusè & indiviſè; ita & æquali nume-
„ ro voluntates & operationes, Divinam di-
„ co & humanam: maximè eum, qui ſecun-
„ dùm Deum ſuas, ut condecet, properat
„ promulgare ſententias. Proptereà intentum
„ quidem, ut dictum eſt, bonum exiſtentem
„ typum laudamus, ſed modum ab intentu
„ diſſonantem avertimur: quoniam omninò
„ eſt inconveniens Catholicæ Eccleſiæ re-
„ gulæ, in qua utique adverſa tantummodò
„ jubetur meritò ſepeliri ſilentio: Non enim
„ Orthodoxa cum contrariis confiteri omninò
„ aut quoquomodo denegare; aſſerit enim
„ ità, quoniam alienum eſt Chriſtianorum
„ cum recta fide impietatem ſuſcipere, & non
„ diſcernere recta à malis: *Qualis namque par-*
„ *ticipatio juſtitiæ cum iniquitate? Aut qua-*
„ *lis communio luminis cum tenebris?* Et qua-
„ lis conſonantia paternæ doctrinæ cum here-
„ tica contentione? Ab omni enim contagio-
„ ne hæretica alienum conſiſtit verbum Or-
„ thodoxiæ, quod ſinè dubio intraſgreſſibi-
„ liter confiteri in confeſſione eterna omnibus
„ præcepit Dominus, dum dixit: *Qui me*
„ *confitebitur coràm hominibus, confitebor &*
„ *ego eum coràm Patre meo, qui in Cœlis eſt.*
„ *Qui autem negaverit me & ſermones meos,*
„ *negabo eum & ego coràm Patre meo, qui in*
„ *Cœlis eſt.* Hæc & alia in rejectionem typi
„ protulit Martinus, quæ quidem & reiiciunt,
„ cùm eadem ſit ſententia, & Honorii œco-
„ nomiam, & aſſertionem.

800 Deinde S. Maximus & Ectheſim, & Typum pariter ut adverſantes Catholicæ veritati penitùs rejecit: Etenim in collatione habita cum principibus, dicentibus Troilo & aliis Beato Viro: *ne contriſtes Imperatorem, qui propter pacem tantummodò fecit typum: non in ademptionem cujuſquam eorum, quæ in Chriſto intelliguntur, ſed ad pacem ſilentium vocum, quæ faciebant diſſenſionem, diſpenſans;* Sanctus Maximus reſpondit; Chriſtum confitendum eſſe; ſicuti eſt, & quemadmodùm de eo prædicaverunt Sancti Dei, & firmavèrunt Synodi œcumenicæ, & cùm perfectum hominem eſſe dixerint, talem confitendum: Si autem, *inquit* „ Perfectus eſt in utroque, ſicut

„ cut in nullo ex ambobus eſt minoratus: manifeſtè totum ipſius adulterat Sacramentum, qui non confitetur eum eſſe, quod eſt, cum exiſtentibus ſibi omnibus naturalibus idiomatibus, ex quibus & in quibus, & quæ eſſe probatur. *Hæc ille*, qui & pariter hæc alia contra eundem typum protulit, inquiens: „ Verumtamen ſub quo fieri modo unitatem à Deo coronata ejus juſſit tranquillitas, noſti? & dixiſti, ſub typo. Et dixi impoſſibile, ut opinor, eſt hoc. Non enim patiuntur Romani auferri unà cum impuris hæreticorum vocibus Sanctorum Patrum luciferas voces, vel ſimul cum mendacio veritatem extingui, aut cum tenebris lumen pariter diſſipari. Nihil nobis quod adoretur erit, ſi Divinitus oſtenſorum fuit verborum ablatio. Et dixiſti, non ablationem Sacrarum Typus effecit vocum, ſed taciturnitatem, ut diſpenſemus pacem. Et dixi, eſt apud Divinam Scripturam taciturnitas etiam demptio. Deus enim per David dixit. *Non ſunt loquelæ neque ſermones, quorum non audiantur voces eorum*. Ergo niſi dicantur, & audiantur ſermones, qui de Deo ſunt, nec omninò ſunt ſecundùm Scripturam. Et dixiſti: Non mittas me in Sylvas, ego ſancto contentus ſum Symbolo. Et quomodo dixi, potes ſancto eſſe contentus Symbolo, ſuſcipiens Typum? Et quid lædet ſuſcipere Typum, & dicere Symbolum? Aſſeruiſti. Ajo, quoniam evidenter obtruncat Symbolum Typus. *Hæc & alia* Maximus concludens & probans Typum adverſari Catholico Symbolo, propter ſilentium in eo indictum de duabus voluntatibus, & operationibus in Chriſto Deo Noſtro.

801 Porrò & in collatione habita cum Theodoſio Epiſcopo, plura quoque adversùs eundem Typum exagerat, & dicentibus factum eſſe propter diſpenſationem, & ut Eccleſiarum pax eo medio, ablatis diſſenſionibus propter ejuſmodi voces exortas, conſiſteret, ait Sanctus Martyr poſt plura: *Videte ne forte pacem prætendentes, Apoſtaſiâ reperiamur languere & prædicare, quam præcurſuram fore Antichriſti adventum, Sacratiſſimus dixit Apoſtolus*. Itaque damnato typo, ſuſtineri non poſſe videtur Honorii Papæ indictum ſilentium, unà ſemel quòd in typo nonniſi de duabus, aut una operatione, & voluntate ſilentium indiceretur: hujuſmodi ſilentium in typo damnatur à Patribus ut adverſatiuum Orthodoxæ fidei: ergo pari ratione damnari debet in Epiſtola Honorii, propter identitatem rationis. Et ad comprobandam impietatem typi atque indicti in eadem cauſa ſilentii, utitur S. Maximus exemplo Arianorum, qui propoſuerunt pro pace ineunda ut taceretur vox illa, *conſubſtantialis Dei Verbi cum Patre*, repugnantibus huic diſpenſationi univerſis Catholicis, *inquiens*, in antefata cum Principibus collatione: „ Hoc aliquando Ariani prætenderunt in ſcriptis ſub Magno Conſtantino, dicentes: *Auferamus dictum unius ſubſtantiæ, & alterius ſubſtantiæ, & uniantur Eccleſiæ*. Et non id admiſerunt Deiferi Patres noſtri, ſed elegerunt potiùs perſecutionem pati & mori, quàm tacere vocem comprobantem unam Patris & Filii & Spiritus Sancti ſuperſubſtantialem Deitatem, & hæc cohibente his qui prætendebant Magno Conſtantino, ſicut à multis refertur, qui ea quæ tunc geſta ſunt ſtudioſè ſcripſerunt. Et nullus Imperatorum potuit mediis vocibus ſuadere Deiloquis Patribus, ut convenirent in ea, quæ ipſi ſectabantur: ſed expreſſis vocibus ac propriis, & Dogmati quod quærebatur congruis, uſi ſunt, dicentes liquidò, quoniam Sacerdotum eſt quærere ac diffinire de ſalutaribus Eccleſiæ Catholicæ Dogmatibus. *Hactenus Maximus*.

802 Præterea ejuſdem ſententiæ fuiſſe Honorium cum Monothelitis deduci poſſe videtur ex communi ejuſdem Honorii loquendi modo cum Monothelitis: Eo enim pacto quo loquitur Sergius in ſua Epiſtola, imò Macarius in ſua fidei confeſſione, & in typo Conſtans Imperator, loqui videtur Honorius in prædicta Epiſtola. Sergius autem dicit: „ De cætero nullum permitteret unam, aut duas proferre operationes in Chriſto Deo Noſtro, magis autem (ſicut ſancta & univerſalia tradiderunt Concilia) unum eundemque Filium Unigenitum, Dominum Noſtrum Jeſum Chriſtum verum Deum operatum confiteri tàm Divina quàmque humana, & omnem Deo decibilem, & homine dignam operationem, ex uno eodemque incarnato Deo Verbo indiviſè procedere, & ad unum eundemque redigi, eò quòd unius quidem operationis vox, quamquàm à quibuſdam Sanctis dicta eſt Patribus, tamen peregrina videatur, & perturbare aures quorundam, ſuſpicantium ad peremptionem hanc proferri inconfuſè atque ſecundùm ſubſiſtentiam unitarum in Chriſto Deo noſtro duarum naturarum, quod non eſt unquam, nec fiat. Similiter autem & duarum operationum dictio multos ſcandalizet, utpote à nullo Sanctorum & probabilium Eccleſiæ Inſtitutorum edita. Inſuper & conſequens ei fit prædicare duas voluntates, contrarietates circa invicem habentes, tanquam Deo quidem Verbo ſalutarem volente adimplere paſſionem, humanitate verò ejus obſiſtente ejus voluntati, & reſiſtente, & perinde duo contraria volentes introducantur, quod impium eſt. Impoſſibile quippe eſt, in uno eodemque ſubjacenti duas ſimul & erga hoc ipſum contrarias ſubſiſtere voluntates. *Hæc Sergius*. Et hæc quidem ferè totidem verbis habentur in Epiſtola Honorii ad eundẽ Sergium data.

803 Macarius in ſua fidei expoſitione hæc alia habet: „ Unum igitur eundemque operatum fuiſſe dicimus, ideſt, mirè operatum eſſe ſalutem noſtram, eundemque paſſum propria carne, & omnes verè ſuſtinuiſſe ſalutares paſſiones, idem eſt dicere & miracula, ut ſit quidem carnis pati, non ſeparatæ videlicèt à Divinitate, quamvis non Divinitatis fuit pati, ipſius autem Dei operatio, quamvis per humanitatem ejus, hoc eſt, totam noſtram conſperſionem hanc adimpleverit una & ſingulari voluntate Divina, utpote non exiſtente in eo & alia voluntate, ſivè obſiſtente & adverſante Divinæ ejus, & potenti illi voluntati. Impoſſibile enim eſt in uno eodemque Chriſto Deo noſtro duas ſimul & adinvicem contrarias ſeu ſimiles exiſtere voluntates. *Hæc Macarius*. Certè Honorius, ne duas in Chriſto contrarias voluntates aſſerere cogatur, unam tantùm confitetur. Duas quoque naturas profitetur operatrices cum alterius communione: & Chriſtum operatum Divina media humanitate, ſivè humanâ carne aſſumptâ. Et item ſileri jubet unius operationis vocem propter Eutychianos, duarum verò propter Neſtorianos. Conſtans quoque Imperator in typo ſilentium ſe indicere fatetur ad ſedanda ſcandala, omnemque controverſiam de medio adimendam. Plura quoque ſimilia ferè in verbis ipſis habentur in ſecunda Sergii Epiſtola data ad Cyrum, quæ reperiuntur in literis Honorii. Qui ſimilia docet, ſimilia quoque credere fas eſt dicere: ergo ſimiles Honorii locutiones cum Monothelitarum locutionibus, ſimilem quoque fidem arguunt.

804 Hiſce itaque de cauſis placuit nonnullis aſſerere Honorium lapſum in Monothelitarum errorem: ita ex exteris Nilus lib. de primatu Romani Pontificis, Magdeburgenſes Centur. 7. Cap. 10. in vita Honorii, & Cap. 11. & ferè omnes, qui Romanæ Eccleſiæ adverſantur. Ex noſtratibus verò Melchior Canus lib. 6. de locis commun. Cap. ultim. Et ex recentioribus ab hac eadem opinione non videtur prorsùs alienus Natalis Alexandri in Diſſert. 11. ſæculi VII. ſuæ Eccleſiaſt. Hiſtor. Concluſ.2. licèt Concluſ.3. fateatur & piè & verè poſſe Honorium ab hæreſi excuſari. Docet ergò in prima Concluſione in reſponſione ad argumentum depromptum ex Epiſtola Agathonis ex infallibilitate Romani Pontificis, nihil obſtare errorem Honorii infallibilitati debitæ Romano Pontifici: quoniam, *inquit*, indeficientis judicii privilegium Romanis Pontificibus ità non convenit, ut errare non poſſint vel hæreſim aſſerendo, vel eam fovendo, & connivendo hæreticis, quà homines privati ſunt, & cùm Epiſtolas privatas ſcribunt ad aliquos Patriarchas, vel Epiſcopos, qualem Honorius ad Sergium ſcripſit; non autem Encyclicas, quibus Eccleſiæ fidem in controverſiis emergentibus exponant, & Chriſtianos omnes doceant: quæ Epiſtolæ Encyclicæ judicium Sedis Apoſtolicæ de quæſtione fidei continentes, accedente Eccleſiæ conſenſu, comprobentur. Et hoc, ſubjungit, eſſe, quod Theologi de Schola dicunt, Romanum Pontificem ex Cathedra docentem errare minimè poſſe. Id quod pluribus probare conatur. Cæterùm natalis ut unam ſolvat controverſiam, alteram inducit, an ſcilicèt ad infallibilitatem Decretorum fidei Romani Pontificis docentis ex Cathedra requiratur Eccleſiæ conſenſus illorum comprobativus. Licèt plurimorum Catholicorum antiquiorum ſententia fuerit, Romanum Pontificem ut privatam perſonam, ſivè privatum doctorem in fide errare poſſe: communis omnium ſemper ſententia fuit, ex Cathedra docentem, ut ſcilicèt Doctorem communem univerſæ Eccleſiæ errare minimè poſſe ex privilegio Chriſti Domini Petro conceſſo, ac perinde & ſucceſſoribus Petri ſecundùm Sanctorum Patrum doctrinam, ut videre eſt apud Bellarminum lib. 4. de Rom. Pontifice Cap. 3. Neque ut ſit infallibilis in hujuſmodi Decretis ex Cathedra docens emanatis, requiritur conſenſus Eccleſiæ, ut idem Bellarminus probat ex doctrina Sanctorum Patrum, & eſt ſententia receptiſſima in Eccleſia Romana, & ferè communis inter Catholicos paucis dumtaxat exceptis. Sed quoniam hæc materia ad aliam ſpectat controverſiam, non eſt diutiùs in ea hìc immorandum.

805 Communis ergo ſententia, ſivè communior, in cauſa Honorii, docet nullatenus in Monothelitarum errorem & hæreſim lapſum. Sed diverſimodè excuſant, unde Anaſtaſius Bibliothecarius in Epiſtola data ad Joannem Romanæ Eccleſiæ Diaconum, ſuſpicatur de genuitate illius Epiſtolæ: *ait* enim: „ Quis autem erit, qui nobis interim dicat, utrùm ipſe pro certo dictaverit Epiſtolam, de qua illum anathematizandi fomitem calumniatores ſuſceperunt: cùm & ex ſcriptoris vel indiſciplinatione, vel in Pontificem odio quid contingere tale potuerit? „ *Hæc ille*, licèt poſteà ſubjungat, eam Epiſtolam ſcripſiſſe Joannem Abbatem, dictante Pontifice. Sed hæc opinio eſt prorsùs ſingularis; quoniam & Joannes Papa IV. qui immediatè ſucceſſit Honorio, pro genuina Honorii eam agnovit, unde in ſuo Apologetico pro eodem Honorio, non eſt auſus eam repudiare tanquam nomine Honorii confictam: & neque hoc aſſeruit Sanctus Maximus Honorio Coævus, qui & aliâ viâ conatus eſt eum ab hæreſi defendere.

806 Alius porrò Auctor qui ſcripſit hiſtoriam Monothelitarum apud Natalem Alexandri, & ſi non abnuat præfatam Epiſtolam eſſe Honorii, corruptam tamen ab hæreticis fatetur, in eo quod dicatur, *unam Chriſti voluntatem*; unde vult Honorium ſcripſiſſe *novam* Chriſti voluntatem, non *unam*, ab hæreti-

reticis verò vocem, *novam*, commutatam in *unam*, quemadmodùm fecerat Sergius in textu Sancti Dionyſii. Hoc porrò tribus conjecturis firmare conatur; quarum prima eſt, quòd Honorius ſtudet ubique cum Sanctis Patribus effari. Inde enim convenienter colligitur, ipſum eo in loco cum Sancto Dionyſio fuiſſe locutum. Secunda, quòd indignum ſit non planè ſtolido Viro, nedùm docto Pontifici, qui Clerum in multis erudierit, definire; ne una, vel gemina in Chriſto prædicetur voluntas; quod ibi decerneret apertè, ſi interim ipſe & unam defenderet, & unam apertè prædicaret. Tertia deniq; conjectura eſt, quòd ratio, quam ſubdit Honorius propoſitioni celebri, nulla prorsùs ſit & inepta, ſi dicamus eum ſcripſiſſe unam voluntatem; Etenim ratio, quam ſubdit, hæc eſt: *quia à Divinitate aſſumpta eſt noſtra natura, non culpa*. Quid intererat ad convincendum, unam eſſe in Chriſto voluntatem, aſſerere, aſſumptam fuiſſe à Chriſto humanitatem peccato non fœdatam? Plurimùm verò refert aſſerere, quòd Chriſtus non aſſumpſerit peccatum, nec carnem peccato fœdatam, ad inferendum, novâ præditum fuiſſe voluntate, qua ſcilicèt careant reliqui homines in Adamo lapſi. *Hæc recentior Auctor ille*.

807 Sed hæc pariter nova Honorii defenſio minimè ſubſiſtere videtur, cùm nemo ex antiquis ſimilem corruptelam in prædicta adnotaverit Epiſtola, & præcipuè Joannes Papa, qui poterat optimè obſervare ex Exemplari Romæ retento, nec quidèm in ſuo Apologetico id recenſere omiſiſſet; undè illam propoſitionem adeò germanam agnovit, ut curaverit in catholicum eam explicare ſenſum. Maximus quoque & Anaſtaſius nullo pacto faſſi ſunt, commutatam ab hæreticis fuiſſe *novam* voluntatem in *unam*; neque conjecturæ à præfato adductæ Auctore ſufficienter indicare poſſunt ejuſmodi corruptionem. Non quidèm prima, quoniam ſi Honorius unam voluntatem affirmare voluiſſet, locutionem Sanctorum Patrum non attendiſſet; immò ad Sanctos Patres docentes duas voluntates non reſpexiſſe, colligitur ex eo, quòd dicat, eos, qui duas voluntates adſtruxerunt, balbutiendo magis, quàm ſolidè loquendo id effeciſſe. Tùm quia Sergius quoque doctrinam Patrum ſe ſequi fatebatur, unam tamen voluntatem aſſerebat, hoc idem & in Honorio dici poſſet. Secunda porrò conjectura deſtruitur ex ipſis Epiſtolæ verbis; quoniam Honorius in Epiſtola ſilentium indicere videtur, non quia reverà non aſſereret unam voluntatem, ſed propter puſillorum ſcandalum; non enim contra propriam ſententiam abiiſſe dici poteſt propter indictum ſilentium, quoniam ſtat benè, ut unam fateatur voluntatem, licèt dicat ad ſcandala & contentiones vitandas, non eſſe prędicandam nec unam, nec duas. Sergius quoque, qui unam reverà voluntatem fatebatur, hanc œconomiam introduxit. Nec denique tertia conjectura vim aliquam habet, quoniam in errante parùm attenditur, ſi conſentaneè loquatur nec ne; Iiſdem principiis etiam Sergius uſus eſt in ſua Epiſtola, & ſimilia Honorio ſcripſit, licèt poſtea conſtans eſſet in aſſerenda una voluntate.

808 Itaque, ut à labe hæreſis defendatur Honorius, per eandem viam incedendum eſt, per quam abierunt & Joannes Papa & Sanctus Maximus, aſſerendo cum veritate mentem Honorii non fuiſſe, denegare in Chriſto Domino duas naturales voluntates & duas operationes, humanam unam, alteram Divinam, verùm tantùm duas contrarias voluntates, quemadmodùm nos ſupra poſt recenſitam Honorii Epiſtolam cum eodem Joanne & Maximo breviter adnotavimus, & modò iterùm oſtendemus. Et primò notanda ſunt verba antecedentia, quæ in eadem Epiſtola ſcribit Honorius: ait ergò: „ Enimverò, „ duce Deo, perveniemus, *inquit*, uſque „ ad menſuram rectę fidei, quam Apoſtoli „ veritatis Scripturarum ſanctarum funiculo extenderunt, confitentes Dominum Jeſum Chriſtum mediatorem Dei & hominum operatum divina, mediâ humanitate „ Verbo Deo hypoſtaticè (*ſive naturaliter*) „ unitâ; Eundemque operatum humana ineffabiliter atque ſingulariter aſſumptâ carne diſcretè, inconfuſè atque inconvertibiliter plenâ Divinitate, & qui coruſcavit „ in carne plena divinis miraculis, ipſe eſt & „ carneus effectus plenè Deus & homo; paſſiones & opprobria patitur unus mediator „ Dei & hominum in utriſque naturis, Verbum caro factum, & habitavit in nobis, „ ipſe Filius hominis de Cœlo deſcendens, „ unus atque idem, ſicut ſcriptum eſt, crucifixus Dominus Majeſtatis, dùm conſtet „ Divinitatem nullas poſſe perpeti paſſiones; „ & non de Cœlo, ſed de ſancta eſt aſſumpta „ caro Dei Genitrice (non per ſe veritas in „ Evangelio ita inquit: *Nullus aſcendit in Cœlum, niſi qui de Cœlo deſcendit Filius hominis, qui eſt in Cœlo*) profectò nos inſtruens, quòd Divinitati unita eſt caro „ paſſibilis ineffabiliter atque ſingulariter, ut „ diſcretè, atque inconfuſè, ſic indiviſè videretur conjungi. Ut nimirum ſtupendâ mente mirabiliter manentibus utrarumque naturarum differentiis, cognoſcatur uniri. *Hæc Honorius*, & pauca alia ſimilia in ea prĕmittit Epiſtola. Undè liquet, Honorium duo hæc confiteri, nimirum, Chriſtum perfectum hominem eſſe, inſuper & Deum perfectum, duaſque in eo copulatas naturas, humanam ſcilicèt & divinam cum ſuis differentiis eſſentialibus indiviſas & inconfuſas; qua ſtante confeſſione, magis duas voluntates & duas operationes faſſus eſt in Domino noſtro

ſtro Jeſu Chriſto, quàm unam tantùm; ad perfectionem enim hominis ſpectat eſſe intellectivum & volitivum, ac proinde proprium habere intellectum,propriamque voluntatem: Quis enim dicere auſerit, naturam carentem propriâ voluntate, proprioque intellectu, poſſe dici perfectum hominem conſtituere, ſi hæc ſunt ferè hominis ſpecificativa & diſtinctiva à naturis irrationalibus & brutis? Itaque ita confitendo, voluntatem propriam habuiſſe naturam humanam aſſumptam, diſtinctam à natura divina, neceſſe eſt ex conſequenti aſſeruiſſe.

809 Dùm porrò poſt pauca ait: *Undè & unam fatemur Domini noſtri Jeſu Chriſti*, videamus cauſalem, & qua ratione unam fateatur Domini noſtri Jeſu Chriſti voluntatem: *quia profectò*, inquit, *à Divinitate aſſumpta eſt noſtra natura, non culpa; illa profectò, quæ ante peccatum creata eſt, non quæ poſt prævaricationem vitiata*. Unam ergò fatetur in Chriſto voluntatem, quoniam caro Chriſti aſſumpta ſinè culpa fuit, & talis qualis ante Adæ prævaricationem, non qualis poſtea fuit; undè ſubjungit: „ Chriſtus enim Dominus „ in ſimilitudine carnis peccati veniens, peccatum Mundi abſtulit, & de plenitudine „ ejus omnes accepimus; & formam Servi „ ſuſcipiens, inventus eſt ut homo, quia „ ſinè peccato conceptus de Spiritu Sancto, „ etiam abſque peccato eſt partus de Sancta „ & Immaculata Virgine Dei Genitrice, nul„ lum experiens contagium vitiatæ naturæ. *Hæc ibi*. Ex quibus apparet, non dixiſſe unam ad excluſionem voluntatis naturalis, quæ eſt proprietas animæ intellectivæ, ſed ad excluſionem alterius voluntatis carnalis, quæ ineſt naturæ vitiatæ, eſtque contraria voluntati mentis; & hanc eſſe genuinam ejus mentem, ex ſubſequentibus perſpicuè liquet; nam poſtquàm oſtendit carnem in bonum, & in malum accipi aliquandò in ſacris ſcripturis, ait: „ Non eſt itaque aſſumpta, ſicut præ„ fati ſumus, à Salvatore vitiata natura, „ quæ repugnaret legi mentis ejus, *ſed venit* „ *quærere, & ſalvare quod perierat*, ideſt, „ vitiatam humani generis naturam; Nam „ lex alia in membris, aut voluntas diverſa „ non fuit, vel contraria Salvatori, quia ſu„ per legem natus eſt humanæ conditionis. En ergò quomodò excludit voluntatem illam carnalem, quam aliam legem in membris repugnantem legi mentis appellat Apoſtolus. Et dùm poſtea proſequitur dicens: „ Eſt ſiqui„ dèm ſcriptum: *Non veni facere volunta*„ *tem meam, ſed ejus, qui miſit me Patris*. „ *Et, non quod volo, ſed quod tu vis, Pater*; „ & alia hujuſmodi, non ſunt hæc diverſæ „ voluntatis, ſed diſpenſationis humanitatis „ aſſumptæ. Iſta enim propter nos dicta ſunt, „ quibus dedit exemplum, ut ſequamur ve„ ſtigia ejus, pius Magiſter Diſcipulos im„ buens, ut non ſuam unuſquiſque noſtrùm, „ ſed potiùs Domini in omnibus præferat „ voluntatem. Dùm, inquam, hæc ſubjungit, indicat, non ex carnali & repugnante voluntate talia faſſum eſſe Salvatorem noſtrum, ſed ex naturali illa voluntate, voluntati Patris conformem, ut eſſet nobis norma, ut quemadmodùm ille non ſuam faciebat voluntatem, ſed Patris; ita & nos non noſtram ſed divinam facere deberemus.

810 Et hæc quidèm expoſitio à vero aberrare non poteſt, quoniam Honorius conformiter ad ea, quæ ſcripſerat ipſi Sergius, reſcripſit: Non enim Sergius ſcripſit expreſsè, non duas naturales voluntates dicendas in Chriſto, ſed duas voluntates contrarias, ſivè abſtinendum à voce duarum voluntatum; nam dicendo in Chriſto duas voluntates, conſequens eſſet admittere in eo voluntates contrarias: „ Similiter autem, *inquit*, & duarum operationum dictio multos ſcandali„ zet, utpotè à nullo Sanctorum & proba„ bilium Inſtitutorum Eccleſiæ edita. Inſu„ per & conſequens ei ſit prædicare duas vo„ luntates, contrarietates circa invicem ha„ bentes, tanquàm Deo quidèm Verbo ſalu„ tarem volente adimpleri Paſſionem, hu„ manitate verò ejus obſiſtente ejus volun„ tati & reſiſtente, & perinde duo contra„ ria volentes introducantur, quod impium „ eſt. *Hæc ille*. Honorius ergò ad rem propoſitam reſcribens, nihil hactenùs ſuſpicatus de Sergii dolo, reſcripſit optimè, unam eſſe in Chriſto voluntatem, non duas contrarias, quarum altera ortum habet à vitiata carne, & carni ineſt, & in membris. Ita Joannes IV. in Epiſtola Apologetica pro Honorio, inquiens: „ Sergius reverendæ memoriæ Pa„ triarcha prædicto ſanctæ recordationis Ro„ manæ Urbis Pontifici ſignificavit, quod „ quidam in Redemptore noſtro Domino Je„ ſu Chriſto duas dicerent voluntates; quo „ præfatus Papa comperto, reſcripſit ei, quia „ Salvator noſter, ſicut eſſet monadicus unus, „ ita & valdè mirabiliter ſuper omne genus „ hominum conceptus & natus eſſet. Et ſan„ ctâ quoque ipſius incarnatâ diſpenſatione „ docebat, quia Redemptor noſter, ſicut eſ„ ſet Deus perfectus, ita eſſet & homo per„ fectus; ut quam primus homo per præva„ ricationem amiſit, ſinè aliquo peccato na„ tus primæ imaginis nobilem originem re„ novaret. *Et paulò poſt*. Etenim carnem „ Dominus veram ſuſcepit ex intemerata & „ Beata Virgine Dei Genitrice, conſubſtan„ tialis nobis effectus: ergò ſimilitudinem „ carnis peccati Sanctus dicit Apoſtolus, „ quam ſimilem nobis peccatoribus ſinè pec„ cato cum ânima rationali ſuſcepit: Et id„ circò unam voluntatem ſecundùm primam „ formationem Adæ naturalem humanitatis „ ſuæ Dominus noſter Jeſus Chriſtus habere „ dignatus eſt, non duas contrarias, quem„ admodùm nunc nos habere dignoſcimur,

qui

„ qui de peccato ſumus Adæ geniti. *Et in-*
„ *fra*. Secundùm igitur hunc modum jam
„ dictus deceſſor noſter prænominato Sergio
„ Patriarchæ percontanti ſcripſiſſe dignoſci-
„ tur, quia in Salvatore noſtro duæ volun-
„ tates contrariæ, ideſt, in membris ipſius,
„ penitùs non conſiſtunt; quoniam nihil vitii
„ traxit ex prævaricatione primi Hominis.
Hæc Joannes.

811 Deinde objicienti, qua de cauſa Honorius ſolùm loquitur de humana natura, & duabus voluntatibus contrariis reſpectu ejuſdem naturæ, & non etiam de divina natura, aut etiam de voluntate, quæ ineſt naturæ divinæ, ſivè de duabus voluntatibus, aut una reſpectu utriuſque naturæ, cùm Chriſtus in duabus naturis in una perſona cognoſcatur, adoretur & colatur Deus & homo perfectus; reſpondit: Quoniam intentum Honorii tantùm fuit ſatisfacere ad propoſita à Sergio. De quo enim facta fuerat a Sergio interrogatio, de eo facta eſt ab Honorio reſponſio. Et quoniam ubi eſt vulnus, ibi medicinale occurrere debet auxilium. Concludit denique dicens poſt plura: „ Prædictus ergò de-
„ ceſſor meus docens de myſterio Incarna-
„ tionis Chriſti dicebat, non fuiſſe in eo,
„ ſicut in nobis peccatoribus, mentis & car-
„ nis contrarias voluntates; quod quidèm
„ ad proprium ſenſum convertentes, Divi-
„ nitatis ejus & humanitatis unam eum vo-
„ luntatem docuiſſe ſuſpicati ſunt; quod ve-
„ ritati omnimodis eſt contrarium. *Hacte-*
nus Joannes.

812 Teſtatur porrò Sanctus Maximus in diſputatione cum Pyrrho, eundem, qui fuerat Honorio à Secretis, literamvè ſcripſerat, in hoc ſenſu defuncti jam Pontificis mentem expoſuiſſe. Interrogante Pyrrho, quid de Honorio reſpondendum haberet, qui unam voluntatem in literis ad Sergium faſſus erat, reſpondit: *Quis fuerit fide & auctoritate dignus Epiſtolæ hujus Interpres, qui eam ex perſona Honorii ſcripſit, adhùc Superſtes, & qui totum Occidentem cum aliis virtutibus, tùm dogmatibus fidei illuſtravit; an ii, qui Conſtantinopoli, quæ ex corde erant, loquebantur?* Dicente Pyrrho: *Qui hanc compoſuit*. Subjungit Maximus: „ Is igitur ipſe, cùm ad
„ Divum Conſtantinum Imperatorem ex per-
„ ſona Sancti Papæ Joannis de hac Epiſtola
„ ſcriberet, dixit: Unam voluntatem dixi-
„ mus in Domino, non Divinitatis ejus &
„ humanitatis, ſed humanitatis ſolius. Cùm
„ enim Sergius ſcripſiſſet, quòd quidam duas
„ voluntates in Chriſto contrarias dicerent,
„ diximus, Chriſtum non duas voluntates
„ contrarias habuiſſe, carnis, inquam, &
„ ſpiritus, ſicut nos habemus poſt peccatum,
„ ſed unam tantùm, quæ naturaliter huma-
„ nitatem ejus ſignabat, *Hæc Maximus*.

813 In hoc porrò ſenſu S. Athanaſius in Orat. de Salutari Adventu Jeſu Chriſti contra Apollinarium circa medium ſcribit, Chriſtum Dominum, non carnis voluntate, ſed Deitatis dumtaxat conſtitutum, dùm ait: *Natus igitur ex fœmina, formam hominis ex primaria & originali creatione in ſe reſtituit, exhibitâ carne, quæ libidinibus carnalibus & cogitationibus careret in imagine novitatis. Hunc enim hominem non voluntas carnis, ſed ſola dumtaxat voluntas Deitatis conſtituit*. Hinc eſt, quòd idem Sanctus Maximus in Epiſtola ad Marinum Presbyterum in defenſione Honorii, eundem Sancti Athanaſii locum obſervat, & non aliter unam voluntatem Honorium aſſeruiſſe fatetur, ac Athanaſius in prælaudato loco; & mente ejuſdem Honorii aperiens, conformiter ad ſupra expoſita, plura ſcribit, inquiens.

814 „ Honorium etiam Romanum Pa-
„ pam non diffiteri reor naturaliter in Chri-
„ ſto voluntatum dualitatem, in Epiſtola,
„ quam ſcripſit ad Sergium, eò quòd unam
„ dixerit voluntatem, ſed potiùs confiteri,
„ & hanc fortaſſis etiam conſtabilire; Nam
„ hoc non in reprobationem dixit humanæ
„ Salvatoris & naturalis voluntatis, ſed quòd
„ nullatenùs conceptionem ejus, quæ fuit
„ ſinè ſemine, vel incorruptam nativitatem
„ præceſſerit voluntas carnis, vel cogitatio
„ vitioſa. Sola namque voluntas divina at-
„ que paterna per Filium unigenitum per ſe-
„ met operantem propriam Incarnationem,
„ Sanctiq; Spiritus conventionem hanc ope-
„ rata eſt; & quòd hunc ſenſum ſectetur, hinc
„ eſt manifeſtum. Cùm enim dixiſſet, quia
„ propter ineffabilem unitatem humanæ ac
„ divinæ naturæ, & Deus dicitur pati, &
„ humanitas de Cœlo cum Divinitate de-
„ ſcendiſſe; & hoc modo oſtendiſſet eorum,
„ quæ naturaliter inſunt utriq; naturæ unius
„ Chriſti & Dei Filii per commutationem
„ ſummam redditionem, ſubinfert: *Undè*,
„ inquiens, & *unam voluntatem fatemur Do-*
„ *mini Jeſu Chriſti*, quomodò ait: *Quia pro-*
„ *fectò à Divinitate aſſumpta eſt natura noſtra,*
„ *non culpa*, ideſt, non à peccato, propemo-
„ dùm cum magno effatus Athanaſio, qui
„ hæc contra Apollinarium impium ſcribit:
„ *Natus eſt ex muliere de prima plaſmatione*
„ *hominis, formam ſibi erigens in oſtenſione car-*
„ *nis abſque carnalibus voluntatibus & huma-*
„ *nis cogitationibus in imagine novitatis. Vo-*
„ *luntas enim ſola Divinitatis eſt, quoniam*
„ *natura tota Divinitatis eſt*. Denique Ver-
„ bi propter nos ſecundùm carnem nativita-
„ tis ſuper nos progreſſio facta eſt. Non
„ enim carnis vitioſa præceſſit voluntas vel
„ cogitatio, ſicut in nobis aſpicitur, propter
„ generis deſiderium, quod à deceptione pri-
„ mi Parentis obtinuit, ſed voluntas Divi-
„ nitatis ſola per Filium, qui ſecundùm be-
„ neplacitum Patris, & cooperationem Spi-
„ ritus Sancti, propriam, ut dixi per ſe ope-
„ ratus eſt incorporationem, gerens in ſe &

per

,, per ſe noviter inventum naturæ modum
,, nativitatis, & ſinè ſemine ipſius patrans
,, conceptionem ex Sancta Dei Genitrice,
,, ſemperque Virgine Maria.

815 Deinde ſubjungit: ,, Hac ergò in-
,, effabili nativitatis ejus inſpectâ ratione;
,, ille quidêm, voluntatem ſolam in eo Di-
,, vinitatis dixit, hic verò voluntatem unam
,, Domini noſtri Jeſu Chriſti: *Quia profectò*,
,, inquit, *à Divinitate aſſumpta eſt natura no-*
,, *ſtra, non culpa*, abſque carnalibus volun-
,, tatibus, & humanis cogitationibus, ut
,, ſacratiſſimus Athanaſius ait: Non tamen
,, perhibuit eum tanquàm hominem, quia
,, eſt quoque naturâ Deus, non habere hu-
,, manam voluntatem & naturalem, quemad-
,, modùm & divinam atque paternam. Idip-
,, ſum autem etiam in ſubſequentibus innuit,
,, aſſerens: *Sinè peccato conceptus eſt de Spiri-*
,, *tu Sancto, & ſanctà immaculatà, ſemperque*
,, *Virgine Dei Genitrice Maria, & ſinè con-*
,, *tagione ex ea ſecundùm carnem natus eſt.*
,, Divinam quoque ſcripturam in laudem &
,, vituperationem profert carnis memoriam
,, facere; non aliam, abſit, natura & ſub-
,, ſtantia Domini carnem; quàm noſtram
,, commonens intelligendam; qui etiam hanc
,, ſciebat aſſumptam ex noſtra ſubſtantia,
,, ideſt, ex congenitæ nobis ſemper Virginis
,, & Dei Matris ſanctis viſceribus, ſed alie-
,, nam à vitio, & nullatenùs legem prævari-
,, cationis habentem, ſicut nos, in membris
,, repugnantem ſpiritus legi: *Non enim aſ-*
,, *ſumpta eſt*, ait, *à Salvatore caro à peccato*
,, *corrupta, quæ repugnaret legi mentis ejus.*
,, Cujus enim ſementationem, quæ per pec-
,, catum efficitur, non præceſſit generationis
,, lex, hujus omninò nec in membris eſt, ſed
,, lex Divinæ Juſtitiæ ad imaginationem no-
,, bis oſtenſa, & eam quoque, quæ ex præ-
,, varicatione naturæ illata eſt, perfectè de-
,, molitur: *Venit enim ſinè peccato quærere,*
,, *& ſalvare quod perierat*, ideſt, naturam hu-
,, mani generis, quæ peccaverat. Alia enim
,, lex in membris ejus, aut voluntas diverſa
,, vel adverſa non fuit in Salvatore. Hinc
,, oſtendit, non quòd non habuerit humanam
,, voluntatem & naturalem (non enim hoc
,, dixiſſe videtur) ſed quòd ſicut homo ne-
,, que ſecundùm corpus per membra quamli-
,, bet habeat præter naturæ leges operatio-
,, nem; neque rursùs ſecundùm animam vo-
,, luntatis contrarium, vel ſinè ratione mo-
,, tum, veluti nos, quia & ſuper legem natus
,, eſt humanæ naturæ.

816 Denique & hæc alia ſubnectit: ,, Ex-
,, preſſiùs autem & in ſubſequentibus com-
,, probat, quòd ſermo ſibi eſſet tantùm, vi-
,, tiatam & non naturalem à Salvatore di-
,, ſterminandi voluntatem; & quòd in natu-
,, rali ac humana ad paternam ac divinam co-
,, aptatur quidèm, ſed nullam haberet ad il-
,, lam ex repugnatione diverſitatem. Nor-
,, mam autem dans nobis ſeipſum, quod pro-
,, priè ſuum erat, voluntariè ſubjiciebat;
,, commendabat verò paternum. Quatenùs
,, & nos imitati, quod noſtrum eſt reproba-
,, to, quod Divinum eſt omni ſtudio explea-
,, mus, dicens ita: *Licèt enim ſcriptum ſit*:
,, Non veni facere voluntatem meam, ſed
,, ejus, qui miſit me Patris: *Et*, non quod
,, ego volo, ſed quod tu, Pater; *non ſunt*
,, *hæc diverſæ voluntatis, ideſt, contrariæ ac*
,, *repugnantis, ſed diſpenſationis humanitatis*
,, *aſſumptæ, quæ ſua compaſſibiliter fecit quæ*
,, *noſtra ſunt. Iſta enim propter nos dicebat,*
,, *quibus dedit exemplum pietatis Magiſter, ut*
,, *ſequamur veſtigia ejus, non ſuam unuſquiſ-*
,, *que noſtrùm, ſed Domini potiùs in omnibus*
,, *præferat voluntatem*. Non ergò interem-
,, ptionem, ut dixi, naturalis & humanæ vo-
,, luntatis, ſed vitioſæ, ac ejus, quæ eſt ex-
,, tra naturam facit; & totum fateamur ab
,, omni peccato Deum liberum eſſe, teſtatur,
,, qui ſecundùm nos propter nos incarnatus
,, eſt. Et, ut compendio dicam, per unam
,, voluntatem, ſolam ejus ſecundùm carnem
,, nativitatem eum divinam præceſſiſſe vo-
,, luntatem indicare conjicio. Per id verò,
,, quod ait: Non eſſe voluntatis ejus diver-
,, ſitatem, contrarium vel repugnans quid
,, non eum habere perhibet, ſed conveniens
,, & prorsùs unitum ex toto. Undè cùm no-
,, ſtram quidèm naturam de Divinitatis vo-
,, luntate dicit aſſumptam, unius mentio-
,, nem facit. Illud autem, quod introducit:
,, *Non veni facere voluntatem meam*, in me-
,, dium verbo præponit omiſſo numero, *non*
,, *ſunt*, inquit, *hæc diverſæ voluntatis*, ideſt,
,, contrariæ atque adverſatricis. Ex quo
,, duas ſecundùm naturam exiſtere in Salva-
,, tore voluntates manifeſtè colligitur. Si
,, enim contrariam non habuit, naturalem
,, habuit tanquàm homo. Quod enim non
,, eſt contrarium, naturale profectò eſt, &
,, nemo contradicit. Nihil quippè in natura,
,, vel in his, quæ ſunt ſecundùm naturam,
,, eſt omninò contrarium. *Hactenus Maxi-*
mus; quibus verbis omnia ea, quæ antefati
ſumus, comprobat & roborat.

817 Hujuſmodi porrò defenſiones recipit
& approbat Athanaſius in Epiſtola ad Joan-
nem Diaconum, qua oſtendit in Apoſtolica
Sede Petri hæreticum Paſtorem neminem fe-
diſſe, & dùm ad Honorii geſta enarranda per-
git, poſt plura ait: ,, Sed ecce, dùm proli-
,, xiùs præfatio ad te noſtra dirigitur, ab in-
,, terpretãdi ſtudio procùl abſceſſimus; oſten-
,, dere geſtientes, quòd in Apoſtolicæ Sedis
,, petra, quantùm ad fidem pertinet, nec
,, etiam per Honorium inventum ſit unquàm
,, ſerpentis, ideſt, virulentæ Sectæ, veſti-
,, gium. Sume igitur jam memoratam Joan-
,, nis Papæ pro Honorio Apologiam; ſume
,, etiam & pro eodem ipſo Apologiam ex
,, Epiſtola Maximi Monachi, & reverà Phi-
loſo-

„ loſophi , Chriſtique Dei noſtri Martyris,
„ miſſam Marino Presbytero, diſſloratam . Ip-
„ ſe quippe Beatiſſimus Maximus non ſolùm
„ in jam dicta , ſed & in ea , quam ſcripſit ad
„ Abbatem Thalaſſium Epiſtolâ , jam memo-
„ ratum defendit Honorium . Verùm etiam
„ in Epiſtola ſua dogmatica, quam ad Petrum
„ ſcripſit illuſtrem, magnum hunc & Divi-
„ num appellat . *Hæc Anaſtaſius* .

818 Neque prætereundum eſt id quod
idem Maximus in prælaudata ad Martinum
Epiſtola, ſubjungit: Eſtque notatu digniſſi-
mum: Ait namque ſe accepiſſe ab Anaſtaſio
Abbate à Seniori Roma revertente , quod ha-
bitâ Romæ magna diſcuſſione ſuper Honorii
Epiſtola , & vocato Joanne Abbate illius Scri-
ptore, atque de genuino illius ſenſu inter-
pellato, reſpondiſſe refert , ea in Epiſtola nul-
lo modo factam fuiſſe unius voluntatis dum-
taxat mentionem : „ Certiorem autem, *ait*,
„ mihi hunc Sanctiſſimus fecit Presbyter,
„ Dominus videlicèt Anaſtaſius Abbas à Se-
„ niori Roma reverſus , vir ſcilicèt incompa-
„ rabilis, virtuteque divina & prudentia ve-
„ nuſtatus, qui aſſerens , quòd multum ſer-
„ monem moverit ad Sacratiſſimos magnos
„ illius Eccleſiæ viros, propter Epiſtolam,
„ quæ ab eo fuerat ad Sergium ſcripta , per-
„ contans cujus rei gratiâ, vel qualiter in ea
„ inſerta fuerit una voluntas, & invenit hæ-
„ ſitantes in hoc, & rationem reddentes . In-
„ ſuper & eum qui hanc per juſſionem ejus
„ latinis dictaverit dictionibus , Dominum
„ videlicèt Abbatem Joannem Sanctiſſimum
„ Symponum , affirmantem , quòd nullo mo-
„ do mentionem in ea per numerum fecerit
„ unius omnimodis voluntatis: licèt hoc nunc
„ ſit fictum ab his , qui hanc in Græcam vo-
„ cem interpretati ſunt: verùm nec quàmli-
„ bet exinanitionem vel abolitionem natura-
„ lis ſecundùm humanam Salvatoris volunta-
„ tem , ſed ejus quæ noſtra eſt, & reproba
„ facta , perfectam dejectionem , & inter-
„ remptionem . *Hæc Maximus*. Quibus ſtan-
tibus , recens ille Auctor hiſtoriæ Monotheli-
tarum , non multùm diſtat à vero , dum ait,
Epiſtolam Honorii falsatam à Græcis . Quòd
ſi Joannes Papa in ſua Apologia , hujus falſa-
tionis non meminerit, credendum eſt hoc ta-
cuiſſe ne in alteram incideret controverſiam ,
nùm falſata, nec ne; quoniam Græci con-
ſtanter aſſeruiſſent nullo pacto falsatam eam ,
quæ ad eorum manus devenerat, ſed magis
poſtea Romanos eam mutilaſſe. Cumque ad-
huc, hoc etiam omiſſo , ſuppeterent efficaciſ-
ſima argumenta ex contextu Epiſtolæ ipſius,
ad oſtenſionem mentis Catholicæ Honorii æquũ
exiſtimavit Joannes omittere rationem dedu-
ctam ex corruptione Epiſtolæ, & aliis rationi-
bus incontrovertibilibus demonſtrare ſenſum
prorsùs alienum ab errore Monothelitarũ San-
ctiſſimi Pontificis , adhuc retenta voce unius
voluntatis , ut Græci vertendo poſuerant.

819 Itaque ſatis liquet ex hactenus dedu-
ctis non negaſſe Honorium duas naturales vo-
luntates in Chriſto Domino , ſed magis aſſe-
ruiſſe, tantùmve carnis voluntatem contra-
riam voluntati ſpiritus refutaſſe, propter non
vitiatam carnem à Verbo aſſumptam . Sed ſi-
lentium, *inquiunt*, indixit: ne una , vel duę
conſiterentur , prout ex ejus recitatis ad Ser-
gium datis literis apparet: & liquet etiam in
alterâ ejus Epiſtola ad eundem Sergium data
cujus fragmentum relectum eſt in fine XIII.
Actionis ſextæ Synodi, ubi *ait*: „ Nec non
„ & Cyro fratri noſtro Alexandriæ Civitatis
„ Præſuli, quatenus novæ adinventionis unius
„ vel duarum operationum vocabulo refuta-
„ to, claro Dei Eccleſiarum præconio nebu-
„ loſarum concertationum caligines offundi
„ non debeant , vel aſpergi, ut profectò unius
„ vel geminæ operationis vocabulum noviter
„ introductum ex prædicatione fidei exima-
„ tur . Nam qui hæc dicunt , quid aliud niſi
„ juxta unius vel geminæ naturæ Chriſti Dei
„ vocabulum , ita & operationem unam vel
„ geminam ſuſpicantur ? Super quod clara
„ ſunt divina teſtimonia . Unius autem ope-
„ rationis vel duarum eſſe, vel fuiſſe media-
„ torem Dei & hominum Dominum Jeſum
„ Chriſtum , ſentire & promere , ſatis ine-
„ ptum eſt . *Et infrà* . Et quidem , quantùm
„ ad inſtruendam notitiam ambigentium ,
„ ſanctiſſimæ fraternitati veſtræ per eam in-
„ ſinuandam prævidimus . Cæterùm quan-
„ tùm ad dogma Eccleſiaſticum pertinet, quę
„ tenere vel prædicare debemus , propter ſim-
„ plicitatem hominum , & amputandas inex-
„ tricabiles quæſtionum ambages, ſicut ſu-
„ periùs diximus , non unam vel duas ope-
„ rationes in mediatore Dei & hominum de-
„ finire . *Hæc ibi*, & ſimilia quoque ſubjun-
git : unde ex hoc jam conſtat cum Sergio Ho-
norium conveniſſe , qui ut liquet ex ejus Epi-
ſtola , ejuſmodi ſilentium propoſuerat: cum-
que in eodem ſilentio involueretur hæreſis, ut
exitus probavit, non videtur excuſari poſſe
Honorius ne cum Sergio in dogmate ſentiret .

820 Sed neque ex hoc convinci poteſt de
errore: immò ſi reliqua ejuſdem Epiſtolæ ſe-
cundæ ad Sergium verba attendantur, clariùs
Catholica Pontificis mens aperitur . Ait nam-
que immediatè poſt ſuprarelata verba : „ Sed
„ utraſque naturas , *ſubjungit*, in uno Chri-
„ ſto unitate naturali copulatas, cum alte-
„ rius communione operantes, atque opera-
„ trices confiteri debemus : & Divinam qui-
„ dem , quæ Dei ſunt operantem, & huma-
„ nam , quæ carnis ſunt exequentem , non
„ diviſè neque confuſè , aut convertibiliter ,
„ Dei naturam in hominem, & humanam in
„ Deum converſam edocentes , ſed natura-
„ rum differentias integras confitentes . *Hæc
ille* . Quæ quidem locutio duas palàm indicat
operationes: priora namque verba deſumpta
ſunt ferè in terminis ex Epiſtola Sancti Leonis
data

data ad Flavianum, in qua Cap. 4. hæc leguntur: *Agit enim utraque forma cum alterius communione, quod proprium eſt; Verbo ſcilicèt operante, quod Verbi eſt; carne exequente, quod carnis*. Et hoc Beati Leonis teſtimonium pro duabus in Chriſto operationibus recitavit Martinus I. Papa in ſermone habito in Conc. Lateranenſi ad Patres in exordio Secretarii I. inquiens: *Sed & beatæ memoriæ Flaviano de operationibus ejuſdem Salvatoris noſtri in tomo ſuo prædictus Pater ſcribens*, ait, *operatur enim utraque forma cum alterius communione, quod proprium eſt: Verbo quidem operante quod Verbi eſt, carne autem exequente quod carnis eſt: & unum horum coruſcat miraculis, aliud autem ſuccumbit injuriis*. Item & recitatum eſt in ſexta Synodo Act. x. inter alia Patrum teſtimonia, pariter, ut ex eo comprobarentur in Chriſto duæ operationes. Si ergò non diſſimiliter locutus eſt Honorius, quin potiùs ejuſdem S.Leonis verbis uſus eſt, fit evidens, quòd ſicut S. Leo per ea verba confeſſus eſt duas naturales operationes in Chriſto, ita & Honorius, ſi eadem omnino recitat verba: unde Honorius non negavit duas operationes in Chriſto, ſed expreſsè eas aſſeruit.

821 Cur verò poſteà placuit de duabus vel una operatione cum Sergio ſilentium indicere, ipſemet in prima ad Sergium Epiſtola rationem affert, *inquiens*: „ Utrùm autem „ propter opera divinitatis, & humanitatis, „ una an geminæ operationes debeant derivatè dici, vel intelligi, ad nos iſta pertinere non debent, relinquentes ea grammaticis, qui ſolent parvulis exquiſita derivando nomina venditare. Nos enim non unam „ operationem vel duas Dominum Jeſum „ Chriſtum, ejuſque Sanctum Spiritum, ſacris literis percepimus, ſed multiformiter „ cognovimus operatum. *Hæc ibi*. Confeſſus eſt, ut antefati ſumus, in Chriſto duas naturas operatrices, Divinam ſcilicèt operantem quæ Dei ſunt, humanam verò, quæ carnis ſunt. An poſteà derivatè, propter ſcilicèt unitatem perſonæ operantis, una dici debeat operatio, an verò duæ, præſcindendum eſſe fatetur, quoniam de ſola denominatione quæſtio videbatur, & ideo hujuſmodi controverſiam definire, quæ ſola videbatur de nomine, ad grammaticos remittit. Quare in altera ad Sergium data Epiſtola, poſtquam dicit duas eſſe in Chriſto Domino naturas operatrices quæ ſunt eis propria, *ſubjungit*: „ Auferentes ergo, ſicut diximus, ſcandalum „ novellæ adinventionis, non nos oportet „ unam vel duas operationes definientes prædicare: ſed pro una, quam quidam dicunt, operatione, oportet nos unum operatorem Chriſtum Dominum in utriſque „ naturis veridicè confiteri: & pro duabus „ operationibus, ablato geminæ operationis „ vocabulo, ipſas potiùs duas naturas, ideſt „ divinitatis & carnis aſſumptæ, in una perſona Unigeniti Dei Patris, inconfusè, indiviſè, atque inconvertibiliter nobiſcum „ prædicare propria operantes. *Hæc ibi Honorius*, clariſſimè exponens in quo ſenſu dici poſſit una operatio, in quo verò duæ: una nimirum propter unitatem perſonæ operantis, duæ autem propter duas naturas in eo ſuppoſito operantes: in quo ſenſu locutus fuit Sanctus Leo in Epiſtola 97. data ad Leonem Imperatorem, cujus teſtimonium recitatum eſt Act. x. ſextæ Synodi, ſic ſe habens: „ Licèt ergò in uno Domino Noſtro Jeſu „ Chriſto vero Deo, atque hominis filio Verbi & carnis una perſona ſit, quæ inſeparabiliter atque indiviſè communes habet „ Actiones, intelligendæ tamen ſunt ipſorum „ operum qualitates, & ſyncerae fidei contemplatione cernendum eſt, ad quæ provehatur humilitas carnis, & ad quæ inclinetur „ altitudo Deitatis.

822 Conſtantiſſimum ergò eſt, Honorium cognoviſſe duas operationes ratione duarum naturarum in Chriſto, ſed ne ex ejuſmodi locutione parvuli offenderentur, quaſi putarent ex diverſitate operationum inferendam cum Neſtorio etiam perſonarum diverſitatem, abſtinendum eſſe cenſuit, ut in terminis docet in prima ad Sergium data Epiſtola. Et licèt Sergius hæretico fine ejuſmodi ſilentium indicendum propoſuiſſet, nondùm erat mens illius Honorio cognita: qui exiſtimabat Sergium Virum Catholicum & recta ſentientem, ſolùmve ad ſcandala vitanda & ſchiſmata, talia propoſuiſſe: nec ſanè Honorius de hæreſi Monothelitarum ex hoc ſilentio indicto argui juſtè poteſt: quoniam ſi ſic, etiam Sophronius Epiſcopus Hieroſolymitanus, qui primus Cyro Alexandrino reſtitit, ut in hiſtoria præfati ſumus, de hæreſi eâdem foret reprehendendus, quoniam & ipſe præfatæ œconomiæ Honorii de ſervando ſilentio aſſenſum præbuit. Teſtatur hoc idem Honorius in ſecunda ad Sergium data Epiſtola, *inquiens*: „ Quamquàm hos, quos ad nos prædictus frater „ & Coepiſcopus noſter Sophronius miſit, „ inſtruximus, ne duarum operationum vocabulum deinceps prædicare innitatur, quod „ inſtantiſſimè promiſerunt prædictum virum „ eſſe facturum, ſi etiam Cyrus frater & Coepiſcopus noſter ab unius operationis vocabulo diſceſſerit. *Hæc ille*. Si ergò de hæreſi arguendus eſt qui præcipit abſtinendum eſſe à vocabulo unius vel geminæ operationis, non erit ab eadem hæreſi liber, qui præcepto adhæret, & præcipienti conſentit: tàm enim hæreticus cenſetur ille qui hæreſim docet, ac ille qui docenti conſenſum præſtat. Si autem ab hæreſi immunis fuit Sophronius, qui Honorio præcipienti abſtinendum ab uſu præfatorum vocabulorum adhæſit: nec eâ infectus dici poteſt Honorius ex eo quòd ſilentium illud indixerit.

823 Deinde Sophronius nedùm Pontifici

paruit

paruit indicenti ſilentium , verùm & ipſi Sergio idem ſilentium ei conſulenti . Hoc quidem teſtatur idem Sergius in Epiſtola ad Honorium in qua ante finem ſcribit : „ Et ad ultimum ſtetit & placuit , quatenus prædictus Sophronius venerabilis nullum ſermonem de cætero de una ſivè duabus operationibus movere debeat , ſed ei ſufficiat præfata cautaque ac trita Sanctorum Patrum recta traditio, atque doctrina . His itaque contentus ſæpè nominatus Venerabilis Vir, & hæc cuſtodire certificans , petivit nos etiam per Epiſtolam de his ei præbere reſponſum, quatenus hujuſmodi Epiſtolam , ut ait , oſtendat his, qui forſitan interrogare eum de prædicta quæſtione voluerint , quod & alacriter egimus . Et ille quidem in his hinc enavigavit . *Hæc ille*. Itaque ſi non cenſetur hereticus Monothelita Sophronius qui Sergio proponenti ſilentium acquievit : neque Honorius per hoc quod adhæſerit poſtulatis à Sergio de eodem indicendo ſilentio, juſtè de hæreſi accuſari poterit : Quoniam ſi error fuit abſtinere à vocabulo unius , vel geminę operationis, æquè erraſſe cum Sergio dicendum erit Sophronium , atque Honorium ; ſi non illum , neque hunc : at nemo errori Sophronium damnat, ergo neque Honorium erraſſe aſſeverandum erit . Et ratio potiſſima eſt, quoniam dum Honorius ſcripſit ad Sergium , nec quidem leviſſima ſuſpicio erat de mala Sergii fide : ubique enim tunc pro Catholico & ab univerſis habebatur : unde non poterat Pontifex quidquam mali in eo ſuſpicari : Et quia novitas vocum ſolet in Eccleſia eſſe ſuſpecta , prudens conſilium viſum fuit Honorio pro tunc ſilentium indicere, & tutius abſtinendum à voce unius , vel geminę operationis in re , quæ videbatur noviter inventa , quàm declinando in unam partem cum periculo ſchiſmatis & majoris contentionis .

824 Cùm porrò dicunt Ecthesin Heraclii; & Conſtantis typum idem præſcripſiſſe ſilentium , & tamen & Ecthesis damnata fuit , & anathematizatus Typus , dicimus tempora eſſe diſtinguenda : quoniam aliquando aliqua permitti poſſunt , quę in alia temporis differentia reiiciuntur, propter diverſas uſurpationes. Certè Antiochena octoginta Epiſcoporum Synodus contrà Paulum Samoſatenum Chriſtum Dominum , ſivè Dei Filium non eſſe conſubſtantialem Patri definivit , vocemque *conſubſtantialis* abjecit, atque proſcripſit; quando poſtea in Nicæna Synodo apertè diffinitum fuit Verbum Patri conſubſtantiale ; non licuit hac voce uti tempore Synodi Antiochenæ , licuit tempore Synodi Nicænæ : pro hæretico Paulianiſta habebatur qui ante Nicænam Synodum illa utebatur voce. Et pro Ariano notabatur qui eâ poſt Nicænam non uteretur . Sed unde hæc ? Quoniam Paulus ea utebatur voce ad ſuam hæreſim conſtabiliendam : Arius eam abjiciebat tanquam ſuo dogmati adverſativam : & ideo Antiochenſes Patres abjiciendam decreverunt , ne eâ retentâ Paulo aſſentiri putarentur : Nicæni autem Patres retinendam voluerunt , ne eâ abjectâ Arii dogma roboraretur . Paulus quippe qui Chriſtum ante Mariam non fuiſſe fatebatur , ſed à Maria initium ſumpſiſſe ajebat , & ex homine Deus factus , non ex Deo homo : arguebat , quia ſi Chriſtus non ex hominibus Deus factus eſt , neceſſariò ſequitur eum eſſe Deo conſubſtantialem ; ſi conſubſtanti alis Deo , ergo in Deo tres ſubſtantias eſſe neceſſe eſt fateri, unã primariam, & duas ex ea oriundas: ut ergo Pauli Sophiſma vitarent dixerunt Patres Antiochenſes , Chriſtum non eſſe Deo conſubſtantialem in ſenſu à Paulo intento , quatenus adderet Deo aliam ſubſtantiam ab eſſentia diſtinctam . Ita loquitur Athanaſius in lib. de Synodis Arimini & Seleuciæ . Cùm porrò Ariani Dei Filium puram Creaturam pronunciarent , Patres Nicæni cognoſcentes eum ex ſubſtantia Patris genitum Deum verum de Deo vero , ejuſdem cum Patre naturæ, vocem *conſubſtantialem* acceperunt ad ſignificandum Dei Filium eſſe ejuſdem naturæ & ſubſtantiæ cum Patre . Sed audiamus Athanaſium loco citato de utraque Synodo loquentem : „ Qui enim , *inquit* , Samoſatenſem ſuſtulerunt, hanc vocem *conſubſtantiale* corporaliter accepere, cum Paulus ſophiſticari vellet , & diceret : Chriſtus non ex hominibus Deus factus eſt, igitur cõſubſtantialis eſt Patri, & neceſſariò ſequitur tres eſſe ſubſtantias: unam quidem , quæ prior ſit, Princeps, reliquas verò duas ex ea oriundas: ideoque meritò vitantes illud Sophiſma Pauli , dixere Chriſtum non eſſe conſubſtantialem ; non enim ita ſe habet Filius ad Patrem ut ille cogitabat. Illi verò qui Arianam hæreſim anathemate notarunt , cognoſcentes non creaturam , ſed genitum quiddam ex ſubſtantia Patris Filium eſſe , & ſubſtantiam Patris originem , radicem , & fontem eſſe Filii , & veram undecumque eſſe ſimilitudinem Geniti cum Genitore , & nequaquam eum , uti nos , adverſæ naturæ eſſe , & pro ſe habentes Dionyſii exempla , fontem ſcilicèt , & conſubſtantialis aſſertionem, & præterea unitricem Salvatoris vocem , *Ego & Pater unum ſumus* , *& qui vidit me* , *vidit & Patrem meum* , his de cauſis meritò inducti ſunt , ut Filium conſubſtantialem dicerent . *Hactenus Athanaſius.*

825 Itaque ad rem noſtram : dum Honorius ſcripſit abſtinendum eſſe à voce unius vel geminæ voluntatis , & operationis , nondum detecta hæreſis erat Sergii & Monothelitarum , imò ad vitandas novas hæreſes , ſivè Neſtorii , ſivè Eutychetis , ut ipſe fatetur , providentiam illam induxit : ac ita in bono ſenſu ſilentium illud acceperat . Atqui detectâ poſtea hæreticâ Sergii mente ſub Honorii ſucceſſoribus , & cognoſcentes illud ſilentium

eſſe procuratum ad roborandam hæreſim unius naturalis voluntatis & operationis in Chriſto Domino, meritò abſtinendum non eſſe amplius à voce geminæ voluntatis & operationis, decreverunt ſucceſſores Honorii, damnantes ex hac ratione & Hecteſin Heraclii, & Typum Conſtantis, cognoſcentes & Sergium procuraſſe Hecteſin ab Honorio, & Paulum à Conſtante Typum, ad ſubverſionem Catholicæ veritatis de duabus in Chriſto voluntatibus, atque operationibus. Non enim damnantur voces, aut retinentur quia voces, ſed damnantur propter vitioſam intelligentiam, & retinentur propter bonum ſenſum, rectamque intelligentiam; ſic vox *conſubſtantialis* damnata fuit ſecundùm vitioſam Pauli Samoſateni intelligentiam, recepta porrò fuit, ſecundùm ſanam Patrum Nicænæ Synodi intelligentiam. Auferatur vitioſa intelligentia, & retineatur vox. Hoc adnotat Sanctus Hilarius in lib. de Synodis in eadem *conſubſtantialis* voce, inquiens: *Malè intelligitur* Omouſion, *quid adme bene intelligentem? Malè* Omouſion *Samoſatenus confeſſus eſt: ſed numquid meliùs Ariani negaverunt? Octoginta Epiſcopi reſpuerunt: ſed trecenti decem & octo nuper receperunt.* Et poſtea. Omouſion, *Sanctiſſimi Viri intelligo ex Deo Deum, non diſſimilis eſſentiæ, non diviſum, ſed natum & ex innaſcibilis Dei ſubſtantia congenitam in filio, ſecundùm ſimilitudinem unigenitam nativitatem; Ea me antea intelligentem non mediocriter ad id confirmavit* Omouſion: *Sed malè alius intelligit: damnemus in commune vitioſam intelligentiam, non auferamus fidei ſecuritatem.* Hæc Hilarius. Ita pariformiter loquendum eſt in caſu: malè Sergius, & malè Paulus uſurparunt ſilentium de unius vel geminæ operationis, & voluntatis Chriſti voce; ſed rectè uſurpavit Honorius: damnetur mala intelligentia & vitioſa Sergii, & Pauli, & ſervetur recta intelligentia Honorii. Meritò ergò damnatur in Ectheſi, & Typo indictum ſilentium propter vitioſum ſenſum, quod damnari non poteſt in Honorio propter rectam Honorii mentem: qui jam, ut dictum & oſtenſum eſt, in eiſdem ad Sergium datis literis, duas operatrices naturas, & duas operationes aſſervit: ex quo argui non poteſt de vitioſo ſenſu indicti ſilentii, quemadmodùm poſtea ex geſtis, & dictis Pauli & Sergii, vitioſa illorum ejuſdem ſilentii intelligentia apparuit.

826 Præterea D. Hieronymus in Epiſtola 57. ad Damaſum Romanum Pontificem data propoſuit eidem ut in Divinis tacerentur tres hypoſtaſes, eò quòd nonnulli per vocem hypoſtaſis uſiam uſurpabant, ideſt eſſentiam, unde aſſerendo eſſe in Divinis tres hypoſtaſes, ex conſequenti inferebant eſſe in Divinis tres eſſentias: verba Hieronymi ſunt: „ Quis quis „ tria eſſe, *inquit*, hoc eſt, tres eſſe hypo- „ ſtaſes, ideſt, Uſias dicit: ſub nomine pie- „ tatis, tres naturas conatur aſſerere: & ſi „ ita eſt, cur ab Ario parietibus ſeparamur, „ perfidiâ copulati? Jungatur cum Beatitu- „ dine tua Urſicinus, cum Ambroſio ſocie- „ tur Auxentius. Abſit hoc à Romana fide: „ ſacrilegium tantum religioſa populorum „ corda non hauriant. Sufficiat nobis dicere, „ unam ſubſtantiam, tres perſonas ſubſiſten- „ tes, perfectas, æquales, coæternas. Ta- „ ceantur tres hypoſtaſes, ſi placet, & una „ teneatur. Non bonæ ſuſpicionis eſt, cùm „ in eodem ſenſu verba diſſentiunt. Sufficiat „ nobis memorata credulitas. Aut ſi rectum „ putatis tres hypoſtaſes cum ſuis interpre- „ tationibus debere nos dicere, non nega- „ mus: ſed, mihi credite, venenum ſub mel- „ le latet. *Hæc Hieronymus.* Itaque propter vitioſam quorundam intelligentiam vocis hypoſtaſis, licèt à Catholicis ſecundùm rectum & genuinum ſenſum uſurparetur, propoſuerat Hieronymus, vocem trium hypoſtaſum eſſe tacendam: neque ex hoc auſus eſt quiſpiam eum accuſare de hæreſi, quamvis definitum ſit poſtea, revera in Divinis eſſe tres hypoſtaſes, ſumptâ voce hypoſtaſis, non ad ſignificandam eſſentiam, ut impii uſurpabant hæretici, ſed dumtaxat ad exprimendas proprietates perſonales. Sic pariter nec hæreticus cenſeri debet Honorius qui tacendam voluit vocem unius vel geminæ operationis, malè ab hæreticis uſurpatam, & in pravum ſenſum extortam, uſurpantibus Eutychianis vocem unius operationis ad inferendam unam naturam, vocem verò geminæ operationis Neſtorianis ad concludendam in Chriſto Domino dualitatem perſonarum: licèt poſtea definitum fuerit ſecundùm rectum verborum intellectum dicendum eſſe duas in Chriſto naturales operationes procedentes à duabus naturis copulatis & unitis in uno Divino ſuppoſito.

827 Ea porrò, quę Sanctus Maximus loquitur adversùs typum, dùm ait, ſilentium verborum interemptionem eſſe eorundem, & reliqua ſuperiùs ex eodem Sancto Martyre allegata, locum habent poſt detectum errorem, ſivè hæreticum ſilentii ſenſum, tunc certè ſilentium præjudicat veritati, & fidei adverſatur; & conſonant ea quoque, quæ Martinus I. in Secret. IV. Synodi Lateranenſis profert, cùm dicit, non eſſe utile bonum cum malo deſtruere bonum. Cæterùm ante detectum hæreticorum ſenſum, non eſt ita, ut oſtenſum eſt; Typus verò editus fuit, ſicut & Ectheſis poſtquàm jam manifeſta fuerat prava Sergii & Pauli mens, procurantium hujuſmodi ſilentium ad conſtabiliendam hæreſim, quæ adhùc latuerat Honorium, dùm præfato ſilentio adhæſit, cujus rei causâ adhæſit eidem & Sophronius, ut anteſati ſumus. Non enim negamus, Honorium ſimilia locutum in ſuis literis, his, quæ Sergius ſcripſerat, ſed alio ſenſu à Sergio intento, & ſenſu qui-

quidèm catholico, nondùm perſpectâ pravâ Pauli mente; proindèque non rectè inferri poteſt ea ſenſiſſe, quæ Sergius; quoniam eadem verba communia eſſe poſſunt aliquandò & Catholicis & Hæreticis, licèt in diverſo ſenſu ſint à Catholicis uſurpata, ac ab Hæreticis; præcipuèque quandò nondùm eſt perſpecta mens hæreticorum, nec pravus, in quo illi uſurpant, ſenſus, quod, ut oſtendimus, apparuit in voce *conſubſtantialis*, & in voce *hypoſtaſis*.

828 Denique Agatho Papa, qui paulò poſt Honorium Pontificatum tenuit, in ſuis litèris datis ad Imperatorem pro ſexta Synodo, atque Actione IV. ejuſdem Synodi recitatis, profitetur, Romanos Pontifices ſuos prædeceſſores ex privilegio divinitùs Petro, & in illius Sede ſuccedentibus Pontificibus conceſſo, nunquàm à tramite deviaſſe rectæ fidei, eamque quomodò ab Apoſtolis acceperant, illibatam & integram conſervaſſe: „ Hæc eſt enim, *inquit*, veræ fidei regula, „ quam & in proſperis, & in adverſis vivaci- „ ter tenuit ac defendit hæc ſpiritalis Mater „ veſtri tranquilliſſimi Imperii Apoſtolica „ Eccleſia, quæ per Dei omnipotentis gra- „ tiam à tramite Apoſtolicæ traditionis nun- „ quam erraſſe probabitur, nec hæreticis no- „ vitatibus ſuccubuit, ſed ut ab exordio fidei „ chriſtianæ percepit ab auctoribus ſuis Apo- „ ſtolorum Chriſti Principibus, illibata fine „ tenus permanet, ſecundùm ipſius Domini „ Salvatoris divinam pollicitationem, quam „ ſuorum Diſcipulorum Principi in ſacris „ Evangeliis fatus eſt: *Petre, Petre*, inquiens, „ *ecce Satan expetivit, ut cribraret vos, ſicut* „ *qui cribrat triticum; ego autem pro te roga-* „ *vi, ut non deficiat fides tua. Et tu aliquan-* „ *dò converſus confirma fratres tuos*. Confide- „ ret itaque veſtra tranquilla clementia, quo- „ niam Dominus, & Salvator omnium, cu- „ jus fides eſt, qui fidem Petri non defectu- „ ram promiſit, confirmare eum fratres ſuos „ admonuit, quòd Apoſtolicos Pontifices, „ meæ exiguitatis prædeceſſores, confiden- „ ter feciſſe ſemper cunctis eſt cognitum. *Hæc Agatho*, & quidèm in eadem cauſa Monothelitarum. Quâ autem fronte talia ſcripſiſſe poterat, ſi Honorius, unus ex proximioribus ſuorum deceſſorum, in eam hæreſim lapſus fuiſſet, de qua præcipuè agebatur controverſia? Nonnè & de mendacio convinci potuiſſet, dicens, neminem ex ſuis prædeceſſoribus à tramite rectæ fidei deviaſſe, ſi Honorius in hæreſim lapſus fuiſſet? Longè itaque abfuerat tunc Honorius ab hæreſis ſuſpicione, in quam poſtea incurriſſe mentiti ſunt Græci.

829 Neque vim argumenti infringit quorundam reſponſio dicentium, Agathonem intellexiſſe de Romànis Pontificibus ex Cathedra loquentibus, in quo ſenſu veriſſimum eſt, neminem à tramite rectæ fidei deviaſſe, neminemque unquam hæreticum dogma credendum Eccleſiæ propoſuiſſe, aut fideles hæretica docuiſſe; at verò neutiquam dixiſſe, neminem ex ſuis prædeceſſoribus, ut privati Doctores, ſivè, ut perſonæ privatæ, lapſum in hæreſim minimè fuiſſe; promiſſionem factam Petro & ſucceſſoribus ejus de indeficientia fidei, reſpicere Romanos Pontifices ex Cathedra dumtàxat docentes. Non inquam, ejuſmodi reſponſio quicquam relevat, quoniam ejuſmodi diſtinctio merè gratis introducitur in caſu; quòd ſi talis fuiſſet ſenſus Agathonis, cùr non ſe declaravit? Numquid Imperator, ad quem directæ erant literæ, inſtructus jam erat in ejuſmodi diſtinctionis ſubtilitate? Certè debuiſſet ſe explicare, ſi talis fuiſſet ipſius intellectus, nè abſolutè loquendo de mendacio convinceretur propter Honorium; quoniam qui neſcirent diſtinguere accipientes verba, ut ſonant, mendacium ſcripſiſſe dicere potuiſſent, unâ ſemel quòd conſtitiſſet Honorium lapſum in hæreſim. Itaque dicendum eſt, Agathonem abſque hac diſtinctione aſſeruiſſe, neminem ex ſuis deceſſoribus à tramite rectæ fidei deviaſſe. Et quidèm meritò, quoniam in Synodo Lateranenſi paulò ante celebratâ ſub Martino I. adversùs eoſdem Monothelitas, in qua Ecthesis Heraclii damnata fuit, & anathemate Typus Conſtantis interminatus, nec verbum quidèm de Honorio legitur factum, quòd ſi in hæreſis ſuſpicionem incurriſſet, certè ejus cauſa in prælibata Synodo diſcuſſa fuiſset. Concludamus ergò, Honorium minimè in Monothelitarum hæreſim lapſum, Romæ nec levem quidèm hæreſis ſuſpicionem incuriſse, quidquid poſtea Monothelitæ latraverint.

CAPUT XVII.

De Honorii Anathèmatiſmo in ſexta Synodo.

830 Acta ſextæ Synodi, quæ nunc extant, damnatum Honorium Romanum Pontificem cum Pyrrho, Cyro, Sergio, Paulo, Petro, aliiſque Monothelitis, exhibent. Ejus Epiſtolas, quas ad Sergium ſcripſerat, priùs relectas unà cum cæteris libellis, chartis & ſcriptis Monothelitarum, tanquàm continentes hæreſim Monotheliticam, igni traditas & crematas tradunt. Etenim recitatis Actione XIII. diverſis hæreticorum libellis, atque ad extremum & ſecundâ Honorii ad Sergium datâ Epiſtolâ, Sanctum Concilium dixit: „ Cognitionem ac- „ cipientes prolatorum nobis à Georgio Deo „ amabili Diacono, & Chartophylace hujus „ ſanctæ Dei magnæ Eccleſiæ, libellorum „ atque chartarum, ſivè aliorum opuſculo- „ rum, comperimus in unam, eandemque

,, impietatem concurrere. Et prævidimus
,, profana & animæ perniciosa continuò ob
,, perfectum exterminium igne cremari... Et
,, combuſta ſunt. *Hæc Acta*. Actione porrò
XVI. in fine poſt acclamationes oblatas Impe-
ratori Agathoni, Patriarchis Conſtantino-
politano & Alexandrino ipſimet Concilio &
Senatui, anathema dictum eſt nominatim,
Theodoro Pharanitano, Sergio, Cyro, Ho-
norio Papæ, aliiſque Monothelitis, tanquàm
hæreticis; exclamante ſanctâ Synodo: *Theo-
doro hæretico Pharanitano anathema, Cyro hæ-
retico anathema, Honorio hæretico anathema,
Pyrrho hæretico anathema, Paulo hæretico ana-
thema, Macario hæretico anathema, Stephano
hæretico anathema, Polychronio hæretico ana-
thema, Apergio Pergenſi anathema, omnibus
hæreticis anathema, omnibus, qui ſuffragantur
hæreticis anathema*. Et in definitione fidei re-
citatâ Actione XVIII., quæ incipit: *Unigeni-
tus Dei Patris Filius*, inter alios hæreticos
Monothelitas ab eadem ſanctâ Synodo no-
minatim damnatos, recenſetur Honorius, qui
fuit Papa antiquæ Romæ, ut in terminis ex-
primitur; poſtea verò ſubſcriptis eidem defi-
nitioni Patribus, iterùm acclamantibus Im-
peratori, anathema cum aliis hæreticis &
Honorio dixerunt, clamantes: *Neſtorio &
Eutychi & Dioſcoro anathema; Theodoro Pha-
ranitano anathema; Sergio & Honorio ana-
thema*.

831 Deinde in Sermone Proſphonetico,
ſivè acclamatorio ab univerſali Concilio ad
Imperatorem dicto, eidem anathemati ſub-
jicitur Honorius: ,, Superfluas autem vo-
,, cum novitates, *inquiunt*, & harum adin-
,, ventores procul ab Eccleſiaſticis Septis
,, abjiciimus & anathemati meritò ſubjici-
,, mus, ideſt, Theodorum Pharanitanum,
,, Sergium & Paulum, Pyrrhum ſimul & Pe-
,, trum, qui Conſtantinopoleos Præſulatum
,, tenuerunt, inſuper & Cyrum, qui Alexan-
,, drinum Sacerdotium geſſit, & cum eis Ho-
,, norium; qui fuit Romæ Præſul, utpotè
,, qui eos in his ſecutus eſt. *Hæc ibi*. Sed &
in Epiſtola Synodica ad Agathonem miſſâ,
cujus initium: *Maximi morbi*, refertur in ea-
dem Synodo, cum aliis Monothelitis damna-
tum eſſe Honorium: ,, Ipſos, *inquiunt*, ut
,, lapſos circa fidem ac peccatores, in ma-
,, tutinis extra caſtra atriorum Dei, ut Da-
,, vidicè loquamur, anathematibus interfe-
,, cimus, ex ſententia per ſacras literas ve-
,, ſtras de iis priùs datâ, videlicèt, Theodo-
,, rum Epiſcopum Pharan, Sergium, Ho-
,, norium, Cyrum, Paulum, Pyrrhum &
,, Petrum.

832 Ad hæc & Conſtantinus in ſuo Edi-
cto pro obſervantia Decretorum ejuſdem ſex-
tæ Synodi, quod incipit: *Firmamentum ac
fundamentum*, inter alios Monothelitas; qui
Eccleſias contaminaverunt, eaſque perversè
gubernarunt, Honorium quoque adnumerat,
inquiens: ,, Hujuſmodi denique contagione
,, Eccleſias contaminaverunt etiam hi, qui
,, ante noſtra tempora ſacrilegi Sacerdotes
,, Eccleſias perversè gubernarunt. Sunt au-
,, tem hi: Theodorus, qui fuit Pharan Epi-
,, ſcopus, Sergius, qui fuit Regiæ Urbis An-
,, tiſtes; ad hæc & Honorius, qui fuit anti-
,, quæ Romæ Papa, hujuſmodi hæreſeos con-
,, firmator, qui etiam ſui extitit oppugnator.
Hæc Conſtantinus, qui & circa Edicti finem
ſe cum ſancta Synodo anathematizare, atque
ab univerſa Eccleſia anathematizatum Hono-
rium cum cæteris Monothelitis declarat, in-
quiens: ,, Super hæc omnia anathematiza-
,, mus atque refutamus & eos, qui ſuperva-
,, cuorum & novorum dogmatum hæretici
,, auctores atque fautores ſunt. Dicimus au-
,, tem Theodorum, qui fuit Pharanitanus
,, Epiſcopus, & Sergium, qui fuit hujus à
,, Deo conſervandæ noſtræ Regiæ Urbis An-
,, tiſtes, huic conſentaneum & moribus, at-
,, que impietati parilem: ad hæc & Hono-
,, rium, qui fuit antiquæ Romæ Papa; horum
,, hæreſeos in omnibus fautorem, concurſo-
,, rem atque confirmatorem.

833 Sed & quod magis faceſſit, eſt Leonis
Papæ II. Epiſtola data ad Conſtantinum Au-
guſtum, cujus initium: *Regi Regum*, qua
Acta ſextæ Synodi confirmat, quoniam &
ipſe in ea nedùm Honorio anathema à Syno-
do confirmat indictum, verùm & novo ana-
themati eum ſubjicit, inquiens: ,, Pariter-
,, que anathematizamus novi erroris inven-
,, tores, ideſt, Theodorum Pharanitanum
,, Epiſcopum, Cyrum Alexandrinum, Ser-
,, gium, Pyrrhum, Paulum, Petrum Con-
,, ſtantinopolitanæ Eccleſiæ ſubſeſſores ma-
,, gis quàm Præſules; necnon & Honorium,
,, qui hanc Apoſtolicam Eccleſiam, non Apo-
,, ſtolicæ traditionis doctrinâ luſtravit; ſed
,, profanâ proditione immaculatam fidem ſub-
,, vertere conatus eſt. *Hæc Leo*, qui & in
Epiſtola ad Epiſcopos Hiſpaniæ, quæ inci-
pit: *Cùm diverſa ſint hominum ſtudia*, de ge-
ſtis & actis ſextæ Synodi, eos admonet de
damnatis nominatim in ea hæreticis, inter
quos & Honorium recenſet, inquiens: ,, Qui
,, verò adversùm Apoſtolicæ traditionis pu-
,, ritatem perduelliones extiterant, abeuntes
,, quidèm æternâ condemnatione mulctati
,, ſunt, ideſt, Theodorus Pharanitanus, Cy-
,, rus Alexandrinus, Sergius, Pyrrhus, Pau-
,, lus, Petrus Conſtantinopolitani, cum Ho-
,, norio, qui flammam hæretici dogmatis,
,, non, ut decuit Apoſtolicam auctoritatem, à
,, incipientem extinxit, ſed negligendo con-
,, fovit. *Hæc ibi* Leo: id, quod iterùm repe-
tit in Epiſtola data ad Ervigium Regem Hi-
ſpaniæ, cujus initium: *Cùm unus extet Rex*,
in qua pariter geſta ejuſdem ſextæ Synodi re-
cenſens, ait: ,, Quidquid offenſionem chri-
,, ſtianis Populis poterat generare, de me-
,, dio Dei Eccleſiæ fecit auferri, omneſque
hæ-

,, hæreticæ aſſertionis auctores, venerando cenſente Concilio condemnati, de catholicæ Eccleſiæ adunatione projecti ſunt, ideſt, Theodorus Pharanitanus Epiſcopus, Cyrus Alexandrinus, Sergius, Paulus, Pyrrhus, & Petrus quondam Conſtantinopolitani Præſules, & unà cum eis Honorius Romanus, qui immaculatam Apoſtolicæ traditionis regulam, quam à prædeceſſoribus ſuis accepit, maculari conſenſit.

834 Præterea quotquot meminerunt hujus Synodi, damnatum Honorium fatentur. Sic legitur in Photii libello, ubi recenſitis qui nomine Sedium Patriarchalium eidem Synodo interfuerant, ſtatim ſubjungitur: *Hi ſimul cum aliis ſacris, ſanctiſque Patribus, Sergium, Pyrrhum, Paulum Conſtantinopolitanos, Honorium Romanum, Cyrumq; Alexandrinum, & Theodorum Pharenſem, qui mutuam mendacii catenam conficiebant &c. meritò condemnarunt*. Apud Nilum verò idem pariter habetur, qui de ſexta Synodo ſic ſcripſit: ,, Sancta œcumenica ſexta Synodus habita eſt imperante Conſtantino Pagonato, congregata à centum ſeptuaginta Patribus, cui præerant Agatho Romæ, Georgius Conſtantinopolis, Petrus Monachus Alexandrini Legatus, Theophanes Antiochiæ Epiſcopi adversùs Honorium Papam Romæ, Cyrum Alexandriæ, Sergium, Pyrrhum, Paulum, & Petrum Conſtantinopolis Epiſcopos. *Hæc ibi*. In Libello porrò Synodico ſimilia ſcribuntur, nimirùm prælibatam Synodum congregatam fuiſſe *contra Theodorum Pharanum, Honorium Romanum*, & alios ſupra recenſitos.

835 Item damnatum Honorium in ſexta Synodo, fatetur Tharaſius Epiſcopus Conſtantinopolitanus in Epiſtola data ad Patriarchas Alexandrinum & Antiochenum, cujus initium eſt: *Multa & magna providentia*, recitata à Stephano Diacono Actione III. Synodi VII. In ea namque ſe fatetur recipere ſextam Synodum cum ſuis Actibus, ac proindè & cum ea anathema dicit Honorio: ,, Porrò per ſextam, *inquit*, ſicut ex duabus naturis Chriſtum, ex quibus & eſt, olim eſſe didiceram, ita & duas naturales voluntates & operationes ejus in utraque natura credidi, humanâ ſcilicèt & divinâ. Summittoque anathemati Cyrum, Sergium, Honorium, Pyrrhum, Paulum, & omnes conſectatores eorum; dogma quoque ipſorum; ut Sodomiticam vitem & Gommorrhiticam propaginem, amaritudinis botryonem habentes odivi. Ipſius autem ſanctæ ſextæ Synodi cum omnibus dogmatibus, quæ legaliter ac divinitùs ab ea promulgata ſunt, etiam depromptos Canones, recipio. *Hæc Tharaſius*.

836 Similiter & Theodorus Epiſcopus Hieroſolymitanus in ſua Synodica Epiſtola, quæ incipit: *Credimus igitur Beatiſſimi*, relecta pariter eàdem Actione III. Synodi VII. & ab univerſa Synodo receptâ, damnatum meminit cum cæteris Monothelitis in VI. Synodo Honorium, inquiens: ,, Poſtquàm ſancta ſexta Synodus, quemadmodùm alius Sol emicuit, ducentorum octoginta novem Sanctorum Patrum, Regiam Urbem ſortita pro requie, in qua celebrata, eos, qui duas proprias voluntates & operationes in diſpenſatione carnis Chriſti Dei noſtri denegant, & unam voluntatem & unam portentosè aſſerunt operationem Salvatoris noſtri, Deitatis pariter & humanitatis, anathematizavit, ideſt, Sergium, Pyrrhum, Petrum, Cyrum, Honorium, Theodorum Pharanitanum, & Polychronium delirum ſenem, atque omnes, qui definierunt, vel definient, aut definire præſumant unam volũtatem & operationem in duabus Chriſti naturis.

837 Immò & ipſamet VII. Synodus in definitione fidei, cujus initium: *Qui lucem agnitionis ſuæ*, promulgata Act. VII. profitetur ſe recipere ſextam Synodum, atque cum ea rejicere cum aliis Monothelitis Honorium Papam: ,, Deinde quoque, *ait*, & duas voluntates & operationes ſecundùm naturarum proprietatem in Chriſto prædicamus, quemadmodùm & Conſtantinopoli ſexta Synodus exclamavit, abjiciens Sergium, Honorium, Cyrum, Pyrrhum, Macarium, & eos, qui ſinè voluntate ſunt pietatis, atque iſtis ſimilia ſentientes. *Hæc ibi*. Et in Epiſtola Synodica datâ ad univerſos Sacerdotes & Clericos, incipiente: *Chriſtus Deus noſter*, publicatâ eàdem Actione VII. Iconomachos hæreticos abjecit cum Sergio atque Honorio, aliiſque hæreticis, inquiens: ,, Sed ad nihilum verbum Domini redegerunt, reprobantes Eccleſiaſticas traditiones; proptereà ad nihilum redegit eos Dominus, & cum Ario, Eunomio, Macedonio, Apollinario, Neſtorio, Eutychete, ac Dioſcoro, Sergio, Honorio, atque cum omni eorum peſſima Secta connumeravit turbulentum factionis eorum Concilium. *Hæc Synodi Patres*, qui & ſimilia habent in Epiſtola pariter Synodica, datâ ad Conſtantinum & Irenam, cujus initium: *Glorificatur Eccleſiæ caput, Chriſtus videlicet Deus noſter*, pariter publicatâ eàdem VII. Actione, ubi & ipſi cum cæteris Monothelitis anathemati ſubjiciunt Honorium: ,, Itaque, *inquiunt*, Apoſtolicas & paternas traditiones ſequentes, audemus autem dicere, conſpiratione Sanctiſſimi Spiritus conſonantes, invicemque convenientes, univerſi concordantem nobis habentes traditionem Eccleſię catholicę, conſonantiis, quæ formatæ ſunt à ſanctis ſex univerſalibus Conciliis concordes effecti ſumus, anathematizantes Arii veſaniam, Macedonii rabiem, Apollinarii inſenſatum ſen-

„ ſenſum, Neſtorii hominis culturam, Eu-
„ tychetis & Dioſcori confuſibilem vanita-
„ tem, & cum illis Polycephalon Hydram;
„ Origenis, & Dydimi, & Evagrii deſipien-
„ tes fabulationes; Sergii, & Honorii & Cy-
„ ri, & Pyrrhi & aſſeclarum eorum unius,
„ imò nequam moris voluntatem. *Hactenus ibi*.

838 Porrò Hadrianus Papa in tertia ejus allocutione, relectâ per Petrum Diaconum in VIII. Synodo Act. VII., & ab eadem Synodo receptâ, teſtatur Honorium damnatum in ſexta Synodo, inquiens: „ Intolerabilis eſt
„ iſta præſumptio, dilectiſſimi, & hanc aures
„ præcordiorum, fateor, ſuſtinere non poſ-
„ ſunt: quis unquam veſtrûm tale quid pre-
„ cor, audivit, vel quis hujuſmodi temeri-
„ tatis, ſaltèm lectione, immenſitatem in-
„ venit? Siquidèm Romanum Pontificem de
„ omnium Eccleſiarum Præſulibus judicaſſe,
„ legimus; de eo verò quemquam judicaſſe
„ non legimus: Licèt enim Honorio ab
„ Orientalibus poſt mortem anathema ſit
„ dictum, ſciendum tamen eſt, quia fuerat
„ ſuper hæreſi accuſatus, propter quam ſo-
„ lùm licitum eſt minoribus majorum ſuo-
„ rum ſuorum motibus reſiſtendi, vel pravos
„ ſenſus liberè reſpuendi; quamvis & ibi nec
„ Patriarcharum, nec cæterorum Antiſtitum
„ cuipiam de eo quemlibet fas fuerit profe-
„ rendi ſententiam, niſi ejuſdem primæ Se-
„ dis Pontificis conſenſus præceſſiſſet aucto-
„ ritas.

839 Nicephorus item Patriarcha Conſtantinopolitanus in Epiſtola Synodica datâ ad Leonem III. Papam, quæ incipit: *Magnus reverà, omnique laude*, œcumenicas ſeptem Synodos ſe venerari fatetur, inter quas & ſextam, in qua Honorium cum aliis Monothelitis damnatum recenſet, inquiens: „ Poſt
„ hanc & ſextam quoque ſanctam & œcume-
„ nicam centum ſeptuaginta Virorum Syno-
„ dum, iterùm in Regia hac Urbe congrega-
„ tam veneror, quæ pro naturarum Chriſti
„ ratione, ejuſdem quoque proprietates, na-
„ turaleſque operationes & voluntates di-
„ ſtinxit, ac prædicavit, & Theodorum Epi-
„ ſcopum Pharan, Honorium, Cyrum, Ser-
„ gium, Pyrrhum, Paulum, Petrum, qui
„ permiſſu Dei per corruptionem & fraudem
„ in Eccleſiæ Sacerdotium irrepſerant, Ma-
„ carium Antiochiæ Antiſtitem, & Stepha-
„ num Macarii diſcipulum, & Polychronium
„ puerilem, inſanumque anathemati ſubje-
„ cit. Unam enim hi duntaxat voluntatem,
„ unamque operationem Chriſto Servatori
„ noſtro tribuendam eſſe docebant. *Hactenus Nicephorus*. His verò recenſitis Scriptoribus addi poſſunt Beda, Ado Viennenſis, Humbertus Cardinalis Sylvæ Candidæ, & Anaſtaſius Bibliothecarius, qui omnes teſtantur Honorium in ſexta Synodo damnatum; quoniam Beda libro de ſex Mundi ætatibus: *Macarium verò*, ait, *cum ſuis ſequacibus, ſimùl & prædeceſſoribus, Cyro, Sergio, Honorio, Pyrrho, Paulo, & Petro anathematizavit*. Ado verò idem adnotat in Chronico. Humbertus porrò Cardinalis in libro adversùs Nicetam Pectoratum, agens de ſexta Synodo, ait: *Et Gregorius quidèm correctus eſt; Macarius autem cum ſuis ſequacibus, ſimùl & prædeceſſoribus, Cyro, Sergio, Honorio, Pyrrho, Paulo, & Petro anathematizati*. Anaſtaſius denique in Epiſtola ad Joannem Diaconum præmiſſâ ſuæ Collectaneæ, cujus initium eſt: *Eccleſiaſticum ſcripturæ*, ubi agens de Apologia Maximi pro Honorio, ſubjungit: *Licèt huic ſexta ſancta Synodus quaſi hæretico anathema dixerit*.

840 Nec prætermittenda ſunt ea, quæ idem Anaſtaſius in vita Sancti Leonis II. ſcribit de eadem Honorii damnatione habita in ſexta Synodo, ab eodem Leone approbata, cùm ſcribat: „ Hic ſuſcepit ſanctam ſextam
„ Synodum, quæ per Dei providentiam nu-
„ per in Regia Urbe celebrata eſt, græco elo-
„ quio conſcriptam, exequente ac reſidente
„ piiſſimo & clementiſſimo magno Principe
„ Conſtantino intra regale Palatium ejus,
„ quod appellatur Trullus; ſimùlque cum eo
„ Legati Sedis Apoſtolicæ, & duo Patriar-
„ chæ, ideſt, Conſtantinopolitanus & An-
„ tiochenus, atq; centum quinquaginta Epi-
„ ſcopi, in qua & condemnati ſunt Cyrus,
„ Sergius, Honorius, & Pyrrhus, Paulus, &
„ Petrus, necnon & Macarius cum diſcipulo
„ ſuo Stephano, ſed & Polychronius novus
„ Simon, qui unam voluntatem & operatio-
„ nem in Domino noſtro Jeſu Chriſto dixe-
„ runt. *Hæc Anaſtaſius*. Sic pariter damnatum Honorium in ſexta Synodo tradit Cedrenus in Compendio Hiſtoriæ, & aſſerit Marianus Scotus in Chronico. Addunt quidèm, ex vetuſto Breviario Romano, in Lectionibus ſecundi Nocturni recitari ſolitis in Officio Sancti Leonis II., referri, eundem Sanctum Leonem excõmunicaſſe Honorium cum aliis Monothelitis. Alii verò inducunt etiam antiquum Romanum Diurnum, continens fidei profeſſionem conſuetam emitti à Romano Pontifice noviter electo, in qua ferunt excommunicari Honorium cum Sergio, Cyro, & aliis Monothelitis.

841 Tot itaq; & talibus teſtimoniis preſſi Doctores in varias abiere ſententias; quare nonnulli, ut præfati ſumus, ſuperiori Capite non dubitarunt aſſerere, Honorium reverà in hæreſim Monothelitarum lapſum, ac proindè cum cæteris Monothelitis in ſexta Synodo damnatum; Sed ſatis eodem in ſuperiori Capite probatum eſt, nullo pacto Honorium hæreſi adhæſiſſe Monothelitarum, quibus addi poteſt id, quod recenſet Joannes de Polemar Archidiaconus Barchinonenſis in Oratione habita in Synodo Baſilienſi de Civili Clericorum Dominio adversùs Bohemos, quæ in-

incipit : *Deus in adjutorium meum intende* nimirum, Honorii tunicâ quemdam indutum Demoniacum à ſpiritibus immundis liberatum, inquiens : *Item Honorius Papa miræ pietatis fuit, cujus tunicâ Demoniacus quidam indutus fuit & liberatus eſt.* Quod ſanè factum rectam illius comprobavit fidem, in qua deceſſiſſe, certum reddit.

842 Sed & alii, & ſi immunem velint Honorium ab hæreſis labe, quæ in hæretico pravam cum pertinacia electionem exigit, damnatum tamen fatentur in ſexta Synodo propter conniventiam habitam cum Sergio, & Cyro, ſivè negligentiam in reſiſtendo Apoſtolico, ut par erat, Zelo novæ illi emergenti hæreſi, ac proinde quia potiùs creditus fuit faviſſe prælibatis Monothelitis, quàm illorum profeſſus fuerit hæreſim. In qua ſententia eſt Natalis Alexandri in Diſſert. 2. ſæculi VII. Concluſ. 3. & pluribus demonſtat, Primo ex literis Leonis II. Papæ ad Epiſcopos Hiſpaniæ, ubi recenſitis Monothelitis nominatim in ſexta Synodo damnatis, dum addit Honorium, cauſam illius afferens damnationis, ait ; *Cum Honorio, qui flammam hæretici dogmatis, non ut decuit Apoſtolicam authoritatem, incipientem extinxit, ſed negligendo confovit.* Deinde ex ejuſdem Leonis data ad Conſtantinum Pagonatum Epiſtola, in qua pariter eandem Honorii damnationem recenſens ait: *Nec non & Honorium, qui hanc Apoſtolicam Eccleſiam, non Apoſtolicæ traditionis doctrinâ luſtravit, ſed profana proditione immaculatam maculari permiſit.* Unde & Conſtantinus in ſuo Edicto pro ſexta Synodo, Honorium dicit ejus hereſis extitiſſe fautorem, concurſorem, & confirmatorem, non tamen hæreticum facit. Addit idem Natalis id quod in profeſſione fidei Romanorum Pontificum, de qua nos ſupra mentionem fecimus ex Romano Diurno, circa Honorii damnationem expreſſum legitur: nimirum: *Auctores verò novi hæretici dogmatis, Sergium, Pyrrhum, Paulum, & Petrum Conſtantinopolitanos, unà cum Honorio, qui pravis eorum aſſertionibus fomitem impendit.*

843 Ejuſmodi porrò conniventia cùm hæreticis, ex indicto per ſuas litteras ſilentio concluditur : quoniam in rebus fidei ſilentium ſepè catholicam veritatem offendit, unde Cœleſtinus Papa hujus nominis primus in Epiſtola data ad Epiſcopos Galliarum ſcribit. *Timeo ne connivere ſit hoc tacere, timeo ne magis ipſi loquantur, qui permittunt illis taliter loqui. In talibus cauſis non caret ſuſpicione taciturnitas, quia occurreret veritas, ſi falſitas diſpliceret. Meritò namque cauſa nos reſpicit, ſi ſilentio faveamus errori.* Honorius porrò & Theodoſius Imperatores in reſcripto dato ad Aurelium Carthaginenſem v. Idus Junias, Monaxio & Plinta Conſulibus in cauſa Pelagianorum, pari pœna plectendos decernunt Epiſcopos qui cum Pelagianis ſentiebant, ac eos qui propter conniventiam damnare Pelagianos detrectabant, dicentes, *una eademque culpa eſt eorum, qui aut diſſimulando, conniventiam, aut non damnando, favorem noxium præſtiterint.* Accedit & Theodorus Studita in Epiſtola data ad Præpoſitos Monachorum, qui in cauſa Sacrarum Imaginum ſub Leone Armeno, ſilentium polliciti fuerant, in qua hujuſmodi damnat ſilentium, *inquiens* : „ In „ hoc temporis articulo, non ſolùm qui di„ gnitate & ſcientia præcellit, certare is de„ bet, rectę fidei doctrinam proferens ; ſed & „ Diſcipulus quoque ipſe fiduciam ſumere, „ & veritatem intrepida ac libera voce profi„ teri. Non mea ſunt hæc verba, qui pecca„ tor ſum, ſed Divini Chriſoſtomi ; quinim„ mo & aliorum Patrum. *Et addit.* Conſen„ ſui par eſſe ſilentium ; id eſſe, prodere ve„ ritatem, & Præfecturam abnegare, & ſub„ ditos ſibi ſubvertere. *Hæc ille.* Ac ideo licèt Honorius Pontifex hæreticus non fuerit, ob negligentiam in damnanda Monothelitarum hæreſi, & ob conniventiam & patrocinium Monothelitis impenſum, propter indictum ſilentium juſtè damnari poterat à ſexta Synodo. *Hæc ex Natali Alexandri.*

844 Sed quoniam probatum eſt ſupra, culpabile non fuiſſe indictum ab Honorio ſilentium, nec ex eo evinci poſſe conniventiam cum hæreticis vel minimam habuiſſe, ruunt omnia à Natali allegata. Et ſanè optimè Cœleſtinus I. ſilentium in rebus fidei damnat, quoties hæreſis detecta eſt; tunc ſilentium eam fovet, & illi patrocinatur, & pari pœna plecti poſſunt qui ſilentium ſervant, & qui hæreſim palàm fatentur, ut ſanctè ſancitum fuit Theodoſii & Honorii lege in cauſa hæreſis Pelagianæ jam toti Mundo cognita : & optimè, ac rectè Studita reprehendit Monachos de promiſſo ſilentio in cauſa Sacrarum Imaginum, quando jam hæreſis Iconomachorum evulgata & ſatis cunctis manifeſta erat. At in cauſa Honorii res aliter ſe habuit : nondum enim manifeſta erat hæreſis Monothelitarum, nec ullo prorsùs modo cognita Pontifici, ut antefati ſumus, eo tempore, quo ſilentium indixerat, cui etiam eadem de cauſa acquievit & Sophronius, unde non potuit Honorius juſtè de negligentia, atque etiam conniventia cum hæreticis reprehendi, & minus ex hoc præcisè capite in ſexta Synodo damnari. Illud denique quod ex Diurno Romano in fidei profeſſione à Pontificibus noviter electis emittenda, refert Natalis de Honorii damnatione, non eſt adeò verum & conſtans, quoniam in eadem fidei profeſſione, quam ex eodem Diurno excripſiſſe fatetur Antonius Auguſtinus apud Labæum tom. 8. Concil. pag. 1492. nec minima fit de Honorii damnatione mentio ; ſic verò integram eam reddentes, ſe habet,

In nomine ſanctæ, & individuæ Trinitatis — Amen —

845 „ Ego N. Sanctæ Romanæ Eccleſiæ „ Diaconus, *vel* Presbyter, *aut* Epiſcopus „ Cardinalis electus, ut fiam per Dei gratiam hujus Apoſtolicæ Sedis humilis miniſter, profiteor tibi, Beate Petre Apoſtolorum Princeps, cui Claves Regni Cœleſtis ad ligandum atque ſolvendum in Cœlo „ & in terra Creator & Redemptor Dominus „ noſter tradidit, inquiens; *Quæcumque ligaveris ſuper terram erunt ligata & in Cœlis;* „ *& quæcumque ſolveris ſuper terram, erunt* „ *ſoluta & in Cœlis*: Sanctæque tuæ Eccleſiæ, „ quam hodie tuo præſidio regendam ſuſcipio, quòd quamdiu in hac miſera vita conſtitutus fuero, ipſam non deſeram, non „ relinquam, non abnegabo, non abdicabo „ aliquatenus, nec ex quacumque cauſa, „ cujuſcumque motus vel periculi occaſione „ dimittam; nec me ſegregabo ab ipſa; ſed „ veræ fidei reſtitudinem, quam Chriſto auctore tradente per Beatiſſimum tuum Coapoſtolum Paulum, & per Diſcipulos ſucceſſores veſtros uſque ad exiguitatem meam „ prolatam in tua Sancta Eccleſia reperi, totis conatibus, uſque ad ſanguinem cuſtodire, tàm de ſanctæ & individuæ Trinitatis „ Myſterio, quæ unus eſt Deus; quàm de „ diſpenſatione, quæ ſecundùm carnem facta eſt Unigeniti Filii Dei Domini Noſtri „ Jeſu Chriſti. Et de cæteris Eccleſiæ dogmatibus, ſicut univerſalibus Conciliis & „ Conſtitutionum Apoſtolicorum Pontificum, probatiſſimorumque Eccleſiæ Doctorum ſcriptis ſunt commendata, ideſt, „ quæ ad reſtitudinem noſtræ veſtræque Orthodoxæ fidei à te traditionem recipiunt, „ conſervare, ſanctaque octo univerſalia Concilia, ideſt Nicænum, Conſtantinopolitanum, & Epheſinum primum, Chalcedonenſe, quintum quoque & ſextum item „ Conſtantinopolitana, & ſeptimum item Nicænum, octovum quoque item Conſtantinopolitanum uſque ad unum apicem immutilatè ſervare, & pro honore & veneratione digna habere, & quæ prædicaverunt, „ & ſtatuerunt omnimodè ſequi, prædicare: „ quæque condemnaverunt, condemnare ore „ & corde.

846 „ Diligentiùs autem & vivaciùs „ quamdiu vixero omnia Decreta Cononica „ prædeceſſorum Apoſtolicorum noſtrorum „ Pontificum, quæcumque ipſi ſynodaliter ſtatuerunt, & probata ſunt confirmare, & indiminuta ſervare. & ſicut ab eis ſtatuta „ ſunt, in ſui vigoris ſtabilitate cuſtodire: „ quæque vel quoſcumque condemnaverunt „ vel abdicaverunt, ſimili ſententia condemnare vel abdicare. Diſciplinam & Ritum „ Eccleſiæ, ſicut invenimus à Sanctis Prædeceſſoribus meis canonicè traditum, quamdiu vita in iſtis comes fuerit, illibatè cuſtodire, & indiminutas res Eccleſiæ conſervare, neque alienare, ſeu in feudum, „ cenſum, vel Emphyteuſim dare quomodolibet ex quacumque cauſa; & ut indiminutè cuſtodiantur operam dare. Nihil de „ traditione, quam à probatiſſimis prædeceſſoribus meis canonicè traditam, & ſervatam reperi, diminuere, vel mutare, aut „ aliquam novitatem admittere; ſed ferventer, ut eorum verè Diſcipulus & ſequipeda, totis mentis meæ conatibus, quæ tradita canonicè comperio, ſervare, & venerari.

847 „ Si quà verò emerſerint contra canonicam diſciplinam, communicatione filiorum moorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ „ Cardinalium, cum quorum conſilio, directione & rememoratione miniſterium meum „ geram, & peragam, emendare, aut patienter (exceptâ fidei & Chriſtianæ religionis gravi offenſione) tua & Beatiſſimi „ tui Coapoſtoli Pauli procurante interceſſione, tolerare, Sacroſque Canones, & Sacrorum Pontificum conſtituta, ut Divina „ & Cœleſtia mandata, Deo auxiliante cuſtodire, utpote Deo & tibi ſciens me redditurum de omnibus, quæ profiteor, & „ quamdiu vixero, egero, vel obliviſcar, „ diſtrictam in Divino Judicio rationem. Cujus Sanctiſſimæ Sedi Divina dignatione, te „ patrocinante, præſideo, & vicem interceſſionibus tuis adimpleo. Eris autem mihi „ in illa terribili die hæc conanti, & diligenter ſervare curanti propitius.

848 „ Adjutorium quoque ut præbeas, „ obſecro in hac corruptibili vita conſtituto, „ ut irreprehenſibilis appaream ante conſpectum Judicis omnium Domini Noſtri Jeſu „ Chriſti, dum terribiliter de commiſſis advenerit judicare, ut faciat me dexteræ partis participem, & inter fideles Diſcipulos „ & Succeſſores tuos eſſe conſortem. Hanc „ autem profeſſionem meam per Notarium & „ Scriniarium Sanctæ Romanæ Eccleſiæ me „ jubente ſcriptam propria manu ſubſcripſi, „ & tibi, Apoſtole Petre, & Apoſtolorum „ omnium Principi, pura mente, & devota „ conſcientia ſuper Sanctum Corpus tuum & „ Altare tuum ſynceriter offero. Actum &c. „ *Hactenus fidei profeſſio Pontificia*.

849 Ex ea ergo liquet de Honorii damnatione nec verbum quidem fieri: quòd ſi alia formula ejuſdem fidei profeſſionis eam damnationem contineat, examinandum erit quænam ex eis reverà ſit genuina: quoniam in ſupra recenſita generaliter omnia ad rectam fidem continentur: nec eſt neceſsè, ut quis Orthodoxam profiteatur fidem, nominatim hæreticos anathematizare, quos Sancta Univerſalia Concilia anathematizarunt, cùm ſatis ſit profiteri in ea prælibata ſe recipere Concilia, eoſque quos illa receperunt generaliter reci-

recipere, eos verò rejicere quos & illa abjecerunt. Solùm in ipſis Synodis in more fuit nominatim anathematizare hæreticos etiam in prioribus anathematizatos Synodis, & in fidei profeſſionibus, quæ coram Patribus in præfatis Synodis exhiberi conſueverant. Cæterùm in fidei profeſſionibus quæ ex præſcripto Eccleſiæ emitti ſolent ab iis, qui ad aliquam conſcendunt Eccleſiaſticam dignitatem, ſatis eſt generaliter hæreticos quoſque damnare. Cæterùm formula fidei exhibita à Camerio in Romano Diurno, & ſi quæ aliæ extant, in quibus mentio fit de Honorii damnatione, pro interpollatis haberi debent; quemadmodum ex interpollatis Actis deprompta fatemur quæ in Lectionibus S. Leonis II. in ejuſdem Feſto ſub die 28. Junii continentur in vetuſtioribus quibuſdam Breviariis Romanis, circa ejuſdem Honorii damnationem: conſtat namque plura Apocrypha in præfatis perantiquis Breviariis contineri, quæ poſtea emendata fuere, prout variis exemplis probat P. Marcheſius, qui cauſam Honorii fuſiſſimè pertractat: Ac ita eodem pacto cenſemus emendatam formulam fidei contentam in Romano pervetuſtò Diurno, ex ea præcipuè parte, quæ damnationem præſeferebat Honorii, utpote deprompṭam ex interpollatis Concilii Actis, de quibus paulò inferiùs erit ſermo.

850 Eſt proinde & aliorum ſententia docentium damnatum quidem Honorium in ſexta Synodo, non tamen rectè & juſtè damnatum, erraſſe autem in hac parte, non examinatâ illius causâ, neque ſpectatâ, ſivè affectâ mente Honorii, ex ſola aſſertione Monothelitarum, qui propter Epiſtolam ad Sergium datam ſecundùm eorum pravum ſenſum interpretatam, pro ſua parte ſtetiſſe gloriabantur. Exceptâ verò causâ hæreſis, quæ in Conciliis principaliter agebatur, reliqua in eis geſta ſivè tangentia perſonas, ſivè res alias Eccleſiaſticas, non ſunt irrefragabilia, & plura eorundem Conciliorum decreta retractata, atque reprobata à Romanis Pontificibus leguntur. Tradit enim Gelaſius Papa in libro de Anathematis vinculo, ea quæ pro fide communi in Synodis geſta ſunt, & à Sede Apoſtolica tractanda juſſa ſunt, & inde ab eadem ſunt comprobata, firmitatem habere, ſecùs alia, & maximè, ſi aut non conſulta, vel repugnante Apoſtolica Sede geruntur:
„ Cognoſcant, *inquit*, igitur illud ſecun-
„ dùm Scripturas Sanctas, traditionemque
„ Majorum, ſecundùm Canones, regulaſque
„ Eccleſiæ, pro fide communi, & veritate
„ Catholica & Apoſtolica, pro qua hanc fie-
„ ri Sedes Apoſtolica delegavit, factamque
„ firmavit, à tota Eccleſia indubitanter ad-
„ mitti: alia autem quæ per incompetentem
„ præſumptionem illic prolata ſunt, vel po-
„ tiùs ventilata, quę Sedes Apoſtolica geren-
„ da nullatenus denegavit, mox à Vicariis
„ Sedis Apoſtolicæ contradicta, manifeſtum
„ eſt; quæ Sedes Apoſtolica, etiam petente
„ Marciano Principe, nullatenus approba-
„ vit. *Hæc ille*, agens de geſtis Synodi Chalcedonenſis, & docens decreta ſynodalia præter delegationem Sedis Apoſtolicæ edita, & ab eadem Sede non approbata nullam firmitatem habere. Unde infra ſubjungit: *Quod firmavit in Synodo Sedes Apoſtolica, hoc robur obtinuit; quod refutavit, habere non potuit firmitatem: Et ſola reſcindit, quod præter ordinem congregatio Synodica putaverat uſurpandum, non promulgatrix iterata ſententiæ, ſed cum Apoſtolica Sede veteris executrix*.

851 Hac de causâ Eccleſia Romana ſolùm recepit Acta Concilii Conſtantinopolitani I. quæ concernebant definitionem fidei contrà Macedonium, nequaquam Canones extra cauſam fidei editos, ut teſtatur S. Gregorius Magnus lib. *6.* Epiſt. 31. data ad Eulogium & Anaſtaſium Epiſcopos. Indict. xv. ubi ait: *Romana autem Eccleſia eoſdem Canones vel geſta Synodi illius hactenus non habet, nec accipit; in hoc autem eandem Synodum accipit, quod eſt per eam contrà Macedonium definitum*. Imò & ipſam ſextam Synodum Canones quoſdam ediḍiſſe, editoſque exhibuiſſe Græcos, perſpicuum fuit, quos tamen Eccleſia Romana non recepit, & Latini univerſi reprobarunt. Itaque quidquid in Generalibus Synodis agitur extra cauſam fidei, præcipuè præter Romani Pontificis inſtructionem nullam habent firmitatem. Cumque Patres ſextæ Synodi præter ſententiam Agathonis proceſſerint ad damnationem Honorii, nihil firmitatis habere potuit. Et quòd præter ſententiam Agathonis cauſam Honorii cognoverint, imò contrà expreſſam, ut ita fatear, illius ſententiam; liquet ex ejus data ad Imperatorem Epiſtola, ubi facultatem ſuis Legatis conceſſam inſinuat, inquiens: *Licentiam proinde eis, ſivè authoritatem dedimus, apud tranquilliſſimum veſtrum Imperium, dum juſſerit ejus clementia ſimpliciter ſatisfaciendi, in quantùm eis dumtaxat injunctum eſt, ut nihil profectò præſumant augere, minuere vel immutare, ſed traditionem hujus Apoſtolicæ Sedis, ut à Prædeceſſoribus Apoſtolicis Pontificibus inſtituta eſt, ſynceriter enarrare*.

852 Et in hanc ſententiam circa Honorii damnationem abjiſſe Anaſtaſium Bibliothecarium, ſua ipſius Epiſtola data ad Joannem Diaconum, præfixa, ut antefati ſumus, ſuis collectaneis aperte indicat: Agens enim ibi de Honorii cauſa, ejuſque in ſexta Synodo damnatione, primò quaſi temerè egiſſe tradit: ſed poſtea ut eam Synodum ab ejuſmodi temeritatis nota eximat, *ſubjungit*: „ Sed ne
„ videamur tam Sanctam, tamque reveren-
„ dam Synodum accuſare, vel temerè repre-
„ hendere; licere nobis opinamur de illa ſen-
„ tire, quæ Sanctos Patres noſtros de Chal-
„ cedonenſi magna Synodo ſenſiſſe non igno-
„ ramus. Quorum unus Sanctus videlicet

„ Gregorius Papa, uſque ad prolationem tantummodo Canonum hanc ſuſcipiendam fore ſignavit. Beatus autem æquè Papa Gelaſius in tomo de anathematis vinculo, qualiter eadem Synodus recipienda ſit, luculentis exemplis, & nonnullis divinis teſtimoniis innuit, ubi horum circumſtantiam, tali deliberatione concludit; *Hæc*, inquiens, *& hujuſmodi exempla nos edocent, & teſtimonia divina confirmant, non omnia paſſim à quocumque dicta, vel ubicumque ſcripta indifferenter accipere, ſed retentis bonis, quæ nocent refutare*. Nam & hanc quoque Sanctam Synodum canonica quædam Capitula promulgaſſe, Græcorum ſcripta teſtantur, quæ tamen penè omnia, quæ Sedes Apoſtolica non probavit, tota latinitas reprobavit, Sed, quid de hac ſola dicimus? Cùm & ſecundam univerſalem Synodum; quæ primò Conſtantinopoli celebrata eſt, in cauſâ primatus Eccleſiarum, Sedes Apoſtolica non admittat: quin & omnes Synodos ſic recipiendas decernat, ut Chalcedonenſem Synodum admittendam fore prædictus Gelaſius Papa deſcribat, *pro fidei ſcilicet communione & veritate Catholica & Apoſtolica, pro qua hanc fieri Sedes Apoſtolica delegavit, factamque firmavit*. Hactenus Anaſtaſius.

853. Et, ſanè Pelagius II. in Epiſtola ad Epiſcopos Iſtriæ, cujus initium, *virtutum mater charitas*, cùm præfati Epiſcopi adversùs v. Synodum pro damnatione trium Capitulorum, quæ à Synodo Chalcedonenſi damnata minimè fuerant, auctoritatem objicerent D. Leonis Papæ in literis datis ad Leonem Auguſtum, quibus aſſerebat nullum de definitis in Nicæna Synodo ſe audere inire tractatum, tamquam dubia vel infirma forent, eos perſtringit Pelagius, *inquiens*: Leonem locutum dumtaxat de definitis in cauſa fidei, quod ex ejuſdem Leonis literis probat, non verò de iis quæ acta ſunt extra fidei cauſam, quæ iterum judicio Synodali retractari poſſunt: & quoniam cauſa trium Capitulorum potiùs perſonas reſpiciebat, quàm fidei cauſam, poterat iterum retractari: unde ait: „ Si igitur fidem, fratres cariſſimi, in cunctis Mundi partibus uno ac ſolido ſtatu vigère non cerneretis, convulſum quidquam de Sancta Chalcedonenſi Synodo rectè diceretis. At poſtquam nihil nunc aliud niſi de perſonis agitur, nihil de Sancta Chalcedonenſis Synodi fide quæritis, auctoritatem Patrum, quaſi ſequendo declinatis. *Hæc Pelagius*, ſubjungens inde apertis verbis, quæ in cauſis ſpecialibus, extra cauſam in eadem Synodo acta fuerant, rectè retractari potuiſſe: quoniam infallibilem non habent firmitatem. Cùm itaque Honorii cauſa acta in ſexta Synodo non dogma aliquod fidei concerneret; ſed perſonam dumtaxat reſpiceret, num ſcilicèt conſenſerit nec ne errori Monothelitarum, judicium adversùs eum latum cùm non fuerit infallibilis firmitatis, poterat ſubeſſe falſum; & cum ex antedictis conſtet Honorium ab hæreſis Monothelitarum labe penitùs extitiſſe alienum, ſequi videtur, ſextam Synodum in illius damnatione erraſſe.

854. Sed huic opinioni plura ſunt, quæ adverſari videntur: quoniam licèt concedatur, ſextam Synodum in ejuſmodi cauſa, utpote extra cauſam fidei errare potuiſſe; tamen non erraſſe, atque rectè damnaſſe probat confirmata à Romano Pontifice ſententia: ut enim ſupra fati ſumus, Leo II. Romanus Pontifex ſynodalem adversùs Honorium ſententiam ratam habuit, eundem cum prælibata Synodo anathematizans Honorium. Septimam quoque Synodum eandem ſextæ Synodi ſententiam approbaſſe ex Actis illius probavimus, quæ etiam in definitione fidei inter alios hæreticos recenſuit, & unà cum illis novo anathemati ſubjecit. Hadrianus Papa pariter ſupra relatus rectè damnatum pronunciat. Denique nemo eſt ex antiquis Scriptoribus, qui ejuſmodi damnationem ratam non habuerit; nec eſt inveniri qui ei contradixerit.

855. Itaque Baronius & Binius cum pluribus eos ſequentibus hac in controverſia aliâ viâ incedunt: Etenim Honorium certè immunem extitiſſe ab hæreſi ei imputata, primùm demonſtrant: indeque nullo pacto in ſexta Synodo damnatum fatentur. Acta verò Synodica illius, quæ ejuſmodi damnationem exhibent, genuina minimè eſſe, ſed à Monothelitis ipſis corrupta, pluribus nec condemnandis conjecturis probant. Et quidem primò: Apologia Joannis Papæ, qui Honorio ſucceſſit, qua adeo efficaciter ipſum ab hæreſi Honorium eximit, Latinis certè, præcipuèque Romanis incognita eſſe minimè potuit, ubi cauſa Honorii teſte Sancto Maximo in Epiſtola ad Marinum, diſcuſſa & ventilata fuit, & taliter accuratè, ut qui Honorio à ſecretis fuerat, literaſque Pontificis ad Sergium ſcripſerat, de ipſius Honorii mente fuerit interrogatus: ſi verò incognita Romanis non fuit expurgatio Honorii per Joannem Papam, debuit quoque innotuiſſe & Apoſtolicæ Sedis Legatis, qui loco Agathonis Papæ, ſextæ Synodo & interfuerant & præfuerant: unde abeſt à vero, ut ipſis præſentibus & tacentibus damnaretur Honorius. Non enim eſt veroſimile ut paterentur diro anathemati ſubjici Romanum Pontificem ipſis præſentibus & præcipuè ſcientibus, Succeſſorem Honorii & proinde Eccleſiam ipſam Romanam, aliter de eo judicium pronunciaſſe. Atqui in ipſis Actis ſynodicis non conſtat eos ejuſmodi damnationi reſtitiſſe, aut, ut par erat, proteſtaſſe: imò nec verbum quidem contradicendo protuliſſe.

856 Legimus in Actis Synodi Chalcedonen-

nenſis, Paſchaſinum & Lucentium Apoſtolicæ Sedis Legatos, qui locum S. Leonis Papæ ea in Synodo tenebant, proteſtaſſe adversùs decretum, ipſis etiam abſentibus, editum de primatu Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ poſt Romanam Eccleſiam, velut de injuria per eum irrogata Pontifici, & Eccleſiæ Romanæ, his Lucentius uſus verbis: „ Sedes Apoſto-
„ lica nobis præſentibus humiliari non debet:
„ Et ideò quæcumque in præjudicium Cano-
„ num vel regularum heſternâ die geſta ſunt,
„ nobis abſentibus, ſublimitatem veſtram pe-
„ timus, ut circumduci iubeatis: ſin aliàs,
„ contradictio noſtra his geſtis inhæreat, ut
„ noverimus quid Apoſtolico Viro univerſa-
„ lis Eccleſiæ Papæ referre debeamus: ut ipſe
„ aut de ſuæ Sedis injuria, aut de Canonum
„ everſione poſſit ferre ſententiam. *Hæc Lucentius*, ut conſtat ex Act. xvi. ejuſdem Synodi in fine ejuſdem Actionis. Certè & damnatio Honorii in ſexta Synodo in præjudicium, quin & in injuriam Apoſtolicæ Sedis ceſſiſſet, à qua, illius cauſâ cognitâ, incondemnatus Honorius, & ut ab omni erroris labe immunis relictus fuit; proindè probabile non eſt, Legatos Apoſtolicæ Sedis, ſi reverà Patres ſextæ Synodi ad damnationem Honorii proceſſiſſent, penitùs tacuiſſe, nullâ poſitâ contradictione, nullâque interpoſitâ proteſtatione.

857 Et eò fortiùs, quoniam non ad alias definiendas controverſias extra cauſam circa fidem, miſſi fuerant ab Agathone: Limitatam eis auctoritatem dedit, quatenùs ea tantùm tractari permitterent, quæ ad præſentem de fide controverſiam pertinebant, ut in literis ipſiuſmet Agathonis ad Imperatorem datis & recitatis Actione iv. ſextæ Synodi palàm fit, cùm ibi dicat: „ Licentiam proinde eis, ſivè
„ auctoritatem dedimus apud tranquilliſſi-
„ mum veſtrum Imperium, dùm juſſerit ejus
„ clementia ſimpliciter ſatisfaciendi, inquan-
„ tùm eis dumtaxat injunctum eſt, ut nihil
„ profectò præſumant augere, minuere, vel
„ mutare, ſed traditionem hujus Apoſtolicę
„ Sedis, ut à prædeceſſoribus Apoſtolicis
„ Pontificibus inſtituta eſt, ſynceriter enar-
„ rare. *Hæc ille*. Atquì cognitio cauſę Honorii ad præſentem de fide controverſiam minimè ſpectabat, ac ideò ſilentio eam preterire, nullatenùs contradicendo Apoſtolicæ Sedis Legati minimè debuiſſent; quoniam cognitio illius cauſæ excedebat limites ſibi à Romano Pontifice præfixos. Meritò Sanctus Leo in Epiſtola data ad Anatolium reprehendit Patres Synodi Chalcedonenſis propter editum ab eis de primatu Eccleſię Conſtantinopolitanæ decretum, eò quia ea in Synodo ſola fidei cauſa tractanda erat, & pro ea ſola definienda miſſos eſſe Legatos, quos pro facta contradictione laudat: „ Nimis ergò,
„ *inquit*, hæc improba nimis ſunt prava, quę
„ ſacratiſſimis Canonibus inveniuntur eſſe
„ contraria. In totius Eccleſiæ perturbatio-
„ nem ſuperba hæc tendit elatio, quæ ita
„ abuti voluit Concilio Synodali, ut fratres
„ in fidei tantummodò negotium convoca-
„ tos, & definitione ejus cauſæ, quæ erat
„ curanda, perfunctos, ad conſentiendum
„ ſibi, aut depravando traduceret, aut ter-
„ rendo compelleret. Inde enim fratres no-
„ ſtri, ab Apoſtolica Sede directi, qui vice
„ meâ Synodo præſidebant, probabiliter at-
„ que conſtanter illicitis auſibus obſtiterunt,
„ apertè reclamantes. *Hæc Leo*. Digni ſanè ejuſmodi reprehenſione fuiſſent Patres ſextæ Synodi pro cauſa dumtaxat fidei congregati, ſi Honorii cauſam examinare fuiſſent auſi; & Legati auſibus non obſiſtentes, de gravi culpa rei forent conſtituti; proindeque non videtur probabile, eâ in Synodo talia adversùs Honorium acta eſſe, quæ Græci exhibent.

858 At ad hæc reſpondent ii, qui damnatum Honorium fatentur, ſilentium Legatorum non inferre quod prætenditur: Id enim ad vitandum majus malum factum eſſe, inquiunt; quoniam verebantur Legati, ſi reclamarent, nè impediretur definitio rectæ fidei, & non poſſet tolli ſchiſma, quod annis ſexaginta jam duraverat; nam damnabantur in eo Concilio Patriarchæ multi Conſtantinopolitani, Alexandrini & Antiocheni, quorum ſucceſſores non facilè acquieviſſent, niſi etiam Honorius damnaretur, qui unà cum illis accuſatus fuerat. Quam reſponſionem affert Bellarmin. lib. 4. de Romano Pontifice cap. xi. pro iis, qui adduci non poſſunt, ut credant Acta ſextæ Synodi eſſe corrupta; & eâ utitur etiam Natalis Alexandri Diſſertat. 2. Sæculi VII. concluſ. 1., ubi & aliam cauſam ejuſdem ſilentii affert, nimirum; quia ipſum Honorium à favore Monothelitis impenſo, à communione cum ipſis inita, ab ignava conniventia & œconomia damnanda, ab approbatione ſententiæ Sergii unam vel duas operationes dicere in Chriſto Dominò prohibentis, purgare non poterant. Ait inſuper, nec prohibitionem Agathonis allegatam ex ejus datis ad Imperatorem literis quidquam probare; quoniam prohibitio ſolùm concernebat, nè quidquam minuere vel addere permitterent circa dogmata, non circa perſonas, & ideò rectè ſancta illa Synodus, non obſtante ejuſmodi prohibitione, cauſam cognovit Macarii, Stephani, & Polychronii, quos & anathemati ſubjecerunt, non hactenùs anathematizatos.

859 Verùm non mihi tantæ ſoliditatis ejuſmodi videntur reſponſiones; non quidèm prima; quoniam etſi ad vitanda majora mala non debuiſſent Legati uſque ad pertinaciam contendere, & defenſionem Honorii tueri: Gratis enim hoc dato, tamen poterant unum vel alterum verbum proferre, præcipuèque in medium proferre quæ Romæ geſta erant in cauſâ Honorii, quæ Joannes Papa ſcripſerat,

quævè Maximus in illius defenſam protulerat: Si verò poſt hæc Synodus adhùc in ſententia perſtitiſſet ad majora mala vitanda, dato quòd licuiſſet, poterant ſilere, nec ſynodali ſententiæ contradicere. Sed cùm non conſtet in Actis vel minimam quidèm contradictionem feciſſe, immò nec verbum in defenſam Honorii protuliſſe; nec etiam conſtet fuiſſe cauſam illius leviter ſaltèm examinatam, eſt prorsùs alienum à probabilitate, quòd fuerit damnatus. Meritò Anaſtaſius in ſæpefata Epiſtola ad Joannem Diaconum miratur damnatum eſſe Honorium, causâ illius non diligenter examinatâ, inquiens: „ Quis
„ autem erit, qui nobis interim dicat, utrùm
„ ipſe pro certo dictaverit Epiſtolam, de
„ qua illum anathematizandi fomitem ca-
„ lumniatores ſuſceperunt; cùm & ex Scri-
„ ptoris vel indiſciplinatione, vel in Ponti-
„ ficem odio, quid contingere tale potuerit?
„ quamvis non ignoremus, docente Sancto
„ Maximo in Epiſtola ſua, quam Marino ſcri-
„ pſit Presbytero, Sanctiſſimum hanc ſcri-
„ pſiſſe Joannem Abbatem, eſtò & ipſe Di-
„ ctator extitit: Quis hinc illum interroga-
„ vit? Quis intentionem inveſtigavit? Quis
„ hunc corrigere voluit, & ille percontanti
„ aut emendare conanti reſtitit, vel conten-
„ tionibus ſerviens reſultavit? præſertim cùm
„ in Evangelio illo, quo dicitur: *Nolite*
„ *judicare, & non judicabimini*, & cætera, ni-
„ hil aliud præcipi magnis etiam Magiſtris
„ Eccleſiæ videtur, niſi, ut ea facta, quæ
„ dubium eſt quo animo fiant, in melio-
„ rem partem interpretemur. *Hæc Anaſtaſius*.

860 Neque par erat ratio de Epiſcopis Conſtantinopolitanis in eadem Synodo damnatis, & Antiocheno atq; Alexandrino; quoniam illi jam fuerant damnati & proſcripti ante præfatam Synodum, cognitâ & examinatâ illorum causâ, immò & priùs moniti per Apoſtolicas literas, Decretis Synodalibus Apoſtolicæ Sedis; proinde & in Literis Synodicis ab Agathone & Romana Synodo tranſmiſſis nominatim recenſentur Theodorus Pharanitanus, Cyrus Alexandrinus, Sergius, Pyrrhus, Paulus, & Petrus Conſtantinopolitanus, ut hæretici & novi dogmatis auctores. Idemq; habetur & in altera, quam nomine ſuo Agatho ad eundem Principem per ſuos Legatos miſerat. De Honorio ſilet Pontifex; nec valet dicere cum Natali Alexandri, Agathonem privatis in mandatis dediſſe Legatis, ut de Honorio quoque cum cæteris tractaretur Monothelitis; quoniam nedùm eſt gratis dictum, verùm longè abeſt à veroſimili, quoniam enim poterat Agatho in mandatis dare, ut cauſa Honorii cognoſceretur in Synodo, quæ jam Romæ ſub Joanne Papa examinata fuerat, & Honorius ab hæreſi defenſus? Et improbabile etiam prorsùs eſt, voluiſſe cauſam Romani Pontificis judicio Græcorum ſubjicere, quos averſos utplurimùm Romanis Pontificibus fuiſſe non ignorabat. Sed item, ut quidquid refricare præfatam cauſam in Synodo Græcorum, ſi jam in Occidente de recta fide Honorii minimè dubitabatur? Inutilis prorsùs eſt ejuſmodi Natalis reſponſio, nè dicam cavillatio.

861 Paritas quoque Honorii cum Macario, Stephano, & Polychronio in eadem Synodo damnatis non currit. Ut enim Acta exhibent, præfati aderant Synodo, Macarius ſuæ fidei profeſſionem hæreticam exhibuit, interrogatus & monitus, in ſuo errore ſtetit; Sic pariter & Stephanus illius diſcipulus de fide interrogatus, & repertus in ſuo errore pertinaciter perſiſtens, meritò damnatus fuit. Eadem regula ſervata fuit cum Polychronio; quoniam iſti hactenùs non damnati, ante ſynodalem ſententiam fuerant auditi, & proprio ore confeſſi ſunt ſe hæreſim profiteri. Ita agere in Synodis non eſt cedere à limitibus præfixis; quoniam, ut damnentur hæretici, qui profitentur falſum dogma, de quo in Synodo tractatur, conſequitur ad facultatem receptam de definiendo in cauſa fidei, ſive controverſi dogmatis, quandò perſonæ ſunt accuſatæ & vocatæ, & Synodo adſunt præſentes, vel contumaciter accedere renuunt. In cauſa verò Honorii non erat par ratio, quia nec damnatus antea, immò defenſus & abſolutus Apoſtolicæ Sedis judicio; nec præſens aderat, nec vocatus renuit, nec cauſa, ut fieri ſolet, examinata atque diſcuſſa, undè nullâ ratione damnari poterat, neque ſi voluiſſent, poterant, quoniam ipſorum non erat in eum proferre ſententiam, quem Sedes Sedes Apoſtolica in ſuis literis non exhibuerat judicandum, nec præſens fuerat.

862 Addo ad hæc Eccleſiæ catholicæ conſuetudinem in damnandis hæreticis, ſivè perſonis poſt eorum obitum, nondùm in vita damnatis, cum magna cautela ſemper ſe geſſiſſe, & nonniſi poſt grave examen ſententiam damnationis proferre conſueviſſe, liquet de Origene in pace functo, & poſt obitum damnato, ante cujus damnationem diverſa Concilia celebrata leguntur, in quibus ejus doctrina fuit ſubtiliter examinata; complures orthodoxi Viri libellos confecerunt in illius doctrinæ refutationem, adeout nonniſi poſt varia certamina & magnos labores deventum ſit ad illius damnationem. Cauſa quoque Theodori Mopſueſteni, Ibæ, & Theodoreti, quoniam jam in pace deceſſerant, diù agitata fuit, adeout Synodus v. œcumenica pro hac præcipuè illorum causâ congregata fuerit. Nonnè ergò ridiculum eſt credere, Synodum ſextam in cauſa fidei congregatam, ex ſola duarum Epiſtolarum lectione, quæ in rectum ſenſum jam fuerant explicatæ, abſque alio examine, ſine alicujus interlocutione, voluiſſe Honorium Romanum Pontificem à multis annis vitâ functum damnare? Ridiculum eſt quo-

quoque cogitare, quòd ſi in hanc præcipitem
ſententiam deſcendere voluiſſent Græci Pa-
tres, ſiluiſſent Sedis Apoſtolicæ Legati, &
nec verbum in ejus protuliſſent defenſam.
Nec relevat, ſi cum Natali dicas; Legatos
fuiſſe homines rudes & ignaros; certè non
erant tàm groſſi, ut omninò neſcirent quæ
Romę geſta erant in cauſa Honorii. Aderant,
præter Legatos, Epiſcopi; aderant & Mona-
chi ex Occidente ad Concilium miſſi, num-
quid omnes tàm rudes, tàm groſſi erant, ut
audientes pronunciari anathema in Roma-
num Pontificem, nullibi priùs damnatum, nec
unum verbum ſcirent proferre in favorem il-
lius & Apoſtolicæ Sedis, à qua, ut jura illius
tuerentur, miſſi fuerant? Et ſi rudes & non
tàm ſubtiliter periti in Scripturarum ſcientia
forent Legati, ut ſcribit Agatho in Epiſtola
ad Imperatorem, tamen quæ in ſanctis Con-
ciliis, quæ à Romana & Apoſtolica Eccleſia
definita fuerant optimè, ut idem Agatho ſcri-
bit, ſciebant, ad hoc inſtructi ex doctrina
Sanctorum Patrum, traditis quoque iiſdem
Codicibus afferendis eorundem Sanctorum
Patrum, ut per eos ſuggerere poſſent & ſa-
tisfacere in cauſa controverſi dogmatis; cùr
ergò ſatisfacere non poterant etiam ex geſtis
Romæ in defenſam Honorii, cùm ſatis dixiſ-
ſe ſuffeciſſet, Honorium Romæ, ac nullibi
fuiſſe damnatum, ejuſque literas optimè à
Joanne Papa in catholicum ſenſum interpre-
tatas; certè ad hoc proferendum non gran-
dis doctrina exigebatur. Undè à primo ad
ultimum prorsùs improbabile videtur dam-
natum Honorium in ſexta Synodo penitùs
tacentibus, nec contradicentibus Legatis, nec
uno ex Occidentalibus.

863 Deinde Acta Synodica exhibent Ho-
norium damnatum, tanquàm fautorem hære-
ticorum deprehenſum ex literis ipſius ad Ser-
gium datis, relectis in ea Synodo, quibus ad-
hærebat Sergio, poſtulanti tacendum voca-
bulum unius vel geminę operationis in Chri-
ſto Domino. Si enim ex hoc juſtè damnari
poterat, damnandus erat & Sophronius Epi-
ſcopus Hieroſolymitanus, qui eidem ſilentio
ſervando, ab eodem Sergio propoſito, con-
ſenſerat. Lectæ enim fuerunt & literæ Ser-
gii, in quibus conteſtabatur, Sophronium
acquieviſſe propoſito ab eo ſilentio; Cùr er-
gò Patres hæc audientes, anathema non di-
xerunt Sophronio, quemadmodùm ferunt
pronunciaſſe in Honorium? Eadem certè erat
cauſa; & ſi culpa fuit, non diſpar fuit; ac-
quievit Honorius propoſito à Sergio ſilentio,
conſenſit eidem, & in eadem numero cauſa
Sophronius, indemnis relinquitur Sophro-
nius, & damnatur Honorius; quis non videt
colluſionem in ipſis Actis Synodalibus?

864 Altera porrò conjectura Baronii, Bi-
nii, Bellarmini, & aliorum, quà oſtendunt,
non eſſe probabile ſextam Synodum damnaſſe
Honorium, nititur in iiſdem Agathonis lite-
ris datis ad Imperatorem: In eis namq; ſcri-
bit Agatho, prædeceſſores ſuos à tramite re-
ctæ fidei nunquam deviaſſe: „ Conſideret
„ itaque, *inquit*, veſtra tranquilla clementia,
„ quoniam Dominus, & Salvator omnium,
„ cujus fides eſt, qui fidem Petri non defe-
„ cturam promiſit, confirmare eum fratres
„ ſuos admonuit, quòd Apoſtolicos Ponti-
„ fices meæ exiguitatis prædeceſſores confi-
„ denter feciſſe ſemper, cunctis eſt cognitum;
„ *Et infrà*. Eximenda proinde, *inquit*, ac
„ ſummis conatibus, cum Dei præſidio libe-
„ randa eſt ſancta Dei Eccleſia, chriſtianiſſi-
„ mi veſtri Imperii Mater de talium Docto-
„ rum erroribus, & Evangelicam atque Apo-
„ ſtolicam orthodoxæ fidei rectitudinem, quę
„ fundata eſt ſupra firmam Petram hujus Bea-
„ ti Petri Apoſtolorum Principis Eccleſiæ,
„ quæ ejus gratiâ atque præſidio ab omni er-
„ rore illibata permanet, omnis Præſulum
„ numerus ac Sacerdotum, Cleri ac Popu-
„ lorum unanimiter ad placendum Deo, ani-
„ mamque ſalvandam, veritatis formulam
„ Apoſtolicæ traditionis nobiſcum confitea-
„ tur & prædicet. *Hæc Agatho*. Sed & Ro-
mana Synodus ſub eodem Agathone in Sy-
nodica miſſa ad Imperatorem, pariter recita-
ta Actione IV. ſextæ Synodi, ſimiliter incul-
cat, inquiens; „ Credimus autem, quia quod
„ paucis, raròque conceſſum eſt, à Deo coro-
„ nato veſtro Imperio divinitùs concedetur,
„ ut per ipſum Catholicæ atque Apoſtolicæ
„ veræ noſtræ Fidei ſplendidiſſimum in om-
„ nium mentibus emicet lumen, quod ex ve-
„ ri luminis fonte, tanquàm de radio vivifici
„ fulgoris, per Miniſtros Beatos Petrum &
„ Paulum Apoſtolorum Principes, eorumq;
„ Diſcipulos & Apoſtolicos Succeſſores, gra-
„ datim uſque ad noſtram parvitatem, Dei
„ opitulatione, ſervatum eſt, nullâ he-
„ retici erroris tetrâ caligine tenebrarum,
„ nec falſitatis nebulis confœdatum, nec in-
„ termixtis hæreticis pravitatibus, velut ca-
„ liginoſis nebulis perumbratum, immune
„ atque ſyncerum & ſuis radiis perluſtratum
„ piis ſuis conatibus conſervare cupit ve-
„ ſtrum à Deo coronatum faſtigium. *Hacte-
nus ibi*.

865 His ſtantibus, ait Baronius. Audiſti
Lector, quàm liberè aſſerat, ac fortiter in-
culcet, firmiterque aſſeveret Sanctiſſimus
Agatho Papa, nullâ hæreticæ pravitatis ſuſpi-
cionis labe hactenùs aſperſam fuiſſe Apoſtoli-
cam Sedem, nullum prædeceſſorem defeciſſe
à catholicę pietatis aſſertione atque defen-
ſione. At quomodò iſta tàm liberè potuiſſet
tantus Pontifex conteſtari, ſi in eadem hæ-
reſi, quam ſuâ Epiſtolâ ipſe Agatho adeò va-
lidè inſectatur, Honorius, cujus recens ad-
hùc memoria erat, iiſdem hæreticis ignomi-
niosè manus dediſſet, & eundem cum illis
errorem confoviſſet? *Hæc Baronius* ad An-
num 680. ſub num. 17. Binius verò in Notis
ad

ad ſextam Synodum, ex allatis teſtimoniis, hanc conficit rationem, nimirum, quòd ſexta Synodus non potuerit damnare Honorium, niſi cum Agathonis Epiſtola pugnaret, ſibique ipſi contradiceret. Agatho enim, inquit, in Epiſtolâ ſua ad Conſtantinum Imperatorem apertè ſcribit, Sedem Petri neque defeciſſe unquam, neque deficere, ſuorum Prædeceſſorum neminem in fide vera aberraſſe. Quod ſi verum eſt, quis credat, Patres Sanctiſſimi Concilii, Honorium Agathonis prædeceſſorem ob hæreſim Monothelitarum condemnaſſe? Actione VIII. & XVIII. profitentur iidem Patres, Petrum allegatâ Epiſtolâ per Agathonem locutum fuiſſe, ſcriptamque Epiſtolam à Spiritu Sancto dictatam eſſe; quis credat, eundem Spiritum Sanctum in hoc contrarium eſſe locutum, judicioque Synodali ob crimen hæreſeon Honorium Papam condemnaſſe? Quæ cùm nemo Virorum prudentium unquam aſſeruerit, neceſſum eſt fateri, Acta hujus Concilii omnibus iſtis locis, quibus Honorius Monothelitis annumeratur ab æmulis Romanæ Eccleſiæ corrupta eſſe. *Hæc Binius*. Et eodem pacto arguit Cardin. Bellarminus loco ſupracitato.

866 At Natalis Alexandri loco antefato concluſ. 2. ait, Agathonis verba in eo ſenſu interpretanda eſſe, quo Romani Pontifices privilegio gaudent infallibilitatis, dùm nimirùm ex Cathedra docent, nondùm ut privati Doctores ſententiam ſuam particularem proferunt; Undè ait: Reſpondeo, quòd Agatho de ſuis deceſſoribus dixit, ipſos ſemper confirmaſſe fratres in fide, intelligendum eſſe de Pontificibus, quatenùs ex aſſiſtentia ſingulari Spiritus Sancti, ut omnium Chriſtianorum Patres ac Doctores, aliquid credendum, judicando & definiendo propoſuerunt; non verò de iiſdem in ſingulis vitæ ſuæ geſtis, vel in privatis Epiſtolis ad ſingulos datis. *Et infra*. Indeficientis itaque judicii, ait, Privilegium Romanis Pontificibus ita non convenit, ut errare non poſſint vel hæreſim aſſerendo, vel eam fovendo, & connivendo hæreticis, qua homines privati ſunt, & cùm Epiſtolas privatas ſcribunt ad aliquos Patriarchas aut Epiſcopos, qualem Honorius ad Sergium ſcripſit. *Hæc & alia plura* ejuſdem argumenti ſubnectit Natalis Alexandri.

867 Verùm Agatho, dùm ſcribit, ſuos prædeceſſores unquam à tramite rectæ fidei deviaſſe, magis perſonas reſpicere videtur, quàm Cathedram; quoniam non ſolùm aſſerit id de ſuis prædeceſſoribus, verùm & de ipſa Eccleſia Romana, quaſi quòd dicens prædeceſſores, conſideret eorum perſonas, & dicens Eccleſiam Romanam, in qua etiam Pontifices comprehenduntur, innuat Cathedram docentem. Deinde loquitur comparativè ad Patriarchas Orientis, qui ſæpè in hæreſim lapſi ſunt, undè videtur comparare perſonas ad perſonas. Et ideò paulò infra ſubjungit in ſua Epiſtola Agatho: „ Undè & Apoſtolicæ memoriæ meæ parvitatis prædeceſſores, Dominicis doctrinis inſtructi, ex quo novitatem hæreticam in Chriſti immaculatam Eccleſiam Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Præſules introducere conabantur, nunquam neglexerunt eos hortari, atque obſecrando commonere, ut à pravi dogmatis hæretico errore, ſaltèm tacendo deſiſterent, nè ex hoc exordium diſſidii in unitate Eccleſiæ facerent, unam voluntatem, unamque operationem duarum naturarum aſſerentes in uno Domino noſtro Jeſu Chriſto. *Hæc ibi*. Ex quo valdè eſt obſervandum, quòd talia ſcribendo Agatho, disertè eximit Honorium à labe hæreſis propter indictum ſilentium. Sanè verba illa: *Nunquam neglexerunt eos hortari, atque obſecrando commonere, ut à pravi dogmatis hæretico errore, ſaltèm tacendo, deſiſterent*, ad Honorium directa videntur; quoniam in controverſia de una, vel gemina in Chriſto operatione, de qua Agatho in terminis loquitur, ſolus Honorius, ut deſiſterent à pravi dogmatis errore, tacendo ſaltèm, admonuit. Commendat ergò Agatho Honorium, qui ſilentium indixerat in exordio hujus controverſiæ, non minùs ac cæteros Prædeceſſores, qui hæreſim damnarunt. Non ergò pro Monothelita habere potuit ex eo quòd ſilentium indixerat; proindè non eſt probabile voluiſſe Concilium, qui literas Agathonis, ut à Spiritu Sancto dictatas, recepit, damnare Honorium tanquàm hæreticum, eò præcisè, quòd ſilentium in prælibata controverſia indixerit, quandò ipſe Agatho commendat illius diligentiam in eo, quod admonuerat, ut, ſaltèm tacendo, deſiſterent ab errore. Quare in Epiſtola Synodica ſuos omnes Prædeceſſores, nemine excepto, collaudat, quòd ejuſmodi hæreticorum conatibus fortiter reſtitiſſent, inquiens: „ In hoc enim tàm Apoſtolicæ Sedis, quàmque noſtri exigui famulatus Prædeceſſores uſque adhùc non ſinè periculis deſudarunt, nunc decretali commonitione cum Apoſtolicis Pontificibus conſulentes, nunc Synodali definitione, quæ veritatis regula continebat, omnibus innoteſcentes & ſempiternos terminos, quos transgredi nefas eſt, uſque ad animæ ipſius exitum conſtanter defendentes, non blanditiis, non periculis territi. *Hæc Agatho*.

868 Ad hæc & altera accedit ratio, probans Honorium non fuiſſe in ſexta Synodo damnatum, quoniam in literis Synodicis datis ad Agathonem Papam fatentur Patres, ſe damnaſſe Monothelitas, juxta tenorem ſententiæ ab ipſo in eoſdem latæ: „ Ac ipſos, *inquiunt*, ut lapſos circa fidem ac peccatores, in matutinis extra Caſtra atriorum Dei, ut Davidicè loquamur, anathematibus interfecimus, ex ſententia per ſacras veſtras literas de iis priùs lata, videlicet

Theo-

„ Theodorum Epiſcopum Pharam, Sergium, „ Honorium, Cyrum, Paulum, Pyrrhum, & „ Petrum. *Hæc ibi*. Quibus recitatis à Baronio ad annum Domini 681. ſub num. 70. ſubjungit ſtatim, inquiens: Hæc dum Patres habent, & profitentur, ut ſæpè dictum eſt, ſe ex literis ipſius Agathonis nominatos homines condemnaſſe, certè de nomine Honorii ſupradicto vehemens eſt ſuſpicio de impoſtura: ſiquidem in literis Agathonis nulla penitùs de Honorio ignominoſa mentio facta eſt, ſed honorifica potiùs, dum eum non excipit à laude omnium prædeceſſorum, quorum prædicat illibatam Catholicam fidem. *Hæc Baronius*. Rectè ergo argui poteſt ſic: Patres ſextæ Synodi in damnandis hæreticis profitentur in eorum ſynodica ſe ſecutos eſſe ſententiam in eoſdem latam ab Agathone in ſuis literis in eadem Synodo recitatis expreſſam; atqui in literis Agathonis non damnatur Honorius, nec conſtat ex eis Agathonem ſententiam pronunciaſſe adversùs Honorium, ergo ſequitur nec ſextam Synodum, ſecutam Agathonis ſententiam, Honorium damnaſſe, ac proinde nomen Honorii inſertum in Actis fuiſſe ab aliquo Impoſtore.

869 Huic argumento occurrit Natalis Alexandri reſpondens, Agathonem præcipuos dumtaxat Monothelisſmi auctores, ac ſectæ velut anteſignanos nominatim damnaſſe, non autem ſectatores omnes & fautores. Hoc oſtendit ex ipſius Agathonis verbis dicentis: *Nunc neceſſe eſt, ut novi dogmatis intentio, quoſnam ſecuta ſit, & quorum Doctorum auctoritate fulciatur, annotemus*. Quibus recitatis, *ſubjungit* Natalis, tum omnes perſtringit à Cyro uſque ad Petrum Hæreſeos auctores & doctores impietatis. Quos inter non mirum, quod prætermiſerit Honorium, & illum nihilominus damnaverit ſexta Synodus. Ipſum namque non damnavit Agatho nominatim, quia auctor aut ſectator hæreſeos non fuit. Ipſum verò damnavit ſexta Synodus, ut hæreſeos fautorem, utique hæreticorum communione maculatum. Etſi igitur Agatho paucos illos Hæreſiarchas notaverit, non tamen in eos ſolùm ferendam à Synodo definivit ſententiam: quin potiùs in omnes univerſim cùm authores tùm ſectatores, ac fautores hæreſeos pœnam ſignificavit extendendam. *Reſtat*, inquit, *ut à Deo coronata veſtra clementia piis favoribus, victoriæ coronâ redimita veritas fulgeat, & novitatis error cum ſuis inventoribus, & ijs qui eorum doctrinam ſequuti ſunt, propriæ præſumptionis pœnam exolvat*. Sicut igitur malè quis colligeret, Macarium, Stephanum, Polychronium à ſexta Synodo non fuiſſe damnatos, quia illos nominatim non damnavit, ità malè colligit Baronius, Honorium à ſexta Synodo non fuiſſe damnatum, quia cum nominatim non proſcripſit Agatho. *Hæc Natalis Alexandri*.

870 At, conceſſo etiam quòd Agatho primarios Auctores, ac ſectæ Monothelitarum anteſignanos & principes nominatim dumtaxat damnaſſet, & hujus rei cauſa omiſiſſet Honorium, quia auctor non fuit, ſed tantùm, ut inquiunt, vel ut inquit Natalis, fautor: cur non inter fautores recenſetur à ſexta Synodo, ſed inter primarios auctores? Etenim poſt Theodorum Pharanitanum & Sergium, ante Cyrum, Paulum, Pyrrhum, & Petrum, qui Principes hujus ſectæ fuerunt locum tenet Honorius: ſi enim Sancta Synodus damnare voluiſſet Honorium ut hæreſis tantùm fautorem poſt eos adnumerare debebat, & inter eos quos poſtea ut fautores & ſectatores recenſet, Macarium ſcilicèt, Stephanum, & Polychronium. Deinde optimè Sancta Synodus ea in Epiſtola diſtinguit quos damnavit ex ſententia Agathonis, quos verò præter ſententiam, & acceſſoriè repertos ſcilicèt ejuſdem hæreſis ſectatores, & fautores. Dicunt ergo: *Anathematibus interfecimus ex ſententia per ſacras veſtras literas de jis priùs lata, videlicèt, Theodorum Epiſcopum Pharan, Sergium, Honorium, Cyrum, Paulum, Pyrrhum, & Petrum*. Hos ergo ex lata Agathonis ſententia profitentur ſe damnaſſe, quod apertiſſime manifeſtat adjunctum adverbium, *videlicèt*: Quos poſtea præter ſententiam Agathonis repertos ſcilicèt ejuſdem hæreſis fautores & ſectatores, à ſe damnatos referunt, in ſubſequentibus ſua adhibita diſtinctione recenſent, dum inquiunt: *Ad hoc autem & poſt eos anathematibus hæreticorum juſtè ſubjecimus & eos, qui vivunt ſuſcepta illorum impietate, vel ut apertiùs dicatur, Apollinarii, & Severi, & Themiſtii exoſorum Deo, Macarium qui fuit Antiochenſium Magnæ Urbis Epiſcopus, quem & paſtoritia pelle meritò ipſius denudavimus, propter impœnitentiam ejus circa orthodoxam fidem & obſtinatam pervicaciam: & Stephanum ejus ad amentiam diſcipulum, ad impietatem doctorem. Item Polychronium, qui in dogmatibus hæreticis nomini ſuo reſpondens, inveteravit: eos denuum, qui ſimilia atque his, impœnitenter docuerunt, aut docent, aut ſentiunt, aut ſenſerunt*. Hactenus ibi. Patet ergo Honorium eſſe recenſitum inter primarios hæreſis damnatos auctores, quos à ſe damnatos pronunciant Patres ex Agathonis ſententia: nequaquam inter fautores, & præter ſententiam Agathonis: Quòd ſi juxta Natalis etiam opinionem, ut fautor debuerat damnari, non ut Princeps & hæreſis anteſignanus, ſequitur evidenter nomen Honorii inter damnatos à ſexta Synodo à Monothelita impoſtore inſertum, & appoſitum: & eò maximè, quòd in Actis omnibus ſextæ Synodi nomen Honorii invenitur repoſitum inter primarios hæreticos, ſicut & ſermone proſphonetico, ac etiam & in Edicto Imperatoris, nunquam inter fautores.

871 Porrò in Epiſtola Synodica ejuſdem Agathonis & Romanæ Synodi ad Conſtantinum

num Imperatorem data, eos tantum ſcribitur ad ea Synodo damnatos, qui fuerunt hujus hæreſis auctores, & qui eis conſentanei uſque in finem demonſtrati ſunt: ſolùmve pro auctoribus numerantur Theodorus, Cyrus, Sergius, Pyrrhus, Paulus, & Petrus: *Quorum auctores extiterunt*, inquit, *Theodorus Pharanitanus, Cyrus Alexandrinus, Sergius, Pyrrhus, Paulus, & Petrus Conſtantinopolitani, vel quivis eis conſentanei uſque in finem demonſtrati ſunt*. Ex quo textu duo colliguntur, primum, quòd nulla mentio facta eſt de Honorio. Alterum, quòd neque adnumerari poteſt inter eos, qui uſque in finem errori conſentanei demonſtrati ſunt: quoniam & ſi malam opinionem concepiſſet Honorius, quod quidem falſum eſt, probari tamen non poteſt in ea uſque in finem perſeveraſſe. Nec relevat reſponſio Natalis Alexandri dicentis; perſeveraſſe Honorium uſque in finem in concepto errore, compertum fuiſſe Patribus ſextæ Synodi, ex ipſius Honorii Epiſtolis, quas expenderunt, & quas nunquam retractavit, nullumque prolatum fuiſſe monumentum, quod Honorium excuſaret, eumque Monothelitis imprudenti & damnandâ œconomiâ non fauiſſe probaret, & cum ipſis non communicaſſe, ac eorum loquendi modum uſurpaſſe. Nihil, inquam, relevat hujuſmodi reſponſio, quoniam ſatis probatum eſt ſupra, Honorium in ejus literis nihil hæreticum pronunciaſſe, imò Catholicam fidem de duabus in Chriſto operationibus palàm in eis docuiſſe: Indictum ſilentium in illo rerum ſtatu non fuiſſe pravæ opinionis argumentum, cui ut ſæpè fati ſumus etiam Sophronius adhæſit.

872 Optimè ergo Binius in notis ad ſextam Synodum, *ait*: Quod niſi concedatur Acta ſynodalia in iis, quæ cauſam Honorii concernunt, corrupta & depravata fuiſſe, oporteat fateri, univerſam Synodum Sanctiſſimam intolerabilis erroris, impudentiæ & injuſtitiæ notam indelebilem incurriſſe. Intolerabilis error foret, ſi unam atque alteram Epiſtolam Honorii, ducenti octoginta novem Patres non intellexiſſent, quavè intentione ea ſcripta fuiſſet, ex circumſtantiis temporis, loci, ac perſonarum non advertiſſent, item quæ locorum dubiorum foret interpretatio, ex vulgata illa & celebri diſputatione Maximi cum Pyrrho habita non audiviſſent. Magna eſſet impudentia, ſi Apoſtolicam Sedem, quæ communi antiquiſſimorum Patrum ſententia judicat omnes & à nemine judicatur, ipſi jam præcipitato judicio condemnare præſumpſiſſent, cùm aliàs ob damnationem Theodori Mopſueſteni, aliorumque minoris auctoritatis & dignitatis Epiſcoporum, totum terrarum Orbem commoveri, Synodumque œcumenicam congregari opus fuiſſet. Gravis eſt injuſtitia ſinè cauſa juſta damnare innocentem, atque citrà legitimam, debitamque proceſſus formam etiam nocentem & criminis reum condemnare: Si Patres œcumenici Concilii Honorium condemnaſſent, ſinè cauſa damnationis ſententiam in eum intuliſſent: Epiſtolæ enim quas ad Sergium ſcripſit, & quarum cauſâ damnari perhibetur, Catholicæ ſunt, & nulla hæreſis ſuſpicione laborant: Siquidem ambæ clariſſimè teſtantur, ipſum ſenſiſſe & docuiſſe in Chriſto duas eſſe voluntates & operationes, & ſolùm voluiſſe abſtineri à nominibus unius, vel duarum, ad ſcandalum tollendum, & contentionem ſedandam. *Hæc in terminis Binius*.

873 Eadem quoque & alia ejuſdem argumenti profert Baronius ad annum 681. numero 22. *inquiens*. Si à Synodo factum eſſet, ut Acta, quæ extant, edocent, nihil iniquius, nihil imprudentius, vel ineptiùs poteſt excogitari. Si enim ob damnationem muſcæ mortuæ (ita dixerim) Theodori Mopſueſteni, & condemnationem Scriptorum Theodoreti & Ibæ Orientalium ſub aliis Sedibus conſtitutorum Epiſcoporum, totum Orbem terrarum oportuit commoveri, Synodumque œcumenicam congregari, & non ſinè maximo labore ac vix tandem obtineri valuit: quomodo accidere potuit, ut unius dumtaxat lectione Epiſtolæ, tanquam Cœlo ſereno repentè fulmine miſſo, condemnatus fuerit primariæ Sedis Antiſtes, de qua illa eſſe conſuevit omnium vox in Synodis: *Prima Sedes omnes judicat, & à nemine judicatur?* Quomodo lecta Epiſtola antea cum auctore damnata fuit, quàm examinata? Sed & ſi examinata fuiſſet, & hæretica inventa eſſet, nonne antequam cum ea damnaretur ipſius auctor, oportuiſſet exactè diſquiri, num uſque ad obitum in eadem ſententia perſtitiſſet? Quem certè non perſtitiſſe illud neceſſariò demonſtrabat, quòd ſemper Romæ Catholicus habitus, in Catholica pariter communione diem clauſiſſet extremum, id enim toti Chriſtiano Orbi notiſſimum erat, quòdque uſque in hanc diem tot Romani Pontifices ejus ſucceſſores, & inter alios Sanctiſſimus Papa Martyrque Martinus ejus memoriam, ſicut aliorum Pontificum honorificè in Synodo fuerint proſequuti. *Hæc Baronius*.

874 Et ſanè in Synodo Lateranenſi ſub Martino I. celebrata, pauló poſt defunctum Honorium, nec levis quidem mentio legitur facta de Honorio, nec de ejus cauſa; non à Martino, non ab Epiſcopis interloquentibus, & tamen Monothelitarum cauſa accuratè diſcuſſa & tractata eſt: unde inter damnatos hæreticos, nomina tantum Theodori, Cyri, Sergii, Pyrrhi, Pauli, & Petri recenſentur adnotata. Sic pariter in Epiſtola Encyclica ad omnes Chriſti fideles, ubi dicitur: *Subintrojerunt quidam homines, qui olim proſcripti ſunt, in hoc judicium impietatis ſpontè procedere*, hoc eſt, *Theodorus quondam Epiſcopus Pharanitanus, Cyrus Alexandriæ, Sergius Conſtantinopolitanus, vel ejus ſucceſſores Pyrrus*,

rus, & *Paulus*. Et in Epiſtola ejuſdem Martini data ad Conſtantem Imperatorem de damnatis Monothelitis iidem inter hæreticos damnatos recenſentur: De Honorio verò altum eſt Silentium: quòd ſi de ejus fide dubitatum fuiſſet, nullibi ejus cauſa aptiùs tractari potuiſſet, quàm Romæ coràm ipſo Pontifice, & in Synodo in cauſa ejuſdem hæreſis congregata, & tempore quo recens erat adhuc ejuſdem Honorii memoria; Id quod non ſolùm factum non legitur, verùm idem Martinus in Epiſtola data ad Eccleſiam Hieroſolymitanam & Antiochenam, cujus initium, *gratia vobis & pax*, poſt recenſitos damnatos in ea Synodo hæreticos, fidem laudat ſuorum prædeceſſorum Romanorum Pontificum, nemine excepto, *ait* namque: „ Scire enim „ vos volo fratres, de rebus præſentibus, „ ideſt, de furibus, qui temporibus noſtris „ inſurrexerunt contrà orthodoxam fidem, „ nempè Theodoro qui fuit Epiſcopus Pharan, & Cyro qui Alexandriæ, & Sergio „ qui Conſtantinopolis, & ejus ſucceſſoribus Pyrrho & Paulo: quòd hi per propriam „ hæreſim valdè moliti ſunt perfodere, & „ Theſauros ſivè dogmata Eccleſiæ Catholicæ expilare. *Et his dictis, ſtatim ſubjungit*: „ Nos verò, ideſt hujus Apoſtolicæ Sedis „ Pontifices, ad cuſtodiam domus pervigiles, juxta præceptum Domini, non permiſimus eos hanc effodere, vel fidei ſubripere Theſaurum. Et in Encyclica. Ideoque „ propter pravas eorum adinventiones, & „ praviora novitatis commenta, & in interiora cordis, juxta Beatum Hieremiam, „ conturbati Catholicæ recordationis anteceſſores noſtri Pontifices non deſtiterunt „ admonentes eos, & conteſtantes recedere à „ ſua ejuſmodi hæreſi, & ſanam doctrinam „ amplecti, nequando iraſcatur Dominus, „ & pereant funditus de via juſtorum. *Hæc* „ *Martinus*.

875 Dùm ergo tàm ſecurè, & abſque ulla trepidatione commendat Martinus ſuorum prædeceſſorum ſtudium, nullius facta exceptione, in damnanda Monothelitarum hæreſi, fit evidens neminem ex ejus anteceſſoribus hujus labe maculatum fuiſſe: quòd ſi Honorius creditus fuiſſet in eam lapſus, tàm abſolutè de omnibus loqui non potuiſſet. Immò ex eo quòd in Epiſtola ad Eccleſiam Antiochenam, & Hieroſolymitanam nominatis, Sergio, Cyro, Pyrrho, Theodoro, & Paulo præfatæ hæreſis auctoribus, ſtatim eis oppoſuerit ſtudium ſuorum prædeceſſorum in cuſtodiendo illibato fidei Theſauro, videtur datâ operâ eximere voluiſſe omnes ſuos prædeceſſores ab ejuſdem hæreſis ſuſpicione, præcipuè Honorium, cujus cauſa, ut antefati ſumus, ſub Joanne Papa fuerat jam examinata, atque Honorius Catholicus repertus: Et hac eadem de cauſa in Synodo Lateranenſi nulla de ea facta fuit inquiſitio, utpote jam abſoluta & definita à prælibato Joanne & Romano Clero; quemadmodùm pariter & Agatho in Romana Synodo ſe abſtinuit ab eadem cauſæ cognitione, utpote quæ in controverſiam ampliùs revocanda non erat, ſemel jam examinata.

876 Ad hæc verò Natalis Alexandri reſpondet, Martini primi & Patrum Lateranenſium ſilentium, tacitam potiùs fuiſſe damnationem, quàm defenſionem. Enim verò, *inquit*, ſtatim ac Cyrus viſus eſt ſuſpicionem ingeſſiſſe vel leviſſimam receptæ à Severino Ectheſeos, eò quòd ſcripſiſſet: *Quam debet profiteri communis frater noſter Severinus Sanctiſſimus, qui creatur Romæ*, ſtatim inquam, atque hæc facta eſt ſuſpicio, inſurrexit Martinus I. & ſua ſpe deluſum oſtendit hæreticum hominem, cum Apoſtolica Sedes impiam Ecthesin reprobaverit: At verò cum recitata eſt in eodem Concilio Lateranenſi Secretario IV. Pauli Conſtantinopolitani ſynodica, qua laudat Honorium ut Sergio concordantem & conſonantem, nec verbum quidem protulit Martinus, aut quivis alius Epiſcoporum in defenſionem Honorii. Quod argumento eſt, nihil ipſis occurriſſe, quo labem conſenſionis cum Sergio, ſaltem in ſuppreſſione vocabulorum unius, vel duarum operationum, & ſimilis penè in omnibus cum ipſo loquendi modi, ab Honorio depellerent. *Hæc Natalis*, qui poſtea ſubjungit Martinum in Epiſtola ad Eccleſiam Antiochenam & Hieroſolymitanam, per illa verba: *Nos verò, ideſt, hujus Apoſtolicæ Sedis Pontifices non permiſimus eos fidei ſubripere Theſaurum*, non indicare Honorium, aut alios ejuſdem Martini deceſſores, ſed ſe ipſum, & Epiſcopos Romano Patriarchatui ſubditos, qui Monotheliſmum ſynodaliter damnarunt. Id quod ex tenore ſequentium verborum demonſtrare conatur: Cùm ſubjungat Pontifex: *Sed ipſos catenis impiæ eorum & adulterinæ doctrinæ conſtringentes, accurata demonſtratione & examinatione eorum, quæ ab ipſis contra fidei Chriſtianæ integritatem ſcripta ſunt, tùm ipſos, tùm ea, quæ impiè docuerunt igne Canonicæ ſententiæ veluti mala Zizania exurentes, ſynodaliter condemnavimus, ubique omnibus eorum hæreſim publicantes*. Hactenus Natalis.

877 Atqui vim non enervat argumenti ejuſmodi adducta à Natali reſponſio: quoniam in re tanti momenti non ſatis erat ſilere, ut pro damnato haberetur Honorius unus ex Romanis Pontificibus; nullibi enim ante Lateranenſem Synodum conſtat fuiſſe damnatum, ut ex ſilentio illius argui poſſet, damnationem confirmaſſe. Paritas allegata de defenſa accepta à Martino I. pro Severino Pontifice, de quo Cyrus ſcripſerat ſe ſperare eum recepturum Ecthesin non probat intentum: quoniam nec in ea Epiſtola Cyrus ſcripſerat Severinum Ecthesin recepiſſe, ut in ſuſpicionem hæreſis devenire potuiſſet, ſed tantùm, quòd deberet profiteri: *quam debet*

profiteri, inquit, *communis frater noſter Severinus Sanctiſſimus, Deo adjuvante, qui ordinatur in Roma*. Tantùm enim abfuit, ut illam profiteretur, quòd eam apertè damnaverit; Id quod notum erat nedùm Romano Clero, ſed univerſo Orbi chriſtiano, tàm in Occidente, quàm in Oriente; Undè Martinus ſolùm ſubjunxit, fraudatam eſſe hæreticorum ſpem: *Ceciderunt*, inquit, *autem à ſua ſpe, mentiti contra caput proprium. Nec enim ſuſcepta eſt omninò, aut dimiſſa eſt ſecundùm vanam eorum ſpem, magis autem condemnata eſt & anathematizata ab Apoſtolica auctoritate hùc tranſmiſſa peſſima & præſumptæ novitatis eorum Ecthèſis*. Quæ quidèm verba non videntur dicta quaſi Severinus in aliquam vel leviſſimam hæreſis ſuſpicionem incurriſſet, ut ſcribit Natalis, ſed magis hæreticos ipſos de illorum temeritate arguendo, & Apoſtolicam Sedem de ſuæ fidei commendando integritatem. Quòd porrò tacuerit Martinus recitatâ Pauli Epiſtolâ, qua laudabatur Honorius, quòd Sergio adhæſiſſet, approbando propoſitum ab eodem Sergio ſilentium, non probat ſanctam illam Synodum pro damnato habuiſſe Honorium, ſive pro hæretico Monothelita; immò potiùs è contrario, ſcientes Patres jam purgatum ab hæreſis ſuſpicione Honorium ſub Joanne illius ſucceſſore, parvipenderunt dicta Pauli, nihil addere curantes, quòd Honorio faveret, cujus cauſam examinatam & definitam in ipſa Urbe Roma ſatis conſtabat.

878 Deinde aut Patres Lateranenſis Synodi ex lectura Epiſtolæ Pauli ſuſpicati ſunt Honorium hæreſi Monothelitarum adhæſiſſe, necnè? Si non, ſatis erat cauſam illam præterire ſilentio, nihil dicere habentes pro Honorio ab omnibus jam habito pro catholico: Si ſic, ſatis non erat ſilère, ut pro hæretico judicaretur; nemo enim Judicis condemnatur ſilentio; Honorius nondùm hęreticus judicatus, ſi ut hæreticus cognitus fuiſſet à Patribus Synodi, voce damnari oportuiſſet, nec ſuffeciſſet ſilère. Tolerabilis eſſet aliquo modo Natalis reſponſio, ſi alicubi ante Synodum Lateranenſem conſtitiſſet damnatum Honorium: Cùm verò hoc non conſtiterit, malè infertur ex Patrum ſilentio illius damnatio; Immò ſi ex lectura Epiſtolæ Pauli in ſuſpicionem hæreſis coràm Patribus incurriſſet Honorius, ex more, illius cauſa examinari debuiſſet, nec ſine cenſura Patres illam ſilentio præterire potuiſſent, & præcipuè conſedentes Synodo adversùm prædictam hæreſim unicè congregatæ. Praxis omnium Synodorum nunquam fuit præterire ſilentio cauſas de hæreſi ſuſpectorum, ſed magis ſumma cum diligentia examinare & cognoſcere.

879 Denique parùm relevat quòd ſubjungit ad ea, quæ Martinus ſcribit in Epiſtola ad Eccleſiam Antiochenam & Hieroſolymitanam de ſuorum prædeceſſorum fide; quoniam Sanctiſſimi Pontificis mens aperitur clariſſimè in Epiſtola Encyclica, cujus verba recitavimus; ait namque: *Conturbati catholicæ recordationis anteceſſores noſtri Pontifices non deſtiterunt admonentes eos, conteſtantes recedere à ſua ejuſmodi hæreſi*; quæ ſanè verba referri nullo modo poſſunt ad ſeipſum & Epiſcopos Romano Patriarchatui ſubjectos; ac proinde ex illius in hac Epiſtola apertiſſimâ ſententiâ ſequitur etiam loqui de Romanis Pontificibus prædeceſſoribus etiam dùm ait: *Nos verò hujus Apoſtolicæ Sedis Pontifices*; Et quando etiam eâ in Epiſtola ſolùm intelligeret ſeipſum & Epiſcopos Romano Patriarchatui ſubjectos, ut vult Natalis, adhùc noſtra ratio vim haberet ex iis, quæ habet in Epiſtola Encyclica, ubi dubitari non poteſt, quin loquatur de ſtudio ſuorum prædeceſſorum Pontificum Romanorum in conſervanda fide catholica, & in reſiſtendo hæreticorum conatibus. Niſi fortè Natalis diceret loqui de ſuis prædeceſſoribus ex Cathedra loquentibus, quomodò expoſuerat Agathonis literas, ut antefati ſumus; cui reſponſioni jam ſatisfecimus. Ultraquàmquod non eſt neceſſe Romanos Pontifices ut admoneant hæreticos, quatenùs recedant ab eorum falſis dogmatibus, quod feciſſe ſcribit Martinus, loqui ex Cathedra.

880 Prætereà aliam conjecturam addit Baronius loco mox citato ſub num. 19., inquiens: Inſuper quòd ad eam ſententiam in Honorium latam, dùm ejus damnationis illa unica cauſa exprimitur, quòd (ut ibi dicitur) ſcribens ad Sergium, mentem ejus ſecutus eſt, & impia dogmata confirmavit. Quàm id longè procùl ſit à veritate, quæ diffusè ſuperiùs dicta ſunt, dùm ſuo loco & tempore eandem Epiſtolam recitavimus, dilucidè ſatis oſtendunt, ut ipſe eadem repetendo, poteris intelligere. Sed eſto, demus eandem Honorii Epiſtolam convictam fuiſſe (quod dici non poteſt) hæreticam; numquid ex ea continuò damnandus à Synodo erat ipſe Honorius, & non more majorum diſquirentium, an inveniri poſſet ipſum recantaſſe Palinodiam, vel potiùs in eodem errore eſſe defunctum? Sed & quòd ſciretur extare poſterior ejuſdem Honorii Epiſtola ad eundem Sergium reddita, cùr non expectata eſt ejus editio atque lectio, quæ in ſequenti Seſſione poſtea ſecuta eſt, ex qua certo argumento demonſtraretur idem Pontifex aſſertor eſſe duarum operationum, & totidèm in Chriſto voluntatum, ut ſuperiùs, cùm de ea egimus, perſpicuè eſt demonſtratum? Quem non de impoſtura ſuſpectum reddit pręcox iſta atque præpoſtera, immò veloci impetu præcipitata de Romanæ Sedis Pontificis condemnatione ſententia? *Hæc in terminis Baronius*. Quæ ſanè conjectura eſt valdè obſervanda, magnique ponderis, cùm non videatur probabile ante alterius Epiſtolę lectionem, Synodum voluiſſe Pontificem Roma-

ma-

manum damnare, ſcientes Patres aliam ejuſdem eſſe recitandam Epiſtolam. Addit inde ſub num. 23. An non decebat, inquiens (ut in rebus minoris momenti in aliis Synodis factum legimus) ut antea de his Agatho Papa conſuleretur, quàm de eo condemnationis ſententia proferretur? Siccinè in cauſa tanti momenti abſque defenſore, abſque perendina ulla dilatione, abſque aliquali facta de Honorii fide inveſtigatione, uno eodemque contextu, non negatis ſententiis ſingulorum; præcipitata eſt potiùs, quàm prolata de ejus damnatione ſententia? Non ſic Clericulus quiſpiam conſuevit aliquandò damnari, non laicus homo, defunctus preſertim, ab Eccleſia ejici: Dixerim ampliùs; non famoſus hæreticus, immò nec hæreſiarcha (ut eſt exemplum de Theodoro Mopſueſteno) ita uno impetu, ducto uno calami condemnari, niſi multo temporis ſpatio antea judicio ventilato, iterùm repetito, diſcuſſo ſæpiùs & quæ objici contra potuiſſent diligentiùs examinatis atque ſolùtis: Nihil hujuſmodi in Honorio, non ſecùs ac ſi agendum fuiſſet de homine in aliis ſæpè Synodis prædamnato, atque ab omnibus & ubique execrationibus impetito. *Hæc Baronius*.

881 Cæterùm Acta, quæ extant, corrupta eſse probat idem Baronius ad Annum 681. ſub num. 2. ex eo quòd Anaſtaſius Bibliothecarius in vita Agathonis plura recenſeat, quæ in præfatis Actis deſiderantur. Etenim referens ea, quæ geſta ſunt die XIV. Februarii, ut ipſe notat, currente Indictione IX. ait: „ Deinde protulit piiſſimus & Sereniſſimus Princeps tomum ad relegendum, in quo vanum hæreticum dogma Macarii erat conſcriptum, & ejus manu ſubſcriptum, apertiſſimè unam voluntatem in Domino affirmantis. Sub ipſius ſcriptione, & Theodori Expatriarchæ, utique juxta eum tenorem ibi ſubſcriptio erat. Et interrogatus Georgius Patriarcha, ſi eam fidem, quam docet Sedes Apoſtolica, amplectitur, juxta ſcriptum venerandi Agathonis Papæ, ſeu Sanctorum venerabilium Patrum? Qui reſpondens, petiit, ut acceptâ licentiâ, in ſcriptis, quæ opportuna eſſent, reſponderet. Et in his recedentes, die XVII. menſis Februarii die Dominico intra oraculum Sancti Petri intra Palatium convenere, & adſtante Syncello ſimùl cum Patriarchâ, Legatus Apoſtolicæ Sedis ſuſcepit relegens ſuggeſtionem pro eorum condemnatione à Sanctiſſimo Papa Agathone directam. Qui Georgius Sanctiſſimus Patriarcha profeſſus eſt eo die in ſcriptis, duas naturas, duas voluntates & operationes credere & prædicare, ſicut Sedes Apoſtolica, anathematizans eos, qui unam naturam, voluntatem & operationem in Domino noſtro Jeſu Chriſto dicunt. Die vigeſima quinta menſis Februarii reſidente Synodo unà cum pio Principe, ſimùlque & Legatis Sedis Apoſtolicæ Macarium adeſſe juſſit, & datâ à Principe licentiâ, ut ſe in partem, quam quis vellet, divideret, Georgius Patriarcha Regiæ Civitatis cum ſuis in partes orthodoxorum ſtetit: Macarius verò cum ſuis in parte alia hæreticorum. Et deducentes ad medium profeſſionem Georgii Patriarchæ, quam fecerat, & porrexerunt Principi, & relecta eſt. *Hæc Anaſtaſius*. Quæ quidèm omnia deſiderantur in Actis ſextæ Synodi, quæ nunc extant.

882 Itaque cum allegata Anaſtaſii verba probent, Theodorum, qui fuerat Epiſcopus Conſtantinopolitanus, & propter Monothelitarum hæreſim ejectus, atque Principis juſſu in exilium amandatus, non minùs ac Macarium in ſexta Synodo damnatum, cujus tamen damnatio in Actis, quæ extant, deſideretur, palàm fit ejuſmodi Acta eſſe corrupta atque mutilata; undè Baronius in ea eſt ſententia, ab ipſomet Theodoro prælibata Acta eſſe corrupta, qui, mortuo Georgio poſt abſolutam Synodum, emiſsâ catholicæ fidei profeſſione & ante reditum Legatorum ad Urbem Romam, iterùm Thronum Conſtantinopolitanum conſcenderat, atque Synodi Actorum exemplaria Romam deferenda tranſcripſerat; ſuoque inter hæreticos damnatos abraſo nomine, & in odium Romanorum Pontificum ſubſtituto ubique nomine Honorii Papæ: Ait ergò Baronius ad Annum antefatum ſub num. 28. agens de reſtituto Theodoro in Thronum Conſtantinopolitanum: Hunc igitur reſtitutum in Thronum, ſummâ rerum potitum, Synodi prototypum nactum, nomen ſuum è damnatorum numero deleviſſe (quod inter eos non legatur) affirmare neceſſe eſſe, neminem, qui hæc, quæ ſunt dicta, conſideret, inficias iterùm puto. Cùm igitur detectum tibi oſtenderimus impoſtorem, habes planè cui inventam tribuas impoſturam; ut nullatenùs dubites, quòd cujus fuit ex Synodalibus Actis ſui damnationem auferre, ejuſdem quoque fuerit, alia pro arbitrio reddere; ac idem inter damnatos adeò inconcinnè appoſuerit nomen Honorii ob odium, quod conceperat adversùs Apoſtolicam Sedem, quod tunc potiſſimùm declaravit, quandò repugnante etiam Imperatore, abſtulit (ut dictum eſt) è Dypticis nomen Vitaliani Romani Pontificis, ſic etiam leviorem conatus reddere culpam ſuam, ſuorumque prædeceſſorum Monothelitarum, quod exemplo Romani Pontificis, quem ſequi deberent, ipſi peccaſſent. *Hæc Baronius*.

883 At Natalis Alexandri negat Theodorum paucis poſt Synodum menſibus iterùm Thronum Conſtantinopolitanum conſcendiſſe, teſtante Theophane. Georgium Superſtitem Synodo vixiſſe tribus annis. Baronius verò probat ex Nicephoro in Chronico, Georgium ſediſſe tantùm annis tribus & toti-

tidèm menſibus, ac proinde defunctum paucis poſt celebratam ſextam Synodum menſibus. Utrùm poſtea adhærendum ſit Theophani, an potiùs Nicephoro, putarem hac in re adhærendum eſſe Nicephoro, utpotè Conſtantinopolitano Patriarchæ; quoniam non eſt probabile, voluiſſe ſuorum deceſſorum minùs accuratè ſeriem deſcribere, ſed credendum eſt, exactiſſimè omnia quæſiiſſe, & non ſolùm perſonas, ſed tempus Epiſcopatus adnotaſſe exquiſitiùs, quàm cæteri auctores Græci. Alia porrò affert Baronius ad comprobandum Acta ſextæ Synodi, quæ nunc extant, corrupta atque eſſe falſata à Theodoro Epiſcopo Conſtantinopolitano: Quare ad Annum Domini 681. ſub num. 3. tradit ejuſdem Theodori arte poſt abſolutam Synodum Apoſtolicæ Sedis Legatos diù ac par erat detentos fuiſſe Conſtantinopoli, nimirùm ad electionem uſque Agathonis ſucceſſoris, eàdemque arte ordinationem ejuſdem ſucceſsoris, retardatâ ab Imperatore confirmatione, fuiſse dilatam. Quiſnam, ait, præter ipſum, Imperatori potuit ingeſſiſse, ut Legatos Româ ad Synodum miſsos, tamdiù poſt ipſam abſolutam Conſtantinopoli detineret, donec novus Pontifex crearetur, interim verò ea Synodalia Acta Conſtantinopoli dimoveri non finerentur, & procuraſse, ut tardiùs ordinaretur Romæ Pontifex, nè eſset qui ſuis intereà molitionibus poſset obſiſtere? Adhùc enim apud ipſum Imperatorem repoſitum erat quem Clerus Romanus eligeret, confirmaret. *Hæc Baronius*.

884 Nonnulli tamen, qui à Baronii abeunt ſententia, aſserunt, probabile minimè eſse tali audaciâ uſum Theodorum, ut Superſtitibus cunctis, qui adfuerant Synodo Patribus, Acta illius falſare voluerit, præcipuèque ante Legatorum reditum ad Urbem; eò vel maximè, quòd quilibet ex Patriarchis ſuum in Synodo Notarium, qui Acta Concilii exciperet, habebat. Neque credibile eſt, præfatum Theodorum auſum tradere Apoſtolicæ Sedis Legatis Acta falſata & corrupta, qui optimè reclamare poterant, & de corruptione redarguere ipſum Theodorum, ac cauſam ad Imperatorem deferre. Sic & cæteri Eccleſiarum Patriarchæ, vel eorundem locum tenentes, falſationem adnotare poterant, ac ipſi quoque reclamare, quoniam, ut habetur in Actis Actione XVIII. poſt ſermonem proſphoneticum, cuilibet Sedi Patriarchali, ipſis petentibus exemplaria tradita ſunt Actorum: *Sancta Synodus dixit*, inquiunt Acta: *Petimus à Domini poteſtate inſtructa à Deo, ad majorem orthodoxæ fidei ſtabilitatem & confirmationem, ut ſubſcripta exempla definitionis relecta, præſente veſtra Sereniſſima poteſtate edantur quinque Patriarchalibus Sedibus unà cum pia veſtra ſubſignatione; Conſtantinus piiſſimus Imperator dixit: Quod etiam nunc à ſancto & univerſali veſtro Concilio petitum eſt, piè conficiemus*. Deinde, ſubjungunt Acta, præfata exemplaria ſubſignata ab ipſo Principe, tradita eſse Sedi Apoſtolicæ Urbis Romæ, Sedi Conſtantinopolitanæ, Sedi Alexandrinæ, Sedi Antiochenæ, atque Sedi Hieroſolymitanæ. Quibus ſic ſtantibus, non videtur probabile tradita eis fuiſse Acta corrupta & falſata.

885 Ad hæc Agatho Diaconus Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, & Scriniorum ejuſdem Theſaurarii, qui in ſexta Synodo Notarii munere fungebatur, in ſua Peroratione edita à P. Combefiſio in Actuario Bibliothecæ Patrum, teſtatur Acta Synodi literis conſignata atque à Patribus ſubſcripta, fuiſse in Imperatoris Palatio repoſita: „ Omnes porrò tomos Actorum præfatæ Synodi, *inquit*, mundo codice, propriâ ipſe manu, Eccleſiaſticis literis conſignavi, qui & ſub ſignaculis unà cum fidei definitione, quam ſancta Synodus palàm edidiſset, Patrum ſubſcriptione munita, in Imperatoris Palatio fuerunt repoſiti ac tutò ſervati: Quin & quinque Patriarchalibus Sedibus tradita definitionis ejuſdem, eâdem Patrum ſubſcriptione munita exemplaria, eodem conſcripſi modo, ita jubente piæ recordationis Imperatore Conſtantino, ac ſic fieri præcipiente, quo fidei orthodoxæ ſinceritas atque veritas nullis pateret inſidiis. *Hæc Agatho Diaconus*. Ex quibus inferunt Acta ſextæ Synodi in Imperatoris Palatio aſſervata non potuiſse à quovis falſari, niſi annuente Principe, annuiſse porrò piiſſimum Principem prælibatæ falſationi, nefas eſt credere, quinimmò cogitare; proindeque inveroſimile, prorsùsque improbabile eſse concludunt, Acta ſextæ Synodi corrupta atque falſata Apoſtolicæ Sedis Legatis tradita fuiſse.

886 Sed dici poteſt, exemplaria poſtulata à Sedibus Patriarchalibus, & inde recepta non fuiſse omnium Actorum, benè verò definitionis fidei, prout verba Synodi indicant: *Ut ſubſcripta exempla definitionis relectæ*, inquit Synodus, *præſente veſtrâ Sereniſſimâ poteſtate edantur quinque Patriarchalibus Sedibus, unà cum pia veſtra obſignatione*. Nec aliud Patriarchalibus Sedibus contraditum fuiſse præter fidei definitionem, indicat præcitatus Agatho Diaconus; quoniam poſtquàm dicit omnes Actorum tomos à ſe exaratos ac repoſitos in Palatio Principis, ſubjungit Sedibus Patriarchalibus traditam fuiſse fidei definitionem: *Quin*, inquit, *& quinque Patriarchalibus Sedibus tradita definitionis ejuſdem, eâdem Patrum ſubſcriptione, munita exemplaria eodem conſcripſi modo*. Et ex hoc probabile eſt, Legatos Apoſtolicæ Sedis nonniſi fidei definitionem, illam ſcilicet, quæ incipit: *Unigenitus Dei Patris Filius*, relectâ Actione XVIII. præſente Principe Romam ſecum detuliſse, eamque eis, ſicut & aliis Patriar-

triarchalibus Sedibus, genuinam traditam fuiſse, cujus rei causâ reclamare non poterant. Acta porrò omnia in Palatio Principis repoſita, progreſsu temporis, ac ipſo neſciente Imperatore, fuiſse corrupta, atque ſic corrupta per Orbem evulgata.

887 Dices fortaſse, etiam in ipſa fidei definitione recenſetur nomen Honorii inter damnatos hæreticos. Utique dico verum eſſe in ea definitione inſerta in Actis corruptis, quæ extant: non ſic in illa, quæ tradita fuit Eccleſiis Patriarchalibus, & eidem Romanæ Eccleſiæ.

888 Dices iterùm, ipſum Conſtantinum in Epiſtola data ad Leonem II. Papam, cujus initium: *Cœlorum æternum Regnum*, fateri ſe geſta Synodalia per Apoſtolicæ Sedis Legatos tranſmittere, quæ quidèm geſta ſe recepiſse, teſtatur idem Leo in redditis ad eundem Imperatorem literis, quarum initium: *Regi Regum, in cujus poteſtate ſunt Regna Mundi*. Ergò non ſola fidei definitio per ſuos Legatos ei contradita fuit, verùm & omnia Synodalia Acta.

889 Ad hæc dico cum Baronio, ejuſmodi literas eſse ſuſpectæ fidei, tùm quæ dicuntur à Conſtantino ſcriptę Leoni Papæ, tùm quę feruntur à Leone miſsę Conſtantino. Id quod non levibus conjecturis probat ad Annum Domini 683. Et quidèm, quò ad Epiſtolam Imperatoris, liquet in primis ex ipſius titulo & inſcriptione, nam dicitur miſsa XIII. die menſis Decembris, Indictione X. Atqui menſe Decembris X. Indictionis nondùm Pontifex creatus erat Leo, cujus creatio incidit in finem Indictionis XI. menſe Auguſti, ut ex Anaſtaſio liquet; & dato quòd menſe Auguſti ejuſdem X. Indictionis creatus fuiſset, priùs eſset data Epiſtola ac Pontifex electus; quoniam nova Indictio à menſe Septembris exordium ſumebat, adeout menſis Auguſti foret ultimus cujuſvis Indictionis. Si dicatur creatum fuiſse Pontificem menſe Auguſti IX. Indictionis, quod certè falſum eſt, adhùc non eſt probabile, quòd nonniſi poſt quatuor menſes voluerit Imperator certiorem reddere Leonem de rebus geſtis in Synodo, cui ſtatim fidei ſtatum indicaſse oportebat, tùm quia die XIII. Decembris Indictionis X. adhùc Superſtes erat Agatho, ſepultus IV. Idus Januarias, ut ſcribit Anaſtaſius. Demus verò ex errore Librariorum ſcriptum eſſe Indictione X. loco fortè XII., adhùc eſt in ipſa Epiſtola, undè argui poſſit de ſuppoſitione; quoniam eâ in Epiſtola dicitur, Imperatorem de cogenda Synodo ſcripſiſſe ad Agathonem Papam: *Quapropter*, inquit, *Sancti Papæ Agathonis Beatitudinem piis apicibus noſtris ſumus hortati, ut aliquot mitteret, qui ejus perſonam obtinerent &c.* At conſtat ejuſmodi literas nullo pacto fuiſſe ad Agathonem directas, ſed ad Donum Papam illius deceſſorem, licèt ab Agathone receptas, prout ſupra fati ſumus; Id quod etiam ipſemet Imperator teſtatur in literis datis ad Georgium Patriarcham pro convocanda Synodo, & Agatho quoque aſſerit in literis ad eundem Imperatorem redditis.

890 Per id verò quod ſpectat ad fidem Epiſtolæ Leonis ad ipſum Imperatorem redditæ, ipſa quoque ad calcem notata Indictio ſuſpectam reddit. Dicitur namque in ea data Nonis Maii Indictione X. Id quod nullo pacto concordare poteſt cum iis, quæ habentur in ipſomet Epiſtolæ textu, ubi Auctor Epiſtolæ ſcribit, ſe Legatos cum ſacris Principis Divalibus ſuſcepiſſe menſe Julio: *Denique*, inquit, *Legatos hujus Apoſtolicæ Sedis &c. per nuper elapſam decimam Indictionem menſe Julio, cum Divalibus clementiæ veſtræ apicibus & Synodalibus geſtis, cum magno jucunditatis gaudio in Domino exultantes, ſuſcepimus.* Si ergò teſtatur Auctor Epiſtolæ, elapsâ jam Indictione X. menſe Julio ſe Divalem Principis Synodalia Acta & Legatos ſuſcepiſſe, non potuit reſcripſiſſe menſe Maii decimæ Indictionis, aliàs priùs reſcripſiſſet, ac literas accepiſſet. Porrò Leo II. nondùm menſe Julio XI. Indictionis ordinatus fuerat Pontifex, ordinato menſe Auguſto ejuſdem Indictionis, nec Superſtes fuit menſe Julio XII. Indictionis, ſepulto poſtea exactis tantùm decem ſui Pontificatus menſibus, IV. Kalendas Julias, ut Anaſtaſius tradit, & conſentiunt alii; ac proinde nullâ Indictione, ſive XI. ſivè XII. potuit Leo Legatos ſuſcepiſſe, & literas menſe Julio.

891 Contradicere pariter ſibimet idem Auctor, & ad invicem pugnantia ſcribere videtur, dùm Monothelitas unà cum Honorio ſubjicit; ait namque: *Pariterque anathematizamus novi erroris inventores, idest, Theodorum Pharanitanum Epiſcopum, Cyrum Alexandrinum, Sergium, Pyrrhum, Paulum, Petrum Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ ſubſeſſores magis quàm Præſules, necnon & Honorium, qui hanc Apoſtolicam Eccleſiam non Apoſtolicæ traditionis doctrinà luſtravit, ſed profana proditione immaculatam ſubvertere conatus eſt; & omnes, qui in ſuo errore defuncti ſunt, ſimiliter anathematizamus.* Quibus verbis adnotare licebit, primùm, Honorium recenſeri inter Auctores hæreſis Monothelitarum, qui nunquam talem fuiſſe comprobari poteſt. Secundò, nominat illum inter vivos, cùm jam à multo tempore vitâ functus eſſet. Tertiò, dicit ſe anathematizare eos jam defunctos, qui in errore deceſſerant; cùm probari non poſſit, Honorium in errore (ſi aſperſus fuiſſet aliquandò) deceſſiſſe. Certè Honorius in Eccleſię Catholicæ communione defunctus eſt, totâ teſtante Romanâ Urbe; quoniam publico funere Eccleſia Romana eum ſepelivit inter Sanctiſſimos Pontifices in Eccleſia Sancti Petri, & ut Catholico Pontifici eidem in omnibus parentavit. Ergò, etjam ſi daremus, ait

ait Baronius, Honorium in errorem aliquandò lapſum, oportuit ab errore deſiiſſe ante obitum ſuum, cùm eum poſt obitum, ut Catholicum Eccleſia Romana coluerit. Denique numquid probabile eſt, Leonem Papam ſuum anteceſſorem damnare voluiſse, utendo probroſis illis verbis, appellans proditorem fidei, ejuſdemque ſubverſorem, quandò à ſimilibus ſe abſtinet in damnatione aliorum, qui reverà fuerant prefatæ heresis auctores? Clarum ergò fit in odium Romani Pontificis, conſarcinatas ab aliquo Impoſtore eſse ejuſmodi literas, ut magis fides adhiberetur corruptis ſextæ Synodi Actis.

892 Itaque ex hactenùs deductis patet quoque reſponſio ad allegata ab Adverſariis in exordio hujus Capitis ex præfata Leonis II. Epiſtola. Neque urgent alia teſtimonia producta ex ejuſdem Leonis Epiſtolis datis ad Epiſcopos Hiſpaniæ, & ad Ervigium Regem Hiſpaniæ; quoniam ejuſdem farinæ ſunt cum præcedenti, ſcilicèt & ſuppoſitiæ; quemadmodùm & inter ſpurias & ſuppoſititias recenſentur aliæ duæ, & quæ legitur data ad Quiricum Epiſcopum, & ad Simplicium Comitem. Sed videamus de prima, nimirum quæ exhibetur data ad Epiſcopos Hiſpaniæ, cujus initium eſt: *Cùm diverſa ſint hominum ſtudia*; in ea pariter ſcribit, Synodum Conſtantinopolitanam abſolutam Indictione IX. *Dùm cenſuit*, inquit, *Majeſtas Superna, per nuper elapſam nonam Indictionem explevit*; id quod falſum demonſtratur ex ipſis Synodalibus Actis, cùm conſtet abſolutam ſextam Synodum Indictione X. jam inchoata, certè Leo optimè ſciebat, qua fuerat abſolutâ Indictione, præcipuè, ſi verum ſit unà ſimùl miſiſſe Acta Synodalia, in quibus accuratè erat tempus adnotatum. Et hic idem error reperitur in aliis tribus Epiſtolis, ut appareat, non ex errore Librariorum, aut lapſu calami Scriptoris id accidiſſe, ſed ex intento & deliberatione Auctoris. Deinde dicitur in ea Epiſtola, de diverſis Conciliis, ab Urbe Roma Archiepiſcopos deſtinatos eſſe ad ſextam Synodum: *De diverſis autem Conciliis*, inquit, *huic ſanctæ Apoſtolicæ Sedi, cujus miniſterio fungimur, ſubjacentibus, Archiepiſcopi ſunt à nobis deſtinati, qui cum pio Principe ſimùl & omnibus, qui ejus mandato convenerunt Eccleſiarum Præſulibus præſidentes ac conſidentes, primùm quidèm ſancta quinque univerſalia Concilia, & venerabiles Eccleſiæ Patres, quorum libri & teſtimonia hinc fuerant deſtinata*. Atqui in primis falſum eſt, Leonem aliquem ad ſextam Synodum deſtinaſſe, electum in Pontificem jam ipsâ abſolutâ. Falſum pariter eſt, ab Urbe Roma miſſos fuiſſe Archiepiſcopos ad eam Synodum, cùm in Actis Synodalibus nec unus ſit inveniri; proinde palàm de impoſtura convincitur.

893 In Epiſtola verò data ad Ervigium Regem Hiſpaniæ, cujus initium eſt: *Cùm unus extet*, nonnulla pariter continentur, quæ apertè eam ſpuriam declarant; ſcribitur namque in ea: *Nunc autem (quod cum gratiarum actione in Deum exultantes effamur) per nonam nuper elapſam Indictionem piiſſimus atque chriſtianiſſimus noſter, imò Dei Eccleſiæ filius Imperator ad Apoſtolicæ memoriæ noſtrum deceſſorem Agathonem Papam atque Pontificem Scripta Imperialia dirigens, affatim hortatus eſt, ut ab ſancta Apoſtolicæ Sedis Eccleſia de omnibus adjacentibus ei reverendis Conciliis Legatos tàm de Eccleſiarum Præſulibus, quàmque de aliis ordinibus Eccleſiaſticis cum dogmaticis literis, venerabiliumq; Patrum libris ac teſtimoniis inſtructos, in Regiam Conſtantinopolitanam Urbem dirigeret, quod Dei nutu effectum atque perfectum eſt*. In quibus verbis plura à veritate continentur aliena; nam falſum eſt, ut ſupra etiam effati ſumus, Imperatorem ad Agathonem de Synodo congreganda literas feciſſe, cùm conſtet ejuſmodi literas ad Donum Agathonis deceſſorem datas: falſum inſuper eſt ſcriptas fuiſſe Indictione nonâ, quoniam, ut videre eſt, habentur datæ Indictione ſextâ, pridie Idus Auguſti. Et ita omni ex parte pro ſuppoſititiis concluduntur. Quare argumenta ex ejuſmodi literis deprompta pro Honorii damnatione nullius ſunt roboris.

894 Cæterùm de duabus aliis Epiſtolis, quæ dicuntur ſcriptæ, una ad Quiricum Epiſcopum, quæ incipit: *Ad cognitionem*, altera ad Simplicium Comitem, cujus initium: *Cùm ſit veſtræ ſalutis*, notat Baronius, & cum Baronio Binius, eas quoque eſſe ſuppoſititias; quoniam nullus Epiſcopus hujus nominis fuit tunc temporis in Hiſpania, unò excepto Quirico Epiſcopo Toletano, ſeptennio antea vità functo, Juliani Epiſcopi qui Synodo Toletane XIII. interfuit deceſsore; Nec pariter inter Comites Concilii Toletani prefati quiſpiam reperitur Simplicius nomine; tùm quia, etiam in Epiſtola ad Quiricum ſcribitur, ſextam Synodum Indictione nonâ abſolutam, quod, ut antefati ſumus, omninò aberrat à vero. Licèt hac ex parte non adeò efficaciter de ſuppoſitione convinci poteſt, quoniam in literis præfatis nec dicitur, abſolutam omninò omni ex parte Synodum Indictione IX., ſed tantùm celebratam, quod veriſſimum eſt; tùm etiam, quia Indictio nova apud Romanos incipiebat à die XXIV. Septembris; apud verò Conſtantinopolitanos ab exordio ferè menſis Septembris: Cùmque due Seſſiones ultimæ celebratæ legantur XII. & XIV. die menſis Septembris, more numerandi Indictiones apud Conſtantinopolitanos dici poſsunt celebratæ Indictione X., ſed apud Romanos adhùc nondùm abſolutâ Indictione IX.

895 Sed quoniam ſupra diximus, fortaſsè ad Leonem Papam delatam fuiſse ſollus fidei de-

definitionem per Apoſtolicæ Sedis Legatos, & genuinam, non verò Acta omnia; operepretium eſt adnotare, Patres Concilii Toletani XIV. Can.II. fateri ſe à Leone Papa miſſa integra VI. Synodi Acta recepiſse: „ Clara, *inquiunt*, omnes notio populos Hiſpaniæ implet, quòd decurrentis evoluti temporis ſerie per Romani Præſulis Bajulum geſta Synodalia ſocietatis noſtræ advecta ſunt, quibus Conſtantinopolim, Conſtantino pio & religioſo Principe mediante, magnâ & ſublimi copiâ aggregatâ Pontificum, Apollinaris dogma comperimus fuiſse deſtructum; Cum quibus etiam geſtis, Leonis quoque antiquæ Romæ Pontificis invitatorio epiſtolaris gratiæ conſulta ſuſcepimus, per quæ omnis ordo geſtorum, geſtaque ordinum dilucidè, ut acta ſunt, noſtris ſenſibus patuerunt. *Hæc ibi*. Ac proinde hoc ſtante teſtimonio, minimè negari poteſt, quin Leo omnia Acta Synodalia, ab Apoſtolicæ Sedis Legatis delata, ſuſceperit. Id quod etiam innuit Anaſtaſius in vita Leonis per illa verba: *Hic ſuſcepit ſanctam ſextam Synodum, quæ per Dei providentiam nuper in Regia Urbe celebrata eſt, græco ſermone conſcriptam*.

896 His de cauſis ad ſuperiùs allegata objecta duo dicere poſsumus cum Binio in Notis ad vitam Leonis: unum, quòd fortè Acta tranſmiſsa eidem Leoni fuerint genuina & nondùm corrupta; falſata verò evulgata fuiſse poſteà, quandò Monothelitæ Synodum impugnare cœperunt: Et hac ſtante opinione fatendum eſt, literas Conſtantini ad Leonem, Leonis ad Conſtantinum, aliaſque ſub nomine Leonis ſcriptas & ſupraindictas, in quibus mentio habetur damnationis Honorii, ſpurias eſſe & ſuppoſititias; Alterum verò, quòd Legati Acta corrupta à Theodoro acceperint, ac ſic corrupta, Romam delata Leoni contradiderint, nec reclamantibus Legatis in Regia Urbe, nec quidèm Romæ Leone, pro pacis bono, nè novâ exortâ controverſiâ, iterùm hæreſis reviviſceret Monothelitarum. Ait ergò Binius: Sed an eâdem impoſturâ Theodori Monothelitæ corrupta approbaverit? Niſi commentitiam eſse dixeris ejuſdem Leonis Epiſtolam primam, cum communi ſententia neceſsum eſt affirmare, quòd Sanctus Leo ea Acta confirmaverit, quę per Legatos acceperat, quævè Theodorus inſerto nomine Honorii corruperat, pluribuſque addititiis ſcriptis auxerat; atque ita pro defenſione Leonis dicendum eſt, vel quòd eam iniquiſſimam conditionem ſubire neceſſitas temporis exegerit, adeòut ſi non feciſset, damnata hæreſis iterùm revixiſset, Actaque Synodalia abolenda fuiſsent; vel quòd Leo præteritarum rerum ignarus neſcivisset Acta legitima Synodi, eamque defenſionem, qua Joannes Papa, & Maximus Abbas Honorii Epiſtolas declaraverant & defenderant. Sed cùm horum neutrum in Pontifice culpâ caruiſset, alterutrum horum neceſsariò eſt ſtatuendum, vel quòd Acta Concilii ante tempora Leonis, incorrupta quidèm extiterint, fuerintque tùm demùm depravata cum Leonis Epiſtola, quandò poſt annos decem & viginti Monothelitæ Decreta Synodi impugnare cœperunt; vel quòd ipſa Epiſtola Leonis, ſicut aſserit Baronius, commentitia exiſtat. *Hactenus Binius*.

897 Denique ea omnia, quæ pro damnatione Honorii afferri ſolent, & ſupra ſunt recenſita, ex eodem fonte manarunt, quoniam decepti Scriptores ex corruptis ſextæ Synodi Actis, de Honorio, quæ in corruptis Actis invenerant, recenſuerunt: qua de cauſa & in ſeptima Synodo recenſetur ac ſi in ſexta fuiſset reverà damnatus, exhibentibus ipſis corruptis Actibus illius damnationem. Hinc Binius in Notis ad vitam Honorii oſtendit primùm diverſis conjecturis, Honorium in ſexta Synodo minimè damnatum, Acta illius exhibentia damnationem, eſse corrupta; indeque addit: Quæ rationes, ſi necdùm aliquam corruptelam & depravationem Actorum (ſunt illius verba) Synodalium ſexti Concilii perſuadeant, addo, Concilium œcumenicum (quod fieri poſse ſentiunt omnes Catholici) in quæſtione facti aberraſse, adeòut eadem Acta, quæ vel corruptè, vel erroneè Honorium damnatum fuiſse referunt, cauſam dederint Patribus ſeptimi Concilli œcumenici, ſtatuendi & decernendi de Honorio illud, quod in Actis Concilii ſexti vel corruptis, vel erroneis deciſum fuiſse legerant. *Hæc Binius*, qui poſteà nè in eundem errorem trahat Leonem Secundum propter ejus Epiſtolam datam ad Conſtantinum, cum communi tradit ſententia, eſse commentitiam, prout probat etiam Baronius, vel corruptam, ut placet Bellarmino: *Epiſtolam Leonis*, inquit, *quam objiciunt*, *Bellarminus corruptam*, *Baronius commentitiam eſſe ſcribunt*. Sed ſatis de hac controverſia. Quæ verò dicta ſunt, magis ex aliorum, quàm ex noſtra protulimus ſententia, non auſi inter tot, tantoſque celeberrimos Scriptores quidquam noſtrum in medium proferre.

CA-

CAPUT XVIII.

De damnatione ſextæ Synodi, ſub Philippico Imperatore, ac novo ex ea exorto ſchiſmate.

898 ABſolutâ, ut antefati ſumus, ſexta Synodo, proſcriptâque cum ſuis Auctoribus & Sectatoribus Monothelìticâ hæreſi, Romam inde reverſis Apoſtolicæ Sedis Legatis, poſt aliquot menſes Agatho Sanctiſſimus Pontifex ex hac vita ad Dominum migravit, currente Anno Domini DCLXXXIV. Imperii Conſtantini Pagonati Anno XVII. Indictione XII. die VI. Kalendas Julii, cum ſediſſet menſes X. & dies VIII. prout ex Anaſtaſio colligitur; cui datus eſt ſucceſſor Benedictus hujus Nominis II. Patriâ Romanus, Joannis Filius, creatus die XX. menſis Auguſti: ac ſub hujus Pontificatu reſtituta eſt Eccleſiæ Romanæ libertas ordinandi electum Pontificem, non ampliùs expectata Imperatoris confirmatione, per ſuas literas indulgente ipſomet Conſtantino Pagonato: unde Anaſtaſius ſcribit: *Hic ſuſcepit Divales juſſiones Clementiſſimi Conſtantini Magni Principis ad Venerabilem Clerum & Populum, atque fœliciſſimum exercitum Romanæ Civitatis, per quas conceſſit, ut perſona, qui electus fuerit ad Sedem Apoſtolicam è veſtigio abſque tarditate Pontifex ordinetur.* Qui porrò exactis ſui Pontificatus menſibus octo, diebuſque decem & ſeptem, die VII. Maji ſequentis anni vitâ functus eſt, unde Anaſtaſius ait: *Sepultus eſt ad Beatum Petrum Apoſtolum ſub die octava Idus Maij.* Elapſiſque duobus menſibus, ac diebus quindecim vacantis Sedis, renunciatus eſt Romanus Pontifex die XII. Julii anni Domini DCLXXXV. Joannes hujus nominis V. Syrus natione, ex Provincia Antiochia, Cyriaci filius: qui primus omnium poſt multa tempora non expectatâ confirmatione, ordinatus eſt. *Hic*, ait Anaſtaſius, *poſt multorum Pontificum tempora, vel annorum, juxta priſcam conſuetudinem à generalitate in Eccleſia Salvatoris, quæ appellatur Conſtantiniana electus eſt, atque exinde in Epiſcopium introductus eſt.* Vixit in Pontificatu annum unum, & dies undecim, objitque die ſecunda Auguſti, ut ſcribit Anaſtaſius, anno Domini DCLXXXVI. Idictione XIV. Imperii Juſtiniani Junioris anno II.

899 Poſt cujus obitum non modica in deligendo ſucceſſore contentio ſuborta eſt, propendente Clero in Petrum Archipresbyterum, exercitu verò ex altera parte in Theodorum Presbyterum, donec ad Schiſma vitandum deventum eſt ad electionem unius tertiæ perſonæ, & univerſo ſuffragante Clero, nec repugnante exercitu, renunciatus fuit Conon patriâ Thrax, apud Siciliam educatus, vir, ut ait Anaſtaſius, provectæ ætatis, venerandæ canitiei, ſermone verus, animo ſimplex, moribus quietus, vita religioſus: creatus in Pontificem die XX. Octobris, poſt menſes duos, dieſque XVIII. vacantis Sedis. Circa cujus tempus Juſtinianus Junior, cùm Sedi Apoſtolicæ in eligendo Pontifice libertatem ſolitam reſtitutam eſſe ægrè tuliſſet, mandavit, ut non crearetur Pontifex ſinè conſenſu Exarchi, ex quo factum eſt, ut Archidiaconus Cononis Papæ, videns eum infirmitate conſtrictum, ante illius obitum, ſcripſit Ravennam ad Joannem Exarchum, ut ageret, quatenus poſt Cononis obitum ipſe eligeretur Romanus Pontifex, adjecta promiſſione dandæ pecuniæ, prout refert Anaſtaſius. Hinc defuncto Conone die XIII. menſis Octobris, anni DCLXXXVII. exactis ſui Pontificatus menſibus XI. ac diebus XXIII. magna orta eſt inter Clerum & populum, imò inter populum & populum contentio, aliis ut Exarcho faverent, acclamantibus Paſchalem Archidiaconum, aliis verò in Theodorum Archipresbyterum oculos intuentibus; verùm cùm nec unus alteri, nec altera pars alteri cedere vellet, utriſque pro ſuo pugnantibus, maxima pars Romani Cleri & maximè Sacerdotum, unà cum Romana Militia, aſſumpto Sergio, Romanum Pontificem renunciarunt, & coram omnibus Schiſmaticis, Deo cooperante, in Patriarchium Lateranenſe deduxerunt., atque introductum ordinarunt: cui tandem, ſedato Schiſmate, univerſi adhæſerunt. Creatus eſt die XXVI. menſis Decembris labente anno Domini DCLXXXVII., poſt duos menſes ac dies XIII. ab obitu Cononis.

900 Hic ergò ſanctiſſimè Eccleſiam Dei rexit annis XIII, menſibus XIII. diebus verò XIV. objitq; in Domino anno ſalutis DCCI. Tiberii Abſimari Imperatoris anno V. inchoata Indictione XV. ſepultuſque ad Beatum Petrum Apoſtolum V. Idus Septembris, vacavitque Sedes menſem unum & dies XX. Quo elapſo tempore in ejus locum electus eſt Joannes hujus nominis VI. Natione Græcus, creatus die XXVIII. menſis Octobris, ſed poſt annos tres, menſes duos, & dies XII. migravit ad Dominum die X. Januarii ineunte anno Domini DCCV. Indictione III. Cui poſt menſem unum, & dies XVIII. vacantis Sedis, die I. Martii, datus eſt Succeſſor Joannes alter, hujus nominis VII. Natione Græcus, Platonis Filius, vir erudìtiſſimus, & eloquentiâ facundus: Seditque annos duos, menſes VII. & dies XVII. ut ait Anaſtaſius, objitque in Domino XV. Kal. Novembris anni Domini DCCVII. currente Indictione VI. poſt quem, exactis menſibus tribus vacantis Sedis, renunciatus eſt Romanus Pontifex Siſinius, XV. Kalendas Februarias ſequentis anni DCCVIII. qui fuit genere Syrus, ſed Epi-

ſcopa-

ſcopatum tenuit xx. dumtaxat diebus, vita functus die vii. Februarii, creato poſt menſem, ſivè poſt dies xxix. vacantis Sedis, ideſt, die vii. Martii, in defuncti locum, Conſtantino, genere pariter Syro, viro mitiſſimo, ut Anaſtaſius ſcribit in ejus vita.

901 Deinde, ut ſupra præmonuimus, abſolutâ pariter eâdem ſextâ Synodo, moritur Georgius Conſtantinopolitanus Epiſcopus, anno Domini DCLXXXII. Indictione x. ubi ſediſſet annos tres, totidemque menſes, ut notat Nicephorus in Chronico: poſt cujus obitum, iterum reſtitutus eſt in Sede Patriarchali Theodorus, olim propter Monothelitem hæreſim ejectus, ſimulante ſe profiteri catholicam fidem; Qui poſt annum unum & menſes x. moritur, anno ſcilicèt Domini DCLXXXIV. & datus eſt ei ſucceſſor quidam Paulus, qui ex Laico factus eſt Epiſcopus: Hunc verò perveniſſe uſque ad annum Domini DCXCII. quo Conciliabolum Quinſextum in Trullo à Græcis pro condendis Canonibus celebratum legitur, indicat ſubſcriptio ejuſdem Conciliaboli apud Labæum tom. 6. Concil. pagina 1128. ubi nomen Pauli Patriarchæ primum locum tenet. Verùm Binius in notis ad eandem pſeudoſynodum ſcribit eam congregatam auctoritate Callinici Patriarchæ Conſtantinopolitani. *Auctoritate Callinici Conſtantinopolitani Epiſcopi*, inquit, *qui hoc tempore poſt obitum Pauli Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ præſidebat, hæc erratica Pſeudoſynodus in Trullo Conſtantinopoli congregata fuit*. Paulo ergo ſucceſſit Callinicus, ſub quo ſexta pſeudoſynodus celebrata eſt, ab Eccleſia Romana & Apoſtolica Sede prorsùs reprobata; ac proinde Canones in eadem editi, nullius apud Latinos auctoritatis ſunt. Hinc porrò Callinicus Thronum Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ tenuit ad annum uſque Domini DCCIII. quo iterum Juſtinianus Junior Imperium adeptus eſt, cujus auctoritate ejectus Callinicus, quinimmò vinctus, ac oculis orbatus miſſus eſt Romam in exilium: Datuſque ei ab ipſomet Imperatore ſucceſſor Cyrus quidam Monachus in Inſula Amaſtride, qui eidem Juſtiniano Imperii prædixerat recuperationem.

902 Denique triennio poſt circiter eandem abſolutam ſextam Synodum, anno nimirum DCLXXXV. Conſtantinus Imperator, ubi imperaſſet annos XVII. vita functus eſt, relicto Juſtiniano filio Imperii hærede, cujus Imperii initia conſignantur ab Anaſtaſio menſe Septembri inchoata Indictione xiv. Hunc non rectæ fidei extitiſſe, innuit Nicolaus I. in literis datis ad Michaelem Imperatorem. Scripſit ad Cononem Papam ſe repeririſſe in Imperiali Palatio Acta ſextæ Synodi, promittens ſe illibata ſervaturum, ut ait Anaſtaſius in vita Cononis. Sub anno VIII. ejus Imperii & v. Pontificatus Sergii, celebratum eſt Concilium Quinſextum, ſeu potiùs Conciliabolum, poſt cujus abſolutionem plurimùm laboravit, licèt fruſtrà, ut à Pontifice Romano confirmaretur. Egit primùm cum Sergio, quo recuſante indignatus miſit Romam Zachariam Protoſpatharium ut captum Pontificem Conſtantinopolim amandaret, id quod minimè Protoſpatharius ad effectum perducere potuit, ut referunt Beda lib. de ſex ætatibus, Paulus Diaconus lib. 6. de Geſtis Longobardorum Cap. xi. & Anaſtaſius in Sergii vita.

903 Anno porrò ſui Imperii x. rebellante Populo, Leontius Præfectus acclamatur Imperator, qui Juſtinianum accipiens, præciſis naribus, atque facie deturpatum Cherſonam in exilium relegavit, ut ſcribit Cedrenus: Sed anno III. ſui Imperii & ix. Sergii Pontificatus, ejecto Leontio, Imperium ſibi uſurpavit Tiberius Abſimarus: Hic verò Imperium tenuit ſpatio annorum ſeptem; Etenim anno VII. ſui Imperii & ii. Joannis Papæ VI. Domini verò DCCIII. Indictione i. ſtudio Trebellii Bulgarorum Regis, iterum pulſo Tiberio reſtitutus eſt Juſtinianus, qui poſtea captis Leontio, & Tiberio, poſt varia ludibria eos truncatis capitibus neci dedit. Poſtea ut Epiſcopis Græcis faveret, ſciens Romæ electum in Pontificem Joannem hujus nominis vii. Natione Græcum, ſperans ab eo poſſe obtinere Canonum Conciliaboli Quinſexti confirmationem, miſit ad eum duos Epiſcopos Metropolitanos unà cum ſuis literis, adjecto mandato, ut pro poſſe agerent cum Pontifice, quatenus prælibatos Canones confirmaret: „ Qui illicò ut Palatium ingreſſus eſt, „ *ait Anaſtaſius*, propriumque adeptus eſt „ Imperium, tomos, quos antea ſub Domno „ Sergio Apoſtolicæ memoriæ Pontifice Ro„ mam direxerat, in quibus diverſa Capitu„ la Romanæ Eccleſiæ contraria ſcripta ine„ rant, per duos Metropolitanos Epiſcopos „ demandavit, dirigens per eos & ſacram, „ per quam denominatum Pontificem conju„ ravit, ac adhortatus eſt, ut Apoſtolicæ „ Eccleſiæ Concilium aggregaret, & quæque „ ei viſa eſſent, ſtabiliret, & quæ adverſa re„ nuendo excluderet. *Hactenus Anaſtaſius*, qui poſtea ſubjungit nullo pacto poſtulatis annuiſſe Joannem.

904 Deinde anno ſui Imperii vi. Domini DCCIX. Pontificatus Conſtantini anno II. Indictione vii. per ſuas literas Conſtantinopolim Pontificem advocavit, ut tradit Anaſtaſius in vita Conſtantini Papæ, inquiens: *His temporibus miſit ſuprafatus Imperator ad Conſtantinum Pontificem ſacram, per quam juſſit eum ad Regiam aſcendere Urbem*, ut finis aliquis controverſiæ ob Canones ad quintam & ſextam Synodum ſuperadditos poneretur, prout idem Anaſtaſius indicat in principio vitę Gregorii II. Lubenter annuit Pontifex, & profectus Conſtantinopolim, ſummo cum honore exceptus eſt; man-

ſitque ibi uſque ad annum Domini DCCXI. quo Romam redjit, cum honore pariter dimiſſus: At poſt Conſtantini diſceſſum, deficientibus ab Imperatore Cherſonenſibus, junctus Bardane Philippico, & Elia Spathario, unà cum Exercitu, acclamato Philippico in Imperatorem, victo & capto Juſtiniano, manu Eliæ Spatharii trucidatus eſt, unà cum Tiberio ejus filio; quibus necatis confirmatus eſt in Imperio Philippicus.

905 Sub hoc ergo Imperatore & Conſtantino Papa iterum Cervices erexerant Monothelitæ, & novum Schiſma exortus eſt inter Orientalem, atque occidentalem Eccleſiam. Erat ipſe Philippicus Monothelitica infectus hæreſi; cœpitque ab exordio adverſari ſextæ Synodo, monitus præcipuè à quodam Monacho Monothelita, qui ei ante ſuſceptum Imperium, illud prænunciaverat, promittens & longam vitam, & Imperii fœlicitatem, ſi adepto illo Acta ſextæ Synodi aboleret. Unde Theophanes rem ſic enarrat: „ Priuſquam „ imperaret, *inquit*, erat quidam incluſus „ in Monaſterio Calliſtrati prævifor (qui ſcilicèt Aſtronomicis inſpectionibus futura „ prædicere conſueverat, & hæreticus Mo„ nothelita) qui ad ſe venienti Philippico „ dixit; Imperium tibi eſt repoſitum. At ille „ turbatus eſt. Et ait incluſus: Si jubet Deus, „ tu quamobrem contradicis? Hoc autem di„ co: quia ſexta Synodus malè facta eſt; ſi „ ergo imperaveris, hanc projice, & Impe„ rium fiet tibi forte, atque longum. Qui „ cum juramento ſpondet ei, ſe hoc facturum. „ Cùm autem Leontius Juſtiniano ſucceſſiſſet, „ accendit Philippicus ad incluſum. Qui di„ cit ei: Ne feſtines, fiet tibi. Cumque Abſi„ marus imperaſſet, rursùs aſcendit ad eum. „ Cui iterum ille ait: ne acceleres: illud „ enim te præſtolatur. *Hæc Theophanes*.

906 Itaque adepto Imperio impius Philippicus id quod hæretico ſpoponderat Monacho, exequi curavit: ac proinde exturbato à Sede Conſtantinopolitana Cyro Patriarcha, Joannem ſuæ impietatis Socium, eidem ſolio præpoſuit: ſic Cedrenus, inquiens: *Cyro quoque Patriarcha exturbato, Joannem ſuæ impietatis Socium ei ſolio præfecit*, nec hoc ſinè ſpecioſo egit prætextu, quòd ſcilicèt Cyrus in alterius Thronum conſcendiſſet, pro arbitrio crudeliſſimi Imperatoris, nimirum Juſtiniani, qui Callinicum Patriarcham in ordinem redegiſſet, oculiſque orbatum in exilium ejeciſſet: ipſum verò Cyrum in eam Cathedram contra omnia jura Eccleſiaſtica ſublevaſſet: nec ſatis fuit illum è ſolio dimovere, ſed & in exilium miſit.

907 Sic igitur rebus diſpoſitis, ſedente in Throno Eccleſię Conſtantinopolitanę Joanne Monothelita, nonniſi Monothelitæ, vacantibus dignitatis Sedibus ad illas promovebantur: quàmplurimi quoque Epiſcopi parùm in fide orthodoxa ſolidi, minuſque ſtabiles ne è propriis exturbarentur Sedibus, hæretico Patriarchæ, & impio Principi adhæſerunt: adeout quamplurimi inventi ſint, qui cum Joanne & Philippico ſextam proſcriberent Synodum, Inchoato enim anno II. ſui Imperii, Pontificatus Conſtantini anno V. currente Domini anno DCCXII. Indictione x. Indicta eſt & celebrata in Regia Urbe pſeudoſynodus, adversùs Sanctam & œcumenicam ſextam Synodum: ſic Theophanes, inquiens: *Fecit pſeudoſynodum juxta pſeudomonachi & incluſi ſermonem, & abjecit Sanctam & univerſalem ſextam Synodum*. Et in Libello ſynodico, hæc leguntur: „ Philippicus autem, qui „ & Bardanes Cherſone profectus, unà cum „ Claſſe cùm Regiam occupaſſet, & Juſtinianum „ in Damatrye gladiis occidiſſet, Conſtan„ tinopoli Synedrium nefandum congregans, „ Monothelitarum impietatem renovavit, & „ Archiepiſcopum Cyrum ejecit, & Mona„ ſterio, quod Chora dicebatur, eum inclu„ ſit, inque ejus locum Joannem elegit. Ha„ ctenus ibi.

908 At quidam Anonymus illius ætatis ſcriptor verè pius, & ortodoxus ſcribens relationem eorum, quæ à Philippico geſta ſunt, apud Labæum tom. 6. Concil. pag. 1402. nonnulla alia Philippici impia recenſet: ait namque: „ Qui cùm ſe Philippicum mutato, „ ut videbatur, nomine appellaſſet, illinc „ præter expectationem repentè accedens ad „ hanc Imperialem Civitatem, cum navi ad„ vectis, quæ eum ſequebantur, & concur„ rebant armatis militaribus copiis eorum, „ qui ipſum crearant Imperatorem, jàm olim „ habens innatam, non ſolùm ex præcedente „ parentum, ut ipſe dicebat, doctrina & tra„ ditione, ſed etiam per introductam falſam „ quandam doctrinam, huic Sanctæ & œcu„ menicæ ſextæ Synodo contrariam profa„ niſſimam hæreſim, ut quia ab ineunte æta„ te fuiſſet Diſcipulus Stephani Abbatis Di„ ſcipuli Macarii, uſus protinus auctoritate „ & poteſtate imperatoria ante ſuum ingreſ„ ſum, quæ multis quidem ante annis jam „ poſita fuerat, ejuſdem Sanctæ Synodi Ima„ ginem, inter quartam & ſextam Scholam, „ in veſtibulo Imperialis Palatii juſſit dejici, „ dicens ſe non aliàs in animum inducturum, „ ut in Regiam, quæ ſua non erat, ingrede„ retur, niſi hoc factum eſſet.

909 Hoc certè ut parèret egit, recluſo pſeudomonaco, incipiens oſtendere ſuam impietatem ac adverſum ſextæ Synodo animum à dejectione illius Imaginis: ſubjungit inde Auctor: „ Hoc quoque pro Imperio decernens, „ ut appellatio Sergii & Honorii, & reliquorum, „ qui cum eis ejecti fuerant & anathematizati à „ Sancta & œcumenica Synodo, in Sacris San„ ctarum Eccleſiarum Diptycis recitaretur, & „ eorum in locum ſuum reponerentur Imagines. „ Breviſſimo autem poſt tempore, cùm eos quo„ que, quos diximus, inveniſſet in Imperiali Pala-

,, Palatio repoſitos mea manu ſcriptos ejuſdem
,, Sanctę œcumenicę ſextę Synodi actorum to-
,, mos, eos ejiciens & in publicum proferens in
,, ſecreto igni tradidit & abolevit, cùm pluri-
,, mos & Orthodoxos Patres fuiſſet perſecu-
,, tus, & quoſdam ex eis miſiſſet in exilium,
,, & maximè eos, qui noluerant ejus juſſu
,, compoſito & pronunciato de fide veluti to-
,, mo ad abolendam hanc Sanctam & œcume-
,, nicam ſextam Synodum ſubſcribere. *Hactenus ille*. Hunc verò Anonymum Auctorem fuiſſe Agathonem Diaconum, qui ut Notarius interfuit ſextæ Synodo, & cujus manu exarata exemplaria ſextæ Synodi, quæ repoſita fuerant in Palatio, ſupra ſub num. 885. innuimus ex allegatis verbis evinci poteſt, cum dicat, Philippicum Acta ſynodalia ſexti Concilii igni tradidiſſe, quæ propria ſua manu ſcripta fuerant, ac in Palatio repoſita.

910 Scripſit porrò Philippicus Sacram ad Conſtantinum Papam, cui & inſeruit ſuæ fidei profeſſionem, ſed hæreticam, ac proinde à Sanctiſſimo fuit prorsùs ejecta, atque refutata, ut ſcribit Anaſtaſius in vita Conſtantini, inquiens: *Poſt menſes autem tres* (ſcilicèt à reditu Conſtantini) *lugubre nuntium perſonuit, quòd Juſtinianus Chriſtianiſſimus Imperator, & Orthodoxus Imperator, trucidatus eſt, & Philippicus hæreticus in Imperiali promotus eſt arce. Cujus & Sacram cum pravi dogmatis exaratione Conſtantinus ſuſcepit, ſed cum Apoſtolicæ Sedis conſilio reſpuit*. Cùm porrò Romæ innotuiſſent ea, quæ impius Imperator egerat adversùs Sacroſanctam ſextam Synodum, & quomodo Imaginem illius, ut antefati ſumus deleverat, ipſius Imperatoris Imaginem Romani execrati ſunt, etiam impreſſam in ſolidis, prout idem qui ſupra Anaſtaſius ſubjungit, inquiens: *Jiſdem temporibus cum ſtatuiſſet Populus Romanus nequaquam hæretici Imperatoris nomen, aut chartas, vel figuram ſolidi ſuſcipere, unde nec ejus Effigies in Eccleſiam introducta eſt, nec ſuum nomen ad Miſſarum ſolemnia proferebant*.

911 Non diu paſſus eſt pius & miſericors Deus impium hunc Principem regnare: quoniam anno ſecundo ſui Imperii è Throno, facta ſeditione, ejectus eſt, ac oculis orbatus coactus eſt extorris miſeram ducere vitam: Rem enarrat Theophanes, ita ſcribens: ,, Bien-
,, nio Imperii Philippici tranſacto, circoque
,, natalitio cum Praſini viciſſent, viſum eſt
,, Imperatori, Sabbato Pentecoſtes equitem
,, cum ſuſceptione ac organis ingredi & lavari
,, in publico balneo Zeuxippi, & cum civi-
,, bus proſapiæ antiquæ prandere. Cùm au-
,, tem meridie requieſceret, repentè ad au-
,, ream portam intravit Rufuſus primus ſtra-
,, torum obſequji, cognomento Buramphi,
,, & Theodorus Patricius Myancii cùm taxa-
,, tis, quos habebat in Thracia thematis ſui:
,, & feſtinans in Palatium, invenit Philippi-
,, cum meridie quieſcentem, & comprehen-
,, ſum eum duxit ſurſum in Oratorium Praſi-
,, norum, & illic ejus oculos eruit, nullo
,, ſciente. In craſtinum autem, ideſt, Pen-
,, tecoſte, coacervato in Magna Eccleſia
,, Populo, coronatus eſt Artemius à ſecretis,
,, dictus mutato nomine Anaſtaſius. Sabbato
,, verò poſt Pentecoſten oculis privatus eſt
,, Theodorus Myancii, & ſecundo Sabbato
,, id ipſum pertulit Gregorius Buramphus, &
,, in exilium miſſi ſunt apud Theſſalonicam.
,, *Hactenus Theophanes*.

912 Auctor Anonymus mox citatus, ſivè Agatho Diaconus eadem copioſiùs recenſet, *inquiens*: ,, Cùm hæc duobus annis, ſic ab
,, ipſo cum jis, qui ipſum ſequebantur, &
,, quia eadem, quæ ipſe ſentiebat, violen-
,, ter fierent, eum Divina puniit & evertit
,, juſtitia, & maximè propter ea quæ nefariè
,, & turpiter ipſe perpetravit & ejus admini-
,, ſtri, in mulierum Monaſteriis, & plurimam
,, eo nomine factam diſſipationem & diminu-
,, tionem earum, quæ à Juſtiniano congre-
,, gatæ fuerant pecuniarum repoſitarum in
,, Palatio. Die enim Sabbati Sanctæ Pente-
,, coſtes, Indictione XI. repentè circa cre-
,, puſculum in eum facta inſurrectione præ-
,, ter expectationem ab exercitu, qui in Thra-
,, cia fuerat congregatus; propter irruptio-
,, nem vicinæ Gentis Hungarorum Bulgaro-
,, rum, cùm magna cæde & ſtrage Chriſtia-
,, norum qui manebant in Thracia, ejus cul-
,, pâ factam, quòd pactis conventis non ſte-
,, terat, captus ipſe barbarus tyrannus, im-
,, perioque motus & ejectus repentè orbatur
,, oculis, in tenebris deinceps inſipientis ſui
,, cordis tempore vitæ ſuæ ambulans, ut di-
,, cit pſalmorum eloquium.

913 ,, Sequenti autem die proclamatur
,, ipſo die S. Pentecoſtes, inſpiratione &
,, gratiâ Sanctiſſimi & vivifici Spiritus Impe-
,, perator, pius & orthodoxus Flavius Arte-
,, mius, qui etiam mutato nomine, poſtea
,, vocatus fuit Anaſtaſius, qui priùs fuerat in
,, numero Scholæ eorum qui à ſecretis, ſen-
,, tentia & ſuffragiis Sacroſancti Senatus, &
,, totius Catalogi Sacerdotum, & Chriſti
,, amantium qui illic agebant exercitum, &
,, univerſi Populi Civitatis, primùm renun-
,, ciatus in Sanctiſſima Dei Catholica & Apo-
,, ſtolica Eccleſia, & coronatus à Pontifice &
,, Patriarcha Joanne ad Sanctum & Veneran-
,, dum Altare, cum eo apertè quoque procla-
,, mata & renunciata ab omnibus Sanctiſſi-
,, mis, qui ibi agebant Pontificibus & pio
,, Clero dicta Sancta & œcumenica ſexta Sy-
,, nodus. Qui quidem maximam curam ge-
,, rebant pacis & concordiæ Sanctiſſimarum,
,, quæ ubique ſunt Eccleſiarum, ſicque paulò
,, poſt cùm ei ita viſum eſſet & conſenſiſſet,
,, factæ ſunt literæ defenſionis à Sanctiſſimo
,, hujus Civitatis Epiſcopo Joanne ad Con-
,, ſtantinum Sanctiſſimum & Beatiſſimum Pa-
,, pam Romæ veteris. Quæ quidem cum ſy-

„ nodalibus de more miſſæ ſunt literis. Quæ „ de omnibus priùs ſcriptis, ut par erat, „ eum reddebant certiorem. *Hæc Auctor ille.*

914 Cujus rei notitia Romam perlata, magnam attulit Pontifici, ac Clero & univerſo Romano Populo lætitiam, ſcribit Anaſtaſius, inquiens: *Non poſt multos autem dies ſcripta venerunt à Sicilienſi Inſula, quæ nuntiaverunt Philippicum hæreticum à principali vertice depulſum, & Anaſtaſius orthodoxus Auguſtus Sceptra Regalia gubernanda ſuſcepit. Tunc orthodoxis exultatio magna, tenebrarum autem dies cunctis hæreticis ſuperfuſa eſt.* Quæ porrò ſubſecuta ſunt Conſtantinopoli adversùs geſta Philippici, & in honorem ſextæ Synodi, his verbis prælibatus recenſet Auctor, ſubjungens: „Quoniam autem poſt „ dejectionem ſuperiùs dictę Synodalis imaginis, qui eam nefariè dejici juſſerat ſceleratus & demens Bardanes in Melii, quæ „ dicitur fornice, ſanctas & œcumenicas „ quinque Synodos, & ſolùm in imagine ſe „ poni juſſit, in ejus medio ſe cum Georgio „ erectum ſtatuens, neceſſariò omninò & „ valdè convenienter his duabus perſonis ex „ illa dejectis, ejuſdem ſanctæ & œcumenicæ ſextæ Synodi cum aliis quinque ſit in „ columna deſcriptio. Communi feſto & „ lætitia ſpiritali in Domino exultatione ex„ ortâ univerſo Dei amantis Eccleſiæ cœtui „ ob conſtitutionem & pacem ſanctiſſimarum Eccleſiarum. Anaſtaſius verò ſcribit, eundem Imperatorem ſacram miſiſſe ad Conſtantinum Papam per Scholaſticum Cubicularium, & Patritium Ravennæ Exarchum cum ſuæ orthodoxæ fidei confeſſione: *Poſt aliquod verò temporis*, inquit, *Scholaſticus Cubicularius Patritius & Exarchus Italiæ veniens Romam, detulit ſecum Sacram Anaſtaſii Principis, per quam verè ſe orthodoxæ fidei prædicatorem, & ſancti ſexti Concilii confeſſorem eſſe omnibus declaravit, quam & Pontifici obtulit, & ita perrexit Ravennam.* Eâ inde à Pontifice acceptâ Imperatoris fidei profeſſione, eundem in catholicam receptum communionem, in album orthodoxorum Imperatorum, quo pro eo univerſa Eccleſia exoraret, referri voluit; ad quem etiam ex more miſit pro reſponſis Eccleſiaſticis Michaelem Presbyterum Cardinalem Apocrifarium, ut ſcribit Theophanes, eo vel maximè fine, ut Epiſcopi lapſi ſub Philippico, facti pœnitentes, ſanctæ catholicæ Eccleſiæ reconciliarentur. Et quidèm ipſemet Joannes Patriarcha, omnium ſchiſmaticorum anteſignanus, pœnitentiâ ductus ſub orthodoxo Principe, Apologeticum pro ſua & ſuorum defenſione ſcripſit ad Romanum Pontificem, cujus, ut antefati ſumus, meminit prælaudatus Anonymus, vel Agatho Diaconus, ad hunc modum ſe habentem.

Sanctiſſimo & Beatiſſimo fratri, & Comminiſtro Domino Conſtantino, Joannes indignus Epiſcopus in Domino ſalutem.

915 „ Qui ſuæ Divinitatis, & poteſtatis „ indicium, eorum quæ videntur magnificen„ tiam architectatus eſt Deus, præcipuè in „ pretioſiſſimo creaturarum rerũ ſenſibilium, „ noſtro inquam figmento ſuam oſtendit glo„ riam, & ſapientiam, qua quidèm ratione „ ex ipſo quoque admirabilem eſſe factam di„ vinam cognitionem Propheta exclamavit. „ Ipſe naturæ noſtræ opifex, cùm ſuo artifi„ cio curaſſet, ut caput toti corpori præfice„ retur, in eo collocatis præcipuis ſenſuum „ inſtrumentis, omnem reliquorum membro„ rum motionem, & perfectionem illinc ori„ ri fecit, & conſervari; & ſi contigerit ali„ quod eorum offendi, aut aliquo incommo„ do affici, non levem eorum curam à ſe ge„ rendam eſſe ſtatuit. Sed etiam adversùs „ ultima membra naturalem oſtendens affe„ ctionem & conſenſionem per manuum mi„ niſterium ductu oculorum, curat quod la„ borabat.

916 „ His veſtrum quoque Apoſtolicum „ Pontificatum comparare poſſumus, ò San„ ctiſſimi, & chriſtiani Sacerdotii Caput vos „ canonicè reputantes, meritò per vos quæ„ rimus, ægritudinis quæ Eccleſiaſtico noſtro „ accidit corpori à peſtilenti, & exitioſa ani„ mis tyrannica poteſtate, accipere ſolatium. „ Omninò enim vos quoque,ut eſt proprium „ Capitis, nos involuntariè laborantes,mini„ mè deſpicietis, neque à congenita ac coa„ lita conjunctione nos amandabitis, ſed „ propter noſtra potiùs vulnera dolẽtes (non „ enim membro patiente, omnia quoque „ membra ſimùl pati eſt conſentaneum con„ venienter voci Apoſtolicæ) nunc ſanitatis „ noſtræ recuperationi jure gratulabimini, „ & maximè quandò morbus à culpa corpo„ ris non eſt profectus, ſed extrinſecùs à vio„ lenta, & inopinata calamitate fuit effe„ ctus.

917 „ De qua, ut vos certiores reddere„ mus,neceſſariò miſimus has literas, per eas „ vobis veluti aperientes & indicantes gravi„ tatem vulneris. Quamobrèm hucuſquè „ prohibiti ſumus ſynodalem ſcriptionem de „ more ad vos mittere, ut qui tyrannicè de„ tineremur; neque enim nobis aliòqui lice„ bat ad vos ſcribere, purè, & non turbidè „ exponentes dogmata pietatis. Cùm enim „ hanc à Deo cuſtoditam occupaſſet Civita„ tem cum externa potentia, neque enim ve„ rè dixerim imperio, qui inſtar latronis, & „ veluti ex inſidiis vulnus nobis attulit, iis „ quas novit rationibus univerſorum guber„ natrix providentia: non eſt enim noſtrum „ ſcrutari profundum divinorum judiciorum, „ vim & non leges jaciens fundamentum, po-

„ potentiæ dejecit quidèm vel ante ſuum in„ greſſum, in atriis regiæ poſitam imaginem „ ſanctæ ſextæ Synodi.

918 „ Cùm autem in Sede Pontificatus „ vellet hominem collocare, qui non erat ex „ noſtro cœtu Eccleſiaſtico, ſed qui idem cum „ ejus perverſa ſentiebat ſententia, noſtri ta„ men Cleri aſſiduitate, contentione coactus „ non expectantes, non volentes, & non „ ſine dolore ægrèque ac gravatè hoc ſuſti„ nentes, provexit ad Pontificatus dignita„ tem, & faſtigium. Quis enim navigandi „ omninò imperitus navem conſcendat, & „ freta tranſmittere audeat? eſt autem ma„ jus quandò quis per vaſtum mare eſt pere„ grè profecturus, ei ſoli committatur clavus „ navis onerariæ ſui & rectorum gubernan„ dorum curam ſuſcipienti. Quod quidèm „ in nobis quoque quilibet intuens (nun„ quam enim meditati ſumus, quæ inter Pon„ tifices conveniunt in dignitatibus Eccleſia„ ſticis ſplendorem aſſequuti, ſoli myſterio„ rum miniſterio vacantes) non incredibile „ enim exiſtimabit quod dicimus, id noſtrâ „ voluntate non eſſe factum ipſum noſtræ „ conſcientiæ teſtimonium, quod ſui gloria„ tione divinus Apoſtolus definiit, nobis „ Deo producentibus ad probandam verita„ tem eorum, quæ dicuntur.

919 „ Iſte ergo, qui ſuum decus eſſe du„ cebat, dedecus ac probrum Eccleſiæ partu„ riebat quidèm, & ſtudebat impietatis ede„ re baſiliſcum, malorum auctoris ſerpentis „ fœtum, ut publicè in Eccleſia, & in Epi„ ſcoporum confeſſionibus anathemati ſubji„ ceretur dicta ſancta ſexta Synodus, & Apo„ ſtolicæ & venerandæ veſtræ Sedis Majo„ res, qui venerandum dogma pietatis tenue„ runt. Communiter autem confiteremur „ abſurdis dictionibus, & quæ nullam ha„ bent cognationem cum notionibus, quæ „ ſignificant perfectionem ejus, quod eſt in „ Chriſto myſterii: Ipſum autem Verbi hu„ manitatis ſuſceptionis myſterium procùl „ abeſſet; imò verò quidam jam murmura„ rent ipſam ſanctam Chalcedonenſem Sy„ nodum abrogandam, utpotè quòd ab illa „ penderet quod ad dogmatum attinet con„ venientiam, & eam, ut ita dicam, habere „ radicem & confirmationem dicta ſancta „ ſexta Synodus.

920 „ Mitto dicere quantas nobis reverà „ exhibuit moleſtias, ut ad veſtram frater„ nam Beatitudinem literas dirigeremus con„ venienter ſcopo illius amentiæ. Ad hæc „ quomodò nos & quo conſilio ita geſſeri„ mus, ut depelleremus quidèm ejus vim ty„ rannicam & protervam. Ad id autem, quod „ eſt paulò moderatius, deduceremus inſo„ lentiam, ſcientes, ut in malis non eſſe om„ ninò rejiciendam indifferentiam, quandò „ non ipſum bonum licet primo loco obtine„ re, nobis teſtimonium feret ipſa poteſtas, „ quæ cordium conſilia intuetur. Quin etiam „ inter homines Sanctiſſimæ veſtræ Sedis re„ ligioſus Apocriſarius, qui hìc agit, cui nos „ hunc maximè urgente tempeſtate dato ju„ rejurando ſatisfecimus, ei puram, quæ no„ bis inerat in orthodoxam fidem affectionem „ aperientes. Etenim vos quoque ſcitis, ut „ qui experientiâ apertè didiceritis, o San„ ctiſſimi, quòd nimis aſperè & præfractè ſe „ gerere adversùs poteſtatis neceſſitatem in „ rebus ejuſmodi abſque aliqua arte & inge„ nii ſolertiâ nequaquàm fuit facile. Etenim „ Nathan quoque Propheta non apertâ in „ Davidem uſus eſt reprehenſione de admiſſo „ adulterio & cæde, ſed cùm eam coloraſſet „ probabili quadam narratione ex illius ſen„ tentia in eum protulit judicium, licèt ipſe „ quoque David eſſet ornatus ſpiritu pro„ phetiæ. Propterea nos quoque, ſicut ma„ gnus dicit Baſilius, viri moribus parumper „ cedendum eſſe cenſuimus, ùt in iis, quæ „ ſunt præcipua, ſi non verbis, at ſententiis „ inviolata fidei ſervaretur confeſſio. Non „ enim in verbis, ſed in rebus eſt nobis veri„ tas, clamat Gregorius Theologus; & rur„ ſùm definit eſſe valdè abſurdum & turpe de „ ſono vocis exiliter diſſerere. Apoſtolicus „ quoque Dionyſius Areopagita eſſe à ratio„ ne alienum & ineptum pronuntiat, vim „ ſcopi & inſtituti non attendere, ſed dictio„ nes. Idque, inquit, non eſt eorum pro„ prium, qui volunt intelligentiâ divinâ per„ cipere, ſed eorum, qui ſolos ſonos admit„ tunt, eoſque ad aures uſque ulteriùs per„ meare non valentes extrinſecùs continent, „ & nolunt ſcire quid hæc quidèm dictio „ ſignificat; quomodò autem eam explicare „ oporteat per alias, quæ tantùm valent, & „ evidentiùs exprimuntur.

921 „ Hæc autem dicimus, non ut qui „ velimus evertere jam ſynodicè definitas, „ quaſque universa Dei Eccleſia longo jam „ tempore eſt confeſſa; Nempè dicere in my„ ſterio Chriſti Incarnationis ex pia & San„ ctis Patribus cognita intelligentia duas „ naturales voluntates, & duas naturales „ operationes. Sed intuentes ad ſolam ty„ ranni perſuaſionem, ut nominat Apoſto„ lus, ut ea ſolerti excogitatione verteretur „ in contrarium, nè aliena dogmata apertè „ introducerentur in Eccleſiam & penitùs „ labefactarentur de re propoſita pietatis de„ creta, quæ firma manſerant & inconcuſſa: „ ſimùl quoque magnum ducentes, uti etiam „ à nominatæ ſanctæ Synodi inimicis ex „ ſententia per confeſſionem admitteretur „ ejus doctrina, ut non everſionem, ſed illius „ potiùs confirmationem apertè oſtenderent, „ apud eos quidèm certè, qui ſano & infle„ xibili oculo rerum contemplationis hæc „ ſciunt conſiderare, ea, quæ tyrannus ad„ versùs Synodum eſt machinatus; volendi „ enim & operandi poteſtate præditum in al-

tera

„ tera natura dicere eſſe Chriſtum, nihil
„ eſt aliud, quàm intelligere duas natu-
„ rales voluntates, & duas naturales ope-
„ rationes.

922 „ Expreſsè enim hoc ſenſu has in-
„ telligi voces, in edicto à ſe decreto priùs
„ decrevit in veſtra magna Civitate Romana
„ congregata Synodus à venerandæ memo-
„ riæ Martino, qui veſtræ præfuit Eccleſiæ,
„ ut illa apertè per nos quoque peccatores
„ & minimos diſpenſarit Dei ſapientia, qui
„ comprehendit ſapientes in aſtutia eorum,
„ quæ Gregorius Theologus ponit in fune-
„ bri Oratione in Magnum Baſilium, ubi
„ illum inducit uſum conſilio Davidis di-
„ ſpenſando verba ſua in judicio: Silentio
„ quidèm præteriiſſe principalem vocem in
„ Sancto Spiritu, aliis autem, quæ idem
„ valerent vocibus, corroboraſſe piam fidei
„ prædicationem. Quamquàm quanta ſit
„ differentia utriuſque argumenti, ejus, in-
„ quam, quod verſatum circa fidem & con-
„ feſſionem Divinitatis, & de Divina Incar-
„ natione, ut idem dicit Sanctus Gregorius
„ Theologus, meditationum, quas ſubtilis
„ neceſſariò exquirit contemplatio ad indi-
„ candam perfectionem in utraque natura,
„ ſeu vivifica Trinitate tractationes & dog-
„ mata excellentiam habeant & præſtantiam.
„ Sic enim & quæ ab eodem ſapienti Theo-
„ logo in Oratione de Theologia adverſùs
„ Eunomianos dicta ſunt, ubi hæc dicit:
„ Philoſophare de Mundo, de Materia, de
„ Anima, de Rationis Compotibus Naturis,
„ tàm præſtantioribus, quàm deterioribus,
„ de Reſurrectione, de Judicio, Remunera-
„ tione, Chriſti Paſſionibus. In his enim &
„ aſſequi nō inutile, & peccare vacat pericu-
„ lo. Non enim ea ſimpliciter & abſolutè
„ poſuit Doctor, ſed quòd illa conferret cum
„ iis, quę dicuntur & decernuntur de Divina
„ Trinitate.

923 „ Hac itaque diſpenſationis ratione
„ & conſilio cætera quoque eorum, quæ fa-
„ cta ſunt, proceſſiſſe credentes, ò Sanctiſſi-
„ mi, nè velitis propterea eam in nos con-
„ ferre culpam, cui non poſſit ignoſci. Sed
„ & ſi quis exiſtimet id, quod eſt accuratum
„ & perfectum nos non eſſe aſſecutos, com-
„ paratione eorum, qui ex Sanctis Patribus
„ œcumenicè proceſſerunt, abſolvamur à cul-
„ pa & omni condemnatione; Nam Cyril-
„ lus quoque ſapientiſſimus non expreſsè ju-
„ bet abdicari Theodorum Mopſueſtiæ Epi-
„ ſcopum, certo conſilio gratificans iis, qui
„ adhùc infirmiùs in eum erant affecti; etſi
„ illum ſciret auctorem & patrem perverſi
„ Neſtorii ſententiæ. Idque indicant quæ ab
„ ipſo de eo ſcripta ſunt ad Sanctum Pro-
„ clum, qui noſtræ ſanctiſſimæ præfuit Ec-
„ cleſiæ. Et ſuperiùs quidèm dictus fidei ty-
„ rannus, *ſuam conſcientiam habens cauteria-*
„ *tam*, ſicut dicit Sanctiſſimus Paulus, au-
„ ſus eſt comburere tomos Actorum nomina-
„ tæ ſanctæ ſextæ Synodi, repoſitos in Pala-
„ tio, exiſtimans, ut ſibi videbatur, ſimùl
„ quoque cum iis verbum delere veritatis.
„ Nos autem eum ſinentes ſuâ decipi opinio-
„ ne, & tanquàm præclaro aliquo facinore
„ ſuo gloriari dedecore, diligenter cuſtodivi-
„ mus apud nos repoſitos Actorum tomos
„ nominatæ ſanctæ ſextæ Synodi, in quibus
„ etiam omnium, quæ in hanc ſanctam ſex-
„ tam Synodum convenerunt, Epiſcopo-
„ rum ſubſcriptiones cum Imperiali ſubſi-
„ gnatione in decreto ab eis edito conti-
„ nentur.

924 „ Porrò aliter autem noſtro tempo-
„ re, ut conſervarentur, nec interirent Acta
„ ejuſdem ſanctæ Synodi, diligentiùs cura-
„ tum eſt. Quandoquidèm liber quoq; ſcri-
„ ptus propriâ manu Pauli ſanctæ memoriæ,
„ qui fuit Antiſtes noſtræ ſanctiſſimæ Eccle-
„ ſiæ, Dei gratiâ apud nos ſervaretur, qui
„ cùm eſſet à Secretis, in hac ſancta Synodo
„ inſerviit. Adeout ex hoc apud poſteros
„ quoque cautum ſit Dei & Eccleſiæ, nè
„ quiſquam malignitate aliquâ, ut multa in-
„ ter homines ſolet tempus innovare, audeat
„ adulterare ea, quæ, ut priùs dictum eſt,
„ continenter acta ſunt à ſancta ſexta Syno-
„ do, aut perverſè aliis ea poſſit tradere. Ger-
„ mana enim, & quæ circumſcribi non po-
„ teſt veritas, vel ex hoc libro omnibus oſten-
„ detur apertiùs. Quandoquidèm verus no-
„ ſter Præſes & Servator Dominus Jeſus
„ Chriſtus in his diutiùs tolerandis non ſu-
„ ſtinuit indormiſcere; ſed ſurgens ſuâ bo-
„ nitate & potentiâ, nunc quoque increpa-
„ vit fluctum, non aquæ, ſed nefarii conatus,
„ & ſedavit quidèm hyemem Eccleſiarum
„ tempeſtatis. Donavit autem nobis ma-
„ gnam rerum tranquillitatem, pium Impe-
„ ratorem omni ex parte virtute præditum,
„ qui Imperiori Celſitudini reſpondentem
„ habet zelum orthodoxæ fidei, morum ho-
„ neſtatem, & moderationem quique conve-
„ nienter ejus nomini, nempè Anaſtaſii, ſur-
„ gere fecit Eccleſiaſticam pacem & concor-
„ diam. Confidimus etiam in eo, qui eam
„ nobis donavit, quòd Reipublicæ quoque
„ electionem, ut fert appellatio nominis, ex-
„ orditur.

925 „ Vos ergò, ò Sacrum Caput, per-
„ ſpicaciſſimâ, quæ eſt in vobis, virtute ſpiri-
„ tus, benignæ invocationis nobis manum
„ porrigentis miti contactu mutuarum lite-
„ rarum ex more Eccleſiaſtico, antiſynodi-
„ corum ſcilicèt Apoſtolorum charitatis ad-
„ hibeas medicamentum, quod eſt in nobis
„ moleſtum & palpitans ſtudete medicari.
„ Nunquàm enim erit noſtra relaxatio, aut
„ oculis ſomnus aſcendet, & requies tem-
„ poribus, & palpebris noſtris dormitatio,
„ donec univerſam Dei Eccleſiam aſpexeri-
„ mus, rursùs conſervare unitatem ſpiritus
in

,, in vinculo pacis. Etenim cùm ſitis illius ,, diſcipuli & ſucceſſores, qui audiit à Do- ,, mino: *Simon, Simon, ecce Satanas expeti-* ,, *vit vos, ut cribraret tanquàm triticum. Ego* ,, *etiam rogavi pro te, ut non deficeret fides* ,, *tua; & tu aliquandò converſus confirma fra-* ,, *tres tuos*, debetis quidèm diligenter indu- ,, cere quæ fulciunt & ſtabiliunt ad corre- ,, ctionem, promptiùs etiam donare quę ſunt ,, clementis animi & miſericordis; Nam ip- ,, ſum ſummum Apoſtolorum, ex eo quod ipſi ,, accidit, adhortatur Dominus agnoſcere ,, quidèm carnis infirmitatem; eos autem, ,, qui inſultu rerum externarum lapſi ſunt, ,, ut ipſi quoque uſu venit tempore ſalutaris ,, paſſionis, non impediri, quominùs per ,, correctionem reſtituantur priori impati- ,, bilitati.

926 ,, Jam verò hoc quoque veſtram ſa- ,, croſanctam non fugiat memoriam, quòd ,, quidam ex iis, qui impium Eutychen de- ,, poſuerant tempore Flaviani ſanctæ memo- ,, riæ, cùm in Synodo, quæ Epheſi poſtea ,, celebrata eſt à Dioſcoro, eum qui juſtè ,, fuerat condemnatus, juſtum pronunciaſ- ,, ſent, Beatiſſimum Flavianum iniquiſſimè ,, condemnarunt. In ſancta tamen Chalce- ,, donenſi Synodo eis ſuffecit ad perfectam ,, criminis depulſionem ſanctæ confeſſionis ,, depoſitio; nec de eo multo eis labore & ,, verbis fuit opus. Scit enim fraterna dile- ,, ctio non diù differre benignitatem & cle- ,, mentiam in proximum: Sanctis enim Pa- ,, tribus, qui Chalcedone fuerant congre- ,, gati, hæc ſcripſit Leo clariſſimus, veſtræ ,, Sedis Apoſtolicæ, immò verò totius Or- ,, bis terræ lumen clariſſimum: *Sed quoniam* ,, *multa ſæpè accidunt, quæ poſſunt adducere* ,, *ad pœnitentiam, & Dei miſericordia vincit* ,, *delicta peccatorum, propterea ſuſpenditur* ,, *ſupplicium, ut poſſit locum habere correctio.* ,, Præterea ad Pulcheriam quoque ſcribens ,, piæ memoriæ in Epiſtola, cujus eſt princi- ,, pium: *Piam veſtræ benignitatis curam,* ,, *quam perpetuò gerit fidei catholicæ*, hęc di- ,, cit Leonis mens pręſtantiſſima: *Quemadmo-* ,, *dùm enim ab initio hujus argumenti ſcripſi* ,, *frequentiſſimè, inter diſſentientes mentes, &* ,, *carnales mentes hanc volo ſervari moderatio-* ,, *nem, ut fidei quidèm perfectioni nihil liceat* ,, *addere nec conferre: iis autem, qui rever-* ,, *tuntur ad unitatem & pacem, præbeatur me-* ,, *dela veniæ, quoniam opera Diaboli tunc va-* ,, *lidiùs deſtruuntur, quandò charitatem in* ,, *Deum & proximum hominum corda revo-* ,, *cant.*

927 ,, Hoc ipſum autem multò ante Cy- ,, rillus quoq; Divinarum rerum peritiſſimus ,, feciſſe invenitur in Epiſcoporum Orienta- ,, lium in ipſum invectione & decertatione. ,, Illi enim à condemnatione volentes abſol- ,, vere Neſtorium, & in ipſum latam infir- ,, mare ſententiam contendentes, auſi ſunt ,, non tolerabilia, ſed maximum delictum ,, admiſerunt: Ipſum enim Beatum Cyril- ,, lum & Synodum ejus anathematizarunt; ,, ſed ille quoque celerem & non operoſam ,, adhibuit reparationem; nempè hoc ſolum, ,, ut conſentirent iis, quæ ſynodicè fuerant ,, conſtituta ac piè definita, & comproba- ,, rent impii damnationem, illas poſt hæc ,, omni lætitiâ plenas voces, exclamante ipſo ,, Divino Patre, quas ſuppliciter quiſpiam ,, dictas eſſe, quaſi ipſe potiùs ſui lapſus ac- ,, cepiſſet condonationem, non autem ipſe ,, lapſum condonaſſet: *Lætentur enim*, inquit, ,, *Cæli & exultet terra; ſoluta eſt enim mace-* ,, *ria ſepis, & omnis diſſenſionis nodus eſt ſubla-* ,, *tus, cùm omnium noſtrùm Servator Chriſtus* ,, *ſuis Eccleſiis pacem conciliarit.*

928 ,, Habetis ergò vos, ò Viri divini- ,, tùs inſpirati, delicti per alterius vim & in- ,, juriam admiſſi, validam & legitimam de- ,, fenſionem, & quæ nequaquàm convelli ac ,, labefactari poteſt puram & liberam ortho- ,, doxæ fidei confeſſionem. Nè ſitis ergò, ò ,, Beati, pigri & tardi in id, quod eſt vobis ,, conjunctum & individuum in ſpiritali con- ,, ſpiratione & concordia, neque attenden- ,, tes ea, quæ per vim facta ſunt, nos, qui- ,, bus vis eſt allata, expellatis à veſtra cha- ,, ritate, neque tanquàm inimicos exiſti- ,, metis, ut dicit Divinus Apoſtolus, ſed ,, conſolemini ut fratres, oſtendentes Dei ,, imitationem.

929 ,, Omninò enim conſiderabitis, ò ,, Sanctiſſimi, ex Scripturę hiſtoria de Aaron ,, Sancto Domini, ſicut eum Divinus ap- ,, pellavit Spiritus, quòd ea, quæ per vim, ,, & non ex intrinſeca animi malitia fiunt, ,, ſequitur juſta condemnatio, exceptâ verbi ,, perfectâ abnegatione, & ad perfectam im- ,, pietatem abductione. Aaron enim ille, ,, cùm priſci populi ceſſiſſet impetui, & ad ,, Idolum fabricandum eis fuiſſet adminiſter, ,, à fratre quidèm fuit reprehenſus; Sed cùm ,, ſe id per vim coactum feciſſe in ſua aſſere- ,, ret defenſione, nullam à Deo accipit in- ,, crepationem, neq; privatur dignitate Pon- ,, tificatus. Omninò ad internum germanum ,, in Deum cultum, aſpiciente eo, qui ſigil- ,, latim finxit corda noſtra, ut dicit magnus ,, David, & non ad externam temeritatem. ,, Oſtensâ ergò noſtræ in rectum verbum ſen- ,, tentię ſanitate & conſenſione, ex eò quòd ,, citrà morem quidèm ſimus parati condem- ,, nare quidèm ita, quæ abſurdè facta ſunt, ,, comprobare autem & confirmare dogmata ,, pietatis dictæ ſanctæ ſextæ Synodi. Nos ,, amplectimini, ò fratres venerandi, alter ,, alterius enim onera portate, & ſic implete ,, legem Chriſti, voce maximâ nobis clamat ,, Divinus Apoſtolus, ut unanimes in uno ,, ſpiritu glorificemus Deum & Patrem Do- ,, mini noſtri Jeſu Chriſti. *Subſcriptio*. For- ,, tis in Domino, ora pro nobis Sanctiſſime

& Bea-

„ & Beatiſſime Frater. *Hactenus Joannis Epiſtola ad Conſtantinum*.

930 At his non obſtantibus, licèt, ut tradit Anaſtaſius, ei Papa reſcripſerit, non proindè Conſtantinopoli, utpotè qui, ut hæreticus, & ab hæretico Principe promotus, creditus eſt catholicus. Quarè novus Imperator Anaſtaſius dubitans de Joannis fide, conſultiùs exiſtimavit eum è Throno ejicere, aliumque indubitatum orthodoxum in ejus locum ſubſtituere. Sicque exturbato Joanne, de totius Cleri, Senatus, Populi, atq; Michaelis Cardinalis Apoſt. Sedis Apocrifarii conſenſu, ad Thronum Eccleſię Conſtantinopolitanæ in ipſis Kalendis Auguſti, Anno ſecundo Imperii Anaſtaſii, Germanum Epiſcopum Cyzicenum, virum nobilitate clarum, ſanctitate vitæ clariorem, evexit; de cujus electione ſic ſcribit Theophanes: „ Anno II. „ Artemii, qui & Anaſtaſii, translatus à „ Cyzico Urbe Metropoli Germanus Con„ ſtantinopolim, in quo & commonitorium „ translationis, quod ſubinfertur, pronun„ ciatum eſt, continens ita: Electione & ap„ probatione religioſiſſimorum Presbytero„ rum & Diaconorum, totius venerabilis, „ ſacrique Senatus, & amici Chriſti Populi „ conſervandæ hujus Regiæ Urbis divinâ „ gratiâ, quæ ſemper infirma curat, & ea, „ quæ deſunt, adimplet, tranſtulit Germa„ num Sanctiſſimum Præſulem Cyzicenſium „ Metropoleos in Epiſcopum hujus à Deo „ conſervandæ ac Imperatoriæ Civitatis. Fa„ cta eſt præſens translatio in præſentia Mi„ chaelis ſanctiſſimi Presbyteri & Apocrifatii „ Apoſtolicæ Sedis ſub Artemio Imperato„ re. *Hæc Theophanes*.

931 Erat porrò Germanus Eunuchus, in odium genitoris, juſſu Conſtantini Pagonati, caſtratus, de quo Zonaras hæc ſcribit: „ Fuit „ enim Germanus filius Juſtiniani Patritii, „ qui eo tempore, quo Conſtantinus Pago„ natus Imperator è Sicilia veniens, ultus eſt „ in eos, qui alium Imperatorem deſignave„ rant, ab eodem occiſus eſt; & ejus filium „ Germanum, cùm ejus ætatis eſſet, qua ca„ ſtrari homines ſolent, Eunuchum fecit. *Hæc Zonaras*. Ejuſdem inſuper ſanctitatem ac prophetiæ ſpiritum in ipſa ordinationis die, dùm, ſcilicèt electus in Eccleſiam, duceretur in Throno collocandus, demonſtratum recenſet Sanctus Joannes Damaſcenus in vita Martyris Stephani Junioris, inquiens: „ Cùm eximius vir Germanus in Patriarchi„ chum Thronum aſcenſurus eſſet, plebs in„ genti frequentiâ ad maximum Sanctæ So„ phiæ Templum, ipſius videndi cupiditate „ concurrebat: Erat enim ille virtutis no„ mine clarus & illuſtris, atque in omnium „ linguis non ſinè voluptate verſabatur. Unà „ autem cum omnibus præclarum illud pa„ rentum Stephani par occurrens, ſcamnum „ quoddam occuparat, quo eum, quem cu„ piebat è ſuperioribus intueri poſſet. Cùm „ igitur ille per Eccleſiam tranſiret, ſtatim „ mulier, quæ Stephanum geſtabat in utero „ (ipſam enim ejus, quem geſtabat in utero, „ cura concitabat): *Benedic Domine id, quod* „ *in meo utero eſt*, clamare cœpit. Ille autem „ perſpicaci animæ oculo, eum, qui utero „ geſtabatur, intuens: *Benedicat hunc Domi*„ *nus per primi Martyris interceſſiones*, re„ ſpondit. Apud omnes porrò mulier affir„ mabat, ſe eâ horâ, qua hoc audiſſet, igneam „ flammam ex divino illo ore proſilientem vi„ diſſe. Ut igitur in lucem editus eſt, ſta„ tim eum, ut magnus Germanus prædixe„ rat, Stephanum appellarunt. *Hæc ille*.

932 Sed eodem anno, quo hæc geſta ſunt Conſtantinopoli, obiit in Domino Romæ Conſtantinus Papa, ſepultuſque ad Beatum Petrum Apoſtolum v. Idus Aprilis, Anno Domini DCCXLV. currente indictione XII. ubi ſediſſet annos VI., die I. & menſe I. proindè ante promotionem Germani ad Thronum Conſtantinopolitanum, quam contigiſſe diximus in ipſis Kal. Auguſti. In locum porrò Conſtãtini univerſo ſuffragante Clero, ſummâque omnium concordiâ, poſt dies XLII. vacantis Sedis, ſuffectus eſt Gregorius hujus nominis II., natione Romanus, ex Patre Marcello, creatus die XXII. Maji ejuſdem anni. Anaſtaſius tradit, ad hunc Gregorium ſcripſiſſe Joannem Epiſcopum Conſtantinopolitanum ante recitatam literam, cui Pontificem reſcripſiſſe fatetur. At Baronius ad hunc annum, ſub num. 3. tom. 9. probat eam ſynodicam ſive apologeticam repudiatam, Joannemque poſtquàm Gregorius reſcripſit Conſtantinopolim, è Throno fuiſſe ejectum. Ego quidèm putarem, Epiſtolam Joannis ſcriptam fuiſſe ad Conſtantinum Papam, receptam tamen à Gregorio. Etenim ſi verum eſt quod Theophanes ſcribit, promotionem Germani accidiſſe in ipſis Kalendis Auguſti; electionem Gregorii, cum Anaſtaſio, immò potiùs cum ipſo Baronio, & Binio factam fuiſſe die XXII. Maji, non eſt probabile tàm brevi tempore, à die ſcilicèt creationis Gregorii, & promotionis Germani, potuiſſe ea omnia evenire, nimìrum, ut electio Gregorii innoteſceret Conſtantinopoli, ut habitâ notitiâ Joannes ſcriberet Romam, & Papa acceptis literis, reſcriberet ut amoveretur; quoniàm néceſſe eſſet aſſerere hęc omnia eveniſſe ſpatio duorum menſium novemque dierum; atqui locorum diſtantia ſententiam improbabilem reddit.

933 Deinde eodem anno ſub Gregorii Pontificatu coactus eſt Anaſtaſius Imperium Theodoſio hujus nominis IV. cedere: quomodo res ſe habuerit, ſcribit Anaſtaſius Bibliothecarius in vita Gregorii, inquiens: „ Hujus „ temporibus Anaſtaſius Imperator claſſem „ navium præparatam in partibus Alexan„ driæ direxit contra à Deo deſtruendos Aga-

renos,

„ renos, qui ad aliud verſi conſilium, antequàm perveniſsent ad deſtinatum locum, „ ab itinere medio ad regiam regreſſi ſunt „ Urbem, Theodoſium orthodoxum inquirentes, Imperatorem elegerunt, atque coactum in ſolio Imperii confirmaverunt. Anaſtaſius itaque cum civibus, vel quibus potuit de exercitu, munitam Civitatem, Nicæam perrexit: illic cum claſse, in qua „ Theodoſius fuerat, dimicavit, & ferè ſeptem millia exercitus ſunt interempta. Cujus Anaſtaſii ſuperata pars verbum jam „ immunitatis expetiit; Datoque ſibi Sacramento, Clericus factus, atque Presbyter eſt „ conſecratus. *Hæc Anaſtaſius de Theodoſii evectione ad Imperium*.

934 Theophanes verò eandem rem ſic enarrat: „ Cùm Artemius, idemque dictus „ Anaſtaſius, didiciſset, quòd claſsis Sarracenorum ab Alexandria in Phœnicem properaret ad ligna Cypreſsina incidenda, eademque ad uſum navium comparanda, mittit claſsem ut obſiſteret, cui præfecit Obſicium, necnon Joannem magnæ Eccleſiæ „ Diaconum. Porrò idem Imperator Generalem Logothetam Obſicium & alios omnes in Rhodo Inſula convenire jubet. Ubi „ cùm eſsent, ab eis, qui erant Obſicii, adversùs eos, qui erant Joannis, diſsenſio orta „ eſt; qua factum, ut occiſo Joanne, adverſæ partis militibus prævalentibus, dùm timerent Imperatorem ob admiſsum facinus, reverſuri ad propria, cùm Adramyttium perveniſsent, invenientes indigenum „ hominem nomine Theodoſium, qui erat „ tributorum publicorum exceptor, eum „ hortati ſunt imperare, qui fugâ lapſus, in „ monte latuit; ſed inventum imperare coegerunt, Conſtantinopolimque versùs navigantes, cum Claſse Regia pugnandum „ fuit, donec tandèm poſt ſex menſes proditione Urbis portâ patefactâ, unà cum ſuis „ admiſsus eſt Theodoſius, qui Anaſtaſio vitam conceſsit, quam duceret, factus Monachus in Monaſterio, ubi fuit exilio relegatus. *Hactenus Theophanes*. Subjungit porrò Anaſtaſius, hunc, utpotè Catholicum, deletas a Philippico ſex ſanctarum Synodorum imagines, eodem loco reſtituiſse, ut ſic ex fervore fidei, omnis in Eccleſia ceſsaret controverſia: *Protinùs etiam*, ait, *ut ingreſſus eſt memoratus Theodoſius regiam Urbem, imaginem illam venerandam, in qua ſanctæ erant ſex Synodi depictæ, & à Philippico nec dicendo fuerat depoſita, in priſtinum erexit locum, itaut hujus fidei fervore omnis ab Eccleſia ceſſaret quæſtio*. Hoc ergò pacto pax firmata fuit, quæ tamen non diù perduravit, ut patebit infra.

CAPUT XIX.

De alia Græcorum ſeceſſione ab Eccleſia Romana ſub Leone Iſaurico Imperatore.

935 Cumque Theodoſii ad Imperium promotio minimè placuiſset Leoni Iſaurico Orientis Præfecto, ei parère renuit, & adſcito Artabaſso Armeniæ Prætore, cui & filiam nuptui dare promiſit, defectionem meditari cœpit. Sic Theophanes, inquiens: *Cum interim Leo Iſauricus Præfectus Orientis minimè volens novo Imperatori ſe ſubiicere, ſecum attrahens Artabaſſum Prætorem Armeniæ, cui & filiam ſpopondit in matrimonium ſe daturum, de Imperio adipiſcendo cogitare cœpit*. Itaque factâ defectione, adversùs Theodoſium inſurrexit, qui utpotè magis quietis amicus, de Germani ſanctiſſimi Patriarchæ, ac totìus Senatus conſilio, ſpontè ſe abdicavit, Imperiumque æmulo ſuo ceſſit, prout auctor eſt idem Theophanes, inquiens: „ Theodoſius compertis his, quæ „ geſta ſunt, ſuperiùs enarrata, conſilio à „ Germano Patriarcha & à Senatu percepto, „ per eundem Patriarcham à Leone verba „ indemnitatis accepit, & Eccleſię ſuæ ſinè „ perturbatione ſervandæ; & ſic ei committunt Imperium. Porrò Theodoſius unà „ cum filio ſuo Clericus factus, reſiduum „ vitæ ſuæ tranſivit in pace. *Hæc ille*. Exordia hujus Imperii numerantur ab VIII. Kalendas Aprilis, Indictionis XIV., Anni ſcilicèt Domini DCCXVI. Pontificatus verò Gregorii, III., licèt Theophanes incipiat numerare ab Indictione XV. dictarum Kalendarum Aprilium, quem perveniſſe tradit uſque ad XIV. Kalendas Julias IX. Indictionis; cùm verò Gregorius in Epiſtola ad Leonem reddita fateatur ſe illius accepiſſe literas ſub datis Indictione XIV., recedendum eſt à Theophane, aſſerendumq; imperare cœpiſſe prælibatâ XIV. Indictione.

936 De origine & hujus Principis progreſſu hæc ſcribit Cedrenus lib. 3. Annal., inquiens: „ Hebræi impoſtores, qui quo falſa „ pronunciaſſent Arabum Regi, quæſiti ad „ necem, cùm fugiſſent in Iſauriam, nacti „ Leonem adoleſcentem, eundemque & Cononem nominatum, videntes ipſum formoſum, procero corpore, qui ſordidâ arte „ alebat, prænuntiaverunt ei, fore ut Romano Imperio potiretur, juramentoque eum „ obligant, ſi hoc eſſet, facturum quod poſtulabunt. Juravit id Leo in Eccleſia Sancti Theodori, quæ vicina erat. Poſt hæc „ factum, ut Leo à Siſinnio Patritio in militiam adſciſcęretur, à Juſtiniano autem „ Spatharius crearetur, ab Anaſtaſio verò „ Præfecturâ Orientis inſigniretur, licèt alii

„ eam à Theodoſio aſſecutum tradant, & ſic „ Imperator evaſerit. *Hæc Cedrenus*.

937 Ab initio ſui principatus ſe verè orthodoxum oſtendit; coronandus à Germano Patriarcha, ipſo exigente, juravit ſe fidem Catholicam illibatam in omnibus ſervaturum. Scripſit ex more ad Gregorium Papam de ſua promotione eum certiorem reddens, cui Epiſtolæ & Catholicæ ſuæ fidei profeſſionem inſeruit, poſtulans, ab eo Catholicam communicationem, cui petitioni S. Pontifex, certioratus etiam de ſynceritate illius fidei per literas Germani Patriarchæ, annuens, eum benignè in filium ſuſcepit, & redditis literis, promiſit quoque ſe curaturum, ut ubique in occidente Principes Chriſtiani ipſi fœdere amicitiæ jungerentur. Porrò ipſius Imagines, quas laurata nominare conſueverunt, Romam delatæ, magno cum honore fuerunt à civibus ſuſceptę, & ut id ipſum in Provinciis prętaretur à Principibus Chriſtianis, æquè ejuſdem Gregorii operâ curatum eſt. Hæc omnia colliguntur ex Epiſtola I. ejuſdem Gregorii ad Leonem data, cujus initium, *literas veſtræ à Deo cuſtoditæ Majeſtatis*, præpoſitâ Actis Synodi Nicænæ ſecundæ. Anno inde ſui Imperii VII. Gregorii II. Anno IX. Domini verò DCCXXII. Indictione v. coegit Leo omnes Judæos, atque Montanos baptizari, licèt poſtea Judæi defeciſſent, Montani verò igni ſe ſponte incendendos tradidiſſent, unde Theophanes ait: *Leo Imperator coegit Judæos, & Montanos baptizari. At verò Judæi contra popoſitum ſuum diluerunt Baptiſmum, & comedentes Sancto munere, participabantur, & contaminabant fidem. Porrò Montani divinantes ſibi, & definientes fidem, domos introjerunt errori ſuo deputatas, & incenderunt ſemetipſos*. Perſecutus eſt quoque Manichæos, ut tradit Lucas Siculus.

938 Sed anno VIII. ſui Imperii, Gregorii II. Pontificatus anno X. Domini DCCXXIII. Indictione VIII. apud Saracenos ſua agnovit initia Iconoclaſtarum hæreſis, cui & infœlix Leo adhæſit, ex quo facta eſt lacrymabilis Eccleſiæ Orientalis ab occidentali ſeceſſio: ita adnotat Theophenes, *inquiens*: „ Anno VIII. „ Leonis Imperatoris Judæus quidam oriun- „ dus ex Laodicæa maritimæ Phænicis male- „ ficus, veniens ad Gizid Sarracenorum tunc „ Principem, promittit, eum quadraginta „ annis retenturum Arabum principatum, ſi „ venerabiles, quæ in Eccleſiis in toto prin- „ cipatu ſuo Imagines venerabantur, depo- „ neret. Huic itaque credens ſtolidus Gizid, „ edictum generale contrà Sanctas Imagines, „ promulgavit Sed gratiâ Domini Noſtri Je- „ ſu Chriſti, & interceſſionibus Matris ejus, „ omniumque Sanctorum, mortuus eſt Gi- „ zid, pluribus adhuc nec audire volentibus „ ſatanicum ipſius edictum. *Hæc Theophanes*.

939 Deinde de adhæſione huic errori Leonis Iſaurici, hæc alia, *ſubjungit*: „ Perce- „ ptâ ergo amarâ iſtâ & illicitâ, nequamque „ doctrinâ, Leo Imperator multorum effectus „ eſt nobis cauſa malorum. Porrò cùm inve- „ niſſet indiſciplinationis hujus conſenta- „ neum quemdam Beſer nomine, qui natus „ quidem de Chriſtianis fuerat, ſed captiuus „ in Syriam ductus, refuga fidei, quæ eſt in „ Chriſtum, repertus eſt, Arabum dogma „ ſectari apparuit; is ante tempus non mul- „ tum ab illorum ſervitute liber effectus, cùm „ veniſſet ad Rempublicam Romanorum, ob „ robur corporis & conſcenſum pravæ opinio- „ nis honoratus eſt ab eodem Leone, qui & „ Imperatoris fautor in magno hujus mali pe- „ riculo factus eſt. Concordabat autem ei & „ Epiſcopus Nacoliæ, qui indiſciplinationi „ ejus operam dans, conſimili vitâ vivebat „ cum ipſo. *Hæc de exordio hæreſis Iconoclaſtarum in Leone Iſaurico Theophanes*.

940 Porrò idem initium hanc hæreſim habuiſſe recitat Joannes Monachus in Actis ſeptimæ Synodi, videlicèt Nicænæ ſecundæ Act. v. & quidem copioſiùs, *inquiens*: „ Cùm „ diem extremum impiorum Arabum tyran- „ nus, quem Suliman nominabant, clauſiſ- „ ſet, ſubſecutus illum eſt Umarus, qui po- „ ſteaquam regnum adjiſſet, Anaſcaphon Mal- „ ſamam, hoſtem ſanè atrocem, per gratiam „ Domini Noſtri Jeſu Chriſti ſervatoris, ejuſ- „ que Deiparæ Matris, cum magna exerci- „ tus ſui clade & ignominia à terra iſta expu- „ lit, in Syriamque fugavit. Neque de re- „ deundo ſpem illi ullam reliquit. Umaro au- „ tem fato defuncto, Ezidus quiſpiam homo „ levis & inconſtans regnum accepit.

941 „ Per ea tempora in Tiberiade dux „ quiſpiam erat Hebræorum impiorum, cui „ nomen Sarantapechys, Officina Diabolo- „ rum, quibus vitiare animas luſus eſt & jo- „ cus, homo præſtigiator & veneficus & Ec- „ cleſiæ Dei hoſtis implacabilis. Hic animad- „ verſâ Ezidi Regis levitate, hominem aggre- „ ditur, polliceturque Hæbreorum ingenitâ „ malitiâ, ſe regi quædam prædicturum, & „ Vatem acturum in maximè neceſſariis re- „ bus ſe offert. Ex re, cùm eſſet inſinuatus Ty- „ ranno: Volo, *inquit*, ò Princeps, modò „ me audias, rationem quandam indicare ti- „ bi, qua poteris facillimè, & vitam com- „ modam degere, & triginta annos regnum „ æquabili in poteſtate conſervare. Stultus „ autem Tyrannus, ſpe & deſiderio longioris „ vitæ, animi levitate elatus (erat enim ho- „ mo voluptatibus deditus & præditus) re- „ ſpondit: Quæcumque me juſſeris facere, „ modò poſſim, agam: teque, ſi modò con- „ ſecutus fuero quod prædixiſti, beneficiis „ infinitis afficiam: Veneficus autem Hebræus „ confeſtim, *inquit*: Sinè ulla dilatione jube „ univerſum per Regnum Epiſtolam, quæ paſ- „ ſim circumferatur, ſcribi & mitti, qua om- „ nem Imaginem & picturam, ſivè ea in ta- bulis,

„ bulis, ſivè in opere muſaico in parietibus,
„ ſivè in vaſis ſacris, aut indumentis & Al-
„ taribus ſit, & quæcumque in Chriſtiano-
„ rum Eccleſiis reperitur, deleri, expungi,
„ auferri, & ex toto ſubverti mandes. Ne-
„ que illas ſolùm, verùm omnes planè ſimili-
„ tudines, & earum etiam quæ in foro orna-
„ tus & honeſtatis gratiâ collocantur. Nullâ
„ igitur ratione aliâ, quàm ut odium & fu-
„ rorem adverſùm Chriſtianos exerceret, Præ-
„ ſtigiator id tentavit. Tyrannus autem ne-
„ fandus Præſtigiatori levitate ſua auſculta-
„ tus, miſſis Nuntiis, omnes Sanctas Ima-
„ gines, & ſimilitudines per univerſam Pro-
„ vinciam abſtulit.

942 „ Hoc itaque modo primùm Eccleſiæ
„ ornamenta, procurante Hebræo venefico,
„ ablata ſunt. Chriſtiani autem cùm id ſuis
„ manibus facere detrectarent, miſſi ſunt He-
„ brei & Arabes, homines in Deum impii,
„ qui Imaginibus exuſtis Eccleſiarum, quaſ-
„ dam calce, quaſdam aliis coloribus deal-
„ barunt & incruſtarunt. Hæc autem cùm
„ perveniſſent ad aures pſeudoepiſcopi Naco-
„ liæ, & qui ejuſdem erant cum illo opinio-
„ nis, impios Hebræos & Arabes imitati, Ec-
„ cleſias Dei veluti Crucem Chriſti verecun-
„ dantes reddiderunt. Arbitror autem relatu
„ dignum, ut & ſanctitas veſtra audiat, quem
„ finem ignavus iſte & veneficus Hebræus
„ habuerit. Ezidus enim, qui facinus per-
„ petraverat, ultra annum cum dimidio non
„ vixit, in ignemque æternum deſcendit:
„ Poſtquam autem mortuus fuit, in priſtinum
„ ordinem & ſtatum Imagines reſtitutæ ſunt.
„ Filius autem illius Ulidus nomine, indi-
„ gnatus Hebræo, tanquam interfectori pa-
„ tris, turpiſſima morte hominem mori coe-
„ git. Ita in falſi ſui vaticinii dignum præ-
„ mium accepit. *Hæc Joannes Monachus*.
Cujus narrationi aſſenſum confirmans præ-
buit Epiſcopus Miſenæ, inquiens: *Et ego parvulus eram in Syria, quando Sarracenorum Princeps Imagines ſubvertit*.

943 Cæterùm quò ad Leonem Iſauricum etſi Theophanes, ea quæ ſupra recenſuimus referat ad annum VIII. illius Imperii, attamen nonniſi anno X. apparuit hæreticus, antea ſemper pro catholico habitus: hoc tempus notat S. Joannes Damaſcenus in vita S. Stephani Martyris, *inquiens*: „ Cùm autem ad deci-
„ mum jam Imperii annum Leo Iſauricus Im-
„ perator perveniſſet: nec jam eam hæreſim
„ diutiùs animo premere ac continere poſſet,
„ ſceleratum fœtum edidit: accitaque &
„ coacta Senatorum Claſſe, abſurdum illud
„ & impium evomuit: Imaginum picturas,
„ formã quandam Idolorum retinere, inquiens,
„ neque iis cultum adhibendum eſſe, ne alioqui
„ Dei loco imprudentes Idola veneremur.
„ *Hæc Damaſcenus*. Conſentiunt Theophanes, Cedrenus, Zonaras, & alii Scriptores Græci. Hoc egiſſe juxta promiſſa ab eo facta Hebræo illi, qui, ut antefati ſumus, Imperium ei prædixerat, plurimi referunt: inter quos Conſtantinus Maneſſes hiſtoricus Græcus, *inquiens*: „ Hebræi Leonis renunciatione co-
„ gnitâ, mox ad Imperatorem advolant, ut
„ promiſſo ſatisfaciat, orant: non tamen illi
„ vel aurum, vel argentum, vel gemmas pe-
„ tebant, ſed Sanctarum Imaginum picturа-
„ rum, ſtatuarum veneratione dignarum abo-
„ litionem, hoc eſt, ipſam Religioſi cultus
„ abolitionem, hoc eſt, ipſam Religioſi cul-
„ tus everſionem, cujus turres atque muni-
„ tiones hoc facto de fundamento ſubrui
„ oportebat. *Hæc ille*: Sed licèt ab initio fortaſſe illius Imperii Hebræi ſoliciti fuerint, ut talia ab impio Principe agerentur, illicò tamen non eſt auſus, nactus temporis opportunitatem, impium fœtum in corde retinens, & quidem propter animi ſui timiditatem: unde idem Conſtantinus Maneſſes, *ait*: „ Rebus
„ humanis ad ſceleratiſſimum Leonem dela-
„ tis, gravis tempeſtas Eccleſiam excepit,
„ magnis cum hominum cædibus conjuncta.
„ Nam execrabilis Imperator parturiebat illa
„ quidem (ut conſentaneum eſt) abſurda
„ novaque conſilia contrà Chriſtum, ſed fœ-
„ tum improbitatis nullo modo parere pote-
„ rat: quippe timidus animus eum ab inſti-
„ tuto revocabat. Tandem verò captatâ oppor-
„ tunitate, ſummâque audaciâ fœtum edidit,
„ aluus ruptus eſt, viperes ſoboles prodiit.
„ *Hæc ille*.

944 Promulgato itaque edicto de Sanctarum Imaginum everſione, anno X. ut præfati ſumus, Imperii Leonis Iſaurici, qui fuit Domini annus DCCXXVI. Pontificatus Gregorii annus XIII. currente Indictione IX. protinus ingens tumultus à plebe excitatus eſt, ut tradunt Acta Stephani Martyris, ac mœſtitiæ nubes Orthodoxorum Eccleſiam obtexit. Germanus verò Patriarcha Zelo fidei ſuccenſus, dùm primùm tantum ſcelus accepiſſet, miſit ad Imperatorem unum ex præcipuis ſuæ Eccleſiæ miniſtris, ut eum moneret, quatenus ab impio inſtituto deſiſteret: ſed fruſtrà, confirmato in ſua impietate Principe: qui minis modò, & blanditiis in ſuam ſententiam conatus eſt trahere Sanctiſſimum Patriarcham, prout Theophanes ſcribit, *inquiens*:
„ Leo Imperator furens contrà rectam fidem,
„ adducto Beato Germano, cœpit blandis ſer-
„ monibus eum delinire. At verò Beatus,
„ ſummuſque Sacerdos dixit ad eum: Depo-
„ ſitionem Sanctarum Imaginum audivimus
„ quidem futuram, ſed non tempore Imperii
„ tui. Cùm autem ille cogeret eum dicere:
„ ſub cujus Imperio; *ait*, ſub Cononis. At
„ ille: Re, *inquit*, verâ ex Baptiſmo mihi
„ Conon nomen eſt. At ille dixit: Abſit Do-
„ mine, ut per Imperium tuum iſtud malum
„ perficiatur. Antichriſti præcurſor eſt, qui
„ hoc adimpleturus eſt; & Divinæ Incarna-
„ tionis everſor. In his ergo ſævus Tyrannus

,, inſaniens, minas Beato Germano præten-
,, debat. *Hactenus Theophanes*.

945 Deinde agens de dira adversùs Orthodoxos ab ipſo Leone excitata perſecutione, hæc alia, *ſubjungit*: ,, Turbæ autem,
,, quæ in Regia Urbe erant valdè triſtes ſuper
,, novis doctrinis, meditabantur in eum in-
,, ſurgere, & quoſdam regios homines occi-
,, derunt, Dei deponentes i ona, quæ ſuper
,, magnam æneam portam cernebatur. Adeo-
,, ut multi eorum pro veritate punirentur
,, membrorum detruncationibus, & flagris,
,, & exiliis, & rerum jacturis, maximèque
,, illi, qui nobilitate ac verbo clari eſſe vide-
,, bantur. Itaut etiam eruditionis Scholas,
,, & piam eruditionem à ſanctę memoriçCon-
,, ſtantino Magno hucuſque ſervatas extin-
,, gueret: cujus videlicèt cum aliis quoque
,, multis tomis deſtructor Leo factus eſt,
,, ejuſdem cum Sarracenis ſenſus exiſtens. *Hęc ille*. Dùm autem hæc à ſceleſtiſſimo Principe, & alia plura agerentur iniqua, Sanctiſſimus Patriarcha Germanus datis ad Gregorium Papam literis, certiorem de his omnibus fecit. Qui ad eundem Germanum ſequentem reſcripſit dogmaticam Epiſtolam.

Epiſtola Gregorii Sanctiſſimi Papæ Romani ad Sanctiſſimum Germanum, qui fuerat Patriarcha Conſtantinopoleos.

946 ,, Qualis & quæ delectatio meam ſic
,, lætificare animam novit, ſicut gratificus
,, nuntius ſuper tuo nomine, quod reveren-
,, dum revera mihi, & magnificandum decen-
,, ter eſt, ò ſanctificate & divinitus acte? Hoc
,, enim & nunc ego per honorabiles literas
,, tuas evangelizatus exultavi, & præ nimio
,, gaudio Spiritu lætificatus ſum. Deinde in
,, Cœlum extendens oculum, gratiarum Do-
,, minatori omnium Deo retuli Actiones: Qui
,, taliter etiam modò voluit, & ſine tenus vo-
,, bis cooperatur, & omnia veſtra in lucem
,, educit. Hoc enim & orandum mihi eſt no-
,, ctu & interdiu, & nunquam aliquando hoc
,, deſiderium deſerendum eſſe in Chriſto con-
,, fidens, pronuntiabo.

947 ,, Teſtimonium autem perhibet ſer-
,, moni meo, ò ſuperlaudabilis & à Deo di-
,, lecte, etiam tuæ per omnem horam bene-
,, volentiæ recordatio: quam habitatricem
,, habens in labiis, & dolorem verbi ferre non
,, valens, illicò ad effatum per literas prope-
,, ravi. Eſt enim debitum mihi, & debitis
,, cunctis inſignius, te Fratrem meum, &
,, Propugnatorem Eccleſiæ ſalutare, ac allo-
,, qui, & luctaminum tuorum collaudare ma-
,, terias. Etiamſi quis dicat, & valdè con-
,, venienter: clamet potiùs ea impietatis præ-
,, curſor, qui nunc paſſus eſt, bona actione
,, malam actionem tuis commutaturus fœlici-
,, tatibus. Nam arbitrabatur ſecundùm illum
,, qui deſurſum cecidit, fremere ſimul & prę-
,, valere adversùs pietatem: ſed impeditur
,, cœlitus ſpe fraudatus, & audiebat quidem
,, ab Eccleſia, ea, quæ & Pharao priùs Ægi-
,, ptius Tyrannus, Moyſe de illo canente. *Dixit*
,, *inimicus, perſequens comprehendam, parti-*
,, *bor ſpolia, replebo animam meam*. Sed au-
,, diebat, quæ & ipſe Diabolus, cùm pro-
,, phetica illi pronunciaretur maledictio;
,, *Propterea deſtruet te Deus in finem, evellet*
,, *te, & emigrabit te de tabernaculo tuo, & ra-*
,, *dicem tuam de Terra viventium*. Ita & ille
,, præter ſpem conatibus, qui in ſpe erant,
,, fruſtratus periit, ſuperno agone veſtro &
,, robore, Apoſtatæ enervata impugnatione
,, adversùs Deum, deorſum effectâ, & ad
,, noviſſimum propemodum expulsâ, exitium
,, Chriſtum impugnantis ferocitate: itaut ſu-
,, per eum Scriptura veraciter impleatur, quę
,, dicit: *Arcus fortium ſuperatus eſt, & in-*
,, *firmi accincti ſunt robore*: pro eo quòd nul-
,, la eſt ad infirmum Dei firmitas abominatio-
,, nis eorum, qui Deum impugnant, & pu-
,, gnare pro Deo Mundum contrà inſenſatos,
,, ſcriptum eſt. Quomodo ergo non cum Deo
,, pugnans, ò tu Sanctiſſime, adversùs eos,
,, qui ſinè Deo & contrà Deum ſunt, commo-
,, veris? Qui videlicèt inveniunt eum, qui
,, inviſibiliter oppugnatur, imò ut veriùs di-
,, camus, ſimul pugnat, & hoſtes in fugam
,, vertit: ac ubi ſic cœpiſti prælium, ut Deus
,, ipſe tibi monſtravit? Præeſſe præcipiens in
,, Caſtris Regni Chriſti glorioſum verò ac in-
,, ſigne labarum, ideſt, vivificam Crucem,
,, magnum contra mortem magnitudinis ſuæ
,, trophæum: in quo Mundi quadrifariè ter-
,, minos circumſcripſit, lineamentis diſtin-
,, guens.

948 ,, Deinde & Sanctam Imaginem om-
,, nium Dominæ ac veræ Dei Matris, cujus
,, vultum divites plebis deprecabuntur. Ete-
,, nim Sancta eſt, quemadmodùm Patribus
,, videtur, quæ taliter à vobis piè venerata
,, tribuit viciſſitudines. Nam Imaginis ho-
,, nor ad principalem tranſit, ſecundùm Ba-
,, ſilium Magnum. Et pietate eſt plena vene-
,, rabilium Imaginum cauſa, ſicut dicit Chry-
,, ſoſtomus: Ego & cerâ perfuſam amavi pi-
,, cturam pietate refertam; Vidi enim in Ima-
,, gine Angelum cuneos barbarorum perſe-
,, quentem, & David veritatem dicentem:
,, *Domine in Civitate tua Imaginem eorum ad*
,, *nihilum rediges*. Et nequaquam Eccleſia er-
,, ravit, licèt ita fuerit æſtimatum. Indul-
,, geat Deus, neque ſecundùm Gentilem con-
,, ſequentiam eſt traditio, abſit, & intentio
,, rei ſecundùm quid probatur, & nequaquam
,, conſiderantur quæ perficiuntur. Nam ne-
,, que in Panaede Civitate Hemorrhoiſſæ piæ
,, motæ in recordationem facti in ſe miraculi
,, repudiabatur, cùm orta eſſet herba circa
,, pedes ſtatuæ, quæ ab ea in nomine Domini
,, Jeſu Chriſti erecta eſt: & extranea erat, in-

cogni-

„ cognitaque ſpecie, poſitaque omnibus in „ variorum languorum remedium condeſcenſione & bonitate Dei, & Salvatoris noſtri. „ Imò legalis, ut ita dicamus, hujuſmodi eſt „ in Deo erectio; licèt figuris expreſſior magis ſignanda, ut umbræ præferenda ſit gratia & veritas.

949 „ Unde maximam ſalutis cauſam „ Sanctorum cœtus Dei conſilio hoc Capitulum Eccleſiæ tradidit in univerſorum vultibus, & colorum operationibus venerabilem & ſanctum characterem, ſecundùm humanitatem ejus, qui tollit peccatum Mundi, erigamus, per eum humilitatis celſitudinem Dei Verbi conſiderantes, & ad memoriam converſationis in carne factæ, tam videlicèt paſſionis ejus & ſalutaris mortis, „ quàm redemptionis quæ hinc Mundo effecta eſt, manu quodammodo ducti: & nulla eſt hinc à Divinis diſſonantia. Si enim propheticæ prælocutiones terminum minimè perceperunt, ne ſcribantur res ad oſtenſionem eorum, quæ adhuc facta non ſunt: ideſt, ſi non eſt incarnatus Dominus, non formetur Sancta Imago ejus ſecundùm carnem. Si non eſt natus in Bethlhem ex Glorioſa Virgine Dei Genitrice, neque Magi munera obtulerunt, neque Paſtoribus ſupra ſtetit Angelus, neque multitudo cœleſtis exercitus nato hymnum obtulit, ſi non in ulnis Genitricis ut infantulus ferebatur, qui portat univerſa: & lactis alimoniam pertulit, qui dat eſcam omni carni; nec hoc figuretur. Si non à ſene ſuſcipiebatur, qui vitæ tenet principatum & mortis, & omnium Dominus per eum agnitus ſimul & prædicatus, & ut dimiſſionem concederet, poſtulatus. Si non in Ægyptum cauſâ diſpenſationis pergebat ſuper nubem levem, omni ſcilicèt lumine illuſtratam Matrem ac ſanctitate robuſtam, qui in excelso ſedet, & redit ex Ægypto, & habitat Nazareth: ne figurentur coloribus. Si non mortuos ſuſcitavit, & erexit Paralyticos, & Leproſis præbuit purgationem, & cœcos illuminavit, deinde & expreſſam fecit linguam mutorum, & baſes claudorum firmavit, & expulit Dœmones; niſi aperuit aures ſurdorum, & omnia operatus eſt glorioſa, & in Deo ſigna perfecit: ne pingantur. Et niſi paſſionem voluntariè ſuſcepit, & infernum ſpoliavit, & ſurgens in Cœlum aſcendit, qui venturus eſt judicare vivos & mortuos, neque ſcribantur, nec figurentur hiſtoriæ, quæ iſta enarrant, tàm per literas, quàm per colores.

950 „ At ſi hæc omnia facta ſunt, & magnum eſt pietatis myſterium, utinam eſſet poſſibile, ut Cœlum & Terra & Mare, animantia quoque omnia & virgulta, & quidquid aliud eſt, enarrent illa, & per voces, & per literas, & per picturas. Eorum enim quæ non ſunt, firmatio, Idolica pictura nominatur, quæ & paganæ fabulationis poema finxit, eorum quæ nunquam fuerunt per eſſentiam, facturam deſipienter aſſeverans. Et certè nulla eſt condeſcenſio Eccleſiæ Chriſti cum Idolis; abſit: Neque enim vitulos adoravimus, neque vitulum in Choreb fudimus, neque à nobis creatura Deus æſtimata eſt: ſed neque rursùs ſculptili procidimus, & Belphegor initiati ſumus, neque natorum occiſores, aut ſacrificatores fuimus: aut occulta myſteria celebravimus: Neque filios noſtros & filias immolavimus unquam Dœmonibus, ut in nos ea, quæ à Salomone Idolorum cultoribus dicta ſunt, aſſumantur. Nunquid à nobis infecta eſt terra in ſanguinibus? Vel Imaginem in Templo fecimus quadriforme habentem Idolum, & hanc adoravimus? Numquid abominationem repentium & pecorum ſupra murum Templi depinximus? Aut iterum nos Ezechiel vidit plangentes Adonidem, & incenſum Soli offerentes, de quibus dicit Apoſtolus: *Servierunt creaturæ potiùs quàm Creatori*. Putasne, ſtatuimus Imagines duarum fornicariarum in Ægypto, Oola ſcilicèt & Ooliab, & eas adoravimus? An rursùm à nobis Sacrificia Bel in Babylone, & Dagon in Palæſtina oblata ſunt? Vel aliis Diis Gentium procidimus? Non ſunt hæc, non ſunt: calumnietur nullus: quoniam in nullo eorum, quæ conſiſtunt & facta ſunt, nomen quod eſt ſuper omne nomen populus Chriſti uſque hodie, præter Sanctam & vivificam Trinitatem, coluit, vel latria ſervivit: abſit: Nam modus Idololatriæ manifeſtus eſt. Chriſtianis autem Dei cultoribus omnium Dominator eſt adorandus.

951 „ Porrò ſi quis judaico more ad accuſationem motus, quæ olim contrà Idolorum cultores dicta ſunt, diffamavarit, & Idolatriam Eccleſiæ noſtræ adſcripſerit ex Venerabilium Imaginum Deifico & mirabili ad meliora ducatu, nihil aliud arbitremur, quàm ut canis latret, & in funda procul abjectus audiat ſicut Judæus: Utinam & Iſrael per viſibilia viſus eſſet Deo adorationem offerre, & per typica memor eſſet creantis, & non vitulum retineret ac muſcas ſuper tabulas teſtamenti. Utinam Sanctum Altare magis deſideraſſet, & non vitulas Samariæ. Utinam attendiſſet Aaron virgam, & non Aſtartem. Bonum quippe ſimul & juſtum eſſet ei, petram ſalutare quæ imbres divinitus dedit, & non Baal. Utinam ad virgam Moyſi magis intuitus eſſet, & urnam auream, Arcam, Propitiatorium, petalum, Ephod, menſam, tabernaculum interius & exterius: quæ omnia in gloriam Dei patrata, licèt manufacta, Sancta tamen appellabantur Sanctorum; deinde & Cherubim ſculptiles, quorum memoriam faciens Apoſtolus ait: *Cherubim gloriæ adumbrantia Propitiatorium*:

„ *rium*: quibus & Divinam vehi gloriam à
„ Scriptura docemur. Si his intendiſſet non
„ utique Idolis procidiſſet; omne namque
„ opus quod in nomine Domini fit, pretioſum
„ & ſanctum eſt. Et quid opus eſt Epiſtolam
„ in longum extendere? Et maximè ad Vi-
„ rum Deo placitum, & vas electum à Deo,
„ gratiam adeptum ſpiritus, & in profunda
„ divinorum dogmatum valentem proſpicere,
„ atque Deo ductore conſiderare ſummam
„ ſcientiæ altitudinem.

952 „ Verùm hinc ad propoſitum redea-
„ mus, propugnatricis tuæ, ò Sanctiſſime,
„ & omnium Chriſtianorum Dominæ magni-
„ ficationes: & qualis ipſe oſtenſus fueris in
„ cunctis ab illa directus & ſalvatus, & con-
„ tra inimicos confortatus, admirantes. Illi
„ verò, qui ex multo jam tempore contra
„ eam debacchati ſunt, tantò invenerunt re-
„ ſiſtentem, quantò invenerunt ſibi contradi-
„ centem. Et hoc mirum non eſt. Si enim
„ Betulia per manum Judith mulieris Iſraeli-
„ tidis ſalvabatur, cujus opus Holofernis pe-
„ remptio fuit; & hanc ſalvatricem Iſrael,
„ qui per idem tempus fuerunt, prædicave-
„ runt:quomodo non oporteret ampliùs tuám
„ ampliſſimam ſanctitatem tali propugnatri-
„ ce uſam aggredi fidei hoſtes, & victoriâ co-
„ ronare ſubjectos? Sed ejuſdem ſupplicatio-
„ nibus & omnium Sanctorum potens in præ-
„ lio Deus noſter, fortis, & longanimus,
„ qui deduxit te ſuper Joſeph ut ovem, cu-
„ ſtodiat te Sanctiſſime in annos prolixos,
„ univerſæ Chriſtianæ benè operantem con-
„ verſationi, & Sacro Canoni obtemperare
„ cunctos docentem, & incitantem, & cu-
„ ſtodire depoſitum quod à patribus ſuſcepi-
„ mus; convertentem eos qui ad modicum
„ quid non intellexerunt: O'juge gaudium
„ noſtrum, & communis utilitas & refectio,
„ Sanctiſſime & omnibus Chriſtianis amabi-
„ lis. *Hactenus Gregorius ad Germanum*.

953 Scripſit porrò idem Pontifex ad ip-
ſum Leonem Iſauricum dogmaticam pariter
Epiſtolam, qua oſtendit Sacrarum Imaginum
venerationem ex vetuſta Eccleſiæ & Patrum
traditione licitam, piam, & Sanctam eſſe,
ab omni labe Idolatricæ ſuperſtitionis immu-
nem, hortans eum, atque omni cum effica-
cia perſuadens, quatenus dimiſſo errore, ca-
tholicam ſequi velit veritatem, à peſſimoque
inſtituto inſultandi adverſùs Sacras Imagines,
deſiſtat: ſunt autem literæ tenoris ſequentis.

Sancti Patris noſtri Gregorii Papæ Romani ad Leonem Iſauricum Imperatorem de Sacris Imaginibus Epiſtola prima.

954 „ Literas veſtræ à Deo cuſtoditæ Ma-
„ jeſtatis, ac fraternitatis per auguſtalem
„ Spatharo candidatum miſſas accepimus,
„ imperante te Indictione XIV. Ipſius etiam
„ XIV. & XV. & I. & II. & III. & IV. & V.
„ & VI. & VII. & VIII. & IX. Indictionum
„ acceptas Epiſtolas tuas, in Sancta Eccleſia
„ repoſitas in limine confeſſionis Sancti & glo-
„ rioſi ac Principis Apoſtolorum Petri dili-
„ genter ſervamus, ubi & Chriſti amantium
„ Prædeceſſorum tuorum, qui piè impera-
„ runt ſunt literæ. Et in decem Syllabis rectè
„ ac piè, utque Imperatorem Chriſtianorum
„ decet, obſervaturum te ac cuſtoditurum
„ integrè omnes Sanctorum Patrum noſtro-
„ rum & Doctorum admonitiones promiſi-
„ ſti. Illud autem in primis præcipuum eſt,
„ quòd literæ tuæ, & non alienæ ſigillis Im-
„ peratoriis obſignatæ diligenter ſunt, & ac-
„ curatæ intus ſubſcriptiones per cinnabarin
„ propria manu tua, ut mos eſt Imperato-
„ ribus ſubſcribere: rectèque admodum ac
„ religioſè confeſſionem inculpatæ & ortho-
„ doxæ fidei noſtræ edidiſti, ſed & ſcripſiſti,
„ eum qui reſcindit & deſtruit terminos Pa-
„ trum, execrandum eſſe.

955 „ Cumque iſthæc accepiſſemus, gra-
„ tiarum actionis hymnos Deo offerebamus,
„ quòd à Deo tibi planè donatum eſſet Impe-
„ rium. Et cùm rectè curreres, quis auribus
„ tuis inſonuit, & cor pervertit velut arcum
„ pravũ,& in ea quę à tergo ſunt reſpexiſti?De-
„ cẽ annos Dei benignitate rectè ambulaſti,ne-
„ que Sacrarum Imaginum mentionem feciſti:
„ nunc autem eas dicis Idolorum iocum im-
„ plere, atque illos qui eas venerantur, ido-
„ lolatras eſſe; teque ad eas evertendas pe-
„ nituſque delendas convertiſti: neque Judi-
„ cium Dei reformidaſti, cum ſcandala in
„ hominum corda, non fidelium modò, ſed &
„ infidelium ingruerent. Atqui denuntiat ti-
„ bi Chriſtus, ut ne unum de puſillis ſcanda-
„ lizes, & ob exiguum ſcandalum in ignem
„ æternum immiſſum iri: At tu Mundum to-
„ tum ſcandalizaſti, ut qui mortem nolis ſu-
„ bire, atque infœlicem rationem reddere.

956 „ Scripſiſti autem non eſſe manufa-
„ cta veneranda nec ullam effigiem ad ſimili-
„ tudinem effictam, ſicut dixit Deus, neque
„ in Cœlo, neque in Terra: Et demonſtra
„ mihi, quis tradiderit veneranda & adoran-
„ da eſſe manufacta, tùm ego Dei eſſe man-
„ datum fatebor. Quare verò tanquam Impe-
„ rator & caput Chriſtianorum, ſapientes
„ non percuntatus es, qui experientiâ pol-
„ lent: & ab ipſis edoceri potuiſſes: propter
„ quæ manufacta Deus hæc dixerit; prius-
„ quam confunderes & commiſceres humiles
„ Populos, atque conturbares? Verumta-
„ men tu Sanctos Patres noſtros ac Doctores
„ rejeciſti, ac repudiaſti, & foras amanda-
„ ſti, quibus manu propria ſcriptiſque tuis
„ te pariturum, eoſque ſecuturum promiſi-
„ ſti. Scriptura noſtra, lux et ſalus noſtra,
„ Sancti ac Deo pleni Patres & Doctores no-
„ ſtri ſunt: & hoc ſex in Chriſto Synodi no-
„ bis tradiderunt, & tu eorum teſtimonia

non

,, non accipis. Neceſſe habemus craſſa tibi &
,, indocta ſcribere, ut indoctus es & craſſus,
,, ſed revera tamen virtutem ac veritatem Dei
,, in ſe continent.

957 ,, Per Deum te obteſtamur, ut arro-
,, gantiam deponas ac ſuperbiam, qua cir-
,, cumfluis, multaque cum humilitate ſynce-
,, rè nobis aures accomodes. Flectat animum
,, tuum Deus ad veritatem ſermonum ſuorum
,, efficacitate. Propter Idololatras enim, qui
,, terram promiſſionis occupabant, verba fa-
,, ciebat, qui animalia aurea & argentea, li-
,, gneaque & omnem creaturam adorabant, &
,, volantes aves omnes: ac dicebant: Iſti ſunt
,, Dii noſtri, & alius Deus non eſt. Propter
,, hæc manufacta Diaboli noxia & execranda
,, dicebat Deus, ne ea adoraremus. Nam
,, quia ſunt manufacta quædam ad Miniſte-
,, rium & gloriam Dei, cùm peculiarem po-
,, pulum ſuum Hebræorum ſanctificatum in-
,, troducere vellet, prout ante Deus Abra-
,, ham, Iſaac, & Jacob promiſerat, ſe ter-
,, ram illis promiſſionis daturum, & poſſeſſo-
,, res ac heredes poſſeſſionum Idololatrarum il-
,, los redditurum, ac gentes illas conciſu-
,, rum, penituſque deleturum, quia terram
,, & aerem impietate ſua, quam perpetrave-
,, rant, contaminarant, prædicebat Deus,
,, ac prænunciabat Populum ſuum, ne in eo-
,, rum adorationes prolaberentur. In Populo
,, Iſraelitico viros duos ſelegit Deus, ac be-
,, nedixit eos & ſanctificavit, ut opera ma-
,, nufacta fabricarentur, verùm ad gloriam &
,, miniſterium Dei in monumentum genera-
,, tionum ipſarum, Bezeleel inquam & Ooliab
,, ex prima tribu Dan. Dixit Moyſi Deus;
,, *præcide tabulas duas lapideas, & affer mihi*;
,, Cumque præcidiſſet advexit: & digito ſuo
,, decem & vivifica & immortalia verba ſcri-
,, pſit Deus. Deinde, fac Cherubim & Sera-
,, phim, inquit Deus, & fac menſam ac deau-
,, rato intus & foris: & Arcam fac de lignis
,, imputribilibus, & impone teſtimonia tua
,, in Arcam in memoriale generationum ve-
,, ſtrarum, hoc eſt, tabulas, urnam, Vir-
,, gam, Manna. Sunt ne hæc figuræ ac ſimu-
,, lacra manufacta, an non? Verumtamen
,, ad gloriam & miniſterium Dei. Moyſes ille
,, magnus timore correptus cùm figuram vel-
,, let & ſimulacrum intueri, ne fortè erra-
,, ret, orabat Deum dicens: Oſtende mihi
,, teipſum manifeſtò, ut videam te: & reſpon-
,, dit Deus: Si videris me, morieris, ſed aſ-
,, cende per foramen petræ, & videbis poſte-
,, riora mea. Oſtendit ei Deus in viſione my-
,, ſterium à ſæculis abſconditum & à genera-
,, tionibus.

958 ,, Verùm noſtrarum generationum
,, ætate in noviſſimis temporibus manifeſtum
,, ſeipſum, & poſteriora ſimul & anteriora per-
,, fectè nobis oſtendit. Cùm verò genus ho-
,, minum in perpetuum perire vidiſſet Deus,
,, figmenti ſui miſertus, Filium ſuum ante ſæ-
,, cula genitum miſit: & de Cœlis deſcendens,
,, in ventrem Virginis Mariæ ingreſſus eſt,
,, cùm in ejus utero verum Lumen eluxiſſet,
,, & ſeminis loco Lumen factum eſt caro: & in
,, Jordane fluvio baptizatus eſt, & nos quo-
,, que baptizavit. Indiciorum nobis pignora
,, dare cœpit ne fallamur; & Hieroſolymam
,, ingreſſus in Cœnaculo Sanctæ & Glorioſæ
,, Sion in myſtica Cœna Sacrum nobis Corpus
,, ſuum appoſuit, & pretioſo nos ſanguine ſuo
,, potavit. Illic & pedes noſtros lavit, & cum
,, ipſo bibimus & comedimus, & ipſum ma-
,, nus noſtræ contrectaverunt, & familiaris
,, noſter eſt factus, & manifeſtata nobis eſt
,, veritas; & error, & caligo, qua circum-
,, fuſi eramus, aufugit, & è medio ſublata eſt;
,, atque in omnem terram exivit ſonus ejus, &
,, in fines orbis terræ verba ejus. Cœperunt
,, ab univerſo terrarum Orbe homines velut
,, Aquilæ advolantes Hieroſolymam venire,
,, prout in Evangeliis dixit Dominus; *Ubi
,, fuerit Corpus, illic congregabuntur & Aqui-
,, læ*. Chriſtus autem cadaver, Aquilæ in
,, ſublime volantes religioſi ſunt homines &
,, Chriſti amantes. Qui Dominum cùm vi-
,, diſſent, prout viderant, ſpectandum ipſum
,, proponentes depinxerunt: Cùm Jacobum
,, fratrem Domini vidiſſent, prout viderant,
,, ſpectandum ipſum proponentes depinxe-
,, runt. Cùm Stephanum Protomartyrem vi-
,, diſſent, prout viderant, ſpectandum ipſum
,, proponentes depinxerunt: & ut uno verbo
,, dicam, cùm facies Martyrum, qui ſangui-
,, nem pro Chriſto fuderant, vidiſſent, depin-
,, xerunt: & his conſpectis, deinceps in toto
,, terrarum Orbe homines, Diaboli adoratio-
,, nibus derelictis, has exhibuerunt non la-
,, triâ, ſed habitudine.

659 ,, Nùm tibi juſtum videtur Impera-
,, tor, has Imagines venerari, an erroris dia-
,, bolici? Cùm Hieroſolymis ageret Chriſtus,
,, Augarus, qui tum temporis dominabatur
,, & Rex erat Urbis Edeſſenorum, cùm Chri-
,, ſti miracula inaudiſſet, Epiſtolam ſcripſit
,, ad Chriſtum, qui manu ſua reſponſum, &
,, Sacram Glorioſamque faciem ſuam ad eum
,, miſit. Itaque ad illam non manufactam Ima-
,, ginem mitte, ac vide: Congregantur illic
,, Orientis turbæ Populorum, & orant: & aliæ
,, multæ ſunt tales manufactæ, quas Chriſti
,, amantes peregrinantium cœtus conſervant,
,, qui ad ſpectacula ejuſmodi confluunt, quæ
,, quotidiè veneraris, & circumſpicis. Cur
,, tandem Patrem Domini Noſtri Jeſu Chriſti
,, non oculis ſubjicimus ac pingimus? Quo-
,, niam quis ſit non novimus, Deique natura
,, ſpectanda proponi non poteſt ac pingi. Quòd
,, ſi eum intuiti eſſemus ac noviſſemus prout
,, Filium ejus, illum quoque ſpectandum pro-
,, ponere potuiſſemus ac pingere, ut & illius
,, Imaginem Idolum appellares.

960 ,, Obteſtamur te tanquam fratres in
,, Chriſto, ingredere rurſum ad veritatem,

,, undè exiviſti; excute ſpiritus elatos, &
,, pertinaciam tolle, atque ad omnes ſcribe
,, quoquò verſum, eoſque, quibus offendicu-
,, lo fuiſti, erige, quoſque excœcaſti; ta-
,, metſi præ nimia tua ſtupiditate illud pro
,, nihilo habes. Novit charitas Chriſti, quan-
,, dò Templum Sancti Principis Apoſtolo-
,, rum Petri ingredimur, & Sancti pictam
,, imaginem contemplamur, compunctione
,, percellimur, & inſtar imbris, pluente Cœlo,
,, lacrymæ noſtræ funduntur. Chriſtus vi-
,, ſum Cœcis reſtituit; tu eos, qui rectè vi-
,, debant, excœcaſti & obſtaculo illis fuiſti,
,, tametſi pro nihilo iſtud habes; & imperi-
,, tos reddidiſti, rectumque hominum cur-
,, ſum interrupiſti, ac precibus ipſos privaſti,
,, & vigiliarum loco atque aſſiduitatis & ſtu-
,, dii erga Deum, in ſomnum & dormitatio-
,, nem & incuriam humiles populos devolvi-
,, ſti & capite truncaſti. Et dicis nos lapi-
,, des & parietes ac tabellas adorare. Non ita
,, eſt, ut dicis, Imperator, ſed ut memoria
,, noſtra excitetur, & ut ſtolida & imperita
,, craſſaque mens noſtra erigatur, & in al-
,, tum provehatur per eos, quorum hæc no-
,, mina, & quorum appellationes, & quorum
,, hæ ſunt imagines; & non tanquàm Deos,
,, ut tu inquis: abſit; non enim ſpem in illis
,, habemus. Ac ſi quidèm imago ſit Domini,
,, dicimus: *Domine Jeſu Chriſte Fili Dei,*
,, *ſuccurre & ſalva nos*. Sin autem Sanctæ
,, Matris ejus, dicimus: *Sancta Dei Genitrix*
,, *Domini Mater, intercede apud Filium tuum*
,, *verum Deum noſtrum, ut ſalvus faciat ani-*
,, *mas noſtras*. Sin verò Martyris: *Sancte Ste-*
,, *phane, qui pro Chriſto ſanguinem tuum fudi-*
,, *ſti, qui, ut Protbomartyr loquendi confiden-*
,, *tiam habes, intercede pro nobis*. Et de quo-
,, vis Martyre, qui paſſus eſt Martyrium, ita
,, dicimus, tales per illos preces offerimus:
,, Non ita eſt, ut tu dicis, Imperator, quaſi
,, Deos Martyres appellemus. Averte cogi-
,, tationes tuas malas, te obteſtor, & libera
,, animam tuam à ſcandalis & execrationi-
,, bus, quibus ab univerſo Mundo inceſſeris,
,, quandoquidèm vel à puerulis parvis illu-
,, deris. Obito ſcholas eorum, qui elemen-
,, tis imbuuntur, & dic: *Ego ſum everſor &*
,, *perſecutor Imaginum*; & confeſtim tabellas
,, ſuas in caput tuum projicient, quodque à
,, ſapientibus minimè doceri potuiſti, ab inſi-
,, pientibus edocebere.

961 ,, Sic ad nos ſcripſiſti: Ozias Rex
,, Judæorum (veriùs Ezechias) poſt annos
,, octingentos Serpentem æneum è Templo
,, ejecit; ego verò poſt annos octingentos
,, Idola ex Eccleſiis ejeci. Verè & Ozias
,, frater erat tuus, & eâdem erat, qua tu, per-
,, tinaciâ præditus, illiuſque temporis Sacer-
,, dotibus vim afferebat, ut tu facis. Illum
,, ſiquidèm Serpentem ſanctificatus David
,, unâ cum Arca ſancta in Templum invexit.
,, Quid enim illud erat, niſi conſecratum à
,, Deo æramentum, propter eos, qui tùm
,, ægri erant, & à ſerpentibus læſi? Ut popu-
,, lo demonſtraretur is, qui primo figmento à
,, Deo formato Adamo & Evę peccatum ſug-
,, geſſerat, ipſum in medelam peccatorum
,, conſtituit. At tu, prout gloriaris, poſt
,, annos demùm octingentos benedictionem
,, ex Eccleſiis ejeciſti, ac Martyrum ſanctifi-
,, cationem; etſi, utì rectè initio confeſſus
,, es, datâ operâ, non ex aliqua neceſſitate;
,, poſtremò autem manu propriâ ſubſcribens,
,, in caput tuum ipſorum execrationem de-
,, torſiſti.

962 ,, Voluimus & nos, utpotè qui fa-
,, cultatem & poteſtatem, atque auctorita-
,, tem à S. Petro Principe Apoſtolorum habe-
,, mus, tibi pœnam irrogare; ſed quoniàm
,, in teipſum execrationem ingeſſiſti, tibi ha-
,, beto illam cum Conſiliariis tuis, quos com-
,, plecteris. Qualem, quæſo, ædificationem
,, & curſum eorum, qui rectè currebant, in-
,, terrupiſti? Novit charitas Chriſti. Nos
,, ipſi cùm Eccleſiam ingredimur, & miracu-
,, lorum Domini noſtri Jeſu Chriſti pictu-
,, ras contemplamur, & Sanctæ Matris ejus
,, Dominum Deumque noſtrum lactentem in
,, ulnis habentis, Angeloſque circumſtantes,
,, ac ter ſanctum hymnum canentes, non ſinè
,, compunctione regredimur. Ecquis enim
,, nō compungitur & luget ſimiliter, intuens,
,, & vaſa lavacri, & Sacerdotes in orbem cir-
,, cumſtātes, & myſticam cœnam, & cœcorum
,, illuminationem, & Lazari exſuſcitationem,
,, & Leproſi ac Paralytici curationē, recubi-
,, tus in herba, cophinos, ſportas, & reliquias,
,, montis Thabor transfigurationem, crucifi-
,, xionem Chriſti, ſepulturam ejus, & reſurre-
,, ctionem, ſanctam Aſcenſionem, & Spiritus
,, Sancti deſcenſum? Quis picturam Abrahæ
,, cernens, & gladium pueri cervicibus immi-
,, nentē, non compungitur & collacrymatur?
,, & in univerſum omnes Domini paſſiones?

963 ,, Expediret tibi, Imperator, duo-
,, bus propoſitis, ut hæreticus potiùs, quàm
,, perſecutor & everſor hiſtoriarum & pi-
,, cturarum, imaginum, & Paſſionum Do-
,, mini appellareris. Atqui malum eſt mini-
,, mèque commodum, te hæreticum appella-
,, ri: verùm tibi ego referam quam ob cau-
,, ſam: Hæreticus notus dicitur, quandò
,, paucis eſt notus, & non multis; & diffici-
,, lia ſunt offendicula, ſententiæque intrica-
,, tæ, neque dijudicari facilè poſſunt. Item-
,, que qui doctrinam ſpargunt, & qui humi-
,, litate præditi non ſunt, ob imperitiam at-
,, que cœcitatem ipſorum ſtatim labuntur;
,, neque tanti criminis illi ſunt, quanti tu
,, damnandi. Tu ea, quæ cognita ſunt, &
,, ſpectata ut lumen, apertè inſectatus es, &
,, Eccleſias Dei denudaſti, quas Sancti Patres
,, conveſtierant & ornarant. Tu ſpoliaſti
,, atque denudaſti, tametſi talem habebas
,, Pontificem, Dominum, inquam, Germa-
num

„ num fratrem noſtrum & comminiſtrum ; „ hujus debebas tanquàm patris, & doctoris, „ & tanquàm ſenioris, multâque rerum, cùm „ Eccleſiaſticarum, tùm civilium experien- „ tiâ pollentis, conſiliis obtemperare.

964 „ Annum etenim agit hodiè vir ille „ nonageſimum quintum, ſingulis Patriar- „ chis, & Imperatoribus inſerviens, perpe- „ tuòque fuit occupatus, quòd utriſque re- „ bus gerendis mirificè utilis & aptus eſſet. „ Illum igitur omittens lateri tuo adjunge- „ re, improbum illum Epheſinum Apſimari „ filium, ejuſque ſimiles audiſti. Cùm enim „ Dominus Germanus, quique tùm temporis „ Patriarcha erat Dominus Georgius, ſug- „ geſſiſſent, perſuaſiſſentq; Conſtantino Con- „ ſtantis filio, Juſtiniani patri, ut Romam „ ad nos ſcriberet: ſic interpoſito jurejuran- „ do ſcripſit ad nos, & nobiſcum egit, ut ad „ univerſalem Synodum congregandam vi- „ ros utiles mitteremus; neque cum illis, „ inquit, tanquàm Imperator ſedebo, aut „ imperiosè loquar, ſed tanquàm unus ex „ illis; & prout ſtatuerint Pontifices, ego „ exequar; & eos qui rectè loquuntur, ad- „ mittemus; eoſque qui malè loquuntur, „ expellemus, & exiliis relegabimus. Si pa- „ ter meus quidpiam ex intemerata, pura- „ que fide perverterit, ego primus illum „ anathematizabo: Tū nos, Deo benè volente, „ miſimus, & cum pace ſexta Synodus cele- „ brata eſt. Scis, Imperator, Sanctæ Eccleſiæ „ dogmata non Imperatorum eſſe, ſed Pon- „ tificum, quę tutò debent dogmatizari. Id- „ circò Eccleſiis præpoſiti ſunt Pontifices, „ Reipublicæ negotiis abſtinentes: & Impe- „ ratores ergò ſimiliter ab Eccleſiaſticis ab- „ ſtineant; & quæ ſibi commiſſa ſunt, capeſ- „ ſant. Conſilium autem Chriſti amantium „ Imperatorum, & piorum Pontificum vir- „ tus eſt una, quandò cum pace atque cha- „ ritate res adminiſtrantur.

965 „ Scripſiſti, ut Concilium univerſale „ cogeretur: & nobis inutilis ea res viſa eſt. „ Tu perſecutor es Imaginum, & hoſtis con- „ tumelioſus & everſor: ceſſa, nobis hoc „ largire, ut taceas: tùm Mundus pace per- „ fruetur, & ſcandala ceſſabunt. Finge nos „ te audiſſe, & ex univerſo terrarum Orbe „ Pontifices congregatos eſſe, Senatumque „ ac conſilium ſediſſe. Ubi eſt Chriſti ama- „ tor, ac pius Imperator, qui de more in Se- „ natu ſedere debet, & eos, qui rectè loquun- „ tur, munerari; eoſque, qui aliena à verita- „ te blaterant, amandare, cùm tu Impera- „ tor vacilles, ac barbaros imiteris? Non „ animadvertis hunc tuum conatum, quo ad- „ versùs Imagines inſurrexiſti, facinus eſſe „ turbulentum & inſolens & ſuperbum? „ Cùm Eccleſiæ Dei altâ pace fruerentur, tu „ pugnas & odia & ſcandala ſuſcitaſti? Ceſ- „ ſa & quieſce, tùm Synodo minimè opus „ erit. Scribe ad omnes, & in quaſcumque „ regiones Orbis terrarum, quibus offendi- „ culo fuiſti, Germanum Patriarcham Con- „ ſtantinopolitanum, & Gregorium Papam „ Romanum circa Imagines peccaſſe; & nos „ ab hac cura quietum te præſtabimus, nè „ peccatum aut lapſus ullus ſit tuus, utpotè „ qui à Deo poteſtatem & Cœleſtia & ter- „ rena ſolvendi acceperimus.

966 „ Teſtis eſt Deus, qũaſcumque mi- „ ſiſti ad nos epiſtolas, auribus cordibuſque „ Regum Occidentis obtulimus, pacē illorum „ tibi ac benevolentiam conciliantes, teque „ laudantes, ac mirificè efferentes, prout te „ antea converſantem intuebamur. Idcircò „ etiam laurata tua receperunt, ut Reges à „ Regibus honore affici convenit: idque cùm „ nondùm incœptum hoc conatumque tuum, „ quo adversùs Imagines inſurrexiſti, audi- „ viſſent. Cùm verò didicerunt, certioreſ- „ que ſunt facti, te Jovinum Spatharo can- „ didatum ad Chalcopratia miſiſſe, ad ever- „ tendum & confringendum Salvatorem, „ qui appellatur Anthiphonetæ, ubi, & mi- „ racula multa fiunt, inventæ ſunt illic mu- „ lieres zelo ſuccenſæ, & illarum æmulæ, „ quæ unguenta ferebant, quæ Spatharocan- „ didatum orarunt: nè, obſecramus, nè hoc „ facias, ajebant. Ille verò preces earum „ non admittens, erectâ ſchalâ conſcendit. „ Cùmque ter ſecuri faciem imaginis Salva- „ toris percuſſiſſet, hoc videntes mulieres, & „ iniquum illud facinus non ferentes, attra- „ ctâ ſchalâ fuſtibus conciſum illic necarunt. „ Tùm tu, mali æmulator, miſſis ſatellitibus, „ mulieres neſcio quot illic occidiſti, adſtan- „ tibus utilibus Viris Romanis, & ex Fran- „ cia, ex Vvandalis, ex Mauritania, ex „ Gotthia, & ut generatim dicam, ex toto „ interiori Occidente. Cùm autem adveniſ- „ ſent, & in ſuis regionibus ſinguli juveni- „ lia tua puerilia que facta narraſſent, tunc „ projecta laurata tua conculcarunt, & fa- „ ciem tuam conciderunt, ac delectu habito „ Longobardi, & Sarmatæ, cæterique, qui „ ad Septemptrionem habitant, miſeram De- „ capolim incurſionibus infeſtarunt, ipſam- „ que Metropolim Ravennam occuparunt, & „ ejectis Magiſtratibus tuis, proprios conſti- „ tuere Magiſtratus; & vicinas nobis Sedes „ regias, ipſamque Romam ſic tractare ſta- „ tuerunt, cùm tu nos defendere minimè „ poſſis. Et hæc ob imprudentiam, & ſtul- „ titiam ſuſtinuiſti.

967 „ At enim nos perterrefacis, aiſque: „ Romam mittam, & imaginem Sancti Petri „ confringam; ſed & Gregorium illinc Pon- „ tificem vinctum adduci curabo, ſicut Mar- „ tinum Conſtantius adduci juſſit. Scire au- „ tem debes, ac pro certo habere, Pontifices, „ qui pro tempore Romæ extiterint, conci- „ liandæ pacis causâ ſedere tanquàm parie- „ tem intergerinum, ſeptumque medianum „ Orientis & Occidentis ac pacis arbitros &

,, moderatores eſſe; quique ante te fuerunt
,, Imperatores in hoc componendæ pacis cer-
,, tamine deludarunt. Quòd ſi nobis inſolen-
,, ter inſultes, & minas intentes, non eſt no-
,, bis neceſſe tecum in certamen deſcendere.
,, Ad quatuor & viginti ſtadia ſecedet in Re-
,, gionem Campaniæ Romanus Pontifex; tu
,, tu vade, ventos perſequere. Prædeceſſor
,, noſter Martinus Pontifex ad pacem cohor-
,, tans ſedebat: idcircò malignus ille Con-
,, ſtans de fide Sanctæ Trinitatis malè ſen-
,, tiens, & hæreticis Pontificibus proſcriptis
,, adſtipulans, Sergio, & Paulo, & Pyrrho,
,, miſſis ſatellitibus rapuit illum, & Bizan-
,, tium tyrannicâ violentiâ abduxit, multiſ-
,, que malis obſeſſum, in exilium amandavit;
,, Quin etiam Maximo Monacho, & hujus
,, diſcipulo Anaſtaſio mala multa exhibuit,
,, & Cazicam in exilium miſit.

968 ,, At Conſtans, qui eos relegarat,
,, interfectus & in peccato ſuo mortuus eſt,
,, Nezeuxius enim, qui tùm Comes obſequii
,, ejus erat, ab Epiſcopis Siciliæ certior fa-
,, ctus hæreticum eum eſſe, ipſum intùs in
,, Templo trucidavit, & in peccato ſuo in-
,, teriit. Beatum verò eſſe Martinum teſta-
,, tur Civitas Cherſonis, in quam relegatus
,, eſt, & Boſphori, totuſque Septemptrio &
,, Incolæ Septemptrionis, qui ad monumen-
,, tum ejus accurrunt, & curationes acci-
,, piunt. Atque utinam Dei munere nobis
,, contingat, ut per Martini viam incedamus;
,, tametſi ob plebis utilitatem vivere volu-
,, mus & ſupervivere, quandoquidèm Occi-
,, dens univerſus ad humilitatem noſtram
,, convertit oculos; ac licèt tales non ſimus
,, nos, illi tamen magnoperè nobis confi-
,, dunt, & in eum, cujus denuntias, te ima-
,, ginem everſurum atque deleturum, Sancti
,, ſcilicèt Petri, quem omnia Occidentis Re-
,, gna, velut Deum terreſtrem, habent. Quòd
,, ſi hoc velis experiri, planè parati ſunt Oc-
,, cidentales ulciſci etiam Orientales, quos
,, injuriis affeciſti.

969 ,, Veruntamèn per Dominum te ob-
,, ſecramus à juvenilibus ac puerilibus factis
,, avertere. Scis Romam ulciſci Imperium
,, tuum non poſſe, niſi fortè ſolam Urbem
,, propter adjacens illi Mare ac navigia. Ut
,, enim antediximus, ſi ad quatuor & viginti
,, ſtadia Româ fuerit egreſſus Papa, nihil tuas
,, minas extimeſcit. Unum eſt quod nos ma-
,, lè habet, quòd agreſtes & barbari manſueti
,, fiant, & tu manſuetus contra agreſtis &
,, ferus. Totus Occidens Sancto Principi
,, Apoſtolorum fide fructus offert. Quòd ſi
,, quoſpiam ad evertendam imaginem miſeris
,, Sancti Petri, vide, proteſtamur tibi, inno-
,, centes ſumus à ſanguine, quem fuſuri ſunt;
,, verùm in cervices tuas, & in caput tuum
,, iſta recident. Nuper ſiquidèm ab interiori
,, Occidente preces illius, quem Septetum
,, appellant, accepimus, qui vultum expetit
,, noſtrum, Dei gratiâ, ut ad impartiendum
,, ei ſanctum baptiſma, illic proficiſcamur;
,, ac nè ſocordiæ, negligentiæque noſtræ ra-
,, tio nobis reddenda ſit, ad iter nos accingi-
,, mus. Deus autem timorem ſuum in cor
,, tuum immittat, & te ad veritatem con-
,, vertat ab iis, quæ in Mundum perperàm in-
,, vexiſti; tuaſque literas quamprimùm acci-
,, piam, quæ nobis tuam annuntient conver-
,, ſionem. At is, qui de Cœlo deſcendit Deus,
,, & in uterum Sacræ Virginis Dei Genitri-
,, cis propter noſtram ſalutem intravit, inha-
,, bitet in corde tuo, citòque abigat eos, qui
,, te inhabitant, & ſcandala invehunt; pacem-
,, que cũctorum Chriſtianorum Eccleſiis lar-
,, giatur in ſæcula ſæculorum. Amen. *Ha-*
,, *ctenus Epiſtola.*

970 De mulieribus juſſu Imperatoris tru-
cidatis, eò quòd everſorem imaginis Salva-
toris in terram projectum, necaſſent, fit men-
tio in Actis Sancti Stephani Junioris Marty-
ris, ubi hujus rei geſtæ hiſtoria ad hunc mo-
dum enarratur: ,, Ac primùm adversùs tuam
,, imaginem, *inquit illorum Auctor*, audaciſ-
,, ſima illa anima graſſatur, quæ ſupra por-
,, tam fixa erat, ac vulgò ærea dicebatur,
,, Theandricam tuam formam dejici atque
,, obliterari jubet. Cùm autem ad hoc faci-
,, nus perpetrandum miſſus ſatelles, impoſi-
,, tâ jam ſchalâ conſcenderet, divino zelo in-
,, cenſæ mulieres, præclariſſimum ac genero-
,, ſiſſimum virtutis ſpecimen edentes, arre-
,, ptam manibus ſchalam, in terram dejiciunt,
,, unàq; eum, qui hoc facinus aggrediebatur,
,, præcipitem agunt; qui ſtatim hanc præſtiti
,, ad hoc miniſterii mercedem tulit, ut vitâ
,, orbaretur. Sanctæ autem illæ mulieres ob
,, Chriſtum, cujus zelo flagrabant, opportu-
,, nè abjecto & contempto pudore, curſu effu-
,, ſo in Eccleſiam feruntur, atque impium
,, Patriarcham, qui tùm illic erat, illum in-
,, quam, ut Chriſti verbis utar, deſolationis
,, abominationem in loco ſancto ſtantem la-
,, pidibus inceſſerunt, mercenarium non pa-
,, ſtorem, lupum non Paſtorem, Eccleſiaſti-
,, carum deniq; Sanctionum proditorem ap-
,, pellantes. Ille autem pudore ſimùl & me-
,, tu correptus, confeſtim ad Imperatorem
,, confugit, eique quod factum fuerat, narrat,
,, atque ad mulierum cædem eum extimulat.
,, Hujuſmodi enim boni illius ac pacifici Pa-
,, ſtoris ſtudium erat, tanquàm videlicèt per
,, ea, quæ agebat, docere cupientis, malum
,, pro bono rependendum eſſe. Mox igitur
,, gladio necantur, ac pro pietatis præmio
,, mortem ferunt. *Hactenus ibi.*

971 Cùmque hæc, quæ de cæde mulie-
rum prælibata enarrant Acta, contigiſſent
poſt expulſum Sanctum Germanum, atque
ejus in locum ſubſtitutum jam hereticum Pa-
triarcham, ut contextus ipſe tradit hiſtoriæ,
neceſſe eſt aſſerere, alias cæſas mulieres fuiſſe
propter necem everſoris imaginis Salvatoris,
de

de quibus ſcribit Gregorius; & alias poſteà, propter irrogatas novo & hęretico Patriarchę injurias, cujus cædis meminit Auctor Actorum Sancti Stephani Martyris; quoniam Sancti Germani expulſio & inthronizatio hęretici triennio ferè poſteà accidit.

972 Poſt itaque prærecitatas miſſas ad Leonem literas, cùm Gregorius novas literas ipſius Imperatoris per Ruffinum ejus Legatum contraditas accepiſſet, atque compeRiſſet ex eis, magis in ſua perfidia induratum Principem, non expectato priorum literarum reſponſo, ſequentes alias ad eundem ſcripſit.

Gregorii Papæ Romani de ſacris Imaginibus ad Leonem Iſauricum Imperatorem Epiſtola ſecunda.

973 „ Accepimus veſtri à Deo conſervati Imperii, atque in Chriſto fraternitatis „ literas per Ruffinum Legatum veſtrum delatas; meque prorsùs vitæ meæ tęduit, „ quòd ſententiam non mutaris, ſed in eiſdem malis perſeveres, nec ea, quæ Chriſti „ ſunt, ſapias, ut ſanctos ac celebres miraculorum effectores Patres noſtros ac Doctores ſecteris & imiteris; neque verò ſimpliciter Doctores peregrinos profero, ſed „ eos tantùm, qui ex Urbe ac Regione tua „ prodierunt. Nùm ſapientiores ſunt Gregorio miraculorum effectore, Gregorio „ Nyſſeno, Gregorio Theologo, Baſilio Cappadociæ, & Joanne Chryſoſtomo? Nè infinita millia Sanctorum illis ſimilium ac „ Deo plenorum Patrum, Doctorumque noſtrorum commemorem; ſed obſecutus es „ pervicaci animo tuo ac domeſticis perturbationibus; & ſcripſiſti: *Imperator ſum & Sacerdos*.

974 „ Enimverò qui ante te fuerunt Imperatores, hoc opere ac ſermone demonſtrarunt, qui condiderunt & curam geſſerunt Eccleſiarum unà cùm Pontificibus cupiditate zeloque incenſi, rectæque fidei veritatem perveſtigantes, Conſtantinus Magnus, Theodoſius Magnus, Valentinianus „ Magnus, & Conſtantinus Juſtiniani pater, „ qui ſextæ Synodo interfuit. Imperatores „ religiosè imperarunt, & cum Pontificibus „ uno conſilio ac ſententia Synodos congregantes atque veritatem dogmatum perquirentes, ſanctas Eccleſias conſtituerunt & „ ornarunt. Hi ſunt Sacerdotes & Imperatores, qui id opere demonſtrarunt: tu verò, ex quo Imperium occupaſti, definitiones Patrum perpetuò non cuſtodiſti; ſed „ cùm ſanctas Eccleſias fimbriatis aureis veſtibus conveſtitas & variegatas inveniſſes, „ eas ornatu privaſti atque vaſtaſti.

975 „ Quid enim noſtræ ſunt Eccleſiæ? „ Nonnè res manufactæ, lapides, ligna, paleæ, lutum & calx? Verùm picturis hiſtoriiſque miraculorum à Sanctis editorum, „ & Chriſti paſſionum, ac Sanctæ glorioſæ „ Matris ipſius, Sanctorumque Apoſtolorum „ exornatæ ſunt; & in hiſtorias ac picturas „ homines facultates ſuas inſumunt; & viri „ ac mulieres, pueros parvulos nuper baptizatos in ulnis ſuis tenentes, itemque florentes ætate juvenes, & ex gentibus diverſis profectos, indicatis digito hiſtoriis eos „ ædificant, eorumque mentes & corda surſùm ad Deum erigunt. At tu ab his abſtinere juſſos humiles populos in otioſis ſermonibus, nugis, citharis, crepitaculis, „ tibiis & tricis occupaſti, & pro gratiarum „ actione ac celebratione ad fabulas illos „ traduxiſti, hæreditatem cum illis habeto, „ & cum iis, qui inutilia fabulantur, & inſcitias blaterant.

976 „ Audi humilitatem noſtram, Imperator, ceſſa & ſanctam Eccleſiam ſequere, prout inveniſti & accepiſti: non ſunt „ Imperatorum dogmata, ſed Pontificum; „ quoniam Chriſti ſenſum nos habemus. Alia „ eſt Eccleſiaſticarum Conſtitutionum inſtitutio, & alius ſenſus Sæcularium, in adminiſtrationibus ſęculi militarem ac ineptum, „ quem habes ſenſum & craſſum, in ſpiritualibus dogmatum adminiſtrationibus habere non potes. Et ecce tibi Palatii & Eccleſiarum ſcribo diſcrimen, Imperatorum & „ Pontificum: Agnoſce illud & ſalvare, nec „ contentioſus eſto. Si quis à te Regia Indumenta, Purpuram, Diadema Capitis, „ Trabeam abſtulerit, & obſequii ordines, „ futurum eſt, ut ab hominibus turpis deformis & abjectus habearis; quem in ſtatum „ Eccleſias redigiſti; quod enim ipſe non habes, ſanctas Eccleſias ornatu privaſti, deformeſque reddidiſti; Nam quemadmodùm Pontifex introſpiciendi in Palatium „ poteſtatem non habet, ac dignitates regias „ deferendi, ſic neque Imperator in Eccleſias introſpiciendi, & electiones in Clero „ peragendi, neque conſecrandi, vel ſymbola ſanctorum Sacramentorum adminiſtrandi, ſed neque participandi abſque opera „ Sacerdotis. Sed unuſquiſque noſtrùm in „ qua vocatione vocatus eſt à Deo, in ea „ maneat.

977 „ Vides, Imperator, Pontificum & „ Imperatorum diſcrimen? Si quiſpiam te „ offenderit, domum ejus publicas & ſpolias, ſolam illi vitam relinquens, tandèmque illum etiam vel ſuſpendio necas, vel „ capite truncas, vel relegas, eumque longè „ à liberis, & ab omnibus cognatis & amicis ſuis amandas. Pontifices non ita, ſed „ ubi peccarit quis, & confeſſus fuerit, ſuſpendii vel amputationis capitis loco, Evangelium & Crucem ejus cervicibus circumponunt, eumque tanquàm in carcerem in „ Secretaria, ſacrorumque Vaſorum æraria „ conjiciunt, in Eccleſiæ Diaconia & in Ca-

„ thecumena ablegant, ac viſceribus ejus je-
„ junium, oculiſque vigilias, & laudationem
„ ori ejus indicunt. Cùmque probè caſtiga-
„ rint, probèque fame afflixerint, tùm pre-
„ tioſum illi Domini corpus impartiunt, &
„ ſancto illum Sanguine potant; & cum il-
„ lum Vas electionis reſtituerint, ac immu-
„ nem peccati, ſic ad Dominum purum, in-
„ ſontemque tranſmittunt.

978 „ Vides, Imperator, Eccleſiarum,
„ Imperiorumque diſcrimen? Imperatores,
„ qui piè & in Chriſto vixerunt, Eccleſia-
„ rum Pontificibus obedire minimè recuſa-
„ runt, nec eos vexarunt: Tu verò, Impe-
„ rator, cùm tranſgreſſus fueris, ac perver-
„ ſus evaſeris, & manu propriâ ſubſcripſeris,
„ teipſum ſubjiciens, & confeſſus fueris, eum
„ qui terminos Patrum tollit, execrabilem
„ eſſe, in hoc proprio judicio condemnatus
„ es, ac Spiritum Sanctùm à te alienaſti.
„ Perſequeris nos, ac tyrannicè vexas mili-
„ tari, carnalique manu. Nos inermes ac
„ nudi, qui terrenos & carnales Exercitus
„ non habemus, invocamus Principem Exer-
„ citus omnis creaturæ ſedentem in Cœlis,
„ Chriſtum, qui eſt ſuper omnes Exercitus
„ ſupernarum Virtutum, ut immittat tibi
„ dæmonem, ſicut ait Apoſtolus: *Tradere*
„ *hujuſmodi Satanæ in interitu carnis, ut ſpi-*
„ *ritus ſalvus ſit*.

979 „ Vides, Imperator, quò impuden-
„ tiæ atque inhumanitatis teipſum provexe-
„ ris? Animam tuam in barathra & prærupta
„ loca præcipitem egiſti, quòd humiliari no-
„ lueris, duramque cervicem tuam ſubmit-
„ tere; Nam ubi præclarâ commonitione
„ adhibitâ & doctrinâ, Pontifices Deo exhi-
„ buerint Imperatores irreprehenſibiles &
„ mundos à peccatis ac delictis, magnam
„ apud Deum laudem & gloriam obtinent in
„ ſanctam reſurrectionem magnam, quo tem-
„ pore res noſtras occultas, opera noſtra in
„ lucem prolaturus eſt in confuſionem no-
„ ſtram coràm Angelis ſuis; Tùm verò futu-
„ rum eſt, ut nos humiles erubeſcamus, quòd
„ te propter inobedientiam tuam lucrati non
„ fuerimus; cùm illi, qui ante nos fuerunt
„ Pontifices, eos, qui ſuis temporibus im-
„ perarunt, Deo obtulerint; quòd nobis hu-
„ milibus pudorem incutiet, qui temporum
„ noſtrorum Imperatorem nõ offeramus glo-
„ rioſum & celebrem, ſed ignominioſum &
„ adulterinum. Ecce nunc quoque te hor-
„ tamur, pœnitentiam age, & convertere,
„ atque ad veritatem ingredere; ſicut inve-
„ niſti & accepiſti, cuſtodi. Honore affice,
„ & glorifica Sanctos & glorioſos Patres no-
„ ſtros ac Doctores, qui cæcitatem à cordi-
„ bus oculiſque noſtris ſecundùm diſpulę-
„ runt, iiſque viſum reſtituerunt.

980 „ At enim ſcripſiſti: Qui fit, ut in
„ ſex Conciliis de Imaginibus nihil ſit di-
„ ctum? Enimverò, Imperator, nè de pane
„ quidèm & aqua dictum eſt quidquam, ſit
„ nè comedendum, an non comedendum; bi-
„ bendum, an non bibendum; quandoqui-
„ dèm hæc antiquitùs & à principio ad vitæ
„ humanæ conſervationem habes tradita.
„ Sic etiam Imagines traditæ fuerant, ipſi-
„ que Pontifices Imagines ad Concilia defe-
„ rebant; nec ullus ex Chriſti amantibus ac
„ religioſis hominibus iter peragens, abſque
„ Imaginibus peregrinationes obibat, utpo-
„ tè qui virtute præditi, atque apud Deum
„ probi eſſent.

981 „ Hortamur te, ut ſis Pontifex &
„ Imperator, prout ante ſcripſiſti: Quòd ſi
„ te pudeat, hoc tibiipſi tanquàm Imperato-
„ ri tribuere: ad Regiones omnes, quibus
„ ſcandalo fuiſti, ſcribe, Gregorium Papam
„ Romanum circa Imagines errare; itemque
„ Germanum Cõſtantinopolitanum Patriar-
„ cham; & nos culpam peccati recipimus,
„ utpotè qui poteſtatem à Domino accepe-
„ rimus, & auctoritatem terrena, cœleſtia-
„ que ſolvendi ac ligandi; teque ab hac cura
„ quietum præſtabimus; neque voluiſti, ne-
„ que vis: nos, ut rationem Chriſto Domino
„ reddituri, monita atque documenta tibi
„ adhibuimus, prout à Domino edocti ſu-
„ mus; at tu refugiſti, atque obedire nobis
„ humilibus recuſaſti, ſimùlque Germano
„ Præſuli, & ſanctis atque glorioſis miracu-
„ lorum Effectoribus, & Doctoribus Patri-
„ bus noſtris, & ſecutus es perverſos, pravoſ-
„ que dogmatum Magiſtros, qui à veritate
„ aberrant.

982 „ Habeto partem cum illis: nos,
„ prout ante ſcripſimus tibi, viam ingredi-
„ mur, Dei benignitate, in extremas Occi-
„ dentis Regiones versùs illos, qui ſanctum
„ Baptiſma efflagitant. Cùm enim illùc Epi-
„ ſcopos miſiſſem, & ſanctæ Eccleſiæ noſtræ
„ Clericos, nondùm adducti ſunt, ut capita
„ ſua inclinarent & baptizarentur eorum
„ Principes, quòd exoptent, ut eorum ſim
„ ſuſceptor. Hac de cauſa nos ad viam, Dei
„ benignitate, accingimus, nè fortè damna-
„ tionis & incuriæ noſtræ rationem redda-
„ mus. Det tibi Deus prudentiam ac pœni-
„ tentiam, ut ad veritatem convertaris, à
„ qua deſciviſti; rursùsque reſtituat humili-
„ bus populis in unum Paſtorem Chriſtum,
„ & in unum ovile orthodoxarum Eccleſia-
„ rum ac Præſulum, & pacem Dominus Deus
„ noſter præbeat univerſo terrarum Orbi
„ nunc & ſemper & in ſæcula ſæculorum.
„ Amen. *Hactenus ſecunda Gregorii Epi-*
„ *ſtola*.

983 At non ſolùm literas Gregorius mi-
ſit, verùm & Legatos, quos impius Impera-
tor contra Jus Gentium in exilium amanda-
tos, in carcerem quoque detruſos mori coe-
git, prout ſcribit Nicolaus I. in Epiſtola 8.,
quæ eſt prima data ad Michaelem Imperato-
rem, ubi ait: *Aut certè corporaliter illos non*
con-

conſentientes ſibi, necaverunt, ſicuti ſub vene-
rabili Papa Gregorio factum eſt, qui poſt ſex-
tam Synodum fuit, quando pro zelo fidei & ſan-
ctarum Imaginum reverentiâ religioſi Viri ac
Dei famuli directi, in exilium miſſi ſunt, &
bonâ confeſſione hujus Mundi finierunt vitam.
Porrò nequaquã reſipiſcente Imperatore, Gre-
gorius coactâ Romæ Synodo, cultum ſacra-
rum Imaginum confirmavit, atque illarum
contemptores anathemati ſubjecit; inſuper
& vectigalia Imperatori ſolvi prohibuit, ini-
to cum Francis fœdere, ut ſcribit Zonaras,
inquiens: „ Gregorius, qui tùm Romæ ve-
„ teris Eccleſiam gubernabat, repudiatâ ſo-
„ cietate Præſidis novæ Romæ, Leonis ſci-
„ licèt Imperatoris, necnon eorum, qui il-
„ lum ſequerentur, illos unà cum Imperato-
„ re Synodico anathemati obſtrinxit, & ve-
„ ctigalia, quæ ad id uſque tempus Imperio
„ impendebantur inhibuit, icto com Francis
„ fœdere. *Hæc Zonaras*. Quam quidèm Sy-
nodum coegiſſe poſt factas in prærecenſitis li-
teris monitiones, indicat idem Zonaras per
ea, quæ ſubjungit, inquiens: „ Igitur Papa
„ Gregorius desertâ Imperatoris obedientiâ,
„ ob perverſam ejus opinionem, ut dictum
„ eſt, pacem cum Francis fecit, cùm priùs
„ ſæpè dediſſet operam, ut Leonem per lite-
„ ras ab odio Dei revocaret, atque ad cultum
„ ſacrarum Imaginum reduceret.

984 Cujus quoque Synodi mentio fit in
Libello Synodico, ſub titulo: *Synodus Ro-*
mana Gregorii Papæ, ubi dicitur: „ Quòd
„ cùm Divinus Papa Romæ Gregorius reſci-
„ viſſet, divinâ & ſanctâ Synodo convocatâ,
„ Imaginum oppugnatores generosè anathe-
„ mati ſubjecit, multis & vehementibus ad
„ Imperatorem Leonem uſus argumentis.
„ *Hæc ibi*. Diffuſiùs inde de eadem Synodo
loquitur Hadrianus I. Papa in Epiſtola data
ad Carolum Regem de Imaginibus adversùs
oppugnatores ſeptimæ Synodi, ſivè Nicenæ
ſecundæ, cujus initium: *Dominus ac Redem-*
ptor noſter, ubi ait: „ Pro his firmiſſimis
„ exemplis prædeceſſor noſter Sanctiſſimus
„ Dominus Gregorius II. Junior Papa in ſuo
„ ſacro Concilio (quod & in alio Concilio
„ prædeceſſoris noſtri Domini Stephani Pa-
„ pæ unà cum Sacerdotibus partium Fran-
„ ciæ atque Italiæ acto, ſuſceptum & vene-
„ ratum eſt) in eo ipſo præſidente Sanctiſſi-
„ mo ac Beatiſſimo quondam Domino Gre-
„ gorio Papa per ſemetipſum, ſimiliter dixit;
„ Si contraria ſentientibus & irritas facere
„ querentibus antiquas Patrum traditiones,
„ ſalutis occurreret converſio, ſufficerent uti-
„ que ea, quæ ſuperiùs à nobis ex Patrum
„ teſtimoniis, vel dicta ſunt documentis,
„ Sed quia videmus, quod mœrentes dici-
„ mus, pleroſque turbatis mentibus ſtatuta
„ conturbare Eccleſiæ; Ideò, fratres chariſ-
„ ſimi, extenditur ſermo, & cupimus ad
„ compeſcendam erroris inſaniam adhùc ex
„ veteribus monumentis aliquid dicere, for-
„ ſitan reſipiſcent inquieti. *Hæc Hadrianus*,
verba Gregorii habitâ recenſens Synodo, ubi
pariter ſubjungit & teſtimonia in eadem Sy-
nodo ab ipſo allegata Gregorio pro ſacrarum
Imaginum cultu.

985 Cæterùm Imperator magis furens,
adversùs orthodoxos diram excitavit perſe-
cutionem, præcipuèque adversùs perſonas
nobiles, quę pro veneratione ſanctarum Ima-
ginum pugnabant, inter quas in Græcorum
Monologio recenſentur Julianus, Marcianus,
Joannes, Jacobus, Alexius, Demetrius, Pho-
tius, Petrus, Leontius, & Maria Patritii:
Omnes hi, inquit Monologium, *ſub Leone Im-*
peratore impio pro defenſione ſanctarum Imagi-
num multas ærumnas perpeſſi, & variis tor-
mentis ſuperatis, poſtremò gladiis percuſſi, mar-
tyrio coronati ſunt. Cogitavit indè, Roma-
num Pontificem neci dare, cujus rei cauſâ di-
verſas ei tetendit inſidias, quas recenſet Ana-
ſtaſius in vita ejuſdem Gregorii. Primò enim,
conſulente eodem Imperatore, conjurarunt
adversùs Sanctum Pontificem Baſilius Dux,
Joannes Chartolarius, & Joannes Lurion
Subdiaconus, conſentiente Mauritio Spatha-
rio ab Imperatore ad eundem effectum miſſo;
„ Poſt aliquod tempus, *ait Anaſtaſius*, Baſi-
„ lius Dux, Jordanes Chartolarius, & Joan-
„ nes Subdiaconus, cognomento Lurion,
„ conſilium inierunt, ut Pontificem interfi-
„ cerent. Quibus aſſenſum Marinus Impe-
„ rialis Sphatarius, qui Romanum Ducatum
„ tenebat, à Regia miſſus Urbe, Imperatore
„ mandante, hoc probavit; ſed tempus in-
„ venire non potuerunt, quia Dei judicio
„ diſſolutus & contractus eſt, & ſic à Roma
„ receſſit.

986 Deinde reaſſumpto animo, idem ſce-
lus perficere cogitarunt, ſed patefacto eorum
conſilio, acceptâ à Romanis Pontificibus de-
fenſione, uno excepto, qui poſteà Monaſte-
rium ingreſſus, vitam duxit monaſticam ad
extremum uſque ſuæ vitæ diem, omnes tru-
cidati ſunt: „ Poſtmodùm Paulus, *ſubjun-*
„ *git Anaſtaſius*, Patritius & Exarchus miſ-
„ ſus in Italiam eſt: qui denuò, ut hoc ſce-
„ lus perficerent, meditabantur. Quorum
„ conſilium Romanis patefactum eſt, qui mo-
„ ti cuncti, Jordanem interfecerunt & Joan-
„ nem Lurionem; Baſilius verò Monachus
„ factus, in loco quodam retruſus vitam fini-
„ vit. *Hæc de ſecunda conjuratione*. Tertiò,
item idem Paulus Exarchus, jubente Impera-
tore, interficere Pontificem conatus eſt, miſ-
ſo ad hoc opus peragendum Spathario, ſed
Romani unà cum Longobardis reſiſtentes ag-
greſſori, fruſtrà conatum ſuum reddiderunt;
„ Paulus verò Exarchus, *ait idem Anaſta-*
„ *ſius*, Imperatoris juſſione eundem Pontifi-
„ cem conabatur interficere, eò quòd cen-
„ ſum in Provincia ponere præpediebat, &
„ cogitaret ſuis opibus Eccleſias denudare,
ſicut

„ ſicut in cæteris actum eſt locis, atq; alium „ in ejus ordinare loco. Poſt hunc Spatharius cum juſſionibus miſſus eſt alter, ut „ Pontifex à ſua Sede dimoveretur. Denuò „ Paulus Patritius ad perficiendum tale ſcelus, quos ſeducere potuit ex Ravennatibus cum ſuo Comite, atque ex Caſtris aliquos miſit: Sed motis Romanis, atque „ undiquè Longobardis pro defenſione Pontificis, in Salario Ponte Spoletini, atque hincindè Duces Longobardorum circumdantes Romanorum fines, hoc præpedierunt.

987 Deniquè impius Princeps edictum adversùs Sacras Imagines jam in Oriente publicatum, in Occidente quoque publicandum miſit, adjectà juſſione adversùs Sanctum Pontificem, ut ſi aquieſcere noluiſſet, è ſuo gradu dimovererur: „ Juſſionibus itaq; poſtmodùm miſſis, decreverat Leo Imperator, „ ut nulla Imago cujuslibet Sancti, aut Martyris, aut Angeli ubicumque haberetur: „ maledicta enim omnia aſſerebat;& ſi acquieſceret in hoc Pontifex, gratiam Imperatoris haberet; ſi & hoc fieri præpediret, à „ ſuo gradu decideret. *Hæc Anaſtaſius*. At pius, & Sanctus Pontifex conſtanti animo profanis hiſce reſtitit conatibus. Tunc enim factum eſt quod Zonaras ſcribit, ut inito cum Francis,& Occidētalibus Principibus fœdere, ab Imperatoris obediētia univerſi receſſerunt: „ Reſpiciens ergò pius vir, *ſequitur Anaſtaſius*, profanam Principis juſsionem, jam „ contra Imperatorem quaſi contra hoſtem ſe „ armavit, renuens hæreſim ejus, ſcribens „ ubique cavere ſe Chriſtianos, eò quòd orta fuiſſet impietas talis. Igitur permoti „ omnes Pentapolenſes, atque Venetiarum „ Exercitus,contra Imperatoris juſſionem reſtiterunt, dicentes, nunquam ſe in ejuſdem „ Pontificis condeſcendere nece, ſed pro ejus „ magis defenſione viriliter decertare. Itaut „ anathemati Paulum Exarchum, qui illud „ edictum direxerat, ejuſque conſentaneos „ ſubmittunt, ſpernentes ordinationem ejus, „ ſibi omnes ubique in Italia Duces elegerunt, atque ſic de Pontificis, deque ſua „ immunitate cuncti ſtudebant. *Hæc Anaſtaſius*.

988 Verùm impii homines, qui ex parte Imperatoris erant, novas adversùs Sanctum Pontificem moliti ſunt inſidias, in caſſum tamen,Deo illum protegente; undè hæc alia addit Anaſtaſius: „ Poſt aliquod verò tempus „ Eutychium Patritium Eunuchum, qui „ dudùm Exarchus fuerat, Neapolim miſit „ Imperator, ut illud quod Exarchus Paulus, Spatharii quoque, & cæteri malorum „ conſiliatores facere nequiverunt, perficeret ille: ſed nec,ſic jubente Deo,latuit miſerabilis dolus,ſed claruit cunctis peſſimum „ conſilium, quo Chriſti violare conabantur „ Eccleſias, & perdere cunctos atque diripere omnia loca. Cùmque mitteret hominem „ proprium Romam cum ſcriptis ſuis, in quibus continebatur, ut Pontifex occideretur „ cum Optimatibus Romæ, agnitâ crudeliſſimâ inſaniâ, protinùs ipſum Patritium miſſum occidere voluerùnt, niſi defenſio Pontificis nimia præpediſſet. Verùm eundem „ anathematizaverūt Eutychium Exarchum, „ ſeſe magni cum parvis conſtringentes Sacramento,nunquàm Pontificem Chriſtianæ „ fidei zelotem, & Eccleſiarum defenſorem „ ſe permittere nocceri aut amoveri, ſed mori pro illius ſalute, eſſent omnes parati. „ Munera tunc hincindè Ducibus Longobardorum, & Regi pollicens plurima, ut „ ab juvamine deſiſterent Pontificis, per ſuos „ Legatos Patritius ille ſuadebat; qui ex „ ſcriptis deteſtandam viri doloſitatem deſpicientes, unâ ſe quaſi fratres fidei catenâ „ conſtrinxerunt Romani atque Longobardi, „ deſiderantes cuncti mortem pro defenſione „ Pontificis ſuſtinere glorioſam, nunquàm „ illum paſſuri perferre moleſtiam, pro fide „ vera & Chriſtianorum certantes ſalute. *Hæc Anaſtaſius*.

989 Dùm porrò hæc adversùs Sanctum Pontificem molirentur in Italia, Sanctiſſimus Patriarcha Germanus pro fide certabat in Oriente, verbis quidèm, ſcriptis non minùs, undè pro Sanctarum Imaginum defenſione literas omni eruditione refertas fecit ad Conſtantinum Epiſcopum Nacoliæ, quarum initium: *Joannes Deo amantiſſimus*, quæ in ſeptima Synodo Act. IV. habentur recitatæ. Joannes quoque Damaſcenus, genere Syrus, idem aggreſſus eſt certamen, editis primùm tribus orationibus pro defenſione cultus Sacrarum Imaginum, & diverſis ad plurimos ſcriptis ejuſdem argumenti Epiſtolis,ut hincindè evulgatæ, eſſent pro antidoto adversùs emergentem hæreſim. Sic Joannes Patriarcha Hieroſolymitanus in vita ejuſdem S. Joannis Damaſceni Monachi in Syria, inquiens: „ Tùm autem Leo Iſauricus Romanum Imperium gubernabat, qui adversùs venerandas Imagines, ac rectè de religione ſentientem Eccleſiæ cœtum,erat tanquàm Leo rapiens rugiens; nam & illas belluinâ inſaniâ „ igne comburebat, & earum adoratores rapiebat ac delebat; tyrannicæque impietatis „ dentibus mirum in modum laniabat. Quæ „ poſtquàm ad Joannis aures pervenerunt, „ Eliæ zelum atque cognominis ſui Baptiſtæ „ reprehendendi libertatem imitatur, cùm „ videlicèt etiam ante unctionem inviſibiliter urgente ſpiritu, ac verbum Dei, veluti „ ſpiritus gladium incidendi facultate præditum, ad ferinæ illius mentis dogma, tanquàm caput amputandum,objicit. Ad orthodoxos itaque, quibus notus erat, pro „ venerandarum Imaginum honore Libellos „ Epiſtolares mittebat, quibus illud erudi- „ tiſſimè demonſtrabat, divinarum Imaginum ado-

„ adorationem neceſſariam eſſe, ipſoſque hor„ tabatur, ut aliis eadem commemorarent, „ ſuaſque Epiſtolas omnibus oſtenderent: at„ que omni oratione ac ſtudio novus ille veri„ tatis pugil ad hoc incumbebat, ut Epiſtolæ „ ſuæ, velut per orbem quemdam è piorum „ manibus ad piorum manus tranſirent; ſic„ que recta doctrina confirmaretur. Ac Pauli „ inſtar omnem correctionem adhibebat, ut „ ſi non pedibus, at certè per Epiſtolas ter„ ram univerſam veritatis prædicatione in or„ bem amplecteretur. *Hæc ille*.

990 Cùmque Leo Imperator hos duos, Germanum ſcilicèt Conſtantinopolis, & Joannem Damaſcenum in Syria maximè ſuæ impietati adverſari conſpexiſſet, utroſque perdere machinatus eſt: non apertè, ſed occultè, uſus fraude, ut juſto aliquo ſimulato prætextu videretur agere: Quare ad perdendum Germanum uſus eſt miniſterio cujuſdam Anaſtaſii Diſcipuli ejuſdem Germani, cui pro ſcelere Epiſcopatum Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ promiſit. Adversùs porrò Sanctum Joannem Damaſcenum, qui extra ſuam poteſtatem degebat, utpotè in Syria ſub Sarracenorum poteſtate, quorum Principi erat à Conſiliis, ut Joannes Hieroſolymitanus Patriarcha mox citatus refert, alia excogitavit machinamenta, quare adhibitis ſuæ fidei & impietatis peſſimis Conſiliariis, Diabolo ſuggerente, fictitiam quamdam Epiſtolam velut ſub Joannis Damaſceni nomine, illius imitato charactere, quaſi ad Imperatorem ſcriptam, & proditionem adversùs Sarracenorum Principem continentem, componendam decreverunt, ſicque compoſitam ad manus ejuſdem Principis mittendam, unà cum ejuſdem peſſimi Imperatoris Epiſtolâ, qua de ementita illa proditione Sanctiſſimus Vir accuſaretur. Impio Conſilio ſubſequitur opus: conſcribitur Epiſtola, nomine Beati Viri ſubſcribitur, illius eſt imitata manu, & ad Principem Sarracenorum mittitur. Hæc omnia idem Patriarcha Joannes recenſet, qui & Epiſtolam nomine Damaſceni confictam ad hunc modum ſe habuiſſe refert.

991 „ Salve Imperator. Majeſtati tuæ „ hoc gratulor, quod eandem nobiſcum fidem „ tenens, tuæque Imperatoriæ Præcellen„ tiæ cultum ac venerationem quam debeo, „ tribuo. Ea quæ de cauſa illud tibi ſignifi„ co, Urbem hanc noſtram negligenter om„ nino cuſtodiri, atque Agarenorum prædium „ quod hìc eſt, exiguum & infirmum eſſe. „ Quare per Deum te obteſtor, ut hujus Ci„ vitatis commiſeratione afficiaris, atque in„ genti & ſtrenua manu præter omnem expe„ ctationem miſsâ, quà aliò ſeſe proficiſci ſi„ mulet, Urbem ſine ullo labore obtinebis. „ Ad id enim ipſe quoque non mediocrem „ opem tibi afferam: quandoquidem & Urbs „ & regio univerſa in mea penè poteſtate eſt. „ *Hactenus conficta Epiſtola*. Quid porrò ſub nomine ejuſdem Imperatoris eidem Sarracenorum Principi reſcriptum fuerit, ex eodem Joanne Patriarcha relatum eſt, qui ſub his verbis ſcripſiſſe tradit, nimirum.

992 „ Nihil pace beatius atque amicitiâ „ fortunatius eſſe cenſeo: ac propterea pacis „ fœdera ſervare, laudabile ac Deo gratum „ eſt. Proinde nihil antiquius duco quàm „ amicitiæ fœdus, quod tecum ſanxi, firmum „ atque inviolatum conſervare: quamquam „ ad illud clam infringendum, ac verſutè vio„ landum, à Chriſtiano quodam, qui ſub tua „ ditione atque Imperio eſt, crebris illius li„ teris incitor; quibus illud certò confirmat, „ ſe mihi ad Urbem tuam in meam poteſta„ tem redigendam, ingentem opem allatu„ rum eſſe, ſi ingentem exercitum eò miſero. „ Unde etiam unam ex ipſis à me miſſis Epi„ ſtolis ad te miſi, ut jis quę ad te ſcribo, fi„ dem conciliem, atque intelligas, quàm in „ tuendis amicitiis veræ ac ſynceræ fidei ſim: „ ſimul etiam ejus, qui ad me hæc ſcribere „ auſus eſt, improbitatem ac fraudem perſpe„ ctam habeas. *Hactenus Leonis Epiſtola*: quam per quemdam ex ſuis ad Barbarum Principem contradendam miſit, ut hac via Joannem perderet.

993 Atqui Sarracenorum Princeps præfatis acceptis literis irâ ſcandens, Damaſcenum ad ſe accerſiri juſſit, cui oſtenſis literis, & de proditione increpans, juſtam Sancti Viri defenſionem nec quidem audire voluit: ſed illicò furibundus juſſit illi amputari dexteram, quam amputatam in foro ſuſpendi juſſit: Veſpere autem facta, cum Damaſcenus Tyranni indignationem ſedatam atque compreſſam conijceret, legationem ad eum miſit, orans atque obſecrans, ut pro ſui acerbi doloris levamine, dignaretur præciſam & appenſam dexteram è loco auferre, ſibique ad humandam reſtitui. Id quod præſtitit Tyrannus: „ Qua ac„ ceptâ, *ait Joannes Patriarcha*, ille ad Ora„ torium, quod Domi habebat, ingreditur, „ pronoque omninò corpore ante Divinam „ Imaginem, quæ Dei Genitricis effigiem „ gerebat, provolutus, exciſamque manum „ priſtinæ ſuæ commiſſuræ admovens, intimo „ pectore ingemiſcit, ac cum lacrymis excla„ mans, illam ad miſericordiam propenſiſſi„ mam, hunc in modum obſecrare cœpit. „ *Domina & caſtiſſima Mater, quæ Deum „ meum peperiſti, Divinarum Imaginum cau„ sà dextera mihi manus amputata eſt: Neque „ enim te fugit, quòd Leonem in furorem con„ jecerit; Quare quàm celerrimè accurre, & „ manui meæ medicinam adhibe. Dextera „ excelſi, quæ in te incarnata eſt, per tuam „ interceſſionem virtutes multas efficit: Tuo ita„ que rogatu meam quoque dexteram, obſecro, „ ſanet ut tuas, quemadmodùm conceſſeris, „ Filiique ex te incarnati laudes modulo con„ centu, ò Dei Genitrix, literis conſignet, at„ que Orthodoxo cultui adjumento ſit. Potes „ enim quidquid lubet, ut Dei Mater*. Hæc

Joan-

„ Joannes lacrymis dicens obdormivit, atque „ in ſomnis Dei Genitricis Imaginem videt, „ placidis & lætis oculis ipſum intuentem, ac dicentem . *Ecce ſanitati reſtituta eſt manus tua . Jam ergo ſinè ulla cunctatione, quemadmodùm nunc pollicitus es, ea ſcribe velociter, ſcribentis calamum effice*: Hæc Joannis Damaſceni vitæ ſcriptor: Qui & alia ſubnectit, quæ ad præſentem non pertinent hiſtoriam, niſi quod ait, poſt hæc Barbarum admiratum rei magnitudinem, voluiſſe eum tanquam inſontem inter primarios ſuæ Domus Principes conſtituere, renuiſſe tamen Joannem, ac denique omnibus divenditis, & pauperibus diſtributis, Hieroſolymam veniſſe, & Sacratiſſimis viſitatis locis ad Monaſterium Sancti Sabæ ſe contuliſſe, ubi accepto Monachali habitu, vitam monaſticam ducere decrevit.

994 Cæterùm, qui ſuis impiis machinationibus non valuit ſceleſtus Imperator prorsùs Joannem Damaſcenum, ut habebat in votis, perdere, Deo illi, ut antefati ſumus, auxilium præbente, illiuſque innocentiam tanto comprobante miraculo, non pepercit Sanctiſſimo Germano ſub ſua prorsùs conſtituto poteſtate. Anno itaque Domini DCCXXX. ſui Imperii xv. Gregorii II. Pontificatus XVII. currente XIII. Indictione, prout notat Theophanes, depoſito atque ejecto è ſuo Throno S. Germano Conſtantinopolitano Epiſcopo, Viro Sanctiſſimo atque orthodoxo, hæreticum & peſſimum hominem, Anaſtaſium ſcilicèt ejuſdem Eccleſiæ Syncellum, juxta ei promiſſa in ejuſdem Eccleſiæ Thronum repoſuit: „ Septimo Idus Januarii, *ait Theophanes*, „ XIII. Indictione, tertiâ Feriâ, impius Leo „ ſilentium, concionaturus ad Populum, con„ trà Sanctas ac Venerabiles celebravit Ico„ nas in Tribunali decem & novem Cubito„ rum, advocato quoque Germano Sanctiſ„ ſimo Patriarcha, ratus poſſe illi perſuade„ re, quod ſubſcriberet contrà Sanctas Ico„ nas. Sed fortis Chriſti ſervus nullatenus „ acquieſcens deteſtabili cacodoxiæ ipſius, „ cùm verbum veritatis rectè dixiſſet, abre„ nuntiavit Summum Sacerdotium, tradens „ pallium, & poſt multos didaſcalicos ſermo„ nes dicens: *Si ego ſum Jonas, mitte me in* „ *Mare. Abſque univerſali quippe Synodo in*„ *novare fidem impoſſibile eſt mihi ſecundùm* „ *Apoſtolicam Doctrinam, & paternam tra*„ *ditionem, ò Imperator*. Et abjens ad locum, „ qui dicitur Platanium in parentali domo „ ſua quieti operam dedit, Summo Sacerdo„ tio functus annis XIV. menſibus V. & die„ bus VII. imò annos quindecim, ut dictum „ eſt ſuperiùs. *Hæc Theophanes de Germani* „ *depoſitione*.

995 Verùm non ſic placidè ſed cum injuria amotum Germanum ſcribit S. Joannes Damaſcenus orat. 2. de Imaginibus, qui eâ vixit & ſcripſit ætate. *Et nunc Germanus*, inquit; *alapis percuſſus, & in exilium miſſus eſt, & complures alii Patres, quorum nomina nos ignoramus*. Conſonant ea quæ habentur in libello ſynodico, ſub titulo: *Synodus Conſtantinopolitana Leonis Iſauri Imperatoris*: ubi dicitur: „ Leo igitur, qui & Conon dicebatur, Iſau„ rus genere, cùm Theodoſio in Imperio ſuc„ ceſſiſſet, & errore Conſtantini Nacolienſis „ Epiſcopi, & Biſer Patritii Saracenica ſa„ pientis, hæreſiarcharum eſſet pollutus, ne„ fandam in Palatio contrà Sacras Imagines „ inſtituit Synodum, & Beatum Germanum, „ ut earum demolitionem publicè renuncia„ ret, coegit. Sacer autem Dei Antiſtes, exu„ to humerali è Synedrio diſceſſit: quem efferus Tyrannus Domi ſuę concluſit; nec mul„ tò poſt in Monaſterio Choræ unà cum Ar„ chidiacono Anthimo, laqueo ſuffocavit. „ Anaſtaſium verò Deo inimicum ſolio intru„ dens, ea quæ Gentilibus & Judæis in Chri„ ſti Eccleſia perſequenda defuerunt, tru„ culenter implevit. *Hactenus ex libello Sy*„ *nodico*.

996 De intrhonizatione verò Anaſtaſii idem antefatus Theophanes hæc ſcribit: „ Porrò XI. Kalendas Februarii creant falſi nomi„ nis Anaſtaſium Diſcipulum & Syncellum „ ejuſdem Beati Germani conſentientem Leo„ nis impietati propter amorem Principatus „ mundani, hunc ipſum Conſtantinopoleos „ provehentes. Sanè Gregorius Sanctiſſimus „ Præſul Romanus, quemadmodùm prædixi, „ Anaſtaſium unà cum libello abjecit, Leo„ nem per Epiſtolas tanquam iniquè agentem „ redarguens, & Romam cum tota Italia ab „ illius Imperio recedere faciens. Inſaniens „ ergo Tyrannus contrà Venerabiles Imagi„ nes perſecutionem tetendit, porrò multi „ Clerici Monachi, & Religioſi Laici pro re„ cto periclitati ſunt verbo. *Hæc ille*. Ex quibus apparet auſum fuiſſe Anaſtaſium pſeudopatriarcham ſynodicam mittere ad Gregorium Papam, quam rejectam Theophanes ſcribit. Similia tradit Anaſtaſius Bibliothecarius in vita Gregorii, *inquiens*: „ Nam poſt hæc „ claruit ejuſdem Imperatoris malitia, pro „ qua perſequebatur Pontificem, ita ut com„ pelleret omnes Conſtantinopolim habitan„ tes, tàm virtute, quàm blandimentis, ut „ deponerent ubicumque haberentur, Imagi„ nes tàm Salvatoris, quàmque ejus Geni„ tricis Sanctæ, vel omnium Sanctorum, eaſ„ que in medio Civitatis, quod dicere crude„ le eſt, igni cremarent, & omnes dealba„ rent depictas Eccleſias. Et quia plerique „ ex ejuſdem Civitatis populo tale ſcelus fie„ ri præpediebant, aliquanti caput truncati, „ alii in aliqua parte corporis exciſi, pœnam „ pertulerunt. Pro qua cauſa etiam Germa„ num Sanctæ Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ „ Antiſtitem, eò quòd ei conſenſum præbere „ noluiſſet, Pontificatu privavit idem Impe„ rator, ſibique complicem Anaſtaſium Presbyte-

„ ſbyterum in ejus locum conſtituit. Qui „ miſsâ Romam ſynodicâ, dum tali hæreſi „ eum conſentientem reperiret, Vir Sanctus „ non cenſuit eum fratrem & conſacerdotem „ ſolitò vocari, ſed reſcriptis commonitoriis, „ niſi ad Catholicam converteretur fidem, „ etiam extorrem à Sacerdotali officio eſſe, „ mandavit. Imperatori quoque ſuadens ſa„ lutaria, ut à tali execrabili miſeria decli„ naret, ſcriptis commonuit. *Hactenus Anaſtaſius*. Poſt hæc, *ait* Binius in notis ad Gregorii vitam, factum eſſe, quod ſcribunt in Annalibus ſuis Theophanes, Cedrenus, & Zonaras, ut idem Pontifex eundem Imperatorem, velut planè impœnitentem, hæreticum cognitum & declaratum, anathemati ſubjecerit, omneſque Imperii ſubditos in Italia ab ejus obedientia recedere adhortatus fuerit.

CAPUT XX.

De Continuata Iconoclaſtarum hæreſi in Oriente, ſub Gregorio III. Romano Pontifice.

997 ANno currente Domini DCCXXXI. Imperii Leonis Iſauri XVI. Indictione XIV. menſe Februarii III. Idus ejuſdem, Sanctiſſimus Pontifex Gregorius II. ex hac vita migravit ad Dominum, cùm ſediſſet annos XVI. menſes VIII. & dies XX. in multis variiſque tribulationibus, ut antefati ſumus. Porrò poſt paucos vacantis Sedis dies, nimirum die XVI. ejuſdem menſis Februarii renunciatus eſt Romanus Pontifex ſummo totius Cleri & Populi conſenſu alter Gregorius, hujus nominis III. Natione Syrus Joannis filius, vir mitiſſimus & valdè ſapiens, Græca non minus ac latina eruditus lingua, in Divinis Scripturis apprimè verſatus, in ſermonibus politus, in predicatione Verbi Dei aſſiduus, fideique Catholicæ & Apoſtolicæ æmulator ac ſtrenuus defenſor, erga inopes proviſor, Orphanorum & Viduarum largitor, captivorum redemptor, Religioſitatis amator, ac denique omni præditus virtute, ut ſcribit Anaſtaſius, dignus planè ut tam in periculoſis temporibus Eccleſiam Dei regeret,

998 Hic porrò in ſui Pontificatus exordio, ad extirpandam Iconoclaſtarum hæreſim ſcripſit ad Leonem Iſaurum Imperatorem adhortatoriam Epiſtolam, qua eum ab errore evocare conabatur, decretâ ei legatione, ſelectoque ad hoc munus exercendum Gregorio Romano Presbytero: qui humano terrore motus, literas Imperatori contradere non auſit: Cùmque Romam reverſus Pontifici enarraſſet, agnitâque culpâ, acceptas literas reddidiſſet, indignatus idem Sanctus Pontifex, coactâ Romæ Synodo Gregorium à Presbyterii honore deponere tentavit, rogatu tamen Epiſcoporum pepercit: quæ omnia ita enarrat Anaſtaſius, inquiens: „ Fuit autem temporibus „ Leonis & Conſtantini Imperatorum, ea „ perſecutione graſſante, quæ per ipſos mota „ eſt ad depoſitionem & deſtructionem Sacra„ rum Imaginum Domini Noſtri Jeſu Chriſti, „ & Sanctæ Dei Genitricis, Sanctorum Apo„ ſtolorum, omniumque Sanctorum & Con„ feſſorum, pro quibus idem Sanctiſſimus „ Vir, ut ab hoc reſipiſcerent ac ſe remove„ rent errore, commonitoria ſcripta, juxta vi„ gorem & inſtitutionem Sedis Apoſtolicæ, „ quemadmodùm & ſanctæ memoriæ deceſſor „ ipſius direxerat, miſit per Gregorium Pre„ ſbyterum. Qui humano ductus timore, „ non eadem ſcripta Imperatori porrexit. Qui „ revertens, ſecum hæc in Civitatem Roma„ nam reducens, ipſi Sanctiſſimo Pontifici „ patefecit, confeſſus ſe faciens reum culpæ. „ Quem magna comminatione Pontifex ipſe „ voluit ab ordine Sacerdotali privare. Cui „ reſidente Concilio, ſed obſecrante tàm Con„ cilio, quàm optimatibus, ut non depone„ retur, ſed magis idem Presbyter pœnitentiæ „ ſubmitteretur. *Hæc Anaſtaſius*.

999 Intereà Imperator diabolico percitus furore magis ac magis adversùs Orthodoxos, atque Sanctarum Imaginum ſæviebat defenſores, quàmplurimis Sanctiſſimis Viris illo jubente necatis, inter quos enumerantur Emilianus Epiſcopus Cyzicenus, qui Sancto Germano in illius Eccleſiæ ſucceſſerat regimine, Baſilius & Procopius Decapolita, atque Theophilus Monachus, quorum memoria extat in Græcorum Monologio, Æmiliani, ſub die VIII. Auguſti, Baſilii & Procopii ſub die XXVII. Februarii, Theophili verò ſub die II. Octobris. In quo pariter Monologio recenſetur memoria Gregorii Civis Decapolis in Iſauria, qui Orientem & Occidentem peragrans, in Confeſſione Catholicæ fidei diem clauſit extremum; Simeonis pariter Sanctitate nitentis, quem Leo propter fidei confeſſionem in Carcerem detruſerat, ut notatur ſub die XX. menſis Novembris. Pepercit tantùm peſſimus Princeps Joanni Epiſcopo Polyboti miraculorum patratori, etſi ab eo de ſua impietate reprehenſus, quem ad ſuam Eccleſiam redire permiſit.

1000 Deinde cogitavit Imperator ſe de Romanis atque Italis vindicare propter eorum ab ipſius obedientia receſſum, eaque egit, quæ Theophanes ſcribit, inquiens: „ Aſt „ Imperator contrà Papam atque receſſum „ Romæ ac Italiæ ſæviebat: Conſtructum„ que ſtolum magnum direxit adversùs eum, „ Manem Prætorem Cyberrotenſium caput in „ eo conſtituit: Tunc impugnator Dei peram„ pliùs ſæviens, cùm Arabi conſenſu tenere„ tur adversùs Imagines, tributa capitalia „ tertiæ parti Siciliæ ſeu Calabriæ ſuperim„ poſuit. Ea verò quæ dicuntur patrimonia „ Sanctorum Principum Apoſtolorum, quæ

„ olim Eccleſiis auri dimidium & tria confe-„ rebant argenti talenta, publicæ rationi „ exolvi præcepit. Conſiderare etiam ac de-„ ſcribere mares jubens, ut Pharao quondam „ eos qui erant ex Hebræis, quod nec ipſi „ Magiſtri ejus Arabes in Chriſtianos, qui in „ eis ſunt oris, feciſſe noſcuntur. *Hactenus Theophanes*. Addit Cedrenus ad annum Leonis XVII. ingentem Claſſem adversùs Italos atque Romanos ab eodem Imperatore paratam in Adriatico mari naufragio periiſſe.

1001 Ad hæc: cum Romanus Pontifex Gregorius iterum Gregorium Presbyterum, peractâ pœnitentiâ, ad ipſum Imperatorem cum commonitoriis miſiſſet literis, re ab eodem cognita Imperatore, in Inſula Siciliæ eum retinere fecit, coactum per annum integrum degere exulem: „ Cui impoſitâ dignâ pœni-„ tentiâ, *ſubjungit Anaſtaſius*, iterum ſecun-„ dò, cum eiſdem literis ſcriptis apud „ Regiam direxit Urbem. Sed nequiter ar-„ gumentata diſpoſitio eorundem Imperato-„ rum eadem venerabilia ſcripta in Sicilien-„ ſi Inſula retineri fecit, nec ad Urbem Re-„ giam pertranſire permiſit; ſed eundem por-„ titorem penè per annum integrum in exi-„ lium relegavit. *Hæc ille*. Cujus rei causâ Gregorius collecto Romæ nonaginta trium Epiſcoporum Concilio, primùm ad confirmandas antiquas Patrum traditiones de uſu Sacrarum Imaginum conſtitutum edidit, eoſque diro anathemate percuſſit, qui huic decreto adverſarentur. Additum inſuper ex Synodo, ad eundem Imperatorem commonitoriam Epiſtolam mittendam eſſe. Celebrata eſt hæc Synodus Romæ Anno Domini DCCXXXII. Pontificatus Gregorii Anno II. Leonis Imperii XVII. Indictione XV. De qua hæc proſequitur Anaſtaſius; „ Unde majori fidei ardore „ permotus Pontifex ſynodale decretum cum „ Sacerdotali Conventu coràm Sacroſancta „ Confeſſione Sanctiſſimi Corporis Beati Pe-„ tri Apoſtoli, reſidentibus cum eodem Sum-„ mo & Venerabili Papa, & Archiepiſcopis, „ ideſt, Antonio Gradenſi Archiepiſcopo, „ Joanne Epiſcopo Ravennate cum cæteris „ Epiſcopis iſtius Heſperię partis num. XCIII. „ ſeu Presbyteris Sanctæ hujus Apoſtolicæ „ Sedis, adſtantibus Diaconibus, cum cun-„ cto Clero, Nobilibus etiam Conſulibus, & „ reliquis Chriſtianis plebibus adſtantibus, „ decrevit, ut, *ſi quis deinceps antiquæ con-„ ſuetudinis, & Apoſtolicæ Eccleſiæ tenentes „ fidelem uſum contemnens, adversùs eandem „ Venerationem Sacrarum Imaginum, videlicèt Dei & Domini Noſtri Jeſu Chriſti, & „ Genitricis ejus ſemper Virginis Immaculatę, „ atque Glorioſæ Mariæ, Beatorum Apoſtolo-„ rum, & omnium Sanctorum depoſitor atque „ deſtructor & profanator, vel blaſphemus ex-„ titerit, ſit extorris à Corpore & Sanguine „ Domini Noſtri Jeſu Chriſti, vel totius Ec-„ cleſiæ unitate, atque compagine*. Quod & „ ſubſcriptione ſua ſolemniter univerſi firma-„ verunt, & inter cætera inſtituta probabi-„ lium Prædeceſſorum Orthodoxorum Pon-„ tificum annectenda ſanxerunt.

„ 1002 Deinde ſubjungit Anaſtaſius: „ Poſt „ peractum igitur hoc memoratum ſuperiùs „ ſynodale conſtitutum, iterum miſit alia ſi-„ milia ſcripta commonitoria pro erigendis „ Sacris Imaginibus per Conſtantinum De-„ fenſorem, quæ ſimiliter ut anteriora detenta ſunt, & portitorem eorum fortiſſimâ cu-„ ſtodiâ conſtrinxerunt penè per annum inte-„ grum. Poſtmodum autem vi auferentes ei „ ipſa ſcripta, & comminantes ei, poſt tanti „ temporis cuſtodiam cum injuriis eum remi-„ ſerunt. *Hæc Anaſtaſius*. Et licèt tantâ injuriâ in ſuis Legatis affectus fuiſſet Sanctus Pontifex, non perinde deſtitit iterum & novas Commonitorias ad eundem mittere Principem: „ Et iterum, *ait Anaſtaſius*, Dom-„ nus Papa adhortatorias literas faciens pro „ erigendis ſupraſcriptis Sacris Imaginibus, „ & orthodoxæ fidei firmitate, direxit per „ Petrum Defenſorem ad Regiam Urbem, „ tàm Anaſtaſio invaſori Sedis Conſtantino-„ politanæ, quàmque Principibus Leoni, & „ Conſtantino. *Hæc ille*. Quare Hadrianus Papa in Epiſtola ad Imperatores recitata Act. ſecunda Synodi ſeptimæ ſcribit: „ Unde ma-„ gno dolore conſtricti Dominus Gregorius, „ atque item Gregorius Beatiſſimi Pontifices, „ qui illo tempore exiſtebant, eundem veſtræ „ tranquilliſſimæ pietatis Proavum ſuis Apo-„ ſtolicis exarationum apicibus deprecati „ ſunt, ut ab eadem novæ præſumptionis te-„ meritate reſipiſceret, eaſdemque Imagines „ in priſtino ſtatu reſtitueret. Sed nullo mo-„ do eorum ſaluberrimis deprecationibus in-„ clinatus eſt. *Hactenus Hadrianus*. Generalitas quoque totius Italiæ factâ ad eundem Principem legatione, ſimiles deprecatorias pro erigendis Sacris Imaginibus direxerunt: at retentis Legatis in Inſula Siciliæ poſt menſes octo injuriis & contumeliis affecti, re infectâ dimiſſi ſunt. Ita Anaſtaſius, inquiens: „ Nam „ & cuncta generalitas iſtius Provinciæ Italiæ „ ſimiliter pro erigendis Imaginibus ſuppli-„ cationis ſcripta unanimiter ad eoſdem „ Principes direxerunt, quæ & ipſa ſimiliter, „ ut anteriora ablata ſunt à Sergio Patricio & „ Stratego ipſius Inſulæ Siciliæ: Ac ferè per „ octo menſes detenti, remiſſi ſunt ſimiliter „ cum exprobrationis injuria portitores. *Ha-„ ctenus Anaſtaſius*.

„ 1003 Itaque ſurdus ad omnia effectus Imperator, & in ſua magis ac magis confirmatus perfidia, quotquot ſuæ impietati adverſarios dignoſcebat, aut morte, aut carceribus, aut exilio, aliiſque mulctabat ſuppliciis; quare in Græcorum Monologio, ac in illo Baſilii, inter innumeros, qui dira paſſi ſunt, hoc regnante Tyranno, pro defenſione cultus Sanctarum Imaginum, recenſentur Theophylactus Epiſco-

ſcopus Nicomediæ, Nicetas Epiſcopus Apolloniadis, Theodorus Epiſcopus Grapſorum, cognomento Cantor, Joannes Abbas Monaſterii Catharorum, Hippatius Epiſcopus Lidorum, Andręas ejuſdem Epiſcopi Presbyter, Eudęmon Epiſcopus Lampſacenus, Gregorius Epiſcopus Melitenus, Baſilius Epiſcopus Parii, Joannes Epiſcopus Gothiæ, & alii, quos gratiâ brevitatis recenſere omittimus; non tamen omnes uno eodemque anno talia paſſi ſunt, ſed ab Anno X. Leonis Imperii ad Annum uſque XXV. qui ultimus numeratur; totidèm enim annis perſecutus eſt Eccleſiam Dei propter ſacrarum Imaginum cultum, retentum ab Orthodoxis, deteſtatum ab impio & hæretico Principe.

1004 Sed ergà ultimum ſui Imperii annum Deus judicium fecit, cùm reſpiciens terram illam, quam cum ſuo Principe calcabant Iconoclaſtæ, iratus fecit illam tremere: Anno ergò XXV. ſui peſſimi Imperii, currente Indictione IX., Pontificatus Gregorii III. Anno X. totâ contremente Orientali terrâ, Civitates complures ſolo æquatæ ſunt, ſtatuæ Imperatorum collapſæ & contritæ ſunt; innumeræ ædes quoquè dirutæ ſunt, non ſinè ingentis populi clade. Accuratè hoc deſcribit Theophanes, inquiens: „ Eodem anno „ Terręmotus factus eſt magnus atque terribilis Conſtantinopoli VII. Kalendas Novembris, Indictione IX., Feriâ IV., horâ VIII., & corruerunt Eccleſiæ & Monaſteria, populuſque multus extinctus eſt. Cecidit autem & ſimulacrum, quod ſtabat ſuper Attali porta Magni Conſtantini cum ipſo Attalo, & titulus Arcadii, qui ſupra xerophili columna ſtabat, & ſimulacrum majoris Theodoſii, quod ſuper auream portam videbatur; necnon & terreni Urbis muri & Civitates & Villæ in Thracia, & Nicomedia in Bithynia, & Prænetus, & Nicæa, in qua ſalva tantùm remanſit Eccleſia. Fugiit autem Mare & terminos ſuis in quibuſdam locis, & perduravit Terręmotus menſibus duodecim. *Hæc Theophanes*. Sed & in Monologio Baſilii, Imperatoris juſſu collecto, de eodem Terręmotu hæc leguntur: „ Vigeſimo quinto Leonis Iſauri Principatus Anno, Indictione IX., XXVI. Octobris die, in Sancti Demetrii commemoratione factus eſt ingens & terribilis Terręmotus Conſtantinopoli, & omnes domus & Eccleſię conciderunt, multique ruinis oppreſſi, ſunt mortui. Undè tàm terribilis Terręmotus memoriam recolentes, ſupplicamus, & ad magnum & ſacrum Immaculatiſſimæ Dominæ noſtræ Dei Genitricis ſemperque Virginis Mariæ Templum, quod eſt in Blachernis, ſupplicantes & tàm intensè precantes, & ex ipſa ſinè Viri ſemine vel corruptione propter nos natum peccatores Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum orantes, ut nos à ſua juſta liberet ira contra nos excitata. *Hactenus in Monologio*.

CAPUT XXI.

De eodem continuato Schiſmate, eàdemque hæreſi ſub Conſtantino Copronymo.

1005 OCto ferè poſt menſes à recenſito Terręmotu, adhùc Terrâ fremente & tremente, Leo Iſauricus pœnas in æternum ſuorum ſcelerum luiturus, animam Diabolo dedit, moriens die XVIII. menſis Junii, currente eâdem Indictione IX., Anno Domini DCCXLI., Pontificatus Gregorii III., Anno XI., de cujus obitu hæc habet Theophanes: *Regnavit Leo ab* VIII. *Kalendas Aprilis* XV. *Indictionis, uſque ad* XIV. *Kalendas Julii* IX. *Indictionis, cùm regnaſſet Annis* XXV. *menſibus* II. *diebus* XX. *Similiter & Conſtantinus filius ejus, Imperii & impietatis ejus ſucceſſor, ab eodem* XIV. *Kalendas Julii Indictionis* IX. *regnare cœpit*. Et poſteà addit: *Taliter ergò, ut prædiximus, mortuus eſt Leo tùm anima, tùm corpore, & imperat ejus filius*. Hoc itaque anno Conſtantinus, cognomento Copronymus, Leonis Iſauri filius ſolus imperare cœpit, cùm jã priùs ſimùl cum patre regnaſſet; de quo Theophanes hęc ſcribit: „ Hic enim perniciosiſſimus & ferus, tyrannicè nec legitimè abuſus Imperio, primùm quidem à Deo & intemerata Matre ipſius, & ab omnibus Sanctis abſcedit, magicis maleficiis & luxuriis, cruentiſque ſacrificiis & caballinis ſtercoribus atque lotio delectatus, mollitiebus, ac Dęmonum invocationibus gaudens, atque omnibus animas corrumpentibus adinventionibus à tenera ætate convivens. *Hæc Theophanes*. Sed & Theoſterictus illius temporis Scriptor, in Niceta ſimilia de eo ſcribit, inquiens: „ Tantoperè enim ſordium & impuriſſimæ cujuſque rei odore malo delectabatur, ut animalium brutorum ſtercoribus ſe illiniret, & eos, qui cum illo erant, id facere juberet, quos amabat, ob idque benignè accipiebat, quòd rebus malè olentibus ſemper delectaretur.

1006 Natus eſt Anno III. Imperii Leonis patris ſui, dùm baptizaretur à Sancto Germano Patriarcha, ſtercum in ſacroſanctum emiſit lavacrum, ex quo facto Sanctiſſimus Patriarcha mala præſignavit, quæ & Chriſtianis & ſanctæ Eccleſiæ, eo imperante, erat illaturus: „ Anno tertio Imperii ſui, *ait Theophanes in Leone*, natus eſt Leoni Principi filius Conſtantinus, qui magis illo impius fuit, dictus Antichriſti præcurſor. Cæterum VIII. Kalendas Januarias Maria uxor Leonis coronata eſt in Triclinio Auguſti, & proceſſit ſola cum ſolemni obſequio ſinè

„ Viro ſuo ad magnam Eccleſiam, & oratio-
„ ne ante ingreſſum Altaris effusâ, tranſiit
„ ad Baptiſterium magnum, Viro ejus jam cũ
„ paucis ingreſſo; ubi cùm Germanus Sum-
„ mus Sacerdos Conſtantinum nequitię ipſo-
„ rum & Imperii ſucceſſorem baptizaret, di-
„ rum quiddam & fœdum, parvulus Conſtan-
„ tinus, eodem præſignans exhibuit argu-
„ mentum, ſtercus emittens in ſanctum La-
„ vacrum, ut ajunt qui diligenter hujus rei
„ facti ſunt inſpectores, itaut Germanus ſan-
„ ctiſſimus propheticè diceret: Conſtat Chri-
„ ſtianis & Eccleſiæ maximi mali per eum
„ efficiendi hoc ſignum eſſe futurum. *Hæc Theophanes*, & idem ſcribit Zonaras, referunt & alii, aſſerentes, ob ſtercus tunc egeſtum in ſanctum Lavacrum, cognominatum fuiſſe Copronymum.

1007 Anno porrò XVI. Imperii Leonis, ſuæ ætatis XIV. circiter, ſociavit ſibi in uxorem Chajani filiam Gazarorum arbitri, quæ Irenes dicta eſt, chriſtiana facta, ac in divinis literis mulier erudita, ergà venerandas Imagines devota, adeòut & Principum impietatem redargueret: *Anno decimoſexto Imperii ſui*, ait Theophanes, *Leo Imperator filiam Chajani Gazarorum arbitri filio ſuo Conſtantino, cùm hanc chriſtianam feciſſet, matrimonio ſociavit, nominans eam Irenem; quæ cùm ſacras literas didiciſſet, pietati operam dans, claruit, hos impietatis redarguens.*

1008 Itaque ab exordio ſui Imperii, poſt patris obitum, ejuſdem patris ſectatus impietatem, bellum adversùs ſacras & venerandas inſtauravit Imagines, adversùs quas nova publicari juſſit edicta, ut Cedrenus, Theophanes affirmant, aliique Scriptores Græci; Sed ei, Deo ſuſcitante æmulum, quod cœperat tunc, minimè perficere potuit. Etenim Artabaſdus Curopalata, olim Armeniæ Prætor, Leonis Iſauri Gener, cujus filiam ſibi nupſerat nomine Anna, ad invadendum Imperium animum adjecit. Cùm autem illum ſuſpectum haberet Conſtantinus, molitus eſt necem filiorum ipſius; quarè, profectus adversùs Arabes, petiit ab Artabaſdo, ut ſuos ad ſe mitteret filios, quos, ut nepotes, ex ſorore filios, videre cuperet. Atqui intelligens paratam fraudem Artabaſdus, minimè eos mittere voluit: Cùmque ſe ſciret ob id malè habendum ab Imperatore, illum prævenire ac inſequi decrevit, ut Theophanes ſcribit; proindè factâ ſeditione, ac plurimis ex Imperatoris interfectis amicis, coegit, ut ſibi conſuleret, Imperatorem arripere fugam. Ita fugato Principe, atque operâ Athanaſii Silentiarii in ſuam partem tracto Theodoro Patritio, cui ab Imperatore Urbis cura commiſſa fuerat, potitus eſt Civitatem, & cunctis acclamantibus, renunciatus eſt Imperator: Coronatus inde ab Anaſtaſio Pſeudopatriarcha, qui contempto Conſtantino, ei adhæſerat, atque complura impia de eodem Conſtantino, ut magis inviſus populo redderetur, patefecerat. Artabaſdus porrò captis Conſtantini filiis, cæſos & tonſos carcere mancipavit.

1009 Cùmque hęc agerentur in nova Roma, eodem labente Anno DCCXLI. nimìrum IV. Kalendas Decembris, in antiqua Roma Gregorius III. Pontifex Romanus moritur, cùm ſediſſet Annos X., menſes IX., dies verò XII., cui octiduo poſt die, ſcilicèt V. Decembris, univerſo ſuffragante Clero, atque ſummo omnium conſenſu datus eſt ſucceſſor Zacharias, Græcus natione, filius Polychronii, vir, ut ait Anaſtaſius, mitiſſimus atque ſuavis, omnique bonitate ornatus, Cleri amator & omnis Populi Romani, ad iraſcendum tardus, velox ad miſerandum, nulli malum reddens pro malo, neque vindictam ſecundùm meritum tribuens; Sed pius ac omnibus à tempore ſuæ ordinationis miſericors factus: qui poſt eandem ſuam ordinationem, ut idem Anaſtaſius ſcribit, ex more, atque juxtà Eccleſiaſticum ritum & fidei ſuæ ſponſionem, Orthodoxam Synodicam Eccleſię miſit Conſtantinopolitanæ, ſimùlque & aliam Suggeſtionem Conſtantino Principi direxit: Verùm Legati Pontificis cum prælibatis literis Conſtantinopolim venientes, non Conſtantinum ibi regnare, ſed Artabaſdum invenerunt, cujus rei gratiâ, retentis apud ſe literis, eâ in Civitate commorati ſunt uſque ad reditum Conſtantini: *Et pergentibus*, ſubjungit Anaſtaſius, *Apoſtolicæ Sedis Reſponſalibus ad Regiam Urbem, invenerunt intra Palatium Regię Poteſtatis invaſorem quendam & rebellem, Artauſtum nomine*, ideſt Artavaſdum, ſivè Artabaſdum.

1010 Biennio verò poſt, Anno ſcilicèt III. Conſtantini, & ſecundo Artabaſdi, idem Conſtantinus ex Armenia, ubi hactenus imperaverat, menſe Septembris, inchoatâ Indictione XII. valido comparato Exercitu, Conſtantinopolim profectus, Civitatem obſidet, & ferè bimeſtri poſt, nimìrum die IV. Nonas Novembris, eam potitus eſt, capto Artabaſdo unà cum illius filiis, quos excæcavit, necnon in ſuam complures Nobiles, qui Artabaſdo auxilium præbuerant, redactos poteſtatem, alios neci dedit, nonnullos mutilare fecit, innumeros obcœcare; Undè Theophanes ait: *Multos & alios ex primoribus, qui auxiliati fuerant Artabaſdo, peremit; innumerabiles oculis, & alios manibus ſeu pedibus ablatos debilitavit. Præcepit autem externis militibus, qui ſecum ingreſſi ſunt, introire domos, rapere familiares Civium res.* Deindè ſubjungit ignominiam illatam Artabaſdo & filiis, necnon & Anaſtaſio Pſeudopatriarchæ, inquiens: *Multa quoque alia, quin & innumera mala Urbi monſtravit. Cùmque Hippodromium celebraret, introduxit Artabaſdum unà cum filiis ejus & amicis ligatum per Dippium ſimùl cum Anaſtaſio falſi nominis Patriarcha verbera-*

ra-

rato publicè, & in aſino verſo vultu pendente; *omnes per Dippium in circum oſtentavit*. Verùm licèt hac ignominia affectus Anaſtaſius, cùm peſſimus Imperator ſimiliorem ſe in impietate invenire Patriarcham minimè potuiſſet, ſic infamis, eodem jubente Principe, in Solium reſtitutus eſt.

1011 At quid porrò egerit cum Zachariæ Legatis, qui adhùc in Regia morabantur Urbe, recenſet Anaſtaſius, qui compendiosè relatis iis, quę ex Theophane antefati ſumus, ſubjungit: „ Poſt hęc requirens Miſſos Apoſtolicæ Sedis, quos ibidèm tempore perturbationis contingerat adveniſſe, eoſque repertos, ad Sedem abſolvit Apoſtolicam, & juxtà quòd Beatiſſimus Pontifex poſtulaverat, donationem in ſcriptis de duabus Maſſis, quæ Nymphas & Normias appellantur, juris exiſtentes publici, eidem Sanctiſſimo ac Beatiſſimo Papæ Sanctæ Romanæ Eccleſię jure perpetuo direxit poſſidendas. *Hæc Anaſtaſius*. Humanior viſus eſt ergà Pontificis Legatos, & liberalior Leone patre ergà Apoſtolicam Sedem, pro tunc tamen, dùm ſibi Imperium conſtabilire curabat, veneno in corde retento, quod poſteà tempore ſibi viſo opportuno, evomuit.

1012 Sub hoc impio Principe Dei flagellum ſuper univerſum ferè Imperium cecidit, præcipuè ſui Principatus Anno VI. In primis tenebrę factę ſunt ferè per duos integros menſes, indè Terręmotus magni, demùm horribilis Peſtilentia: *A' quarta Auguſti*, ait Theophanes, *uſque ad Octobris Kalendas tenebræ factæ ſunt caliginoſæ*. Et poſt pauca ſubjungit: „ Anno ſexto Imperii Conſtantini factus eſt Terręmotus magnus in Palęſtina & circa Jordanem & totam Syriam menſe Januario, horâ quartâ, & multa millia, quin & innumerabilia hominum mortua ſunt; Eccleſiæque & Monaſteria corruerunt, & maximè penès Eremum Sanctæ Civitatis. „ *Hæc de Terręmotu*. De hominum porrò mortalitate divinitùs quoque per Angelos malos immiſsâ, hæc alia ſubnectit, inquiens: „ Venit nihilominùs & divinitùs indignatio, diſſipans inceſſanter non ſolùm Urbis Cives, ſed & in omnibus Suburbanis ejus degentes. Factę verò ſunt & phantaſiæ in multis hominum, qui in Eſthaſi facti exiſtimabant ſe cum peregrinis quibuſdam, ut patebant, & trucibus faciebus comitari; & eos, qui in itinere obvii fiebant, ſe quaſi amicos ſalutare ac colloqui fingebant. Notatis verò iis, quæ dicebantur ab eis, hæc poſteà referebant. Contemplabantur autem eoſdem, & alios quidèm ex domo deferre, alios autem vulnerare. Contigit autem, eorum quæ dicta ſunt ab eis plurima, ut viderunt fieri. *Hæc de Mortalitate*, quę biennio perduravit. Cùm porrò Anno tertio magis ac magis increverit Peſtilentia, hæc alia proſequitur.

1013 „ Prætereà vernali tempore primæ Indictionis magis extenſa eſt, æſtivo autem prorsùs incendit; itaut integræ quoquè domus penitùs clauderentur, nec eſſent qui non haberent mortuos ſepelire. Ex neceſſitate itaque multa excogitatum eſt, quòd ſuper animalia tabulæ ſternerentur, & ita ſuper has impoſiti mortui deferrentur, pari modo & alii in plauſtris ſuperpoſiti mortui deferrentur. Cùm autem repleta fuiſſent univerſa, tàm ſcilicèt urbana, quàm ſuburbana monumenta, & ciſternæ quoquè ſinè aqua, & lacus & plurimæ vineæ, necnon & interiores horti, qui intrà veteres muros erant, ad hujuſmodi capeſſendam ſepulturam effoſſi ſunt, & ita vix omnia hæc ad tantam neceſſitatem ſufficere valuerunt: omni autem domo calamitate repletâ, propter depoſitionem, quæ impiè facta eſt ab Imperatoribus ſacrarum Imaginum. *Hactenus Theophanes*. Similia tradit Theodorus Studita in Orat. de Sancto Platone, Scriptor illius ęvi, inquiens; „ Quoniam illis temporibus cœleſtis ira inflicta eſt (res enim me admonet, ut de hac dicam quippè quæ publicam intulerit calamitatem, non in paucis aliquibus Regionibus ac Civitatibus verſans, ſed veluti Ægyptiacum quoddam flagellum ex alia in aliam Civitatem tranſiens) ac vel maximè in Regia Urbe Bizantio malum illud fuit. Hi verò, quos diximus, ſemper memorabiles è vita exceſſerunt. Non alienum autem fortaſsè fuerit, utilitatis causâ mortis etiam ipſius genus conſcribere. Narratio enim hæc talis eſt, quæ illorum animos terrere poſſit, qui prudenter eam intellexerint: Repentè in ſingulorum veſtibus ſalutaris Crucis ſignum cœruleo colore, velut à manu aliqua pulcherrimè pingente, ſed Dei potiùs digito & ſuperna manu expreſſum cernebatur. Quicumque ergò talis deprehenſus fuerat, divulgabatur, ac ſtatim mors illi afferebatur.

1014 Hæc Studita agens de morte Sergii & Euphemiæ, Sancti Platonis avis præfatâ raptis peſtilentiâ, ſed poſtea quàm dira fuit deſcribens, ſubnectit: „ Eodem die aliquis mortuum efferebat, & ipſe mortuus efferebatur; duo ſimùl in feretro, quatuor in jumento portabantur; onera corporum miſerabilium ſemper recens cumulata. Lamentationes ubique, & voces miſerabiles undique reſonantes. Qui mortuorum cadavera efferebant, tàm multis oneribus ſufficere non poterant: itaquè deerant qui mortuos ſepelirent. Claudebantur domus, Urbis regiones inanes fiebant, ſepulchra ipſa implebantur; cùm intra duos menſes Urbs celeberrima, & multis millibus hominum habitata, jam deſerta, & talis ferè fit facta, ut ſi à nullis habitaretur. *Hæc ille*, qui cauſam tantæ calamitatis, & immiſſi flagel-

gelli recenſens, ſubjungit: „ Hæc illius impii Conſtantini temporibus acciderunt, à „ quo Imago Chriſti contumelioſè ſpreta, & „ à nefario illo homine, ac populi corruptore ſimulacra erroris nominata, imò verò „ Chriſtus ipſe noſter Deus ab eo deſpectus „ fuit: Siquidèm honor Imaginis ad eum refertur, cujus eſt Imago, ut Divinus Baſilius quodam loco ait. Hæc Dei virga, ut „ aliquis diceret, fuit juſtiſſima, qua peccantes homines inſtruerentur, noſque à ſumma noſtra malitia revocati emendaremur. *Hactenus Beatus Studita.*

1015 At hiſce non obſtantibus flagellis, nihilo melior factus Imperator, patris perfidiam adversùs cultum ſacrarum Imaginum tenaciter retinebat: Monitus quoquè per diverſas literas à Sanctiſſimo Pontifice Zacharia, ut ſcribit Hadrianus I. in Epiſtola ſuperiùs laudata ad Imperatores, flecti minimè potuit. Quarè novo Terręmotu Syria divinitùs magnā cum hominum clade concuſſa eſt, nono ejuſdem Tyranni anno, prout adnotat Theophanes, inquiens: „ Anno verò eodem „ Terręmotus factus eſt in Syria, & ingens „ ac terribilis caſus, undè Civitatum aliæ „ quidèm penitùs exterminatæ ſunt, aliæ verò mediocriter, aliæ autem à Montanis ad „ ſubjecta campeſtria cum muris & habitatoribus ſuis integræ migraverunt, & ſalvę, „ quaſi ad milliaria ſex, vel etiam modicum „ quid ultrà. Denique aſſeverarunt hi, qui „ propriis viſibus terram Meſopotamiæ contemplati ſunt, in longitudine diſruptam „ fuiſſe ad milliaria duo, & ex profundo ejus „ aſcendiſſe aliam terram nimis albam & arenoſam, de cujus medio aſcendit animal „ mulinum incontaminatum, loquens humanâ voce, & prænuntians gentis incurſionem „ ab Eremo adversùs Arabes, quod & factum eſt. *Hæc Theophanes.*

1016 Poſt hæc adhùc in ſua hæreſi ac ſchiſmate confirmato in Oriente Copronymo Conſtantino, in Occidente ac Romæ ad Dominum migravit Sanctiſſimus Pontifex Zacharias die xv. Martii, ſui Pontificatus Anno XI., tyrannidis Conſtantini Anno XII., currente Domini Anno DCCLII., Indictione v., & die xx. ejuſdem menſis Martii, elapſis XII. dumtaxat vacantis Sedis diebus, renunciatus eſt Romanus Pontifex ſummo ſuffragantium conſenſu Stephanus Romanæ Eccleſiæ Presbyter, qui poſt biduo deceſſit, ut ſcribit Anaſtaſius, inquiens: „ Defuncto verò beatæ memoriæ Domno Zacharia Papa, „ Stephanum quendam Presbyterum ad ordinem Pontificatus cunctus Populus ſibi „ elegit, & intrà Lateranenſe Patriarchium „ miſit, ubi biduo manens, tertio die, poſtquàm à ſuo ſurgeret ſomno, & ſedens familiares cauſas ſuas diſponeret, ſubitò, „ dùm ſederet alienatus, obmutuit, & ſequenti die defunctus eſt. *Hæc Anaſtaſius.* Hinc propter ejuſmodi temporis brevitatem in ſerie Summorum Pontificum ab aliquibus minimè recenſetur: „ Poſt hæc verò, *ſubjungit Anaſtaſius*, cunctus Dei populus „ congregatus eſt intrà venerabilem Baſilicam Sanctæ Dei Genitricis ad Præſepe; „ ubi & omnes miſericordiam Domini Dei „ noſtri petentes, & in ipſius Dominæ noſtræ ſanctæ ſemperque Virginis Dei Genitricis Mariæ bono animo & conſonâ voce prædictum Virum ſibi eligunt in Pontificem. *Hæc ille.* Elegerunt nimìrum alterum ejuſdem nominis, Stephanum ſcilicèt, hujus nominis II. non computato in numero altero ſuprarecenſito mox defuncto: Hic ergò fuit natione Romanus, Conſtantini filius, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Diaconus, de quo hęc alia ſcribit Anaſtaſius: „ Erat enim idem „ Beatiſſimus Papa amator Eccleſiarum Dei, „ traditionem etiam Eccleſiaſticam firmâ ſtabilitate conſervabat; pauperum Chriſti velox ſubventor, & verbi Dei in magna conſtantia prædicator; Viduas & pupillos „ multò meliùs viſitans, fortiſſimus etiam „ ovilis ſui cum Dei virtute defenſor.

1017 Anno hujus Pontificatus ſecundo, Domini verò DCCLIII., Imperii Copronymi XIII., Indictione VI. miſerè ultimum clauſit diem Anaſtaſius impius Pſeudopatriarcha Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, de cujus obitu hæc habet Theophanes: „ Sed in primis „ hoc Anno XIII. Imperii Conſtantini, Anaſtaſius, qui ſceleratè Throno Conſtantinopolitano præfuit, mortuus eſt, corpore „ ſimùl & animâ miſerabili paſſione, quæ dicitur cordapſos, fatigatus; cùm ſtercus per „ os evomiſſet, dignam exolvens vindictam „ pro audacia ſcilicèt, quam contra Deum, „ & contra ſuum Magiſtrum Sanctum Germanum exhibuit. *Hæc ille.* Poſt cujus obitum ipſemet Imperator Conſtantinum quendam, in ſcelere atque impietate parem ſibi, ſolâ ſuâ auctoritate, Epiſcopis, neque Clero ſuffragantibus, in Patriarcham delegit; indeque coactâ Pſeudoſynodo trecentorum & octo Epiſcoporum, cui ipſe cum novo ſuo Pſeudopatriarcha præfuit, adversùs ſanctas Dei Imagines Canones edidit, anathematizatis illorum cultoribus; Quorum geſtorum compendioſè meminit idem Theophanes ſub Anno XIII. hujus Principis, inquiens: „ Eodem quoquè anno Conſtantinus impius, „ contra ſanctas ac venerabiles Imagines „ Concilium iniquum trecentorum triginta „ octo Epiſcoporum congregavit in Palatio „ Hieriæ, quorum primi erant Epheſinus „ filius Abſimari, & Paſtillus Pergenſis, qui „ apud ſe, quæ viſa fuerunt, dogmatizarunt, „ nullo præſente ex Catholicis Sedibus, Romanâ ſcilicèt, vel Antiochenâ, Alexandrinâ, aut Hieroſolymitanâ, à quarto Idus Februarii incipientes, perduraverunt uſque „ ad ſextum Idus Auguſti ejuſdem ſeptimæ

In-

Indictionis. Qui cùm in Blachernas Dei
„ Genitricis hoſtes conveniſſent, aſcendit
„ Conſtantinus Imperator in ambonem, te-
„ nens Conſtantinum Monachum, qui fuit
„ Silęi Epiſcopus; Et cùm peroraſſet voce
„ magnâ, pronunciavit, dicens: Conſtanti-
„ no univerſali Patriarchæ multos annos.
„ Deindè aſcendit Imperator cum Conſtan-
„ tino ſcelerato Præſule, & reliquis Epiſco-
„ pis ſorum, & exclamaverunt ſuam divul-
„ gantes cacodoxam fidem in conſpectu to-
„ tius plebis, anathematizantes Germanum
„ Sanctiſſimum Patriarcham, & Gregorium
„ Cyprium, & Joannem Chryſorroam Da-
„ maſcenum, nepotem Manſur, Viros ſan-
„ ctos & reverendos Magiſtros. *Hactenus Theophanes*.

1018 At in Actis Sancti Stephani Junioris Martyris, de Conſtantino ad Sedem Patriarchalem evecto, hæc habentur: „ Quin
„ etiam ſacri ordinis quendam nactus, cui
„ & nomen cum ipſo idem, & eadem fidei ſen-
„ tentia erat. Ei, proh ſcelestum facinus! Ec-
„ cleſiæ curam adminiſtrationemque com-
„ mittit; non Patrum electione, non Syno-
„ di examinatione, non denique canonico
„ ſuffragio atque decreto, ſed tyrannicâ po-
„ tiùs poteſtate Antiſtitem ipſum cōſtituens.
„ Etenim non ſecùs ac ſi in ſcœna apertè lu-
„ derent, ac non ſeriò agerent, ambo in pul-
„ pitum aſcenderunt, ac deindè Imperator
„ manibus impuris Diploidem ſacram nefa-
„ rio homini profanè imponit, dignum
„ Epiſcopatu eum eſſe clamans, qui gravi
„ potiùs ignominiâ & vituperatione dignus
„ erat. Oh impuram & abſurdam audaciam!
„ Oh execrandum facinus! Qui enſe accin-
„ ctus erat, Antiſtitem ſacrum creabat; Qui
„ bellis ac cędibus per omne vitæ tempus
„ operam dederat, initiatoris ſacri munere
„ fungebatur; Qui cum tribus mulieribus
„ flagitioſiſſimè ſeſe contaminarat, inter ſce-
„ leratos Pontifices conſtituebat: Id quod
„ nec apud Gentilium quidèm Sacerdotes
„ unquàm perpetratum fuiſſe repertum eſt.
itaut illud Scripturæ Sacræ hìc locum haberet: *Qualis Populus, talis Sacerdos*. Deindè de indicta univerſali Synodo hæc alia leguntur: *Cùm in hunc modum obſcœnum illud par coiiſſet; atque Attagas (ut vulgò dici conſuevit) Numennio ſeſe adjunxiſſet: intereà ad omnes Urbes ac Provincias commeabant, quibus Epiſcopi ad Imperialem Urbem confeſtim accerſebantur. Id autem eo fiebat, ut Concilium adversùs venerandas Imagines cogeretur*.

1019 Hujus porrò Synodi mentio fit in Libello Synodico, ſub titulo: *Synodus Conſtantinopolitana Conſtantini Copronymi Imperatoris*; ubi & de Conſtantini Patriarchæ electione, ac de infœlici ejus exitu nonnulla memorantur, his videlicèt verbis: „ Leone igi-
„ tur mortuo, Conſtantinus filius Imperio
„ ſucceſſit; & ipſis Græcis atque Judęis de-
„ teriùs Eccleſiam Chriſti eſt perſecutus.
„ Conſpiratione enim initâ cum Conſtanti-
„ no Anaſtaſii ſucceſſore, & vaniſſimis Epi-
„ ſcopis, impiam inſtituit Synodum, in qua
„ Chriſti, omniumque Sanctorum Imagines
„ Idola nominavit, interceſſiones negavit, &
„ divinitùs honoratas Reliquias igni tradi-
„ dit. Conſtantinus enim iſte Pamphilię fue-
„ rat Epiſcopus; & propter turpia quædam
„ facta ab ejuſdem religionis ſociis depoſi-
„ tione mulctatus. Cùm autem variè ſeſe
„ verſaret, demùm in amicitiam Imperato-
„ ris penetravit, ejuſque compater eſt factus;
„ Nihilominùs tamen blaſphemiarum ſua-
„ rum meritam conſecutus eſt mercedem à
„ compatre ſuo publicè, in loco venationi-
„ bus deſtinato capite truncatus. Solium
„ verò ejus Nicetas conſecutus eſt; & hu-
„ jus Paulus Cyprius Salaminius. *Hactenus ibi*.

1020 Cæterùm de ſanctis Reliquiis in contemptum in ea ſacrilega datis Synodo, ac de negata inſuper & deteſtata Sanctorum interceſſione, produnt quoquè Acta prælibata Sancti Stephani, ubi hæc habentur: „ In-
„ ſigne illud, quod Blachernis eſt, Deiparæ
„ Templum eximiâ quadam ac penè incom-
„ parabili pulchritudine, & lapillis aureis in
„ utroque pariete arte ſummâ exornatum,
„ abraſit & immutavit, deletis videlicèt om-
„ nibus Imaginum formis; Etenim eximio
„ & pererudito artificio carnalis Chriſti Na-
„ tivitas & divina ipſius miracula, & vene-
„ randorum Myſteriorum traditio, ac deni-
„ què per ipſius Crucem in Infernum deſcen-
„ ſum & reſurrectio picta illic erant; qui-
„ bus omnibus horrendum in modum abraſis
„ atque deletis, ille perditionis filius Con-
„ ſtantinus Imperator arborum ſpecies atque
„ omnis generis avium formas eorum loco
„ ſupplendas curavit. At tùm ſanè quiſpiam
„ non incommodè illud Davidis dixiſſet:
„ *Venerunt gentes in hæreditatem tuam, pol-*
„ *luerunt Templum ſanctum tuum, poſuerunt*
„ *Hieruſalem in pomorum cuſtodiam; poſue-*
„ *runt morticina ſervorum tuorum eſcas vola-*
„ *tilibus Cœli, carnes Sanctorum tuorum be-*
„ *ſtiis Terræ*, quod eſt, venerandas ac ſacras
„ Martyrum Reliquias, quas partim igni,
„ partim Mari, partim deniquè (oh facinus
„ Orbi univerſo damnum ferens!) præcipi-
„ tiis tradiderunt.

1021 Deindè ſubjungunt Acta: „ In hoc
„ igitur venerando Templo conſceleratus
„ Tyrannus unà cum impio illo gregis mer-
„ cenario, & non minùs execrandis Epiſco-
„ pis, qui cum ipſo erant, inſidens, im-
„ probum conſeſſum cogens (& quis enim
„ hoc Concilium appellarit?) ſtatuas, oh
„ rem gravem! & Idola ſacras Imagines vo-
„ cat. *Hæc ibi*. Poſt hæc ſubdunt de anathemate in ea Synodo Sancto Germano, cæteriſ-

riſque orthodoxis dicto, & inde de abrogata Sanctorum interceſſione, hæc proferunt: „ Quonam pacto, Chriſte, lenitatem illam „ tuam, quæ nullis verbis explicari poteſt, „ non admirer? Quonam pacto benignita- „ tis tuæ, quæ vim ſermonis omnem ſuperat, „ abyſſum exponere queam? Adhùc porrò au- „ daciſſimæ illæ linguæ eò proruperunt, ut „ ingens quoquè iſtud, & improbum loqui „ non dubitarunt, nimìrum illam ipſam Dei „ Genitricem Virginem inutilem quandam „ poſt mortem & commodi omnis expertem „ rem eſſe, nec cuiquam omninò adjumen- „ to ac præſidio eſſe poſſe. *Hactenus Acta* „ *S. Stephani Junioris*.

1022 Verùm in Actis hujus Pſeudoſynodi recitatis in ſeptima œcumenica Synodo, Actione VI. Sanctorum interceſſionem nequaquàm abolitam legimus, immò potiùs firmatam; Undè ex tomo VI. ejuſdem Pſeudoſynodi Gregorius Epiſcopus Neocęſarçæ hos Canones legit: „ Si quis non confitetur „ ſanctam ſemper Virginem Mariam propriè „ ac verè Dei Genitricem ſubſimiorem eſſe „ omni viſibili & inviſibili Creatura, & cum „ ſyncera fide ipſius non expetit interceſſio- „ nes, tanquàm fiduciam habentis ad Deum „ noſtrum, qui ex illa genitus eſt, anathe- „ ma. *Et item*. Si quis non confitetur, om- „ nes Sanctos, qui à ſæculo uſque nunc ſunt, „ qui ante legem, ac in lege, & in gratia, „ Deo placuerunt, honorabiles eſſe coràm „ ipſo animà & corpore, vel horum non po- „ ſtulat orationes, tanquàm fiduciam haben- „ tium pro Mundo intercedere, ſecundùm „ Eccleſiaſticam traditionem, anathema.

1023 Ea porrò, quæ adversùs ſacroſanctas & venerandas Imagines ſancita ea in Pſeudoſynodo leguntur, hæc ſunt: „ Si quis „ carnem, quæ deificata eſt ex unione ſua, „ quæ ad Divinum Verbum effecta eſt, in „ Imagine pinxerit, veluti ſeparans eam ex „ aſſumente atque deificante illam divinita- „ te, & ſinè Deo hanc per hoc conficiens, „ anathema. *Item*. Si quis Deum Verbum, „ qui in forma Dei eſt, quique formam ſervi „ in ſua ſubſiſtentia recipit, & per omnia „ ſimilis nobis factus eſt abſque peccato, ten- „ tat per materiales colores formare quaſi „ purum hominem, & ſeparare illum ab in- „ ſeparabili & incommutabili Divinitate, ut „ ex hoc quaternitatem inducat in ſanctam „ & vivficam Trinitatem, anathema. *Item*. „ Si quis univerſorum Sanctorum effigies in „ Imaginibus inanimatis & ſurdis ex mate- „ rialibus coloribus titulari ſtuduerit, nul- „ lum profectum ferentes (vanum enim eſt „ commentum & diabolicæ argumentationis „ inventio) & non magis horum virtutes per „ ea, quæ in ſcripturis de illis inſinuantur, „ veluti quaſdam animatas Imagines in ſe de- „ pingit, & ad ſimilem illis ex hoc erigitur „ zelum, quemadmodùm divini Patres no- „ ſtri dixerunt, anathema. *Item in definitione*. Unâ voce definimus, abjectam fo- „ re, & alienam atque abominabilem ex „ Chriſtianorum Eccleſia omnem Imaginem „ ex diverſa materia & coloribus per malam „ Pictorum artem effectam; Non audere ho- „ minem quemquam ultrà ſtudere tàm ſcele- „ ſtum & impium ſtudium. Qui verò auſus „ fuerit amodò conſtruere Imaginem, vel „ adorare aut ſtatuere in Eccleſia, vel in pri- „ vata domo, ſeu occultare, ſi quidèm Epi- „ ſcopus, aut Presbyter, aut Diaconus fue- „ rit, deponatur; Si verò Monachus, aut „ Laicus, anathematizetur, & Imperialium „ Legum obnoxius ſit, tanquàm contrarius „ præceptorum Dei, & inimicus dogmatum „ paternorum.

1024 Ad hæc & alia in ea Pſeudoſynodo definita, ſequuntur acclamationes hæreticorum Epiſcoporum, ſivè totius Pſeudoſynodi; undè inquiunt illius Acta: „ Divi Imperato- „ res Conſtantinus & Leo dixerunt: Dicta „ ſancta & univerſalis Synodus, ſi per con- „ ſenſum omnium Sanctiſſimorum Epiſcopo- „ rum definitio, quæ nunc lecta eſt, promul- „ gata ſit. Sancta Synodus exclamavit: Om- „ nes ita credimus, omnes idipſum ſapimus, „ omnes conſonantes & libenter ſubſcripſi- „ mus, omnes orthodoxè credimus, omnes „ intelligibiliter intelligibilem Divinitatem „ adoramus: Hæc eſt fides Apoſtolorum, „ hæc eſt fides Patrum, hæc eſt fides Ortho- „ doxorum. Multos annos Imperatorum; „ luminaria pacis, Domine, cuſtodi; piam, „ Domine, vitam illis; Leoni & Conſtanti- „ no æterna memoria. *Poſt hæc*, & alia acclamatoria verba Imperatoribus dicta, anathema Germano dictum eſt, Georgio & Joanni Damaſceno, contumelioſè Manſur nuncupatus eſt ab illis: „ Germani, Georgii & „ Manſur, *inquiunt*, malæ opinionis Viro- „ rum, ſenſum vos diſſolviſtis: Germano „ duplici ſenſu & ligni cultori, anathema; „ Georgio conſentaneo ejus & falſario pa- „ ternorum magiſteriorum anathema; Man- „ ſur nequam nominis, & ſimilia Sarracenis „ ſentienti, anathema, Imaginum ſervitori & „ falſa ſcribenti Manſur, anathema; Contu- „ melioſo in Chriſtum & inſidiatori Imperii „ Divinæ Scripturæ Manſur, anathema. „ Trinitas tres iſtos depoſuit. *Hactenus Acta Pſeudoſynodi*.

1025 Celebrata eſt hæc Pſeudoſynodus, ut antefati ſumus, adhùc currente Anno XIII. Imperii Conſtantini Copronymi, inchoato tamen Anno Domini DCCLIV., Stephani Papæ Anno III., Indictione VII. Promulgata porrò eſt ſub nomine ſeptimę œcumenicę Synodi; ſed illi contradixerunt orthodoxi omnes, utpotè à ſolis hæreticis Epiſcopis celebrata, nullo in ea reſidente Patriarcha, non Alexandrino, non Antiocheno, neque Hieroſolymitano, à quibus maximo odio proſecuta

ta

ta eſt, & adverſùs per literas hinc inde miſſas ſententiam damnationis, deteſtationis, & reprobationis pronunciarunt, prout teſtatur Stephanus Martyr in diſputatione habita novennio poſt cum Iconoclaſtis, & produnt illius acta, inquiens: „ Antiſtites autem ipſi, „ hoc eſt Romæ, & Antiochiæ, ac Hieroſo„ lymorum, & Alexandriæ non modò dignè „ iſtud ac dogmatis auctorem graviſſimo odio „ perſequuntur, ſed etiam per invectivas Epi„ ſtolas de ipſo triumpharunt, Apoſtatam „ ipſum ac Dei hoſtem vocantes, utpotè ad„ versùs Chriſti Imaginem malè ac peſtiferè „ concitatum. *Hactenus ille*. Itaque Stephanum Papam irritam reddidiſſe, atque Imperatorem monuiſſe, ut ab errore deſiſteret, Hadrianus I. teſtatur in ſuperiùs citata ad Imperatores Epiſtola, etſi monumenta alia non extent, injuriâ temporum deperdita. Hocque præſtaſſe cæteros ex infradicendis palàm fiet.

1026 Publicato inde Satanici Concilii edicto factum eſt, quod Damaſcenus in lib. de hæreſibus in fine ait, nimìrum: „ Quòd „ Sacras Imagines cum ignominoſiſſimè tra„ ctaviſſent, eaſdem in minutiſſimas partes „ comminuerent, in ignemque proiicierent, „ & quæ in parietibus erant depictæ partim „ aqua calida, partim calce, vel atramento „ obliterarent. Nam Timolentes dicti ſunt, „ quòd data poteſtate, cum ſectam furore ar„ maverant, eos qui Sacras Imagines exce„ piſſent, atque ſalutaſſent, plagis & ſup„ pliciis ſinè modo afficiebant. *Hæc ille*. Similia habentur in Actis S. Stephani Junioris ſæpè citatis, ubi Auctor hæc habet: „ Cer„ nere erat audaciſſima illa facinora atque „ impietatem omnem excedentia, quæ ſinè „ ullo metu perpetrabantur. Nam & Sacro„ ſancta Vaſa ob venerandarum Imaginum pi„ cturas pedibus obterebantur, & Templo„ rum decor & pulchritudo, quam Sacrarum „ Imaginum picturæ pariebant, partim abra„ debatur, partim calce illiniebatur: Ete„ nim ubi Chriſti, aut Matris illius, aut San„ ctorum Imago erat, vel in ignem coniicie„ batur, vel in pulverem redigebatur, vel „ etiam albario opere inducebatur. *Hæc* Auctor Actorum S. Stephani, qui poſtea ſubjungit, univerſum Monachorum agmen orthodoxam retinentium fidem, tùm Bizantio, tùm aliis Europæ Urbibus, ac Bythiniæ excedentium ad Auxentianum montem ſe contuliſſe, nimìrum ad inveniendum Beatum Stephanum, ac cum eo in tanta tribulatione conſulendum. Tanto ſceleri nec Terra ipſa quievit, quoniam ut notat Theophanes ad annum XVI. Imperii Conſtantini Copronymi, in Paleſtina, & Syria. VII. Idus Martii non modicus factus eſt Terremotus.

1027 Cum porrò hæc in Eccleſia Orientali agerentur, Romæ obiit in Domino Stephanus Papa VI. Kal. Maii currente Domini anno DCCLVII. Imperii Conſtantini Copronymi XVII. Indictione x. Cùm ſediſſet annos V. & dies XXVIII. Poſt cujus obitum ſciſſa eſt Eccleſia Romana in duas partes, aliis ſuffragantibus pro Paulo Romano Conſtantini filio, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Diacono, aliis pro Theophilacto ejuſdem Eccleſiæ Archidiacono, ut Anaſtaſius ſcribit, major tamen & ſanior pars, atque potentior ſtans pro Paulo ipſum elegerunt, atque inthronizarunt, diſperſisjis, qui ex parte Theophilacti erant: Creatus itaque eſt Romanus Pontifex præfatus Paulus, hujus nominis I. Die XXVIII. Maii, elapſis trigintaduobus diebus vacantis Sedis: „ Erat enim, *inquit Anaſtaſius*, mi„ tis, atque miſericors, nulli unquam ma„ lum pro malo reddens. Et ſi pro modico „ quemquam per iniquos ſatellites tribulabat, „ in proximo tamen pietate motus, conſola„ tionis ille inferebat miſericordiam. Hic, ut „ multi teſtati ſunt, nocte per ſemetipſum „ Cellas pauperum infirmorum periacentium, „ qui ex ſuis nequaquam aſſurgere valebant „ lectulis, nec non & aliorum inopum cum „ ſuis familiaribus noctis circuibat ſilentio, „ ampliſſimè illis miniſtrans alimoniam, at„ que ſubſidii inferens opem. Sed & Carce„ res, atque alia Clauſtra per eadem noctium „ ſecreta viſitabat. Et ſi quos ibidem conve„ niebat retruſos, à mortis eruens periculo, „ liberos ire relaxabat. Sed & plures qui de„ bitis obligati, atque afflicti à ſuis fœnera„ toribus opprimebantur, reddito ipſo debi„ to à jugo redimebat ſervitii; viduis & pu„ pillis, omnibuſque egentibus opem fe„ rens.

1028 Ab ipſo quoque ſui Pontificatus exordio, commiſerans Eccleſiæ Orientalis jacturam, tantarumque animarum perditionem, utpotè etiam orthodoxe fidei fortiſſimus Defenſor, literas fecit ad Conſtantinum Copronymum & Leonem Imperatorem pro reſtituendis Sacris Imaginibus, ac illorum inſtaurando cultu, ut idem habet Anaſtaſius, inquiens: „ Fortiſſimus enim erat orthodoxæ fidei De„ fenſor. Unde ſæpiùs ſuos Miſſos cum Apo„ ſtolicis obſecratoriis, atque admonitoriis „ literis præfatis Conſtantino & Leoni Au„ guſtis direxit, pro reſtituendis confirman„ diſque in priſtinum venerationis ſtatum Sa„ cratiſſimis Imaginibus Domini Dei & Sal„ vatoris noſtri Jeſu Chriſti, Sanctæque ejus „ Genitricis, atque Beatorum Apoſtolorum, „ omniumque Sanctorum Prophetarum Mar„ tyrum, & Confeſſorum. *Hactenus Anaſtaſius*. Sed fruſtrà egit pius Pontifex cum impiis Principibus, prævaluit Imperatorum indurata perfidia: & tantum abfuit, ut monita Pauli quidquam cum eis proficerent, ut miſſis per orbem Satellitibus, unà cum execrando pſeudoſynodi decreto, cogeret Orthodoxos in ſuam trahere hæreſim; renuentes, verò, & Patrum, atque Eccleſiæ Catholicæ

fidem retinentes, diverſis & diris juberet affici cruciatibus. Quare in Actis Sancti Andreæ Martyris apud Surium ſub die XVII. Octobris, ſcriptum legitur: „ Conſtantinus doctus à „ maligno ſpiritu, juſſit per omnem Terram, „ quæ ſub Cœlo eſt, ipſi tamen ſubjectam Imperio, procedere, & ad extremos fines pertranſire alienum hoc Edictum, omne genus „ ſupplicii omni generi & ætati aſperè minitans, ſi quis ſuo decreto non parèret; promptoque & alacri animo illud non exciperet; „ imò ſi Divinam figuram verbo tenus videretur honorare.

1029 Incruduit porrò hæc perſecutio anno XXI. ejus Imperii, Pauli Pontificatus V. currente Domini anno DCCLXI. Indictione XIV. ex Theophane ad hunc annum, dicente: „ Eodem quoque anno Conſtantinus perſecutor, Andream memorabilem Monachum, qui dicebatur Calybites, apud Blachernas flagris in hippodromo Sanctę Mannæ occidit, redarguentem impietatem ejus, „ & Valentinianiſtam ac Civilianum appellantem eum; quem & in rehuma maris jactari præcepit, niſi ſorores ejus hunc rapientes, in emporio Leucadii ſepeliſſent. „ *Hæc ille*. Copioſiùs verò in anteſatis Actis S. Andreæ Martyris, ubi ſic habetur: „ Propter has ergo aſperas & ſævas minas, licebat tunc videre Civitates effectas in ſolitudinibus, eſſe planè deſertas Civitates, propter multitudinem eorum, qui ad eas veniebant ſolitudines. Nimis arctæ reddebantur Cuſtodiæ, replebantur carceres non latronibus (proh dolor) non expilatoribus, „ aut aliis hujuſmodi maleficis hominibus, „ ſed viris piis ac religioſis, & Dominum timentibus, quorum erant per noctes Stationes, & qui ſunt ex Deo ſudores & nocturnæ lacrymæ, & quos Hieruſalem vocabat „ libera Civitas, honorificè apud eam diverſaturos. *Hæc Acta*, ubi inde deſcriptum eſt Glorioſum Beati Andreæ Monachi certamen adversùs Iconoclaſtas, ejuſque denique conſummatum Martyrium. Cùmque Sancti Monachi complurium Monaſteriorum impio adverſarentur Edicto, ira percitus Imperator eos omni modo eſt perſecutus. Ita ſcripto reliquit Theodorus Studita in Oratione de Sancto Platone, inquiens: „ Conſtantinus ille „ impiis cogitationibus fervens, malitiæ domicilium, multorum Capitum Draco, ejus „ hæreſis propugnator, quæ Sanctis Imaginibus bellum indixit, Monaſtici Ordinis „ acerbiſſimus perſecutor tunc regnabat. At „ quiſnam noſtrorum Nazaræorum non fuit „ exterminatus? Aut quis latens non in medium prolatus? Quisvè eorum qui ei reſiſtebant, non ad impietatis Barathrum detractus? Ita ut ſicubi aliquis eorum, qui „ inſignes erant, relictus fuiſſet, tanquam „ ſcintilla quædam in occulto, & obſcuro loco jacens, ita latuerit, ut pro mortuo haberetur apud eos, qui adhuc ſupererant. „ *Hæc Studita*. In hac porrò Sanctorum Monachorum perſecutione, anno XXII. Imperii hujus impii Tyranni, certamen iniit Stephanus ille Monachorum Coriphæus, atque miraculorum illuſtris, ex Auxentiano monte in Bythinia abſtractus, inde in exilium miſſus, ac denique ſubſequentibus annis, pro recta fide neci datus.

1030 His tamen non obſtantibus in recta fide permanebant Eccleſiæ Alexandrina, Antiochena, atque Hieroſolymitana, Sanctas retinentes Imagines, illarum verò adverſarios anathematizantes: quarum Patriarchæ in die Sancto Pentecoſtes anni XXIII. Imperii Conſtantini, poſt Sanctorum Evangeliorum lectionem, ſolemniter coràm univerſo fidelium Coetu, anathema dixerunt Coſmæ Epiſcopo Epiphaniæ conſentienti Iconoclaſtarum hæreſi, ut ſcribit Theophanes, inquiens: „ Coſmas „ autem quidam Epiſcopus erat Epiphaniæ, „ quæ eſt Civitas Apameæ Syriæ: quibuſdam autem ex Civibus Epiphanię ad Theodorum Patriarcham Antiochenum accuſationem contra eundem Coſmam ſuper diminutione Sacrorum Vaſorum facientibus; „ Cùm ille minimè potuiſſet reſtituere, diſceſſit ab orthodoxa fide, conſentaneus Conſtantini Imperatoris hæreſi, Sacris adverſatus Imaginibus: quem communi ſententia Theodorus Antiochenus Patriarcha, atque Theodorus Hieroſolymitanus, atque „ Coſmas Alexandrinus cum Epiſcopis ſibi „ ſubjectis die Sancto Pentecoſtes, poſt lectionem Sancti Evangelii conſonanter anathematizarunt ſinguli in ſua Civitate.

1031 Licebat hoc præfatis Patriarchis majori ex parte ſub Sarracenorum dominio conſtitutis: ſed qui ſub Imperio Conſtantini morabantur, nec loqui quidem poterant de Sanctarum Imaginum cultu, nefas erat verbum eadem de re proferre, ac reus læſæ majeſtatis conſtituebatur quiſquis auſus fuiſſet de adorandis Imaginibus ſermonem facere. Hinc eſt quòd anno XXV. ſui Imperii crudelior factus, variis & diverſis pœnis affici juſſit, ac verberibus tradi, complures Principes ac milites de Imaginum cultu accuſatos: indeque jusjurandum ab omnibus ſub Imperio ſuo degentibus de non venerandis Sacris Imaginibus exigere voluit, Edicto publicato in ipſa Eccleſia ab impio Patriarcha Conſtantino, ut tradit Theophanes, inquiens: „ Multos etiam „ Principes ac milites accuſatos quòd Imagines adorarent, diverſis pœnis affecit, & immaniſſimis tradidit verberibus. Jusjurandum etiam generale ab omnibus ſub Imperio ſuo degentibus exegit, ne quiſquam „ adoraret Imagines, cum quibus & Conſtantinum falſi nominis Patriarcham ſuper „ ambonem aſcendere, & exaltare pretioſa „ ligna & jurare fecit, quòd non eſſet ex eis „ qui adoraret Imagines. *Hæc Theophanes*.

1032 Poſt hæc verò, anno XXVI. ſui Im-
perii, qui fuit annus Domini DCCLXVI.
currente Indictione IV. Pontificatus Pauli Pa-
pæ I. anno X. crudeliſſimus ille Imperator Co-
pronymus, magis magisque ſæviens, Mona-
chos quoſdam, compluresque nobiles viros
dehoneſtavit, quaſi adversùs Imperatorem pra-
va moliti fuerint conſilia: alios verò ſub eo
prætextu quòd Carcerem ubi detinebatur Ste-
phanus ille Monachus, quem ab exilio Con-
ſtantinopolim revocaverat, & in Carcerem
detruxerat, ingreſſi ſunt. Tandem, Deo per-
mittente, ſævit & in ipſum Conſtantinum Pa-
triarcham. Quæ omnia recenſet Theophanes,
ſic ſcribens: „ Porrò XVI. Kalendas Septem-
„ bris, ejuſdem quartæ Indictionis publicè
„ diffamavit & dehoneſtavit habitum Mona-
„ chorum in Hippodromo, præcipiens unum-
„ quemque Monachum manu tenère mulie-
„ rem, & taliter tranſire per Hippodromum,
„ ſumptis injuriis ab omni Populo cumulatis.
„ Similiter & VIII. Idus Septembris ducti
„ ſunt ad ludos circenſes Principes decem
„ & novem, & dehoneſtati ſunt, quaſi mala
„ contrà Imperatorem conſiliati fuerint, non
„ veraciter accuſati, ſed quia invidebat eis,
„ eò quòd eſſent formoſi & robuſti, & ab om-
„ nibus collaudati. Quibuſdam verò ex eis
„ & ob Religionem tentis, eò quòd prædi-
„ ctum incluſum Stephanum eſſent ingreſſi, &
„ paſſiones ejus publicè divulgarent, quos &
„ interfecit. Quorum præcipui ſunt Con-
„ ſtantinus Patricius & dudum Logotheta
„ Dromi, cui nomen impoſuit *Podopagurum*
„ & hujus frater Strategius Spatharius & Do-
„ meſticus Excubitorum, Antiochus Logo-
„ theta Dromi factus & Prætor Siciliæ, Da-
„ vid Spatharius comes obſequii, Theophi-
„ lactus Protoſpatharius, & alii, quos cùm
„ in Hippodromo ludo palàm traduci, & ab
„ omni Populo conſpui, & maledici feciſſet,
„ ſententiam dedit: Et illos quidem duos
„ fratres Conſtantinum & Strategium intra
„ venationis ſepta capitis animadverſione pu-
„ nivit, multo ſuper eos univerſæ plebis fa-
„ cto lamento: adeout, cùm hoc didiciſſet
„ Imperator, indignaretur, & Procopium
„ præfectum cæderet, & ab adminiſtratione
„ depelleret tanquam id fieri permittentem:
„ cæteros autem oculis privatos in exilium
„ deſtinavit, quos & per ſingulos mittens,
„ cum eſſet & omni crudelitate plenus, ad lo-
„ ca quibus degebant, catenis & flagris va-
„ pulare jubebat. Porrò III. Kalendas Se-
„ ptembris ejuſdem IV. Indictionis, inſaniens
„ idem malevolus adversùs æquivocum ſuum
„ & conſentaneum ſuum Patriarcham, & in-
„ ventis quibuſdam Clericis ac Monachis in-
„ ſtruxit illos, ut dicerent: *Audivimus Pa-*
„ *triarcham cùm Rotopagurum adversùs Im-*
„ *peratorem loquentem*: Et miſit eos ad Pa-
„ triarcham, ut arguerent illum. Cùmque
„ ille negaret, fecit eos ad pertioſa ligna ju-
„ rare, fatentes, ac dicentes. *A Patriar-*
„ *cha hæc maledicta audivimus*. Inter hæc er-
„ go miſit & bullâ ſignavit Patriarcham, &
„ hunc exilio relegavit apud Hiberiam & rur-
„ sùs apud Principem Inſulam. *Hæc Theo-*
„ *phanes*.

1033 Deinde ſubjungit de prohibito San-
ctarum Reliquiarum cultu, atque Sancto-
rum damnata interceſſione, adversùs etiam ea,
quæ, ut antefati ſumus, decreta fuerant in
ipſa ſua pſeudoſynodo: „ Is autem qui Chri-
„ ſtianis, inquit, ineffabilibus Dei judiciis
„ imperabat, fortaſſis, ut Jezabel quondam,
„ vel veſanus Acab, multò pejora, quàm
„ Arabum ſit inſania, ſub Imperio ſuo poſitis
„ Orthodoxis Epiſcopis, Monachis, Laicis,
„ Prælatis atque ſubjectis oſtendit: ubique
„ interceſſiones Sanctæ Virginis & Dei Ge-
„ nitricis & omnium Sanctorum, in ſcriptis,
„ ac ſinè ſcripto inutiles repellens, per quas
„ nobis manat omne ſuffragium, & Sanctas
„ eorum Reliquias ejiciens & inviſas reddens.
„ Sicubi inſignis quiſquam audiebatur, ad
„ animarum ſanitatem & corporum, vel ſicut
„ moris eſt, à piè agentibus honorari, mox
„ mortem adversùs hujuſmodi tanquam im-
„ piè agentem minabatur: ſin autem, proſ-
„ criptiones, exilia, & tormenta. Deo au-
„ tem gratiſſimum Lipſanum, Reliquiæ Sa-
„ cræ ſcilicèt, utpotè quidam Theſaurus poſ-
„ ſeſſoribus habitus, auferebatur, inviſibile
„ de cætero efficiendum. Tale quid & in pre-
„ tioſiſſimum laudabilis Martyris Euphemiæ,
„ Lipſanum profanus hic Imperator geſſit: in
„ profundum id cum loculo jaciens, non fe-
„ rens eam ex ſe ſuper omnem Populum ſua-
„ vitatem unguenti reddentem, & arguen-
„ tem ejus adversùs interceſſiones Sanctorum
„ deliramenta. *Hæc Theophanes*. Similia
tradit Metaphraſtes ad diem XI. menſis Julii,
licèt hoc afferat factum ſub Leone Iſauro pa-
rente Conſtantini Copronymi. At poſt hæc
eodem nimirum anno neci tandem datus eſt
ob cultum Sacrarum Imaginum fortis Chri-
ſti Athleta & Martyr Stephanus Monachus,
de quo in ſuperioribus antefati ſumus:

1034 Poſt hæc Copronymus Legatos mi-
ſit ad Pipinum Chriſtianiſſimum Regem ſex
Patricios cum pluribus Epiſcopis poſtulans
pro Leone filio ſuo Godegeſiliam Pipini filiam
in uxorem, ac pro illius dote reſtitutionem
Exarchatus Ravennæ: & ne diſparitas reli-
gionis ineundo fœderi obeſſet, controverſiam
de Imaginum cultu Gallicanorum Epiſcopo-
rum examini committeret: ſimulque & de alia
Controverſia ab jiſdem fieret tractatio, con-
cernente nimirum proceſſionem Spiritus San-
cti, num à ſolo Patre procederet, an à Patre
& Filio, quoniam Grecis videbatur adjectum
eſſe à Latinis dogma de proceſſione Spiritus
Sancti etiam à Filio. Itaque Pipinus hac ſu-
ſcepta Legatione, retentis interim Legatis,
Conventum Epiſcoporum coegit in Villa

Gentiliaco in agro ſita Pariſiacenſi, pro hujuſmodi controverſiis examinandis, atque definiendis. Celebratum eſt hoc Concilium, quod Gentiliacenſe appellatum eſt, anno Domini DCCLXVI. Pontificatus Pauli I. anno Imperii Copronymi XXVII. Regni Pipini Regis XVI. Indictione V. cujus meminit Ado Viennenſis in Chronico, inquiens: *Facta eſt Synodus anno Incarnationis Domini DCCLXVII. & quæſtio ventilata inter Græcos & Romanos de Trinitate, & utrùm Spiritus Sanctus, ſicut procedit à Patre, ita procedat à Filio: & de Sanctorum Imaginibus, utrùm ne figendæ, aut pingendæ erant in Eccleſiis*. Idem refert & Eginhardus in Chronico ſub eodem anno, ubi ait: *Orta quæſtione de Sancta Trinitate, & de Sanctorum Imaginibus, inter Orientalem & occidentalem Eccleſiam, ideſt, Romanos & Græcos, Rex Pipinus Conventu in Gentiliaco Villa congregato Synodum de ipſa quæſtione habuit*. Sic adnotant & Annales Francorum Bertiniani, & Regino Abbas, & Aimoinus lib. 4. Cap. 37. Eidem Synodo interfuerunt antefati Græcorum Legati, ſimulque & Sedis Apoſtolicæ Legati, qui unà cum Græcis Legatis à Regia Conſtantinopolis Urbe redeuntes, ad Pipinum Regem abierunt: prout idem antefatus Regino ſcribit: Et palàm fit ex Epiſtola XVI. Pauli I. Papæ inter Carolinas, ad eundem Pipinum data, in qua ſic ait: „ Direxit nobis excellentiæ veſtræ Chriſtianitas, „ ſignificans de Miſſis noſtris, veſtriſque atque Græcorum, qui à Regia Urbe reverſi „ ſunt, eos apud vos eſſe detentos, interim „ quòd aggregatis veſtris Sacerdotibus, at- „ que optimatibus, conjicere ſeu perpetrare „ valeatis, quid de his, quæ vobis directa ſunt, „ reſpondendum ſit. Et quidem nobis de hac „ re aliter confidendum non eſt à vobis re- „ ſponderi, niſi quæ ad exaltationem Sacro- „ ſanctæ Spiritalis Matris veſtræ Romanæ „ Eccleſiæ, atque orthodoxæ fidei pertinere „ noſcuntur. *Hactenus Paulus*. Et licèt hujuſmodi Acta non extent, ex jis quæ in aliis Gallicanis Synodis poſtea geſta ſunt, & ex fide Eccleſiæ illius temporum illorum monumentis probata, colligi meritò poteſt, ea in Synodo damnatam fuiſſe Iconomachorum hæreſim, atque fidem de Spiritus Sancti proceſſione à Patre, Filioque confirmatam.

1035 Eodem tempore in Oriente dum magis ſæviebat Copronymi adversùs Sanctarum Imaginum cultores perſecutio, ut antefati ſumus, eodemque anno, trium Eccleſiarum Patriarchæ, Alexandrinus ſcilicèt, Antiochenus, & Hieroſolymitanus, Hieroſolymis convenientes cum ſibi ſubjectis Epiſcopis, aliiſque Presbyteris, & Monachis, coacta Synodo, cultum atque Sacrarum Imaginum venerationem confirmarunt, anathematizatis Iconoclaſtis, & quot quot eidem cultui adverſabantur: indeque Synodicam Orthodoxam continentem fidem ad Paulum Eccleſiæ Romanæ Epiſcopum direxerunt, qui cùm jam eſſet vita functus, recepta eſt à ſucceſſore, atque inde ſub Stephano Papa in Synodo Romana recitata atque approbata: Hæc omnia ſcribit Hadrianus Papa in Epiſtola ad Carolum Regem pro Synodo Nicæna II. poſt initium Cap. 2. in Actione 3. inquiens: „ Theo- „ dorus Patriarcha Hieroſolymorum cum cæ- „ teris præcipuè Patriarchis, videlicèt Coſma „ Alexandriæ, & Theodoro alio Antiochiæ, „ dudum prædeceſſori noſtro Sanctæ recorda- „ tionis quondam Paulo Papæ, miſerunt pro- „ priam eorum rectæ fidei ſynodicam: in qua „ & de Sacratiſſimis Imaginibus ſubtili nar- „ ratione, qualiter unà cum noſtra Sancta „ Catholica & Apoſtolica univerſali Eccleſia „ Romana ipſi cæteri Orientales Orthodoxi „ Epiſcopi & Chriſtianus Populus ſentiunt, „ & in earundem Sanctarum Imaginum vene- „ ratione ſyncero mentis affectu ferventes in „ fide exiſtunt, ſtuduerunt intimandum. „ Quam ſynodicam in latino interpretatam „ eloquio prædeceſſor noſter quondam San- „ ctiſſimus Stephanus Papa in ſuo Concilio, „ quod & ipſe pro Sacris Imaginibus unà cum „ diverſis Epiſcopis in partibus Franciæ ſeu „ Italiæ fecit, ſuſcipientes ac relegentes, pla- „ cuerunt tam de diverſis Francorum Patrum „ teſtimoniis, quàm de Symbolo fidei, ubi „ facti ſunt, dicentes: *Si quis alium termi- „ minum fidei, ſivè Symbolum, aut doctrinam „ habet præter quod traditum eſt à Sanctis Ma- „ gnis, & univerſalibus ſex Synodis & confir- „ matum eſt ab his Sanctis Patribus, qui in „ eis convenerunt, & non adorat Imaginem, „ ſivè figuram Domini Noſtri Jeſu Chriſti, ne- „ que humanationem ejus confitetur, ſicut qui „ deſcendit & incarnatus eſt propter genus hu- „ manum, talem impium anathematizamus, & „ alienum extraneumque deputamus Sanctæ „ Catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ*: & cætera „ quæ longum eſt enarrari. *Hactenus Hadrianus*, de hac Synodo: cujus quoque mentio fit in libello ſynodico ſub titulo: *Synodus Hieroſolymitana Theodori*, ubi dicitur. *Similiter & Theodorus Hieroſolymitanus Epiſcopus, congregata à Deo collecta Synodo, Sacras ſex œcumenicas Synodos, numero & tabulis prædicavit: recens autem natam Sanctorum combuſtricem hæreſim, anathemati ſubjecit*.

1036 Hoc pariter anno Domini DCCLXVII. Indictione V. die XXIX. Junii, obiit Romæ Paulus Papa cum ſediſſet annos X. & menſem unum, poſt cujus obitum diro Schiſmate vexata eſt Romana Eccleſia, quoniam manu armata Conſtantinus quidam, frater cujuſdam Toti Nepeſinæ Civitatis Ducis, ex laico Pontificatum invaſit, tenuitque per annum & menſem: inde tumultuariè acclamatus eſt Philippus Presbyter Monachus Monaſterii Sancti Viti, ſed ſtatim rejectus: unde denique Divina opitulante gratia, ſedatis rebus, cunctis in concordiam redactis, ſecundùm Canonica

nica inſtituta, Clero univerſo ſuffragante, die v. Auguſti Anni Domini DCCLXVIII., Imperii Cōſtantini Copronimi Ann. XXVIII. Indictione VI. renunciatus eſt Romanus Pontifex Stephanus, hujus nominis III., ſivè IV., natione Siculus, Olivi filius, vir ſtrenuus & Divinis Scripturis eruditus, atque Eccleſiaſticis traditionibus imbutus, & in earum obſervationibus conſtantiſſimus perſeverator, ut ſcribit Anaſtaſius.

1037 Intereà tamen, dùm Eccleſia Romana ſub invaſore Conſtantino Pſeudopapa premebatur, alter infamis Conſtantinus Pſeudopatriarcha Conſtantinopolitanus exautoratus anno anteriori, ac in exilium amandatus, ut præfati ſumus (ſubſtituto quoquè in ejus locum ſolius Copronymi decreto, ſexto Kalendas Decembris, quintæ Indictionis Niceta Eunucho è Sclavis orto) ultimas tantorum ſuorum ſcelerum pœnas luit; de quo hęc Theophanes ait: „ Anno XXVII. Imperii „ Conſtantini, Conſtantinus falſi nominis „ Patriarcha ductus eſt IX. Octobris, ſextâ „ Indictione à Principe Inſula, quem & cęcidit Tyrannus, quòd evadere non valeret „ ejus maledicta. Juſſit autem in foro parari locum & eundem ſedère in gremio Eccleſiæ magnæ, eratque à Secretis, *ob ſecuta videlicèt patefacta*, cum eo conferens „ chartæ tomum, in quo erant ſcripti hujus exceſſus. Omni ergò populo ex præcepto Regis illic congregato & vidente, legebatur charta totius populi, & per ſingula Capitula à Secretis (*ob ſecuta videlicèt manifeſtata, ut Cedrenus inſinuat*) percutiebat faciem ejus, Niceta Patriarcha ſedente in confeſſione & intuente. Poſt hæc „ verò cum impoſuiſſent eum in ambonem, „ & rectum ſtare feciſſent, accepit Nicetas „ chartam & miſit Epiſcopis, & ablato ſuperhumerali ejus, anathematizaverunt eum, „ & hunc ſocium Abiron cognominantes, ab „ Eccleſia abſtraxerunt. Poſterâ verò die, „ cùm Ludi Circenſes agerentur, raſerunt „ faciem ejus, & barbam denudaverunt, capitiſque & ſuperciliorum pilis ablatis, indutum hunc laneo, brevi ac ſinè manicis „ veſtimento, ſedère fecerunt ſuper aſinum „ ſagma ferentem, & ipſius tenère caudam, „ & duxerunt per Dippium in Hippodromum, cuncto populo imprecante illi mala, „ & conſpuente. Cùmque veniſſent ad vulgus, deſcenderunt & conſpuerunt, & pulverem jecerunt ſuper illum; & dùm abduxiſſent eum ad Conſiſtorium, dejecerunt „ eum de aſino, & calcaverunt ſuper collum „ ejus, & collocatus contra vulgus, audiebat „ illa ludicra verba uſque ad abſolutionem „ Ludorum Equeſtrium.

1038 Deindè quę poſt hæc acta ſunt, ſubjungit: „ Eodem quoquè menſe miſſis impius Imperator Patritiis, ſignificat ei, dicens: *Quid dicis de fide noſtra & concilio, „ quod fecimus?* Conſtantinus Patriarcha, „ ſenſibus ad vanitatem converſis, reſpondebat: *Benè*, inquiens, *& credis & concilium operatus es*, putans ſe ob hoc illum ſibi „ placare. Et confeſtim illi reſpondentes, „ dixerunt: *Nos hoc audire voluimus ab ore „ tuo polluto; ex hoc ergò vade ad tenebras.* „ Et ſic acceptâ ſententiâ, deſcendit ad clauſtra ferarum, & decollatus eſt; & caput „ quidèm per aures ligantes, tribus diebus in „ Milio ſuſpenderunt ad oſtenſionem plebis; „ Corpus verò veſte pede ligato traxerunt „ per plateas uſque ad loca pelagi, & ſociandum Biothenatis ſtatuerunt; ſimiliter & „ caput ejus poſt tres dies illùc delatum projecerunt. *Hæc de infælici Conſtantini Patriarchæ exitu Theophanes.*

1039 Sed & alia immania eodem tempore ergà orthodoxos exercuit Imperator; quoniam, ut idem Theophanes refert, depoſuit Petrum nobilem Stilitem à Metra, quem virum, cùm ſuis dogmatibus cedere noluiſſet, ligatis pedibus ejus, in prædicto Palatii loco incluſit, & inde tractum, per plateas projici juſſit: „ Alios, *ſubjungit*, etiam in Sacris „ vinciens, & lapidibus aggravans, eruens „ oculos, in pelagus jactari præcipiebat, „ nares abſcindens, flagellis excorians, & „ omnem tormenti ſpeciem adversùs eos, qui „ piè vivebant excogitans. Et in Urbe quidèm per ſeipſum hæc & conſentaneos ſuos „ Antonium Patritium, & Scholarum domeſticum, ac Petrum Magiſtrum ſuper populum ſingulorum ordinum, qui à ſe fuerat „ eruditus ad talia, agebat; in exteris verò „ partibus, per jam dictos Prætores. Ipſe „ namque Citharę delectabatur ſonitu, atque conviviis; turpibus ſermonibus, & „ ſaltationibus, eos qui ſibi adhærebant, inceſſanter erudiens. *Hæc ille.* Sed & in tantam deſcendit impietatem diabolicus iſte Tyrannus, potiùs quàm Imperator, ut Chriſtianis non permitteret in illorum caſibus, Dei Genitricem in auxilium ſibi, ut fieri ſolet, invocare; qui talia auſus fuiſſet, ut Imperatoris inimicus damnabatur: ejuſdem criminis rei habebantur omnes pii viri, qui orationibus, vigiliis, piiſque operibus operam dabant; *Si quiſquam corruens*, inquit Theophanes, *vel dolens, ſolitam Chriſtianorum vocem emitteret dicens: Dei Genitrix juva, aut vigilias agens deprehenderetur, aut Eccleſiis aſſuetus, aut cum Religione vivens, aut non paſſim juramento abutens, ut inimicus Imperatoris damnabatur, & immemorabilis memorabatur.* Subdit quoque Theophanes de deſtructis ab hoc Tyranno ſanctorum virorum, & mulierum Monaſteriis, affirmans plurima militibus inhabitanda tradidiſſe, Monachis expulſis, alia è fundamentis deſtruxiſſe, & ſignanter ea, quæ dicebantur Caliſtrati, & Dii.

1040 Quæ porrò adversùs Dei Genitricem

cem Beatam Mariam Virginem, ejuſque interceſſionem, egiſſe, ex Theophane antefati ſumus, Theoſterictus in Niceta illius temporis ſcriptor, apud Surium tom. 2. ad diem 2. Aprilis, ſic enarrat, inquiens: „ Habitu „ erat Chriſtianus, mente Judæus: Quam „ enim Chriſtus ſibi in Domicilium delegit, „ glorioſiſſimam, inquam, ſuam Matrem „ omnibus aliis rebus creatis ſuperiorem, „ omnium hominum ſalutem, Mundi Patrocinium, quæ propter Virginitatis ſuæ „ præſtantiam propè Deum verſatur, hujus, „ inquam, venerandum nomen multis modis „ ab Eccleſia expellere ſtuduit: ejus vero in„ terceſſiones, per quas Mundus conſiſtit, „ illas nè nominare quidèm voluit, cùm di„ ceret, nemini eam poſſe opitulari. *Hæc* & alia ejuſdem argumenti ſcribit Theoſterictus.

1041 At per eadem tempora Stephanus Papa, nuper electus, Synodum Romę celebrãdam indixit, cui interfuerunt Epiſcopi plurimi ex Tuſcia, Campania, aliiſque Italiæ Regionibus, necnon ex Francia duodecim miſſi à Carolo Rege, virtute, & ſcientiâ præſtantiores, petente eodem Stephano, ut notat Anaſtaſius in Stephani vita, quorum nomina ex ſchedis Pavinianis exhibet Labæus; ſunt autèm Wilicarius Epiſcopus Senonenſis, Lullus Moguntinus, Gavienus Turonenſis, Addo Lugdunenſis, Herminardus Bituricienſis, Daniel Narbonenſis, Tilpinus Rhemenſis, Herulfus Lingonienſis. Item, & Herembertus, Babulfus, Giſelbertus, & Joſeph, quorum Sedes apertè minimè deſignatæ reperiuntur. Celebrata eſt hæc Synodus in Baſilica Salvatoris Domini noſtri Jeſu Chriſti, juxtà Lateranenſe Palatium, menſe Aprilis Indictione VII. ut idem Anaſtaſius notat: & ita Anno Domini DCCLXIX., Imperii Conſtantini Copronymi Anno XXIX., Pontificatus Stephani Anno II. ut ſupputat Baronius; eique Stephanus ipſe perſonaliter præfuit.

1042 In ea namque Synodo præter nonnulla ſancita ad Eccleſiaſticam diſciplinam pertinentia, habita quoque eſt de cultu ſanctarum Imaginum tractatio, & allatis pluribus ſanctorum Patrum teſtimoniis, earum cultum prorſùs retinendum definitum eſt, anathematizatâ impiâ, & ſceleratâ Pſeudoſynodo illâ Conſtantinopolitanâ à Copronymo, & perfido Conſtantino falſi nominis Patriarchâ cum eorum ſequacibus hæreticis celebratâ: „ Poſt hæc verò omnia, *ait Anaſtaſius*, promulgata, continuò, & diverſa „ Sanctorum Patrum teſtimonia de ſacris „ Imaginibus Domini noſtri Jeſu Chriſti, „ Sanctęque, & glorioſæ ejus Genitricis ſem„ per Virginis Mariæ Dominæ noſtræ, & „ Beatorum Apoſtolorum, omniumque San„ ctorum, ac Prophetarum, & Martyrum ſeù „ Confeſſorum, in idem allata ſunt Conci„ lium, & ſubtiliùs multa perindagantes, „ ſtatuerunt magno honoris affectu ab omni„ bus Chriſtianis ipſas ſacras venerari Imagi„ nes, ſicut ab omnibus prædeceſſoribus hu„ jus Apoſtolicæ Sedis, & cunctis Venerabi„ libus Patribus, uſque hactenùs de earum „ honoris obſervantia effectum, & cunctis ad „ memoriam pię compũctionis eſt traditum, „ confundentes atque anathematizantes exe„ crabilem illam Synodum, quæ in Græcis „ partibus nuper facta eſt pro deponendis „ ipſis ſacris Imaginibus. *Hactenus Anaſtaſius*.

1043 Eandem Synodum plurimùm & pluriès commendat Hadrianus I. Papa in Epiſtola data ad Carolum Regem pro Synodo Nicæna ſecunda: Etenim in Actione I. capite 5. ait: „ Porrò & prædeceſſor noſter „ ſanctæ recordationis quondàm Dominus „ Stephanus Papa ſimiliter cum Epiſcopis „ partium Franciæ atque Italiæ præſidens in „ Baſilica Salvatoris Domini noſtri Jeſu „ Chriſti, quæ appellatur Conſtantiniana, „ prædeceſſoris ſui Venerabile Concilium „ confirmans atque amplectens, magis, ma„ giſque, & ipſe unà cum omnibus Epiſco„ pis præſidentibus, Sanctorum Patrum te„ ſtimoniis adhærentes, adorare atque vene„ rari ſacras Imagines ſtatuerunt. *Hæc ille*, qui, & ſimilia de hac Synodo repetit cap. 12. in Actione VI., cap. 2. in Actione III., ſed & cap. 18. in Act. V. ait, in eadem Synodo recitatam & receptam fuiſſe Synodicam pro ſacris Imaginibus Coſmæ Alexandrini Epiſcopi, Theodori Antiocheni, & Theodori Hieroſolymitani Epiſcoporum, ex Synodo Hieroſolymitana miſſa, de qua ſuperiùs fati ſumus.

1044 Excerpta verò ex Actis hujus Synodi exhibentur apud Anſelmũ lib. 4. cap. 24. & ſeq., & recenſentur ex eo à Labæo tom. 6. Concil. pag. 1722. Quæ verò ad cultum ſanctarum Imaginum pertinentia ſancita ſunt, ex Actione IV. ejuſdem Synodi ſequentia leguntur: „ Sed ad Sanctorum Conſortium „ venire optamus, profectò hìc omnia in ho„ nore Sanctorum, ſivè reliquias non ſolùm „ corporum, ſed & veſtimentorum, ſivè Ba„ ſilicas nominibus eorum memoratas, ſeù „ etiam Imagines, & vultus illorum, in quo„ libet loco depictos, celeberrimo honore ve„ nerari debemus. *Item*. Pavendum eſt, nè „ ſub Iconum occaſione ad pejora ſeſe ſtatus „ malæ aſſertionis erigat, & corpora Sancto„ rum, & reliquias Martyrum adorari tan„ quàm membra Domini, ac venerari pro„ hibeat. *Item*. Interrogatio Antiochi ad „ Sanctum Athanaſium: *Quomodò vos facitis* „ *Imagines, & adoratis?* Reſponſio. Non „ ſicut Deos Imagines adoramus nos fideles, „ abſit, ſicut Pagani, ſed tantummodò affe„ ctum, & charitatis animæ noſtræ ad vul„ tum faciei Imaginis aptamus. Unde & „ multotiès vultu deleto, ſicut lignum pu„ rum atque commune jam, quod dudùm fue-

„ fuerat imago, comburimus. *Item*: Crucem
„ pro Crucifixo in ea Chriſto adoramus, &
„ amplectimur fideliter. *Item*: Si quis ſan-
„ ctas Imagines Domini noſtri Jeſu Chriſti,
„ & ejus Genitricis, atque omnium Sancto-
„ rum, ſecundùm Sanctorum Patrum ſtatu-
ta venerari noluerit, anathema ſit. *Hacte-
nus ſtatuta Synodi ſub Stephano*, de venera-
tione ſacrarum Imaginum ex Anſelmo apud
Labæum.

1045 Dùm porrò Romæ à Sanctiſſimo
Pontifice cum cæteris orthodoxis hujuſmodi
Decreta pro ſanctarum Imaginum retinendo
cultu ſalubriter ſancirentur, peſſimus Impe-
rator in Oriente ad penitùs abolendum præ-
fatum cultum, omnem præſtabat operam, pro-
ſequens ſævire in Monachos, quos unicè ſuæ
impietati adverſari dignoſcebat, conatus or-
dinem Monaſticum penitùs delere, ſivè mu-
lierum, ſivè virorum; quare Anno XXX. ſui
Imperii currente, unus ex ejus Præfectis
omnes Monachos, Monachaſque in Thracia
commorantes, apud Epheſum convenire fe-
cit, & inde, ut nuberent, cogere eos voluit,
propoſitis renuentibus pœnis: talem impie-
tatem ſic enarrat Theophanes: „ Eodem
„ verò Anno XXX. Imperii Conſtantini, *in-
„ quit*, imitatus Lachanodraco Præfectus
„ Magiſtrum ſuum, omnem Monachum, &
„ Monacham in themate Thracenſium com-
„ morantes apud Epheſum congregavit, &
„ eduxit eos in Campum, & ait: *Qui vult
„ Imperatori ac nobis obedire, albâ induatur
„ veſte, & uxorem hac ſumat horâ: atqui hoc
„ facere parvipenderint, privati luminibus,
„ in Cyprum exilio damnabuntur*. Cùmque
„ opus pariter cum verbo conſummatum eſt,
„ & multi oſtenſi ſunt Martyres; multi
„ verò deficientes, & enervati perierunt,
„ quos & familiares ſibi Draco faciebat. *Hæc
ille*.

1046 Poſt hæc verò continuatâ in Mona-
chos perſecutione, venundata ſunt cuncta
tùm virorum, cùm mulierum Monaſteria,
univerſa quoque Vaſa ſacra, mobilia & im-
mobilia omnia ad præfata pertinentia Mona-
ſteria, delato Imperatori pretio; Libri verò
Sanctorum Patrum vitas continentes & geſta,
igni traditi ſunt; Sanctorum denique & Re-
liquiæ pariter combuſtæ ſunt, mulctatis iis,
apud quos inveniebantur. Ita idem Theo-
phanes, inquiens: „ Eodem quoquè Anno
„ Imperii Conſtantini, miſſo Prætore Thra-
„ cienſium Lachanodracone & Leone Nota-
„ rio ſuo, & Leone ex Monacho venundabat
„ omnia Monaſteria virorum ac mulierum, &
„ omnia Vaſa ſacrata, & libros & pecora,
„ quæ patrimonium eorum erant, & horum
„ pretia Principi detulit: Quotquot autem
„ monachicos & paternos Libros, in quibus
„ vitæ erant Sanctorum Patrum, reperit,
„ igne combuſſit; & ſicubi Lipſanum, hoc
„ eſt, venerandas Reliquias Sancti cujuſpiam
„ habens, apparuiſſet ad Cuſtodiam & hoc
„ quoque nihilominùs igni tradebat; cùm ve-
„ rò qui habebat illud, ut impiè agentem
„ puniebat. Et multos quidèm Monacho-
„ rum interfecit verberibus, quoſdam etiam
„ gladiis trucidavit; Præterea innumerabi-
„ les oculorum viſibus privavit, & quorun-
„ dam quidèm barbas cera & oleo perungens
„ ſuccendebat igne, & ita tàm facies eorum,
„ quàm capita cremabat. Porrò poſt alios
„ cruciatus etiam exiliis deſtinabat; & po-
„ ſtremò in toto themate, hoc eſt Provinciâ
„ ſibi ſubjectâ, non deſeruit hominem unum
„ Monaſtico ſchemate amictum. Quòd cùm
„ didiciſſet Imperator, bonum ſemper exo-
„ ſum habens, ſcripſit ei gratias, dicens: *In-
„ veni hominem ſecundùm cor meum, quia fa-
„ cias omnes voluntates meas*. Hunc ergò imi-
„ tatores cæteri ſimilia perpetrabant. *Hacte-
nus Theophanes*.

1047 Intereà Romę ad Dominum migra-
vit Stephanus Sanctiſſimus Pontifex, ineun-
te Anno Domini DCCLXXII., Imperii Co-
pronymi XXXII., Indictione x. in ipſis Ka-
lendis Februarii, cùm ſediſſet Annos III.,
menſes v. & dies xxviii., & die ix. ejuſdem
menſis renunciatus eſt Romanus Pontifex,
ſummâ omnium concordiâ, Hadrianus hujus
nominis I. Romanus Civis, nobili ortus ge-
nere, Theodori filius, Sanctæ Romanæ Ec-
cleſiæ Diaconus Cardinalis, de quo hæc ha-
bet Anaſtaſius: „ Factum eſt, ut dùm de hac
„ vita migraret antefatus Dominus Stepha-
„ nus Papa, illicò (dùm ferventiſſimo affe-
„ ctu à populo Romano diligeretur) idem
„ præcipuus ac Sanctiſſimus Vir & Dei cul-
„ tor Hadrianus ad ſacrum Pontificatus ere-
„ ctus eſt culmen. *De cujus moribus ac no-
„ bilitate hæc alia habet*: Vir valdè præclarus
„ & nobiliſſimi generis proſapiâ ortus, at-
„ que potentiſſimis Romanis parentibus edi-
„ tus, elegans, & nimis perſona decorabilis,
„ conſtans etiam atque fortiſſimus orthodo-
„ xæ fidei, ac patriæ ſuæ & plebis ſibi com-
„ miſſæ defenſor. Viriliter cum Dei virtute
„ inimicis Sanctæ Dei Eccleſiæ ac Reipubli-
„ cæ impugnatoribus reſiſtens, pauperum
„ etiam, omniumque indigentium miſericor-
„ diſſimus & copioſus conſolator; Eccle-
„ ſiaſticæ quoquè traditionis & Sanctorum
„ Patrum Inſtitutionum obſervator. *Hæc
Anaſtaſius*, qui & plura de ejus geſtis pro-
ſequitur.

CA-

CAPUT XXII.

De geſtis in eadem cauſa ſacrarum Imaginum cultus ſub Hadriano Pontifice, ab obitu Copronymi ad uſque ſeptimam Synodum.

1048 MOderante Eccleſiam Dei Hadriano, de quo antefati ſumus, Anno ſui Pontificatus IV., Imperii Copronymi XXXV., Dñi verò DCCLXXV., Indictione XIII. in æternum ſuorum ſcelerum meritas luĉdas pœnas abiit ipſemet Conſtantinus Imperator, moriens, cùm ab obitu patris ſui tyrannicè imperaſſet Annos XXXIV., menſes II., dies XXVI. *Regnavit*, ait Theophanes, *poſt mortem patris ſui annis triginta quatuor, & menſibus duobus, diebus viginti ſex*. Obiit utique impius Princeps, ſuorum ſcelerum conſcius, clamans & dicens, ut idem teſtatur Theophanes: *Vivens adhùc ſum igni inextinguibili traditus*. Viſus eſt moriendo pœnitens, non tamen ad ſalutem, undè & laudandam Beatam Virginem, ejuſque Templa, quæ præcipuè ab eo ignominiâ affecta fuerant, præcepit, ac teſtamento mandavit: *Moriens*, ait Cedrenus, *ſuamque ultimam voluntatem teſtatam faciens, hæc pronunciavit: Incolume eſto magnum Templum Divinæ Sophiæ: Incolumis eſto ædes Sanctiſſimæ Deiparæ in Blachernis: Incolumis eſto Eccleſia ejuſdem in Chalcopatriis: Incolumis eſto ædes Sanctorum Apoſtolorum: Incolumis eſto Urbs & Senatus: Incolumis eſto, fili mi Imperator, atque tu etiam, ò Theophanes, cui magnum meum arcanum credidi*. Ita vitam diſſoluit. *Subjungit Theophanes*: „ Sanguinibus multis infectum, & Dæmonum invocationibus, & „ ſacrificiis, perſecutionibus quoquè Sanctarum Eccleſiarum, rectæque & immaculatæ fidei, necnon & Monachorum peremptionibus & violationibus Monaſteriorum, maliſque aliis ſupercreſcens, non „ minùs quàm Diocletianus, vel aliquis Tyrannorum.

1049 Tempus porrò & locum ejus mortis idem conſignat Theophanes, inquiens: „ Anno trigeſimo quinto ſui Imperii, menſe „ Auguſto, decimatertiâ Indictione, exivit „ contra Bulgaros Conſtantinus, qui divinitùs in cruribus plagâ percuſſus, quæ „ græcè *Antrax* appellatur, & hinc febre „ validiſſimâ detentus, Arcadiopolim rediit, „ à ſubjectis humeris in lectum delatus; & „ veniens Silimbriam, navem ingreſſus eſt; „ cùmq; Strongylum perveniſſet Caſtellum, „ miſerabiliter in Chelandio moritur, clamans & dicens: *Vivens adhùc ſum igni inextinguibili traditus*; Sanctamque Virginem & Dei Genitricem laudari expoſcens, „ cùm ſinè fœdere ejus fuerit inimicus. *Cedrenus etiam*: Navigio, *inquit*, uſque ad „ Caſtellum Strongylum vectus, ibi animæ „ & corporis mortem obiit, vociferans atque dicens, ſe inextinguibili igni traditum „ propter Mariam, jubens eam exindè honorari, ac celebrari verè Deiparam.

1050 Poſt ejus obitum Leo filius capeſſit Imperium, hujus nominis IV., qui ab exordio viſus eſt pius, Sanctæ Dei Genitricis cultor, & Monachorum amicus: *Viſus eſt brevi tempore pius eſſe*, inquit Theophanes, *Sanctæque Dei Genitricis, & Monachorum amicus, unde & Monachos Metropolitanos Epiſcopos creans, in ſummis Sedibus collocavit*. Liberalem item in populum ſe oſtendit, quæ in cauſa fuit, ut Cives Conſtantinopolitani ergà ipſum affecti eſſent, peterentque, ut filius ejus Conſtantinus ex Irene natus, licèt parvulus, Imperator coronaretur: id quod factum eſt in magna Eccleſia die ſancto Paſchatis VIII. Kalendas Majas, Indictione XIV., eodem teſte Theophane. Anno porrò ſui Imperii V., Domini DCCLXXX., Hadriani Pontificatus IX., Indictione III. moritur Niceta Patriarcha Conſtantinopolitanus, & ejus loco VIII. Idus Februarii, ſecundâ Jejuniorũ hebdomadâ, die Dominico, ut Theophanes notat, Paulus genere Cyprius conſecratus eſt Patriarcha, externè hæreticus Iconoclaſta, etſi internè orthodoxam fidem retineret. Comparuit tunc temporis & hæreticus Iconoclaſta Leo, & ſanctarum Imaginum cultoribus adverſarius; quoniam, ut ait Theophanes, ipſius juſſu, mediâ hebdomadâ Jejuniorum tentus eſt Jacobus Prothoſpatharius, tenti ſunt & Papias & Strategius, & Theophanes Cubicularii, unà cum aliis religioſis Viris, eò quòd Imagines adorarent; quos cæſos & tonſos, per mediam Urbem vinctos ad pompam duci fecit, & in Prætorio includi mandavit, Theophane in ipſo conflictu mortuo. Cedrenus verò cauſam præcedentem enarrans, ait: „ Idem Leo Imperator mediâ Jejuniorum ſeptimanâ duas Imagines reperit in pulvinari uxoris ſuæ Irenis, quas cùm diligenter eſſet contemplatus, inquiſitione factâ, deprehendit eas à „ Papia Palatino, aliiſque nonnullis Primiceriorum fuiſſe illatas; quos & cruciatibus, ſupplicii ſque graviſſimis addixit: In „ uxoremque Irenem acriter invectus, eamque nauci eſſe dixit, quę ſuo Patri Imperatori horribilibus atque intemeratis fidei „ myſteriis prolatis, diverſum planè juraſſet, „ & conſtanter aſſeverantem, eas à ſe non viſas, repulit, neque poſteà rem cum ipſa habuit. *Hæc Cedrenus*.

1051 Verùm, dùm orthodoxos & ſacrarum Imaginum cultores jam perſequi incœpiſſet, Deus non eſt paſſus diù vivere miſertus populi ſui, deficiens menſe Septembris ejuſdem Anni, inchoatâ Indictione IV., ut Theophanes adnotat, qui & morbi qualita-

tem

tem indicans, ait: „ Eodemque menſe Se-
„ ptembri, IV. jam inchoatâ Indictione mortuus eſt Leo filius Conſtantini hoc modo: „ Cùm inſaniret circà lapides pretioſos, nimis adamavit coronam magnæ Eccleſiæ; „ & accipiens, portavit eam: Tunc exierunt carbunculi in capite ejus, & captus „ validâ febre, mortuus eſt, cùm regnaſſet „ Annis V. & diebus VI. *Hæc ille*, qui etiam tradit VI. Idus Septembris ejuſdem Indictionis, Irenem cum filio ſuo Conſtantino, in quem jam populus & Senatus juraverant, Imperium divinitùs accepiſſe. Subjungit indè agens de conjuratione, paulò poſt factâ adversùs Principes, ita inquiens: „ Poſt quadraginta verò dies Imperii ejus, cùm ejus „ filius eſſet decem annorum, conſilium facientes quidam Senatorum, voluerunt educere Nicephorum Cæſarem, & Imperatorem ſtatuere (*erat hic frater Leonis coronatus Cæſar ſub illius Imperio.*) Cùm autem „ hæc ad illius notitiam perveniſſent, tenti „ ſunt Gregorius Logotheta Dromi, & Bardas dudùm Prætor Armenorum, Conſtantinuſque Vicarii Spatharius & Domeſticus Excubitorum, & Theophilactus Rambagi Drungarius duodecimæ Inſulæ, & „ multi alii, quos cæſos & tonſos, in diverſis „ Inſulis exilio relegavit. Porrò viri fratres „ Cæſares, ac nobiliſſimos tonſos, Sacerdotio fungi, & populo communionem in feſtivitate Nativitatis Chriſti porrigere fecit, in qua procedens Imperatorio more, „ publicè cum puero reddidit Eccleſiæ ſtemma (*ſcilicèt Coronam*) quod fuerat à marito ſublatum, pulcherrimè fabrefactum, & „ lapidibus pretioſis venuſtatum. *Hæc Theophanes*.

1052 In exordio porrò ipſo Imperii Conſtantini & Irenæ, utpotè illa cultrix ſacrarum Imaginum, ut præfati ſumus, quievit tribulatio, reſpirare incœperunt orthodoxi, Monachi quoque Monaſteria repetentes, liberè divino cultui operam dabant; undè qui Deo, Mundo relicto & ſæculo, vitam monaſticam deligere optabant, id peragere conceſſum fuit: „ Cæterùm, *ait Theophanes*, intereà piiſſimi „ Principis fiducialiter agere cœperunt, & „ verbum Domini dilatare; & qui volebant „ ſalvari, ſinè prohibitione Mundo abrenunciare, & glorificationem Dei exaltare, at„ que omne bonum manifeſtare. *Hæc ille*. Sed Theodorus Studita in vita Sancti Platonis hæc & alia his verbis ſcribit: „ Poſteà „ verò quàm cœpit regnare Chriſti cultrix „ Irenes, quæ pacem ipſa, ut cognomento, „ ita & re attulit, in cujus Regno cum aliis „ bonis & monaſticæ vitæ adeundæ facultas, „ & janua patefacta eſt, quæ olim ab impio „ Imperatore clauſa fuerat, quemadmodùm „ ab iis Imperatoribus, qui Græcorum ſuperſtitionem ſequebantur, chriſtianæ fidei „ aditus præcludebatur. Ex eo, inquam, „ tempore, quo Irene ipſa regnare cœpit, „ noſtra tota eorum, qui rebus terrenis renunciaverant, familia monaſticæ vitæ obedientiam profitebatur. *Hæc Theodorus*; ſubjungens inde de Sancto Platone, qui liberâ voce cultum & venerationem ſanctarum Imaginum coràm multis prædicabat, bellum indicente Iconoclaſtis.

1053 Porrò Anno quinto Imperii Irenæ & Conſtantini, nimirum Domini Anno DCCLXXXIV., Pontificatus Hadriani Anno XIII., Indictione VIII. moritur Paulus Patriarcha Conſtantinopolitanus, ante cujus obitum, relicto Throno, in Monaſterium Flori ſe duci fecit, ibidemque advocatis Patritiis & univerſo Senatu, palàm orthodoxam fidem, quam in corde, ut antefati ſumus, retinebat, profeſſus eſt, damnatâ Iconoclaſtarum hæreſi. Hinc Theophanes hæc ſcribit: „ Primo Kalendarum Septembrium, ejuſdem ſeptimæ Indictionis Paulus almificus „ Patriarcha Sanctiſſimus infirmatus, Thronum reliquit, & deſcendens ad Monaſterium Flori, Monaſticum ſuſcepit habitum, „ Imperatrice ignorante. Cùm autem Imperatrix hoc didiciſſet, venit cum filio triſtis „ & clamans: *Cùr*, inquit, *hoc feciſti?* At „ ille cum lamentis ait ad eam: *Utinam nè* „ *unquàm in Sacerdotii Throno ſediſſem*, *Eccleſia Dei tyrannidem patiente*, *præſertim* „ *cùm ſciſſa ſit à reliquis univerſalibus Sedibus & anathematizata*. Quæ demùm adſcitos Patritios & Senatus primores miſit „ ad eum audire, quæ ab ipſo dicebantur; „ qui dixit ad illos: *Niſi Synodus univerſalis fiat*, *& error, qui eſt in medio veſtri*, *corrigatur*, *ſalutem non habebitis*. At illi dixerunt: *Quarè ſubſcripſiſti*, *cùm conſecraris Iconoclaſtis*. At ille: *Idcircò lamentis afficior*, *& cucurri ad pœnitentiam*, *deprecaturus Deum*, *nè me ſicut Sacerdotem judicet* „ *& cruciet*, *quòd tacuerim uſque nunc*, *& præ* „ *timore favoris veſtri non prædicaverim veritatem*. Et in his dormivit in pace, derelicto lamento multo tàm piis, quàm impiis „ & religioſis Viris Reipublicæ. Colendus „ enim Vir erat, & ſuprà menſuram miſericors & omni reverentiâ dignus, multamque fidem habebat tàm Reſpublica, quàm „ Imperium ergà illum. Ex tunc ergò cœpit „ dici ac diſputari de ſanctis Imaginibus. *Hactenus Theophanes*.

1054 Ante hoc tempus non licebat adeò publicè de ſanctarum Imaginum cultu diſputari, radicatâ hæreſi in primoribus Reipublicæ, undè, ut ajunt Annales Græci, loquentes de converſione Joannicii viri præclariſſimi, quamvis Irene ſacras Imagines in Eccleſiis reſtitui juſſiſſet: *Neque ſic quidèm multi hujus Iconomachorum hæreſis acerbitatem eluerunt ex animis*, *ſed cùm temporis diuturnitate ad mali habitum perveniſſent*, *ægrè ferebant ſe ab eo liberari*. Sed poſtquàm Paulus Patriar-

cha talia locutus fuerat, licuit unicuique habere tractationem, adeòut ſtatim Principes cogitarunt de orthodoxo eligendo Patriarcha, & agendo inde cum eo de Synodo œcumenica cogenda, pro firmanda catholica veritate, ac diviſioni, ſchiſmati & diſſentioni finem imponendo. Ipſimet Principes hæc omnia teſtantur in ipſorum Sacra recitata in principio Actionis primæ ſeptimæ Synodi, ubi inquiunt: „ Et quoniàm Paulus ſanctiſ-
„ ſimus Patriarcha, cùm ſecundùm divinam
„ voluntatem à præſentibus vinculis abſol-
„ vendus, & hanc peregrinationem dimiſſu-
„ rus atque ad habitationem, imò verò ad
„ ipſum Dominum Chriſtum profecturus eſ-
„ ſet, Epiſcopatum refutavit, vitam eligens
„ Monachorum: Nobis autem interroganti-
„ bus eum, quamobrèm hoc fecerit, reſpon-
„ dit: Quia ſi morte præoccupatus fuero, in
„ Epiſcopatu Deo conſervandæ Regię Urbis,
„ anathema habebo à tota catholica Eccleſia,
„ quod ducit in tenebras exteriores, quæ
„ præparatæ ſunt Diabolo & Angelis ejus,
„ eò quòd Synodum quandam dicant hìc ef-
„ fectam, quæ ſubvertat imaginales picturas,
„ quas Eccleſia catholica tenet, amplectitur,
„ & ad commemorationem principalium ſu-
„ ſcipit. Hoc animam meam conturbat, hoc
„ me in commonitionem adducit, quomodò
„ effugiam judicium Dei pro eo, quòd cum
„ hujuſmodi Viris converſatus fuerim &
„ computatus? Hæc verò etiam cum quibuſ-
„ dam glorioſiſſimorum Principum noſtro-
„ rum locutus eſt, & ſic vitâ exceſſit. Hanc
„ ergò terribilem ſententiam conſiderante
„ pio Imperio noſtro, quanquàm & ante hoc
„ ex multis audivimus hujuſcemodi jurgiũ,
„ conſilium nobiſcum conſiliati ſumus, quid-
„ nàm deberet fieri? Et deliberavimus in
„ conſilio noſtro, quòd cùm ordinatus foret
„ Patriarcha, quæ dicta fuerant, mox perci-
„ perent finem. *Hæc Imperatores*.

1055 Itaque funerato Paulo, ad electionem ſucceſſoris deventum eſt, & univerſo conſentiente populo & acclamante, ſelectus eſt Tharaſius, qui erat Principibus à Secretis, vir eximiæ eruditionis, & fidei orthodoxæ profeſſor, licèt ex Laico, immò & ipſo renitente; cujus electionẽ ſic deſcribit Theophanes, inquiens: „ Hoc quoque Anno V.,
„ ſcilicèt Irenæ & Conſtantini Imperatorum,
„ collecto omni populo apud Magnauram,
„ ipſa Irena dixit ad eos: *Scitis, fratres, quid*
„ *fecerit Paulus Patriarcha; ſiquidèm ſi vixiſ-*
„ *ſet, non hùc utique pateremur dimittere Sa-*
„ *cerdotii Thronum, licèt monaſticum induerit*
„ *habitum. Quia verò, ſicut Deo placuit, de*
„ *hac vita migravit qui poſſet paſcere nos, pro-*
„ *videamus hominem, qui Eccleſiam Dei di-*
„ *daſcalis poſſit ſervare ſermonibus*. Qui uni-
„ verſaliter dixerunt, non fore alium, niſi
„ Tharaſium à Secretis. At illa: *Et nos*, in-
„ quit, *ipſum eligimus*, ſed reſultat, & dicit:
„ *pro ſua cauſa non ſuſcipit electionem Imperii*
„ *& totius plebis*. Hæc Theophanes.

1056 Sed & ipſi Imperatores in antefata Sacra de ejuſdem Tharaſii electione ſubjungunt: „ Accerſentes ergò Viros Eccleſiaſti-
„ corum negotiorum expertos, & Chriſtum
„ Deum noſtrum invocantes, & conſilium
„ cum eis facientes, quiſnam dignus eſſet
„ provehi ad Sacerdotii Cathedram hujus
„ Deo conſervandę Regię Civitatis, & unius
„ conſilii animique omnibus factis, in Tha-
„ raſium, qui nunc in Pontificali præſidet
„ dignitate, dabatur decretum. Hunc ita-
„ que advocantes, ea quæ dicta ſunt, & de-
„ creta ſuper eo, pronunciavimus; qui ne-
„ quaquam annuere voluit, neque conſen-
„ ſum his quæ decreta fuerant, effici poſtu-
„ labat. Cùmq; nos eum, quamobrèm obe-
„ dire minimè pateretur, percunctati fuiſſe-
„ mus; primò quidèm reſpondit, excuſans
„ ſe, & ſuper ſe jugum Sacerdotii, dicens:
„ Nos autem intelligentes, quòd excuſatio-
„ nem quandam faceret, proponens non obe-
„ diendum, nequaquam ab eo, ſed perman-
„ ſimus perſuadere illi conantes, quòd ſu-
„ ſciperet Summi Sacerdotii dignitatem.
Hæc ibi; ubi & ſubjungitur & excuſationis ratio ab eo allegata, quæ copioſiùs continetur in ipſius Apologetico habito ad univerſum populum, dùm, ut antefati ſumus, ipſius electio à Principibus, eo præſente, denunciata eſt univerſo populo, qui quidèm Apologeticus ſic ſe habet.

Apologeticus ad Populum à Tharaſio à Secretis compendioſè dictus die, qua intimaverunt imperantes Irene & Conſtantinus populis, ut fieret Patriarcha, qui & promotus eſt Indictione VIII. *Anno à creatione Mundi* 6293.

1057 „ Immaculatæ fidei noſtræ, ideſt,
„ Chriſtianorum cuſtodes, & eorum, quæ in
„ gloriam Dei fiunt æmulatores, fideles Im-
„ peratores noſtri, tanquàm omnium in bene-
„ placitum ejus, & in commodum noſtrum,
„ chriſtianorum, videlicèt curam facientes,
„ & maximè nunc Eccleſiaſtica negotia dili-
„ genter & ſollicitè conſiderantes, quò Sum-
„ mus Sacerdos in hac Regia Urbe ſua con-
„ ſtitueretur, in ſuæ pietatis animum me aſ-
„ ſumpſerunt, & ut manifeſtum mihi redde-
„ retur quod conſiliati ſunt, præceperunt.
„ Cùm ego hoc me indignum eſſe pronuntia-
„ rem, & nullam condeſcenſionem facerem
„ (utpotè qui jugum hujus ſarcinæ portare
„ & ſufferre non poſſem) juſſerunt me addu-
„ ci ante faciem veſtram, pro eo quòd & hu-
„ jus conſilii participes effecti ſitis; & nunc
„ Viri Dominum timentes, & eum ſemper in
„ cordibus veſtris habentes, vos ajo, qui
„ Chriſti vocatione, veri videlicèt Dei noſtri,
no-

„ nominamini chriſtiani, audite brevis ſermonis ab exiguitate ac humilitate noſtra „ rationem.

1058 „ Ego quidèm quidquid piiſſimis „ Imperatoribus noſtris, & per omnia orthodoxis reſponderim, etiam in conſpectu veſtro rationis meę Apologiâ reſpondeo. Timore deprimor ad conſentiendum huic electioni, & revereor à facie Dei currere taliter & quomodolibet incircumſpectè, ut non terribili damnationi ſuccumbam. Si enim Paulus divinus Apoſtolus, qui Dei voces audivit, Cœlumque habuit correptorem, & Paradiſi inſpector effectus eſt, audivitque arcana verba, & portavit nomen Dei in conſpectu nationum & Regum, Corinthiis ſcribens, dicebat: *Nè fortè cum aliis prædicaverim, ipſe reprobus efficiar*; quomodò ego, qui in Mundo converſatus, & cum Laicis connumeratus, Imperatoriis miniſtrationibus militavi, ſic abſque dijudicatione atque circumſpectione poſſum inſilire ad Sacerdotii magnitudinem? Horrendum conamen ad exiguitatem meam & temerarium ſtudium: Cauſa verò timoris & meæ refutationis hæc eſt.

1058 „ Aſpicio enim & video Eccleſiam, quę ſuper petram Chriſtum Deum noſtrum fundata eſt, ſciſſam nunc & diviſam, & nos aliàs atque aliter loquentes, & aliter eos chriſtianos, qui in Oriente unius nobiſcum ſunt fidei; ſed & his concordantes Occidentales, & nos ab omnibus illis alienatos, & à ſe per ſingulos dies anathematizatos habere. Dira pœna eſt anathema, procùl à Deo emittit, & è Regno Cœlorum perſequitur, & ducit in tenebras exteriores. Neſcit Eccleſiæ lex, vel terminus ſectam ſivè contentionem; ſed ſicut novit confiteri unum Baptiſma, unam Fidem, ita & concordiam unam in omni Eccleſiaſtico negotio. Nihil enim eſt in conſpectu Dei tàm acceptum atque placabile, quàm ut unum ſimus, & una efficiamur Eccleſia catholica, quemadmodùm in ſyncerę noſtrę fidei Symbolo confitemur.

1059 „ Et petimus nos, fratres, ut reor, & vos, quoniam ſcio vos timorem Dei habere, à piiſſimis, & orthodoxis Imperatoribus noſtris Synodum univerſalem colligi, ut efficiamur nos, qui unius Dei ſumus, unum; Et qui Trinitatis cultores exiſtimus, uniti & unanimes, & collegæ, & qui capitis noſtri Chriſti ſumus, efficiamur corpus unum, compactum atque connexum: Et qui Sancti Spiritus ſumus, efficiamur non contra invicem, ſed pro invicem; & qui veritatis exiſtimus, efficiamur idipſum ſapientes atque dicentes, & non ſit in nobis certamen ſive diſſenſio, ut pax Dei, quæ exuperat omnem ſenſum, muniat omnes nos; & ſi quidèm juſſerint orthodoxiæ propugnatores, Imperatores videlicèt noſtri, poſtulationi meæ juſtæ annuere, conſentio, & ego, & juſſionem eorum implebo: Sin autem, impoſſibile mihi eſt hoc facere, nè ſubiiciar anathemati, & inveniar condemnatus in die Domini noſtri, & juſti Judicis, ubi neque Imperatores, neque Sacerdotes, neque Principes, neque hominum multitudo poterit eripere me, & quidquid placuerit vobis, fratres, date Apologiæ meæ, imò verò petitioni meæ reſponſum. *Hactenus Apologia*.

1060 Subjungit ad hæc Theophanes, qui integram ejuſmodi Apologiam recenſet: „ Et libenter audierunt omnes quæ dicta ſunt, conſenſum præbentes, ut fieret Synodus. Quidam autem perpauci ex inſipientibus differebant. At verò Tharaſius, rursùm ad populum diſputans, reſpondebat: quia Dominus Leo Imperator ſubvertit Imagines; & quando Synodus facta eſt, ſubverſas illas invenit; & quòd propter Imperatoriam manum ſubverſæ ſunt, iterũ quæſtionem habet idem Capitulum; quoniam antiquam conſuetudinem in Eccleſia traditam præſumpſerunt, ſicut eis libitum fuit, exterminare, ſed veritas Dei (ut Apoſtolicè dicamus) non eſt alligata. *Hæc ille*. Idemque & totidèm verbis Anaſtaſius, qui eandem Apologiam à ſe translatam recenſet in præambulis ſeptimæ Synodi.

1061 Itaque his pręhabitis, & acceptâ ſponſione de Generali celebranda Synodo, conſenſum ſuæ præbuit electioni, & paſſus eſt conſecrari, & VIII. Kalendas Januarii, ipſius octavæ Indictionis conſecratus eſt, prout idem Theophanes adnotat. Erat autem Tharaſius ex Patritio ortus genere, proinde nobilitate clarus, Patre Georgio, Urbanam Præfecturam magnâ gloriâ adminiſtrante, matre verò dictâ Eucratia, æquè pietate conſpicuâ: Ipſe verò moribus, & virtute clariſſimus auctus Conſulari dignitate ob eruditionem inſignem, ad ſecreta curanda adſcitus fuerat ab Imperatore, ut ex Ignatio refert Baronius, undè etſi ex Laico, digniſſimus tamen fuit, & quovis tunc temporis dignior, ut in Epiſcopalem Thronum eveheretur. Scripſit poſt ſuam conſecrationem, antiquo reaſſumpto more, Synodicam Epiſtolam ad Hadrianum Romanum Pontificem, atque etiam & aliam ad Patriarchas Antiochiæ, & Alexandriæ. Quam verò ſcripſit ad Hadrianum non extat, liquet tamen ex Hadriani datâ ad eum reſponſione, recitatâ Actione II. Septimæ Synodi, ad hunc modum ſe habente.

Dilecto fratri Tharaſio Patriarchæ, Hadrianus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei.

1062 „ Paſtoralibus curis, quibus convenit nos paſcere populum Dei, & ſubtiliſſimis cogitationibus perpendentes, quemadmodùm prædicationis vox ſana à præcone in omni tempore debeat prædicari, & qualis in converſatione debeat eſſe, ut omnibus proximus compaſſione fiat, & cunctis converſatione inſignis; quatenùs & per piam miſerationem ad ſe omnium infirmitates transferat, & ipſe per ſummum reſpectum ſui ad Divina trāſcendat, conſideravimus veſtræ dilectæ ſanctitati ſacrâ affari concordiâ, & ſubtiliter verbum manifeſtare.

1063 „ In Synodicis confeſſionis veſtræ fidei, quæ Apoſtolicæ Sedi noſtræ directa ſunt per Leonem Reverendiſſimum Præſbyterum veſtrum, invenimus in eis in initio primæ paginæ Reverentiam veſtram ex Laico ordine, & Imperatoriâ adminiſtratione ad ſacrati gradus ſublimatam eſſe faſtigium: Et vehementer in his anima noſtra mirata eſt. Et miſi veſtram ſynceram, & orthodoxam fidem in prædictis Synodicis ſacri Symboli ſecundùm ritum ſanctarum ſex univerſalium Synodorum, & de venerabilibus Imaginibus benè ſe inveniſſemus habere, nullatenùs auderemus hujuſmodi obaudire Synodica. Sed quantùm cor noſtrum triſtabatur de inepta veteri ex nobis diſtantia, tantò confeſſionem & rectam fidem veſtram anima noſtra inveniens lætata eſt.

1064 „ Invenimus autem in prędicta Synodica Epiſtola Sanctitatis veſtræ, poſt plenitudinem fidei, & confeſſionem ſacri Symboli, & omnium ſanctarum ſex Synodorum, & de ſacris ac venerabilibus ſex characteribus miraculum laude ac veneratione digniſſimum contineri: Quia & eaſdem ſanctas ſex Synodos ſuſcipio cum omnibus regulis, quæ jure ac divinitùs ab ipſis promulgatæ ſunt; inter quas continetur: In quibuſdam venerabilium Imaginum picturis Agnus digito Præcurſoris demonſtratus exaratur, qui in figuram præteriit gratiæ, verum nobis per legem præoſtendens Agnum Chriſtum Dominum noſtrum. Ergò veteres figuras & umbras, ut veritatis indicia & præſagia, Eccleſiæ traditas amplectentes, gratiam præferimus & veritatem, hanc ut plenitudinem legis ſuſcipientes. Ut ergò perfectio etiam per colorum operationes in cunctorum vultibus depingatur Agni Chriſti Dei noſtri, qui tulit peccatum Mundi, ſecundùm humanitatem characterem & imaginem hominis pro veteri Agno pingi definimus, per ipſum Dei Verbi humilitatis celſitudinem conſiderantes, & ad memoriam in carne converſationis, tàm ſcilicèt paſſionem ejus, quàm ſalutarem mortem atque redemptionem, quæ hinc eſt Mundo effecta, manu quodammodò reducentes.

1065 „ Hoc teſtimonium orthodoxę fidei malignorum curioſitatem & hæreticorum garrulitatem veſtrum repulit fraternum Sacerdotium; quemadmodùm & eorum maligna ſollicitudo non eſt à nobis, neque à gratia divina recepta, ſed inſtabilis in hujuſmodi reputata. Siquidèm nobis ſuccinctis lumbis mentis noſtræ, confitetur etiam Catholica & Apoſtolica Romana Eccleſia, conſonans & concordans adversùs hæreticorum amentiam, à quibus etiam impugnata taliter diſpoſuiſſe oſtenditur. Quia ergò ſanctas Imagines Chriſti Dei noſtri, qui ſecundùm nos & pro nobis, & propter nos incarnatus eſt juxtà humanum characterem, atque Sanctæ intemeratæ & reverà Dei Genitricis, necnon & Sanctorum ejus, veſtra dilecta Sanctitas colere atque adorare ſollicita eſt, idcircò ejus orthodoxum propoſitum, ſi quemadmodùm cœpit, perſeveraverit, modis omnibus collaudamus, & ut paſtoralis curæ ſollicitudinem habentes, conſilium damus, ut orthodoxam fidem, quam ſemèl confeſſa eſt, immutabilem ſervet prædicando pariter & docendo: *Fundamentum enim aliud poteſt ponere nemo, propter id quod poſitum eſt, quod eſt Dominus Jeſus*. Ergò quiſquis dilectionis Dei & proximi ac fidei, quæ in ipſo eſt, firmamentum tenet, eundem Jeſum Chriſtum Dei & hominis Filium apud ſe poſuit fundamentum.

1066 „ Confitendum eſt enim, quòd ubi Chriſtus fundamentum eſt, bonorum etiam operum ſequatur ædificium. Ipſa verò per ſe veritas dicit: *Qui non intrat per oſtium in ovile ovium, ſed intrat aliunde, ille fur eſt & latro. Qui autem intrat per oſtium, paſtor eſt ovium*. Unde rursùs idem ſalvator ait: *Ego ſum oſtium*. Ille ergo ad ovile intrat per oſtium, qui intrat per Chriſtum. Ipſe autem per Chriſtum intrat, qui de eodem conditore & liberatore humani generis veritatem intelligens prædicat & cuſtodit, culmen regiminis ad officium portandi oneris ſuſcipit, non appetitum gloriæ tranſitorii honoris: Curæ quoque ſuſcepti ovilis ſolerter invigilat, ne oves Dei aut perverſi homines prava loquentes dilanient, aut maligni Spiritus oblectamenta vitiorum ſuadentes devaſtent. Certè Beatum Jacob, qui pro uxoribus diu ſervierat, dixiſſe meminimus; *Viginti annis fui tecum, oves tuæ & capræ ſteriles non fuerunt: arietes gregis tui non comedi, nec captum à beſtia oſtendi tibi. Ego damnum omne reddebam: quidquid furto perierat, à me exigebas.*

„ *bas*. *Die noctuque æſtu urebar & gelu: fugiebat ſomnus ab oculis meis*. Si igitur ſic laborat & vigilat qui paſcit oves Laban, quanto labori, quantiſque vigiliis debet intendere, qui paſcit oves Dei? Sed in his omnibus ipſe vos inſtruat, qui propter nos homo factus eſt, & qui dignatus eſt fieri quod fecit, ipſe & charitatem Sancti Spiritus ſui ac amorem infundat in vos, & ab omni cura conſervet, & oculos veſtræ mentis aperiat; ut per curſum & agonem atque ſolicitudinem veſtræ dilectionis, Apoſtolicam noſtram imitantis priſcæ orthodoxæ fidei traditionem, in partibus piorum Imperatorum noſtrorum Sacræ ac venerabiles Iconæ ſecundùm antiquum ordinem ſiſtant: quatenus veſtrum per hoc ſtabile permaneat Sacerdotium.

1067 „ Porrò poſt confeſſionem fidei veſtræ, notum factum eſt nobis, quòd veſtra venerabilis Sanctitas poſtulaverit ab Orthodoxis & Zelatoribus & Propugnatoribus veritatis, piiſſimis videlicèt Imperatoribus noſtris, qui ad gloriam Dei facti ſunt, quò fieret univerſalis Synodus, & repromiſerint coram omni Chriſtiano populo ſuo ſupplicationi veſtræ piè annuentes, Synodumque in Regia Urbe fieri definientes. Nos autem quemadmodùm & in ipſorum diva continebatur juſſione, dilectos nobis & approbatos, atque prudentes Sacerdotes pro ſtatu Sacrarum Imaginum, ut priſco illis in partibus ordine conſtituantur, cum magno deſiderio & maximo gaudio deſtinavimus. Sed veſtra Sanctitas jiſdem piiſſimis Imperatoribus & triumphatoribus alacriter ſuggerat, ut in primis pſeudoſyllogus ille, qui ſinè Apoſtolica Sede inordinatè & Aſyllogiſticè factus eſt adversùs venerabilium Patrum traditionem, contrà Divinas Imagines anathematizetur præſentibus Apocryſariis noſtris, & omne Zizanium eradicetur ab Eccleſia, & Domini Noſtri Jeſu Chriſti ſermo adimpleatur: *Quia portæ inferi non prævalebunt adversùs eam*. Et rursùs. *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam; & tibi dabo claves Regni Cœlorum. Et quæcumquæ ligaveris ſuper terram erunt ligata & in Cœlis: & quæcumque ſolveris ſuper terram, erunt ſoluta & in Cœlis*. Cujus Sedes in omnem terrarum Orbem primatum tenens refulget, & caput omnium Eccleſiarum Dei conſiſtit. Unde idem Beatus Petrus Apoſtolus Domini præcepto paſcens Eccleſiam, nihil diſſolutum dimiſit, ſed tenuit ſemper & retinet principatum.

1068 „ Cui ſi adhærere cupit veſtra Sanctitas, & noſtræ Apoſtolicæ Sedis, quæ eſt caput omnium Eccleſiarum Dei, Sacram & Orthodoxam formam incorruptè atque incontaminatè ex profundo cordis & ſynceritate mentis cuſtodire ſtudet, & revera orthodoxa & Dei cultrix conſiſtens, hoc primùm omnipotenti Deo offerat Sacrificium, ut ex perſona noſtra prædictorum piiſſimorum & à Deo coronatorum magnorum Imperatorum noſtrorum ſublimia veſtigia obſecret, & ut in conſpectu Dei per terribile illos adjuret judicium, ut Sacras Imagines in ipſa à Deo conſervanda & Regia Urbe, & in omni loco in antiquum ſtatum reſtituere & ſtabilire jubeant, conſervantes traditionem hujus Sacræ ac Sanctiſſimæ noſtræ Romanæ Eccleſiæ, & perſequentes ac abominantes malignorum & hæreticorum errorem per certamen veſtrum & fidelem ſolicitudinem. Si autem Sacras ac venerabiles Imagines illis in partibus non reſtituerint, conſecrationem veſtram recipere non audemus: & maximè ſi ſectatus fueris eos, qui non crèdunt veritati.

1069 „ Quapropter cum ſummo labore ac amore fidei, atque agone, in his omnibus indubitanter veſtram venerabiliſſimam ſanctitatem convenit Sacras Imagines Domini & Salvatoris Noſtri Jeſu Chriſti, & Sanctæ ipſius Genitricis, ſemperque Virginis Mariæ, ſeu Sanctorum Apoſtolorum Prophetarum atque Martyrum, ſimulque & Confeſſorum, illis in partibus in antiquo erigere ſtatu: quatenus uno conſenſu dignè Propheticum canamus canticum, dicentes: *Domine ſalvos fac piiſſimos reges. Et exaudi nos in die qua invocaverimus te: Quia dilexerunt decorem domus tuæ, & locum tabernaculi gloriæ tuæ*.

1070 „ Dilectos autem noſtros, Petrum ſcilicèt Archipresbyterum Sanctæ noſtræ Romanæ Eccleſiæ, & Petrum Monachum & Presbyterum atque Abbatem, qui miſſi ſunt à nobis ad veſtigia tranquilliſſimorum & piorum Imperatorum, rogamus propter amorem Sancti Petri Apoſtolorum Principis, & propter nos, omni benigna ſuſceptione ac humanitate dignos apud vos judicandos pariter & habendos; quatenus & in hoc magnas referre gratias valeamus. Deus omnipotens dilectionem veſtram, ſi ſtabiliter permanſerit, conſervare annuat, & fructum qui tibi creditus eſt, ſuper menſuram abundantiæ faciat abundare, atque in ſempiterna tranſire gaudia jubeat. Deus te incolumem ſervet, dilectiſſime frater.

„ *Hactenus Epiſtola Hadriani*.

1071 Sed & fidei ejus profeſſio quænam fuerit, & quibus verbis concepta, cùm, ut præfati ſumus, non extent Tharaſii literæ ad Hadrianum datæ, colligere erit ex alia Epiſtola ejuſdem, datâ ad Patriarchas Antiochenum & Alexandrinum pariter ſynodicâ, atque ejuſdem argumenti, ad hunc modum ſe habente.

Exem-

Exemplar literarum quæ miſſæ ſunt ad ſummos Sacerdotes Antiochiæ, Alexandriæ & Sanctæ Civitatis à Tharaſio Beatiſſimo Patriarcha Conſtantinopoleos.

1072 „ Multâ & magnâ providentiâ Dominus Deus hominum vitas regens & protrahens, atque proventum vitæ uniuscujuſque conſultè deducens (ſinè ipſo namque factum eſt nihil, quia & capilli capitis noſtri numerati ſunt ei) & me in Laicorum ordine uſque nunc connumeratum, & imperialibus miniſteriis deputatum, neſcio quibus judiciis (ipſe ſcit) in Cathedram Pontificalem evexit, hortatu valido à veritatis propugnatoribus piiſſimis videlicèt ac Orthodoxis Imperatoribus noſtris, atque Sanctiſſimis Epiſcopis, ſeu Clericis, in me violenter effecto: cui ſuccumbens annui & obedientiæ fructum his carpendum commiſi. Et rogo vos Sacratiſſimos, ut tanquam Patres me puſillanimem baculo potentiæ, ideſt, paternis veſtris magiſteriis fulciatis, & veluti fratres puris orationibus veſtris nos cum armatura Dei contrà verſutias antiqui hoſtis adjuvetis, atque fluctibus invicem ſurgentibus vacillantem gubernetis, quatenus pertingam ad portum voluntatis Chriſti Dei noſtri. Eſt enim prorsùs apud nos prælium ſinè ferro, dum ſermones jaciant & jaciantur. Sed triumphale habemus trophæum, veritatem quæ non vincitur. Deinde quoque & procellis vehementibus inſpirantibus, in auxilium vobis aſſumptis, harum pauxillum quid ſufferentes æſtum, Chriſtum has increpantem inveniemus, & vitam tranquillè per omnia tranſigemus.

1073 „ Et his quidem ſufficienter in præfatione noſtra præmiſſis, in cæteris evidenter horum cognitio denuntiabitur. Nunc autem ad aliam intentionem dicendo progredior. Quia enim priſca quædam, & ut veriùs fateamur, Apoſtolica traditio in omnibus Eccleſiis inolevit, ut hi, qui ad pontificium provehuntur, præcedentibus ſe in eodem ordine, qualiter ſe habeant, quæ ſuę fidei ſunt, exponendo commendent: viſum eſt & mihi hoc ſectanti, me vobis inclinare, & liquidò confeſſionem pronuntiare, quemadmodùm à tubis Sancti Spiritus (quarum ſonus in omnem terram exivit, & in fines terræ verba) & ab earum alumnis, atque aſſeclis, Sacratiſſimis videlicè Patribus noſtris educatus, ex ipſis mollibus ungulis didici.

1074 „ Credo in unum Deum Patrem omnipotentem, & in unum Dominum Jeſum Chriſtum FiliumDei & Deum noſtrum, natum ex Patre ſinè tempore coæternum: Et in Spiritum Sanctum Dominum & vivificantem, ex Patre per Filium procedentem, & eundem Deum eſſe & cognoſci. Trinitatem unius ſubſtantiæ, unius honoris & ſedis, ſempiternam & increatam, omnium Creaturarum conditricem: unum Principium, unam Deitatem & dominationem, unum imperium, potentatum & poteſtatem in tribus ſubſiſtentiis, individuè quidem diviſam, & diviſè unitam; non ex imperfectis tribus unum aliquid perfectum: ſed ex tribus perfectis unum ſuperperfectum & pluſquam perfectum, uti magnus locutus eſt Dionyſius. Itaque ſecundùm proprietatem perſonarum tria quidem adoranda; at verò ſecundùm communem naturæ rationem unus Deus omnium factor viſibilium & inviſibilium, omnium proviſor.

1075 „ Confiteor autem factam propter ſalutem noſtram in noviſſimis diebus ſecundùm carnem nativitatem unius Sanctæ Trinitatis, Filii ſcilicèt Dei & Domini Noſtri Jeſu Chriſti, ex veraciter Sancta Dei Genitrice, ſemperque Virgine Maria: conſubſtantialem quidem factum nobis modis omnibus abſque peccato, non autem deſinentem eſſe quod erat; ſed duabus naturis inconfusè manentibus, unà cum conſiſtentibus in ſe duabus voluntatibus & operationibus: Crucifixum pro nobis carne, & ſepultum, & reſurrexiſſe, in Cœloſque aſcendiſſe, & venturum judicare vivos & mortuos. Inſuper ſpero reſurrectionem mortuorum, & ſingulorum geſtorum æternam redditionem bonorum ſcilicèt, & his contrariorum.

1076 „ Expetens etiam interceſſiones Sanctiſſimæ & intemeratæ Dominæ noſtræ Dei Genitricis & ſemper Virginis Mariæ, Sanctorumque Angelorum, & Sanctorum & Glorioſiſſimorum Apoſtolorum, Prophetarum, Martyrum, Confeſſorum, & Doctorum: ſalutans & venerabiles Iconas eorum & omnem hæreticam abominans contentionem, nec non & eorum Doctores atque primores, Simonem videlicèt, Marcionem, Manetem, Paulum quoque Samoſatenum, & Sabellium Lybium, eorumque dogmata nefaria.

1077 „ Recipio etiam Sanctas & univerſales ſex Synodos, & earum Divina dogmata pariter & doctrinas, tanquam quæ Divina inſpiratione nobis tradita fuerint. Et cum prima quidem homouſion & unà cum Patre ſinè initio Filium eſſe credens, anathematizo impium Arium, Aetium, Eunomium, Eudoxium, & Demophilum: poſt hos & eos, qui jure dicuntur diſſimiles Semiariani, atque omnem coinquinatam eorum catervam. Cum ſecunda verò Deum eſſe Spiritùm Sanctum & vivificatorem confitens, abjicio Macedonium & omnes qui unius cum illo ſunt ſenſus, cum his autem & Deó peroſum Apollinarium, qui inſenſatè deſipuit. Cum tertia autem unum Domi-

mi-

„ minum Jeſum Chriſtum verum Deum no-
„ ſtrum ex Patre genitum, eundemque in no-
„ viſſimis diebus propter ſalutem noſtram in-
„ carnatum ex Sancta Dei Genitrice, ſem-
„ perque Virgine Maria, prædicans, homi-
„ nis cultorem Neſtorium, & bigam quæ circa
„ ipſum eſt, Diodorum ajo ac Theodorum,
„ nec non & eorum prodigioſam fabulam præ-
„ dicantes, & in Chriſto perſonalem dualita-
„ tem formantes, procul à confeſſione mea
„ repello.

1078 „ Præterea cum quarta, ex duabus
„ naturis & in duabus naturis, unum Sanctæ
„ Trinitatis Chriſtum Deum Noſtrum carne
„ veniſſe ſentiens, anathematizo Eutyche-
„ tem, Dioſcorum, & totam ipſorum ſinè ca-
„ pite multitudinem, unà cum Divinitus ful-
„ minando Severo, & infando Juliano Hali-
„ carnaſsèo, qui fabuloſè Dominum noſtrum
„ incorruptum corpus ſuſcepiſſe perhibuit.
„ Denique in quinta, quæ ſicut Machæra ſpi-
„ ritus in ſuperficie quodammodo ex priori-
„ bus temporibus navigantes iniquas reſcidit
„ hæreſes, & inventores patefecit earum, Ori-
„ genem videlicèt, & Didymum, & Evagrium;
„ ita & ego has, utpotè portentoſas hæreti-
„ corum fabulationes repello. Porrò per ſex-
„ tam ſicut ex duabus naturis Chriſtum, ex
„ quibus & eſt, olim eſſe didiceram; ita &
„ duas naturales voluntates & operationes
„ ejus in utraque natura credidi, humana ſci-
„ licèt & Divina. Submittoque anathemati
„ Cyrum, Sergium, Honorium, Pyrrhum,
„ Paulum, & omnes confectatores eorum: dog-
„ ma quoque ipſorum, ut ſodomiticam vitem,
„ & Gomorrhiticam propaginem, amaritu-
„ dinis botryonem habentes, odivi. Ipſius
„ autem Sanctæ ſextæ Synodi cum omnibus
„ dogmatibus, quę legaliter ac Divinitus ab
„ ea promulgata ſunt, etiam depromptos Ca-
„ nones recipio; in quibus refertur. In qui-
„ buſdam venerabilium Imaginum picturis ag-
„ nus digito Præcurſoris exaratur oſtenſus,
„ qui in figura præceſſit gratiæ, verum nobis
„ per legem demonſtrans agnum, Chriſtum
„ videlicèt Dominum Noſtrum. Veteres er-
„ go figuras & umbras, utpotè veritatis indi-
„ cia, & pręcedentes Characteres Eccleſię tra-
„ ditos ſalutantes, gratiam honore præferi-
„ mus, & veritatem hanc ut legis plenitudi-
„ nem admittentes.

1079 „ Ut ergo perfectio etiam per co-
„ lorum operationes in omnium vultibus de-
„ pingatur, Characterem Agni Dei noſtri
„ Chriſti, qui tollit peccata mundi, ſecun-
„ dùm humanitatem etiam in Iconis ex hoc
„ pro veteri agno definimus depingi: per eum
„ videlicèt celſitudinem humilitatis Dei Ver-
„ bi conſiderantes, & ad memoriam conver-
„ ſationis, quam in carne geſſit, paſſionis
„ quoque ac ſalutaris mortis ejus adducti, at-
„ que redemptionis quæ hinc eſt Mundo effe-
„ cta. Superfluas autem tumultuationes &
„ garrulitates poſt hæc inconſultè promulga-
„ tas, ut apud vos minimè receptas, neque
„ per Divinam gratiam dictas, irritas æſtima-
„ mus: & Ave iſtis dicentes, fugaceſque fa-
„ cturi, accingimus lumbos mentis noſtræ in
„ veritate, & ſuſcitamur unà cum piis & fide-
„ libus Imperatoribus noſtris, propugnato-
„ ribus, videlicèt veritatis, ad unitatem San-
„ ctæ Dei Eccleſiæ: à quibus & Synodum
„ univerſalem petivimus in præſentia totius
„ eorum Deo amabilis populi: & poſtulationi
„ noſtræ piè annuerunt.

1080 „ Unde vos qui ſuperædificati eſtis
„ ſuper fundamentum Apoſtolorum & Pro-
„ phetarum, ipſum videlicèt ſummum & an-
„ gularem lapidem Chriſtum Jeſum, quem-
„ admodùm in præcedentibus dictum eſt, con-
„ certatores & conſectatores ac auxiliatores
„ ſumentes, confidentiam talem habemus ad
„ Dominum: non quòd ſufficientes ſumus co-
„ gitare aliquid à nobis quaſi à nobis, ſed ſuf-
„ ficientia noſtra ex Deo eſt; quia diſrupta
„ membra & diſciſſa in unum corpus compa-
„ ctum & connexum creſcere faciat, in qui-
„ bus caput eſt Chriſtus: & ultra jam non
„ erunt diſperſa.

1081 „ De cætero rogamus ſanctitatem
„ veſtram uſque ad duos Vicarios loci ſerva-
„ tores mittere cum Deiloqua Epiſtola ſua;
„ & quidquid ſibi fuerit divinitus ſuper hoc
„ negotio revelatum, nobis facere manifeſtum;
„ ut ſecundùm quod debitum eſt, tam loci
„ ſervatores, quàm literæ veſtræ ſynodicæ ſi-
„ vè ad loquendum, ſivè ad legendum in om-
„ nibus inveniantur, quatenus per hoc quæ
„ ſciſſa ſunt, uniantur. Id ipſum enim & à
„ Præſule Senioris Romæ petivimus, & rogo
„ vos fraternè, Apoſtolicam vocem vobis pro-
„ nuntians, tanquam Deo exhortante per
„ nos; omnia perſcrutantes ſecundùm Con-
„ ſilium veſtrum, quod in Deo patefacite no-
„ bis. Scriptum eſt enim: *Labia Sacerdotum
„ cuſtodient ſcientiam, & legem exquirent ex
„ ore eorum.* Certi enim ſumus, quòd ſemi-
„ na veritatis in vobis ſalva cuſtodiatis. Sed
„ & pii Imperatores noſtri, & per cuncta or-
„ thodoxæ veritatis firmitatem ſectantur, &
„ Domino Deo ſupplicare non ceſſant, ſecun-
„ dùm Gregorium, qui à Theologia cogno-
„ men ſortitus eſt; ut efficiamur nos, qui
„ unius Dei exiſtimus, unum & qui ſumus
„ Trinitatis, uniti & honore pares; atque
„ unanimes in cunctis inveniamur; & qui ſu-
„ mus Sancti Spiritus, non contra invicem,
„ ſed pro invicem ſimus: & qui ſumus verita-
„ tis, id ipſum ſapientes atque dicentes exhi-
„ beamus, & non ſit contentio, vel diſſenſio
„ in nobis: ſed ſicut habemus unum baptiſ-
„ ma, unam fidem, ita & conſonantiam unam
„ in omni Eccleſiaſtico negotio. Et pax Dei,
„ quæ exuperat omnem ſenſum, in unum nos
„ conducat, & diviſa uniat, atque diutur-
„ num vulnus ſanet, & incolumitate fidei in-
te-

„ tegros ſervet, & in vera confeſſione atque
„ concordia ſtabiliat omnes, uniatque San-
„ ctam Eccleſiam ſuam, & compeſcat ſcanda-
„ la, quæ ſuperjacent ei, interceſſionibus inte-
„ meratæ Dominæ noſtræ Dei Genitricis &
„ omnium Sanctorum fiat, Amen. *Hactenus*
„ *ſynodica Tharaſii data ad Patriarchas*.

1082 Similes ergo accepiſſe Hadrianum, quibus ſuprarecenſitam dediſſe reſponſionem, teſtantur Apoſtolicæ Sedis Legati, Petrus Presbyter Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, & alter Petrus Presbyter pariter & Abbas, in ipſa ſeptima Synodo Act. III. ubi relectâ anteſatâ ſynodicâ, dixerunt: *Hujuſmodi literas Sanctiſſimus Papa recepit, & idcircò direxit nos cum reſcriptis, quæ jam lecta ſunt*. Sed quid reſponderunt Orientis Patriarchę videre reſtat. Eorum ergo literæ, in eadem Actione ſeptimæ Synodi pariter relectæ ad hunc modum ſe habuerunt.

Sanctiſſimo ac Beatiſſimo Domino Tharaſio Archiepiſcopo Conſtantinopoleos, & Univerſali Patriarchæ, Orientis ſummi Sacerdotes in Domino ſalutem.

1083 „ Sacratiſſimis & ex Divina Deita-
„ tis inſpiratione libellis Apoſtolicæ ac pater-
„ næ Sanctitatis veſtræ prælectis, ò Beatiſſimi,
„ nos humiles, & eorum qui deſertum inco-
„ lere geſtiunt, ultimi, tremore pariter & gau-
„ dio ſumus detenti. Tremore quidem, pro-
„ pter timorem eorum, quibus ob peccata no-
„ ſtra ſervire decreti ſumus, quique verè ſunt
„ impii, & in circuitu, ſecundùm quod ſcri-
„ ptum eſt, impii ambulant, ac per ſingulos
„ penè dies occaſiones exquirunt, ut nos mor-
„ ti tradant, & perdant: gaudio verò propter
„ veritatem orthodoxæ fidei, quæ fulget in
„ eis ſolarium more radiorum, & luculentiſ-
„ ſimam explanationem Apoſtolicorum dog-
„ matum & paternorum. De quibus aptè ge-
„ nitorem vocis Verbi, ideſt, Prophetarum
„ Zachariam ad memoriam reducentes, ma-
„ gna voce clamamus: *Viſitavit nos oriens ex*
„ *alto*, ſplendidus theorica & Divinâ provi-
„ dentiâ illuſtratæ mentis, in tenebris & in
„ umbra mortis maligni erroris, ideſt, Ara-
„ bicæ impietatis, ſedentes, ad dirigendos
„ intelligibiles pedes noſtros in viam & ſemi-
„ tas paciferæ conſtitutionis. *Quis loquetur*
„ *potentias Domini?* Nobiſcum pſallat David
„ Pater Dei; *aut auditas faciet omnes laudes*
„ *ejus?* Quoniam miſertus eſt Deus deſperati
„ populi ſui, & diſtantia ad unam fidei colle-
„ git harmoniam. *Et erexit cornu ſalutis nobis*,
„ & directionis in domo, & Dominum reci-
„ piente templo Unigeniti Filii ſui, Domini
„ videlicèt Dei ac Salvatoris noſtri Jeſu Chri-
„ ſti: quod eſtis vos Sanctiſſimi, atque hi
„ qui partes ſecundas Eccleſiæ portant per le-
„ gem & ordinem Eccleſiæ noſtræ, triumpha-
„ tores ſcilicèt ac divinitus redimiti ſeu decre-
„ ti Principes noſtri & Domini terrarum Or-
„ bis.

1084 „ Sacerdotii enim Imperii ſanctifi-
„ catio eſt & conſtitutio, & Imperium Sacer-
„ dotii fortitudo & firmamentum: de quibus
„ ſapiens quidam Princeps, & in ſanctis Re-
„ gibus Beatiſſimus ait: *Maximum donum*
„ *Deus hominibus præſtitit*, *Sacerdotium &*
„ *Imperium: illud quidem adornans & regens*
„ *Cæleſtia: hoc verò gubernans legibus juſtis*
„ *terreſtria*. Nunc veraciter medius maceriæ
„ paries ſolutus eſt, & concordia diſcordiæ
„ principatur, & incurvatur unitati diviſio,
„ & fuga lapſa diſparuit diſſonantia: & *pax*
„ *Dei quæ exuperat omnem ſenſum* jucundo
„ vultu triumphat, & fiducialiter converſa-
„ tur. *Nunc nos qui facti fueramus opprobrium*
„ *vicinis, & affinibus noſtris, ſubſannatio &*
„ *deriſio his qui in circuitu noſtro ſunt*, ac per
„ hoc ad terram præ confuſione proſpicientes,
„ ad Cœlos unanimi claritate ſuſpicimus, &
„ pſallentes in exultatione proclamamus: *In*
„ *hoc cognovi quoniam voluiſti me, quia non*
„ *gaudebit inimicus meus ſuper me*. Me autem
„ propter innocentiam & ſimplicitatem erro-
„ ris titubantem ſuſcepiſti, & ſalvum me fa-
„ ciens erexiſti, & ſuper petram Apoſtolicæ
„ fidei claudicantes pedes meos infixiſti.

1085 „ Hæc & his concinnentia ſcibere
„ nos fecerunt divinitus exarata volumina ve-
„ ſtra, quæ canonica moti lege, & paternæ
„ traditionis diſciplina ducti, his qui Apo-
„ ſtolicarum Sedium moderamen ſortiti ſunt,
„ per reverendas & à Deo directas bigas miſi-
„ ſtis: qui pervenientes & per Dei volunta-
„ tem ac nutum occurrentes Dei cultoribus
„ fratribus noſtris, Viris Sanctis, qui dede-
„ runt animas ſuas pro Eccleſiarum correctio-
„ ne: & recogniti ex veteri & antiqua con-
„ verſatione, valdè gaviſi ſunt: & maximè
„ reperientes ambos in uno loco degentes, &
„ modum Deo placitum perſequentes. Et ſeſe
„ revelantes, oſtenderunt ei Orthodoxiæ ve-
„ ſtræ Deo decentes & dignos admiratione Li-
„ bellos, referentes per ordinem Deo placitæ
„ ſanctitatis veſtræ mentem, & pium Deo con-
„ ſervatorum Dominorum noſtrorum conſi-
„ lium, & communis omnium ſalutis expe-
„ ctationem, & circa Deum ſinè confuſione
„ ſpem. At illi quaſi unam animam in duo-
„ bus corporibus habentes, & unum ſecun-
„ dùm Apoſtolum ſapientes, & à Divino exa-
„ gitati ſpiritu, ſecretò pariter & intelligen-
„ ter fratres contegentes & occultantes pro-
„ pter formidinem inimicorum Crucis, quæ
„ hinc inde diſpoſita fuerat, non auſi ſunt,
„ cum eſſent ſapientes, vel credere viſionem
„ ipſorum, vel cauſæ operari decurſum: pręe-
„ ſertim cùm in timore res haberetur, & quàm
„ maximè crebreſcens conſilium & diligens
„ circumſpiciendi tractatus exigeretur. *Con-*
„ *ſilium enim bonum cuſtodiet*, inquit, *te*,
„ *cogitatio verò bona ſervabit te*.

1086

1086 „ Et Ecce dum lateret eos, quos „ ſub tuitione cuſtodiæ poſuerant, cucurre- „ runt uſque ad nos & in idipſum congregan- „ tes ſilenter, humilitatem noſtram, primò „ quidem adjuramento vincientes, nos ſer- „ vare ſecretò ac ſinè propalatione, quæ ab „ eis erant dicenda, & in hunc modum quid- „ quid ad cautelam pertinent exagerantes, „ revelaverunt nobis omnem rei, quæ ſibi ac- „ ciderat, circumſtantiam. Stupefacti au- „ tem & compuncti corde, lacrymiſque per- „ fuſi, ferventibus ſuper hujuſmodi narratio- „ nis miraculo, & inopinatâ gloriâ tantæ re- „ rum mutationis, ſtetimus ad orationem, „ veluti peccatores, cum timore ac tremore, „ & ei qui facit omnia & transfert ad id, quod „ melius eſt, decentem laudem referentes, „ petivimus obnixè benignitatem ejus, quò „ in minimis nobis fieret medius, & per Spi- „ ritum Sanctum illuceſceret lux ſcientiæ in „ cordibus noſtris, atque communis utilita- „ tis conſilii donaret virtutem, cogitationeſ- „ que bonas ad terminationem optimi veſtri „ propoſiti, quod & fecit, cùm eſſet beni- „ gnus atque miſericors.

1087 „ Conſideramus igitur, Sanctiſſi- „ mi, contaminatæ nationis cognoſcentes con- „ trà nos infeſtationem, retinere hos qui miſ- „ ſi ſunt, & prohibere appropiare his, ad „ quos deſtinati ſunt: ducentes hos in me- „ dium noſtrum, & admonentes plurimùm, „ ne inducerent turbationem, imò, ut ſpe- „ cialiùs dicamus, exitium quieſcentibus, „ & Dei gratia pacificatis Eccleſiis, vel po- „ pulo miſerabiliter jugo ſervitutis afflicto, „ & importabilium illatione tributorum op- „ preſſo. At illi hæc moleſtè ferentes, dice- „ bant, quia in hoc deſtinati ſumus, ut tra- „ damus noſtras in mortem animas pro Ec- „ cleſia, & propoſitum Sanctiſſimi Patriar- „ chæ ac piiſſimorum Imperatorum perduca- „ mus in finem. Sed ſi in veſtras tantummodo „ animas, diximus ad eos, cohauriretur pe- „ riculum, haberet fortè ſermo veſter aliquam „ firmitatem. At verò, quia contra commu- „ ne corpus procedit Eccleſiæ, qualis erit „ profectus? Imò qualis non erit læſio, ædi- „ ficium conſtruere ſuper putredinem, & fir- „ mo fundamento privatum? Et quomodo, „ inquiunt, vel qua facie ad eos qui nos mi- „ ſerunt, redibimus, nihil eorum quæ ſecun- „ dùm votum ſuum ſperabant, omninò feren- „ tes? Ad hæc deficientes nos, ſcienteſque „ Deo amabiles fratres noſtros, Joannem ſci- „ licèt & Thomam, Zelo Divino orthodoxæ „ fidei adornatos, atque duorum Sanctorum „ & magnorum Patriarcharum Syncellos, qui „ & ſanctifici ſilentii amatores, diximus ad „ eos: Ecce tempus, fratres, acceptum ſa- „ lutis, & ſilentio excellentius. Ite cum vi- „ ris iſtis, & pro eis Apologiam aſſumite: „ & enarrate viva voce, quæ per literas inti- „ mare Dominis noſtris ſupra vires eſſe conji- „ cimus. Noſtis enim qualiter per puſillam „ accuſationem exul factus ſit à bis millibus „ Signorum ille, qui ad regendum thronum „ fratris Domini ſortitus eſt Jacobi. Cùm „ autem opus Dei adimpleveritis, & Apoſto- „ licam traditionem, quæ tenetur in Eccle- „ ſiis per Ægyptum & Syriam, Dominis no- „ ſtris cognitam feceritis, tunc quod à vo- „ bis deſideratur, ampleċtimini. Et quomo- „ do nos, reſponderunt, idiotæ cum ſimus, „ & inexpertes, & ad tantam cauſam infirmi „ & indocti, præſumemus arripere negotium „ quod virtutem noſtram exuperat? Sed Chri- „ ſtus Deus noſter, qui per viliſſimos & idio- „ tas, è veſtigio diximus, cooperatus eſt, „ Sanctos inquam Apoſtolos, & per eos Or- „ bem terrarum captavit ad obedientiam Ver- „ bi diſpenſationis ſuæ, potens eſt dare vo- „ bis ſermonem in aperitione oris veſtri, ad „ ſupplendum intentionem & ſenſum eorum, „ qui neque literas quiverunt ſuſcipere, ne- „ que auſi ſunt ſcribere, vel ſuper talibus quo- „ libet modo mutire. Qui cùm Dei eſſent „ amatores, obedientiæ filii apparentes, obe- „ dierunt verbo noſtro, & acquieverunt hor- „ tationi: quos cum prolixa promittentes „ oratione, & gaudium non qualecumque „ his qui miſſi ſunt, conciliantes, taliter „ divulſi ſumus ab invicem cum multa lacry- „ marum effuſione.

1088 „ Verùm, ò Sanctiſſimi & Beatiſ- „ ſimi, ut decet paternam Dominationem „ veſtram, benignè fratres noſtros ſuſcipite, „ & Dominis orbis abſque ſubtractione vel „ timore hominum præſentate: habebitis „ enim eos ſcientes liquidò trium Apoſtolica- „ rum Sedium concinentem & concordantem „ orthodoxiam: qui ſanctas & univerſales „ ſex Synodos voce conſona prædicant; aliam „ ad has, quam & ſeptimam quidam ſuſur- „ rando nuncupant, nullatenus admittentes, „ imò modis omnibus reſpuentes, nimirum „ ut dudum in Apoſtolicarum & magiſteria- „ lium traditionum depoſitionem, atque Sa- „ crarum ac venerabilium Imaginum inte- „ remptionem & abolitionem, collectam. „ Vos autem, Sanctiſſimi, Divino illuſtrati „ Zelo, conſentaneos quoque habentes di- „ vinitus conſervandos Dominos, qui juſto „ decreto Dei in vobis imperare prærordinati „ ſunt, ſimul etiam & à Deo protegendum & „ muniendum Senatum, prævalete, & viri- „ liter agite, & confortetur cor veſtrum, om- „ nem inobedientiam apoſtolicè ulciſcentes, „ & ad Chriſti obedientiam coaptantes.

1089 „ Illud autem tanquam neceſſarium „ penès Pontificalem apicem veſtrum com- „ monendum duximus; ut ſi beneplacito „ cunctorum Regis, Chriſti videlicèt Dei no- „ ſtri, & eorum qui cum eo regnare meruc- „ runt, Dei ſcilicèt & amicorum & trium- „ phatorum Dominorum noſtrorum, volue- „ ritis celebrare Synodum: ne moleſta vobis

„ appareat trium Apoſtolicarum Sedium al-
„ morum Patriarcharum, & ſanctiſſimorum
„ Epiſcoporum, qui ſub ipſis degunt, abſen-
„ tiâ, non ex proprio eorum accidens propo-
„ ſito, ſed ex tenentium ſeù dominantium
„ illis terribilibus minis & mortiferis pœnis.
„ Hoc autem eſt ſubtiliùs conſiderandum
„ etiam ab ipſa ſacra & univerſali ſexta Sy-
„ nodo, in qua nullus eorum, qui per idem
„ tempus in his partibus Epiſcopi erant, con-
„ veniſſe repertus eſt propter obſcœnorum
„ obtinentiam: Sed nullum ex hoc ſanctæ
„ adhæſit Synodo præjudicium; neque vires
„ habuit prohibitio aliqua ſtatuendi & mani-
„ feſta faciendi recta dogmata pietatis, præ-
„ cipuè cùm Sanctiſſimus & Apoſtolicus Pa-
„ pa Romanus concordaverit, & in ea inven-
„ tus ſit per Apocriſarios ſuos. Et nunc, San-
„ ctiſſimi, hoc cum auxilio Dei ſimiliter fiat;
„ Nam ſicut tunc illius fides in orbis terræ
„ perſonuit fines, ita & Synodi, quæ nunc
„ per gratiam Dei congreganda eſt per in-
„ terventionem veſtram, & ejus, qui mode-
„ ratur Apoſtolorum Principis Sedem, præ-
„ dicabitur in omni loco qui ſub Sole eſt,
„ videlicèt quæ tyrannicè deſtructa ſunt, eri-
„ gens & in antiquam & Apoſtolicam refor-
„ mans traditionem.

1090 „ Porrò ad munitionem humilium
„ literarum noſtrarum, ſatisfactionemque
„ Beatitudinis Dominationis veſtræ, atque
„ victorum, & triumphatorum Imperatorum
„ noſtrorum, conſpeximus etiam exemplar
„ Synodicorum Theodori ſanctæ memoriæ
„ Patris noſtri & Patriarchæ Hieroſolymo-
„ rum ſubiiciendum his, quæ ſcripta ſunt à
„ nobis. Hunc autem Libellum, ſecundùm
„ ſolitum Eccleſiæ ritum, idem ſanctæ recor-
„ dationis ſcripſit beatis & almi termini
„ ſanctiſſimis Patriarchis, Coſmę ſcilicèt Ale-
„ xandriæ ac Theodoro Antiochiæ Theopo-
„ leos, qui & reciproca Synodica eorum,
„ dùm adhùc viveret, recepiſſe dignoſcitur.
„ Incolumes vos pro nobis orantes Domi-
„ nus conſervet, ſanctiſſimi & divinitùs ho-
„ norati. *Hactenus Epiſtola*. Præfata verò
Synodica Theodori quondàm Epiſcopi Hie-
roſolymitani, quam Orientales huic ſuæ Epi-
ſtolæ ſubnectunt, illa eadem eſt, quam ſuprà
diximus, miſſam quoquè Romam fuiſſe, ac
ſub Stephano Papa in Synodo Romana reci-
tatam & receptam.

CAPUT XXIII.

De ſeptima Synodo, atque in ea damnata Iconoclaſtarum hæreſi, & initâ ſanctarum Eccleſiarum pace.

1091 Defuncto Paulo Patriarcha, ut antefati ſumus, atque Tharaſio, ſub ſponſione à Principibus facta de Synodo Generali cogenda, ut pariter præfati ſumus, conſecrato; tàm Imperatores Irena & Conſtantinus, quàm ipſe Tharaſius mox cœperunt de prælibata œcumenica Synodo congreganda, prout ex ſupra recitatis Tharaſii literis ſatis perſpicuèque liquet. Sed cùm in Generalibus Synodis primas Romanus Pontifex partes teneat, ſinè cujus aſſenſu nullius roboris, firmitatis & auctoritatis ſunt, Irena & Conſtantinus ſuas divales ſacras pro ea Synodo canonicè celebranda ad Hadrianum I. Romanum Pontificem miſerunt, tenoris videlicèt ſequentis.

Divalis ſacra directa à Conſtantino & Irene Auguſtis ad Sanctiſſimum & Beatiſſimum Hadrianum Papam ſenioris Romæ.

1092 „ Qui à Domino noſtro Jeſu Chri-
„ ſto vero Deo noſtro ſuſcipiunt ſivè Imperii
„ dignitatem, ſivè principalis Sacerdotii ho-
„ norem, debent quæ illi placita ſunt & co-
„ gitare & curare, & creditos ſibi ab illo po-
„ pulos ſecundùm ejus voluntatem regere &
„ gubernare. Ergò debitum nobis & vobis,
„ ò Sanctiſſimum Caput, hoc eſt, ut irre-
„ prehenſibiliter quæ ejus ſunt, ſapiamus, &
„ in ſuis verſemur, utpotè ab ipſo nos qui-
„ dèm Imperium, vos verò principalis Sacer-
„ dotum dignitatem ſuſcipientes. Incipimus
„ ergò hinc ſermonem.

1093 „ Scit veſtra paterna Beatitudo
„ quæ pridèm facta ſunt in hac noſtra Regia
„ Civitate propter venerabiles Imagines, qua-
„ liter qui ante nos regnaverunt, eas deſtru-
„ xerunt, & in dehoneſtatem atque injuriam
„ poſuerunt (utinam illis non imputetur,
„ meliùs enim fuerat non mittere manus ſuas
„ in Eccleſiam) & omnem populum, qui hìc
„ eſt, imò Orientalem eodem modo ſeduxe-
„ runt, & in propriam voluntatem retraxe-
„ runt, uſquequò Deus ſuſcitavit nos regna-
„ re in his, qui in veritate quærimus gloriam
„ ejus, & tenère quæ tradita ſunt ab Apoſto-
„ lis ſuis & omnibus Doctoribus. Undè
„ nunc conſtanter cum mundo corde & vero
„ cultu, quæ ad Deum pertinent, unà cum
„ omnibus Subditis noſtris & his Sacerdoti-
„ bus doctiſſimis, locuti ſumus & cum con-
„ ſilio decrevimus, ut fieret univerſale Con-

„ cilium. Et rogamus veſtram paternam Bea-
„ titudinem, imò verò Dominus Deus rogat
„ *qui vult omnes homines ſalvos fieri, & in*
„ *agnitionem veritatis venire*, ut det ſeipſum,
„ & nullam tarditatem faciat, & aſcendat
„ hùc in ſtabilitatem & firmitatem antiquæ
„ traditionis ſuper venerabilibus Imagini-
„ bus; Debitum enim illi eſt hoc facere,
„ agnoſcit verò, quia ſcriptum eſt: *Conſola-*
„ *mini, conſolamini populum meum Sacerdotes,*
„ *dicit Dominus*. Et, *Labia Sacerdotum cu-*
„ *ſtodiunt ſcientiam, & de ore ejus egredietur*
„ *lex, quoniam Angelus Domini Exercituum*
„ *eſt*. Et iterùm divinus & veritatis prædi-
„ cator Apoſtolus, qui ab Hieruſalem & cir-
„ cuitu uſque ad Illyricum prædicavit Evan-
„ gelium, ſic mandavit: *Paſcite gregem Do-*
„ *mini cum diſciplina, quem acquiſivit proprio*
„ *ſanguine*. Et tanquàm verus primus Sacer-
„ dos, & is qui in loco & Sede Sancti & ſu-
„ perlaudabilis Apoſtoli Petri præſidet, ſicut
„ dictum eſt, aſcendat, & ſimùl cum omni-
„ bus Sacerdotibus, qui hìc ſunt, invenia-
„ tur, & voluntas Domini fiat: *Ubi enim*
„ *ſunt duo vel tres congregati in nomine meo*,
„ ſicut evangelicè didicimus, *ibi ſum in me-*
„ *dio eorum*.

1094 „ Certificetur enim & confirmetur
„ à magno Deo & Rege, omniumque Do-
„ mino noſtro Jeſu Chriſto, & à nobis ſervis
„ ejus, quòd aſcendentem veſtram paternam
„ & ſacram Beatitudinem hùc, cum omni ho-
„ nore & gloria habemus & ſuſcipere, & quę
„ opportuna ſunt, impartiri. Et iterùm ex-
„ pleto Capitulo, quod beneplacito Dei
„ Chriſti ſperamus fieri, cum honore & ma-
„ gnitudine pręire illam habemus ad remean-
„ dum ad propria. Si enim non potuerit
„ aſcendere hìc (quod putamus non fieri,
„ ſcimus enim eum ſtudioſum eſſe circa Di-
„ vina) eligat Viros honorabiles habentes
„ ſcientiam, & dirigat unà cum ſyllabis, ut
„ inveniantur ex perſona ſacræ & paternæ
„ veſtrę Beatitudinis hic. Veruntamèn con-
„ venientibus ipſis cum omnibus Sacerdoti-
„ bus, qui hìc ſunt, ſynodicè confirmetur
„ antiqua traditio Sanctorum Patrum no-
„ ſtrorum, & confundatur omne zizanium
„ malè plantatum, & Domini noſtri Salva-
„ toris Jeſu Chriſti verbum impleatur, quo-
„ niàm *portæ Inferi non prævalebunt adversùs*
„ *eam*. Et ex hoc non ſit ſchiſma & ſepara-
„ tio in una ſancta Catholica & Apoſtolica
„ Eccleſia, cujus eſt Caput ipſe Chriſtus ve-
„ rus Deus noſter.

„ 1095 „ Conſtantinum prætereà ſanctiſſi-
„ mum Epiſcopum Leontinum Chriſto ama-
„ bilis Siciliæ noſtræ Inſulæ, quem etiam
„ noſcit paterna veſtra Beatitudo, adduxi-
„ mus ad nos, & facie ad faciem loquentes,
„ direximus cum præſenti noſtra venerabili
„ juſſione ad vos; Qui cùm venerit ad vos,
„ continuò abſolve eum, ut remeet ad nos,
„ ſcribens nobis per ipſum adventum tuum,
„ quibus diebus habet moveri illinc, & pro-
„ ficiſci ad nos. Porrò ſanctiſſimum Epiſco-
„ pum Neapolitanum omninò tenère habet,
„ ut cum ipſo aſcendat hùc. Etenim iter ve-
„ ſtrum per Neapolim & Siciliam habet fieri;
„ & ſuper hoc Stratego Siciliæ juſſimus, ut
„ omnis requiei & honoris veſtri curam ha-
„ beat, quò veniat veſtra paterna Beatitudo
„ ad nos. Datâ IV. Kalendas Septembris, In-
„ dictione VII. à Regia Urbe. *Hactenus Di-*
valis.

1096 Niſi mendum irrepſerit in deſigna-
tione temporis, videtur, Irenem & Conſtan-
tinum ante obitum Pauli, atque Tharaſii pro-
motionem, ſcripſiſſe de Synodo œcumenica
cogenda ad ipſum Pontificem Hadrianum,
quoniam ex ſuperiùs dictis, teſtante Theo-
phane, Paulus primo die Kalẽdarum Septem-
brium, ſeptimæ Indictionis, infirmatus, reli-
cto Throno, ad Monaſterium ſe contulit Flo-
ri, ibique habitu monaſtico indutus eſt, ac
proinde triduo poſt datas Imperatorum lite-
ras, & poſt quatuor ferè menſes, nimirum
VIII. Kalendas Januarii, VIII. Indictionis in-
choatæ à menſe Septembris, contigit conſe-
cratio Tharaſii, jam Paulo vitâ functo. Cùm
autem tùm ex Apologetico Tharaſii ad po-
pulum habito, tùm ex ſacra eorundem Impe-
ratorum ad Synodi Patres data, conſtet, at-
que etiam ejuſdem Theophanis teſtimonio,
Pauli morientis dicta, ac Tharaſii poſtulatio-
nem, occaſionem præbuiſſe Imperatoribus
cogendi Generalem Synodum, probabiliùs
videtur, præfatam Divalem datam eſſe eodem
Anno, ſcilicèt labente Indictione VIII., die
nimirum XXIX. Auguſti, inchoandâ menſe
proximo Septembri IX. Indictione, cùm etiam
conſtet ex infra dicendis, menſe Auguſti
ejuſdem IX. Indictionis promptos fuiſſe Epi-
ſcopos in Regia Civitate pro Synodo cele-
branda.

1097 Eidem Divali reſpondiſſe Hadria-
num dubitari minimè poteſt, cùm de magna
re ageretur, & quidèm à Romano Pontifice
optatiſſima; & quoniam perſonaliter, prout
ſummoperè cupiebant Principes, ad Syno-
dum accedere renuit, certum ſit ſe apud eoſ-
dem juſtis de cauſis excuſaſſe, etſi hujuſmo-
di literæ deſiderentur. Alias quoquè literas
ejuſdem argumenti ab Imperatoribus miſſas
accepiſſe Hadrianum, quibus etiam certio-
rem reddiderunt de conſecratione Tharaſii
ex Laico, cohoneſtantes præfatum Patriar-
cham titulo Epiſcopi univerſalis, indicant
ejuſdem Hadriani literæ ad eoſdem per ſuos
Legatos Petrum Romanæ Eccleſiæ Presbyte-
rum, & Petrum Monachum Presbyterum pa-
riter & Abbatem redditæ, atque Actione ſe-
cundâ Synodi ſeptimæ recitatæ in hunc mo-
dum ſe habentes.

Dominis piiſſimis & Sereniſſimis victoribus Imperatoribus ac triumphatoribus, Filiis diligendis in Deo & Domino noſtro Jeſu Chriſto, Conſtantino & Irenæ Auguſtis.

1098 „ Deus qui dixit *de tenebris lucem*
„ *ſplendeſcere, qui eripuit nos de poteſtate tene-*
„ *brarum* per Incarnationem Filii ſui veri lu-
„ minis, *in quo complacuit omnem plenitudi-*
„ *nem Deitatis habitare, & per eum reno-*
„ *vare omnia, & in ipſo pacificans per Sangui-*
„ *nem crucis ejus, ſivè quæ in Cœlis, ſivè quæ*
„ *in terris ſunt*; per multiplices divitias bo-
„ nitatis ſuæ, in faciem Eccleſiæ ſuæ reſpi-
„ ciens, veſtram præſcitam, & prædeſtina-
„ tam ſereniſſimam, & Imperialem Clemen-
„ tiam ad fidei nunc integritatem vocare di-
„ gnatus eſt; itaut omni falſitatis nubilo pro-
„ cùl exploſo per vos, victricem faciat veri-
„ tatem.

1099 „ Quantùm literarum veſtræ piiſſi-
„ mæ tranquillitatis ad nos venientium didi-
„ cimus, etiam ipſo auditu nimis noſter
„ exultans relevatus eſt animus, & tantum
„ jucunditatis gaudium in cor noſtrum aſcen-
„ dit, ut linguâ humanâ explicare nullus ſuf-
„ ficiat ſermo. Quia nimìrum magis nobis
„ lætitia de veſtris juſſionibus nunc orta eſt,
„ quàm dudùm pro ſchiſmaticorum hæreſi
„ mœror affecerit. De his quippe in ipſis ve-
„ nerandis juſſionibus veſtris referebatur,
„ quæ pridèm facta ſunt in veſtra regali civi-
„ tate propter venerabiles Imagines, qualiter
„ qui ante vos regnaverunt, eas deſtruxerunt,
„ & in inhoneſtate atque injuria poſuerint.
„ Utinam non illis imputetur: Meliùs enim
„ illis fuiſſet non mittere manus eorum in
„ Eccleſiam: & quia omnis populus; qui eſt
„ in Orientalibus partibus, erraverunt, &
„ pro ſua voluntate uſi ſunt illis, uſquequò
„ Deus erexit vos regnare, qui in veritate
„ quæritis gloriam ejus, & quæ tradita ſunt
„ à Sanctorum Apoſtolorum, & omnium ſi-
„ mùl Sanctorum magiſterio tenère: quas re-
„ ferantes, & venerabiles Imagines ad ve-
„ ſtrum piiſſimum Imperium laudabiliter
„ exaratas reperientes, atque hæreticorum
„ abiicientes veſaniam, ſeù in Divinæ exami-
„ nationis judicio Principum, qui manus
„ miſerunt in Eccleſiam jaculum deputantes,
„ veſtram à Deo promotam in triumphis Im-
„ perialem potentiam inſontem eſſe ab eorum
„ ſævitia prorsùs credimus.

1100 „ Undè omnipotentis Dei clemen-
„ tiam exorantes, referimus grates ſinè fine,
„ tenenteſque ea, quæ veſtra ſanxit, & cœ-
„ pit Serenitas perficere, conſtantes eſtote.
„ Quòd ſi perſeverantes permanſeritis in ea,
„ quam cœpiſtis, orthodoxa fide, & per
„ vos in partibus illis in priſtino ſtatu erectæ
„ fuerint ſacræ ac venerandæ Imagines; ſicut
„ piæ memoriæ Dominum Conſtantinum Im-
„ peratorem, & Beatam Helenam, qui fidem
„ orthodoxam promulgaverunt, atque San-
„ ctam Catholicam, & Apoſtolicam Spiri-
„ tualem Matrem veſtram Romanam Eccle-
„ ſiam exaltaverunt, & cum cæteris ortho-
„ doxis Imperatoribus, utpotè caput om-
„ nium Eccleſiarum venerati ſunt, ita veſtrum
„ à Deo protectum clementiſſimum nomen
„ novum Conſtantinum, & novam Helenam
„ habentes, per quos in primordiis Sancta
„ Catholica, & Apoſtolica Eccleſia robur
„ fidei ſumpſit, & ad quorum inſtar vibran-
„ tiſſima, ac in toto orbe terrarum veſtra
„ opinatiſſima in triumphis Imperialis fama
„ laudabiliter divulgatur. Magis autem ſi
„ orthodoxę fidei ſequentes traditiones Ec-
„ cleſiæ Beati Petri Apoſtolorum Principis
„ amplexi fueritis cenſuram, & ſicut anti-
„ quitùs veſtri prædeceſſores Sancti Impera-
„ tores egerunt, ita & vos eam honorificè
„ venerantes, ejus Vicarium ex intimo dile-
„ xeritis corde, potiùſque veſtrum à Deo
„ conceſſum Imperium eorum ſecutum fue-
„ rit orthodoxam, ſecundùm Sanctam Ro-
„ manam noſtram Eccleſiam, fidem.

1101 „ Ipſe Princeps Apoſtolorum, cui
„ à Domino Deo ligandi, ſolvendique pec-
„ cata in Cœlo, & in Terra poteſtas data eſt,
„ crebrò vobis protector exiſtens, omneſque
„ barbaras nationes ſub veſtris proſternens
„ Sedibus, ubique vos victores oſtendat.
„ Etenim ejus inſignia dignitatis ſacra pan-
„ dat auctoritas, quantaque veneratio ejus
„ ſummæ Sedi exhibenda ſit à fidelibus cun-
„ ctis per orbem; Dominus enim eundem
„ clavigerum Regni Cœlorum cunctis præ-
„ poſuit Principem; & hoc ab ipſo honora-
„ tur privilegio, quo ei claves collatæ ſunt
„ Regni Cœlorum. Iſte itaque tàm præcel-
„ ſo Prælatus honore promeruit conſiteri fi-
„ dem, ſupra quam fundatur Eccleſia Chri-
„ ſti: Beatam Confeſſionem beatitudo ſecu-
„ ta eſt præmiorum, cujus prædicatione ſan-
„ cta univerſalis illuſtrata eſt Eccleſia, & ex
„ ea cæteræ Dei Eccleſiæ fidei documenta
„ ſumpſerunt. Nàm ipſe Princeps Apoſtolo-
„ rum Beatus Petrus, qui Apoſtolicæ Sedi
„ primitùs præſedit, ſui Apoſtolatus Princi-
„ patum ac paſtoralis curę ſucceſſoribus ſuis,
„ qui in ejus Sacratiſſima Sede perenniter
„ ſeſſuri ſunt, dereliquit; quibus & aucto-
„ ritatis poteſtatem, quemadmodùm à Salva-
„ tore noſtro Domino Deo ei conceſſa eſt, &
„ ipſe quoque ſuis contulit ac tradidit Divi-
„ no juſſu ſucceſſoribus Pontificibus, quo-
„ rum traditione Chriſti ſanctam effigiem
„ ſanctæque ejus Genitricis, Apoſtolorumque
„ vel omnium Sanctorum veneramur Imagi-
„ nes.

1102 „ Ex eo enim quo Chriſti Dei no-
„ ſtri Eccleſiæ quietis, & pacis apertę ſunt
fo-

„ fores, hactenúſque depictæ Eccleſiæ imaginibus ſunt ornatæ, Beato atque Sanctiſſimo Papa Silveſtro teſtante. In ipſis enim exordiis Chriſtianorum, cùm ad fidem converteretur pius Imperator Conſtantinus, ſic legitur: *Tranſactâ die, nocturno Regi facto ſilentio, ſomni tempus advenit; Et ecce adſunt Sancti Apoſtoli Petrus, & Paulus dicentes: Quoniam flagitiis tuis poſuiſti terminum, & effuſionem innocentum ſanguinis horruiſti, miſſi ſumus à Chriſto Jeſu Domino dare tibi ſanitatis recuperandæ conſilium. Audi ergo monita noſtra, & fac omnia quæcumque indicabimus tibi: Silveſter Epiſcopus Civitatis Romanæ ad montem Soractem perſecutiones tuas fugiens, in cavernis petrarum cum ſuis Clericis latebras fovet; Hunc cùm ad te adduxeris, ipſe tibi piſcinam oſtendet, in qua dum tertiò merſerit, omnis te valetudo deſeret Lepræ. Quod dum factum fuerit, hanc viciſſitudinem Salvatori tuo compenſa, ut omnes juſſu tuo per orbem totum Romanum Eccleſiæ reſtaurentur. Tu autem in hac parte purifica te, ut relictâ omni ſuperſtitione Idolorum, Deum unum, qui verus, & ſolus eſt, adores & excolas, & ad ejus voluntatem attingas.*

1103 „ Exurgens itaque è ſomno, ſtatim convocat eos, qui obſervabant Palatium, & ſecundùm tenorem ſomni ſui miſit ad montem Soractem, ubi Sanctus Silveſter in cujuſdam Chriſtiani agro perſecutionis cauſa cum ſuis Clericis receptus, lectionibus, & orationibus inſiſtebat. At ubi à militibus ſe conventum vidit, credidit ſe ad Martyrii coronam evocari: & converſus ad Clerum omnem, qui cum eo erat, dixit: *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis.* Profectus itaq; ut dictum eſt, pervenit ad Regem, cui nũtiatus cum tribus Preſbyteris & duobus Diaconis introivit. Ingreſſus dixit: *Pax tibi, & victoriæ de Cœlo miniſtrentur.* Quem cùm Rex alacri animo, & vultu placidiſſimo ſuſcepiſſet, omnia illa quæ facta, quæ dicta ſunt, quæ etiam revelata ſunt, ſecundùm textum ſuperiùs comprehenſum, expoſuit. Poſt finem verò narrationis ſuæ percontabatur qui eſſent iſti Dii Petrus, & Paulus, qui illum viſitarent ob cauſam ſalutis ſuæ, & ejus latebras detexiſſent. Silveſter reſpondit: Hi quidem Dii non ſunt, ſed idonei ſervi Chriſti, & Apoſtoli electi ab eo, & miſſi ad invitationem gentium, ut credentes, ſalutem conſequantur. Cùmque hæc & his ſimiliter Auguſto diceret Papa, interrogare cœpit Auguſtus, utrùmnam iſtos Apoſtolos haberet aliqua imago expreſſos, ut ex pictura diſceret hos eſſe, quos revelatio docuerat. Tunc Sanctus Silveſter miſſo Diacono, Imaginem Apoſtolorum ſibi exhiberi præcepit, quam Imperator aſpiciens, ingenti clamore cœpit dicere, ipſos eſſe quos viderat, nec debere jam differre per Spiritum Sanctum factam oſtenſionem piſcinæ, quam iſtos promiſiſſe ſuæ ſaluti memorabat.

1104 „ Ecce, ut præmiſſum eſt, Sanctorum figuræ ab ipſis ſanctis fidei noſtræ rudimentis apud omnes fuerunt Chriſtianos, atque in Eccleſiis Sanctorum ſacræ figuræ expreſſæ atque depictæ hactenùs fuerunt: quatenùs gentilitas Paganorum conſpectâ Divinæ Scripturæ depictâ hiſtoriâ, ab Idolorum cultura, & Dæmonum ſimulacris, ad verum Chriſtianitatis lumen atque amoris Dei culturam verti deberet: ſicut & præcipuus Pater atque idoneus prædicator Beatus Gregorius hujus Apoſtolicæ Sedis Præſul ait, ut hi, qui literas neſciunt, ſaltèm in parietibus videndo legant, quæ legere in codicibus non valent. Ob hoc quippè Sancti probatiſſimi Patres ipſas Imagines atque picturas Divinæ Scripturæ & geſta Sanctorum in Eccleſiis depingi ſtatuerunt, & cuncti orthodoxi atque Chriſtianiſſimi Imperatores, & omnes Sacerdotes ac Religioſi Dei famuli, atque univerſus Chriſtianorum Cœtus, ſicut à primordio traditionem à Sanctis Patribus ſuſceperunt, eaſdem Imagines atque picturas ob memoriam piæ compunctionis venerantes obſervaverunt, & in partibus illis uſque ad tempora proavi Serenitatis veſtræ orthodoxæ coluerunt.

1105 „ Sed ipſe veſter proavus, per quorundam impiorum immiſſiones, eaſdem depoſuit ſacras Imagines, & ex hoc error magnus in ipſius Græciæ partibus accrevit, & ingens ſcandalum in univerſum mundum devenit. Sed væ illi, per quem ſcandala in univerſum mundum venerunt, ſicut ipſa veritas teſtatur. Undè magno dolore conſtricti Dominus Gregorius, atque item Gregorius, Beatiſſimi Pontifices, qui illo tempore exiſtebant, eundem veſtræ tranquilliſſimæ pietatis proavum ſuis Apoſtolicis exarationum apicibus deprecati ſunt, ut ab eadem novæ præſumptionis temeritate reſipiſceret, eaſdemque Imagines in priſtino ſtatu reſtitueret. Sed nullo modo eorum ſaluberrimis deprecationibus inclinatus eſt. Et poſtmodùm Dominus Zacharias, & Stephanus, atque Paulus, & item Stephanus, prædeceſſores noſtri Sancti Pontifices, ſæpiùs avum, & genitorem veſtræ ſereniſſimæ tranquillitatis pro ſtatuendis ipſis imaginibus ſacris deprecati ſunt: ſimùlque, & noſtra puſillitas cum magna humilitate veſtram ſtuduit clementiſſimâ Imperialem potentiam conſtanter poſtulare.

1106 „ Et demùm ſubnixiùs, quæſumus, ut ſicut à Sanctis Patribus, & prædeceſſoribus noſtris probatiſſimis Pontificibus ſuſcepimus, Divinæ hiſtoriæ ſcripturam in Ec-

,, Eccleſiis pro memoria piæ operationis, &
,, doctrinâ imperitorum depingimus, & ſa-
,, cram Imaginem Domini Dei, & Salvato-
,, ris noſtri Jeſu Chriſti, ſecundùm incarna-
,, tam ejus humanam formam, in aula Dei
,, conſtituimus, ſimùlque, & ſanctæ ejus
,, Genitricis, atque Beatorum Apoſtolorum
,, Prophetarum, Martyrum, & Confeſſorum,
,, ob eorum amorem deſignantes veneramur,
,, ità, & veſtra clementiſſima Imperialis po-
,, tentia partibus ejuſdem Græciæ faciat ve-
,, ſtræ Orthodoxæ fidej coæquari; ut ſicut
,, ſcriptum eſt: *ſiat unus Grex, & unum Ovi-*
,, *le*; quia in univerſo mundo, ubi Chriſtia-
,, nitas eſt, ipſæ ſacræ Imagines permanentes,
,, ab omnibus fidelibus honorantur; ut per
,, viſibilem vultum ad inviſibilem Divinita-
,, tis Majeſtatem mens noſtra rapiatur ſpi-
,, rituali affectu per contemplationem figura-
,, tæ Imaginis ſecundùm carnem, quam Fi-
,, lius Dei pro noſtra ſalute ſuſcipere digna-
,, tus eſt, eundem Redemptorem noſtrum
,, qui in Cœlis eſt, adoremus, & in Spiritu
,, glorificantes collaudemus, quoniam jux-
,, ta, ut ſcriptum eſt: *Deus Spiritus eſt*; &
,, ob hoc ſpiritualiter Divinitatem ejus ado-
,, ramus.

1107 ,, Nam abſit à nobis, ut ipſas Ima-
,, gines (ſicut quidam garriunt) deificemus,
,, ſed affectum & dilectionem noſtram, quam
,, in Dei amorem & Sanctorum ejus habe-
,, mus, omni modo proferimus, & ſecun-
,, dùm Divinæ Scripturæ libros, ipſas ima-
,, gines ob memoriam venerationis habemus
,, noſtræ fidei puritatem ſervantes; Nam
,, Creator noſter Dominus Deus, dum ad
,, Imaginem, & ſimilitudinem ſuam de limo
,, terræ plaſmaſſet hominem, ſagacitatis in-
,, duſtriâ illuſtrans, in proprio conſideratio-
,, nis arbitrio eum conſtituit. Et ipſe primus
,, homo ex proprio arbitrio Divinâ inſpira-
,, tione cuncta animantia, & univerſa vola-
,, tilia Cœli, & omnes beſtias terræ propriis
,, nominibus appellavit, & in ipſa appella-
,, tione permiſit animatis permanere. Etiam
,, & Abel divino ignitus ſpiritu, de primo-
,, genitis gregis ſui munera ex proprio con-
,, ſiderationis arbitrio Domino obtulit; Pro
,, quo legimus, quòd reſpexiſſet Deus ad
,, Abel & ad munera ejus. Porrò & Noe poſt
,, Diluvii inundationem & ipſe ſupernâ in-
,, ſpiratione ſuo arbitrio propriæ adinventio-
,, nis conſideratione Altare Domino ædifica-
,, vit, & de cunctis pecoribus & volucribus
,, Mundi holocauſta ſuper eodem Altare Do-
,, mino obtulit. Simili modo Abraham (ſicut
,, ſcriptum eſt) ſuo arbitrio Altare ædifica-
,, vit ad honorem & gloriam Dei, qui appa-
,, ruit ei. Sic Jacob fugiens Eſau fratrem
,, ſuum, dùm in ſomnis Angelos Dei aſcen-
,, dentes in Cœlum & deſcendentes per ſca-
,, lam, atque innixum ipſi ſcalæ loquentem
,, ſibi Dominum aſpiceret; ſurgens protinùs
,, ſuo arbitrio tulit lapidem, quem ſuppo-
,, ſuerat capiti ſuo, erexitque in titulum,
,, fundens oleum deſuper; appellavitque lo-
,, cum illum Bethel, dicens: *Non eſt hic aliud,*
,, *niſi domus Dei, & porta Cœli*. Pro quo
,, nequaquam omnipotens Deus iratus eſt,
,, quòd lapidem illum erexit in titulum ſuo
,, arbitrio & conſideratione; Undè poſt pau-
,, lulum in hiſtoria Geneſeos fertur dictum
,, illi fuiſſe: *Ego ſum Deus Bethel, ubi unxi-*
,, *ſti lapidem, & votum voviſti mihi*.

1108 ,, Ecce, Sereniſſimi Domini filii
,, magni Principes, omnia, quę humanâ con-
,, ſideratione ad laudem Dei parantur, non
,, ſunt prohibenda, potiùs autem omninò
,, Creatori noſtro Domino conſtat eſſe pla-
,, cabilia; Nàm idem ipſe Jacob proprio de-
,, mùm arbitrio ſummitatem virgæ filii ſui
,, Jacob deoſculatus eſt, fidei dilectione hoc
,, agens, ſicut Beatus Paulus in Epiſtola ad
,, Hebræos teſtatur, non virgæ, ſed tenenti
,, eam honoris ac dilectionis exhibuit affe-
,, ctum. Sic & nos pro amore & dilectione,
,, quam apud Dominum & Sanctos ejus ha-
,, bemus, honorabiles eorum effigies Imagi-
,, nibus depingentes, non tabulis & colori-
,, bus honorem exhibemus, ſed illis, pro
,, quorum honore conſiſtunt. Rursùmque
,, legimus, præceptum fuiſſe Moyſi à Domi-
,, mino Deo noſtro, cùm dicitur: *Facies &*
,, *Propitiatorium de auro mundiſſimo, duorum*
,, *cubitorum & dimidii erit longitudo ejus, ſe-*
,, *mis & cubiti latitudo; duos quoquè Cheru-*
,, *bim aureos & productiles facies ex utraque*
,, *parte Oraculi*. Et poſt paululum: *Ad coo-*
,, *periendam Arcam, in qua pones teſtimonium,*
,, *quod dabo tibi, inde præcipiam & eloquar*
,, *ad te*. Super Propitiatorium ſcilicèt ac
,, medios Cherubim, qui erant ſuper Arcam
,, teſtimonii; ſed & in cortinis atque operto-
,, rio Tabernaculi Cherubim textrino opere
,, diverſis coloribus fieri præceptum eſt.

1109 ,, Conſiderandum quippè eſt, tran-
,, quilliſſimi Domini filii magni Principes,
,, quòd omnipotens Dominus noſter inter
,, eoſdem Cherubim manufactos exiſtentes,
,, ob ſalutem populi ſui loqui dignatus eſt.
,, Pro quo dubium non eſt, quòd omnia, quæ
,, in Eccleſiis Dei ad laudem & decorem ip-
,, ſius conſtituta ſunt, ſancta ac veneranda
,, eſſe noſcantur. Etiam hoc, Sereniſſimi
,, filii, addendum eſt ad incredulorum ſatiſ-
,, factionem & directionem errantium, quòd
,, Deus famulo ſuo Moyſi præcepit, dicens
,, (in libro enim Numerorum ita legitur
,, contra peſtem, quæ in eos irruerat): *Fac*
,, *Serpentem & pone eum pro ſigno; qui percuſ-*
,, *ſus aſpexerit eum, vivet. Fecit ergò Moyſes*
,, *Serpentem æneum, & poſuit pro ſigno; quem*
,, *cùm percuſſi aſpicerent, ſanabantur*. Oh in-
,, ſania frementium contra Fidem & Reli-
,, gionem Chriſtianam, ut aſſerant, non co-
,, lere, aut venerari Imagines, in quibus figu-

ratæ

„ ratæ ſunt Salvatoris effigies, & ejus Geni-
„ tricis, vel Sanctorum, quorum virtute ſub-
„ ſiſtit Orbis, atque potitur humanum ge-
„ nus ſalute: Ænei Serpentis inſpectione
„ credimus Iſraeliticum populum à calami-
„ mitate injecta liberari, & Chriſti Domini
„ noſtri & Sanctorum effigies aſpicientes at-
„ que venerantes dubitamus ſalvari? Abſit
„ tali nefariæ temeritati cedere aſſenſum,
„ Patrum priſcas ſequamur traditiones, &
„ ab eorum doctrina nullâ declinemus ra-
„ tione.

1110 „ At verò & Salomonem Regem
„ in Templo, quod ædificavit, Cherubim ad
„ gloriam Dei feciſſe legimus, & diverſis co-
„ loribus idem adornavit Templum. Ob hoc
„ quippè nos & omnes orthodoxi ob confeſ-
„ ſionem fidei noſtræ, & pulchritudinē domus
„ Dei, varietate colorum atque ornamentis
„ picturarum exhibemus, quemadmodùm
„ Iſaias Propheta vaticinatus ait: *In die illa*
„ *erit Altare Domini in medio terræ Ægypti*,
„ *& titulus juxtà terminum ejus Domini, erit-*
„ *que in ſignum, & in teſtimonium Domino*
„ *Exercituum in terra Ægypti: Clamabunt*
„ *etenim ad Dominum à facie tribulantis, &*
„ *mittet eis Salvatorem & Propugnatorem, qui*
„ *liberet eos*; Sicut eximius Prophetarum
„ Beatus David cecinit, dicens: *Confeſſio*
„ *& pulchritudo in conſpectu ejus*; & idem
„ ipſe: *Domine, dilexi decorem domus tuæ, &*
„ *locum tabernaculi gloriæ tuæ*. Et iterùm
„ adventum Redemptoris noſtri, atque In-
„ carnationem ipſius Filii Dei annuntians.
„ magnoperè vultum ejus ſecundùm huma-
„ nitatis ipſius diſpenſationem adorari præ-
„ monuit, inquiens: *Vultum tuum, Domine,*
„ *requiram*. Et poſt: *Vultum tuum depreca-*
„ *buntur omnes divites plebis*. Et rursùs: *Si-*
„ *gnatum eſt ſuper nos lumen vultus tui, Do-*
„ *mine*. Hinc & Beatus Auguſtinus præci-
„ puus Pater & optimus Doctor in ſuis ad-
„ monitionum Sermonibus ait: *Quid eſt*
„ *imago Dei, niſi vultus Dei, in quo ſignatus*
„ *populus eſt Dei*.

1111 „ Intereà, & Beatus Gregorius
„ Nyſſenus Epiſcopus inter plura, quę in ſer-
„ mone, quem de Abraham inſtituit, ita di-
„ xit: vidi multotiès conſcriptionem Imagi-
„ nis paſſionis, & non ſinè lacrymis viſionem
„ præterii, opere artis ad faciem aſſerentis
„ hiſtoriam, & cætera de interpretatione in
„ Cantica Canticorum, ſicut conſcripta do-
„ ctrina dicit: materia quædam eſt omninò
„ in diverſis tincturis, quæ complet animan-
„ tis imitationem. Qui enim ad Imaginem
„ conſpicit ex eadem ante per colores com-
„ pletam tabulam, non tincturis præfert con-
„ templationem, ſed ad viſionem depictam
„ conſpicit tantummodò, quam per colores
„ magiſter demonſtravit. In Epiſtola Beati
„ Baſilii ad Julianum tranſgreſſorem miſſâ,
„ refertur: ſecundùm id, quod à Deo hæredi-
„ tate poſſidemus, noſtram immaculatam fi-
„ dem Chriſtianorum confiteor, ſequor; &
„ credo in unum Deum Patrem Omnipoten-
„ tem, Deum Filium, Deum Spiritum San-
„ ctum; Unum Deum hæc tria adoro, &
„ glorifico. Confiteor autem, & Filii incar-
„ natam diſpenſationem, & Dei Genitricem,
„ quæ ſecundùm carnem eum genuit, San-
„ ctam Mariam. Suſcipio verò & Sanctos
„ Apoſtolos, Prophetas, & Martyres, qui
„ ad Deum deprecationem faciunt; quia per
„ eorum interventionem propitius mihi effi-
„ citur miſericordiſſimus Dominus, & remiſ-
„ ſionem mihi facinorum donat; pro quo &
„ figuras Imaginum eorum honoro, & ado-
„ ro, & veneror ſpecialiter: hoc enim tradi-
„ tum eſt à Sanctis Apoſtolis, nec eſt prohi-
„ bendum; ac ideo in omnibus Eccleſiis no-
„ ſtris eorum deſignamus hiſtoriam.

1112 „ Item ejuſdem de ſermone in San-
„ ctos Quadraginta Martyres; nam & bello-
„ rum triumphos ac victorias, & ſermonum
„ conſcriptores multotiès & pictores ſignifi-
„ cant, quidam quidèm verbo adornantes,
„ quidam verò tabulis præſignantes, & mul-
„ tos utrique ad virilitatem excitaverunt.
„ Quæ enim ſermo hiſtoriæ per auditum de-
„ pinxit, hæc conſcripta ſilens admonitio
„ per imitationem demonſtrat. Item Beati
„ Joannis Archiepiſcopi Conſtantinopolita-
„ ni, qui & Chryſoſtomus de parabola ſe-
„ minis, Indumentum Imperiale, ſi contu-
„ meliis affeceris, nonnè ei, qui induitur,
„ contumelias irrogas? Neſcis quia ſi quis
„ imagini Imperatoris injuriam infert, ad
„ ipſum Imperatorem, ideſt, ad ipſum prin-
„ cipalem, & ad ejus dignitatem refert in-
„ juriam? Neſcis, quòd ſi quis Imagini, quæ
„ ex ligno & coloribus eſt, malè dicit, non
„ judicatur veluti ſi cōtra inanimatum quid-
„ dam præſumptuosè ſe geſſerit, ſed tan-
„ quàm is, qui contra Imperatorem egerit?
„ Dupliciter enim Imperatori contumeliam
„ infert. Et iterùm de ſermone ejuſdem Pa-
„ tris habito in quinta feria Paſchæ: Omnia
„ facta ſunt propter gloriam Dei & uſum no-
„ ſtrum: Nubes ad imbrium miniſterium,
„ Terra ad fructuum abundantiam, Mare
„ navigantibus abſque invidia eſt; omnia fa-
„ mulantur homini, magis autem imagini
„ Dei. Neque enim quandò Imperiales vul-
„ tus & imagines in Civitates introducun-
„ tur, & obviant Judices, & Plebes cum lau-
„ dibus tabulam honorant, vel ſupereffuſam
„ cerâ ſcripturam, ſed figuram Imperato-
„ ris; Sic & creatura non terrenam ſpeciem
„ honorat, ſed cæleſtem ipſam figuram re-
„ veretur.

1113 „ Similiter & Beati Cyrilli ex in-
„ terpretatione ſancti Evangelii ſecundùm
„ Matthæum ſermonem proferimus: Depin-
„ git enim Fides, quòd in forma Dei exiſtit
„ Verbum, ſicut & noſtræ vitæ redemptio
obla-

„ oblata eſt Deo, ſecundùm nos carne indutus & factus homo. Et idem ipſe poſt pauca: Imaginum nobis explent opus parabolæ, ſignificantes virtutem, ac ſi oculorum adhibitione, & palpatu manus ſuggerant etiam ea, quæ in exilibus cogitationibus inviſibiliter habent cõtemplationem. Item Sancti Athanaſii Epiſcopi Alexandriæ de humanitate Domini, cujus initium eſt: *Sufficienter quidèm de multis pauca ſumentes*, intimavimus. Et poſt: Et ipſa, quæ ſcribuntur in lignis, abolitâ formâ per exteriores ſordes, iterùm idipſum neceſſe eſt in omnibus reaſſumere & unire, cujus eſt forma, ut renovari poſſit imago in eadem materia & elemento. Per eandem enim formam & materia, ubi & conſcribitur, non dejicitur, ſed in ea ipſa configuratur, & cætera. Item, Beati Ambroſii ad Gratianum Imperatorem lib. 3. cap. 9. Numquidnam quandò & Deitatem & carnem adoramus, dividimus Chriſtum? Aut quandò in ipſo & Dei imaginem & Crucem adoramus, dividimus eum? Abſit.

1114 „ Item Sancti Epiphanii Conſtantiæ Cypri: Numquid enim & Imperator pro eo, quòd habet Imaginem, duo ſunt Imperatores? Non ſanè: Sed Imperator unus eſt etiam cum imagine. Item Sancti Epiſcopi Stephani Boſtron de Imagine Sanctorum. De Imaginibus verò Sanctorum confitemur: quòniam omne opus, quod fit in Dei nomine, bonum eſt & ſanctum; aliud enim eſt Imago, & aliud Simulacrum, ideſt, Statunculus. Quandò enim Deus Adam plaſmavit, ideſt, condidit, dicebat: *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram*; & fecit hominem ad imaginem Dei; Numquid enim quia imago Dei eſt homo, ideò ſimulacrum, ideſt, Idolorum cultura eſt & impietas? Nequaquã fuit. Si enim Adam imago Dęmonum eſſet, abjectus utique & inacceptabilis eſſet; ſed quia imago Dei eſt, honorabilis & acceptabilis eſt. Omnis enim imago in nomine Domini, aut Angelorum, aut Prophetarum, aut Apoſtolorum, aut Martyrum, aut juſtorum facta, ſancta eſt. Non enim lignum adoratur, ſed id, quod in ligno conſpicitur & memoratur, honorificatur. Omnes enim nos adoramus Principes & ſalutamus, licèt peccatores ſint: cùr ergò non debemus adorare ſanctos Dei Servos, & in memoriam eorum conſtituere Imagines eorum, nè oblivioni tradantur?

1115 „ Sed dicis: quia ipſe Deus interdixit adorare manufacta. Dic itaque, ò Judęe, quid eſt ſuper terram, quod non ſit manufactum, cùm à Deo ſit factum? Numquid Arca Dei, quæ ex lignis Sethim fabricata atque conſtructa fuit, manufacta non eſt? Et Altare & Propitiatorium & Urna, in qua erat Manna, & Menſa, & Candelabrum, & Tabernaculum interius & exterius, non fuerunt ex hominum operibus manuum, quæ Salomon fecit? Et cùr Sancta Sanctorum vocantur, manufacta exiſtentia? Numquid Cherubim & ſenarum alarum animalia, quæ in circuitu Altaris erant, non fuerunt imagines Angelorum, opus manuum hominum? Et quomodò non abiiciuntur? Quia verò per præceptum Dei Imagines factæ ſunt Angelorum, ſanctæ ſunt, & hæc Animalia erant, etenim Idola gentium, quia imagines fuerunt Dęmonum, Deus depoſuit & condemnavit ea.

1116 „ Nos autem ad memoriam Sanctorum Imagines facimus, Abrahæ videlicèt, Moyſi, Eliæ, Iſaìæ, Zachariæ, & reliquorum Prophetarum, Apoſtolorum & Martyrum Sanctorum, qui propter Dominum interempti ſunt; ut omnes, qui vident eos in imagine, memorentur eorum, & glorificent Dominum, qui glorificavit eos. Decet enim eos honor, & adoratio, & commendatio noſtra ſecundùm juſtitiã eorum; ut omnes qui vident eos, feſtinent, & ipſi imitatores effici actionis eorum. Qualis enim eſt adorationis honoratio, niſi tantùm, quemadmodùm & nos peccatores adoramus, & ſalutamus alterutrum per honorem, & dilectionem, ita & Imaginem Domini noſtri non aliter adoramus, & glorificamus, & contremiſcimus, quia imago eſt ſimilitudinis ejus, & in ea ipſe depictus eſt. Ergò quicumque pii ſunt, & bonum quidèm agunt, & Sanctorum memores ſunt, nec prohibent benefacientes, nec ſcandalizant eos, qui honorant Sanctos, & Servos Dei, quin potiùs memorantur eorum, mercedem bonam ex bona operatione percipient; Impii verò ſecundùm quod cogitaverunt, habebunt deſolationem inhonorationis pro eo quòd illud, quod erat juſtum, neglexerint & à Deo receſſerint.

1117 „ Propter memoriam enim Sanctorum Imagines pinguntur, adorantur & honorantur, ſicut Servorum Dei, & pro nobis Divinitatem deprecantium. Dignum enim eſt commemorari Præpoſitorum noſtrorum, & gratias referre Deo. De Sermone Beati Hieronymi Presbyteri Hieroſolymitani: Etenim, ſicut permiſit Deus adorare omnem gentem manufactã, Judęos autem tabulas, quas dolavit Moyſes, & duos Cherubim aureos; ſic & nobis Chriſtianis donavit Crucem & bonarum operationum Imagines pingere & adorare, venerari, & demonſtrare opus noſtrum.

1117 „ Itaque hæc ipſa, piiſſimi & tranquilliſſimi Domini & filii, prædicta teſtimonia Sanctorum Patrum tranſivimus breviter; ſed & divinæ Scripturæ novi, veteriſque Teſtamenti teſtatur hiſtoria de divini cultus obſervatione, quòd ad laudem

„ dem Dei in Eccleſiis in memoriam piç ope-
„ rationis Dei nutu conſtituta ſunt ſecun-
„ dùm traditionem Sanctorum Patrum. Sed
„ & de ſtatu ſacrarum Imaginum etiam à
„ Divinæ Scripturæ hiſtoria ſatis promulga-
„ ta ſunt; quemadmodùm in hujus Apoſtoli-
„ cæ Suggeſtionis ſerie à Deo corroboratæ
„ Serenitati veſtræ potentiæ cum omni hu-
„ militate & ſynceritate cordis ſtuduimus
„ intimare. Undè & quod in diverſis & pro-
„ babilibus Patrum teſtimoniis, qui ipſas
„ ſancta Imagines ſtatuerunt, ſubtiliter vi-
„ deri poteſt, ſicut in eorum libris reperi-
„ mus, veſtræ clementiſſimæ potentiæ fore
„ ſtuduimus intimandum; deprecantes cum
„ magna cordis dilectione manſuetiſſimam
„ veſtram clementiam, & tanquàm præſen-
„ tialiter humo proſtratus, & veſtris Deo di-
„ rectis veſtigiis provolutus, quæſo, & co-
„ ràm Deo depoſco & adjuro, ut eaſdem ſa-
„ cratiſſimas Imagines in ipſa à Deo conſer-
„ vata Regia Urbe, & cæteris Græciæ parti-
„ bus in priſtinum ſtatum reſtituere & con-
„ firmare jubeatis, obſervantes traditionem
„ hujus ſacroſanctç noſtræ Romanæ Eccleſiç,
„ abiicientes ac reſpuentes iniquorum atque
„ hæreticorum calliditates, ut in hujus no-
„ ſtræ ſanctæ Catholicæ & Apoſtolicæ ac ir-
„ reprehenſibilis Romanæ Eccleſiæ ulnis ſu-
„ ſcipiamini.

1119 Hactenùs Epiſtola Hadriani, prout recitata eſt in ſeptima Synodo. Alia porrò ſubnectuit Pontifex, omiſſa à Græcis, proindèque nec in ea Synodo relecta. Continent enim Hadriani reprehenſionem, quòd ex Laico Patriarcham delegerint adversùs Patrum regulas, & ſacrorum decreta Conciliorum, & quòd electus Patriarcha univerſalis Epiſcopi titulum ſibi uſurpaverit, hactenus ab Apoſtolica Sede contradictum. Nè itaque publicè argui videretur Tharaſius ab ipſa Apoſtolica Sede, & ex hoc anſam ſumerent ei reſiſtendi ac repugnandi hæretici in præjudicium etiam Actorum Synodalium atque publicæ utilitatis, viſum fuit ſubſequentia Epiſtolæ omittere, quæ, ut ex Latino textu apparet, ſic ſe habent.

1120 „ Si verò impoſſibile eſt hæretico-
„ rum veſaniæ pro incredulitate ipſorum ip-
„ ſas ſacras ac venerandas Imagines ſinè Sy-
„ nodali Actione in priſtino erigere ac con-
„ firmare ſtatu, & noſtros Sacerdotes pro
„ hujuſmodi pia operatione veſtra cupit Se-
„ reniſſima Imperialis potentia accerſire, ſi-
„ cut in veſtris fertur imperialibus juſſioni-
„ bus: In primis pſeudoſyllogum illud, quod
„ ſinè Apoſtolica Sede enormiter & irratio-
„ nabiliter, nequiterque contra Sanctorum
„ venerabilium Patrum traditionem de ſacris
„ Imaginibus actum eſt, anathematizetur
„ præſentibus Miſſis noſtris; & tunc, ſicut
„ antiquitùs mos extitit, jure jurando veſtra
„ piiſſima ac tranquilliſſima poteſtas unà cum
„ Domina Auguſta piiſſima Imperii veſtri
„ Genitrice, ſeù ejuſdem Regiæ Urbis Pa-
„ triarcha, necnon & cuncto Senatu, corpo-
„ rale tribuentes ſacramentum, verbum com-
„ monitorium, ſicut antiquitùs, pia ſacra no-
„ bis dirigere veſtra dignetur Imperialis po-
„ teſtas, quia non eſt apud vos partis cujuſ-
„ libet favor aut defenſio, ſed æqualitatem
„ utriſque partibus conſervabitis, nullate-
„ nùs neceſſitatem facientes in quocumque
„ Capitulo eis, qui à nobis diriguntur quo-
„ quomodò, ſed & omni honore cum muni-
„ ficentia competenti & ſuſceptione dignos
„ eos habebitis. Et ſi quidèm utrique conve-
„ nerint, ecce benè, ſi autem minimè con-
„ venerint, iterùm cum omni humanitate
„ eos ad nos dirigere ſatagetis; quia dudùm
„ ibidèm pro zelo fidei ac ſanctarum Imagi-
„ num religioſi Viri ac Dei famuli directi, in
„ exilio miſſi ſunt, & bonæ confeſſionis hu-
„ jus Mundi finierunt vitam.

1121 „ Porrò & hoc veſtrum à Deo co-
„ ronatum ac piiſſimum poſcimus Imperium,
„ ut ſi veram & othodoxam ſanctæ Catholi-
„ cæ Eccleſiæ Romanæ nitimini amplecti fi-
„ dem, ſicut antiquitùs ab orthodoxis Impe-
„ ratoribus, ſeù à cæteris chriſtianis fideli-
„ bus oblata atque conceſſa ſunt patrimonia
„ Beati Petri Apoſtolorum Principis, fauto-
„ ris veſtri, in integrum nobis reſtituere di-
„ gnemini pro luminariorum concinnatio-
„ nibus eidem Dei Eccleſiç, atque alimoniis
„ pauperum; Imò & conſecrationes Archie-
„ piſcoporum, ſeù Epiſcoporum, ſicut Oli-
„ tana conſtat traditio, noſtræ Diœceſis exi-
„ ſtentes penitùs canonicè ſanctæ Romanæ
„ noſtræ reſtituantur Eccleſiç, ut nequaquam
„ ſchiſma inter concordiam perſeverare va-
„ leat Sacerdotum, ſicut in veſtra Sereniſſi-
„ ma juſſione exaratum eſt. Confundatur
„ omne zizanium malè plantatum, & Domi-
„ ni & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti verbum
„ impleatur: Quoniam *portæ Inferi non præ-*
„ *valebunt adversùs eam*. Et rursùm: *Tu es*
„ *Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Ec-*
„ *cleſiam meam; & tibi dabo claves Regni Cæ-*
„ *lorum, & quodcumque ligaveris ſuper ter-*
„ *ram, erit ligatum & in Cælis; & quodcum-*
„ *que ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in*
„ *Cælis*. Cujus Sedes in toto orbe terrarum
„ primatu fungens, Caput omnium Dei Ec-
„ cleſiarum conſtituta eſt; Et quemadmo-
„ dùm Beatus Petrus Apoſtolus per Domini
„ præceptum regens Eccleſiam, nihilominùs
„ ſubſequens & tenuit ſemper & retinet Prin-
„ cipatum. Quod prçceptum univerſalis Ec-
„ cleſiæ nullam magis oportet exequi Se-
„ dem, quàm primam, quæ unamquamq; Sy-
„ nodum & ſuâ auctoritate confirmat, & con-
„ tinuatâ moderatione cuſtodit.

1122 „ Et valdè mirati ſumus, quòd in
„ veſtris imperialibus juſſis pro Patriarcha
„ Regiæ Urbis, ſcilicèt Tharaſio, directis,

,, univerſalem ibidem eum reperimus exara-
,, tum : ſed utrùm per imperitiam , aut ſchiſ-
,, ma , vel hæreſim iniquorum ſcriptum eſt ,
,, ignoramus . Sed deinceps ſuademus veſtræ
,, clementiſſimæ , imperialique potentiæ , ut
,, minimè in ſuarum exarationum ſerie uni-
,, verſalis deſcribatur ; quia contrà Sančto-
,, rum Canonum inſtituta , ſeu Sanctorum
,, Patrum traditionum decreta eſſe videtur.
,, In ſecundò enim ordine , ſi non per Sanctæ
,, noſtræ Catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ
,, auctoritatem (ſicut in omnibus patet)nun-
,, quam valuit nomen habere ; quod nimirum
,, ſi univerſalis ſuper prælatam ſibi Sanctam
,, Romanam Eccleſiam , quæ eſt caput om-
,, nium Dei Eccleſiarum , deſcribatur , tan-
,, quam Sanctarum Synodorum rebellem at-
,, que hæreticum manifeſtare ſe certum eſt .
,, Quia ſi univerſalis eſt , etiam Eccleſiæ no-
,, ſtræ ſedis primatum habere dignoſcitur ,
,, quod ridiculum omnibus fidelibus Chri-
,, ſtianis apparet : quia in toto Orbe terra-
,, rum ab ipſo Redemptore Mundi Beato Pe-
,, tro Apoſtolo principatus ac poteſtas data
,, eſt , & per eundem Apoſtolum , cujus vel
,, immeriti vices gerimus , Sancta Catholica
,, & Apoſtolica Romana Eccleſia uſque hacte-
,, nus & in ævum tenet principatum , ac po-
,, teſtatis auctoritatem : quatenus (quod
,, non credimus) ſi quiſpiam eum univerſa-
,, lem nuncupaverit , vel aſſenſum tribuerit ,
,, ſciat ſe orthodoxæ fidei eſſe alienum , &
,, noſtræ Sanctæ Catholicæ & Apoſtolicæ Ec-
,, cleſiæ rebellem .

1123 ,, Ipſe enim Tharaſius Regiæ Ur-
,, bis Patriarcha miſit nobis ſynodicam , priſ-
,, cam adimplens conſuetudinem : quam ſu-
,, ſcipientes , & liquidiùs indagantes , & de
,, confeſſione tam rectæ fidei ejus , quàm dog-
,, matum Sanctarum ſex Synodorum & ve-
,, nerandarum Imaginum , ovantes , nimis
,, iterum conturbati & contriſtati ſumus,quia
,, ex laicorum ordine & imperialibus obſe-
,, quiis deputatus , repentè in patriarchatus
,, culmen electus eſt , & Apocalligus contrà
,, Sanctorum Canonum cenſuram factus eſt
,, Patriarcha : & quod dicere pudet , & gra-
,, ve tacere eſt , qui regendi adhuc & docen-
,, di ſunt , Doctores nec erubeſcunt videri ,
,, nec metuunt ducatum animarum impuden-
,, ter aſſumere , quibus via in omnibus igno-
,, ta Doctoris eſt ; quò vel ipſi gradiantur ,
,, ignari ſunt . Quod quàm pravum , quàm-
,, ve ſit temerarium , ſæculari ordine & di-
,, ſciplina monſtratur . Nàm dum Dux exer-
,, citus nonniſi labore & ſollicitudine exper-
,, tus eligitur , quales animarum Duces eſſe
,, poſſint , qui in Epiſcopatus culmen imma-
,, tura cupiunt feſtinatione conſcendere ?
,, Hujus ſaltem rei comparatione conſiderent,
,, & aggredi repentè inexpertos labores ab-
,, ſtineant : quippe qui non didicerint quod
,, docent . Unde Canonica inſtituit cenſura ,
,, nequaquam ex laico ad Sacerdotium repen-
,, tè tranſire . Et niſi per ejus fidelem concur-
,, ſum pro Sanctarum Imaginum erectione , in
,, ejus conſecratione aſſenſum omni modo
,, tribuere nequivimus .

,, 1124 ,, Et ideo Domini rerum à Deo co-
,, ronati magni Principes & ſereniſſimi Impe-
,, ratores petimus , & obnixè iterum depre-
,, camur à Deo illuſtratam clementiam ve-
,, ſtram , & per omnipotentem Deum , qui
,, vos regnare præcepit , & Imperialis culmi-
,, nis apicem vobis conſcendere juſſit , pieta-
,, tem veſtram , ut dictum eſt , conjuramus ,
,, ut pio intuitu veſtras clementiſſimas aures
,, noſtræ humili deprecationi inclinare jubea-
,, tis , ipſaſque Sacratiſſimas Imagines in pri-
,, ſtino gradu reſtituere , ut omnes Chriſtiani
,, in univerſo Mundo exultent , & magno læ-
,, tentur gaudio . Nam cùm talis iniquum er-
,, roris ſcandalum , quod in ipſis Græciæ par-
,, tibus irrepſit , abolitum fuerit , & Deo an-
,, nuente, ipſæ venerandæ Imagines in priſtino
,, ſtatu reſtitutæ fuerint , erit magna lætitia
,, dilata per univerſum Orbem terrarum , &
,, nunc ſuper omnes barbaras nationes , Beato
,, Petro Principe Apoſtolorum vobiſcum co-
,, mitante , eritis in triumpho imperantes vi-
,, ctores , ſicut filius & ſpiritualis compater
,, noſter Carolus Rex Francorum & Longo-
,, bardorum , ac Patricius Romanorum , no-
,, ſtris obtemperans monitis , atque adim-
,, plens in omnibus voluntates , omnis He-
,, ſperiæ , occiduæque partis barbaras natio-
,, nes ſub ſuis proſternens conculcavit pedibus
,, omnipotentatum illorum domans,& ſuo ſu-
,, bjiciens regno adunavit . Unde per ſua la-
,, borioſa certamina eidem Dei Apoſtolicæ
,, Eccleſiæ ob nimium amorem plura dona
,, perpetuò obtulit poſſidenda , tàm Provin-
,, cias , quàm Civitates , ſeu Caſtra & cæte-
,, ra territoria , imò & patrimonia , quæ à
,, perfida Longobardorum gente detineban-
,, tur , brachio forti eidem Dei Apoſtolo re-
,, ſtituit , cujus & jura eſſe dignoſcebantur .
,, Sed & aurum atque argentum quotidiè pro
,, luminariorum concinnatione , ſeu alimo-
,, niis pauperum , non deſinit offerendo; qua-
,, tenus ejus regalis memoria non derelinqua-
,, tur in ſæculum ſæculi .

,, 1125 ,, Idcircò nimiùm diligentes ac ve-
,, nerantes veſtrum à Deo conceſſum Impe-
,, rium , magnoperè ſuggerentes quæſumus ,
,, ut præſentium tranſvectores , videlicèt Pe-
,, trum dilectiſſimum noſtrum Archipresbyte-
,, rum , ſeu Petrum Abbatem atque Presby-
,, terum Venerabilis Monaſterii Sancti Sabbe,
,, hilari mente & vultu placidiſſimo ſuſcipiens,
,, ſoſpites iterum ad nos remeare diſponere
,, jubeat veſtra ſereniſſima imperialis clemen-
,, tia : ut dum de veſtra orthodoxa fide , qua
,, cœpiſtis , nos reddiderint certiores , noſ-
,, que ex hoc de veſtro propoſito læti efficien-
,, tes , altiſonas Domino Deo noſtro referre

ſtu-

„ ſtudeamus laudes, Divinam pro immenſa
„ piiſſimæ ſerenitatis veſtræ lætitia exorantes
„ clementiam, atque conſona cum Propheta
„ inquientes: *Domine ſalvos fac invictiſſimos*
„ *noſtros Principes & magnos Imperatores*, &
„ *exaudi nos in quacunque die te deprecantes*
„ *pro eis invocaverimus*. Ipſe enim rerum Opi-
„ fex & arbiter Dominus Deus noſter, in cu-
„ jus manu omnia regna conſiſtunt Mundi,
„ per quem etiam Reges regnant, & Princi-
„ pes imperant, & potentes quæ pietatis
„ ſunt clementer cuncta modigerando diſpo-
„ nunt, veſtræ piæ ſerenitatis melliſluis cor-
„ dibus inſpirare dignetur ad exaudiendas
„ noſtras humillimas preces, & reſtituendum
„ in priſtino ſtatu Sacras Imagines: tribuat-
„ que vobis, intercedentibus Beatiſſimis Apo-
„ ſtolorum Principibus Petro & Paulo lon-
„ gæva ac proſpera & fœlicia tempora, & cum
„ maxima corporis ſoſpitate, atque animæ
„ ſalute, imperialis potentiæ ſceptris vos
„ perfrui faciat. Et ſicut Terræ ſummæ po-
„ tentiæ gloriam vobis conceſſit, & Cœlo-
„ rum quoque regna vobis per infinita ſæcula
„ largiri poſſidenda dignetur. Data VII. Ka-
„ lendas Novembris, Indictione IX. *Hacte-*
„ *nus Hadriani literæ*.

1126 Hiſce itaque cum literis, aliiſque, ſuprarelatis ad Tharaſium Patriarcham datis, profecti ſunt Apoſtolicæ Sedis Legati, Petrus, & Petrus Conſtantinopolim, ubi complures Epiſcopos, Abbates, aliosque de Clero paratos pro Synodo celebranda invenerunt: qui omnes cum jiſdem Legatis, die prima Auguſti ejuſdem Indictionis IX. convenientes in Baſilica Sanctorum Apoſtolorum, Sacram Synodum inchoare decreverunt: Idque ægrè ferentes Epiſcopi Iconoclaſtæ in ſua confirmati perfidia, concitatis adverſùm Sanctorum & Orthodoxorum Patrum cœtum, Militibus, tàm Sanctam, piamque congregationem exturbare conati ſunt, prout narrat his verbis Theophanes, inquiens: „ Anno ſexto Imperii
„ ſui, mittentes Imperatores convocaverunt
„ omnes, qui ſub eorum erant poteſtate, An-
„ tiſtites, pervenientibus quoque à Roma
„ tranſmiſſis ab Hadriano literis & homini-
„ bus, ut prædiximus, ut ab Antiochia &
„ Alexandria & ſeptima Idus Auguſti nona
„ Indictione, præſidentes in Templo Sancto-
„ rum Apoſtolorum apud Regiam Urbem,
„ cœperunt Sanctas Scripturas relegere, &
„ objicere invicem, Imperatoribus & Hegu-
„ menis inſpicientibus. Aſt populi Scholario-
„ rum & Excubitorum, atque ordinum cæ-
„ terorum adunati à ſuis principibus, cùm ha-
„ berent etiam ipſi Magiſtrum Conſtantinum
„ Deo odibilem dudum Imperatorem, irrue-
„ runt in eos nudatis gladiis, minitantes
„ morte afficere tam ſummum Sacerdotem,
„ quàm Orthodoxos Epiſcopos & Abbates,
„ Imperio verò per aſtantes ſibi familiares ho-
„ mines hos ſedare nitentes, non acquieverunt.
„ quin potiùs exprobaverunt. Cùm autem
„ ſurrexiſſet Patriarcha, & tribunal cum Epi-
„ ſcopis & Monachis eſſet ingreſſus, hi qui
„ maligni ſenſus erant eorum Epiſcopi, exie-
„ runt ad eos clamantes, & dicentes: *Vici-*
„ *mus*. Et gratiâ Dei nemini nocuerunt fu-
„ rioſi illi & inhumani, & taliter diſſolutâ Sy-
„ nodo, unuſquiſque rediit ad propria. *Hæc*
„ *Theophanes*.

1127 Sed & Tharaſius in Actis ſeptimę Synodi in initio Actionis I. idem referens hęc eadem eveniſſe, ut antefati ſumus in ipſis Kalendis Auguſti, operâ quorundam Epiſcoporum & ſtudio tradit, inquiens: „ Præterito
„ anno Kalendis Auguſti in Deo conſervata
„ Regia Urbe præſidentibus nobis in venera-
„ bili Templo tubarum ſpiritus, Sanctorum
„ videlicèt & laudabiliſſimorum Apoſtolo-
„ rum, commota eſt multorum turba viro-
„ rum, furore ac amaritudine plena, ut in
„ nos manus injiceret; ex qua manu Divina
„ erepti ſumus, habentes in auxilium quos-
„ dam Epiſcopos, qui facilè numerari poſ-
„ ſunt, quorum nomina voluntariè prǽteri-
„ mus, quoniam omnibus nota ſunt: & ad
„ modicum viſi ſunt prohibuiſſe loqui, & con-
„ firmare pium veritatis ſermonem. Sed im-
„ tiſſimi Imperatores noſtri divinitùs acti,
„ cum eſſent orthodoxiæ propugnatores, &
„ ſiniſtræ opinionis obluctatores, non dede-
„ runt ſomnum oculis ſuis, & palpebris ſuis
„ dormitationem, donec tabernaculum Dei,
„ ideſt, Eccleſiam ejus in unum reſtituerent,
„ & pacificum hanc habitaculum redderent.
„ Quapropter conſilio & voluntate Dei rur-
„ sùs in idipſum congregaverunt nos.

1128 Ignatius verò in Actis Tharaſii apud Surium tom. I. ſub die 25. Februarii, de eodem eventu hæc ſcribit: „ Juſſu ergo Im-
„ peratorum omnes Pontifices ex unaqua-
„ quę regione & Civitate proficiſcuntur in
„ regiam Civitatem. Etiam edicto Conven-
„ tu in inclyto templo Divinorum Apoſtolo-
„ rum, etiam ſedentibus Epiſcopis in ſedi-
„ bus propoſitis: Ecce quoddam examen ve-
„ ſparum, virorum inquam, qui erant ani-
„ mis Leoninis ex Exercitu Conſtantini, qui
„ olim Imperii ſceptra non piè adminiſtrabat,
„ exurgens veluti ex quibuſdam alueis malæ
„ opinionis, accedit ad dictam ædem ſacram,
„ bellicis armis eam obſtructurum. Qui cùm
„ venerandæ ædis atriis appropinquaſſent,
„ incondita voce locum repleverunt, dicen-
„ tes, non eſſe ferendum infirmari, & tranſ-
„ gredi ea, quæ olim viſa fuerunt Conſtanti-
„ no. Nam non permittemus, ajebant, illius
„ abrogari dogmata, & prædicari, eſſe ſta-
„ tuendas Imagines. Quòd ſi quis hoc acce-
„ perit, & ante noſtros oculos viderimus
„ abrogari Synodum, quæ fuit ab ipſo con-
„ gregata: Sanguine Sacerdotum terram
„ reddemus purpuream. Hæc dicebant, &
„ in portas irrumpentes volebant eos qui

„ erant intus interficere. Tunc nutu Imperatoriæ poteſtatis, ſeſſionem relinquunt „ Pontifices. Imperatores autem in eos, qui „ res novaverant cum ira ferventes, citò venerunt in ſuum Palatium, eorum inſolentiam & inſurrectionem & everſionem univerſi reputantes. *Hæc Ignatius*. Eadem denique habentur in præambulis ad ſeptimam Synodum apud Anaſtaſium Bibliothecarium.

1129 Hujus itaque rei cauſa, dimiſſa Synodo, ac ad proprias Sedes reverſis Epiſcopis, Apoſtolicæ quoque Sedis Legati Conſtantinopoli recedentes, ac Romam reverſuri, venerunt in Inſulam Siciliæ ubi conſiſtere juſſi ſunt, tempus opportunum iterum Synodi colligendæ expectantes. Intereà Imperatores mala iſtorum ſeditioſorum hominum peſte Civitatem expurgare meditantes ſub prætextu fictæ expeditionis adversùs Barbaros, exire coacti ſunt, & inde eorundem Imperatorum juſſu, exuti militiâ, ad propria reverti. „ Tunc Imperatores, *ait Anaſtaſius in citatis præambulis*, juſſerunt milites exire, quaſi ſub prætextu quidem hoſtilis aciei, dantes famam, quòd gens Agarenorum hoſtiliter fuiſſet ingreſſa. In veritate autem eos „ foras pellebant de regia Civitate. Ergo „ cùm feciſſent iſti viam uſque ad Malagenam, per juſſionem eorum omnes expellebant, pariter & dimittebant, quòd eorum „ operâ non indigebant, jubentes ſingulos „ abire in Patriam ſuam. *Hæc ille*. Theophanes porrò copioſiùs rem enarrans ait: „ Anno ſeptimo Imperii ſui miſſo Irena ſtatuario Patricio & Logothetha in Thraciam „ menſe Septembri, & initio decimæ Indictionis ad ulteriora themata (ita appellatos „ ordines militares) perſuaſit eos ſibi cooperatores fieri, & depellere ab Urbe impium „ populum, quem Conſtantinus inſtruxerat. „ Et cùm fingeret, totum exercitum motum „ eſſe in Orientales partes, eò quòd eas Arabes fuiſſent aggreſſi: exjit omnis regius apparatus atq; ſuppellex uſq; ad Malaganam, „ & ſic introeuntes hi, qui exteriorum thematum erant, tenuerunt Urbem. Mittens „ autem ad illos, ſignificavit eis dicens: Mittite mihi arma veſtra: opus enim non habeo vobis. At illi ſtulti divinitùs facti, dederunt arma. Tunc miſſis familiis eorum „ in naves, exules miſit, ab Urbe in propriam regionem unumquemque jubens abire, in qua genitus eſſet. Et cùm feciſſet „ proprium exercitum & Principes ſibi obtemperantes, ipſe iterum, menſe Majo anni ſequentis, mittens per omnem locum „ congregavit omnes Epiſcopos.

1130 „ Edictum porrò de iterum cogenda Synodo emanatum eſt menſe Maji x. Indictionis, anno VIII. Imperii Irene & Conſtantini, Domini verò DCCLXXXVII. ut idem Theophanes tradit: non tamen juſſi ſunt Epiſcopi iterum convenire in Regiam Urbem, ſed in Nicænſium Civitatem: ac toto æſtivo decurſo tempore omnes Epiſcopi illuc congregati ſunt: „ Etenim menſe Majo, *ait Theophanes*, hujus x. Indictionis, mittens Irene Auguſta convocavit omnes Epiſcopos, „ qui convenirent in Nicænſium Civitatem „ ad celebrandum illic Concilium, & per totum tempus æſtivum congregati ſunt omnes apud Nicæam: ſiquidem eos qui ex „ Romanæ Sedis, & Orientalium Patriarcharum perſona venère, omninò non dimiſerat, ſed retentos ſecum habebant, & VIII. „ anno Imperii Irene & Conſtantini exivit „ Tharaſius Archiepiſcopus Conſtantinopoleos in Nicænſium Civitatem. *Hactenus Theophanes*. Ignatius porrò in Actis Tharaſii de illius egreſſu & comitatu ut Nicæam ad Synodum proficiſceretur, hæc alia ſcribit: „ Cum Sanctiſſima Claſſis, *ait*, dicto citiùs „ in dictam Civitatem veniſſet, Tharaſius quoque venit ex Urbe Regia, ex Apoſtolicis „ ſecum aſſumens eximios quoslibet & præſtantiſſimos, nempè ab Hadriano quidem „ Papa Romano Petrum primùm Presbyterum, & Petrum Monachum & Præfectum; „ Ab Apoſtolica autem Diœceſi, à Politiano „ inquam Sacratiſſimo Papa Alexandrino, „ Thomam Monachum & Presbyterum, & à „ Theodoro Patriarcha Antiocheno, & ab „ Elia Principe paſtorum Æliæ Joannem Monachum Presbyterum & Syncellum, adducens etiam ſecum quoſdam ex jis qui gerebant magiſtratus, pietate claros & gratia doctrinæ & facundiæ; inter quos fuit „ etiam Nicephorus, qui erat à ſecretis Imperatoris, qui cùm vixiſſet in ſanctitate, „ & eſſet ornatus Divinis Virtutibus, ac doctrina, & dicendi ſcientia, Bizantii Sedis „ Patriarchalis ſuſcepit honorem poſt Tharaſii ſanctam conſummationem: & quicunque erant venerandi & eximii Monachi, qui „ movebantur Zelo diſciplinæ & regulæ Eccleſiaſticæ, & contendebant ſemper ſequi „ ſynodalem accurationem, profecti ſunt Nicæam. *Hæc ille*.

1131 Congregata eſt ergo œcumenica hec Synodus in Templo Sanctæ Sophiæ Civitatis Nicæç, ac ea de cauſa cognominata eſt Nicæna ſecunda, ſeptima tamen Generalis, anno Domini ſuprarelato, menſe Septembris, nimirum VIII. Kal. Octobrias inchoata jam Indictione XI. ut exhibent Acta ſynodalia, ubi in exordio Actionis primæ ſcribitur: *In nomine Domini & Dominatoris Jeſu Chriſti veri Dei noſtri, Imperio piſſimorum & amicorum Chriſti Dominorum noſtrorum Conſtantini & Irenes matris ejus, octavo anno Conſulatus eorum, octavo Kal. Octobrias Indictione XI.* Interfuerunt Epiſcopi CCCL. ut ex Pſello fert communis opinio, etſi Photius in libello ſynodico ſcribat CCCLXVII. Nilus verò numeret CCCLXIII. & Photio aſſentitur auctor Monologii Græci Juſſu Baſilii Imperatoris

ris editi . Inter quos Patres numerantur complures confeſſionis gloria celeberrimi , ut Plato , & Theophanes Monachi , & Euthymius Epiſcopus Sardicenſis: qui ſub Conſtantino Copronymo vincula & exilia paſſi fuerant: nec non & alii plures , qui pariter in perſecutione Copronymi , pro defenſione cultus Sanctarum Imaginum , multa mala ſuſtinuerunt. Præfuerunt in ea nomine Hadriani Papæ , Petrus Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Archipresbyter , & alter Petrus Monachus & Presbyter , ac Monaſterii Sancti Sabbæ Romæ Abbas : ut præſeferunt prælibata Synodi Acta . *Convenienteſancta & univerſali Synodo* , inquiunt , *quæ per divinam gratiam & piam ſanctionem eorundem Deo confirmatorum Imperatorum congregata eſt in Nicænſium clara Metropoli Bithynienſium Provinciæ , ideſt , Petro Reverendiſſimo Archipresbytero Sanctiſſimæ Romæ Eccleſiæ ſcilicèt Apoſtoli Petri , & Petro Reverendiſſimo Presbytero , Monacho & Abbate venerabilis Monaſterii Sancti Sabbæ Romæ ſiti, retinentibus locum Apoſtolicæ Sedis almi & Sanctiſſimi Archiepiſcopi Senioris Romæ Hadriani* . Hæc Acta , quæ inde ſecundùm locum tribuunt Tharaſio Patriarchæ Conſtantinopolitano, poſtea Vicariis Eccleſiarum Patriarchalium Orientis . Ex parte Principum , qui eidem Synodo interfuerunt , recenſentur in iiſdem Actis , Petrona Exconſul Patricius & Comes Imperialis obſequii , & Joannes Imperialis Oſtiarius & Logotheta militaris Logotheſii .

1132 Habita eſt Actio I. ut antefati ſumus , VIII. Kal. Octobrium XI. Indictionis, ubi poſtulantibus Siciliæ Epiſcopis , Tharaſius Patriarcha cauſam cogendæ Synodi expoſuit , hortatusque eſt univerſos Patres , ut adversùs exortam hæreſim ſtrenuè agerent. Indeque ſuggerente Conſtantino Epiſcopo Conſtantiæ Cypri juſſi ſunt adeſſe Epiſcopi de hæreſi Iconoclaſtarum accuſati. Quibus ingreſſis facta eſt à Principibus ſuggeſtio, ut coram illis atque univerſa Synodo , legeretur Dominorum Imperatorum Sacra , ad eam Synodum miſſa , quam Leontius , qui & erat à ſecretis , in manibus accipiens, legit ad hunc modum .

Conſtantinus & Irene fideles Imperatores Romanorum , Sanctiſſimis Epiſcopis , qui in voluntate & gratia Dei , & juſſione pii Imperii noſtri convenerunt in Nicæna Synodo .

1133 ,, Sapientia , quæ verè Dei & Pa-
,, tris eſt per naturam Dominus videlicèt Je-
,, ſus Chriſtus verus Deus noſter per Divi-
,, nam ſuam & magnam carnis diſpenſationem
,, removens nos ab errore Idolorum , noſtram
,, aſſumpſit , & cooperatione connaturalis ſui
,, ſpiritus renovavit naturam:Et primus Pon-
,, tifex factus , hac vos appellatione dignos
,, effecit , ò Sacri Viri ; Ipſe igitur paſtor bo-
,, nus, qui ovem quæ erraverat , ſuper hu-
,, meros portavit , hominem qui deciderat ,
,, proprio gregi , Angelicis videlicèt & admi-
,, niſtratoriis Virtutibus ſuis conſocians , re-
,, conciliavit nos in ſemetipſo; medioque ma-
,, ceriæ ſublato pariter , ſolvit inimicitiam in
,, carne ſua , pacificam nobis converſationem
,, condonans. Propter quod Evangelicè om-
,, nibus prædicans edicebat : *Beati pacifici ,*
,, *quoniam ipſi filii Dei vocabuntur* .

,, 1134 ,, Ergò intra hanc Beatitudinem ,
,, quæ nobis nobilitatem adoptionis filiorum
,, donavit , inveniri pium Imperium noſtrum
,, volens , ad pacem & concordiam omnem
,, Romanam Rempublicam noſtram dirigere
,, feſtinat . Præcipuè autem Sanctarum Dei
,, Eccleſiarum boni ordinis ſollicitudinem ſu-
,, mere cupit , atque Sacerdotum mercari ſem-
,, per unitatem procurat , Orientis , Septem-
,, ptrionis , Occidentis , & Meridiei : & Præ-
,, ſules adſunt, Deo volente , per Vicarios
,, ſuos , unà cum reciprocis reſcriptis ad ſy-
,, nodicas literas , quæ miſſæ ſunt à Sanctiſ-
,, ſimo Patriarcha . Iſta enim antiquitus lex
,, ſynodica Catholicæ Eccleſiæ , quæ à fini-
,, bus uſque ad fines ſuſcepit Evangelium .

,, 1135 ,, Igitur beneplacito & nutu ejus
,, congregavimus vos Sanctos Sacerdotes ip-
,, ſius, qui diſponitis teſtamentum ejus ſu-
,, per incruenta Sacrificia , ut Diffinitionibus
,, Synodorum , quæ rectè dogmatizaverunt ,
,, judicium veſtrum ſimile fiat , & cunctis
,, ſplendor ſpiritus illuceſcat : *Nemo enim ac-*
,, *cendens lucernam , ponit eam ſub modio , ſe-*
,, *cundùm Domini vocem , ſed ſuper candela-*
,, *brum , ut luceat omnibus qui in Domo ſunt* .
,, Sic enim & legislationes , quæ olim à Pa-
,, tribus noſtris piè traditæ ſunt nobis ſeque-
,, mini , & Sanctæ Dei Eccleſiæ in pacifico
,, ordine permanebunt . Adeò quippe confli-
,, gimus pro veritate , & ad pietatem conten-
,, dimus , & Eccleſiaſtico ordini conſulimus ,
,, antiquam legislationem confirmare volen-
,, tes , ut & militaribus Conſiliis detenti , &
,, Reipublicæ curis vacantes , primùm opus
,, habeamus paciferam obſervantiam Eccleſiæ
,, Catholicæ , & in ſecundo ponentes , ad Sa-
,, cratiſſimam veſtram non fatigemur Syno-
,, dum congregandam : dantes unicuique li-
,, centiam , ut ſinè omni ſubtractione loqua-
,, tur , quæ ſibi viſa fuerint , ut diſtricta exa-
,, minatio fiat , & magis fiducialiter veritas
,, agatur , quatènus & Ecclaſiarum diſſenſio
,, funditus abigatur , & pacis compago nobis
,, omnibus coaptetur .

,, 1136 ,, Et quoniam Paulus Sanctiſſimus
,, Patriarcha cùm ſecundùm Divinam volun-
,, tatem à præſentibus vinculis abſolvendus ,
,, & hanc peregrinationem dimiſſurus , atque
,, ad habitationem , imò verò ad ipſum Do-
,, minum Chriſtum profecturus eſſet , Epiſco-
,, patum refutavit , vitam eligens Monacho-
rum :

„ rum: nobis autem interrogantibus eum, „ quamobrem hoc fecerit; reſpondit: Quia „ ſi morte præoccupatus fuero in Epiſcopatu „ Deo conſervandæ Regiæ Urbis, anathema „ habebo à tota Catholica Eccleſia, quod du- „ cit in tenebras exteriores, quæ præparatæ „ ſunt Diabolo & Angelis ejus: eò quòd Sy- „ nodum quandam dicant hic effectam, quæ „ ſubvertat imaginales picturas, quas Eccle- „ ſia Catholica tenet, amplectitur, & ad „ Commemorationem principalium ſuſcipit. „ Hoc animam meam conturbat, hoc me in „ Commonitionem adducit: quomodo effu- „ giam judicium Dei, pro eo, quòd hujuſ- „ modi viris converſatus fuerim & computa- „ tus. Hæc verò etiam quibuſdam glorioſiſ- „ ſimorum Principum noſtrorum locutus eſt, „ & ſic vitâ exceſſit. Nam ergò terribilem ſen- „ tentiam conſiderante pio Imperio noſtro, „ quamquam & ante hoc ex multis audiveri- „ mus hujuſmodi jurgium, conſilium nobiſ- „ cum conſiliati ſumus, quidnam deberet „ fieri.

1137 „ Et deliberavimus in Conſilio no- „ ſtro, quòd cùm ordinatus foret Patriarcha, „ quæ dicta fuerant, mox perciperent finem. „ Accerſentes ergò viros Eccleſiaſticorum ne- „ gotiorum expertos, & Chriſtum Deum no- „ ſtrum invocantes, & conſilium cum eis fa- „ cientes, quiſnam dignus eſſet provehi ad „ Sacerdotii Cathedram hujus Deo conſer- „ vandæ Regiæ Civitatis, & unius Conſilii „ animique omnibus factis, in Tharaſium „ qui nunc in Pontificali præſidet dignitate, „ dabatur decretum. Hunc itaque advocan- „ tes, ea quæ dicta ſunt & decreta ſuper eo „ pronuntiavimus: Qui nequaquam annue- „ re voluit, neque conſenſum his quæ decre- „ ta fuerant effici poſtulabat. Cùmque nos „ eum, quamobrem obedire minimè patere- „ tur, percontati fuiſſemus: primò quidem „ reſpondit excuſans ſe & ſuper ſe jugum Sa- „ cerdotii, dicens: Nos autem intelligentes, „ quòd excuſationem quandam faceret pro- „ ponens non obediendum, nequaquam ab „ eo, ſed permanſimus perſuadere illi conan- „ tes, quòd ſuſciperet ſummi Sacerdotii di- „ gnitatem. Ipſe itaque videns inſtantiam „ noſtram, cauſam renuntiationis annuntia- „ bat. Quoniam video, inquit, & conſpi- „ cio Eccleſiam, quæ ſuper petram, Chri- „ ſtum ſcilicèt Deum noſtrum fundata eſt, „ ſciſſam nunc & diruptam, & nos aliud lo- „ quentes, & eos qui ex Oriente unius no- „ biſcum fidei ſunt, Chriſtianos videlicèt, „ aliter, & concordantes his, qui ex occi- „ dente conſiſtunt, noſque alienatos ab illis „ univerſis, & per ſingulos dies ab omnibus „ anathematizatos, agnoſco. Et quia Sy- „ nodum univerſalem poſco fieri, dum Vica- „ rii tàm à Papa Romano, quàm ab Orientis „ Principibus Sacerdotum inveniuntur.

1138 „ Hæc nos innoteſcentes in præ- „ ſentia Sacerdotum & glorioſiſſimorum Prin- „ cipum noſtrorum, & totius Chriſto ama- „ bilis Populi noſtri, qui tunc hic aderant, „ virum eduximus, & in præſentia eorum „ quidquid nobis reſponderat & ipſis affatus „ eſt: At verò univerſi illi hæc audientes li- „ benter acceperunt, poſtulantes pacificum „ & pium Imperium noſtrum, ut fieret uni- „ verſalis Synodus. Ergò huic petitioni an- „ nuimus, Deo vos, ut veritatem dicamus, „ congregare volente, & nos ad id dirigente. „ Igitur quoniam à toto terrarum Orbe col- „ legit vos Deus, conſilium ſuum ſtatuere „ volens; Ecce propoſitis ſanctis Evangeliis, „ & intelligibiliter clamantibus: *Juſtè judi-* „ *cate*: State ſtabiles pietatis propugnatores, „ & omnem novitatem vocum, & noviter „ apparentem ſeditionem recidere procurate, „ quemadmodùm & Petrus primus Princi- „ pum Collegii Apoſtolici, qui ſervilis de- „ ceptionis amentiâ percuſſâ, Judaicæ audi- „ tionis ſenſum gladio abſtulit. Extendite ſe- „ curim ſpiritus, & omnem arborem germi- „ nantem fructum contentionis & diſſenſio- „ nis, ac introductæ novitatis, aut magi- „ ſterialibus vocibus tranſplantate, aut Ca- „ nonicis increpationibus concidite, & in „ ignem futuræ gehennæ tranſmittite: ut in- „ tegrum Eccleſiæ corpus compactum & con- „ veniens atque paterna traditione corrobo- „ ratum pax ſpiritus cuſtodiat, & totius Ro- „ manæ Reipublicæ noſtræ conſtitutio ſimul „ tranquilla cum fidei tranquillitate con- „ ſiſtat.

1139 „ Literas autem ſuſcepimus miſſas „ ab Hadriano Sanctiſſimo Papa Senioris Ro- „ mæ per Vicarios ipſius, Petrum ſcilicèt „ primum Presbyterum, & Petrum Deo ama- „ bilem Presbyterum & Hegumenum, qui & „ vobiſcum ſedère videntur: & jubemus ſe- „ cundùm Jus ſynodicum in audientiam om- „ nium recitari. Et cum debito ſilentio his „ auditis unà cum apicibus in duobus qua- „ ternionibus à ſummis Sacerdotibus, & Sa- „ cerdotibus Orientalis Diœceſeos deſtinatis, „ per Joannem Reverendiſſimum Monachum „ & dudum Syncellum Patriarchalis Antio- „ chiæ Sedis, & Thomam Presbyterum & He- „ gumenum; qui & ipſi ecce vobiſcum ad- „ ſunt: per ipſas cognoſcetis, qualis ſit Ec- „ cleſiæ Catholicæ ſenſus. *Hactenus ſacra Im-* „ *peratorum*.

1140 Ipsâ itaque perlectâ, & factâ Prin- cipibus ac eorum Imperio ſynodicâ acclama- tione, cognita eſt cauſa Baſilii Epiſcopi An- cyrani, Theodoſi Myrenſis, atque alterius Theodoſii Amorii Epiſcoporum lapſorum: qui hæreſim publicè abjurantes ac Catholicæ & or- thodoxæ fidei profeſſionem emittentes, ac denique veniam poſtulantes, recepti ſunt. Poſt hos ad ſynodalem conſenſum receptos, ut dictum eſt, producti ſunt alii Epiſcopi pari- ter lapſi, nimirum Hyppatius Epiſcopus Ni- cæ-

cænus, Leo Rhodienſis, Gregorius Piſidiæ, Gregorius Peſſinuntis, Leo Iconii, Nicolaus Hierapolis, & Leo Carpathi: quorum cùm fides non adeò explorata eſſet, prolixior cognitio de jis habita eſt. Cùmque inter loquendum Tharaſius audiviſſet Leonem Epiſcopum Rhodienſem diu in ea permanſiſſe hæreſi, dixit: *Diuturniores paſſiones difficiliores ſunt ad curandum: ſic & anima quæ in obſcuro eſt hæreſeos, lumen orthodoxiæ difficilè recognoſcit.* Actum eſt inde de modo quo præfati Epiſcopi Lapſi, & qui ab ipſis ordinati fuerant, in Eccleſiam recipiendi eſſent, facta pro hac re inquiſitione ex vetuſtis Sanctæ Eccleſiæ regulis, & Sanctorum Patrum aſſertionibus, ex Patriarchio Tharaſii in Synodum allatis. Cùmque aliqui Orthodoxi Epiſcopi ſe difficiliores oſtenderent ad eos lapſos recipiendos, Juvenalis Epiſcopus, ut lapſi veniam quam petebant faciliùs conſequerentur, ex ſua Sede ſurgens, eandem cum lapſis excepturus ſententiam, ſe illis immiſcuit: id quod eadem intentione fecerunt Orthodoxi Illyriciani Epiſcopi, unde illorum receptio dilata eſt in aliam Actionem ſequentem.

1141 Secunda Actio biduo poſt habita eſt, nimirum VI. Kalendas Octobris, ubi coram univerſa Synodo in Patrum conſeſſum à quodam regio Miniſtro, jubentibus Principibus, introductus eſt Gregorius Epiſcopus Neocæſarienſis lapſus, petens veniam, & poſtulans in Sanctam & Orthodoxam recipi Eccleſiam: & facto à Tharaſio diligenti examine, an in veritate, vel fictè pœniteret, atque Eccleſiæ Catholicæ reſtitui cuperet: compertoque illum ex præcordiis pœnituiſſe, mandatum eſt, ut libellum ſupplicem, quo ſe verè Catholicum eſſe profiteretur ipſe conſcriberet, & ſequenti Actione Synodo afferret. Inde verò ſuggerente Leontio regio à ſecretis, atque jubente Synodo per Nicephorum inclytum & regium pariter à ſecretis, lectæ ſunt literæ Hadriani Papæ datæ ad Imperatores, quarum initium: *Deus qui dixit*: & quas nos ſupra recenſuimus. Qua abſoluta lectura, Tharaſius exegit ab Apoſtolicæ Sedis Legatis, nùm ejuſmodi literas ipſi revera ad Dominos Imperatores detulerint: Illis verò affirmantibus, Coſmas Diaconus & Notarius ſuggeſſit legendas eſſe & alias Hadriani literas ad Tharaſium datas: Synodo verò annuente per eundem Coſmam lectæ ſunt, quarum eſt initium: *Paſtoralibus Curis*: & quæ pariter à nobis ſupra relatæ habentur. Ipſis porrò recitatis, Apoſtolicæ Sedis Legati rogarunt, quid Tharaſius, quidve univerſa Synodus de jiſdem ſentiret, Tharaſio inde ac univerſa Synodo reſpondentibus, ſe illas ſuſcipere, ſequi & admittere, Legati Patriarcharum Orientis, magnis præconiis eaſdem Hadriani Epiſtolas, fidemque Tharaſii extulerunt, ac deinceps cum reliquis Epiſcopis & Archimandritis omnibus eaſdem ſua ſubſcriptione confirmarunt.

1142 Die porrò III. Kalendas Octobris iterum convenientes Patres tertia celebrata eſt Actio, in qua omnium primùm ſuggerente Demetrio Diacono admiſſi ſunt, qui ab Epiſcopis lapſis ordinati fuerant, ſuos habentes libellos, & inde inſtante Tharaſio ingreſſus eſt Gregorius Epiſcopus Neocæſarèæ ſuum pariter habens libellum, quem & legit: Cujus tamen cauſa ſubtiliùs eſt agitata, quoniam fama erat eum Iconoclaſtarum anteſignanum fuiſſe, ac tempore perſecutionis multos Orthodoxos in Oriente vexaſſe: ac proinde nonnulli in ea erant ſententia, ut in Eccleſiam tantùm reciperetur, nequaquam ad Epiſcopatum priſtinum reſtitueretur: Cùmque ipſe faſſus fuiſſet neminem in perſecutione vexaſſe, nec hoc crimem ei objectum probaretur, decretum tandem eſt auctoritate Legatorum Apoſtolicæ Sedis ut unà cum Collegis in Sedem ſuam reciperetur. Poſtea ſuggerentibus Joanne & Thoma Patriarcharum Sedium Orientis Vicariis, & annuente Synodo à Stephano Diacono lectæ ſunt literæ Tharaſii datæ ad Patriarchas Orientis, quarum initium eſt: *Multa & magna providentia*, & à Conſtantino Diacono recitatæ ſunt illæ, quas jidem Patriarchæ dederunt ad Tharaſium incipientes, *Sacratiſſimis*, cum inſerta ſynodica Theodori quondam Patriarchæ Eccleſiæ Hieroſolymitanæ, incipiente: *Credimus igitur*, *Beatiſſimi*: Quibus recitatis, & ab univerſa Synodo approbatis, Apoſtolicæ Sedis Legati, nomine trecentorum decem & octo Epiſcoporum, qui ante in eadem Civitate Nicænum primùm Concilium collegerunt, aliter ſentientibus anathema dixerunt. Cùmque eandem ſententiam Sacroſanctæ Synodus planè approbaſſet, ſuaque ſubſcriptione corroboraſſet, fauſtis acclamationibus Imperatoribus oblatis, abſoluta eſt Actio.

1143 In ipſis verò Kalendis Octobris celebrata eſt Actio IV., in qua, ſuggerente Thaſio, & aſſentiente univerſà Synodo, allata ſunt in medium Sanctorum Patrum volumina, ex quibus de cultu ſacrarum Imaginum teſtimonia recitarentur: Primùm tamèn ſacræ Scripturæ teſtimonia pro eodem argumento recitata ſunt tùm veteris, tùm novi Teſtamenti; nimirum quæ habentur in libro Exodi cap. 25., & in lib. Numeror. cap. 7. de Propitiatorio, & duobus Cherubim in eo fabrefactis. Et conſonanter quæ ex viſione Ezechielis cap. 4. exarata habentur; & quæ Divus Paulus in Epiſtola ad Hebræos cap. 9. ex eadem Scriptura de Arca, Propitiatorio, & duobus Cherubim recenſet. Subſequenter verò recitata ſunt teſtimonia Sancti Joannis Chryſoſtomi, Gregorii Nyſſeni, Cyrilli Alexandrini, Gregorii Theologi, Antipatri Boſtrenſis, Aſterii Epiſcopi Amaſiæ, ex Martyrio Sancti Anaſtaſii Perſæ, & ejuſdem miraculis. Item & Beati Nili ex ejus Epiſtola ad Heliodorum, & ex altera ad Olympiodorum;

rum; Leontii quoquè Epiſcopi Neapoleos Cypri, Anaſtaſii, Sophronii, Baſilii, aliorumque compluriùm Patrum; inter quos præcipuè ex Divo Athanaſio recitata eſt hiſtoria de Imagine illa Domini noſtri Jeſu Chriſti, quam Judæi Berythi in Syria iterùm crucifixerunt, clavis perforarunt, & poſt turpes irriſiones & contumelias & conſpurcationes lancea transfoderunt: de qua illud memorabile hiſtoria continet, quòd cùm latus Imaginis perforaſſent, ſanguis & aqua copiosè profluxerint; ex quo illi quidèm in admirationem verſi, nec tamen converſi, novum experimentum tentant, ſi homines malè affecti & morboſi eo ſanguine aſperſi ſanarentur: Quod cùm reverà præſtitum eſſet, Deo corda eorum attingente, omnes abnegatâ perfidiâ, in Chriſtum crediderunt. Deniquè, universâ Synodo jubente, lectæ ſunt Epiſtola Gregorri II. data ad Sanctum Germanum Patriarcham, incipiens: *Qualis & quæ delectatio*, & illæ Germani ſcriptæ ad Joannem Epiſcopum Synadenſem, ad Conſtantinum Epiſcopum Nacoliæ, & ad Thomam Epiſcopum Claudiopoleos; quibus abſolutis, eadem ſancta Synodus profeſſa ſe antiquis traditionibus & Patrum ſententiis inhærere, anathematiſmos pronunciavit, atque omnium Epiſcoporum ſubſcriptione firmavit.

1144 Deindè IV. Nonas Octobris habita eſt Actio V., Tharaſio omnium primo loquente, atque aſſerente, Iconoclaſtas ſectatores eſſe Judæorum, Sarracenorum, Gentilium, Samaritanorum, & Manichæorum. Argumenta porrò Iconoclaſtarum in confirmationem propriæ hæreſeon adducta, refutata ſunt, atque compluribus aliis Sanctorum Patrum teſtimoniis ſacrarum Imaginum cultus roboratus & comprobatus eſt. Poſt hec verò oſtenſum eſt, quòd Anaſtaſius, Conſtantinus, & Victor Patriarchæ hæretici tempore vigentis perſecutionis, ſacros Codices, in quibus de venerando cultu ſacrarum Imaginum mentio aliqua inveniebatur, corruperint, aboleverint & incenderint. Deniquè his peractis, ſententiâ & decreto Apoſtolicæ Sedis Legatorum iterati ſunt adversùs Iconoclatas anathematiſmi, & dimiſſa eſt Actio.

1145 Porrò III. Nonas Octobris habita eſt Actio VI., in qua, ſuggerente Leontio, producta eſt in medium fidei definitio hæretica, edita in impia illa ſeptima Pſeudoſynodo ſub Conſtantino Copronymo celebrata nomine Gregorii Epiſcopi Neocęſareæ, quæ per ſingula capita fuit ab orthodoxis viris Joanne & Epiphanio Diaconis refutata; quibus habitis abſoluta eſt Actio.

1146 Convenientes indè Patres in unum Actionem III. Idus Octobris, VII. habuerunt, in qua edita eſt fidei definitio, ſub titulo: *Terminus ſanctæ magnæ ac univerſalis Synodi ſecundæ in Nicæa collectæ*, quæ ſic ſe habet.

Sancta magna ac univerſalis Synodus, quæ per Dei gratiam & ſanctionem piorum & chriſtianorum Imperatorum Conſtantini & Irenæ matris ejus congregata eſt ſecundò in Nicenſium clara Metropoli Bithynienſum Provinciæ in ſancta Dei Eccleſia, quæ cognominatur Sophia, ſectatà traditione Catholicæ Eccleſiæ, definivit inferiùs ordinata.

1147 „ Qui lucem agnitionis ſuæ nobis „ donavit, & à tenebris Idolorum ac inſania „ nos redemit, Chriſtus ſcilicèt Deus noſter, „ deſponſatâ ſibi ſanctâ ſuâ Catholicâ Eccleſiâ non habente maculam ſeù rugam, hanc „ ſe conſervaturum promiſit; Sanctiſque Diſcipulis ſuis aſſeverabat, dicens: *Vobiſcum* „ *ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi*. Porrò hanc repromiſſionem „ non ſolùm illis donavit, ſed & nobis, qui „ per eos credidimus in nomine ipſius. Ergò „ donum hoc quidam non cogitantes, à verſuto inimico volatici quodammodò facti, à „ recta ratione ceciderunt; traditioni etiam „ Catholicæ Eccleſiæ reſultantes intellectu „ veritatis fruſtrati ſunt; & ut ait proverbialis ſermo, in axe agri ſui erraverunt, & „ collegerunt manibus ſuis ſterilitatem, quia „ ſacrorum monumentorum Deo decibili ornamento detrahere præſumpſerunt, cùm „ Sacerdotes quidèm dicerentur, non eſſent „ autem; de quibus Deus per Prophetam clamat: *Paſtores multi corruperunt vineam* „ *meam, contaminaverunt portionem meam*. „ Sceleratos quippè ſecuti Viros ſenſibus „ ſuis pellectos, calumniati ſunt ſanctã Chriſti Dei noſtri Eccleſiam, quæ ipſi eſt deſponſata, & inter ſanctum & profanum „ non diſtinxerunt, Imaginem Domini & „ Sanctorum ejus ſimiliter ut ſtatuas diabolicorum Idolorum nominantes.

1148 „ Propter quod Dominus Deus „ non ferens intueri ab ejuſmodi peſte corrumpi ſubditos ſuos, nos Sacerdotii Principes beneplacito ſuo undiquè convocavit, divino zelo & nutu ferventes Conſtantini & Irenæ Imperatorum noſtrorum „ adductos, quatenùs Deifica Catholicæ Eccleſiæ traditio communi decreto recipiat „ firmitatem. Igitur cum omni diligentia „ perſcrutantes & diſcutientes, & intentionem veritatis ſectantes, nihil adimimus, „ nihil addimus, ſed omnia, quæ catholicæ „ ſunt Eccleſiæ immutilata ſervamus; & ſequentes ſancta ſex univerſalia Concilia, „ in primis quod in ſplendida Nicæna Metropoli convenit, adhùc etiam & quod poſt „ in divinitùs conſervanda Regia Urbe collectum eſt.

1149 „ Credimus in unum Deum Patrem omnipotentem, factorem Cœli & „ Terræ, viſibilium omnium & inviſibilium. „ Et in unum Dominum Jeſum Chriſtum Filium

,, lium Dei Unigenitum, qui ex Patre natus
,, eſt ante omnia ſæcula: Lumen ex lumine,
,, Deum verum de Deo vero; natum, non
,, factum, conſubſtantialem Patri, per quem
,, omnia facta ſunt. Qui propter nos homi-
,, nes & propter noſtram ſalutem deſcendit
,, de Cœlis, & incarnatus eſt de Spiritu San-
,, cto ex Maria Virgine, & homo factus eſt.
,, Crucifixus etiam pro nobis ſub Pontio Pi-
,, lato, paſſus & ſepultus eſt; & reſurrexit
,, tertiâ die ſecundùm Scripturas: Aſcendit
,, ad Cœlos, ſedet ad dexteram Patris. Et
,, iterùm venturus eſt cum gloria judicare
,, vivos & mortuos; cujus Regni non erit
,, finis. Et in Spiritum Sanctum Dominum
,, & vivificantem, qui ex Patre, Filioque
,, procedit; qui cum Patre & Filio ſimùl
,, adoratur & conglorificatur, qui locutus
,, eſt per Prophetas. Et unam Sanctam Ca-
,, tholicam & Apoſtolicam Eccleſiam. Con-
,, fiteor unum Baptiſma in remiſſionem pec-
,, catorum; expecto reſurrectionem mor-
,, tuorum, & vitam futuri ſæculi. Amen.

1150 ,, Abominamur autem & anathe-
,, matizamus Arium & conſentaneos, & com-
,, municatores veſanæ opinionis ejus; Mace-
,, doniumque & eos, qui juxtà ipſum benè
,, Pneumatomachi nominati ſunt. Confite-
,, mur autem & Dominam noſtram Sanctam
,, Mariam propriè ac veraciter Dei Genitri-
,, cem, quoniam peperit carne unum ex San-
,, cta Trinitate, Chriſtum videlicèt Deum
,, noſtrum, ſecundùm quod & Epheſinum
,, priùs dogmatizavit Concilium, quod im-
,, pium Neſtorium cum collegis ſuis, tan-
,, quàm perſonalem dualitatem introducen-
,, tem, ab Eccleſia depulit. Cum his autem
,, & duas naturas confitemur ejus, qui in-
,, carnatus eſt propter nos ex intemerata Dei
,, Genitrice ſemper Virgine Maria, perfe-
,, ctum eum Deum, & perfectum hominem
,, cognoſcentes, quemadmodùm & Chalce-
,, donenſis Synodus promulgavit, Eutychem
,, & Dioſcorum diffamatos à divino atrio
,, abigens; conferentes cum illis pariter Se-
,, verum, Petrum, & eorum multifariè blaſ-
,, phemantem alterutris perplexionibus ve-
,, ſtim contextam; cum quibus & Origenis
,, & Evagrii ac Didymi fabulas anathemati-
,, zamus, ſicuti & Conſtantinopoli congre-
,, gatum quintum Concilium egiſſe digno-
,, ſcitur. Deindè quoque & duas volunta-
,, tes & operationes ſecundùm naturarum
,, proprietatem in Chriſto predicamus; quem-
,, admodùm & Conſtantinopoli ſexta Syno-
,, dus exclamavit, abjiciens Sergium, Hono-
,, rium, Cyrum, Pyrrhum, Macarium, &
,, eos, qui ſinè voluntate ſunt pietatis, atque
,, iſtis ſimilia ſentientes. Et ut compendioſè
,, fateamur, omnes Eccleſiaſticas ſivè ſcripto,
,, ſivè non ſcripto ſancitas nobis traditiones
,, illibatè ſervamus, quarum una eſt etiam
,, imaginalis picturæ formatio, quæ hiſtoriç
,, Evangelicæ prædicationis concinit ad cer-
,, titudinem veræ, & non ſecundùm phanta-
,, ſiam Dei Verbi inhumanationis effectæ, &
,, ad ſimilem nobis utilitatem commodè pro-
,, ficiens: Quæ namque ſe mutuò indicant,
,, indubitanter etiam mutuas habent ſignifi-
,, cations,

1151 ,, His ita ſe habentibus, regiç quaſi
,, continuati ſemitæ, ſequenteſque divinitùs
,, inſpiratum Sanctorum Patrum noſtrorum
,, magiſterium, & catholicæ traditionem Ec-
,, cleſiæ (nam Spiritus Sancti hanc eſſe no-
,, vimus, qui nimirum in ipſa inhabitat) de-
,, finimus in omni certitudine ac diligentia,
,, ſicut figuram pretioſæ ac vivificæ Crucis,
,, ita venerabiles ac ſanctas Imagines propo-
,, nendas, tàm quæ de coloribus & teſſellis,
,, quàm quæ ex alia materia congruenter ſe
,, habente in ſanctis Dei Eccleſiis & ſacris
,, Vaſis, & veſtibus, & in parietibus ac ta-
,, bulis, domibus & viis, tàm videlicèt Ima-
,, ginem Domini Dei & Salvatoris noſtri Je-
,, ſu Chriſti, quàm intemeratæ Dominæ no-
,, ſtræ Sanctæ Dei Genitricis, honorabiliumque
,, que Angelorum & omnium Sanctorum ſi-
,, mùl & almorum Virorum. Quantò enim
,, frequentiùs per imaginalem formationem
,, videntur, tantò qui has contemplantur,
,, alacriùs eriguntur ad primitivorum earum
,, memoriam, & ad oſculum, & ad honora-
,, riam his adorationem tribuendam.

1152 ,, Non tamen ad veram latrìam,
,, quæ ſecundùm fidem eſt, quæque ſolùm
,, divinam naturam decet, impartiendam;
,, itaut iſtis, ſicuti figuræ pretioſæ ac vivifi-
,, cæ Crucis & ſanctis Evangeliis, & reliquis
,, ſacris monumentis incenſorum & luminum
,, oblatio ad harum honorem efficiendum ex-
,, hibeatur, quemadmodùm & antiquis piæ
,, conſuetudinis erat. Imaginis enim honor
,, ad primitivum tranſit, & qui adorat Ima-
,, ginem, adorat in ea depicti ſubſiſtentiam.
,, Sic enim robur obtinet Sanctorum Patrum
,, noſtrorum doctrina, ideſt traditio ſanctæ
,, catholicæ Eccleſiæ, quæ à finibus uſque
,, ad finem terræ ſuſcepit Evangelium. Sic
,, Paulum, qui in Chriſto locutus eſt, & om-
,, nem Divinum Apoſtolicum Cœtum & pa-
,, ternam Sanctitatem exequimur, tenentes
,, traditiones, quas accepimus. Sic trium-
,, phales propheticè canimus hymnos: *Gau-*
,, *de ſatis filia Sion, prædica filia Hieruſalem;*
,, *jucundare & lætare ex toto corde tuo. Ab-*
,, *ſtulit Dominus à te injuſtitias adverſantium*
,, *tibi; redemit te de manu inimicorum tuo-*
,, *rum. Dominus Rex in medio tui; non*
,, *videbis mala ultrà, & pax in te in tempus*
,, *æternum.*

1153 ,, Eos ergò, qui audent aliter ſape-
,, re, aut docère aut ſecundùm ſceleſtos hæ-
,, reticos Eccleſiaſticas traditiones ſpernere,
,, & novitatem quamlibet excogitare, vel
,, proiicere aliquid ex his, quæ ſunt Eccleſiç

„ deputata, ſivè Evangelium, ſivè figuram „ crucis, ſivè imaginalem picturam, ſivè ſanctas Reliquias Martyris, aut excogitare „ pravè aut aſtutè ad ſubvertendum quidquam ex legitimis traditionibus Eccleſiæ „ Catholicæ, vel etiam quaſi communibus „ uti ſacris vaſis, aut venerabilibus Monaſteriis: ſi quidèm Epiſcopi aut Clerici fuerint, deponi præcipimus; Monachos autem vel Laicos à communione ſegregari. *Hactenus fidei definitio*, cui ſubſcripſerunt primùm Apoſtolicæ Sedis Legati, indè Tharaſius, poſteà Joannes, & Thomas trium Sedium Patriarchalium Orientis Vicarii, & deniquè univerſi alii Epiſcopi.

1154 Poſt hæc ſancta Synodus exclamavit, ſe ita credere, & ſapere, atque hanc fidem eſſe Patrum, fidem Apoſtolorum, fidemque orthodoxorum, quæ orbem terrarum firmavit; dictumque Anathema his, qui aſſumunt dicta, quæ à Divina Scriptura contra Idola proferuntur, in venerabiles Imagines his, qui vocant ſacras Imagines Idola; his qui non ſalutant ſanctas & venerabiles Imagines, his qui dicunt, quia ut ad Deos Chriſtiani ad Imagines acceſſerunt; his qui communicant ſcienter iis, qui injuriam & contumeliam venerabilibus Imaginibus inferunt; his qui dicunt, quia præter Chriſtum alius eruit nos ab Idolis; & his qui audent dicere Catholicam Eccleſiam aliquandò Idola recepiſſe. Indè acclamatum eſt Principibus; atque iterùm dictum eſt Anathema cunctis hæreticis, Concilio adversùs ſanctas Imagines celebrato, & nominatim Theodoſio falſi nominis Epiſcopo Epheſino, Siſinnio cognomento Paſtillæ, Baſilio Tricaccabo, Anaſtaſio, Conſtantino, & Nicetæ quondàm Patriarchis Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, Joanni Nicomediæ, & Conſtantino Nacoliæ Epiſcopis: ac deniquè eis, qui Chriſtum, Deum circumſcriptum ſecundùm humanitatem non confitentur; vel Evangelicas narrationes, titulis picturiſque factas non admittunt; vel eas tanquàm in nomine Domini & Sanctorum ejus factas non oſculantur; vel Eccleſiaſticam traditionem ſivè ſcriptam, ſivè non ſcriptam irritam faciunt. Ad extremum factis acclamationibus Germano orthodoxo quodàm Epiſcopo Conſtantinopolitano, Joanni & Gregorio, ſivè Georgio, & Juliano, datæ ſunt literæ Synodicæ Imperatoribus Conſtantino & Irenæ, ac Sacerdotibus & Clericis, tùm Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, tùm aliarum Eccleſiarum.

1155 Deniquè, ut exhibet nova hujus Synodi editio, die x. Kalendas Novembris celebrata eſt VIII. & ultima Actio in Regia Conſtantinopolis Civitate, Imperatoribus præſentibus, quibus & jubentibus lecta eſt, & recitata à Coſma Diacono antefata fidei definitio; quâ abſolutâ, inſtantibus iiſdem Imperatoribus, univerſa Synodus eam iterùm comprobavit, atque aliter ſentientibus Anathema pronunciavit: Deindè ſecutæ ſunt acclamationes Imperatoribus, & Acta Synodica, rogante Tharaſio, obſignata fuerunt & ſubſcripta ab iiſdem Imperatoribus Irene & Conſtantino, ex quorum pariter juſſione recitatæ ſunt Sententiæ Sanctorum Patrum, quæ Actione IV. fuerant iu Nicæna Metropoli allegata pro ſanctarum Imaginum cultu: & ita univerſis acquieſcentibus, dimiſſa & abſoluta eſt Synodus; In qua XXII. Canones ad Eccleſiaſticam Diſciplinam pertinentes, leguntur editi. Data deniquè eſt & Synodica ad Hadrianum Papam tenoris ſequentis.

Per cuncta Sanctiſſimo ac Beatiſſimo Fratri, & Comminiſtro, Domino Hadriano Papæ ſenioris Romæ, Tharaſius, miſericordiâ Dei Epiſcopus Conſtantinopoleos novæ Romæ, in Domino ſalutem.

1156 „ Sufficeret quidèm ſalutaris diſpenſatio magni Dei & Salvatoris noſtri „ Jeſu Chriſti ad pacem, unanimitatem & „ concordiam omnibus Chriſtianis. Ipſe „ namque poſt ex mortuis reſurrectionem „ Apoſtolis ſuis inſufflans, ait: *pacem meam* „ *do vobis, pacem meam relinquo vobis*; cujus rei gratiâ conſtans omnibus nobis ille, „ qui raptus in tertium Cœlum, & in Paradiſum ingreſſus, audivit arcana verba, Paulus ſcilicèt Divinus Apoſtolus aſſeruit, dicens: *Chriſtus eſt pax noſtra, qui fecit utraque unum, & medium parietem maceriæ diſſolvens, inimicitiam in carne ſua*. Theſſalonicenſibus præcipiens, ait: *Itaque, fratres, ſtate, & tenete traditiones, quas didiciſtis ſivè per Sermonem, ſivè per Epiſtolam noſtram*. Sed quoniàm inimicus, qui ab initio „ nequam eſt Diabolus, non dimiſit per diverſa tempora ædificatam ſupra fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum Eccleſiam, ſecundum quod ſibi viſum eſt, diſcindere atque diſrumpere, ſemet inferens „ per quoſdam ſe ſequentes Viros malos; & „ zizania ſuperſeminare in regione hac, quæ „ culta eſt à tubis ſpiritus, Apoſtolis ſcilicèt „ Sanctis. Ipſi enim virtute ex alto acceptâ, „ & hac divinæ ſulcis operationis proſciſſâ, „ eſcam æternæ vitæ reliquerunt his, qui per „ ipſos crediderunt, carpendam. Horum „ Deiloquam doctrinam Sancti Patres noſtri, qui hujus paſtores & cuſtodes per ſingula fuere tempora, ſuſcipientes; zizania, „ ideſt hæreſes & novitates additiias, atque „ introductas radicitùs exciderunt, & meſſem mundam arvo conſervaverunt.

1157 „ Veſtra ergò fraterna & ſummo „ Pontificio decorata Sanctitas cum his per „ Deiloquas ſuas doctrinas quodammodò ſermocinata, & ab eis accepto veritatis verbo, ſpinoſas herbas, quæ nunc germinaverunt, fideliſſimorum & pacificorum Impe-

„ peratorum veritati concordans , evellere
„ machæra ſpiritus feſtinavit , mittens ſecun-
„ dùm ſcriptam ſibi petitionem noſtram ad
„ univerſalem Synodum faciendam æquivo-
„ cos Viros Principis Apoſtolorum Petri ;
„ Quibus advenientibus , pii & tranquilliſſi-
„ mi Imperatores noſtri eos benignè ſuſci-
„ pientes , ad nos jubebant mitti per eos lite-
„ ras veſtras nobis ſuſcipientibus . Et locuti
„ cum illis , quæ conveniebant , advocavi-
„ mus & eos , qui ab Oriente venerant Sa-
„ cerdotio decoratos viros Joannem & Tho-
„ mam , verbi & ſcientiæ participes , atque
„ reverentiâ & modeſtiâ perornatos ; aderant
„ enim hic & ipſi per idem tempus perve-
„ nientes .

1158 „ Itaque congregatis omnibus Deo
„ amabilibus Epiſcopis hujus Diœceſeos , per
„ nutum & divinum zelum fideliſſimorum &
„ piorum Imperatorum ſeſſio Synodi facta
„ eſt . Sed quidam ex inſenſatis ſenſibus mo-
„ ti , turbationemq; intra ſe facientes , exur-
„ gere nos fecerunt è conſeſſu ; & prohibiti ,
„ anno uno taciti manſimus : At verò anno
„ tranſacto , rursùs Deo amabiles Epiſcopi
„ congregati in Nicenſium clara Metropoli
„ Bithynienſium Provinciæ à piis Imperato-
„ ribus noſtris juſſi ſunt . Siquidèm & nos
„ comites nobis adſciſcentes Deo amabiles
„ viros & loci Servatores veſtros , ſimiliter
„ & eos , qui de Oriente venerant , perrexi-
„ mus ad eandem Metropolim ; qui cùm om-
„ nes ſediſſemus , Caput fecimus Chriſtum :
„ Jacebat enim in ſancta Sede Evangelium
„ ſanctum , conteſtans omnibus nobis ſacra-
„ tis Viris , qui conveneramus : *Judicium ju-
„ ſtum judicate* ; Judicate inter ſanctam Dei
„ Eccleſiam , & novitatem , quæ facta eſt . Et
„ cùm prælatæ primitùs veſtræ fraternæ San-
„ ctitatis literæ legerentur , præſtolabantur
„ omnes , ſpiritalibus eduliis tanquàm in
„ regalibus Cœnis fruentes , quæ Chriſtus
„ per literas tuas epulantibus præparabat ; &
„ ſicut oculus totum corpus ad rectitudinis
„ veritatis ſemitam oſtendebat .

1159 „ Sic ergò dirupta membra in unū
„ conveniebant ; ſic vera conſonantia confir-
„ mabatur ; ſic Catholica Eccleſia unitatem
„ recipiebat . Cum quibus & earum , quæ de
„ Orientali Diœceſi miſſæ ſunt nobis literæ ,
„ lectione factâ , integra paternæ traditionis
„ pulchritudo demonſtrabatur , ac vis veri-
„ tatis roborabatur , propoſitis videlicèt le-
„ ctioni plurimis teſtimoniis Patrum . His
„ itaque geſtis , prædicabatur à nobis omni-
„ bus , qui beneplacito Dei congregati era-
„ mus , recta & irreprehenſibilis confeſſio ,
„ quæ nobis miſſa eſt à vobis , & per relatio-
„ nem etiam piis Imperatoribus noſtris . Et
„ omnes hæreticæ illius pravitatis hæreſiar-
„ chæ , & qui eos ſecuti ſunt , & inconver-
„ tibiliter vitam ſuam finierunt , depoſitione
„ damnati ſunt cum his , qui ante in catholi-
„ ca Eccleſia hæreſes amplexi ſunt . Qui
„ enim in vita ſua præſentes fuere , ſalutem
„ ſuam per ſcriptos à ſe libellos confeſſi ſunt .
„ Et nequaquam dimiſit Chriſtus Deus no-
„ ſter , petram nimirum , in qua ſtabiliti ſu-
„ mus , deſuper contextam per totam tuni-
„ cam , ideſt Eccleſiam ſuam , quæ ab ipſo ,
„ & per ipſum ædificata eſt , diſciſſam & di-
„ ruptam ; ſed nec membra aliàs atque aliter
„ ſeſe moventia . Quin potiùs unà cum ve-
„ teribus hæreſibus etiam errorem novæ pra-
„ vitatis eorum , qui Chriſtianos accuſantes
„ contra venerabiles Imagines rabidè latrant ,
„ verbo gratiæ ſuæ deſtruxit , & gladio ſpi-
„ ritus pupugit . Et ſatisfacti ſumus per om-
„ nia , & per experimentum cognovimus ,
„ quia valet ſuper omnia veritas , & vincit
„ ſecundùm non mentientem dicentis vocem .
„ Reſiſtit autem ei univerſorum nullus , &
„ eſt robuſtiſſima , itaut elevetur contra om-
„ nes inimicos ; & eorum , qui reſiſtunt ſibi ,
„ legiones diſſolvit .

1160 „ Ecce enim , ecce labia quidèm
„ falſa loquentium ceſſaverunt , & caligo
„ procacium vituperationum quievit ; illu-
„ xit autem veritatis dogmatum ſpecioſitas ,
„ undiquè abjectâ hæreticâ infamiâ . Et Ec-
„ cleſia ornamentum ſuum ſortita eſt , & ac-
„ cepit requiem ex opprimentibus ſe dolori-
„ bus . Immobilis enim eſt & inexpugnabi-
„ lis , adversùs cujus fidem portæ Inferi &
„ infidelitatis prævalere non poterunt , ſicut
„ ex Dominica voce audivimus : *Et repletum
„ eſt gaudium os noſtrum , & lingua noſtra
„ exultatione* , & facti ſumus lætantes in Ec-
„ cleſia , cui præſidemus ſecundùm Dei vo-
„ luntatem . Hæc itaque facta ſunt Chriſto ,
„ qui ſuper omnia Deus noſter eſt , volente ,
„ per orthodoxos & fortiſſimos Imperatores
„ noſtros . Ipſi enim in omni loco venerabi-
„ les Imagines erexerunt , tàm ſcilicèt in ce-
„ leberrimis Templis , quàm in regalibus Pa-
„ latiis ſuis ; quibus Dominus Deus viciſſi-
„ tudinem tribuat , exaltans cornu Regni eo-
„ rum tàm ad pacem Eccleſiarum ſuarum ,
„ quàm ad ſalutem omnium Chriſtianorum .
„ Et ſit nomen ejus benedictum in ſæcula ſæ-
„ culorum . Amen . *Hactenus Synodica ad
Hadrianum* .

1161 De hac porrò Synodo in Libello
Synodico hæc leguntur : „ Conſtantino verò
„ in Imperio filius Leo Charazenus ſucceſſit ;
„ ejuſq; Imperium Conſtantinus iterùm filius
„ cum matre Irene ſortitus eſt ; qui divinam
„ & ſanctam in Templo Sanctorum & cele-
„ berrimorum Apoſtolorum Synodum inſti-
„ tuentes , uſque ad quartam horam conſiden-
„ tes , anathemate notare Imaginum oppu-
„ gnatores feſtinarunt ; quod tamen ut fie-
„ ret , Scholarii non permiſerunt . *Hæc ibi* ;
„ ſed loquitur de inchoata Conſtantinopolis
„ Synodo , ut antefati ſumus . De Nicæna
porrò abſoluta hæc alia habentur in Libello

à Juſtello & Joanne Pappo edito : „ Chriſti
„ igitur amantes & diviniſſimi Imperatores ,
„ exilio Scholarios caſtigantes, ſanctam œcu-
„ menicam ſeptimam Synodum Niceæ , quæ
„ Bithyniorum Præfecturam ſpectat , con-
„ gregari præceperunt ; cui præfuerunt Præ-
„ ſidentes Tharaſius Conſtantinopolitanus ,
„ qui Paulo Cyprio ſucceſſerat , Petrus , &
„ Petrus Presbyteri , Hadriani Sanctiſſimi
„ Papæ Romani locum tenentes ; Joannes ,
„ & Thomas Monachi & Presbyteri , Pa-
„ triarcharum Alexandrini , Antiocheni ,
„ Hieroſolymitani Diœceſeos Orientalis lo-
„ cum tenentes . Hæc ſancta Synodus eos ,
„ qui contra Dei Eccleſias latraverunt , ana-
„ themati ſubjecit ; & definitione ortho-
„ doxâ expoſitâ , ſacras Imagines ad pri-
„ ſtinam exiſtimationem revocavit . *Hacte-*
„ *nus ibi* .

1162 In Libello Nili de hac eadem Sy-
nodo hæc habentur : „ Sancta & œcumenica
„ ſeptima Synodus Niceæ ſecundò habita
„ eſt , imperantibus Conſtantino & ejus ma-
„ tre Irene , congregata à trecentis ſexagin-
„ ta tribus Sanctis Patribus adversùs Icono-
„ machos , præerant huic Hadrianus Papa
„ Romæ , Tharaſius Conſtantinopolis , Po-
„ litianus Alexandriæ , Theodoritus Antio-
„ chiæ , Elias Hieroſolymorum ; Erat An-
„ nus Mundi 6288. , Chriſti verò 724. A ſe-
„ ptima ad octavam ſunt Anni centũ viginti.
Hæc ibi. Non tamen ſine errore in deſigna-
tione temporis . Apud verò Photium hæc alia
ſcripta reperiuntur : „ Sanctum & œcume-
„ nicum ſeptimum Concilium Nicæam qui-
„ dèm Bithyniæ Metropolim , quæ antea re-
„ ctorum dogmatum judicium fuerat ; ipſam
„ quoq; Religionis Tribunal oſtendit : Tre-
„ centorum autem & ſexaginta ſeptem ſa-
„ crorum Patrum multitudine dilatatum, ſa-
„ cræ magnæque phalangis ſuæ ordinum du-
„ ces ac præſides conſtituit Tharaſium inter
„ Epiſcopos celeberrimum (divinus hic vir
„ atque optimus erat ac dignus , ut ſi quis
„ alius , qui ſacra Regiæ Civitatis guberna-
„ cula tractaret) & Petrum religioſiſſimum
„ Protopresbyterum Eccleſiæ Romanæ , &
„ alterum Petrum Presbyterum ipſum quo-
„ que , & illius manſionis Præfectum Sancti
„ Sabbæ : Hi Sedis Apoſtolicæ ſortiti ſunt
„ locum , Hadriano tunc Pontificiam digni-
„ tatem exercente ; & Joannem & Thomam
„ monaſtica vivendi ratione celebres , & ſa-
„ cro honore inſignes , & totius Orientis
„ Diœceſeon Apoſtolicarum magnarumque
„ Sedium tenentes locum , & vices agentes
„ Epiſcoporum, nempè Apollinarii, & Theo-
„ doriti , & Eliæ ; quorum primus Alexan-
„ driæ , alter Antiochiæ , tertius Hieroſo-
„ lymorum erat Antiſtes . Tunc Conſtanti-
„ nus & Irene rectè de Religione ſentientes ,
„ & pietatis gloriâ coronati, Imperii Roma-
„ ni purpuram induebant . Hoc ſacrum ma-
„ gnumque Concilium recens patefactam &
„ barbaram hæreſim , quæ ab impiis & exe-
„ crandis hominibus parta erat, divinâ, com-
„ munique ſententiâ ſimùl cum ipſis auctori-
„ bus condemnavit . *Hæc & alia ejuſdem ar-*
gumenti ſcribit Photius .

CAPUT XXIV.

De hujus Synodi Contradictoribus.

1163 Abſolutâ itaque , ut præfati ſu-
mus , œcumenicâ II. Nicenâ
Synodo , atque reſtituto in Oriente per diffi-
nitivam ſententiam Imaginum ſanctarum cul-
tu , & hac viâ utriuſque Eccleſiæ Orientalis
& Occidentalis initâ pace , non defuerunt
tùm in Occidente , tùm in Oriente , qui Sa-
tanâ inſtigante, ei adverſarentur . Et quidèm
in Occidente, ſuperſtite adhùc ipſo Hadriano
Romano Pontifice adverſati videntur Pa-
tres Concilii Francofordienſis celebrati An-
no Domini DCCXCIV. , Pontificatus Ha-
driani XXIII. , Regni Caroli Magni XXVI.,
in cauſa Elipandi Epiſcopi Toletani , qui er-
rorem Felicis Epiſcopi Urgelitani , quo aſſe-
rebat , Chriſtum eſſe Dei Filium adoptivùm ,
biennio anteà in Synodo Ratiſponenſi damna-
tum , reſtaurare curavit : Etenim pronuncia-
tâ primùm à prælibatis Patribus adversùs
Elipandi & Felicis dogma hæreticum, ſenten-
tiâ , actum eſt de antefata Synodo , editoque
Canone II. decretum fuit , non eſſe recipien-
dam : „ Allata eſt in medium , *ſcribitur in eo*
„ *Canone*, quæſtio de nova Græcorum Syno-
„ do , quam de adorandis Imaginibus Con-
„ ſtantinopoli fecerunt , in qua ſcriptum ha-
„ bebatur , ut qui Imaginibus Sanctorum ,
„ itaut Deificæ Trinitati, ſervitium aut ado-
„ rationem non impenderent , anathema ju-
„ dicarentur . Qui ſuprà Sanctiſſimi Patres
„ noſtri omnimodis adorationem & ſervitu-
„ tem renuentes, contempſerunt, atque con-
„ ſentientes condemnaverunt . *Hactenus ibi.*
Hinc Eginhardus in Chronico ait : *Synodus*
etiam , quæ ante paucos annos Conſtantinopoli
ſub Irene & Conſtantino filio ejus congregata ,
& ab ipſis non ſolùm ſeptima, verùm etiam uni-
verſalis erat appellata, ab omnibus abdicata eſt.
Et conſentiunt Aimoinus lib.4. cap. 85. de
Geſtis Francorum , Abbas Veſpergenſis in
Chronico ſub Anno Domini DCCXCIII. ,
Hincmarus Rhemenſis in libro contra Hinc-
marum Laudunenſem cap. 20. , & alii Scri-
ptores . Cùm verò plures contradicant, aſſe-
rantque , præfatam Synodum Francofordien-
ſem nequaquam rejeciſſe ſacram œcumenicam
Nicenam Synodum , proindè res accuratiùs
tractanda videtur .

1164 Nonnulli Hiſtorici tradunt , Syno-
dum Francofordienſem nequaquàm ſeptimam
Catholicorum Synodũm damnaſſe , ſed illam
hæ-

hæreticorum, celebratam ſub Leone Copronymo adversùs ſacrarum Imaginum cultum; ſic Platina iu vita Hadriani; Blondus lib.1., Decad.2.; Sabellius lib.8., Enead.8.; & Paulus Æmilius lib. 2. de Geſtis Francorum, quibus adhærent Alanus Copus Dial.4. cap. 18. & 19., & Dial.5. cap. 12. & 13.; Sanderus lib.2. de Imaginibus cap.5., & lib.7. de Viſibili Monarchia num. 613.; Surius in Præfatione ad Synodum Francofordienſem; Vaſquez lib.2. de adorat. Imag. diſp.7. cap.5.; & Suarez tom.1.par.3. diſput.54. ſect.3.; & confirmari videtur à Patribus Concilii Senonenſis celebrati ſub Clemente VII. Anno Domini MDXXVII., ubi ſub cap.14., in quo agitur de ſacrarum Imaginum cultu, inter plura hæc habentur: „ Et inſurgentibus tandèm Imaginum everſoribus, Romani Pontifices, „ Conſtantinus, Gregorius Secundus, & „ Tertius, Stephanus Tertius, & Hadrianus „ Primus, tantâ animi conſtantiâ reſtitere, „ ut illi ſeptimâ tandèm apud Nicæam Synodo, concordi Patrum aſſenſu damnarentur: „ Et Carolus ille, cognomento Magnus, Francorum Rex Chriſtianiſſimus, Francofordienſi conventu ejuſdem erroris ſuppreſſerit inſaniam, quam infœliciſſimus quidam „ Felix in Gallias & Germaniam invexerat. *Hæc ibi*. Ex quo Canone videtur, Synodum Francofordienſem recepiſſe magis, quàm damnaſſe ſeptimam Catholicorum Synodum; damnaſſe potiùs pſeudo illam hæreticorum ſub Copronymo Conſtantinopoli habitam; Et ideò Surius loco mox citato ait: *In Synodo Francofordienſi nihil actum eſſe contra Nicænam Synodum, ſed eam potiùs damnatam eſſe quæ ſub Conſtantino Copronymo Imperatore impiiſſimo ab Iconomachis habita eſt*.

1165 At Bellarminus lib. 2. de Imaginibus cap.14. negat damnatam in Synodo Francofordienſi ſeptimam hæreticorum Synodum, & vult damnatam eſſe Nicænam ſecundam Catholicorum: primùm probat teſtimonio librorum Carolinorum, qui licèt falsò ſint Carolo adſcripti, tamen ſcripti ſunt tempore Caroli, qui eos Hadriano refutandos remiſit, & conſtat Hadrianum refutaſſe, ut liquet ex illius Epiſtola datâ ad Carolum Magnum, cujus initium eſt: *Dominus ac Redemptor noſter*; undè exiſtimat idem Bellarminus, præfatos libros Carolinos ſcriptos eſſe in Synodo Frãcofordienſi, & continere acta ejuſdem Synodi adversùs Nicænam ſecundam Synodum, ut etiam teſtatur Hincmarus illius temporis ſcriptor. Deindè probat teſtimonio antiquorum ſcriptorum, Aimonis, Rhegionis, Adonis, & aliorum aſſerentium in Synodo Francofordienſi damnatam utique Nicænam ſecundam; & dicere aut præfatos auctores mentiri, aut libros eorum eſſe corruptos, ut Alano Copo placet, durum valdè ſibi videtur. Tertiò probat: quoniàm ſi præfati ſcriptores loquerentur de falſa Synodo ſeptima, hæreticorum ſcilicèt, meminiſſent etiam in ſuis hiſtoriis Synodi Nicænæ ſecundæ; & tamen non meminerunt, niſi unius Synodi VII., quam reprobatam dicunt. Neque obſtare dicit, quòd præfati hiſtorici referant reprobatam Synodum Conſtantinopoli habitam, cùm vera ſeptima Synodus habita ſit Nicææ, quoniàm, inquit, ſecuti ſunt libros Carolinos, quorum Auctor lapſu memoriæ, vel ex imperitia poſuit Conſtantinopolim pro Nicæa; & cùm dicat celebratam in Provincia Bithyniæ, ubi non Conſtantinopolis, ſed Nicæa reperitur, ſatis indicare videtur, ſe de Nicæna loqui; eò vel maximè quòd Abbas, & Almoinus, dicunt, damnatam Synodum celebratam tempore Irenæ & Conſtantini, quæ nonniſi Nicæna fuit.

1166 Prætereà, non obſtare dicit quod Hincmarus & libri Carolini dicunt, Synodum reprobatam in Concilio Francofordienſi fuiſſe coactam ſinè auctoritate Papæ, ſicut fuit reverà ſeptima illa hæreticorum, nequaquam Nicæna Catholicorum; quoniàm Hincmarus inquit, ſecutus eſt libros Carolinos, ut ipſe indicat, & Auctor illorum librorum hoc mendacium finxit cum aliis multis. Cùm porrò Platina, Blondus, Sabellius, Paulus Æmilius & alii fateantur, damnatam in Francofordienſi Concilio Synodum de tollendis Imaginibus, qualis reverà fuit ſeptima hæreticorum, reſpondit Bellarminus, in primis hos auctores eſſe recentiores; deindè ait, in Concilio Francofordienſi utraſque Synodos reprobatas fuiſſe, tùm ſeptimam hæreticorum, tùm Nicænam Catholicorum; id quod colligit tùm ex libris Carolinis, tùm ex Hincmaro: & hanc exiſtimat cauſam eſſe, cur antiquorum hiſtoricorum aliqui nominent Nicæam, aliqui Conſtantinopolim, cùm dicunt Synodum Græcorum reprobatam in Concilio Francofordienſi.

1167 His præhabitis, concludit Bellarminus, ſibi videri in Concilio Francofordienſi verè reprobatam Nicænam ſecundam Synodum, ſed per errorem & materialiter, eo modo prorsùs, quo olim Synodus Ariminenſis damnavit *Homouſion*; Nam auctor librorum Carolinorum impoſuit Synodo duo mendacia, unum quòd in Synodo Nicæna definitum fuiſſet, ut Imagines adorarentur cultu latriæ; alterum; ut ſinè Papæ conſenſu à Græcis factum Decretum illud: Etenim in præfatione librorum Carolinorum dicitur, in Nicæna Synodo ſcriptum fuiſſe: *Ut qui Imaginibus Sanctorum, itaut Deificæ Trinitati ſervitium, aut adorationem non impenderent, Anathema judicarentur*. Et ex hoc Patres moti, eam Synodum reprobaſſe, ut nos etiam ſuprà ex ſecundo Canone, ſivè Capitulo ejuſdem Concilii Francofordienſis, adnotavimus. Deindè in eo etiam opere, ait Bellarminus, introducitur Conſtantinus Epiſcopus Conſtantiæ Cypri, in Concilio Nicæno anathema dicens

iis,

iis, qui non adorant Imagines eo cultu, quo adoratur Sanctiſſima Trinitas. Id quod eſt apertè falſum; nam Baſilius Ancyranus, qui anteà fuerat hæreticus, reſipiſcens in ea Synodo, ac ſuam fidei profeſſionem toto audiente Concilio emittens, in prima Actione dixit, ſe Imagines quidèm colere, non tamen latriæ. Et ſanè illius verba ſunt: *Similiter & venerabiles Imagines ſalutans pariter & amplectens, atque adorationem, quæ pertinet ad honorem, impendens*. Et infra: *His, qui non ſalutant ſanctas & venerabiles Imagines, anathema*. Et poſtea: *His qui dicunt, quòd ſicuti ad Deos Chriſtiani ad Imagines accedunt, anathema*. Sed & Conſtantinus Epiſcopus Conſtantiæ Cypri, Actione III. ejuſdèm Synodi, non ut Auctor librorum Carolinorum locutus eſt, ſed longè aliter, nam dixit palàm & manifeſtè: *Ego indignus, his conſentio & concors efficior* (literis ſcilicèt Theodori Hieroſolymitani, *ſuſcipiens & amplectens honorabiliter ſanctas & venerabiles Imagines; atque adorationem, quæ per latriam, ideſt, Deo debitum ſervitutem efficitur, ſoli ſuperſubſtantiali & vivificæ Trinitati impendo. Et qui ita non ſapiunt, neque prædicant, à ſancta Catholica & Apoſtolica Eccleſia ſegrego, & anathemati ſubiicio*. Et ita manifeſtum fit potiùs contrarium locutum Conſtantinum ab eo, quod auctor librorum Carolinorum finxit. Sicut & ex toto contextu Actorum Synodi Nicænæ ſecundæ falſitas ejuſdem apparet auctoris, in eo quod dicat ſinè auctoritate Romani Pontificis decretum illud editum fuiſſe in Synodo Nicæna ſecunda, cùm conſtet omnibus Actionibus interfuiſſe Apoſtolicæ Sedis Legatos, eiſque omnium primos ſubſcripſiſſe: quin & Actione ſecunda, conſtat recitatas fuiſſe Hadriani literas de Imaginibus atque univerſaliter receptas & comprobatas; & ad illarum formam decretum indè fuiſſe ſacrarum Imaginum cultum. Deniquè idem Bellarminus fatetur, Synodum Francofordienſem abſque dubio erraſſe in damnatione ſeptimi Concilii, errore facti non juris, deceptam ex mendaciis conſarcinatis ab auctore librorum Carolinorum, quæ poſteà mendacia ipſe Hadrianus refutaverat, ut liquet ex antefatis ejuſdem Hadriani literis, datis ad Carolum Magnum.

1168 Baronii eadem eſt ſententia ad Annum Domini DCCXCIV. à num. 34. & ſeq. propter eaſdem rationes à Bellarmino allegatas; additque etiam, mirum non eſſe, ſi Galli, quibus tunc temporis inviſi erant Græci, præfatam damnarunt Synodum, quoniam quævis occaſio ſufficiebat, ut eis adverſaretur: Illud occurrit, inquit ſub num. 35., his temporibus res Græcorum Francis peſſimè coluiſſe, ex eò quòd Conſtantinus Imperator, Irenæ matris ſuæ impulſu, recuſavit pollicitas nuptias diù expectatas filiæ Caroli Magni; ob idque quamlibet oblatam occaſionem arripuiſſe rebus ab eo geſtis, pietatem licèt præſeferentibus detrahendi pariter & inſultandi, atque adeò ipſam Nicænam Synodum, ipſorum operâ collectam, & abſolutam non ſinè ſtomacho audiviſſe: Homines ſumus, & quamdiù in hac vita degimus, hiſce interdùm privatis pulſati affectibus inviti cogimur. Mitior fit iſta reprehenſio & tolerabilior redargutio, quàm eos omnes falſitatis arguere & impoſturæ, dùm illis acquievere; qui his malis artibus in eandem Nicænam Synodum irrupere, in quos omnis culpa verſatur. Etenim adverſarii illi concinnatores mendaciorum & fraudum architecti, eò, dolis atque fallaciis circumvenerunt eoſdem ipſos Epiſcopos, qui venerunt ad Synodum; atque ſpecie quidèm pietatis ad condemnationem Nicænæ Synodi permoverunt, mentientes in primis (ut apparet ex libro illo, Capitulari dicto, ad Carolum Magnum miſſo) Nicænam Synodum minimè confirmatam eſſe à Romano Pontifice, ſinè quo (ut idem auctor ibi ait) Concilium conſiſtere minimè poſſit, quòd omnis de fide controverſia ad Romanum Pontificem ſpectet. Sed & quòd planè nefandum eſt, addiderunt, eandem Synodum promulgaſſe manifeſtiſſimam impietatem, eò quòd ex eo hæreſis confirmaretur, qua, ut ajunt, aſſererentur Imagines eodem honore & cultu, quo Deum eſſe à fidelibus honorandas. Hæc in terminis Baronius, proſequens indè referre & refutare præfata mendacia, quibus moti Patres Concilii Francofordienſis, de abdicanda Nicæna ſecunda Synodo ſententiam pronunciarunt.

1169 At ab hac Bellarmini atque Baronii ſententia diſcedit Binius in notis ad Concilium Francofordienſe, duabus quidèm potiſſimùm de cauſis, quarum prima eſt, quòd in Synodo Francofordienſi aderant Apoſtolicæ Sedis Legati, ipſius ſcilicèt Hadriani Papæ, quos Ado in Chronico ſcribit fuiſſe Theophilactum & Stephanum; ac proindè fieri non potuit, ut totum Concilium Francofordienſe ignoraverit, qua auctoritate vera ſeptima Synodus Nicæna congregata, & quid in ea definitum fuerit; Nam cùm hæc Synodus paulò ante ſub eodem Pontifice coacta eſſet, non potuerunt Legati ejuſdem Pontificis auctoritatem & doctrinam illius ignorare. Ergò etiamſi falſi rumores ſparſi eſſent de illa ſeptima Synodo, prout exiſtimat etiam Genebrardus, potuiſſent Patres Concilii Francofordienſis à Legatis Summi Pontificis inſtrui, ipſiuſque ſeptimæ Synodi ſcriptis informari & doceri; Imò cùm celebratio Nicæni Concilii eſſet in univerſa Eccleſia res celeberrima & maximè publicata, non eſt credibile, quòd inter Epiſcopos univerſæ Galliæ & Germaniæ hoc loco congregatos nemo repertus fuerit, cui de congregata ſeptima Synodo, ejuſvè per Pontificem factâ approbatione, nihil planè conſtiterit. Accedit, quòd error ille adorandi Imagines ut

Deos, potiùs eſt error Gentilium, quàm aliquorum hæreticorum, vel eorum qui fidem Chriſti profitentur. Ergo nulla ratione credibile eſt, quod Bellarminus & Baronius exiſtimant, Patres Concilii Francofordienſis id exiſtimaſſe, aut propter ſolos rumores ſparſos id temerè crediſſe, præſertim cum nulla tunc eſſet in Eccleſia illius erroris ſuſpicio, piique & Catholici fuerint Epiſcopi hujus Concilii, de quibus ſuſpicari non liceat, quòd pravo aliquo affectu erga Orientales commoti, Patribus Sacroſancti Nicæni Concilii errorem attribuerint, vel eorum ſententiam inſtar hæreticorum in deteriorem partem interpretati fuerint.

1170 Altera ratio eſt, ratione cujus recedit Binius à ſententia Bellarmini & Baronii, quòd Patres hujus Concilii, ſcilicèt Francofordienſis, ſæpè profiteantur ſe procedere ſub obedientia Romani Pontificis, & in libro Sacroſyllabo ſub finem, dum ſententiam contrà hæreticos proferunt, ſubjungunt hæc verba: *Reſervato per omnia juris privilegio ſummi Pontificis Domini & Patris noſtri Hadriani primæ Sedis Beatiſſimi Papæ*. Item quòd iidem Patres in hoc Concilio ſæpè profiteantur, ſe majorum traditiones ſequi & ab eorum veſtigiis non diſcedere; & quòd Carolus Magnus, qui huic Concilio interfuit, in Epiſtola ad Epiſcopos Hiſpaniæ dicat, ſe in primis conſuluiſſe Apoſtolicæ Sedis Pontificem, quid de cauſa in illo Concilio tractatâ ſentiret; quòdque paulò infra hæc verba ſubjungat; *Apoſtolicæ Sedi, & antiquis ab initio naſcentis Eccleſiæ & Catholicis traditionibus tota mentis intentione, tota cordis alacritate conjungor*. Quæ ſanè Patres Concilii profiteri non potuiſſent, ſi Sacroſanctam Nicænam Synodum à Sede Apoſtolica confirmatam condemnaſſent; Nam, ut ſupra probatum eſt, ex falſa informatione non potuerunt in facto errare. Itaque ſi ſcienter & per errorem hæc fecerunt, utique cum pertinacia & hæreſi iſta fecerunt, atque ita de auctoritate Sedis Apoſtolicæ aliter ſenſerunt, aliter locuti fuerunt. Quæ de tanto & tali Epiſcoporum cœtu non ſunt præſumenda, & ita non eſt veroſimile, ipſos Patres Concilii coram Legatis ſummi Pontificis & Catholico Principe, ſeptimam Synodum auctoritate Pontificia confirmatam condemnaſſe, & Hadriano ſummo Pontifici reſtitiſſe. *Hæc in terminis Binius*.

1171 Addit poſtea, quòd ſi hujus Synodi auctoritate Nicænum Concilium damnatum, atque ita error Iconomachorum ex mala etiam informatione re ipſa approbatus eſſet, certè tunc, vel ante noſtra tempora, illius erroris aliquis ſectator ejus auctoritate ſe, ſuamque ſententiam munire ſtuduiſſet: quod tamen nullus fecit, maximè cùm paulò poſt Carolum Magnum in eadem Gallia exortus fuerit Claudius Taurinenſis, qui errorem illum in Occidentalem Eccleſiam introducere voluit: quem ſanè plurimùm confirmare potuiſſet auctoritate Occidentalis plenarii Concilii, ſi errorem illum definitione confirmaſſet. At verò neque Claudius in ſuum favorem illud adduxit, neque Jonas Aurelianenſis, qui contrà illum eodem tempore ſcripſit, & illius fundamenta confutavit, quidquam de Concilio Francofordienſi reſpondit, vel quo ad hanc partem ſcripſit. Denique, Romana Eccleſia nullum unquam Concilium Provinciale quoad partem aliquam approbavit, & recepit, in quo aliâ quâdam ex parte cum pertinacia & hæreſi aberratum fuit: & hoc Provinciale Concilium, quoad eam partem quæ de ſervitute & filiatione Chriſti definivit, ab Eccleſia Romana receptum & approbatum fuit; non eſt ergo credibile, quòd eodem hoc Concilio Nicæna Synodus ulla ratione condemnata fuerit. *Ita diſcurrens concludit Binius*.

1072 Jacobus Sirmondus in admonitione ad lectorem de Canone ſecundo Concilii Francofordienſis, alia via incedit. Et primò ſupponit Carolinos libros eſſe genuinos, genuinam quoque Hadriani Epiſtolam & confutationem objectorum adversùs ſeptimam Synodum, quæ in libris Carolinis continentur. Sic pariter & Canones Synodi Francofordienſis, utpotè conteſtatos in antiquiſſimis codicibus, & vetuſtiſſimorum Scriptorum auctoritate comprobatos, pariter genuinos eſſe non dubitat. Denique ait non eſſe perſuaſu difficile credere, Epiſcopos Gallos ſeptimam Synodum reprobaſſe, cùm temporibus Ludovici pii non diſſimilia in Synodo Pariſienſi ſenſiſſe, ſcribat Anaſtaſius Bibliothecarius in præfatione ad VII. Synodum oblata Joanni VIII. Quibus pro certis ſuppoſitis, quærit quænam fuerit mens illorum Patrum & vera de Imaginibus ſententia, aut qua ratione purgari queant, qui Synodum Nicænam, quam inter œcumenicas numeramus, explodere auſi ſunt. Et primò fatetur, Patres Concilii Francofordienſis, & auctores librorum Carolinorum verſatos eſſe in hac quæſtione, ut non cum œcumenico Concilio, ſed cum peculiari Græcorum Synodo, contenderent: proindeque in præfatis libris Carolinis Auctores profitentur ſe cum peculiari Græcorum Synodo contendere, & queruntur, quòd illa ſibi, aut univerſalis, aut ſeptimæ Synodi nomen arrogaret, cùm œcumenicam dici poſſe negarent, ad quam ſoli Græci conveniſſent, reliquarumque Provinciarum Eccleſiæ convocatæ, aut ſententiâ per Epiſtolas more Eccleſiaſtico rogatæ non fuiſſent: Poſt hæc ſubjungit Sirmondus, inquiens: Et quidem ſi rem ſuis momentis expendamus, ſatis omninò cauſæ videbatur, cur Synodum, cui tot adhuc Provinciarum, ac totius penè occidentis ſuffragia deeſſent, pro œcumenica nondum haberent. Nec Hadrianus ipſe aliter ſe ſentire oſtendebat: qui allatam à Græcis Synodum,

ut

ut Hincmarus docet, in Galliam miſit, Conciliumque ejus cauſa convocari à Carolo juſſit, & libris Carolinis, quibus oppugnata eſt, ita reſpondit, ut œcumenicæ Synodi nomen illis, auctoritatemque nuſquam objicit: quare habebant hac in parte Galli, quo ſe defenderent. *Hæc Sirmondus*.

1173 Deinde procedens ait, in quæſtione Imaginum Epiſcopos Gallos in uno à ſeptima Synodo diſſenſiſſe, in altero conveniſſe: Nam cùm in Synodo Nicæna, inquit, de Sacris Imaginibus duo eſſent conſtituta: & retinendas nimirum, & adorandas Imagines eſſe; priùs illud noſtri libenter amplectebantur, quod ipſi quoque jam ante in Synodo Gentiliaca contra Græcos Iconoclaſtas adſtruxerant: alterum verò penitùs reſpuebant, Imaginesque non adorandas, ſed memoriæ tantùm causâ & inſtructionis habendas affirmabant, Gregorium Magnum, ut ajebant, ducem ſequuti, qui in eam ſententiam Sereno Maſſilienſi Epiſcopo reſcripſiſſe videbatur. Ac meritò ſanè adorandas Imagines negarent, ſi adorare id erat, quod interpretabantur, hoc eſt Divinum honorem, cultumque deferre. Sic enim vitandam Imaginum adorationem docuerat S. Gregorius, & adorari Deum ſolum manifeſtum eſt. *Hæc ille*, qui poſtea ſubjungit ſibi mirum eſſe potuiſſe Epiſcopos ſuſpicari ſeptimam Synodum definiviſſe, adorandas Imagines cultu latriæ, cùm & in Actis ejuſdem Synodi, & in ipſa fidei definitione; conſtet, nil aliud eſſe definitum à Patribus ſeptimæ Synodi, niſi ut Imaginibus tribuatur quædam adoratio honoraria, qua dum Imagines proſequimur, prototypa ipſa per eas honoramus. Quo ſenſu S. Gregorius, qui adorandas Divino cultu Imagines ſcribens ad Serenum negabat, in aliis ad Januarium, & Secundinum datis Epiſtolis, congruentem hanc illarum venerationem apertè confirmarat. Cæterùm de primo ad ultimum in ea eſt ſententia Sirmondus, ut Patres Synodi Francofordienſis, decreverint adversùs ſeptimam Synodum Imagines nequaquam eſſe adorandas, quaſi ſeptima Synodus decreviſſet, adorandas eſſe cultu latriæ, concidente ejus ſententiâ cum illa Baronii & Bellarmini, cui adverſantur rationes à Binio allegatæ.

1174 Ad quas addo & alteram, quoniam, ut ſupra fati ſumus ſub Stephano III. Papa Romæ Synodus in Eccleſia Lateranenſi celebrata fuit, currente Domini anno DCCLXIX. qui fuit primus regni Caroli Magni in cauſa præciſè venerationis Sanctarum Imaginum, cui miſſi à Pipino, Carolo Magno, & Carolomanno interfuerunt ex Gallia Epiſcopi XII. nobilioris notæ, ut Anaſtaſius ſcribit in hujus Pontificis vita: in qua quidem Synodo apertè definitum fuit, teſte ipſo Hadriano, in Epiſtola data ad Carolum Magnum ſæpè citata, in reſponſione ad caput V. Communi omnium Epiſcoporum aſſenſu, adorandas, atque venerandas eſſe Sacras Imagines: *Ipſe*, ait Hadrianus, *unà cum omnibus Epiſcopis præſidentibus Sanctorum Patrum teſtimonijs adhærens, adorare atque venerari Sacras Imagines ſtatuerunt*. Et Anaſtaſius: *Statuerunt, magno honoris affectu ab omnibus Chriſtianis ipſas Sacras venerari Imagines*: unde apud Anſelmum, ut etiam ſupra adnotavimus, hic inter alios editus ea in Synodo Canon legitur: *Si quis Sanctas Imagines Domini Noſtri Jeſu Chriſti, & ejus Genitricis, atque omnium Sanctorum ſecundùm Sanctorum Patrum ſtatuta venerari noluerit, anathema ſit*. Quæ quidem ſynodalia definita allata in Gallia per eoſdem Gallicanos Epiſcopos, & promulgata in cunctis Eccleſiis, atque eidem Carolo Regi, ſuiſque fratribus exhibita fuiſſe, citrà controverſiam eſſe debet: ac proinde Epiſcopi Synodi Francofordienſis poſt annos tantum XXV. celebratę ignorare minimè poterant, & minus Carolus ipſe definita in Romana hac Synodo in cauſa Imaginum, & cùm non ſolùm definitum fuerit Imagines retinendas, verùm venerandas atque adorandas, ut præmiſimus, abſque dubio Patres Synodi Francofordienſis definiendo, ut placet Sirmondo, Imagines eſſe retinendas, non tamen adorandas, definitioni Apoſtolicæ Sedis, quin & Synodi Romanæ reſtitiſſent: quinimmo ſibimet ipſis adverſati fuiſſent, cum ipſi profeſſi fuerint, omnem de fide controverſiam ſpectare ad Romanum Pontificem, ut in libris Carolinis dicitur, & poſtea contrarium in facto egiſſent, difiniendo contrà Romani Pontificis & Synodi Romanæ in cauſa fidei ſententiam. Eſt prorſus inveroſimile, quòd cognita mente Apoſtolicæ Sedis, ut rejicerent Patres Galli, ſeptimam Synodum, voluiſſent contra decreta Apoſtolicæ Sedis ſententiam proferre, præſente quoque, nec ignorante Catholico Rege.

1175 Ad hæc porrò: non eſt probabile ut ex conficta aliquorum narratione moti, voluiſſent Catholici Epiſcopi præcipiti judicio; nec re bene perpenſa, damnare ſeptimam Synodum, eo ſolo prætextu quòd definierit Imagines adorandas cultu latriæ, & quòd ſinè Romani Pontificis auctoritate fuerit celebrata: quoniam ſi penès eos erant Acta ſynodalia, ſicut erant, poterant in eis relegere fidei definitionem in qua explicatur, quo cultu Imagines ſunt adorandæ, poterant luſtrare & Hadriani Epiſtolam in eadem Synodo recitatam, ubi idem explicatur, ac denique relegere ſubſcriptiones Legatorum Apoſtolicæ Sedis, ut ſcire poſſent qua auctoritate celebrata fuerit: atque denique meminiſſe debuerant definitionis Romanæ Synodi, ne quicquam temerè definirent quod fidei, & Apoſtolicæ Sedis definitioni adverſaretur: & præcipuè præſentibus Apoſtolicæ Sedis Legatis, omnium ſupradictorum bene conſcii.

1176 Cæterùm cùm tota hujus rei controverſia nitatur in libris Carolinis; expenden-

denda ſunt quæ de ejuſmodi libris Scriptores ſentiant, nimirum quis fuerit auctor, num Carolus, num verò aliquis impoſtor: qua de cauſa adverſentur Nicænæ Synodo de Imaginibus, & an proſcribant quemlibet cultum religioſum & honorarium ipſis Sanctorum Imaginibus.

1177 Et quidem quoad primum, non eſſe Caroli eos libros ſcripſerunt nonnulli, inter quos Baronius ad annum Domini DCCXCIV. ſed & ante illum Bellarminus in lib. 2. de Imaginibus Cap. 15. aſſerens ab aliquo hæretico impoſtore editos ſub Caroli Magni nomine, eos tamen ab ipſo Carolo ad Hadrianum Pontificem miſſos, ut eis reſponderet: nam conſtat Epiſtolam Hadriani datam ad Carolum Magnum, qua confutantur diverſa & plura librorum Carolinorum capita, genuinam eſſe, & ipſius Hadriani; cùm præcipuè conſtet, Juonem Carnotenſem ex ea Epiſtola multa ſub Hadriani nomine in quartam partem ſui Decreti tranſtuliſſe: Non enim ſi Caroli fuiſſent, ab eodem Carolo, ut refellerentur miſſi forent ad Pontificem. Neque probabile eſt Carolum libros hæreſim continentes adversùs cultum Sanctarum Imaginum edere voluiſſe, qui optimè ſciebat propter ejuſmodi errorem Romanos Pontifices à Græcis Imperatoribus defeciſſe, ac ſub tutela Francorum Regum ſe contuliſſe, qui in fide antiqua conſtantes erant, ut ſcribunt Zonaras, Cedrenus Theophanes in Leone Iſauro, & Petrus Diaconus. Deinde propter ſynceram Caroli Magni fidem in cauſa venerationis Sacrarum Imaginum, Claudius Taurinenſis, qui ſub Ludovico pio eundem renovavit errorem, auſus non fuit quidquam mutare toto quo vixit Carolus tempore, ut ſcribit Jonas Aurelianenſis lib. 1. de cultu Imaginum: certè enim non diu venenum evomere retardaſſet, ſi noviſſet Carolum Iconomachis faviſſe. Item non potuit Carolus eidem faviſſe errori, quem ſciebat adversùs Græcos refutatum in Synodo Gentiliaca coram Græcorum & Apoſtolicæ Sedis Legatis tempore Pipini ejus Patris; atque Romæ in ſui ipſius Regni exordio ſub Stephano Papa coram duodecim ſui Regni ex celebrioribus Epiſcopis. Conſtat inſuper omnium Scriptorum teſtimonio, & ex ipſius Caroli literis, carminibus, atque rebus geſtis, ipſum & Hadrianum ſemper conjunctiſſimos fuiſſe etiam ad obitum uſque Hadriani, quem Carolus nobili, pio, atque eleganti Epitaphio honorare voluit, ut videre eſt apud Platinam: neque eſt credibile Carolum alterius fidei fuiſſe quàm Hadrianus, & tam acriter in Hadrianum ſcripſiſſe, ut exhibent Libri Carolini, ſi eum tantopere coluerat ac etiam poſt mortem laudaverat. Accedit porrò, quòd ex ſtilo eorundem librorum apparet, editos ab homine barbaro, imperito, & levi, quod non erat talis Carolus, vir prudens, ingenioſus, & græcè, atque latinè peritiſſimus. Hæc omnia ex Bellarmino ut ex jis conſtet eos libros non eſſe revera à Carolo editos.

1178 His tamen non obſtantibus à Carolo editos plures ex recentioribus exiſtimant, & eſſe citrà omnem controverſiam ſcribit Sirmondus loco ſupra relato ubi ait: *Ac de libris ſanè Caroli, ut Hincmarum omittam, qui hos à ſe lectos teſtatur, inficiari nemo poteſt, niſi qui Hadriani Papę ad eoſdem libros reſponſioni, ſeu confutationi, quæ in omnium manibus verſatur, fidem detractam velit.* Et quidem Hadrianus ea in Apologetica pro Synodo Nicæna Epiſtola, ſcribit ſe cum honore recepiſſe Engilbertum à Carolo miſſum, & per eum Capitulare adversùm Nicenam Synodum: *Præterea*, inquit, *directum à veſtra clementiſſima præcelſa regali potentia ſuſcepimus fidelem familiarem veſtrum, videlicèt Engilbertum Abbatem & Miniſtrum Cappellæ.* Et infra: *Inter quæ edidit nobis Capitulare adverſùm Synodum, quæ pro Sacrarum Imaginum erectione in Nicæa acta eſt. Unde pro veſtra melliflua regali dilectione per unumquodque Capitulum reſponſum reddidimus:* quæ verba indicare videntur, Hadrianum agnoviſſe illud Capitulare, ut à Carolo editum.

1179 Deinde verba ipſa præfationis ad univerſum opus teſtantur ipſum Carolum fuiſſe auctorem: *Quoniam*, inquit, *in Eccleſiæ ſinu regni gubernacula, Domino tribuente ſuſcepimus, neceſſe eſt, ut in ejus defenſione, & ob ejus exaltationem, Chriſto auxiliante, toto anniſu certemus.* Et inde: *Quod opus*, ſubjungit, *aggreſſi ſumus cum cohibentia Sacerdotum in Regno à Deo nobis conceſſo, Catholicis Gregibus Prælatorum non arrogantiæ ſupercilio, ſed Zelo Dei & veritatis ſtudio.* Poſtea in corpore operis lib. 1. Cap. 6. Pipinum Regem venerandæ memoriæ appellat Genitorem ſuum, cujus, ſuâque curâ effectum ſcribit, ut Gallicanæ, aliæque Occidentis Eccleſiæ in pſallendi ordine cum Romana concordarent. Idem aſſeritur in Epiſtola ſynodica Concilii Pariſienſis celebrati in eadem Imaginum cauſa, data ad Ludovicum & Lotharium, ubi dicitur: „ Eandem porrò Sy„nodum, cum ſanctæ memoriæ Genitor ve„ſter coram ſe, ſuiſque perlegi feciſſet, & „multis in locis, ut dignum erat reprehen„diſſet quædam Capitula, quæ reprehenſio„ni patebant, prænotaſſet, eaque per An„gilbertum Abbatem eidem Hadriano Papæ „direxiſſet, ut illius judicio & auctoritate „corrigerentur: Ipſe rursùs favendo illis, qui „ejus inſtinctu tam ſuperſtitioſa, tamque in„congrua teſtimonia memorato operi inſe„ruerant, per ſingula Capitula in illorum „excuſationem quæ voluit, non tamen quæ „decuit, conatus eſt afferre. *Hæc ibi*. Hincmarus quoque in lib. contrà Hincmarum Laudunenſem Cap. 20. loquens de ſeptima Synodo à Concilio Francofordienſi abdicata, ſubjungit: *De cujus deſtructione non modicum volu-*

lumen, quod in Palatio adoleſcendulus legi, ab eodem Imperatore Romam eſt per quoſdam Epiſcopos miſſum, in cujus voluminis quarto libro hæc de univerſalis nomine ſcripta ſunt &c. Addit Natalis Alexandri in Diſſert. VI. Sæculi VIII. §. 6. In exemplariis Manuſcriptis Vaticano, & Tiliano præſeferri nomen Caroli: unde Tilius Epiſcopus Meldenſis in eo ab ipſo edito hunc titulum appoſuit: „ In nomine „ Domini & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, in- „ cipit opus Illuſtriſſimi & Excellentiſſimi ſeu „ ſpectabilis viri, Caroli, nutu Dei Regis „ Francorum, Gallias, Germaniam, Ita- „ liamque, ſivè harum finitimas Provincias, „ Domino opitulante regentis, contrà Syno- „ dum, quæ in partibus Græciæ pro adoran- „ dis Imaginibus ſtolidè, ſivè arroganter ge- „ ſta eſt. *Hæc ibi*: Ex quibus omnibus conſtare videtur, præfatum opus aut ab ipſo Carolo editum, aut ab aliquo alio, ipſo tamen jubente Carolo, & nomine ejuſdem Caroli.

1180 Verùm ejuſmodi rationes non videntur adeò efficaces ut probent præfatum Capitulare eſſe editum à Carolo Magno, vel à quovis alio, ipſomet jubente Carolo. Ex eo enim quòd Carolus illud miſerit ad Romanum Pontificem per Angilbertum Abbatem, ſuæque Cappellæ Miniſtrum, ut objecta in eo adversùs ſeptimam Synodum dilueret, potiùs evincitur non eſſe opus Caroli, quàm probetur: Si enim Carolus adverſatus fuiſſet ſeptimæ Synodo, ac contra eam tale opus edidiſſet, certè non illud miſiſſet ad Romanum Pontificem, ut objecta illa refutaret. Conſtat porrò ex eadem Hadriani refutatione præfatum opus non ab uno ſolo auctore editum, ſed magis conſarcinatum à pluribus, & diverſis Auctoribus, qui abſque ullo ordine geſta Synodi Nicænæ impugnarunt. Certum enim eſt Hadrianum in refutatione objectorum eundem ordinem ſervaſſe, qui in illorum expoſitione ſervatus fuerat in libro ad eum miſſo. Unde apparet, quòd cùm nullus ordo ſervatus fuerit in impugnanda ſexta Synodo, non unus fuerit Auctor, ſed plures, aliis quędam impugnantibus ſextæ Synodi capita, aliis alia, quæ omnia in uno alligata faſciculo, fuerunt Carolo Regi oblata tempore Synodi Francofordienſis: qui ſciens in hujuſmodi rebus attendendum eſſe Apoſtolicæ Sedis judicium, ut pius atque Catholicus Princeps ad Hadrianum refutandum remiſit. Quare Binius in notis ad Epiſtolam XIV. Hadriani ſcriptam pro refutatione prædictorum Capitum, exiſtimat eſſe opus compoſitum à diverſis Diſcipulis quondam Sereni Epiſcopi Maſſilienſis, primi in Gallia Iconomachi, ad quem ſcripſerat Magnus Gregorius; quæ conjectura maximè augetur ex eo quòd Auctores in impugnanda præfata Synodo plurimùm magni faciant teſtimonium Magni Gregorii in Epiſtolà ad eundem Serenum data.

1181 Argumentum porrò depromptum ex præfatione ad integrum opus neque eſt adeò ſolidum, nam Alanus Copus, & Surius meritò dubitant, an ſit antiqua; vel nuper ab aliquo hæretico edita & ſuppoſita, vel ſaltem corrupta: nam qui præfatus, vel ficto, vel ementito nomine Eli Phili, ſivè Eliæ Philiri, ut obſervat Svarez tom. 1. diſput. 54. ſect. 3. ſe nominat ut ſe ipſum occultet, quod ſtatim ſuſpicionem alicujus deceptionis generat: præſertim in re adeò lubrica, & ex ſe ſuſpecta. Et ut Alanus ipſe ex Capite 18. adnotat, ipſum Eli Phili, ſe alium à Carolo eſſe oſtendit: quoniam ex profeſſo in eadem præfatione oſtendere conatur, Carolum fuiſſe illorum librorum Auctorem, re priùs deliberata cum Epiſcopis Concilii Francofordienſis; ex quo palàm concludi poteſt Carolum Magnum nequaquam Auctorem fuiſſe illius præfationis, ſed magis eundem Eli Phili, & ità non editam tempore Caroli Magni, ſed primùm ætate ipſius Eli Phili, unde ex ea nullum ſolidum argumentum pro libris Carolinis ut à Carolo editis ſumi poteſt. Accedit porrò, quod in refutatione Hadriani nulla vel minima mentio præfationis habeatur, quam certè ut optimus & accuratus refutator prætermittere non debuerat, eo vel maximè, quòd in ea manifeſtus relegatur error de loco ſeptimæ Synodi: dicitur enim, prout quoque & in Canone ipſo à nobis ſupra relatum fuit: *Allata eſt in medio quæſtio de nova Græcorum Synodo, quam de adorandis Imaginibus, Conſtantinopoli fecerunt*. Nam quæ Conſtantinopoli acta eſt Synodus in cauſa Imaginum, non de adorandis acta eſt, ſed de auferendis, & earum cultu abolendo; de adorandis verò Imaginibus acta eſt Nicęæ in Bithynia. Certè hoc mendacium refutare non omiſiſſet Hadrianus, ſi antefatam præfationem relegiſſet.

1182 Nec majorem ſoliditatem præbet alterum argumentum depromptum ex Synodica Concilii Pariſienſis data ad Ludovicum pium, & Lotharium Imperatores: nam ſi quæ fuit Synodus Pariſienſis tempore Ludovici pii adversùs Sacras Imagines, non Synodus appellanda eſt, ſed pſeudoſynodus: ſolùm enim ab Eugenio I. Papa, poſtulante Ludovico pio, permiſſum fuit ut paucorum tantùm collatio fieret: ſed collatores veriti non ſunt præfatum Conventum Synodum appellare: & quoniam ipſi collatores non rectè ſentiebant de Imaginum cultu, nondum in Gallia penitùs extincta nefanda Sereni Maſſilienſis Sobole, adversùs Sacras Imagines definire auſi ſunt, decernentes retinendas utique, nequaquam venerandas, editâ poſtea ſynodicâ ad ipſos Imperatores datâ mendaciis pluribus ac ſimul blaſphemiis refertâ. Ut ergo viderentur cum fundamento agere in reprobanda ſeptima Synodo, & abolendo Sanctarum Imaginum cultu, uſi ſunt teſtimonio librorum Carolinorum, & mentiendo falſi ſunt à Carolo Magno in Synodo Francofordienſi editos. Quę

enim

enim in lucem prodierunt anno 1596. ſub nomine Actorum Synodi Pariſienſis, ſub hoc titulo: *Synodus Pariſienſis de Imaginibus anno Chriſti DCCCXXIV. ex vetuſtiſſimo codice deſcripta & primùm in lucem edita*, ſpuria, falſa, & prorsùs ſuppoſititia eſſe, demonſtrat Bellarminus in appendice ad Tractatum de cultu Imaginum.

1183 Suſpectum quoque eſt Hincmari teſtimonium, quoniam ut adnotat Alanus Copus, nec liber ille Hincmari unde ſumptum dicitur, extat, neque ad nos pervenit, niſi ex relatione Illyrici hæretici, cui nulla fides eſt adhibenda, neque ſcimus unde idem Illyricus fragmentum illud excerpſerit, præſertim cùm Trithemius inter Hincmari opera librum illum non numeret. Et notat Svarez loco antefato, in ipſa Hincmari narratione, nonnulla falſa contineri, alia pugnantia, & quædam parùm probabilia: Etenim in primis dicit, volumen editum à Carolo Magno adversùs ſeptimam Synodum, ab eodem Imperatore Romam miſſum eſſe per quoſdam Epiſcopos, quod eſt planè falſum, cùm ex Hadriani Epiſtola palàm fiat miſſum fuiſſe per Engilbertum Abbatem & Miniſtrum Cappellæ, atque per eum illum recepiſſe. Dicit inſuper, in quadam ſeptima Synodo Græcorum quoſdam dixiſſe Imagines eſſe confingendas, alios non eſſe adorandas, id quod abeſt à vero, quoniam hæc acta ſunt in diverſis Synodis Græcorum, quas in unam confundit auctor. Porrò ait Romanum Pontificem receptis Actis Synodi Nicænæ, eos in Franciam direxiſſe, ut per Epiſcopos Eccleſiæ Gallicanæ examinarentur, vel corrigerentur: quod ſanè eſt improbabile; & videtur magis vel ejuſdem Illyrici vel alicujus ei ſimilis farinæ figmentum, ut hac via detrahat auctoritatem ultimi & finalis judicii in rebus fidei Romano Pontifici. His igitur de cauſis ſatis probabile eſt, fragmentum unde deſumptum eſt antefatum teſtimonium, eſſe confictum, & nequaquam Hincmari.

1184 Denique ex inſcriptione quam præſeferunt codices miſ. Vatican. & Tillian. non poteſt efficax deduci argumentum, ut ex eo probetur reverà Carolum Auctorem eſſe illius operis, quando efficaciora in contrarium militant argumenta: facile enim fuit jis, qui Carolo adſcribere voluerunt, nomen Caroli in titulo præſeferre. Et certè exemplare miſſum Hadriano ejuſmodi titulum habuiſſe non probatur, cum nec præfationem illam, quæ modò in codicibus reperitur, in eo extitiſſe probatum ſit. Imò quæ in eodem titulo deſcripta leguntur verba, Regiâ ſunt indigna Majeſtate: non enim Carolus prudentiſſimus Rex, pius, & modeſtus in ipſo operis titulo Synodum Nicænam contumelioſè tractaſſet, imò & Patres omnes unà cum Apoſtolicæ Sedis Legatis, qui ei Synodo interfuerunt ea affeciſſet injuria, ut ſtolidos appellaret & arrogantes: *Quæ in partibus Græciæ* (ibi) *pro adorandis Imaginibus ſtolidè, ſivè arroganter geſta ſunt*. Sunt enim verba livorem & ſuperbiam in auctorem, & contemptum in univerſos Synodi Patres præſeferentia: non ſunt animi pacati, ſed invidioſi cujuſdam hominis dicta. Neque Carolus in ſuis ſubſcriptionibus unquam phraſi illa uſus eſt: in ejus namque Epiſtolis hæc uſualis ſua inſcriptio fuit: *Carolus Dei gratia Rex Francorum, & Longobardorum, ac Patricius Romanus*: Sic Hadrianus ei reſcribens hoc ſolo uſus eſt titulo, *Domino Excellentiſſimo Filio, noſtroque ſpiritali compatri, Carolo Regi Francorum & Longobardorum, atque Patricio Romanorum*. Legitur pariter in Caroli Epiſtolis aliquando ſe ſubſcripſiſſe fidei defenſorem, ut in ejus ſecunda Epiſtola data ad Homerum Auricularium, & in quarta data ad Offam Merciorum Regem: cæterùm generaliter eo tantùm gaviſus eſt titulo, Regis ſcilicèt Francorum & Longobardorum, atque Patricii Romanorum: & poſtquam coronatus fuerat Imperator, addere conſuevit quæ ſunt Romanorum Imperatoribus Epitheta convenientia. Atqui in præfixo titulo operi adversùs ſeptimam Synodum, omittitur. *Patricius Romanorum*, quod regulariter poſtquam creatus fuerat Patricius, omittere nequaquam conſueverat: omittitur quoque titulus, *Regis Longobardorum*, cujus loco dicitur, *Gallias, Germaniam, Italiamque, ſivè harum finitimas Provincias Domino opitulante regentis*, quibus verbis in aliis ſuis ſcriptionibus nunquam uſus fuit. Quare magis videtur ejuſmodi inſcriptionem pro libito ab aliquo confictam, quàm revera ab ipſo Carolo præfixam.

1185 De ſecundo verò, qua ſcilicèt de cauſa Auctor librorum Carolinorum adverſatus ſit Nicænæ Synodo in cauſa Imaginum celebratæ, plura recenſet Natalis Alexandri in Diſſert. VI. Seculi VIII. §. 7. qui & in ea eſt ſententia ut revera præfati libri Carolini ſint à Carolo Magno editi in Synodo Francofordienſi, Galliarum Epiſcopis aſſentientibus: ſcribit ergo: Proclives erant præterea Galli noſtri, & ipſe imprimis Imperator Carolus Magnus ad credendum Græcam levitatem in eum errorem lapſam eſſe, ut ſupremam adorationem Imaginibus deferret. Offenſus enim erat Conſtantino Græcorum Imperatori Carolus, inquit, quòd repudiata ſorore ſua, quam ipſi deſponderat, Mariam Armenam duxiſſet. Hinc inter Principes & gentem utramque offenſio & invidia. Politica itaque ſtudia Carolum Magnum, & Gallicanos, Germanoſque Præſules in partes traxere contrà Synodum à Græcis Nicææ celebratam (hanc enim pro œcumenica non habebant) in eam ſtruxere calamum: atque ut ingenii acumine & eruditione Græcis erant ſuperiores, invidioſè diſputavere, ex æquivoco adorationis nomine ab ipſis uſurpato,

to, & ex Conſtantini Epiſcopi ſententia, litigandi occaſionem ſumpſere, infirmas pleraſque probationes ab ea Synodo in medium adductas ſigillavere.

1186 Deinde ſubjungit: Conſtantinum & Irenem in primis irridendos propinarunt, quòd ſcripta ſua *Divalia* nuncupaſſent, quòd ſe ipſos prædicarent in Epiſtola ad Hadrianum Papam hujus verbis: *Elegit nos Deus, qui in veritate quærimus gloriam ejus*: Quòd Gentili more de Deo ſcripſiſſent: *Rogamus tuam Paternitatem, & maximè Deus rogat, qui neminem vult perire*. Quòd ſcripſiſſent incongruè & ſuperbè: *Per eum qui corregnat nobis Deus*. Synodum Nicænam rident, quòd Mulierem inſtitutricem & doctricem habuerit, ſcilicèt Irenem. In Tharaſium Patriarcham multa effutiunt, ipſi vitium ordinationis exprobrant, quòd ex Laico ad Sedem Conſtantinopolitanam aſſumptus eſſet, quòd rectam de Spiritu Sancto fidem non profiteretur, quem non ex Patre & Filio, ſed ex Patre per Filium procedentem dicebat, & novo abſurdoque vocabulo, *Patri & Filio contribulum*. Suffragium Conſtantini Epiſcopi acriùs impugnant, tum aliud Euthymii Sardenſis illius ſimillimum. Multa Apocrypha, quorum auctoritate uſi ſunt Græci in Synodo Nicæna, rejiciunt; locutiones nonnullas Epiſcoporum paulò duriores carpunt: quòd reprehenſione dignum videatur, ſivè propter minus congruam rationem, ſivè propter æquivocationem & ambiguitatem verborum, ſivè ob ſermonis novitatem, aut barbariem, intactum dimittunt nihil. Uno verbo, concludit, totum opus Carolinum ſui Auctoris in Græcos offenſionem & invidiam ſpirat. Unde mirum non eſt, quòd ex præjudicatæ mentis affectu ipſe exiſtimaverit Nicænam Synodum adorationem ſupremam, ſeu cultum latriæ Imaginibus ſanxiſſe, eoque nomine ipſam impugnaverit impotentiùs. *Hæc in terminis Natalis Alexandri*.

1187 At licèt verum ſit, Auctorem librorum Carolinorum ea adnotaſſe in ſeptima Synodo, quaſi digna cenſurâ, quæ Natalis exhibet, cùm ex jiſdem libris Carolinis, & ex Hadriani reſponſione manifeſta fiant, non perinde aſſentiri poſſum, ut credam præfatos libros à Carolo editos in Synodo Francofordienſi, propter rationem in principio ab eodem Natali Alexandri exhibitam, quam etiam adnotaverat Baronius, ut diximus ſupra ſub numero 1168. Longè abeſt à veroſimili, & à probabilitate, ut Carolus, & Epiſcopi Galli particulari invidia moti, ſoloque motivo quòd erant Græcis offenſi, voluerint tàm acrem cenſuram in Synodum causâ Religionis celebratam inferre. Longè abeſt ejuſmodi cauſa à Religioſitate tanti Principis, nec affirmari poteſt ſinè injuria tantorum Epiſcoporum, quaſi privata obcæcati paſſione, ut in Græcos inveherent, contra ipſam veritatem inſurgerent. Si enim, ut ait Natalis, Epiſcopi Galli acumine & eruditione Græcis ſuperiores erant, ignorare minimè debuerant non tanti ponderis fuiſſe illorum objecta, minui quoque illorum æſtimationem, quòd talem exhibuiſſent Cenſuram, quæ de facili refutari poterat. Itaque verius & probabilius eſt cauſam ejuſmodi Cenſuræ dediſſe hæreticorum invidiam, qui ægrè ferebant in Nicæna Generali Synodo eorum hæreſim damnatam, hoſque, ut antefati ſumus, extitiſſe plures ex Diſcipulis Sereni Epiſcopi Maſſilienſis, cujus propago extincta minimè adhuc erat, & in Gallia plura nova in eadem cauſa in dies excitabant; hæreticorum enim tantùm eſt minima quæque cenſurare, parva magnificare, cùm non habeant unde contra veritatem inſurgant; Catholicorum verò & Religioſorum hominum proprium eſt ſolidam doctrinam reſpicere, veritatem omnibus modis diligenter inquirere, ac inveſtigare, parva etſi non tàm congruè dicta præterire, quoties ſubſtantiali non adverſantur doctrinæ, & ipſi veritati. Ad quid enim conducere poterat, ſeu quid pertinebat ad fidei dogma, de quo erat controverſia, ſi Conſtantinus & Irenes, ſic vel ſic ſcripſerint; ſi Tharaſius ex Laico ordinatus erat Patriarcha, & his ſimilia? Ad hæreticorum hominum ingenia hæc pertinent, nequaquam ad viros Catholicos & Religioſos, multò minus ad magnos & Catholicos Principes.

1188 De tertio denique, an libri Carolini omnem cultum & Imaginum venerationem improbent, an verò ſolùm latriæ cultum, diſputat contrà Dallæum idem Natalis Alexandri contendens ſolùm latriæ cultum eſſe proſcriptum in libris Carolinis, id quod pluribus teſtimoniis ex eiſdem libris depromptis demonſtrare contendit, præcipuè ex Cap. 20. libri primi Cap. 18. & 24. ejuſdem libri Cap. 7. lib. 2. Cap. 13. & 21. pariter ejuſdem lib. 2. ex lib. 3. Cap. 16. & 17. & 18. & ex lib. 4. Capitulo 18. & 26. & 27. & denique 31. ubi præcipuè auctor facta comparatione utriuſque Græcorum Synodi, illius ſcilicèt ſub Copronymo, cum altera ſub Conſtantino & Irene, hæc habet: „ Illi eas convellendas atque contemnendas eſſe cenſuerunt ab Eccleſia perpetua abdicatione: Iſti eas non ſolùm habendas, verùm etiam venerandas ſtudent ſupplici adoratione. Illi eas mancipavere crepitantibus ignibus; Iſti adorant honoriferis thymiamatibus. Illi eas effugiebant etiam cernere: Iſti non ceſſant amplecti. Illi effodere ad ornamentum Eccleſiæ ab antiquis conſtitutas in parietibus: Iſti nuper conditas oblatis perluſtrant luminaribus. Illi ſtudebant eas prorſùs abominari: Iſti ſanciunt omninò oſculari: Illi anathematizabant habentes: Iſti è contrario non adorantes. Quæ duo mala cùm alterutrum contraria ſibi ſint, & à recto tramite remota, reſtat nobis ut viam regiam ſecundùm Apoſto-

„ ſtolum gradientes, neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram declinemus, ut nec cum illis prorsùs abolendas dijudicemus, nec cum iſtis adorandas decernamus; ſed ſolùm Deum adorantes, & ejus Sanctos venerantes, ſecundùm antiquam Eccleſiaſticam traditionem, eas in Eccleſia in ornamenta & memoriam rerum geſtarum, ſi libet, habeamus. *Hactenus Auctor ille*.

1189 Dicit porrò eodem in loco idem Natalis, Carolum, & qui cum Carolo ſentiebant, deceptos fuiſſe partim ex æquivoco adorationis vocabulo, partim ex ſententia Conſtantini Conſtantiæ Cypri Epiſcopi, prout in Actis ejuſdem Synodi, latinè redditis, legebatur, his concepta verbis: „ Suſcipio & amplector honorabiliter ſanctas & venerandas Imagines ſecundùm ſervitium adorationis, quod conſubſtantiali & vivificatrici Trinitati emitto: Et qui ſic non ſentiunt, neque glorificant, à ſancta Catholica & Apoſtolica Eccleſia ſegrego & anathemati ſubmitto, & parti qui abnegaverunt incarnatam & ſalvabilem diſpenſationem Chriſti veri Dei noſtri. *Hæc Conſtantinus*, quibus verbis tribuiſſe videbatur, Synodo totâ conſentiente, Imaginibus adorationem latriæ; quoniam eam, quæ debetur vivificæ Trinitati.

1190 Cæterùm in antiqua latina Verſione, quam exhibet Labæus tom. 7. Conciliorum, poſt Verſionem Anaſtaſii aliter legitur, fertur enim Conſtantinum ſic eſſe alloquutum: *Suſcipio enim & amplector venerandas Imagines, adorationem autem, quæ fit ſecundùm latrìam, hoc eſt, Dei culturam tantummodò ſuperſubſtantiali & vivificæ Trinitati conſervo*. Anaſtaſius verò vertit ita: *Suſcipiens & amplectens honorabiliter ſanctas & venerabiles Imagines; atque adorationem, quæ per latrìam, ideſt, Deo debitam ſervitutem efficitur, ſoli ſuperſubſtantiali & vivificæ Trinitati impendo*. In Epiſtola verò Hadriani aliter quoquè legitur; nam dicitur: *Suſcipio & amplector honorabiliter ſanctas & venerandas Imagines, & quæ ſecundùm ſervitium adorationis, quæ ſubſtantiali & vivificatrici Trinitati emitto*; quæ ſententia ſic concepta rectum ſenſum habere poteſt; ſed in hoc nihil contendere audeo, utcumque locutus fuerit Conſtantinus, non rectè propter illius allocutionem damnanda erat Synodus Nicæna, quaſi Imaginibus decreviſſet adhibendam latrìæ adorationem, cùm aliter in ejus definitione apertis verbis decretum fuerit; undè rectè Hadrianus in reprehenſione illius capitis ait, Patres Synodi talem adorationem ſe confeſſos pro ſacris Imaginibus credere, qualis in definitione Synodi conſtituta eſt.

1191 Non abnuo, auctorem horum librorum impugnare ſanctam Synodum Nicænam, quaſi decreviſſet adorandas Imagines adoratione latriæ, & propter non rectè intellectam Conſtantini ſententiam, & propter alia dicta ſimilia Euthymii Epiſcopi Sardenſis in pravo ſenſu explicata; & quia ubicumque ſancta Synodus utitur voce adorationis, pro latria uſurpata fuit, licèt non rectè. Non tamen ita certò aſſererem, præfatum auctorem ſolam latriæ adorationem damnare, & non quamcumque aliam venerationem, vel quemlibet alium religioſum cultum, ut colligi poteſt, ſi attentè examinentur apud Hadrianum objecta Carolina: Ex ipſis quoquè verbis allegatis ab ipſo Natali ex cap.31. apparet, auctorem illorum librorum damnare luminaria, quæ ad Imagines venerationis gratià accenduntur, oſcula, amplexus, incenſum & ſimilia; & in fine concludit pro ornamento tantùm Eccleſiarum, & ob memoriam geſtorum, retineri poſſe, & quidèm ad libitum, *ſi libet*. Undè probabiliſſimum eſt, libros Carolinos quemlibet religioſum cultum ademiſſe ſanctis Imaginibus. Neque hoc aſſertum favet Dallæo, vel Iconomachis, unà ſemèl, quòd aſſeramus, Carolum Magnum nequaquàm fuiſſe auctorem præfatorum librorum, benè verò hæreticos illos Iconomachos à Sereni Maſſilienſis ſchola exortos: Et gratis conceſſo, Carolum fuiſſe Auctorem, nihil planè obtinere poſſunt Iconomachi; ut enim notat Bellarminus loco cit. cap. 15. in fine, ſolùm haberent teſtimonium unius hominis laici, & militis, quod opponere Generali Epiſcoporum Concilio ſtultitia eſt manifeſta; quoniam, ut rectè Damaſcenus ait in Orat.2. de Imaginibus: *Chriſtus non commiſit Eccleſiam Regibus & Imperatoribus, ſed Epiſcopis & Paſtoribus*.

1192 Itaque de primo ad ultimum his omnibus rectè penſatis, verius & probabilius mihi videtur nec libros Carolinos eſſe à Carolo Magno editos, nec Synodum Francofordienſem veram ſeptimam Catholicorum Synodum damnaſſe. Nec Hincmari teſtimonium quod plurimùm magnifaciunt alterius ſententiæ ſectatores, quidquam probare poteſt, cùm ſuſpectum ſit, nec conſtet eſſe Hincmari, pluraque falſa & improbabilia contineat, ut ſuprà demonſtravimus ſub num.1183., cujus tamen verba integra referre, & iterùm ſub trutina reponere non erit otioſum: Ait ergò in Opuſculo 55. Capitum, in Cap.20., ut exhibet fragmentum ab Illyrico editum: *Septima apud Græcos vocata univerſalis Pſeudoſynodus de Imaginibus, quas quidam confringendas, quidam autem adorandas dicebant; neutra verò pars intellectu ſano definiens*. Hoc ſanè falſum eſt, quoniam ſeptima Synodus Catholicorum duas partes non habuit, quarum una confringēdas, altera adorandas Imagines contenderent, ut liquet ex Actis ipſis, atque omnium Epiſcoporum interlocutionibus, nemo eâ in Synodo eſt inveniri, qui contenderet, nec quidèm verbum diceret de confrin-

fringendis imaginibus, omnes in unam conſpiravere ſententiam retinendas eſſe & venerandas; & qui olim alterius fuerant ſententiæ, abſque ulla contentione, abjurato errore, cum cæteris convenerunt. Confundit potiùs auctor ille duas Synodos in unam, illam ſcilicèt hæreticorum ſub Copronymo habitam, cum illa Catholicorum, quàm de una ſola & ſeptima loquatur Catholicorum, ut etiam ſuprà prænotavimus.

1193 Pergit auctor: *Sinè auctoritate Apoſtolicæ Sedis, non longè ante noſtra tempora, Conſtantinopoli eſt à quamplurimis Epiſcopis habita & Romam miſſa, quam etiam Papa Romanus in Franciam direxit*. Eſt quidèm apertum mendacium aſſerere, ſeptimam Synodum celebratam eſſe ſinè auctoritate Apoſtolicæ Sedis, ut ex Actis ejuſdem Synodi, ex Epiſtola Hadriani Actis inſerta, & ex ſubſcriptione Legatorum Apoſtolicæ Sedis fit manifeſtum; & cùm dicat eſſe Conſtantinopoli celebratam, potiùs alludere videtur ad illam Pſeudoſynodum celebratã ſub Copronymo, quàm ad illam habitam ſub Conſtantino & Irene; illa namque celebrata eſt Conſtantinopoli ſinè auctoritate Apoſtolicæ Sedis, iſta verò Nicçæ in Bithynia cum auctoritate Hadriani I. Papæ. Sed pugnantia ſunt quæ ſubjungit auctor, dùm ait, Acta illa eſſe à Papa Romano in Galliam miſſa, quoniam ſi loquatur de Actis Pſeudoſynodi ſub Copronymo habitæ, falſum eſt miſſa à Pontifice in Galliam ad Carolum Magnum: Si verò ſermo ſit de Actis Nicçnæ Synodi, ſunt improbabilia ea quæ ſubjungit, cùm dicat: *Vndè tempore Caroli Magni Imperatoris, juſſione Apoſtolicæ Sedis, Generalis eſt Synodus in Francia, convocante præfato Imperatore, celebrata, & ſecundùm ſcripturarum tramitem, traditionemque majorum, ipſa Græcorum Pſeudoſynodus deſtructa & penitùs abdicata*. Eſt enim improbabile, ut Pontifex Acta illa miſiſſet ad Carolum, ut Synodo coactâ in Galliam, examinarentur. Etenim geſta Generalium Synodorum inauditum eſt, quòd ſubjiciantur examini Synodorum Nationalium & inferiorum: ultimum enim illorum judicium ſtat penès dumtaxat Sedem Apoſtolicam; ex more Eccleſiaſtico ſolùm evincitur, Romanos Pontifices conſuevìſſe in Provincias tranſmittere Acta Generalium Synodorum, ut reciperentur, nequaquàm ut iterum examini inferiorum Synodorum ſubjicerentur, ut certum ſit ex ipſa Eccleſiaſtica Hiſtoria.

1194 Hinc, ut antefati ſumus, ſuſpicari licebit, tale ſub nomine Hincmari fragmentum aut editum, aut ſaltèm corruptum eſſe ab aliquo hæretico ſanctarum Imaginum hoſte, & ut ex eo oſtendere poſſit, definitiones Generalium Synodorum, & ipſius Apoſtolicæ Sedis, adhùc ad examen revocari poſſe, atque iterùm judicari in Synodis inferioribus; Et quidèm Dalix Carentonicus miniſter ex proteſtantibus *in Diſſert. de Conciliorum quorundam Definitionibus ad examen revocandis*, typis ſinè auctoris nomine edita Anno Domini 1679. Ex libris Carolinis, & ex Synodo Francofordienſi & Pariſienſi, probat, Definitiones Conciliorum Generalium confirmatorum à Romano Pontifice, ad examen iterùm revocari poſſe. Id certè quod in mente habuit aut corruptor fragmenti Hincmari, aut conſarcinator illius ſub nomine Hincmari.

1195 Deindè ſcribit auctor, Acta illa Synodica directa in Franciam tempore Caroli Magni Imperatoris, & juſſu ejuſdem Imperatoris coactam eſſe Generalem Synodum, jubente Põtifice, alludens ad Synodum Francofordienſem, in quo neſcit tempora diſtinguere, quoniam tempore Synodi Francofordienſis nondùm Carolus acclamatus, nec coronatus erat Imperator: fuit enim ferè ſexennio poſt Romæ acclamatus Imperator, & à Leone III. Hadriani ſucceſſore coronatus Anno Domini DCCC., ut omnes Hiſtorici fatentur. Deniquè non minùs falſa ſunt quæ ſubjungit, dùm ait: *De cujus deſtructione non modicum volumen, quod in Palatio adoleſcentulus legi, ab eodem Imperatore Romam eſt per quoſdam Epiſcopos miſſum*; quoniam, ut ſuprà præmonuimus, ex ipſius Hadriani Epiſtola, volumen Carolinum non per Epiſcopos, ſed per Angilbertum, ſivè Engilbertum Abbatem, & Cappellæ Miniſtrum Romam ad Hadrianum directum eſt. Ex tot ergò mendaciis, contradictionibus, atque improbabilitatibus meritò concludi poteſt, præfatum fragmentum aut non eſſe Hincmari, aut majori ex parte corruptum.

1196 Sed quid dicemus de Canone ſecundo Concilii Francofordienſis, quò damnatur & rejicitur ſeptima Synodus? Dico cum Laurentio Surio in admonitione ad Lectorem de Synodo Francofordienſi, in ea Synodo exploſam eſſe Pſeudoſynodum ſeptimam hæreticorum ſub Copronymo celebratam, & Canonem allegatum eſſe corruptum, vel adjectum; quoniam in eo dicitur, habitam eſſe Conſtantinopoli: *Allata eſt*, ait Canon, *in medium queſtio de nova Græcorum Synodo, quam de adorandis Imaginibus Conſtantinopoli fecerunt*. Cùm tamen ſeptima Synodus pro adorandis Imaginibus celebrata ſit in Nicæa Bithyniæ, neque expoſitio Jacobi Sirmondi in notis ad hunc Canonem quidquam relevat, dùm dicit: *Conſtantinopoli factam ſic intelligendum hoc loco, non quòd in ea Vrbe, ſed quòd ab Imperatoribus Conſtantinopolitanis*. Eo nàmque ſenſu & Chalcedonenſis, & Epheſina, & ipſa prima Nicçna poſſent dici habitç Conſtantinopoli, quia ab Imperatoribus Conſtantinopolitanis celebratæ, cùm tamen nemo ſit qui dicat, eas Synodos, vel ſcribat ex innumeris auctoribus, qui de Synodis ſcripſerunt, habitas eſſe Conſtanti-

no-

nopoli. Meo videri, ſi excuſationem aliquam meretur præfati Canonis Scriptor, in eo tantùm poſſet excuſari, quòd ultima Actio ſeptimæ Synodi fuerit Conſtantinopoli coràm Principibus celebrata; ſed ſi omnia in Nicæa acta ſunt uſque ad fidei definitionem, adeòut in antiquis exemplaribus nec habeatur octava illa Actio Conſtantinopoli celebrata, ubi tantùm relecta fuit fidei definitio coràm Principibus, & ſubſcripta, non eſt, undè ex hoc mereri poſſit nomen Synodi Conſtantinopolitanæ, & non ſimpliciter & abſolutè *Nicænæ*. Quarè Surius, relatis verbis Canonis, ſubjungit: „ Ubi homines verſuti, cùm vellent „ lectori perſuadere, Nicænam Synodum hìc „ intelligi oportere, decretum Francofor- „ dienſe corruperunt quidèm, ſed mirabili „ Dei judicio, ut illorum impoſtura omni- „ bus proderetur, obliti ſunt Conſtantino- „ polim eradere, àtque ejus loco Nicæam „ ſubſtituere. Jam verò dùm Conſtantino- „ polis relicta eſt, nemo tàm ſtupidus eſt, „ qui non animadvertat, eam Synodum Fran- „ cofordiæ exploſam eſſe, cujus ſuprà me- „ minimus, quæ ſub Conſtantino Coprony- „ mo ab Iconomachis habita eſt Conſtanti- „ nopoli. *Hactenus Surius*.

1197 Cæterùm negari non poteſt, quin plures Scriptores referant, in Synodo Francofordienſi damnatam & rejectam ſeptimam Synodum de adorandis Imaginibus, ut præter Enghinardum, Aimoinum, & Urſpergenſem relatos ſub num. 1162. ſcribunt Adhelmus Monachus in Annalibus ad Annum Domini 794. Annales Francorum Fuldenſes ad eundem annum, Ado Viennenſis in Chronico ad præfatum annum, Auctor Chronicon Moiſſiacenſis, Ademarus in vita Caroli Magni, Aventinus, & alii Annaliſtæ, quos refert Natalis Alexandri loco ſupracitato. Verum tamen eſt, non omnes tàm clarè loquutos, ut evinci poſſit, in Synodo Francofordienſi damnatam eſſe Synodum Catholicorum. Etenim Ado Viennenſis ſcribit: *Sed Pſeudoſynodus, quam ſeptimam Græci appellant, pro adorandis Imaginibus, abdicata penitùs*. Annales Fuldenſes inquiunt: *Pſeudoſynodus Græcorum pro adorandis Imaginibus habita, & falsò ſeptima vocata, ab Epiſcopis damnatur*. Et pariformiter loquuntur cæteri Scriptores, & ſi quis ex ipſis deſignat locum, non Nicæam, ſed Conſtantinopolim ponit. Eſt ſanè obſervatione dignum, ut inter tot Scriptores, qui ſcribunt, damnatam Græcorum Synodum pro adorandis Imaginibus celebratam, nemo eſt qui ſcribat, hujuſmodi Synodum eſſe Nicææ in Bithynia celebratam, ſed vel tacent locum, vel ſi qui locum illum nominant, Conſtantinopolim ſcribunt. Ex quo non levis ſuſpicandi conjectura exurgit, eos loqui de ſeptima Græcorum hæreticorum Synodo, quæ ab univerſis Catholicis, utpotè non legitimè congregata, quia non Romani Pontificis auctoritate, nec ipſo conſentiente, Pſeudoſynodus appellata eſt: Id quod non convenit Nicænæ II. Synodo, de Romani Pontificis conſenſu celebratæ, præſentibus quoquè in ea Apoſtolicæ Sedis Legatis, atque aliarum Orientis Patriarchalium Sedium Vicariis. Et licèt ſcribant: *pro adorandis Imaginibus* congregatam, ex errore ſcriptum eſſe, vel textum corruptum. Alanus exiſtimat, & legendum putat: *pro non adorandis Imaginibus*. Notat inſuper & textum Adonis Viennenſis hoc nimirum pacto reſtituendum: *Pſeudoſynodus, quam ſeptimam Græci appellant, pro adorandis Imaginibus abdicata penitùs*, interjecto videlicèt comate ante illa verba, *pro adorandis Imaginibus*, adeòut ſenſus ſit, penitùs abdicatam pro adorandis Imaginibus, ideſt, propter definitionem de adorandis Imaginibus. Ex errore porrò unius, vel alterius Doctoris, ſivè ex non recta aſſequuta mente illius, cæteri ſubſequentes in eundem errorem labi potuerunt: Atqui progreſſu temporis, re ſubtiliùs examinatâ ac meliùs perſpectâ, compertâque veritate, priorum Scriptorum emendarunt errorem; & proindè Platina, Blondus, Sabellius, Paulus Æmilius, & alii, quos ſub num. 1165. retulimus, ſcripſerunt, Synodum Francofordienſem, non Nicænam damnaſſe Synodum, quam potiùs recepiſſe teſtantur, ſed ſeptimam illam hæreticorum ſub Copronymo habitam Conſtantinopoli, quemadmodùm poſteà palàm declararunt Synodi Senonenſis Patres, ut ibidem adnotavimus.

CAPUT XXV.

De Eccleſiæ Catholicæ Fide circà cultum & ſacrarum Imaginum venerationem.

1198 Controvertitur à Doctoribus, quiſnam primus poſt Evangelium cultui ſacrarum Imaginum adverſatus fuerit: undè diverſi diverſa ſcripſere; nos verò incertis & dubiis omiſſis opinionibus, non dubitamus aſſerere, Judæos primarios hujus erroris extitiſſe auctores, qui, dicente Scriptura, Exodi cap. 20. verſ. 2. *Non facies tibi ſculptile, neque omnem ſimilitudinem, quæ eſt in Cælo deſuper, & quæ in terra deorsùm, nec eorum quæ ſunt in aquis ſub terra, non adorabis ea, neque coles*; conſueverant Chriſtianis inſultare, quaſi ſculptilia ſibi facerent, atque colerent ſacras retinendo Imagines, eaſque venerando. Hinc in diſputatione illa Leontii, in qua Judæus diſputat cum Chriſtiano, ut habetur Actione v. ſeptimæ Synodi, introducitur Judæus, dicens: *Offendor autem in hoc, ò Chriſtiani, quòd coràm Imaginibus procíditis. Scriptura autem ubiquè prædicat, nè faciamus nobis ſculptile, aut aliquam ſimilitudi-*

di-

dinem. Hinc Joannes Monachus poſt præfatū Chriſtiani cum Judæo ex Leontio recitatum Dialogum interloquens, dixit: *Ecce quomodò Sancti noſtri Patres, negantes incarnatam diſpenſationem Servatoris noſtri Jeſu Chriſti teſtantur, abjeciſſe ſacras Imagines, Hebræos dico & Samaritas*. Et paſſim Patres in eadem Synodo fatentur à Judæis & Samaritis hanc in ſanctam Dei Eccleſiam invectam hæreſim.

1199 Et ſanè à tempore Juſtini Junioris, longè ante ætatem Leonis Iſauri & Conſtantini Copronymi, Samaritæ hæretici in Catholicos inſurgentes, ſacras & venerabiles Imagines diverſis affecerunt contumeliis, adeòut Simeon Stylita perpendens ea, quæ propè Prophyrionem Civitatem in Templo adversùs ſacras præfati egerant Samaritæ Imagines, mœrore ac ſimul zelo fidei repletus, ſequentem ſcripſerit ad eundem Imperatorem Epiſtolam, recitatam poſteà Actione v. ſeptimæ Synodi, his verbis conceptam.

Beati Simeonis Stylitæ, qui in admirando Monte vixit, Epiſtola ad Juſtinum Juniorem Imperatorem.

1200 „ *Quis dabit oculis meis fontem lacrymarum, ut omnibus diebus vitæ meæ ſatis ex corde fleam?* Tanta enim, veſtrâ Serenitate & pietate regnante, tanta ſcelera & impietates ab impiis & execrandis Samaritanis in ſanctum Templum, quod devota tua Majeſtas extrui juſſit, deſignata ſunt, qualia nunquàm ſunt audita. Dico autem eos, qui Caſtra habent propè Civitatem Prophyrionis. Hæc autem, quæ ſunt facta, breviter & tenuiter cognoſcat veſtra Serenitas in his, quæ noſtra humilitas per Sanctiſſimum Epiſcopum Orientalem Patriarcham, qui non leviter ex hoc angitur, ad veſtram Majeſtatem ſcripſit. Nec lapides ſufficientes ſunt ferre, ſi omnem illam impietatem exclamet, quam oculis ſuis dictus ſanctiſſimus Archiepiſcopus vidit. Citiùs enim mortem & interitum noſtra tenuitas expeteret, quàm iterùm talia mihi narrari audire. Omnem enim blaſphemiam excellit improbum hoc factum, quod in Deum Verbum pro nobis incarnatum, ejuſque glorioſam Matrem, & venerandam, ſanctamque Crucem deſignarunt. Hanc rem cùm cogitamus, ad Divinas veſtras aures nos referimus; Nam cùm videamus pias leges veſtras, eos qui Imaginem ac Statuam Imperatoris ignominiâ afficiunt, extremo & juſto mortis ſupplicio plectere: qua tandèm pœnâ puniendi ſunt, qui in Imaginem Domini noſtri, ejuſque Matrem nefando facinore graſſati ſunt? Profectò non video quid mihi dicendum ſit. Tantum enim ſcelus eſt commiſſum, ut nec ulla humanitatis mica ampliùs ſupereſſe credatur. Quamobrèm obſecramus victorioſam veſtrā potentiam, nè ulla poſthac eis miſericordia oſtendatur, neque ampliùs parcere illis quiſpiam velit, neque ullam Apologiam, aut excuſationem illorum nomine accipere, nè poſt hæc pejora aggrediantur. *Hactenus Epiſtola Stylitæ*, qui & plura alia ſuperaddit, ut ad vindictam excitet Imperatorem.

1201 Ante hos porrò Samaritas Judæi illi, qui Thalmud ex falſis hebræorum traditionibus & confictis conſarcinarunt fabulis, ejuſdem fuere ſententiæ, ut nequaquàm liceat Dei cultoribus retinere vel Imagines venerari, appellantes Idolatriæ domos Chriſtianorum Eccleſias, ord. 2. tract. 1. diſt. 2. propter certè in eis ſacras retentas ac veneratas Imagines. In dies porrò hujus rei causâ pro Idolatris Chriſtianos ſacrarum cultores Imaginum habent.

1202 Sed omiſſis Judæis & Samaritis, Xenajas quidam Perſa vili genere ortus, qui nondùm baptizatus, receptus à Petro Fullone impio hæretico, ejus auctoritate electus eſt Epiſcopus Hierapolis, tempore Zenonis Imperatoris, ſacris adverſatus eſt Imaginibus, de quo Nicephorus lib. 16. cap. 27. hæc ſcribit: „ Xenajas quidam erat (Philoxenum Græca lingua rectè vocat) genere Perſa, & fortunâ ſervus, peridoneus Satanæ miniſter, qui ſub Calendionis Epiſcopatu, cùm ab hero ſuo profugiſſet, ad Eccleſiam Dei acceſſit, Clericum ſe eſſe affirmans, cùm quidem nondùm Divinæ generationis lavacro initiatus eſſet. Calendion ubi hominem eum, & latentem in eo malevolentiam ex ſignis & conjecturis quibuſdam cognovit, ab Eccleſia eum proſcripſit. Ubi verò Calendioni Petrus Cnaphæus (qui & Fullo dictus eſt) ſucceſſit, Xenajam illum non ſolùm recepit, verùm etiàm nondùm baptiſmo initiatum, vicinæ Hieropolis Epiſcopum creavit, & Philoxenum nominavit. Et Petrus, ubi tandèm ſe Epiſcopatum viro nondùm baptizato mandaſſe intellexit, dixiſſe fertur, ſufficere ei pro baptiſmo conſecrationem. Xenajus iſte primùm (oh audacem animum, & os impudens!) vocem illam evomuit, Chriſti & eorum, qui ei placuerunt, Imagines venerandas non eſſe. *Hactenus Nicephorus*.

1203 De eodem Xenaja Theodorus lector ſimilia ſcripſit, ut habetur in eadem Actione v. ſeptimæ Synodi, ait namque: „ Perſa quidam Xenajas vocatus, quem tempore Sacerdotii ſui Calendio inveniens Eccleſiaſtica adulterare dogmata, & Caſtella excitare, pellit à regione. De hoc multa, quæ à diverſis audiens ſcrutatus ſum, ex parte dicam: A Perſarum enim regione proprium Dominum fugiens, ad Romanorum pervenit. *Et Paulo poſt*. Hunc Petrus (*ſcilicet Fullo*) pro Cyro Hieropolien-

„ lienſium Eccleſiæ Epiſcopum tranſmittit; „ quem non poſt multum Epiſcopi à Perſide „ venientes, quaſi vernulam arguebant, & ut „ Divini exortem baptiſmatis. Quo com- „ perto Petrus, quid oporteret fieri, non cu- „ rat, dixit ſufficere illis Epiſcopi conſecra- „ tionem ad ſupplementum Divinæ initia- „ tionis.

1204 Ejuſdem porrò dogmata adversùs ſacras Imagines recenſet Joannes Diacrinomenus, relatus pariter in eadem Actione quinta ſeptimæ Synodi, inquiens: „ Non enim „ licitum aſſerebat Xenajas, Angelos, cùm „ incorporei ſint, corpora facere, & quaſi in „ humanis formis exiſtentes, corporeos for- „ mare. Sed nec illud exiſtimare, honorem „ aut gloriã impendere Chriſto Imaginem ei „ per picturæ artem effectam; eſſe autem illi „ ſolam acceptabilem noſſe in ſpiritu & ve- „ ritate adorationem. *Et poſt alia*. Noſſe „ autem dicit & illud, eſſe puerilis ſenſus, „ fingere in Columbæ Idolo ſanctiſſimum & „ adorandum Spiritũ, præſertim cùm Evan- „ gelicæ nequaquàm tradant literæ, quia fa- „ ctus eſt Columba Spiritus, ſed quia in „ in ſpecie Columbæ apparuit aliquandò, „ quia verò diſpenſatoriè, non ſubſtantiali- „ ter ſemèl oſtenſus eſt, non ideò aptum piis „ eſt corporis Idolum faciendi. Hoc Philo- „ xenus docens, unà cum doctrina etiam opus „ patrabat. Crebrò namque Angelorum Ima- „ gines quidèm deponens delebat; eas verò „ quæ Chriſtum figurabant, in abditis locis „ occultabat. *Hæc ille*. Hinc Tharaſius Patriarcha hac auditâ lectione, ſtatim dixit: *Audiamus, ſacrati Viri, qui non receperunt venerabiles Imagines, non baptizati, Manichæi, & hi, qui phantaſiam prædicant in Chriſti diſpenſatione, ex quorum pollutionibus Chriſtianos accuſantes, hæreſeos introductores ſomites ſuſceperunt*.

1205 Porrò, Leonem Iſaurum ad evertendas Imagines ab Hebræis ſollicitatum ex Theophane, & Manaſſe ſcripſimus ſuprà, Cedrenus quoquè lib. 3. idem aſſeverat, inquiens: „ Hebræi impoſtores, qui quò falſa pronun- „ tiaſſent Arabum Regi, quæſiti ad necem, „ cùm fugiſſent in Iſauriam, nacti Leonem „ adoleſcentem, eundemque & Cononem „ nominatum, videntes ipſum formoſum pro- „ cero corpore, qui ſordidâ arte alebat, præ- „ nuntiaverunt ei, fore ut Romano Imperio „ potiretur; juramentoque eum obligant, ſi „ hoc eſſet, facturum quod poſtulabant. Ju- „ ravit id Leo in Eccleſia Sancti Theodori, „ quæ vicina erat. *Hæc Cedrenus*. Similia habet Zonara: Poſtquàm verò adeptus eſt Imperium, ſcribit Manaſſes hiſtoricus Græcus: „ Hebræi Leonis renuntiatione cognitâ, mox „ ad Imperatorem advolant, & ut promiſſo „ ſatisfaciat, orant; non tamen illi vel au- „ rum, vel gemmas petebant, ſed ſanctarum „ Imaginum picturarum, ſtatuarum venera- „ tione dignarum abolitionem, hoc eſt, ip- „ ſam religioſi cultus everſionem, cujus tur- „ res, atque munitiones hoc facto de funda- „ mento ſubrui oportebat. *Hæc Manaſſes*, qui ſubjungit, impium Principem annuiſſe poſtulatis, & renuentem Germanum ſanctiſſimum Patriarcham ſolio exturbatum, in exilium amandaſſe; ut & nos ſuprà præfati ſumus. Pudeat ergò Imaginum ſacrarum everſores & contemptores tales habere Magiſtros, Anteſignanos & Principes.

1206 Cæterùm legi Dei nequaquàm religioſum & pium ſanctarum Imaginum cultum adverſari, manifeſtum eſt; quoniãm ſi adverſatur, maximè illi Divino adverſatur Præcepto, contento cap. 20. lib. Exodi verſ. 3. *Non habebis Deos alienos coràm te; non facies tibi ſculptile, neque omnem ſimilitudinem, quæ eſt in Cœlo deſuper, & in terra deorsùm*. Levitici cap. 26. verſ. 1. *Non facietis vobis Idolum, & ſculptile, nec titulos erigetis, nec inſignem lapidem ponetis in terra veſtra, ut adoretis eum*. Deuteronomii cap. 5. verſ. 8. *Non facies tibi ſculptile, nec ſimilitudinem omnium, quæ in Cœlo ſunt deſuper, & quæ in terra deorsùm, & quæ verſantur in aquis ſub terra; Non adorabis ea, & non coles*. Atqui hæc & alia ſimilia non adverſantur religioſo cultui, & ſacrarum Imaginum venerationi; quoniam ejuſmodi præcepto cavetur, nè fiant Idola, hoc eſt, alterius Dei ficti & falſi imagines: Eſt autem Idolum imago falſi & ficti Dei; rectè Paulus 1. ad Corinthios cap. 8. verſ. 4. *Scimus quia nihil eſt Idolum in Mundo, & quòd nullus eſt Deus, niſi unus*. Et licèt noſtra Vulgata legat: *Non facies tibi ſculptile*, Septuaginta Interpretes vertunt: *Non facies tibi ipſi Idolum*. Syriaca vertit: *Non facies tibi omne Simulacrum*. Verſio Samaritana: *Non facies tibi Idolum*. Itaque per illa verba alterius Dei imago prohibetur, quæ reverà Idolum dicitur, quod nihil eſt, ſed quid fictum, cùm alter Deus non ſit: proindè ad hoc præceptum præmittit, dicens: *Ego ſum Dominus Deus tuus*; & indè ſubjungit: *non habebis Deos alienos*; ad cujus præcepti explicationem addit: *non facies tibi ſculptile*. Et poſt plura verſ. 23. magis ſe eplicans, ait: *Non facietis Deos argenteos, nec Deos aureos facietis vobis*. Quarè & in Deuteronomio cap. 5., ubi Moyſes iterùm repetit & explicat Decalogi præcepta; primùm dicit: *Non habebis Deos alienos in conſpectu meo*. Poſteà ſtatim ſubjungit: *non facies tibi ſculptile, nec ſimilitudinem omnium, quæ in Cœlo ſunt deſuper*, cum iis, quæ ſequuntur, prohibens falſorum ſeù alienorum Deorum ſimulacra & adorationem, addens: *non adorabis ea & non coles*; & dat indè rationem, inquiens: *Ego enim ſum Dominus Deus tuus, Deus æmulator, reddens iniquitatem patrum ſuper filios in tertiam & quartam generationem his, qui oderunt me*. Undè apertiſſimè evincitur eo præcepto, ſculpti-

ptilia illa, Idola, & ſimulacra prohiberi, quæ pro Diis habebantur, & quibus divinus honor, ſeu cultus ſoli & vero Deo debitus tribuebatur.

1207 Hoc enim pacto in Ægypto adorabantur hominum & beſtiarum quoquè ſimulacra, divinos eis exhibendo honores; undè verba Pauli ad Romanos cap. 1. *Et immutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis & volucrum, & quadrupedum, & ſerpentium*. Ægyptiis adaptat Sanctus Auguſtinus in lib. de Unico Baptiſmo contra Petilianum cap. 4. inquiens: *Talia quippe novimus fuiſſe ſimulacra Ægyptiorum, ubi & inſtituta eſſe multiplicior, multòque ignominioſior Idolatria perhibetur*. Ætate enim Jacob & Joſeph ſacra fieri, & divinos honores exhiberi Serapidi cœptum eſſe in Ægypto, auctor eſt idem Auguſtinus lib. 18. de Civitate Dei cap. 5. ſtatutâ lege, ut nemo hominem illum dicere auderet ſub capitali pœna, cui indè & clariſſima extructa fuere Templa, undè Pauſanis in Atticis ait: *Apud Ægyptios autem complura ſunt ejus Dei Templa, ſed omnium clariſſimum habent Alexandrini antiquiſſimum Memphitici*; nec ille ſolus ut Deus venerabatur, ſed alii plures; nam, teſte Porphyrio, Serapis quintus decimus Ægyptiorum Deus fuit: *Serapis apud Ægyptios*, inquit, *quintus decimus Deus eſt, qui apud Græcos Pluton nuncupatur; idcircò parvis Dæmonibus iſte princeps eſt. Apud veteres Ægyptios maximus omnium Deus habebatur*. Nè ergò filii Iſrael Ægyptios plures Deos colentes, imitarentur, præceperat Deus, unum tantùm vivum & verum Deum adorandum, atque eis, nè ex ſimulacris falſorum Numinum occaſionem arriperent idololatrandi, prohibuit, nè ſculptilia, ſivè Idola, aut ſimulacra facerent, quemadmodùm Ægyptii fecerant.

1208 Ingreſſuri quoquè erant in Idololatrarum Terram, nè ergò illarum gentium more poſt Deos alienos abirent, tale præceptum dedit, nè ſibi ſculptilia facerent, proindè cap. 6. Moyſes univeſo populo de Deo diligendo, & præceptis ſervandis in terra, ad quam ingreſſuri erant, repetit, & nè poſt Deos alienos abeant, iterùm admonet: *Hæc ſunt præcepta*, inquit, *& cæremoniæ atque judicia, quæ mandavit Dominus Deus veſter, ut docerem vos, & faciatis ea in terra, ad quam tranſgredimini poſſidendam*. Et poſteà: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & tota anima tua, & ex tota fortitudine tua*. Et infrà: *Non ibis poſt Deos alienos cunctarum gentium, quæ in circuitu veſtro ſunt, quoniam Deus æmulator*. Et cap. 7. omne fœdus & ſocietatem cum gentibus illius Terræ, in quam erant ingreſſuri, prohibet, nè ſeducantur & abeant poſt Deos alienos, quorum aras, ſtatuas, & ſculptilia per eos delenda præcipit, inquiens: *Quin potiùs hæc facietis aris eorum, ſubvertite, & confringite ſtatuas, lucoſque ſuccidite, & ſculptilia comburite*. Et cap. 12. idem repetit, dicens: *Hæc ſunt præcepta & judicia, quæ facere debetis in terra*. Et paulò poſt: *ſubvertite omnia loca, in quibus coluerunt gentes, quas poſſeſſuri eſtis, Deos ſuos ſuper montes excelſos, & colles, & ſubter omne lignum frondoſum. Diſſipate aras eorum, & confringite ſtatuas, lucos igne comburite, & Idola comminuite*. Et infrà: *Cave, nè imiteris eas (ſcilicèt gentes) poſtquàm te fuerint introeunte ſubverſæ; & requiras cæremonias earum, dicens: Sicut coluerunt gentes iſtæ Deos ſuos, ita & ego colam. Non facies ſimiliter Domino Deo tuo*. Hæc quoquè & in libro Exodi ſcripta ſunt, præcipuèque cap. 34. verſ. 12. *Cave, nè unquàm cum habitatoribus terræ illius jungas amicitias, quæ ſint tibi in ruinam; ſed aras eorum deſtrue, confringe ſtatuas, lucoſque ſuccide. Noli adorare Deum alienum. Dominus Zelotes nomen ejus, Deus eſt æmulator*. Undè manifeſtum fit, ad vitandam in populo, gentium Idololatriam, quæ ſculptilia & ſimulacra divino honore proſequebantur, Deum præcepiſſe eis, nè ſculptilia facerent.

1209 Porrò in eodem libro Deuteronomii cap. 4. prohibetur eidem populo cujuſvis ſculptilis, imaginis, atque ſimilitudinis formatio, nè deceptus loco Creatoris creaturam ut Deum coleret; ait enim Moyſes: *Non vidiſtis aliquam ſimilitudinem in die, qua locutus eſt vobis Dominus in Horeb de medio ignis, nè fortè decepti faciatis vobis ſculptam ſimilitudinem, aut imaginem maſculi, vel fœminæ, ſimilitudinem omnium jumentorum, quæ ſunt ſuper terram, vel avium ſub Cœlo volantium, atque reptilium, quæ moventur in terra, ſivè piſcium, qui ſub terra morantur in aquis; nè fortè elevatis oculis ad Cœlum, videas Solem & Lunam, & omnia aſtra Cœli, & errore deceptus adores ea, & colas quæ creavit Dominus Deus tuus in miniſterium cunctis gentibus, quæ ſub Cœlo ſunt*. His ergò verbis primò prohibet Deus latriam impendi creaturæ viventi ſub Cœlo, & ideò ait: *nè fortè decepti faciatis vobis ſculptam ſimilitudinem*, indèque corporibus cœleſtibus; Undè optimè hujus rei causâ præmonet Moyſes, inquiens: *Cuſtodite igitur ſollicitè animas veſtras*, ideſt, à cultu Idololatriæ; Nam latriæ cultus ſoli Deo debetur, & in datione Legis nulla apparuit figura alicujus creaturæ viventis, cui latriæ cultus fuerit exhibitus, neque ipſius Dei, cui honor latriæ exhibitus fuit; proindèque prohibetur populo, nè ſimilitudinem aliquam faciat, cui poſteà deceptus tribuat latriæ honorem.

1210 Ad hæc verò notandum eſt in Levitico cap. 26., ubi prohibentur ſcuptilia fieri, prohibetur quoquè, nè tituli erigantur: *Nec titulos erigetis; nec inſignem lapidem ponetis in terra veſtra, ut adoretis eum*; numquid malum eſt in ſe erigere lapidem in titulum? Si

ita

ità, ergò malè egit Jacob, quandò, ut habetur Geneſ. cap. 28. verſ. 18. ſurgens manè: *tulit lapidem, quem ſuppoſuerat capiti ſuo, & erexit in titulum, fundens oleum deſuper*. Sic etiam Geneſ. cap. 31. verſ. 45. idem Jacob in teſtimonium fœderis inter ſe & Laban: *tulit lapidem, & erexit illum in titulum*. Et cap. 35. verſ. 14. *Erexit titulum lapideum in loco, quo locutus ei fuerat Deus, libans ſuper eum libamina, & effundens oleum*. Item & mortuâ Rachele, atque ſepultâ, *erexit titulum ſuper ſepulchrum ejus*, ut ibidem ſacra narrat hiſtoria. Moyſes quoquè Legiſlator, qui titulos erigendos interdixerat, *ædificavit altare ad radicem montis, & duodecim titulos per duodecim Tribus Iſrael*, ut legitur Exodi cap. 24. verſ. 4. Joſue pariter, ut in ejus libro legitur cap. 4. *duodecim lapides ſtatuit in medio Jordanis alveo, ubi ſteterunt Sacerdotes, qui portabant Arcam Fœderis*. Sic & filii Ruben, & filii Gad, *ædificaverunt juxtà Jordanem altare infinitæ magnitudinis*, ut dicitur in eodem libro Joſue cap. 22. verſ. 10. non ut holocauſta & victimas & ſacrificia ſuper eum imponerent, ſed in teſtimonium, quòd Dominus ipſe ſit Deus, ut habetur verſ. 34. Non ergò cujuſvis tituli erectio divinâ lege prohibitus fuit, ſed illa tantùm, quæ fiebat Idololatriæ causâ: Tituli verò, qui in honorem Dei erigebantur, vel in teſtimonium acceptorum à Deo beneficiorum, nequaquàm fuerant lege divinâ prohibiti, aliàs Jacob, Moſes, & Joſue, & alii, qui publicos titulos erexerunt, contrà Legem Dei egiſſent. Eodem ergò pacto & ſculptilia, & manufacta, & imagines, & ſimilitudines divinâ lege prohibebantur, quæ fiebant in honorem Deorum fictorum, & eo fine, ut illis divinus honor præſtaretur; ſecùs verò, ſi in Dei honorem, ſi in memoriam geſtorum Sanctorum illorum, qui Deo placuerunt, eo fine, ut in eis ſolus Deus glorificaretur.

1211 Deindè, ſi omnia manufacta, & univerſa ſculptilia divinâ lege forent prohibita, omneſque tituli, excuſari à culpa Simon Machabæus nequaquàm poſſet, de quo Machabæorum ſcriptura lib. 1. cap. 13. verſ. 27. *Et ædificavit Simon ſuper ſepulchrum patris ſui & fratrum ſuorum ædificium altum viſu, lapide polito retrò & ante: Et ſtatuit ſeptem Pyramidas, unam contrà unam patri & matri, & quatuor fratribus; & his circumpoſuit columnas magnas, & ſuper columnas arma ad memoriam æternam, & juxtà arma naves ſculptas, quæ viderentur ab omnibus navigantibus mare*. Ex hoc tamen nemo aſſerit, talia erigendo contra legem Dei Simonem Machabæum peccaſſe; & ità firmum ſtat, eos ſolùm titulos, ea manufacta, & ſculptilia fuiſſe divinâ lege prohibita, quæ fiebant in honorem falſorum Numinum, vel ut eis divinus exhiberetur cultus.

1212 Sed & ipſe Deus, qui ſculptilia facienda prohibuit, juſſit, duos Cherubim ſculpi in utraque parte Propitiatorii, aut oraculi, Exodi cap. 25. *Facies Propitiatorium de auro mundiſſimo, duos cubitos & dimidium tenebit longitudo ejus, & cubitum ac ſemeſſem latitudo. Duos quoque Cherubim aureos & productiles facies ex utraque parte oraculi: Cherub unus ſit in latere uno, & alter in altero*. Non enim hæc præcepiſſet, ſi lege decalogi quamlibet prohibuiſſet ſculpturam, & quodcumque manufactum. Etiam Arca teſtamenti Divino nutu fabricata, ſemper à Judæis in maxima habita fuit veneratione, ut ſacra narrat hiſtoria, adeòut proni ante illam, Deum adorarent Filii Iſrael, ut Joſue cap. 7. legitur, ubi dicitur: *Joſue ſcidit veſtimenta ſua, & pronus cecidit in terram coràm Arca Domini uſque ad Veſperam, tàm ipſe, quàm omnes ſenes Iſrael*. Eam porrò religioſo apparatu David Rex Hieroſolymam deduxit, ut habetur 2. Reg. cap. 6. Qui & adorandam admonet in Pſal. 98. per illa verba: *Adorate ſcabellum pedum ejus, quoniàm ſanctum eſt*, alludens ad Arcam, de qua lib. 1. Paralip. cap. 28. ait: *Cogitavi, ut ædificarem Domum, in qua requieſceret Arca fœderis Domini, & ſcabellum pedum Dei noſtri*. Licebat ergò religioſum cultum exhiberi Arcæ teſtamenti propter habitudinem ad Deum, etſi ſolùm eſſet figura eorum, quæ ventura erant, cùr ergò non licebit exhiberi cultum Imaginibus Chriſti Domini, & Sanctorum ejus, propter habitudinem ad ipſum Chriſtum, & ad ipſos in Cœlo gaudentes Sanctos? Serpens quoquè erectus in deſerto, de quo ſcribitur in libro Numerorum cap. 21. opus ſculptile fuit, ſed figura Chriſti, ipſomet teſtante: *Sicut Moyſes exaltavit Serpentem in deſerto, ita exaltari oportet Filius hominis*. Licuit ergò opus ſculptile figurans Chriſtum futurum: cùr ergò non licebit opus ſculptile exprimens Chriſtum, qui jam fuit, & repræſentans eùndem Chriſtum quomodò in Terra ſe geſſit, quandò cum hominibus converſatus eſt?

1213 Angelis inſuper apparentibus in formis aſſumptis, legimus in ſacris literis, non ſemèl à Patribus religioſum cultum exhibitum. Sic Abraham, ut habetur in Geneſ. cap. 18. cucurrit in occurſum trium Angelorum de oſtio tabernaculi, & *adoravit in terram*. Lot quoquè, ut ſcribitur cap. 19. ſedens in foro Sodomæ, & videns duos Angelos venientes: *Surrexit, & ivit obujam eis; adoravitque pronus in terram*. Item & Joſue, ut in ejus libro cap. 5. videns Angelum, audienſque ſibi dicentem: *Sum Principes exercitus Domini, cecidit pronus in terram, & adorans, ait: Quid Dominus meus loquitur ad ſervum ſuum?* Hæc & plura alia Sanctarum Scripturarum exempla palàm docent, cultum aliquem religioſum & ſacrum, licèt non latriæ ſoli Deo debitum, poſſe Sanctis Angelis, eorumque figuris & Imaginibus, propter habitudinem

ad eoſdem Angelos, licitè exhiberi: Etenim ſi iiſdem in formis aſſumptis, licèt corporeis ac ſenſibilibus, ſivè per formas & externas Imagines, illorum pręſentiam, & ſubſiſtentiam, aut virtutem ſignificantes, honor ſacer & cultus quodammodò religioſius exhibitus eſt à Patribus, non eſt undè negari poſſit, quin etiam eorum Imaginibus ſivè ex coloribus, ſivè ex alia materia confectis, propter habitudinem ad prototypa, hoc eſt ad eoſdem Angelos repręſentatos per eaſdem Imagines, exhiberi pariter poſſit: Quòd enim ex auro, argento, ligno, vel lapide exculpta ſit, aut conflata, vel penicillo ex coloribus expreſſa imago, vel ex aere, aut quavis alia materia ſenſibili efformata ſit, ad rationem Imaginis nihil intereſt.

1214 Sed & probandum eſt ex Eccleſiæ Catholicæ traditione licitum ſemper fuiſſe ſanctarum Imaginum cultum atque venerationem: Si enim ab Eccleſia Catholica univerſaliter & ab exordio ejuſmodi cultus receptus fuit, ſequitur omni cum evidentia, non eſſe Divinâ lege & Decalogi præcepto prohibitum. Et ſanè præfatum cultum receptum fuiſſe ab exordio naſcentis Eccleſiæ, & ſub ipſis Apoſtolis, idem Leo Iſaurus ſacrarum Imaginum everſor teſtatur in Epiſtola data ad Gregorium II. Papam, in qua, ut idem Gregorius in reſponſiva ad eum reddita Epiſtola ſcribit, quam nos ſuprà recitavimus, gloriabatur, ſe poſt annos octingētos Idola ab Eccleſia ejeciſſe, hoc eſt, ſacras Imagines, quas impius Imperator Idola appellabat: *Sic ad nos ſcripſiſti*, ait Gregorius, *Ozias Rex Judęorum poſt annos octingentos Serpentem æneum è Templo ejecit: ego verò poſt annos octingentos Idola ex Eccleſiis ejeci*. Confeſſus eſt ergò ille impius per annos ferè octingentos retentas ac veneratas fuiſſe in ſancta Chriſti Eccleſia ſacras Imagines; undè non negavit ab exordio ſui, ac proinde & ſub Apoſtolorum temporibus ſacrum atque pium inoleviſſe uſum venerandi, atque retinendi Imagines ſacras, cùm neque octingenti anni elapſi fuerint à Chriſto Domino ad uſque Leonem Iſaurum, qui poſuit octingentos, ut parem ſe cum Ozia faceret, deſignans per præfatum annorum numerum totam Eccleſiæ ætatem, à Chriſto videlicèt uſque ad tempus illud, quo ipſe juſſit, ab Eccleſia ſacras Imagines delendas atque evertendas.

1215 Deindè, quamvis non adeò certa ſit hiſtoria de Imagine Salvatoris ab eodem miſſa ad Abgarum Edeſſæ Regem, cujus meminerunt Evagrius lib. 4. hiſt. cap. 26., Coſmas Alexandrinus, Theodorus, Theodorus Antiochenus, & alter Hieroſolymitanus in eorum Synodica, Stephanus Papa in Synodo Romana, & alii ſcriptores. De ſtatua tamen Chriſti Dñi ab Hemorrhoiſſa erecta, ad cujus pedes in ipſa baſi ignota quędam naſcebatur planta, quæ ad fimbriam uſque æneæ diploidis aſſurgens, depellendis omnis generis morbis præſentiſſimum remedium erat, certa eſt narratio, Euſebio teſte lib. 7. hiſt. cap. 15. antiquæ edit. aliàs 18. ubi hæc ſcribit: „ Juſtum videtur commemorare etiam illud in „ ea quod hiſtoria dignum duximus. Mu„ lierem, quam ſanguinis profluvio laboran„ tem à Salvatore curatam, Evangelia tradi„ derunt, hujus Urbis civem conſtat fuiſſe, „ domuſque ejus in ea etiam nunc oſtendi„ tur. Pro foribus verò domus ipſius baſis „ quædam in loco editiore collocata monſtra„ tur, in qua mulieris ipſius velut genibus „ provolutę, palmaſque ſuppliciter tenden„ tis imago ære videtur expreſſa. Adſtat ve„ rò alia ære nihilominùs fuſa ſtatua, habitu „ viri ſtolâ comptâ circumdati, & dexteram „ mulieri porrigentis; hujus ad pedem ſta„ tuæ è baſi herba quædam nova ſpecie naſci„ tur, quæ cùm exorta fuerit, excreſcere „ uſque ad ſtolæ illius ærei indumenti fim„ briam ſolet, quam cum ſummo vertice cre„ ſcens herba contigerit, vires inde ad depel„ lendos omnes morbos languoreſque con„ quirit, itaut quæcumque fuerit illa infir„ mitas corporis hauſtu exiguo medefacti „ ſalutaris graminis depellatur; nihil omni„ nò virium gerens, ſi antequàm ęreæ fim„ briæ ſummitatem creſcendo contigerit, de„ cerpatur. Hanc ſtatuam ad ſimilitudinem „ vultus Jeſu formatam tradebant, quæ per„ manſit ad noſtra uſque tempora, ſicut ipſi „ oculis noſtris inſpeximus. *Hæc Euſebius* ex Ruffini verſione teſtis oculatus, de cujus fide dementia eſt hac in re dubitari, cùm erectam dicat in Paneade, hoc eſt, Cæſareæ Philippi, & à ſe propriis oculis inſpectam, neque eſt veroſimile, voluiſſe falſam hujus rei contexere narrationem, cùm facilè à ſuæ ętatis inſpectoribus de falſo convinci potuiſſet.

1216 Huic tàm ſolido teſtimonio vetuſtatem uſus ſacrarum Imaginum comprobanti, qui eis adverſantur, diverſimodè occurrunt: Inquiunt in primis, ejuſmodi hiſtoriam laborare ſuſpicione falſi, eò quòd ipſimet libri Carolini dubitant, ut ex lib. 4. cap. 15., neque auctorem eſſe omni fide dignum, cùm conſtet in ſua hiſtoria plura inſeruiſſe à veritate prorsùs aliena, atque ab ipſa ſancta Eccleſia penitùs rejecta; ſed hæc videntur voluntariè dicta; neque libri Carolini ſunt majoris auctoritatis ac Euſebii textus; nàm auctor librorum Carolinorum multò Euſebio recentior, & ex profeſſo adverſatur cultui ſacrarum Imaginum: Euſebius verò valdè antiquior, rem ſcribit nedùm ex Cæſarienſium, ſivè Paneadenſium traditione acceptam, verùm de viſu cognitam. Et licèt in iis, quæ ſcribit circà dogma, ſuſpectæ fidei auctor ſit, propter ejus non rectam fidem, non tamen ità in rebus ad hiſtoriam pertinentibus; Undè Antipater Epiſcopus Boſtræ in ſermone pri-

primo pro defenſione Origenis, ut habetur Act. v. ſeptimæ Synodi, hæc de Euſebio habet: „ At ego, quòd multus quidem in hi„ ſtoriis fuerit vir, & nihil ex veteribus con„ ſcriptionibus illius latuerit notitiam, con„ ſentio & confiteor. Imperiali quippe coo„ peratione uſus, facilè quæ ubique ſparſa „ erant colligere poterat. Non autem ad dog„ matum exactam cognitionem hunc perve„ niſſe concedo. Unde concedendum quidem „ eſt illi, quòd multa didicerit; quòd ta„ men dogmatum habuerit notionem nullo „ modo, quem videlicèt nimis fuiſſe procul „ ab horum acribia ſcimus.

1217 Dicunt inſuper inveroſimile eſſe, quòd mulier quæ antequam à Chriſto ſanaretur, omnes facultates in medicos erogaverat, atque conſumpſerat, ut Lucas & Marcus teſtantur, duo ex ære ſimulachra ante ædes erexerit; quod abſque magnis ſumptibus fieri non potuit. Sed quàm levis ſit hæc objectio nemo eſt qui non videat. Numquid mulier illa adeò omnia ſua in medicos erogaverat, ut coacta fuerit mendicando ſibi victum parare? Eſt enim phraſis illa Evangeliſtæ hyperbolica, adeout exprimat magnas feciſſe expenſas pro curatione in medicos, ſed ſinè fructu: ubi per omnem ſubſtantiam ſignificare vult multam ſubſtantiam. Erat enim mulier Dives, & ex Civibus Cæſareæ, ut Euſebius notat, & facultates habebat, quas reſtituta ſanitate, augere potuerat; quibus in grati animi monumentum ſtatuam Chriſto conflaret. Nec Euſebius ſcribit ab eadem Hemorrhoiſſa erectam; unde ex fama tanti miraculi fieri potuit, ut poſt Chriſti aſcenſionem ab aliquo Cive Cæſarienſi ad fidem converſo, & locuplete, fuerit inde erecta. Antipater verò Epiſcopus Boſtrenſium, in ſermone de Muliere, quæ fluxum ſanguinis paſſa eſt, ex reſiduo ſuarum facultatum ab ea muliere conflatam ſtatuam fatetur, inquiens: „ Hæc ſalutari fimbriâ comprehensâ dicebat mulier „ quæ fluxum ſanguinis patiebatur, ut regem „ naturæ tenens Dominum, & paſſionis ty„ rannidem edocens: perceptoque dono, ſta„ tuam erexit Chriſto. Et quidem divitias „ in medicos expenderat: ſed divitiarum re„ ſidua obtulit Chriſto. *Hæc ille*.

1218 Addunt porrò, vix credi poſſe, quòd ænea illa ſimulachra trecentos annos Paneade ſivè Cæſareæ in publico integra atque inviolata manſiſſent, tot adversùs Chriſtianos, & Chriſti cultores excitatis perſecutionibus: quando etiam uno excepto Euſebio, nemo ex vetuſtioribus Scriptoribus vel minimam mentionem illorum faciat ſimulachrorum, cùm Chriſtiani & Sancti Viri, ut Juſtinus Martyr Athenagoras & alii Apologetica pro Chriſtianis, & fide Chriſti ſcripſerint. Atqui facilè hujuſmodi inſtantiæ occurri poteſt: Nam per id quod pertinet ad ejus conſervationem etiam perſecutionum tempore, quòd nimirum non fuerit everſa, ex providentia Dei factum eſt, ut nimirum ſervaretur tamdiu illud illuſtre monumentum ad Chriſtianorum ſolatium, ne Tyranni de illius everſione cogitarent. Recensère porrò in Apologeticis pro Chriſtianis illud miraculum, ſupervacaneum putarunt Sancti Viri, cùm Gentiles ad quos directa erant Apologetica nulli crederent miraculo. Multa & frequentia à Sanctis Viris perſecutionum tempore patrabantur miracula, etiam ipſorum Tyrannorum conſpectu, ut in Eccleſiaſtica legitur hiſtoria, ſed Tyranni, quod Deus operabatur in rectæ fidei teſtimonium, Dæmonibus arte magica à Chriſtianis invocatis tribuebant. Si ergo patentibus miraculis propriis etiam conſpectis oculis nullam fidem adhibebant, multò minus credidiſſent, virtute Divina, herbam enatam è baſi ſtatuæ Chriſti, morbos ſanare & languores, cùm & naturali illius herbæ virtuti tribuere poſſent: ac proinde à Sanctis Viris illud miraculum in comprobationem Chriſtianæ fidei recenſere, viſum non eſt opportunum.

1219 Denique ſubjungunt, quòd etiam ſi concedatur erectam ab Hemorrhoiſſa ſtatuam illam eſſe, nihil tamen probatur, quod faciat ad cultum Sanctarum Imaginum, quoniam ex ea hiſtoria ſolùm evinci poteſt unum tantùm erectum fuiſſe Chriſti ſimulachrum in Eccleſia primitiva, & quidem non alicujus Epiſcopi, aut Doctoris juſſu, & auctoritate, ſed à muliercula quadam ex paganiſmi luto emergente, & ſolius fœminæ voluntate: Nec quidem in Eccleſia, ſed in vico publico, & pro foribus, non ut adoraretur, aut coleretur, ſed ut accepti Divinitus à Chriſto Domino beneficii monumentum eſſet: non quidem ex Chriſtiano uſu, ſed magis ex Ethnico, cui illam diu aſſueverat. Id quod idem Euſebius ex ſubſequentibus indicare videtur, cùm poſt antefatæ hiſtoriæ narrationem ſubjungat: „ Et „ nihil mirum, ſi, qui ex Gentibus credide„ rant, pro beneficiis, quæ à Salvatore fue„ rant conſecuti, hujuſmodi velut munus vi„ debantur offerre, cùm videamus etiam nunc „ & Apoſtolorum Petri & Pauli & ipſius Sal„ vatoris Imagines deſignari, tabulasque de„ pingi. Sed & antiquas ipſorum Imagines à „ quibuſdam conſervatas nos vidimus. Quod „ mihi videtur ex Gentili conſuetudine indif„ ferenter obſervatum: quòd ità ſoleant ho„ norare, quos honore dignos duxerint. In„ ſignia enim veterum reſervari ad poſtero„ rum memoriam; illorum honoris; horum „ verò amoris inditium eſt. *Hæc ille*.

1220 Ad hæc verò dicimus, ex antefata hiſtoria palàm colligi, apud Chriſtianos primitivæ Eccleſiæ non fuiſſe reprobatum uſum, ſtatuas, aut Imagines retinendi, Chriſti ſcilicèt, & Sanctorum ejus: nec à Deo improbatum, ſed magis comprobatum: ac proinde non eſſe Divina lege prohibitum uſum illarum: Si certè impium foret Imagines & ſta-

tuas

tuas Chriſtum Dominum, & ejus Sanctos repreſentantes conficere, erigere, atque retinere, nequaquam continuo miraculo oſtendiſſet ſibi placuiſſe factum Hemorrhoiſſæ in erectione ſtatuæ; quomodo oſtendit in herba tantæ virtutis ex illius baſi enaſcente. Utique propria auctoritate Mulier illa Chriſti & Salvatoris noſtri ſtatuam erexit, non juſſu Epiſcopi, aut alicujus Doctoris: ſed erecta jam auctoritate publica, inde conſentientibus Epiſcopis, & Eccleſiæ Doctoribus retenta eſt: non enim conſtat in univerſa Eccleſiaſtica hiſtoria, à tempore, quo Cæſarça Chriſti fidem ſuſceperat, fuiſſe ab aliquo Epiſcopo, vel eo jubente à Chriſtianis deletam, ſed retenta fuit, permanſitque integra uſque ad Juliani ætatem, quo jubente à Gentilibus everſa fuit, & confracta, repoſitâ in ejus Baſi Apoſtatæ Principis ſtatuâ, prout Sozomenus ſcribit lib. 1. hiſt. Cap. 20. ſivè 21. ubi de Juliano agens, hanc narrat hiſtoriam, inquiens: „ Cùm certior factus eſſet Cæſarçæ Philippi (eſt ea „ quidem Urbs Phœniciæ, quam Paneadem „ vocant) preclaram eſſe Chriſti ſtatuam, „ quam mulier, quæ ſanguinis profluvio laborabat, cùm eſſet morbo liberata, ibi collocaverat: eam deturbavit; ſuamque in eo „ loco poſuit. Quo facto ignis violentus de „ Cœlo delapſus ſtatuam illam circiter pectus „ perſecuit, caputque unà cum collo in terram dejecit, atque in faciem humi ea in parte defixit, quæ fuerat à pectore divulſa. „ Ex quo quidem tempore ad hodiernum „ diem atra atque fulminis ictu combuſta manet. *Hæc Sozomenus*. Et eadem ſcribit Niceph. lib. 10. hiſt. Cap. 16. concordant & Acta S. Artemii apud Metaphr. ſub die 20, Octob. Cap. 30. Meminit & Aſterius apud Phot. Biblioth. cod. 272. licèt fortè memoriâ lapſus ſcribat, ſtatuam Chriſti Domini everſam à Maximino Imperatore Conſtantini Magni deceſſore. Hinc liquet per trecentos circiter annos erectam manſiſſe præfatam ſtatuam, nemine ex Chriſtianis contradicente, non Epiſcopo, non Doctore, non quovis alio cujusvis Ordinis fuerit vel conditionis; ſignum manifeſtum receptum fuiſſe ab initio naſcentis Eccleſiæ, viventibus adhuc Sanctis Apoſtolis Eccleſiæ plantatoribus uſum Imaginum Chriſti Domini; argumentum efficax, non adverſari ejuſmodi uſum præcepto Decalogi, *non facies ſculptilia*, ut contendunt Adverſarii, & Iconomachi decantant.

1221 Verum quoque eſt, non in Eccleſia erectam fuiſſe, ſed pro foribus, in vico: ſed ex hoc nec intentum habent Adverſarii, nam ſculptilia prohibita in lege Decalogi, nec in Templo, nec in foribus, nec in via, nec in Deſerto erigi licitum fuit, aut erecta retineri, ut apertè docet ſacra hiſtoria. Immò quamvis ſtatua illa integra in vico erecta fuiſſet, ejus tamen fragmenta, poſtquam everſa à Gentilibus fuit, à Chriſtianis collecta in Eccleſia fuerunt repoſita, ut idem Sozomenus loco mox citato ſubjungit, inquiens: *Id tempore igitur Gentiles Statuam Chriſti tanta cum violentia trahebant, ut eam confringerent. At Chriſtiani poſtea ejus fragmenta cùm collegiſſent, in Eccleſia poſuerunt, ubi etiam adhuc ſervatur*. At certè non ita ſe geſſit Joſias Rex adversùs Idola erecta contrà Dei præceptum à Regibus Juda, contrivit enim illa, & combuſſit, & redegit in pulverem, & projecit pulverem in Torrentem Cedron, ut habetur lib. 4. Reg. Cap. 23. non reſervavit fragmenta illorum in Templo. Nec minori cum Zelo egiſſent Chriſtiani Cæſarçæ erga ſtatuam illam, ſi ut Idolum lege Decalogi prohibitum illam habuiſſent: eò magis quòd cum Idolis Gentium, quæ vera Idola erant, aliter ſe habebant, nec ſecus ac Joſaias.

1222 Ex luto Gentilitatis exorta erat mulier illa, tamen inde Chriſtiani, non minus ac multi alii ex Gentilitate in Chriſtum credentes. Et licèt Euſebius morem illum Gentilium Statuas erigentium in eorum honorem à quibus beneficium aliquod impetraſſent, recenſeat, non tamen illum damnat, aut illicitum decernit: adeoque ad uſum Chriſtianæ Religionis transferri potuiſſe, innuit, Chriſti & Sanctorum Imagines effingendo, ſicut alii ritus complures à Gentilibus uſurpari ſoliti, objecto & fine mutatis, ad Chriſtianam Religionem, jam inde ab Eccleſiæ exordiis introducti ſunt. Non ut Idola à Chriſtianis erigebantur, ut faciebant Gentiles Dii ſuis fictis erigendo ſimulachra: unde rectè Tharaſius Act. v: ſeptimæ Synodi interloquendo dicit: „ Pagani propter Idola Martyres condemnabant, & dicebant eis: Cujus rei gratia certatis, & noſtras ſimilitudines recuſatis, „ habentes & ipſi proprias Iconas? Sancti verò „ reſpondebant: ſed nos non ſimulacbra Dęmónum facimus, ſed Dei Verbi qui incarnatus „ eſt, Iconas facimus, & Sanctorum ejus: non tamen deificamus eas.

1223 Denique licèt Hemorrhoiſſa non erexerit ſtatuam illam ut veneraretur, aut coleretur, ſed in monumentum accepti beneficii, non proinde reprobatur uſus erigendi Imagines eo etiam fine ut eis debita exhibeatur veneratio. Ex facto illo ſaltem evincitur non eſſe contrà Divinam legem erigere Statuas, atque Imagines effingere Chriſti vel Sanctorum ejus, in monumentum accepti beneficii, ut Adverſarii ex lege dicente, *non facies ſculptilia* demonſtrare contendunt. Quod porrò neque ſit contrà Divinam legem aliquam exhiberi eis venerationem, fuſiùs demonſtrabimus infra.

1224 Eundem porrò primitivæ Eccleſiæ uſum inſculpendi, effigiandi ac ſacras retinendi Imagines, antiquorum Patrum teſtimonio oſtendere poſſumus: & primò quidem ex Tertulliano vetuſtiſſimo Scriptore in libro de pudicitia Cap. 10. ubi jam factus Montaniſta,

ſta, ex profeſſo impugnat Catholicam Eccleſiam, eò quòd lapſos ad pœnitentiam reciperet, ac pœnitentibus veniam dabat, meminit conſuetudinis illius ævi pingendi in calice effigiem boni Paſtoris, qui omiſſam & inde inventam ovem humeris ad ovile reportat, inquiens: „ Sed cederem tibi, ſi Scriptura Paſtoris, quæ ſola mœchos amat, Divino inſtrumento meruiſſet incidi, ſi non ab omni „ Concilio Eccleſiarum etiam veſtrarum inter Apocrypha & falsa judicaretur, adultera & ipſa, & inde patrona Sociorum. A' qua „ & aliàs initiaris, cui ille ſi fortè patrocinabitur Paſtor, quem in calice depingis, proſtitutorem & ipſum Chriſtiani Sacramenti, „ meritò & ebrietatis Idolum & Mœchiæ „ aſylum poſt calicem ſubſecuturæ, de quo „ nihil libentiùs bibas, quàm ovem pœnitentiæ ſecundæ. *Hæc Tertullianus*. Ex quo teſtimonio colligitur non eſſe contrà Divinam legem Imagines Chriſti, vel Sanctorum in Sacris vaſis effigiatas habere, aliàs contrà Divinam legem egiſſent primi illi Chriſtiani, qui ejuſmodi Imaginem in Sacris Calicibus effigiatam retinebant.

1225 Secundò teſtatur S. Gregorius Nyſſenus in ſermone habito Conſtantinopoli, de Deitate Filii & Spiritus Sancti, & in Abraham, ubi fatetur ſe vidiſſe & non ſinè lacrymis Imaginem pictam paſſionis Domini: inquiens: *Vidi ſæpè in pictura Imaginem paſſionis, & non ſinè lacrymis aſpectum tranſivi, dum evidenter ars ante vultum afferret hiſtoriam*. Subjungit inde effigiatam quoque vidiſſe Abrahæ immolantis filium hiſtoriam. *Cæterùm ponitur*, inquit, *Iſaac apud ipſum Altare ſuper genu locatus, & ligatas habens manus retrorſum*. Cujus hiſtoriam diverſimodè à pictoribus effigiatam ſua etate extitiſſe Cyrillus Alexandrinus refert in Epiſtola data ad Acacium Epiſcopum Scythopoleos, cujus initium eſt: *Miſſis nunc à Sanctitate tua*, ubi ait: „ Si quis noſtrûm deſiderat videre depictam hiſtoriam de Abraham, quomodo ſcilicèt eum deſignaverit pictor: utrùmnam „ ſimul, an ſigillàtim geſſerit, quæ de illo „ dicuntur? Si quidem nonnulli in alia atque „ alia ſpecie diverſis eundem locis depingunt. „ *Hæc ille*.

1226 Sed idem Nyſſenus in oratione in Theodorum Martyrem hæc alia ejuſdem argumenti profert, inquiens: „ Si quis venerit ad aliquem locum ſimilem huic, ubi hodie noſter Conventus habetur, ubi memoria juſti, Sanctæque Reliquiæ ſunt; primùm quidem earum rerum magnificentiâ „ quas videt oblectatur, dum eadem, ut „ Templum Dei, & magnitudine ſtructuræ, „ & adjecti ornatus decore ſplendidè elaboratum intuetur. Ubi & faber in animalium „ figuram lignum formavit, & latomus ad „ argenti levitatem cruſtas lapideas expolivit; induxit autem etiam pictor flores artis in Imagine depictos, fortia facta Martyris, repugnantias, cruciatus, efferatas „ & immanes tyrannorum formas, impetus „ violentos, flammeum illum fornacem, Beatiſſimam conſummationem Athletæ, certaminum præſidis Chriſti humanæ formæ „ effigiem, omnia in nobis, tanquam in libro quodam, qui linguarum interpretationes contineat, coloribus artificioſè depingens, certamina atque labores Martyris nobis expreſſit, ac tanquam pratum „ amœnum & floridum, Templum exornavit. *Hactenus Nyſſenus*, palàm docens ſua ætate in more fuiſſe in ſacris Templis Martyrum depingi certamina & geſta, ut ex illarum Imaginum intuitu fructum acciperent Chriſtiani: nam ut ipſe Gregorius ait: *Solet pictura tacens in pariete loqui, maximèque prodeſſe*. Hinc & Aſterius Epiſcopus Amaſiæ in ſermone de Sancta Euphemia Martyre, fatetur hujus Sanctæ Martyris geſta ſe picta vidiſſe in linteo juxta ſacram thecam illius appenſo.

1227 Porrò Theodoretus Epiſcopus Cypri in vita Simeonis Stylitæ, refert, hujus Sancti Viri Iconas Romæ in ipſis foribus erectas fuiſſe. S. Ambroſius Epiſtola 53. ubi de SS. Gervaſio & Prothaſio ſibi per viſum oblatis loquitur, aſſerit ex Beati Pauli Apoſtoli pictura, edoctum eſſe quænam fuerat perſona illa, quæ ſibi apparuerat. Sanctus Hieronymus in Cap. 4. Jonæ tradit in cucurbitis vaſculorum, quas vulgò Sangomarias vocant in more fuiſſe pingi vel inculpi Apoſtolorum Imagines. S. Auguſtinus lib. 1. de conſenſu Evangeliſtarum Cap. 10. teſtatur antiquitus conſueviſſe pingi Imaginem Chriſti Domini ſimul cum Petri & Pauli Imaginibus: in lib. 22. contrà Fauſtũ, tradit Abrahami filium ſuum in Sacrificium offerentis picturam multis in locis tunc temporis extitiſſe. S. Joannes Chryſoſtomus oratione in Sanctum Meletium, laudat Chriſtianos Antiochenos, quòd Sanctam ejus Imaginem & in annulorum circulis, & in calicibus & phialis, & in thalamorum parietibus ubique exaraverint. Legantur Paulinus Epiſtola 12. ad Severum Sulpitium, & in Natali nono S. Fœlicis, Prudentius hymno undecimo de Sancto Hippolyto, & in libro Periſtephanon, Hymno nono. Theodoretus in Religioſa hiſtoria, Nilus in Epiſtola ad Olympiodorum, & alii plures Patres & Sancti Viri, qui morem Sanctorum Imagines effigiandi, ſculpendi, & retinendi apertis recenſent verbis.

1228 De veneratione verò & Sanctarum Imaginum cultu, atque religioſa quadam adoratione, agendum reſtat: Et non eſſe Divina lege prohibitum, ſic Imagines Sanctorum venerari, liquet primùm quoniam religioſo cultu, & ſinè idolatriæ labe venerabantur à Judæis Sancta Sanctorum, quia ibi erant Cherubim & Archa teſtamenti, propitiatorium,

Man-

Manna, Virga Aaron, & Altare: certè omnia illa, exceptâ Mannâ, opera erant manufacta: licebit ergò & ſanctas venerari Imagines, ſinè Divinæ legis contraventione, quamvis ſint opera manufacta. Hinc eſt quòd Sanctus Hieronymus in Epiſtola 17. data ad Marcellam, qua eam invitat, ut commigret Betlehem, ex ea veneratione, quam erga Sancta Sanctorum habuerant Judæi, demonſtrat quanta cum majori Religioſitate venerandum ſit Domini Noſtri Jeſu Chriſti ſepulchrum; inquiens: „ Venerabantur quondam Judæi Sancta Sanctorum, quia ibi erat Cherubim, & propitiatorium, & Arca teſtamenti, Manna, Virga Aaron, & Altare Aureum. Nonne tibi venerabilius videtur ſepulchrum Domini? *Hæc ibi.*

1229 Deinde ab jiſdem Judæis æneus ſerpens, jubente Deo à Moyſe in Deſerto erectus atque pro ſigno poſitus ut habetur lib. Numer. Cap. 21. Religioſo quodam venerabatur cultu: hoc tradit Beatus Auguſtinus lib. 3. de Trinit. Cap. 10. ubi loquens de quibuſdam ſignis, quæ venerationem tanquam religioſa merentur, exemplificat de ſerpente æneo erecto in deſerto: ait namque: „ Aliquando etiam res, quæ non erat quod Propheta, & erant jam in terrenis rebus, *in* hujuſmodi ſanctificationem aſſumpta eſt: ſicut ſomnio viſo Jacob evigilans fecit de lapide, quem dormiens habebat ad caput. Aliquando ad hoc ſit eadem ſpecies, vel aliquantulum manſura, ſicut potuit ſerpens ille æneus exaltatus in eremo, ſicut poſſunt & literę vel peracto miniſterio tranſitura, ſicut panis ad hoc factus in accipiendo Sacramento conſumitur. Sed quia hæc omnibus nota ſunt, quippe per homines fiunt, honorem tanquam religioſa poſſunt habere, ſtuporem tanquam mira non poſſunt. *Hactenus ibi Auguſtinus.*

1230 Sed & in lib. 3. de Doctrina Chriſtiana tradit, ſigna à Deo inſtituta à Judæis habita fuiſſe in multa veneratione, nec per hoc cum paganis conveniſſe, ait; quoniam in ordine ad Deum ſigna divinitus inſtituta venerabantur: „ Quæ tamen ſervitus in Judæo populo (inquit Cap. 6.) longè à cæterarum Gentium more diſtabat, quandoquidem rebus temporalibus ità ſubjugati erant, ut unus eis in omnibus commendaretur Deus. Et quamquam ſigna rerum ſpiritalium pro ipſis rebus obſervarent, neſcientes quò referrentur, id tamen inſitum habebant, quòd tali ſervitute uni omnium, quem non videbant, placerent Deo. *Et Capitulo* 9., *ſubjungit.* Sub ſigno enim ſervit qui operatur, aut veneratur aliquam rem ſignificantem, neſciens quid ſignificet: qui verò aut operatur, aut veneratur utile ſignum divinitus inſtitutum, cujus vim ſignificationemque intelligit, non hoc veneratur quod videtur & tranſit, ſed potiùs illud quò talia cuncta referenda ſunt. *Hactenus Auguſtinus.* Serpens æneus ſignum fuit à Deo inſtitutum, Chriſtum futurum in Cruce præſignabat exaltandum: venerabatur à Judæis ſinè Idololatriæ nota, licèt neſcientibus ſignificatum, referendo cultum ad ipſum Deum, cujus juſſu erectus fuerat. Ergò & licebit nobis Imaginem Chriſti venerari, quæ Chriſtum repreſentat, & ipſum repreſentare ſcimus, referendo cultum ad ejuſdem Chriſti perſonam: quoniam ſi Chriſtus in ſerpentis Imagine venerabatur à Judæis, in humana Imagine in qua reverâ venit, poterit rectiùs à nobis venerari.

1231 Et hanc de venerandis Imaginibus eſſe Eccleſiæ traditionem ab ipſis Apoſtolis acceptam, tradit Baſilius in Epiſtola data ad Julianum trangreſſorem, ubi inter alia, ait: „ Suſcipio autem Sanctos Apoſtolos, Prophetas & Martyres, & ad ſupplicationem quæ eſt ad Deum, hos invito; ut per eos, ideſt, interventionem eorum, propitius mihi ſit miſericors Deus, & culparum mihi redemptio fiat & detur. Unde & Characteres Imaginum eorum honoro, & adoro; præcipuè cum hoc traditum à Sanctis Apoſtolis, & non prohibitum ſit: quin & in omnibus Eccleſiis noſtris oſtendatur depictum. *Hactenus Baſilius.* Cujus teſtimonium refert etiam Hadrianus I. in Epiſtola ad Imperatores, ubi & ultima Baſilii verba ſic vertit. *Pro quo & figuras Imaginum eorum honoro, & adoro, veneror ſpecialiter: Hoc enim traditum eſt à Sanctis Apoſtolis, nec eſt prohibendum. Ac ideo in omnibus Eccleſiis noſtris eorum deſignamus hiſtoriam.*

1232 Confirmat eandem doctrinam de Sanctarum Imaginum cultu atque veneratione S. Athanaſius in reſponſione ad quæſtionem 39. Antiochi Principis, quo interrogante. *Cùm Deus per Prophetas mandet, ne adoremus opera manuum humanarum: ob quam cauſam adoramus Imagines, & Crucem, quæ ſunt opera fabrorum, ut & ipſa Idola?* Reſpondit S.Athanaſius: „ Non ut Deos adoramus Imagines nos, qui fideles ſumus, abſit, ut Ethnici faciunt: ſed ſolummodo affectionem ac amorem animi noſtri, quo erga Characterem Imaginis affecti ſumus ſignificamus; & quemadmodùm Jacob jam morti vicinus ſuper extremo Sipionis Joſephum adoravit, non baculum honore afficiens, ſed eum à quo is tenebatur: ſic & nos fideles non propter aliam aliquam rationem Imagines ſalutamus, & exoſculamur, cùm hoc faciamus quomodo etiam Patres aut amicos oſculo ac ſalute excipimus: Quemadmodùm etiam olim Judæi Tabulas legis lapideas & duos illos Cherubim, qui aurei ſculptique erant, adorabant, non lapidem aut auri ſubſtantiam venerantes, ſed Deum, qui ea conſtrui juſſerat. *Hęc ibi Athanaſius.* Quibus teſtimoniis uſus eſt & Hadria-

dria-

drianus I. in ſæpè laudata ad Imperatores Epiſtolâ, inquiens: „ Idem ipſe Jacob proprio demùm arbitrio ſummitatem virgæ filii ſui Joſeph deoſculatus eſt, fidei dilectione hoc agens, ſicut Beatus Paulus in Epiſtola ad Hebræos teſtatur (Cap. x I.) non virgæ, ſed tenenti eam honoris ac dilectionis exhibuit affectum. Sic & nos pro amore & dilectione quam apud Dominum & Sanctos ejus habemus, honorabiles eorum effigies Imaginibus depingentes, non tabulis & coloribus honorem exhibemus, ſed illis pro quorum honore conſiſtunt. *Hæc ille*.

1233 Sanè hoc idem demonſtratur exemplo ab eodem Athanaſio allegato orat. 4. contrà Arianos poſt initium de Regis Imagine, ubi ait: „ In Imagine ſpecies Regis & forma apparet, & in Rege Imaginis ſpecies; ſine ulla enim diſcrepantia vultus Regis in Imagine expreſſus eſt, ut qui videt Imaginem, videat in ea Regem: & viciſſim qui Regem intuetur, agnoſcat illum ipſum eundem eſſe qui in Imagine repreſentatur. Cæterùm quia in ambobus nulla eſt diſſimilitudo, ſi quis poſt conſpectam Imaginem, velit Regem videre, huic ad eum modum Imago jure loqueretur: *Ego & Rex unum ſumus: Ego in illo ſum, & ille in me: Et quod in me animadvertis, id quoque in eo animadvertas: & quod videris in illo, videris & in me*: Qui igitur adorat Imaginem, in illo adorat ipſum Regem, quippe cùm ipſa Imago nihil aliud ſit, quàm Regis forma ac ſpecies. *Hæc ille*. Hinc & Chryſoſtomus ſermone in ablutionem quintæ feriæ, ait: „ Quando imperiales characteres & Imagines in Civitatem introducuntur, obviam veniunt Principes & vulgus cum laudatione, non tabulam honorantes, neque perfuſam cerâ picturam, ſed Characterem Imperatoris. *Hactenus Chryſoſtomus*. Conſonant ea quæ habet Baſilius de Spiritu Sancto ad Amphilochium Cap. 27., inquiens: „ Quia Rex dicitur & Regis Imago, & non ſunt duo Reges. Nam neque Imperium ſcinditur, neque gloria dividitur. Sicque enim principatus noſter, qui nobis imperat, & poteſtas una eſt, ita & laus quæ à nobis datur una eſt, & non multæ, eò quòd Imaginis honor ad primitivum tranſeat. *Hæc Baſilius*. Unde Tharaſius Act. IV. ſeptimæ Synodi interloquendo dixit: *Ipſa rerum natura docet, quia Imaginis honor ad principale refertur: ſimiliter autem & inhonorantia*.

1234 Idem porrò S. Baſilius in ſermone contrà Sabellianos & Arianos & Anomœos, iterum demonſtrat honorem exhibitum Imagini ad ipſum principale cujus eſt Imago referri; quoniam Imperator, & ejus Imago non ſunt duo Imperatores habentes ſibi diviſum Imperium, ſed eſt idem Imperator in perſona, qui eſt in Imagine: „ Neque enim, inquit, qui in foro Imperatoriæ Imagini intendit, & Imperatorem dicit eum qui in tabula eſt, duos Imperatores confitetur, Imaginem ſcilicèt, & cujus eſt Imago. Neque ſi oſtendas tabulam pictam, dixerit, hic eſt Imperator; privavit principale Imperatoris appellatione, cùm magis illi honorem ſtabiliat per hujus confeſſionem. *Hæc Baſilius*, cui teſtimonio allegato eâdem Act. IV. ſeptimę Synodi, Joannes Monachus Vicarius Orientalium Patriarcharum, hæc interloquendo ſubjunxit: „ Pſeudoſyllogum illud ſuſurravit, quia qui adorat Imaginem dividit Chriſtum in duo: & qui videt Imagines & dicit vel ſuperſcribit, quia hic eſt Chriſtus, dividit Chriſtum, quod ſtultiſſimum eſt. Deifer enim Baſilius, utpotè luminare & magiſter exiſtens Eccleſiæ Dei, & Spiritu Sancto divina initiatus, ait: quia Imaginis honor ad primitivum pertranſit: & qui Imagini Imperatoris intendit, videt in ea Imperatorem: qui autem adorat eam, non duos Imperatores adorat vel videt, ſed unum Imperatorem. Dixit namque Pater lucidè, quia Imperator dicitur & Imperatoris Imago, & non duo Imperatores. Itaque qui adorat Imaginem & dicit, quia hic eſt Chriſtus filius Dei, non peccat. Manifeſtum autem eſt, quia Chriſtus eſt verus Dei filius & Patri conſeſſor in Cœlis, & cum proprio corpore ſuo: ſed per Imaginem, quæ de coloribus facta paret, adoratur Imperium ejus, & glorificatur, & in memoriam venimus ipſius præſentiæ, qua in terra converſatus eſt. Unde & hic Pater oſtendit non duas adorationes, ſed unam eſſe & Imaginis & principalis, cujus Imago eſt. *Hactenus ille*.

1235 Ejuſdem argumenti ſunt, quæ tradit Anaſtaſius laudatus in eadem Act. IV. ſeptimæ Synodi in ſermone de Sabbato ad Simeonem Epiſcopum Boſtræ dum ait: „ Sicut enim dum diligitur Imperator, Imago ejus pro ipſo adoratur: cùm verò jam præſens fuerit, ſuperfluum eſt, deſerto primitivo adorare Imaginem. Non tamen quia non adoratur, eò quòd præſtò ſit is propter quem adoratur, inhonorari eam oportet. *Et poſt pauca*; ſicut enim qui contumeliam infert Imagini Imperatoris, pœnam juſtam perpetitur, ac ſi eidem Imperatori contumelias irrogaſſet; quamquam Imago nihil aliud ſit quàm lignum & colores ceræ commixti & temperati: eodem modo qui figuram alicujus inhonorat, in eundem ipſum, cujus figura eſt, refert injuriam. *Hæc Anaſtaſius*. Si ergò abſente Imperatore in Imagine honoratur, & qui ejus Imaginem inhonorat Imperatorem inhonorat: ſic abſente Domino Noſtro Jeſu Chriſto, in ejus Imagine erit honorandus, & qui ejus inhonorat Imaginem, ipſum inhonorat: quia honor, & contumelia Imaginis in imagatum tranſeunt.

1236 Leontius quoque Epiſcopus Neapo-

poleos Cypri in Sermone quinto Apologetico pro Chriſtianis adversùs Judæos plura profert pro ſanctarum Imaginum veneratione, earumque cultu pro Chriſtianorum eas adorantium defenſione. In primis dicit; penès nos non adorari ſicut Deos Sanctorum characteres & Iconas, vel formas:
„ Si enim,
„ *inquit*, ut Deum adorarem lignum Imagi-
„ nis, poſſem profectò & ligna reliqua ado-
„ rare; nam ſi ut Deum lignum adorarem,
„ minimè utique, deleto charactere, Iconam
„ incenderem. Et iterùm, uſquequò com-
„ pacta ſunt duo ligna Crucis, adoro figu-
„ ram propter Chriſtum, qui in ipſa crucifi-
„ xus eſt. Poſtquàm autem ab invicem ſepa-
„ rata fuerunt, projicio & ea incendo. *Hæc Leontius*. Et eodem pacto loquitur Sanctus Athanaſius in reſponſione ad quæſtionem 41. ad Antiochum; eo quippè interrogante, quarè fideles omnes ad Crucis imaginem cruces faciant, non ad lanceæ, aut arundinis, aut ſpongiæ figuras aliquas conficiant, reſpondit:
„ Figuram quidèm Crucis ex duobus
„ lignis compingentes conficimus, ut ſi quis
„ infidelium id in nobis reprehendat, quòd
„ veneremur lignum, poſſimus duobus inter
„ ſe disjunctis lignis, & crucis diremptâ for-
„ mâ, ea tanquàm inutilia ligna reputare, &
„ infideles perſuadere, quòd non colamus li-
„ gnum, ſed quòd crucis typum veneremur;
„ in lancea verò, aut ſpongia, vel arundine,
„ nec facere hoc, nec oſtendere poſſumus.
Hactenus Athanaſius.

1237 Deinde exemplificat Leontius ſubjungens:
„ Et ſicut is, qui juſſionem Impera-
„ toris ſuſcepit, & ſalutavit ſigillum, non
„ lutum adoravit, aut chartam, aut plum-
„ bum, ſed Imperatori adorationem & cul-
„ tum impendit: ita & nos Chriſtianorum
„ pueri figuram crucis adorantes, non natu-
„ ram ligni adoramus, ſed ſignum, & annu-
„ lum, & characterem Chriſti, eum aſpi-
„ cientes, per eum illum, qui in eo crucifixus
„ eſt, ſalutamus & adoramus. *Et poſt alia*
„ *ait*: Ut ergò ſæpè dixi, intentio exquiri-
„ tur in omni ſalutatione, & omni adoratio-
„ ne. Porrò ſi me accuſas, quòd quaſi Domi-
„ num lignum adorem crucis, quarè non ca-
„ lumniaris Jacob, qui adoravit ſuper ſum-
„ mitatem virgæ Joſeph? Sed manifeſtum eſt,
„ quia non lignum videns adoravit, ſed per
„ lignum virgæ, Joſeph; quemadmodùm &
„ nos per crucem, Chriſtum; nam & impios
„ homines, qui vendiderunt Sepulchrum,
„ Abraham adoravit, & genu curvavit ſu-
„ per terram, ſed non ut Deos eos adoravit.
„ Et rursùs: Jacob Pharaoni benedixit impio
„ & Idolatræ, ſed non ut Deo illi benedixit.
„ Et iterum: Eſau cadens adoravit, ſed non
„ ut Deum. *Et inde*. Per reliquias Marty-
„ rum & Imagines multotiès effugantur Dæ-
„ monia; & hæc injuriis appetentes homines
„ ſordidi, ſubvertunt & illudunt atque de-
„ rident. Quot, dic mihi, viſitationes, ema-
„ nationes, ſed & frequenter ſanguinum fluo-
„ res ex Iconis & reliquiis Martyrum facti
„ ſunt? & inſenſati corde videntes non cre-
„ dunt, ſed fabulas & deliramenta hæc exi-
„ ſtimant.

1238 Sed et S. Athanaſius in ſupracit. reſponſione ad quæſt. 39. ad Antiochum ex miraculis quoquè ſanctarum Imaginum probat cultum, inquiens:
„ Dementes verò illi,
„ qui faſtu quodam abrepti, crucem effigieſ-
„ que Sanctorum adorare recuſant, reſpon-
„ deant nobis, quid factum ſit, quòd ſanctæ
„ Imagines frequenter unguenta effuderint?
„ Quomodò ſtatua vitâ animâque carens, te-
„ lo confoſſa, ſanguinem, atque ſi corpus
„ eſſet animatum, præter omnem rationem
„ emiſerit? Quomodò à tumulis & reliquiis
„ ac Imaginibus Dœmones perſæpè reiiciun-
„ tur? Verùm ut dementes illos adhùc pu-
„ dore confundamus, audi narrationem cer-
„ tam à Patribus noſtris de Imagine quadam
„ expoſitam. Monachus quidam erat Hiero-
„ ſolymis, cui frequenter adeſſe ac moleſtiam
„ creare ſolebat Dœmon quidam malus: Qua-
„ dam igitur die ita ipſi apparuit ſpiritus, ut
„ conſpici poſſet, ac dixit: *Si cupis nè te am-*
„ *pliùs oppugnem, Imaginem hanc nè adorato*,
„ *& ego abſiſtam à te*. Erat verò imago illa
„ Sanctæ Dei Genitricis. Quid ad hæc reſ-
„ ponderint illi, qui mandant, nè effigies
„ Sanctorum adorentur, quas non ob aliud
„ aliquid, quàm memoriæ causâ effingimus?
Hæc Athanaſius, qui & hiſtoriam alibi recitat, ut teſtatur Petrus Epiſcopus Nicomedienſis, de Domini noſtri Jeſu Chriſti Imagine Berythi in Syria à Judæis poſt varias contumelias lanceâ in latere confoſſa, quæ divinitùs ſanguinem emiſit & aquam, qui liquor remedium inde fuit ad diverſas repellendas infirmitates, & cauſa converſionis Judæorum omnium illius Civitatis. Plura quoquè alia miracula in comprobationem cultus ſanctarum Imaginum ex diverſis Patribus excerpta relecta ſunt Actione IV. ſeptimæ Synodi, ubi videri poſſunt.

1239 Porrò traditio de ſacrarum Imaginum cultu confirmatur ex collatione Sancti Maximi cum Theodoſio Epiſcopo, ante ſextam Synodum habitâ Byzæ in loco exilii ejuſdem Sancti Viri: in ea quippè legitur, Theodoſium cum Maximo cæteriſque ab Imperatore ad eam collationem habendam miſſis, ſanctas Imagines piè ſalutaſſe:
„ Et in his, *di-*
„ *citur ibi*, ſurrexerunt omnes cum gaudio &
„ lacrymis, poſitiſque in terra genibus, ora-
„ tio facta eſt, unuſquiſque ipſorum Sancta
„ Evangelia, pretioſamque crucem & Ima-
„ ginem Dei ac Salvatoris noſtri Jeſu Chri-
„ ſti, atque Dominę noſtræ, quæ illum pepe-
„ rit Sanctiſſimæ Dei Genitricis, ſalutave-
„ runt: ponentes nihilominùs manus ſuas
„ ad certificationem eorum, quæ dicta ſunt.

„ *Et poſt multa ſubjungitur*. Et converſus ad „ Epiſcopum Abba Maximus cum lacrymis „ ait: Domine magne, diem Judicii expe- „ ctamus omnes: noſti quæ ordinata ſunt & „ diffinita ſuprà Sancta Evangelia & vivifi- „ cam Crucem, atque Imaginem Dei & Sal- „ vatoris noſtri Jeſu Chriſti, & Sanctiſſimæ, „ quæ illum genuit ſemper Virginis Matris. *Hactenus ibi*. Hoc autem teſtimonium lauda- tur in ſeptima Synodo Act. IV. ubi & plura allegata à Patribus illius Synodi relegi poſ- ſunt teſtimonia, quæ causâ brevitatis omitti- mus.

1240 At modò reſtat videre, quid Imagi- num ſacrarum contemptores pro eorum con- firmando errore in medium producant. Et quidèm veteres Iconomachi maximè niteban- tur in illo Decalogi præcepto: *non facies tibi ſculptilia, nec adorabis ea*; cui argumento in ſuperioribus jam ſatisfecimus, & Patres ſepti- mæ Synodi, nullius firmitatis & roboris eſſe ſolidiſſimis rationibus, & Sanctorum Patrum teſtimoniis demonſtrarunt; Eidem argumen- to occurrit Hadrianus Epiſtolâ datâ ad Im- peratores, & in altera data ad Tharaſium Pa- triarcham Conſtantinopolitanum; Gregorius inſuper hujus nominis II. in Epiſtola data ad Leonem Iſaurum, quas Epiſtolas in ſuperio- ribus per extenſum recitavimus, ac proindè quidquam ex eis pro hoc argumento repetere ſuperfluum eſt. Recentiores verò Iconoma- chi & illud præceptum inculcant, aliqua quo- què ſuperaddentes.

1241 Et primò arguunt adversùs morem pingendi & colendi Dei Imaginem, quoniàm Deus cùm ſit inviſibilis, ejus natura incom- prehenſibilis, incorporea quoquè & ſpiritua- lis, nullo pacto pingi poteſt; & eſt indecens, velle materiali colore rem omninò immate- rialem exprimere: Et expreſsè videtur hoc interdictum divinâ lege, Exodi cap. 20., ubi dato præcepto de non faciendis ſculptilibus, & ſimlitudinibus, ſtatim ſubjungit: *Deos aureos & argenteos non facietis mecum*, Imagi- nes ſcilicèt aureas & argenteas Deum repræ- ſentantes. Et in Deuteronomio cap. 4. *Me- mento quòd Dominus locutus ſit tibi in monte Horeb, vocem verborum audiſti, imaginem nullam vidiſti. Obſerva ergò teipſum, nè fortè deceptus, facias tibi ullam ſimilitudinem*; ſivè; ut habetur in noſtra Vulgata ſub num. 15. *Cuſtodite igitur animas veſtras. Non vidiſtis aliquam ſimilitudinem in die, qua locutus eſt vobis Dominus in Horeb de medio ignis, nè for- tè decepti, faciatis vobis ſculptam ſimilitudinem aut imaginem maſculi & fœminæ*; Quibus ver- bis palàm innuit, Dei imaginem, utpotè à nemine viſam, non poſſe pingi ſinè errore & deceptione, nec pariter ſculpi. Hinc apud Iſaiam cap. 40. verſ. 18. dicitur: *Cui ergò ſimi- lem feciſtis Deum? aut quam imaginem ponetis ei?* Et cap. 46. verſ. 5. *Cui aſſimilaſtis me, & adæquaſtis, & comparaſtis me, & feciſtis ſimi- lem? Qui confertis aurum de ſacculo, & argen- tum ſtaterà ponderatis, conducentes aurificem, ut faciant Deum, & procidunt & adorant*. Et hæc confirmare videtur Paulus Actor. cap. 17. verſ. 24., qui in medio Areopagi conſiſtens, inter alia de Deo dixit: *Deus, qui fecit Mun- dum, & omnia, quæ in eo ſunt, hic Cœli & Ter- ræ cùm ſit Dominus, non in manufactis Tem- plis habitat, nec manibus humanis colitur in- digens aliquo*. Et verſ. 29. *Genus ergò, cùm ſimus Dei, non debemus æſtimare auro, aut ar- gento, aut lapidi, ſculpturæ artis & cogitationis hominis, divinum eſſe ſimile*.

1242 Accedit & diſertum Sancti Augu- ſtini teſtimonium in lib. de Fide & Symbo- lo cap. 7., ubi explicans illum fidei articu- lum, de Filio Dei ſedente ad dexteram Patris, ait: „ Nec ideò tamen quaſi humanâ formâ „ circumſcriptum eſſe Deum arbitrandum „ eſt, ut de illo cogitantibus dextrum aut „ ſiniſtrum latus animo occurrat, aut idipſum „ quod ſedère Pater dicitur, flexis poplitibus „ fieri putandum eſt, nè in illud incidamus „ ſacrilegium, quo execratur Apoſtolus eos, „ *qui commutaverunt gloriam incorruptibilis* „ *Dei in ſimilitudinem corruptibilis hominis*. „ Tale enim ſimulacrum Deo nefas eſt Chri- „ ſtiano in Templo collocare, multò magis „ in corde nefarium eſt. *Hæc ille*, qui & in libro 4. de Civitate Dei cap. 31. laudat ex par- te Varronem docentem, caſtiùs ſinè ſimula- cris Deorum obſervari Religionem, inquiens: „ Quapropter cùm ſolos dicit animadvertiſ- „ ſe, quid eſſet Deus, qui eum crederent ani- „ mam Mundum gubernantem; caſtiùſque „ exiſtimat ſinè ſimulacris obſervari Reli- „ gionem; quis non videat quantùm propin- „ quaverit veritati? Si enim aliquid contrà „ vetuſtatem tanti poſſet erroris, profectò & „ unum Deum, à quo Mundum crederet gu- „ bernari, & ſinè ſimulacro colendum eſſe „ cenſeret. *Hactenus Auguſtinus*.

1243 Et quidèm neque apud Romanos ab initio ſimulacra erecta fuerant, undè Var- ro, relatus à S. Auguſtino loco mox laudato, dicit, antiquos Romanos pluſquàm annos centum & ſeptuaginta Deos ſinè ſimulacris coluiſſe. Hinc Plutarchus in Numa ſcribit totidèm annis ex Numæ præcepto, nullam in Romanorum Templis Imaginem neq; fictam, neque pictam fuiſſe conſpectam; ſic adnotat Tertullianus in Apologet. cap. 25., ubi ait: *Etſi à Numa concepta eſt curioſitas ſuperſtitio- ſa, nondùm tamen aut ſimulacris, aut Tem- plis res divina apud Romanos conſtabat*. Et Clemens Alex. lib. 1. Stromat. tradit, Nu- mam ex his, quæ à Moyſe tradita ſunt, adju- tum, prohibuiſſe Romanis, nè homini, aut animali ſimilem Dei facerent Imaginem. Et idem Tertullianus in lib. de Idololatria cap. 3. ait: *Idolum aliquandò retrò non erat, priuſ- quàm hujus monſtri artifices ebulliſſent, ſola Templa, & vacua ædes erant*. Et vult à Dia- bo-

bolo inductos eſſe in Mundo ſimulacrorum, ſtatuarum & imaginum artifices: *Diabolum*, ait, *ſæculo intuliſſe artifices ſtatuarum & imaginum, & omnis generis ſimulacrorum*; ſicut & Lactantius confirmat lib. 2. cap. 17. Qui porrò Romæ primus ſimulacra introduxerit, deſignatur à Plinio lib. 34. cap.4., dùm ait; *Romæ ſimulacrum ex ære factum Cereris primum reperio ex peculio Sp.Caſſii, quem Regnum affectantem pater ipſius interemerat*. Et Dionyſius Halicarnaſſeus tradit, Tarquinium Priſcum vanitate & ſtultitiâ Græcarum Religionum, Etruſcarumque domi imbutum, Romanos docuiſſe ſimulacra Diis ponere. Si ergò neque à Gentilibus laudantur ſimulacrorum inventores, & fortè propter legem Moyſis illa prohibentem, multò minùs laudandi videntur qui Dei veri imaginem & ſimulacra fieri docuerunt.

1244 Deindè Clemens Alex. lib.5. Stromat. referens Moyſis legem de non faciendis ſculptilibus, eamque comparans cum quodam Pythagoræ dicto, ait: „ Moſes multis „ ante ſæculis apertè legem ſanxit, nullam „ oportere ſculptilem, nel fuſilem,vel fictam, „ vel pictam Imaginem, ſimulacrumvè facere, ut ſenſibilia minimè attenderemus, ſed „ ad ea tranſiremus, quæ percipiuntur intelligentiâ. Ut Dei enim Majeſtas vilis & „ cõtempta reddatur, efficit quæ eſt in promptu videndi conſuetudo, & quæ intelligentiâ percipitur, eſſentiam colere per materiam, eſt eam per ſenſum vilipendere. *Hæc Clemens*. Et hanc cauſam allegaſſe Varronem deteſtantem Deorum ſimulacra innuit S.Auguſtinus ſupra cit., explicans dictum illius, nempè, quòd ſinè ſimulacris *caſtiùs Dii obſervarentur*, dùm ait: „ Cujus ſententiæ „ ſuę teſtem adhibet inter cętera etiam Gentem Judæam; nec dubitat eum locum ita „ concludere, ut dicat: qui primi ſimulacra „ Deorum populis poſuerunt, eos Civitatibus ſuis & metum dempſiſſe, & errorem „ addidiſſe, prudenter exiſtimans, Deos facilè poſſe in ſimulacrorum ſtoliditate contemni. *Hæc Auguſtinus*.

1245 Ad hæc ergò, prout allegata teſtimonia innuere videntur, Dei imaginem non eſſe pingendam, ex quo ejus natura incircumſcripta ſit, incorporea quoquè & inviſibilis, dico primò, hanc opinionem fuiſſe etiam quorundam catholicorum Virorum, præcipuè Abulenſis in cap.4. Deuteronomii, Durandi in 3. diſt.9. quæſt. 2., atque Pereſii part.3. de Tradit. in Imaginibus, docentium Dei imaginem non rectè fieri, ab Eccleſia verò tolerari magis, quàm probari. Undè & Bellarminus lib. 2. de Imag. cap.8. affirmat, non eſſe ita certum in Eccleſia, an ſint faciendæ Imagines Dei, ſivè Trinitatis, quàm certum eſt, ut fiant Imagines Chriſti; hoc enim ſecundum ad fidem ſpectare ait: primum verò eſſe in opinione. Quo ſtante, licèt conce- deretur non eſſe retinendas, nec pingendas, Imagines Dei, ſivè Sanctiſſimæ Trinitatis, non proindè rectè inferretur neque pingendas, aut habendas, ſivè retinendas eſſe, Chriſti Domini & Salvatoris noſtri Jeſu, Deiparæ ejus Matris, ac aliorum Sanctorum. Undè Joannes Epiſcopus Theſſalonicenſis in quodam ejus Sermone, cujus fragmentum recitatum eſt Act.v. ſeptimæ Synodi, ait: „ At „ verò Imagines Dei facimus, ideſt, Domini „ & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, quemadmodùm viſus eſt ſuper terram, & cum hominibus converſatus eſt, hunc pingentes,& „ non ut intelligitur naturâ Deus. Quę enim „ ſimilitudo eſt, vel qui habitus incorporei „ & ſinè ſchemate Verbi Patris? Spiritus „ enim eſt Deus, ut ſcriptum eſt, ideſt, ſanctæ & conſubſtantialis Trinitatis natura: „ Sed quoniam beneplacito Dei Patris deſcendens Unigenitus Filius ejus & Deus „ Verbum è Cœlis, incarnatus eſt propter ſalutē noſtram de Spiritu Sancto & intemerata Virgine Dei Genitrice Maria, humanitatem ejus pingimus, nòn incorporalem „ Deitatem. Conſimilia tradit Germanus „ Patriarcha Conſtantinopoleos in Epiſtola „ data ad Joannem Epiſcopum Synadenſem, „ relecta in Actione IV. Septimę Synodi, ubi „ inter plura ait: „ Neque enim inviſibilis „ Deitatis imaginem & ſimilitudinem, vel „ ſchema, vel figuram aliquam formamus, „ quam nè ipſorum Sanctorum Angelorum „ ſublimes ordines conſiderare & inveſtigare „ penitùs valent; Sed quoniàm Unigenitus „ Filius, qui eſt in ſinu Patris, revocans proprium figmentum à mortis damnatione, beneplacito Patris Sanctique Spiritus homo „ dignatus eſt fieri, ſimiliter nobis participatus carnis & ſanguinis, uti magnus ait Apoſtolus, per omnia ſimilis nobis factus abſque peccato; humanum ejus characterem, & humanæ ſpeciei, quam per carnem ſuſcepit imaginem, & non incomprehenſibilis ejus, & inviſibilis Deitatis formantes.

1246 Deinde Act.v. ſeptimæ Synodi Epiphanius Diaconus impugnans Acta Pſeudoſynodi habitæ ſub Copronymo, verſ. *Iterum*, vel *Rursùs*, ait: „ Veri autem Chriſtiani „ unum eundemque confitentur Filium & „ Chriſtum & Dominum; & pingentes Iconam ſecundùm id quod Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis, ideſt, homo perfectus, valdè, rectè & piè faciunt. „ Circumſcriptus eſt enim Deus Verbum „ carne, ad nos profectum, non tamen quis „ excogitavit Divinitatem ejus depingere, „ *Deum*, inquit, *nemo vidit unquàm*. Incircumſcriptus eſt enim, & inviſibilis, & incomprehenſibilis, ſed circumſcriptus ſecundùm humanitatem. *Hæc ille*. Euſebius porrò lib. de Præparat. Evangelica cap.3. hæc alia habet: „ Quòd enim corpus intellectui di-

„ divino ſimilitudinem habebit, cùm nec „ mentis humanæ imaginem habere poſſe co„ gnoſcatur? Humana enim mens incorpo„ rea eſt atque ſimplex, corpus omne corru„ ptibile atque compoſitum. Quare jure ra„ tionalis atque immortalis animæ & intel„ lectus ejus imaginem & ſimilitudinem Dei „ habere dicitur; immaterialis enim & in„ corporea, intellectualis, rationaliſque per „ eſſentiam eſt virtutis, atque ſapientiæ ca„ pax? Quid ſi humanæ animæ, atque men„ tis formam, atque effigiem fingere impoſſi„ bile eſt, quoniam nec ſenſu percipitur? „ Quis adeò ſtultus ſit, ut ligneum ſimula„ crum ac effigies, Dei Creatoris omnium „ ſimilitudinem habere arbitretur? Natura „ enim divina omnem materiam & omnia, „ quæ percipimus, excedit. *Hactenus Euſebius*. Et Magnus Conſtantinus in Oratione ad Sanctorum Cœtum cap.4. ait: *Nam quod poteſt intelligentià ſolùm percipi & comprehendi, nec appetit formam, qua cognoſcatur, nec figuram admittit, ut imaginem & effigiem*.

1247 Et fortè in primitiva Eccleſia non invaluit uſus pingendi Dei Patris & Sanctiſſimæ Trinitatis imaginem, undè & Origenes lib.7. contrà Celſum in fine, & Sanctus Joannes Damaſcenus lib.4. de fide orthod. cap.17. palàm docent, Chriſtianos nullam Dei imaginem habuiſſe, & cùm pariformiter idem aſſerere videantur ſeptimæ Synodi Patres, probabile eſt, præfatum morem poſt ſeptimam Synodum fuiſſe receptum. Et quidèm in prioribus illis Eccleſiæ temporibus meritò abſtinendum erat ab ejuſmodi effigiandis Imaginibus propter varias de Deo corporeo exortas hæreſes. Antropomorphitæ quidèm, qui & Vadiani, Deum corporeum, & in ſimilitudinem imaginis corruptibilis ſibi fingebant, ut tradit S. Auguſtinus in lib. de hæreſibus, hæreſ. 50. Tertullianum quoque in eundem lapſum errorem ſcribit idem Auguſtinus in Epiſt.175. ad Optatum, ubi agens de animarum origine, adversùs eos, qui ex traduce exoriri animas aſſeverabant, ait: „ Nam & illi, „ qui animas ex una propagari aſſerunt, „ quam Deus primò homini dedit, atque ità „ eas ex parentibus trahi dicunt, ſi Tertul„ liani opinionem ſequuntur, profectò eas „ non ſpiritus, ſed corpora eſſe contendunt, „ & corpulentis ſeminibus exoriri. Quo „ perverſius quid dici poteſt? Neque hoc „ Tertullianum ſomniaſſe mirandum eſt, qui „ etiam ipſum Creatorem Deum non eſſe „ niſi corpus opinatur. *Hæc ibi*; & in lib.10. de Geneſ. ad literam cap. 25. idem repetit, inquiens: *Tertullianus, quia corpus eſſe animam credidit, non ob aliud, niſi quòd eam incorpoream cogitare non potuit, & ideò timuit, nè nihil eſſet, ſi corpus non eſſet; nec de Deo valuit aliter ſapere*. His itaque ſtantibus, nè horum dementium errore imaginibus & picturis confirmare viderentur Chriſtiani, prorsùs ſe abſtinuerunt ab effigiando Deo Patre in humana forma, vel Trinitatis imagine conficienda, quemadmodùm factum eſt poſteà, dùm jam prorsùs antefatis ſepultis hæreſibus, vera Dei Patris atque Trinitatis Beatiſſimæ fides, omnium Chriſtianorum corda præoccupavit.

1248 Cæterùm etſi non liceat Deitatis imagines pingere, ſivè imagines facere exprimentes perfectam ſimilitudinem formæ & naturæ ipſius Dei, quomodò ſolùm res corporeæ pingi poſſunt, licebit tamen pingere Divinas perſonas, ſub iis formis, quas aliquandò ſuſcipere, vel ſanctis Viris apparere dignati ſunt, & prout ſacræ literæ referunt. Hoc enim pacto non eſt divinam pingere naturam, ſed magis exhibere oculis per picturam hiſtoriam, quā auribus exhibet ipſa ſcriptura, ut enim ſcribit Sanctus Gregorius Magnus lib.9. Epiſt.9. data ad Serenum Epiſcopum Maſſilienſem: *Quòd legentibus Scriptura, hoc idiotis pictura præſtat cernentibus, quia in ipſa ignorantes vident quid ſequi debeant, in ipſa legunt qui literas neſciunt; undè & præcipuè gentibus pro lectione pictura eſt*. Cùm itaque Scriptura doceat Geneſis cap.3. primos noſtros parentes audiviſſe *vocem Dei deambulantis in Paradiſo ad auram poſt meridiem*, quaſi in humana forma pingi poteſt Deus Pater, ad exprimendam hujuſmodi hiſtoriam in Viri forma deambulantis in Paradiſo. Et cap. 28. referens Jacobi viſionem, dicat: *Viditque in ſomnis ſcalam ſtantem ſuper terram, & cacumen illius tangens Cælum; Angelos quoque Dei aſcendentes & deſcendentes per eam, & Dominum innixum ſcalæ*; non eſt undè non liceat hanc eandem pingi hiſtoriam repræſentantem ſcalam, & Angelos, & Deum Patrem ſcalæ innixum, & quidèm in humana forma, quomodò certè ſe Jacob conſpiciendum exhibuit. In Viſione porrò Danielis cap.7. legitur: *Aſpiciebam donec Throni poſiti ſunt, & antiquus dierum ſedit; veſtimentum ejus candidum quaſi nix, & capilli capitis ejus quaſi lana munda*. Et paulò poſt: *Judicium ſedit, & libri aperti ſunt*. Joannes quoq; in Apocalypſi cap.4. ſcribit: *Fui in ſpiritu, & ecce ſedes poſita erat in Cælo, & ſupra ſedem ſedens; & qui ſedebat, ſimilis erat aſpectui lapidis jaſpidis & ſardinis*. Cùr ergò imago Dei, ut ſe exhibuit oculis Danielis, & Joannis, & prout ab eis eſt deſcripta, pingi non licebit? Poteſt deſcribi, ut nota ſit audientibus, cùr non poterit pingi, ut oculis neſcientium literas manifeſta fiat? Dùm ergò Deum Patrem pingimus in forma hominis ſenis, non talem pingimus, ut per eam picturam exprimatur natura divina, ſed forma tantùm, ſub qua dignatus eſt in Viſionibus ſanctis ſe oſtendere Viris; Nec pingimus, ut per picturam percipiatur divinæ naturæ notitia, ſed magis, ut ſcientia habeatur eorum, quæ geſta ſunt à Deo Patre, & ſacræ literæ recenſent.

1249 Angeli quoq; in juvenum formam pinguntur, non quidèm ad exprimendam eorum naturam, quæ cùm prorsùs ſit ſpiritualis, ſub oculis corporeis non cadit, nec materialibus coloribus exprimi poteſt, ſed quoniàm ſub hac juvenum forma à ſanctis Viris conſpecti ſunt. Sic Jacob Angelos vidit, Geneſ. cap. 32., quandò ei *fuerunt obviam Angeli Dei*. Et certè Angelus ille, qui *cum eo luctabatur uſque mane*; formam præſeferebat humanam, ipsâ dicente Scripturâ: *Et ecce vir luctabatur cum eo uſque manè*. Ita & Tobias invenit Angelum in forma juvenis ſplendidi, ſtantis præcincti & parati ad ambulandum, ut narrat eadem Tobiæ hiſtoria cap.5. Et pluriès in eadem forma conſpecti ſunt Angeli, cujus rei causâ pingi ſolent in forma juvenum pulcherrimorum. Non ergò Angelos pingimus in ea forma, quam ſubſtantialiter habent, nec ut credamus, eos eſſe corporeos, ſed in ea forma, ſub qua apparuerunt, & à ſanctis Viris conſpecti ſunt, & ſacra edocet Scriptura: Quòd ſi pingimus alatos, ad eorum agilitatem exprimendam, celeremque illorum motum, ſic pinguntur. Quoniam & eſt alius modus pingendi extrà hiſtoriam ad exprimendam naturam rei, non propter immediatam & propriam ſimilitudinem, ſed per analogiam, ſivè metaphoricas myſticaſque ſignificationes; quo pacto Chriſtum Dominum aliquandò pingimus in forma ovis & agni;nàm & Scriptura ipſa metaphoricè ovem appellat & agnum, Iſaiæ cap.53. verſ.7. *Sicut ovis ad occiſionem ducetur*; *& quaſi agnus coràm tondente ſe obmuteſcet*, *& non aperiet os ſuum*. Etiam Evangeliſtæ hoc pacto exprimuntur in figura quatuor animalium, Aquilæ, Leonis, Bovis, & Hominis, quomodò viſa ſunt ab Ezechiele, ut legitur in ejus Prophetia cap.1. Etiam & hoc pacto dicere poſſumus nos pingere Deum Patrem, dùm extrà hiſtoriam cum in forma pingimus humana, & Spiritum Sanctum extrà hiſtoriam pingimus in forma columbæ, aut linguarum ignis.

1250 Sed & in hiſtoria pingitur Spiritus Sanctus in forma columbæ, quoniàm ſic dignatus eſt in terris apparere, ut Evangelica narrat hiſtoria Matthæi cap.3. verſ.16. *Baptizatus autem Jeſus*, *confeſtim aſcendit de aqua*, *& ecce aperti ſunt Cæli*, *& vidit ſpiritum Dei deſcendentem ſicut columbam*. Et Lucas cap.3. verſ. 22. *Factum eſt autem cùm baptizaretur omnis populus*, *& Jeſu baptizato*, *& orante*, *apertum eſt Cælum*, *& deſcendit Spiritus Sanctus corporali ſpecie*, *ſicut columba in ipſum*. Hinc mos antiquus fuit in ſancta Dei Eccleſia pingendi, aut ſculpendi Spiritus Sancti imaginem in figura columbæ ſuper divina lavacra, ſcilicèt Baptiſteria, & ſuper ipſa Altaria. Liquet ſanè ex ſupplicatione Clericorum & Monachorum Eccleſiæ Antiochenæ miſsâ ad Joannem Patriarcham, & Synodum adversùs Severum congregatã, relecta Act.v, Synodi Conſtantinopolitanæ ſub Menna, ubi inter Severi ſcelera, & hoc adjunctum legitur: *Præſumptum eſt autem ab ipſo & hoc*, *ò Beatiſſimi*, inquiunt, *nam columbas aureas & argenteas in figuram Spiritus Sancti ſuper divina lavacra & Altaria appenſas*, *unà cum aliis ſibi appropriavit*, *dicens*, *non oportere in ſpecie columbæ Spiritum Sanctum nominare*. Hinc & Amphilochius ſcribit, magnum Baſilium in ejuſmodi ſculpta columbæ figura conſueviſſe ſacram aſſervare Euchariſtiam.

1251 His itaque ſtantibus ad ab adverſariis ſupra allegata ſub num. 1241. facilè reſpondemus, dicentes per illa ſcripturæ teſtimonia prohiberi tantùm atque interdici, aut imagines Dei naturam repræſentantes, aut fortè veriùs eas omnes imagines, quæ pro Deorum imaginibus habebantur, quemadmodùm erant ſimulacra gentium; proindè in Iſaia dicitur: *Cui me aſſimilaſtis*, *& adæquaſtis*, *& comparaſtis me & feciſtis ſimilem?* Et cap. 40. *Cui ergò ſimilem feciſtis Deum? aut quam imaginem ponetis ei?* Quaſi diceret, Deos aureos & argenteos, & ligneos vobis facitis, & cùm ego ſim Deus, vos me illis ſimilem facitis, & coæquatis & comparatis. Hinc Lyranus adnotans illa verba cap. 46., *cui aſſimilaſtis me*, ait, *fabricando vobis Idola*. Et Menochius addit, *fabricando Idolum quaſi Deum alium mihi ſimilem & æqualem*. Tirinus verò exponit: *Quàm vili rei*, *quàm ſordido metallo ſimilem credidiſtis divinam excellentiam?* Undè idem Lyranus in cap.40. expendens illa verba: *cui ergò ſimilem feciſtis Deum*, ait, per illa reprehendi Idololatriam, in qua cultus ſoli Deo debitus, creaturæ impenditur, & ſic ei ſecundùm reputationem Idololatræ adæquari dicit, & repetens eadem verba, ſubjungit Lyranus: *Hoc dicitur contra Idololatras credentes aliquid Divinitatis eſſe in Imaginibus factis*. Et Tirinus ad illa verba: *quam imaginem ponetis ei*, ait: „ Quæ ejus „ eſſentiam prorsùs, ut dixi, infinitam, & „ naturam omni ex parte incomprehenſibi- „ lem, potentiam ac magnitudinem intermi- „ nabilem ad vivum referat, & ad perfectum „ repræſentet, ut vos Idololatræ fingitis? Ni- „ hil ergò hic contrà Imagines Chriſtiano- „ rum, quæ non ad repræſentandam Divini- „ tatem, ſed ad memoriam illius in homini- „ bus, & debitam venerationem excitandam „ exponi ſolent. *Hæc Tirinus*; & eodem pacto exponit quoque Menochius. Nec aliter loquitur Paulus, cùm dicit: *Non debemus æſtimare aut argento, aut lapidi ſculpturæ artis, & cogitationis hominis Divinum eſſe ſimile*, quoniam Divinitas pingi non poteſt, nec ars valet aliquod Divinitati ſimile conficere.

1252 Nec Beatus Auguſtinus loco ſupra laudato ſub num. 1242. damnat Dei Imagines ſecundùm hiſtoriam affictas vel per analogiam, ſed eas tantùm, quæ Dei naturam repræſentare cre-

credantur, hujuſmodi certè ſimulacra nefas eſt Chriſtiano in Templo collocare, & multò magis in corde, quoniam ſic Idololatræ faciebant, credentes ſuorum falſorum Numinum Divinitatem per Imagines repræſentari, de quibus apertè loquitur Paulus per illa verba ab Auguſtino citata: *Commutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinem Imaginis corruptibilis hominis*, ubi & Apoſtolus ſubjungit: *& volucrum & quatrupedum, & ſerpentium*. Quæ verba directè feriunt Idololatras; undè & in Pſal. 105. verſ. 20. *Et mutaverunt gloriam ſuam in ſimilitudinem vituli comedentis fœnum*. Et Jeremias cap. 2. verſ. 11. *Populus verò meus mutavit gloriam ſuam in Idolum*. Itaque Idololatræ credebant ſuos Deos habere manus, & pedes, ac cætera corporis membra: hoc de Deo vero arbitrandum non eſſe Sanctus Doctor docet, & in Templo ſimile Dei ſimulacrum, ut per illud credatur Deum eſſe circumſcriptum, nefas eſſe, ait, in Templo collocari, & multò magis in corde ſic illud credere, nefarium eſſe pronunciat. Talia namque de ſuis Idolis credebant Idololatræ, qui commutaverunt, ita credentes, gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinem Imaginis corruptibilis hominis, exhibendo divinos honores creaturæ corruptibili, immò & beſtiis terræ.

1253 Deinde utique Sanctus Auguſtinus laudat Varronem dicentem, eos, qui ſimulacra Deorum induxerunt, metum dempſiſſe, & errorem auxiſſe; nam & rectè loquutus eſt Varro, quoniam quidam propterea crediderunt, ſimulacra eſſe Deos, & videntes, ea nec aliis, nec ſibi prodeſſe, vel obeſſe, cœperunt Deos contemnere. At ſi non Deos ſimulacra, ſed Imagines Deorum eſſe credidiſſent, & Imagines non proprias, ſed analogicas, nec metum amiſiſſent, nec errorem inveniſſent, quemadmodùm non minuitur metus Principum, nec error ullus oritur per Imagines eorundem, quas videmus quotidiè, prout in terminis loquitur Bellarminus. Porrò auctus certè error eſt apud Gentiles per Deorum ſimulacra, quoniam & in dies augebantur ſimulacra, & multiplicabantur Dii, & adeò poſt Numam Pompilium aucti fuerunt, ut Camillus apud Livium lib. 5. dixerit: *Urbem auſpicato, inauguratoque conditam habemus, nullus locus in ea non religionum, Deorumque eſt plenus, ſacrificiis ſolemnibus non dies magis ſtati, quàm loca ſunt in quibus fiant.* Hinc idem Sanctus Auguſtinus lib. 3. de Civit. cap. 12. ait: „ Sub hoc ergò tot Deorum præſidio conſtituta Roma, tàm magnis & horrendis cladibus, quales ex multis paucas commemorabo, agitari affligique debuit: nimis enim multos Deos grandi fumo ſuo, tanquàm ſigno dato ad tuitionem congregaverat, quibus templa, altaria, ſacrificia, Sacerdotes inſtituendo atque præbendo, ſummum verum Deum, cui uni hæc ritè geſta debentur, offenderet. Et fœlicior quidèm cum paucioribus vixit. *Hæc Auguſtinus*. Et ita apparet veritas dicti Varronis, ex multiplicatione ſimulacrorum auctum eſſe errorem, quoniam multiplicata ſunt ſimulacra, quia multiplicati ſunt Romanorum Dii, & ita error auctus: quò enim plures Dii & numeroſiores eſſe creduntur, eò magis augetur error: Et hanc fuiſſe Varronis mentem, ex eodem Auguſtino loco mox cit. colligi poteſt: Ait namque Sanctus Doctor: „ Sub hoc tot Deorum præſidio, quos numerare quis poteſt indigenas, alienigenas, cœlites, terreſtres, infernos, marinos, fontanos, fluviales, & ut Varro dicit, certos atque incertos, in omnibuſque generibus Deorum, ſicut in animalibus, mares & fœminas. *Hæc Auguſtinus*. Si ergò Varro, etiam Deos incertos, etiam Deas fœminas Romanos habuiſſe tradit, quid mirum, ſi dicat ex ſimulacrorum multiplicatione, diverſos atque etiam incertos Deos repræſentantium, auctum eſſe errorem?

1254 Concedimus denique, Romam ſinè ſimulacris diù ſtetiſſe, ut Varro ſcripſit, & Tertullianus, Lactantius, & alii confirmant ſcriptores, & à Diabolo inventam artem faciendi ſimulacra Diis Gentium fatemur: Sic pariter ſinè ſimulacris caſtiùs obſervari Religionem à Gentilibus, de quibus loquitur Varro, fatemur, quia, ut ibi notat Auguſtinus, hoc pacto magis appropinquatur veritati; deletis enim Gentium ſimulacris, quæ multitudinem Deorum deſignant, magis appropinquatur ad unius Dei cognitionem: Et certè ſinè ſimulacris apud Romanos non tot Dii venerabantur, quot venerati fuerant poſt erecta ſimulacra, & ideò caſtiùs religio ſinè ſimulacris obſervabatur. At ex hoc non infertur etiam apud nos Chriſtianos caſtiùs obſervari Religionem ſinè ſimulacris vero & uni Deo erectis, eo modo, quo dignatus eſt ſe Sanctis ſuis, atque Prophetis oſtendere, quàm cum ſimulacris, eo modo, quo ſuprà explicavimus: quoniam non Deos per ſimulacra multiplicamus, nec falſis Diis ſimulacra erigimus, ſed unum & eundem Deum verum, & cum ſimulacris, & ſinè ſimulacris adoramus & colimus. Neque ars Sculpturæ, aut picturæ, in ſe Diaboli eſt inventum; ſed ut per eam Imagines, & ſimulacra falſorum Numinum conficiuntur, hoc à Diabolo eſt, & inventum diabolicum: In ſe autem optima eſt, immò à Deo ipſo edocta, qua quidèm inſtruxit Beſeleel & Ooliab, quos, ut dicitur Exodi cap. 31. verſ. 3. *Implevit ſapientià & intelligentià, & ſcientià in omni opere, ad excogitandum quidquid fabrefieri poteſt ex auro, & argento, & ære, & marmore, & gemmis, & diverſitate lignorum*, prout etiam ſcriptum eſt cap. 35. ejuſdem libri verſ. 31. dicente Moyſe ad populum de iiſdem viris, quos Deus impleverat ſpiritu, ſapientiâ & intelligentiâ, & ſcientiâ, & omni doctrinâ, *ad ex-*

ex-

excogitandum, & faciendum opus in auro & argento & ære, ſculpendiſque lapidibus, & opere carpentario, quidquid fabrè adinveniri poteſt. Hinc & eodem Domino jubente hac eadem ſculptoria arte, duo Cherubim productiles in opere tabernaculi ſculpti fuerunt, ut conſtat ex eodem libro Exodi Cap. 15. Et libro 2. Paralip. Cap. 3. ſcriptum eſt de Salomone Rege: *Fecit etiam in Domo Sancti Sanctorum Cherubim duos, opere ſtatuario, & texit eos auro.*

1255 Porrò in ſeptima Synodo Act. IV. plurimùm laudatur pictoria ars. Recitatâ enim prius oratione Beati Aſterii Epiſcopi Amaſiæ, quam habuit in Euphemiam Martyrem, & qua commendatur pictor qui hujus Martyris geſta in Syndone quadam delineavit, Clariſſimi Judices dixerunt: *Pia ergò eſt pictoris ars, neque, ut aliqui, eam conviciis proſequamur.* Conſtantinus Epiſcopus Conſtantiæ Cypri dixit. *Imò & ſacram Tabulam illam vocat, Theologus autem Imaginem venerandam, Chryſoſtomus Sanctam: qui verò nunc lectus eſt, Sacram appellat: Quis poterit autem ampliùs his contradicere?* Nicephorus Epiſcopus Dytrachii dixit. *Semper artificioſus pictor per artem res ipſas exhibet, quemadmodùm etiam qui Martyris Euphemiæ Imaginem delineavit: quamobrem & in his Doctor pingendi artem laudat.* Joannes Presbyter dixit: *Major eſt Imago quàm oratio: Atque hoc providentiâ Dei contigit propter Idiotas.* Reverendus Presbyter locum tenens Orientalium Diœceſum dixit: *Pictores haudquaquam adverſantur Scripturis. Nam quod Scriptura dicit, hoc illi repræſentant, adeout confirmatores videantur Scripturarum.* Hæc & alia in Pictorum & picturæ laudes interloquendo pronunciarunt prælibatæ Synodi Patres, ut conſtet nec pictoriam, nec ſculptoriam artem malam eſſe. Quare Simeon Benignus Epiſcopus Madruſienſis in ſermone habito in ſeſſione VI. Synodi Lateranenſis V. ſub Julio & Leone X. celebratæ, de pictoria & ſtatuaria arte hæc affatus eſt: „ Quando ita conſtitutum eſt à natura, ut omnia orta occidant, plurimùm „ certè debemus majoribus noſtris, qui cùm „ perpetuò eſſe non poſſent, uſque adeò nobis proſpexerunt, ut, niſi qui omnem exuit „ humanitatem, rerum geſtarum memoriam „ & præſentem vitam corrigere, & futuram „ etiam rectè ducere ſua ſponte unuſquiſque „ poſſit ac valeat. Cujus etiam rei gratiâ ſtatuariam & ſculpturæ & picturæ artes ſagaciſſima mortalitas adinvenit, ut qui literarum notitiam non habent, inſpectis magnorum virorum Imaginibus ad benè vivendum excitentur; tum etiam ut majores natu præclara illorum geſta à generatione „ in generationem proferant & promittant. „ *Hæc ille.*

1256 Ad teſtimonium denique depromptum ex Clemente Alexandrino lib. 5. Stromat dicimus eum loqui de falſorum Deorum Imaginibus, quales à Paganis in annulis exculpebantur, & quas Pythagoras prohibuit; in more fuit apud Gentes Deorum ſuorum Imagines in annulis exculpi, ſicque in digitis geſtare; unde & apud Ægyptios maximè ejuſmodi invaluit conſuetudo, ubi uſque ad præſentem diem, apud præcipuè Alexandriam inter vetera rudera, complures annulorum lapilli inveniuntur, in quibus exculptæ ſunt Idolorum Imagines, ut ipſe propriis oculis vidi in nonnullis ad me ex Alexandria delatis. Has ergo Imagines prohibuit Pythagoras, & de talibus loquitur Clemens Alexandrinus, aſſerens Divina lege per Moſem lata, hujuſmodi Imagines eſſe interdictas, unde ante verba relata hæc præmittit, inquiens: *Rurſùs autem, non eſſe geſtandos annulos, neque Deorum Imagines eſſe eis inſculpendas, ſicut Moyſes multis ante ſæculis apertè legem ſanxit, nullam oportere ſculptilem, vel fuſilem, vel fictam, vel pictam Imaginem, ſimulacrumque facere, ut ſenſibilia minimè attenderemus, ſed ad ea tranſiremus, quæ percipiuntur intelligentia.*

1257 At conceſſo etiam, quòd loquatur de veri Dei Imagine, non proinde ejus teſtimonium pugnat cum Sanctorum Imaginibus, atque cum ipſius Dei figuris efformatis ſub ea forma, qua dignatus eſt hominibus apparere: quoniam Sancti Doctoris mens ea ſola eſt, ne fiant Dei Imagines quæ credantur repræſentare Divinam naturam, prout de Imaginibus Deorum ſuorum exiſtimabant Pagani. Id quod ſanè explicat, dum recenſet Platonis & Ariſtotelis ſententiam aſſerentium Dei formam nec intelligi poſſe; alteram Anthiſtenis pronunciantis, Deum nulli eſſe ſimilem, neminemque eum ex Imagine poſſe diſcere, & ea quæ pro eodem argumento Xenofons Athenienſis ſcripſerat, inquiens: „ Qui omnia movet, & „ quieta efficit, magnus quidem eſt, & apertè potens, ſed cujuſmodinam ſit forma, non „ apparet: ſed nec Sol qui omni parte videtur „ eſſe lucidus & conſpicuus, ipſe ſe ipſum videre permittit: ſed ſi quis ipſum impudenter fuerit contemplatus, viſu oculorum privatur. *Hæc ille.* Hinc Seneca Epiſt. 113. Stoicos deridet tribuentes Deo formam rotundam. Et in Epiſtola 31. palàm aſſerit neminem noſſe Deum, pluresque malè de ipſo temerè ſed impunè ſentire: *Nemo, inquit, novit Deum. Multi de illo malè exiſtimant, & impunè.* Sapientes itaque, etſi Ethnici peroptimè ſciebant Dei naturam ignotam eſſe, nec per Imaginem repræſentari poſſe, quam notitiam Platonem ab Hebræis accepiſſe exiſtimat idem Clemens loco citato; ubi & addit Grilli filium ſimilia de Deo ſentientem, ab Hebræorum propheti ſſa ejuſmodi accepiſſe doctrinam, quæ ita vaticinata eſt.

Quæ cara cæleſtem poteris, verumque tueri,
Humanæ ſortis qui expers in vertice Cæli
Eſt Deus: adversùs radios neque cernere ſolis.
Mortales poſſunt homines: lucemque micantem.

Et propter eandem rationem fatetur Clemens apud ſapientes Ægyptios ædem Minervæ ſub Dio conſtitutam fuiſſe, quemadmodùm & Hebræi, qui ſinè ſimulacro Templum poſuerant. *Quocircà*, inquit, *Ægyptiorum quoque Sacerdotum ſapientiſſimi Minervæ Ædem ſub Dio eſſe conſtituerunt, ut Hebræi qui templum poſuerunt abſque ſimulacro*. Deinde refert teſtimonium Zenonis, inquiens: *Zeno autem Stoicorum Sectæ Princeps & Auctor, nec Templa, nec Deorum Imagines habere voluit, nihil compoſitum Diis dignum ratus*. Citat & Orpheum de Deo ita canentem.

——*Nullus & ipſum.*
Mortalis cernit, verùm omnes aſpicit ipſe.

Sententiam quoque Xenophanis Colophonii de Deo ita loquentis.

Maximus in genere eſt Divum atque hominum Deus unus.
Qui nec corpore, nec mente eſt mortalibus ullis
——*Aſſimilis.*

Ac denique hujus rei causâ Hempedoclem Homerum reprehendiſſe, & Heſiodum, qui ſpeciem hominis Djis affinxiſſent, quæ illis minimè congruebat, idem Clemens adnotat. Ex quibus omnibus palàm fit qualis fuerit ejuſdem Clementis Alexandrini vera de Imaginibus ſententia: cùm enim totus ejus diſcurſus ſit ordinatus ad demonſtrandum Deum, nullam habere figuram, nullamque Imaginem, quæ corporeis coloribus exprimi poſſit, laudans ſapientes & Philoſophos illos, qui ſinè ſimulacris Deum colendum fatebantur, aſſerebantque, nec conſpici, nec delinerari poſſe, reprehendens & illos, qui Dei effigies efformabant, atque in ſimulacris Deum adorandum eſſe exiſtimabant, fit evidens ſolùm velle, non poſſe Deum pingi in Imagine repręſentante ejus naturam, & Divinitatem, quomodo Pagani frequenter faciebant cum ſuis Diis, quos & corporeos, & tales quales pingebantur, aut exſculpebantur, eſſe quoque in natura credebant.

1258 Atqui inſtant Iconomachi recentiores, & aliam ab explicata mentem Clementis eſſe ex lib. 6. Stromatum, & ex Protreptico ejuſdem Clementis, demonſtrare conantur. Cùm artem pingendi damnare videatur: nam priori in loco, ait: „ Quemadmodùm qui „ aliena furatur, cùm magnam faciat inju- „ riam, in ea, quæ meretur mala, jure in- „ cidit: ita qui Divina opera ſibi vindicat „ per fingendi, vel pingendi artem, & di- „ cens ſe eſſe effectorem plantarum, & ani- „ malium, & ſimiliter, qui veram imitantur „ philoſophiam, fures ſunt: *Et in ſecundo* „ *loco*. Nobis enim, inquit, eſt apertè vetitum artem fallacem exercere; *Non facies* „ *enim*, inquit Propheta, *cujuſvis rei ſimi-* „ *litudinem, eorum quæ ſunt in Cælo, & quæ-* „ *cumque ſunt in terra infra*. Hactenus Clemens: unde inferunt, non ſolas falsorum Deorum, aut etiam veri Dei Imaginem, ſed quaſcumque rerum creatarum Imagines, & ſimilitudines Clementem deteſtari, utpotè Decalogi præcepto interdictas.

1259 Attamen falsò talia inferunt Iconomachi, nam priori in loco Clemens adversùs eos agit artifices, qui ſe per artem pingendi aut ſculpendi res creatas, illarum eſſe auctores gloriabantur, cùm omnia Divina omnipotentia occultè operetur, cujus homines, atque aliæ res creatæ miniſtræ illius tantummodo ſunt: & ſe gloriantes auctores illarum artium, vel Imaginum, aut picturarum, ut fures habet, quaſi quidquam furati fuerint eorum quæ ſolius Dei omnipotentiæ propria ſunt, ac illi ſoli attribui debent. Id quod ex verbis ejuſdem in eodem loco evincitur, ubi & ait: „ Qui ergo dixerit ſe aliquid excogi- „ taſſe, vel feciſſe ex jis, quæ pertinent ad „ creationem, impii & nefarii: *Nàm* gene- „ rali & universâ Dei providentiâ, per ea „ quæ moventur propinquiùs, per ſubmiſſio- „ nem tranſmittitur ad ſingularia efficax ope- „ ratio. *Hæc ille*.

1260 Abeſt quoque à mente Clementis, ut ſentiat quamlibet Imaginem, & ſimilitudinem Decalogi eſſe præcepto interdictam, qui eas dumtaxat, quæ falsa repręſentant numina, eo præcepto interdictas exiſtimat & docet, cùm ſuperiùs ſcribat: „ Et primùm qui- „ dem præceptum Decalogi oſtendit unum „ ſolum eſſe Deum omnipotentem, qui po- „ pulum tranſtulit ex Ægypto per ſolitudi- „ nem in terram patriam, ut per Divinas qui- „ dem operationes comprehenderent, ut po- „ terant, ejus potentiam: ab eorum autem „ quæ ſunt genita, abſtinerent Idololatria, „ omnem ſpem habentes in Deo, qui eſt ex „ veritate. *Hactenus Clemens*, qui paulò inferiùs, licèt ante verba in objectione allegata, ut reverà oſtendat ſe agere non adversùs omne Imaginum genus, ſed falsorum tantùm Deorum, & illorum ſimulacra, hæc ſubjungit: „ Eſt autem adulterium, ſi quis „ relictâ Eccleſiaſticâ & verâ cognitione, & „ de Deo perſuaſione, accedat ad falsam, „ quæ non convenit opinionem, aut in Deos „ referens aliquid ex jis, quæ ſunt genita, „ & alicuju s ex jis, quæ non ſunt, ſimula- „ crum aliquod conſtituens, ad tranſilien- „ dum cognitionem, vel potius ab ea deſi- „ liendum. *Et poſt pauca*: Quocircà, *ait*, „ præclarus quoque Apoſtolus unam forni- „ cationis ſpeciem vocat Idololatriam, con-

„ ſequenter Propheta, qui dicit *Mœchatus*
„ *eſt cum ligno, & lapide: Ligno dixit; Pa-*
„ *ter meus es tu: & lapidi; Tu me genuiſti.*

1261 Et eodem ſenſu in Protreptico loquitur, dum ſecundùm Prophetæ ſententiam ſimulacra atque Imagines falſorum Numinum dumtaxat damnat, prout ex jis, quæ tum in antecedentibus, tum in conſequentibus eodem in loco ſcribit: Ait namque: *Beati ergo illi omnes dumtaxat ex Sybillæ ſententia.*

Qui ſibi viſa licèt Divorum Templa negabunt:
Surdorum & Lapidum quæ ſunt altaria ſedes:
Ex lapide & manibus ſimulacra effecta virorum;
Cæſorum quæ ſunt animato inſecta cruore.
Quadrupedum, bipedum, volucrumque, & Cæde ferarum.

„ Nobis enim eſt apertè vetitum artem falla-
„ cem exercere. Non facies enim, inquit
„ Propheta, cujuſvis rei ſimilitudinem eo-
„ rum quæ ſunt in Cœlo, & quæcumque
„ ſunt in terra infra. Reverà enim Cererem
„ Praxitelis, & Proſerpinam, & Jacchum
„ Myſticum Deo exiſtimaremus, vel Lyſippi
„ artes, vel manus Apellis, quæ Divinæ
„ exiſtimationis præbuere materię. Sed vos
„ quidem út Statua fabricetur pulcherrima,
„ valdè adlaboratis; nę autem propter in-
„ ſenſibilitatem efficiamini Statuis ſimiles,
„ non curatis. *Hæc Clemens*, ex quibus
ejus vera aperitur mens.

1262 Sanctarum Imaginum contemptores, & loca nonnulla ex Tertulliani ſcriptis excerpta, quæ ſibi favere videntur, in medium afferunt, ut ex jis concludant non licere Chriſtianis ſacras retinere, vel adorare Imagines. Et primo loco recenſent Tertulliani verba in libro de Spectaculis Cap. 21. ubi ait: *Jam verò ipſum opus perſonarum, quæro an Deo placeat, qui omnem ſimilitudinem vetat fieri, quantò magis Imaginis ſuæ?* Ex quibus verbis inferunt de mente Tertulliani, Decalogi pręcepto quamcumque Imaginem, qualemvis ſimilitudinem eſſe interdictam, ſi ex ea lege infert uſum quoque perſonarum, quo ſcilicèt in ſpectaculis perſonæ diverſæ repræſentabantur, interdictum exiſtimat.

1263 Deinde in lib. de Idololatria Cap. 3. ſcribit à Diabolo artem pingendi introductam, aitque, *Diabolum ſæculo intuliſſe artifices Statuarum, & Imaginum, & omnis generis ſimulacrorum*. Et Cap. 4. ſubjungit, Deum *toto mundo ejuſmodi artem interdixiſſe ſervis ſuis*. Poſtea verò Cap. 5. advertens præceptum illud datum Moyſi de erigendo ſerpentem æneum, nec hoc ſibi objiceretur, ait;
„ Si eundem Deum obſervas, habes legem
„ ejus, ne feceris ſimilitudinem. Si & præce-
„ ptum factæ poſtea ſimilitudinis reſpicis, &
„ tu imitare Moyſem. Ne facias adverſùs le-
„ gem ſimulacrorum aliquod, niſi & tibi
„ Deus juſſerit. *Hæc ille*. Hinc velle videtur, quòd ſtante illa legis prohibitione, nemini liceat ſimilitudinem aliquam, vel Imaginem facere, niſi ipſe Deus legis conditor id juſſerit, quomodo Moyſes nonniſi Deo jubente ſerpentem erexerat. Quæ quidem ratio locum habet & in illis Cherubim ſculptis ſuper Archam in ipſo propitiatorio, quoniam ex juſſione Dei facti fuerunt. Et ita concludunt, Tertullianum quamcumque damnaſſe Imaginem, & ſimilitudinem, illis exceptis, quæ jubente Deo leguntur factæ.

1264 Porrò arguunt ex jis, quæ habet libro 4. contrà Marcionem Cap. 22. ubi probare videtur, apud Judæos Divina lege quamcumque Imaginem non ſolùm falſorum Numinum, verùm & Sanctorum Virorum fuiſſe prohibitam, quoniam fatetur Moyſen, & Eliam in Monte Tabor, quando Jeſus transfiguratus eſt, à Petro agnitos fuiſſe, non naturali aliqua notitia per illorum imagines accepta, quia populus Dei, nec Imagines, nec Statuas eos repręſentantes habebat, ipſa Divina lege prohibente, ſed agnitos tantùm fuiſſe in ſpiritu, lumine ſcilicèt extraordinariæ Ectaſeos. *Quomodo enim Moyſen*, ait, *& Eliam cognoviſſet, niſi in ſpiritu? Nec enim Imagines eorum vel Statuas populus habuiſſet & ſimilitudines, lege prohibente, niſi quia in ſpiritu viderat.* Inde eſt, inquiunt, quòd in libro contra Hermogenem Cap. 1. picturæ artem tanquam grave crimen ei objicit, dum ait: *Pręterea pingit licitè, nubit aſſiduè. Legem Dei in libidinem defendit, in artem contemnit; bis falſarius, & cauterio & ſtylo, totus adulter, & prædicationis & carnis.*

1265 Ad hæc itaque reſpondemus, primum Tertulliani teſtimonium ex lib. de Spectaculis, non probare omnem Imaginem, & ſimilitudinem eſſe Divina lege prohibitam, cùm ibi de falſa dumtaxat Imagine & ſimilitudine loquatur, quales erant Imagines, & ſimilitudines, quas in Theatris perſonati homines repræſentabant, nempe Deos ſuos, Sacerdotes eis ſacrificantes, quæ quidem ad Idololatriam pertinebant, & ideo eo in libro totus intentus eſt Tertullianus, ut probet ex Idololatria univerſam ſpectaculorum paraturam conſtare. Habet namque Cap. 4. communem eſſe Ludorum originem, communes titulos, inquiens: „ Ut de communibus cau-
„ ſis perinde apparatus communes habeant,
„ neceſſe eſt de reatu generali Idololatriæ
„ conditricis ſuæ. *Circi pompam quorſum ſit*,
„ probari, inquit de ſimulacrorum ſerie, de
„ Imaginum agmine. *Et poſt pauca*. Ex Sa-
„ cris & Sacrificiis præcedentibus, interce-
„ dentibus, ſuccedentibus. *Et item*. Et ſi
„ pauca ſimulacra circumſerat, in uno Ido-
„ lolatriam eſſe, *ait*.

1266 Hinc & Cap. 7. ejuſdem libri tradit rem equeſtrem equitandi tantùm ſtudio

pri-

primitùs inventam, tranſacta in ludos, Idololatriâ fuiſſe contaminatam, inquiens: Caſtori & Polluci, Neptuno, Quadrigis Solis, & bigis Lunæ deputari, & clariùs Cap. 9. ait: „ Artes ſcenicas de geſtis, & flexu corporis „ mollitæ Veneris & Liberi immolare; illi „ per Sexum, illi per Luxum diſſolutis. Quæ „ verò voce, & modis, & lyris transfigun„ tur, Apollines & Muſas, & Minervas & „ Mercurios mancipes habere. *Et paulò poſt.* „ Dæmonas ab initio proſpicientes ſibi, inter „ cætera Idololatriæ, etiam ſpectaculorum in„ quinamenta, quibus homines à Deo avo„ carent, & ſuo honori obligarent, ejuſmo„ di quoque artium ingenia inſpiraſſe. *Et Ca„ pitulo x., ait*: Agonum apparatus Idolo„ latriam conſpurcare de Coronis Profanis, „ de Sacerdotibus Præſidibus, de Collegia„ riis Miniſtris, de ipſo poſtremò Bovum „ Sanguine: alios Sacros, alios Funebres, „ aut Diis Nationum, aut mortuis fieri. „ *Hæc & alia Tertullianus*, ut probet ſpectaculorum ludos ad Idololatriam pertinere.

1267 Sed & quòd falsas Imagines perſonatorum hominum falsa Numina, Profanos Sacerdotes, impioſque Diaboli Miniſtros in Theatris & Scenicis ludis repræſentantium, dicat Tertullianus eſſe divina lege prohibitas, quoniam ad Idololatriam pertinebant, liquet etiam ex jis, quæ ad verba in argumento allegata præmittit Tertullianus, & quæ poſtea ſubjungit: „ An Deo placebit, inquit, au„ riga ille tot animarum inquietator, tot fu„ riarum miniſter, tot ſtatuarum: velut Sa„ cerdos coronatus, vel coloratus ut leno, „ quem curru rapiendum Diabolus adversùs „ Eliam exornavit. Placebit, qui vultus „ ſuos novaculâ mutat? Infidelis erga faciem „ ſuam, quam non contentus Saturno, & Iſi„ di, & Libero proximam facere, inſuper „ contumeliis alaparum ſic objicit, quaſi de „ præcepto Domini laudat? Jam verò ipſum „ opus perſonarum quæro an Deo placeat, „ qui omnem ſimilitudinem vetat fieri, quan„ tò magis Imaginis ſuæ? Non amat falsum „ Auctor veritatis: Adulterium eſt apud il„ lum omne quod fingitur. Proinde vocem, „ ſexus, ætates mentientem, amores, iras, „ gemitus lacrymas adſeverantem, non pro„ babit, qui omnem hypocriſim damnat. „ *Hæc Tertullianus*. Ex quo integro teſtu genuina ejus aperitur mens, quæ eſt, ut nulla facienda ſit Imago, quæ ad uſum Idololatriæ pertinere poteſt, ſivè hæc fiat in pictura, ſivè in ſculptura, ſivè etiam in homine perſonato appareat.

1268 Et hoc idem deteſtatur in libro de Idololatria Cap. 3. dùm dicit Diabolum intuliſſe ſæculo artifices ſtatuarum, & Imaginum omnis generis ſimulacrorum, earum ſcilicèt ſtatuarum, & ſimulacrorum Imaginum Idololatriam præſeferentium, falsoſque repræſentantium Deos, fictaque Numina: & clariſſima ſunt ejus verba, licèt mutila ab Iconomachis ejus referatur ſententia: Ait namque loco jam laudato: „ Idolum tàm fieri, „ quàm coli Deus prohibet. Quando proce„ dit, ut fiat quod coli poſſit, tantò priùs eſt ne „ fiat, ſi coli non licet. Propter hanc cauſam, „ ad eradicandam ſcilicèt materiam Idololatriæ, lex Divina proclamat: *Ne feceris Ido„ lum*, & conjungens, *neque ſimilitudinem „ eorum, quæ in Cœlo ſunt, atque in Terra, „ & quæ in Mari*. Toto Mundo ejuſmodi ar„ tibus interdixit Servis Dei. Anteceſſerat „ Enoch prædicens, omnia elementa, om„ nem Mundi cenſum, quæ Cœlo, quæ Ma„ ri, quæ Terra continentur, in Idolatriam „ verſuros Dæmonas, & Spiritus deſerto„ rum Angelorum, ut pro Deo adversùs Do„ minum conſecrarentur. Omnia igitur co„ lit humanus error, præter ipſum omnium „ Conditorem. Eorum Imagines, Idola, „ Imaginum conſecratio, Idololatria. Quid„ quid Idololatria committit, in artificem „ quemcumque & cujuſcumque Idoli depu„ tetur neceſſe eſt. Denique idem Enoch ſi„ mul & cultores Idoli & fabricatores in „ Comminatione prædamnat. *Hactenus ille*.

1269 Item & quod ait Divina diſpenſatione factum eſſe, ut erigeretur ſerpens æneus in deſerto, non infert ex hoc omnem Imaginem eſſe Divina lege prohibitam, illis dumtaxat exceptis, quas ipſe Deus faciendas jubet: Certè Divina lege omnes Imagines prohibentur, quæ ad Idololatriam ſunt ordinatæ, hic finis legis prohibentis, ne ſculptilia fierent, nec Imagines, nec cujuſvis generis creaturarum ſimilitudines, ne populus ad Idololatraiam propenſus, per eas ſimilitudines ad defectionem traheretur. Potuiſſet utique ad defectionem trahi per ſerpentis ſimilitudinem, nec licuiſſet, niſi Deo ipſo jubente, atque in lege diſpenſante, conflatus fuiſſet ac propoſitus, ut Myſterii aliquando conſummandi figura. Et quidem proceſſu temporis in eum defecerunt, ipſum poſtea colentes, eique Divinos exhibentes honores, ut Sacra Regum narrat hiſtoria lib. 4. Cap. 18. ubi de Ezechia Rege ait: *Ipſe diſſipavit excelsa, & contrivit ſtatuas, & ſuccidit lucos, confregitque ſerpentem æneum, quem fecerat Moyſes: ſiquidem uſque ad illud tempus filij Iſrael adolebant ei incenſum*. Optimè ergo Tertullianus ait, non eſſe faciendnm ſimulacrum adversùs legem, niſi & Deus juſſerit, diſpenſando ſcilicèt in lege de non faciendis ſimulacris.

1270 Sed quænam ſunt ſimulacra, quæ legi adverſantur? Numquid quævis Imago, & ſimilitudo etiam Sanctorum Virorum? Abſit, & ipſemet Tertullianus eodem loco explicat, dùm ait: „ Si nulla lex Dei prohibuiſ„ ſet Idola fieri à nobis, ſi nulla vox Spiri„ tus Sancti fabricatoribus Idolorum, non „ minus quàm cultoribus comminaretur, de „ ipſo Sacramento noſtro, interpretaremur no-

„ bis, adverſùs eſſe fidei ejuſmodi artes. Quo-
„ modo enim renunciavimus Diabolo & An-
„ gelis ejus, ſi eos facimus. *Hæc ille*, unde patet de mente Tertulliani, Imagines & ſimulacra Divina lege prohibita, Idola eſſe, & non quaſvis Imagines, & ſimilitudines; Falſorum Numinum ſimulacra, non Sanctorum Virorum effigiatæ Imagines; unde & ſubjungit ad majorem ſuæ ſententiæ explicationem;
„ Potes linguâ negaſſe, quod manu confite-
„ ris? Verbo deſtruere quod facto ſtruis?
„ Unum Deum prædicare, qui tantos efficis?
„ Verum Deum prædicare, qui falſos facis?

1271 Acuit porrò Tertullianus ſtylum in fabricatores Idolorum, non tamen quarumvis Imaginum; quare hujuſmodi fabricatoribus ſe excuſantibus facere quidem Idola, ſed non tamen colere, ait Tertullianus: „ Imò
„ tu colis, qui facis ut coli poſſint. Colis
„ autem, non Spiritu viliſſimi nidoris ali-
„ cujus, ſed tuo proprio, nec anima pecu-
„ dis impenſa, ſed anima tua. Illis ingenium
„ tuum immolas, illis ſudorem tuum libas,
„ illis prudentiam tuam accendis. Plus es il-
„ lis quàm Sacerdos, cùm per te habeant Sa-
„ cerdotem. Diligentia tua numen illorum
„ eſt; *Et paulò poſt*, Tota die ad hanc par-
„ tem Zelus fidei perorabit, ingemens Chri-
„ ſtianum ab Idolis in Eccleſiam venire; de
„ Adverſarii officina in Domum Dei: attol-
„ lere ad Deum Patrem manus Matres Ido-
„ lorum.

1272 Artes itaque pingendi, & ſculpendi in ſe non damnat Tertullianus, nec aſſerit à lege Divina proſcriptas, niſi in quantum Idololatriæ inſervire poſſunt, & propter periculum, nec ad Idololatriæ uſum transferantur, prævalente eâ præcipuè ætate ubique Idololatriâ, ideo habet: „ Si ita neceſ-
„ ſitas exhibitionis obtenditur, habent & alias
„ ſpecies, quæ ſinè exorbitatione diſciplinæ,
„ ideſt, ſinè Idoli confictura, opem victus
„ præſtent. *Et poſt pauca*. Cùm igitur ad hæc Artificiorum genera coartemur, quæ Idolum quidem, & quæ Idolo competant, non attingant, ſint autem & hominibus communia ſæpè, quæ & Idolis, hoc quoque cavere debemus, ne quid ſcientibus nobis ab aliquibus de manibus noſtris in rem Idolorum poſtuletur.

1273 Deinde quod idem Tertullianus profert in lib. 4. contrà Marcionem, apud ſcilicèt Judæos nullam fuiſſe Moyſis aut Eliæ Imaginem, lege Divina prohibente, dicendum eſt, Tertullianum in ea fuiſſe opinione Judæis quævis Imago, cujuſvis rei fuerit prohibita, & ſi lege Divina, non tamen Decalogi, potuit enim hujuſmodi præceptum fuiſſe cæremoniale, cùm Imago ad Idololatriam ordinata Decalogi præcepto, & naturali quoque fuerit prohibita. Hinc Theodorus Studita in Epiſtola data ad univerſos diſperſos Fratres, cujus initium, *Gratia & pax*, pariter aſſerit Judæos nec ſuorum Prophetarum Imagines habuiſſe: *Et Judæis planè deteriores ſe oſtendunt*, ait, *quia nec Moyſis nec alterius cujuſpiam è Prophetis Imaginem recipiunt*. Sunt qui aſſerunt Judæos, non tantùm Divino præcepto, quàm Patrum traditione, cujuſvis generis Imagines habuiſſe interdictas; quoniam ſtante Divino præcepto de non faciendis ſculptilibus, ideſt, Idolis, viſum fuit Patribus perantiquis illud extendere ad omnes Imagines, etiam Sanctorum Prophetarum, ne popolus ad Idololatriam propenſus ex prædictis Imaginibus occaſionem Idololatrandi ſumeret. Et ſanè, ſi Moyſis præcipuè Imaginem habuiſſent, honores Divinos illi exhibuiſſent: Cujus rei causâ nec Moyſis ſepulturam Deus cognitam Hebræis voluit, dicente Scriptura Deutoronomii Capitulo ult. *Et ſepellivit eum in valle Terræ Moab contra Phogor, & non cognovit homo ſepulchrum ejus*. Cognoſcente porrò Diabolo, eoſdem Judæos Divinos honores fore corpori Moyſis exhibituros, ſi eis pateret, conatus eſt illud revelare, id quod perficere minimè valuit, Michaele Archangelo ei reſiſtente, ut Beatus Judas Apoſtolus ſcribit in ſua Catholica Epiſtola ſub num. 9. dùm ait; *Cum Michael Archangelus cum Diabolo diſputans, altercaretur de Moyſi corpore, non eſt auſus judicium inferre blaſphemiæ, ſed dixit: Imperet tibi Dominus*. In quem locum univerſi expoſitores dicunt, voluiſſe Satanam ſepeliri Moyſen loco cognito & celebri, ut Hebræi in Idololatriam proni, eum quaſi Deum, & Numen colerent. Unde Lyranus: *Volebat Diabolus*, inquit, *revelare corpus Moyſi Judæis ad Idololatriam pronis, ut eum adorarent tanquam Deum, Michael autem tunc Princeps Synagogæ hoc volebat impedire*. Non itaque mirum erit, ſi aut cæremoniali præcepto pro ſolis Judæis ſic ad Idololatriam propenſis, ſivè ex Patrum traditione, fuerit eis quæcumque etiam Sanctorum Prophetarum Imago interdicta, ut viſum fuit Tertulliano.

1274 Cæterùm ipſemet Tertullianus libro 2. contrà Marcionem Cap. 22. teſtatur eas dumtaxat Imagines ad uſum Idololatriæ confectas, vel effictas, Decalogi præcepto fuiſſe Judæis prohibitas, cæteras verò non ſic: „ Proinde, inquit, ſimilitudinem ve-
„ tans fieri omnium, quæ in Cœlo, & in
„ Terra & in aquis, oſtendit & cauſas, Ido-
„ lolatriæ ſcilicèt ſubſtantiam cohibentes:
„ ſubjicit enim, *Non adorabitis ea, neque*
„ *ſervietis illis*. Serpentis autem ænei effigies
„ poſtea præcepta Moyſi à Domino, non ad
„ Idololatriæ titulum pertinebat, ſed ad re-
„ mediandos eos, qui à ſerpentibus infeſta-
„ bantur. Et taceo de figura remedii. Sic &
„ Cherubim & Seraphim aurea in Arca figu-
„ ratur exemplum, certè ſimplex ornamen-
„ tum, accomodatâ ſuggeſtui, longè diver-
„ ſas habendo cauſas ab Idololatriæ conditio-
ne,

„ ne, ob quam ſimilitudo prohibetur, non „ videntur ſimilitudinum prohibitarum legi „ refragari, non in eo ſimilitudinis ſtatu de- „ prehenſa, ob quem ſimilitudo prohibetur. *Hactenus Tertullianus*, qui diſſertiùs loqui non poterat.

1275 Denique non damnat Tertullianus in ſe picturæ artem in Hermogene, quaſi ex hoc præcisè ipſum reprehendat, quòd artem pictoriam exercuerit, ſed fortè, quia in vetitum uſum artem illam converterit, Idola quoquè effigiando, quòd nunquàm alicui Viro chriſtiano licitum fuerat, quoniam Idolorum ſculptores, vel pictores materiam Gentilibus idololatrandi exhibebant, prout ex eodem Tertulliano loco ſuprà laudato: quia ergò Hermogenes poſt ſuſceptum Chriſtiani nomen adhùc Deorum ſimulacra pingebat, ideò meritò in eum ſtylum acuit Tertullianus, ut Rigaltius adnotat. At Rhenanus apud Pamelium in notis ad hunc Tertulliani locum, aliter Tertulliani exponit ſententiam. Cùm enim primò dicat: *Pingit licitè*, artem pictoriam in eo nequaquàm damnare exiſtimat, ſubjungens poſteà, *in artem contemnit*, ait, per hæc verba voluiſſe Tertullianum innuere, Hermogenem artem pingendi deſeruiſſe: „ Item Africanus, *ait Rhenanus*, „ arte pictor erat. Nec verò prohibitum uſ- „ quàm pingere, ſi obſcœna, ignominioſaque „ excipias. Hoc eſt ergò quod dicit: *Pingit* „ *licitè*. Qui item illud, quod mox ſequitur: „ *in artem contemnit* (ait Pamelius, ſic in- „ terpretatur Rhenanus) nam pictoriam de- „ ſeruit, quæ ars ex ſe mala non eſt. Præci- „ pit autem lex Dei, ut labore manuum vi- „ vamus. Cæterùm maluit otioſus eſſe ſe- „ ductor populi, quàm pictor. *Hæc ex Rhenano & Pamelio*.

1276 Arguunt inſuper Iconoclaſtæ, ut probent, Imagines quaſcumque eſſe lege Decalogi interdictas, ex eo quòd apud Iudæos nec pictores, nec ſtatuarii in eorum admitterentur Civitatibus, lege divinâ prohibente, ut Origenes lib. 4. contrà Celſum diſertis tradit verbis, inquiens: „ In Civitatem eo- „ rum nullus pictor admittebatur, nullus „ ſtatuarius, legibus totum hoc genus ar- „ centibus, nè quà occaſio præberetur ho- „ minibus craſſis, nevè animi eorum à Dei „ cultu avocarentur ad res terrenas per hu- „ juſmodi illecebras. Habebant enim inter „ cæteras legem hanc: *Nolite impiè agere*, „ *nec facietis vobis ſculptile in ſimilitudinem*, „ *aut imaginem maſculi vel fœminæ, in ſimili-* „ *tudinem omnium jumentorum, quæ ſunt ſu-* „ *per terram, vel avium pennatorum ſub Cœlo,* „ *volantium, vel piſcium quorumvis, qui de-* „ *gunt in aquis ſub terra*. Et hanc legem, homiliâ VIII. in Exodum, tradit ſpectare quoquè ad homines novi Teſtamenti, proindèque concludunt de Origenis mente, non licere Chriſtianis Imagines quaſcumq; aut retinere, vel colere.

1277 Confirmatur hoc ex iis, quæ tradit Philo in lib. Decal., & lib. de Legatione ad Cajum, atque lib. de Gigantibus, in quibus tradit, Judæos in ſuam Civitatem nec ſtatuarios, nec pictores habuiſſe; Id idem tradit Ioſephus lib. 17. Antiquit. cap. 8., ubi refert, Judæos ægrè tuliſſe, quòd Herodes Aquilam auream prægrandem ſupra majorem portam collocarat Templi, quam juvenes quidam, magiſtris impellentibus, palàm dejicere auſi fuerunt, & rationem allegans, ait: *Prohibet enim lex erectiones Imaginum moliri, aut quorumcumque animalium effigies collocari, velut anathemata iis, qui ex illius præſcripto vitam ſuam componere voluerit*. Cujus rei causâ, *quòd nimirum, nullum fas ſit in Vrbe collocari ſimulacrum*, refert lib. 2. de Bello Judaico, Pilatum, qui Imagines Cæſaris in Urbem introduxerat, Judæorum contradicentium victum conſtantiâ, tandèm abſtuliſſe. Et lib. 8. Antiquit. accuſat violatæ legis Salomonem, quòd areas Bovum baſi Maris, id eſt, ingentis labri, quod ob ejus capacitatem Mare vocabatur, adjecerat, & Leonem in Throno poſuerat, quoniam nefas erat talia facere.

1278 Ad hæc verò, ut ſuprà reſpondeo, etſi cujuſvis generis Imagines interdictæ fuerint Judæis, non tamen omnes divinâ Decalogi lege; hac enim lege ſolæ illæ Imagines vel ſimulacra ad uſum Idololatriæ efficta, vel erecta, prohibita erant, prout idem Origenes ex antecedentibus & ſubſequentibus palàm oſtendit; ait namque de Judæis loquens: „ Apud quos nullum aliud nomen erat rece- „ ptum, quàm Deus hujus rerum univerſita- „ tis Præſes, procùl ablegatis omnibus ſimu- „ lacrorum opificibus, nam in Civitatem „ eorum nullus pictor admittebatur, nullus „ ſtatuarius, legibus totum hoc genus arcen- „ tibus, nè quà occaſio præberetur homini- „ bus craſſis, nevè animi eorum à Dei cultu „ avocarentur ad res terrenas per ejuſmodi „ illecebras. *Hæc ille*. Ex quibus apparet, non aliâ de cauſa de mente Origenis hujuſmodi fuiſſe ablegatos operarios, nè ex confectione ſimulacrorum Deos falſos venerarentur, Deo vero derelicto, lege divinâ prohibente atque mandante, ut uni ſoli & vero Deo ſervirent; Undè recitatis Decalogi verbis in objectione relatis, ſtatim ſubjungit: „ Quæ lex hoc agebat, ut contenti rerum „ veritate, caverent ſibi à figmentis men- „ tientibus faciem maris aut fœminæ, aut „ pecudum, avium reptilium, piſcium ima- „ gines referentibus. Illud quoquè apud eos „ gravitatis & generoſitatis plenum: *Cave*, „ *nè fortè oculis ſublatis ad Cœlum, viſoque* „ *Sole & Lunâ, cæteriſque Stellis Cœli, de-* „ *core horum deceptus, adores aut colas aliquod* „ *ex Syderum numero*. Et ita clarum fit de mente ejuſdem Origenis divinâ Decalogi lege imagines, & ea tantùm ſimulacra fuiſſe interdicta ad uſum Idololatriæ ordinata.

1279

1279 Nec aliud innuit homilia 8. in Exodum, cujus verba ſunt: „ Aliud eſt facere Idolum, aliud ſimilitudinem. *Et paucis interjectis*, ſi quis in quolibet metallo, *inquit*, auri vel argenti, vel ligni, vel lapidis, faciat ſpeciem quadrupedis alicujus, vel ſerpentis, vel avis, & ſtatuat illam adorandam, non Idolum, ſed ſimilitudinem fecit; Vel etiamſi picturam ad hoc ipſum ſtatuat, nihilominùs ſimilitudinem feciſſe dicendus eſt. Idolum verò fecit ille, qui ſecundùm Apoſtolum dicentem, *quia Idolum nihil eſt*, facit quod non eſt. *Hæc ille*. Undè patet ſermo ejus, quòd ſcilicèt intendat, ſimilitudines divinâ Decalogi lege interdictas, eas eſſe dumtaxàt, quæ ad cultum Idololatriæ ſunt ordinatæ; Id quod in ſubſequentibus pariter oſtendit; nam poſt pauca ſubjungit: „ Addit autem & dicit: *non adorabis ea, neque coles*. Poteſt quis, *ait Origenes*, interdùm & invitus adorare, ſicut nonnulli Regibus adulantes, cùm eos ad hujuſmodi ſtudia deditos viderint, adorare ſe ſimulant Idola. Colere verò, eſt toto his affectu & ſtudio mancipari. Utrumque ergò reſecat ſermo divinus, ut neque affectu colas, neque ſpecie adores. *Hactenus Origenes*. Cujus ſententia tota collimat ad demonſtrandum, quamvis imaginem & quamlibet ſimilitudinem ad uſum Idololatriæ ordinatam, divinâ Decalogi lege eſſe interdictam, nullâ de aliis non ita ordinatis factâ mentione.

1280 Sed utique, ut ab initio dicebam, Judæos tanquàm ſibi interdictas omnes ſimilitudines, imagines, univerſaque ſimulacra, etiam non ordinata ad uſum Idololatriæ habebant, nec ad hunc finem erecta; cujus rei causâ nec Romanorum Imperatorum imagines, nec quamcumque animalium ſimilitudinem in ſua Civitate habere volebant, ablegatis ſtatuariis, & pictoribus, ut Philo & Joſephus confirmant: Non tamen Decalogi lege, ſed magis decreto Synagogæ, & Seniorum, extendẽtium legem illam divinam etiam ad alia ſimulacra, aliaſque imagines & ſimilitudines, etiam ad uſum Idololatriæ non ordinatas, ut ita homines à violatione divinæ legis longiùs arcerentur, ablegatâ quavis idolatrandi occaſione, ſivè divinam violandi legem; undè & ad hunc finem, ut rectiùs divina obſervaretur lex, plura decreta à Senioribus edita fuere, quæ & divinæ legis ſepem nuncupare ſolebant. Certè hujuſmodi artifices non fuerunt lege divinâ Decalogi ablegati; cùm, ut habetur lib. Exodi cap. 31., & ſupra fati ſumus, ut eſſent magis, dedit Deus ſpiritum ſapientiæ, & intelligentiæ, & ſcientiæ, *ad excogitandum*, ut ibi dicitur, *quidquid fabrefieri poteſt ex auro, & argento, & ære, marmore, & gemmis, & diverſitate lignorum*. Nec rectè Joſephus incuſat Salomonẽ de legis violatione propter ſimilitudines & Cherubim, & Bovum, & Leonum, quas fecit ad ornatum Templi, & Throni, cùm ipſa Scriptura Regum lib. 3. cap. 6. & 7. ob hæc opera nequaquàm arguat Salomonem; immò Deo gratum fuiſſe ſignificat, qui perfecto Templo, ipſi ſemèl & iterùm perſpicuum ſe præbuit, & cum ipſo, velut cum amico locutus eſt, ſacrificiaque eodem in Templo ab ipſo Salomone oblata, ſignis de Cœlo divinitùs emiſſis, grata ſibi fuiſſe demonſtravit, ut habetur etiam lib. 2. Paralip. cap. 7.

1281 Denique Iconomachos urgeo; nam ſi divinâ lege, & præcipuè Decalogi, quævis imago, etiam ex non ordinatis ad Idololatriam, quævis ſimilitudo foret interdicta, quo pacto & Judæis aſſerunt fuiſſe interdictam, ut ipſi prætendunt Iconomachi, eâdem lege tenerentur Chriſtiani, obligati ad Decalogi obſervantiam; non licuiſſet Chriſtianis nec Principum, nec Regum, nec cujuſvis imagines apud ſe retinere, nec quidèm ſua, vel ſuorum Principum effigiata ſtemmata illorum: Cùr ergò & ipſi non agunt, ut olim Judæi, & à portis, à Templis, à domibus, & ab ipſis Civitatibus, Imagines ſuorum Principum, ſtemmata illorum, & quamvis aliam picturam aut ſtatuam, non dejiciunt? Cùr pictores & ſtatuarios à ſuis non arcent Civitatibus, ut olim arcebant Judæi? Si ergò non obſtante Decalogi lege, licitum eſt Chriſtianis ſuorum Principum, & clariſſimorum Virorum imagines retinere, licebit quoquè, & multò magis habere Jeſu Chriſti & Sanctorum ejus imagines.

1282 Aptant quoque Iconomachi adverſùs ſacrarum Imaginum cultores omnia Sanctorum Patrum dicta, & teſtimonia prolata adversùs Idolorum cultores, adeòut quidquid dixerunt adversùs Idololatras, convenire aſſerant Imaginum ſacrarum veneratoribus: Et ex hoc volunt pariter concludere, cultum ſanctarum Imaginum non minùs lege divinâ eſſe prohibitum, ac Idolorum ipſorum cultum; Et in primis in medium proferunt dicta Tertulliani in Apologetico cap. 12. ſcribentis: „ Quantùm autem de ſimulacris ipſis nihil aliud reprehendo, quàm materias ſorores eſſe vaſculorum, inſtrumentorumque communium, vel ex iiſdem vaſculis & inſtrumentis, quaſi fatum conſecratione mutantes, licentiâ artis transfigurante, & quidèm contumelioſiſſimè, & in ipſo opere ſacrilegè. *Et cap. ult.* Igitur ſi ſtatuas & imagines frigidas mortuorum ſuorum ſimillimas non adoramus, quas milui & mures & araneæ intelligunt; nonnè laudem magis, quàm pœnam merebatur repudium agniti erroris? *Hactenus Tertullianus*. Atqui inferunt Sanctorum Imagines, nè de meliore luto, nec honeſtiore ſpecie, vel ſenſibus inſtructæ ſunt, quàm Gentilium ſtatuæ. Æquè ſorores, utræque vaſculorum, inſtrumentorumque communium; neque has magis, quàm

illas,

illas, & araneæ, & milui intelligunt. Igitur æquè à Tertulliano proſcribuntur illæ, ac iſtæ, pro utriſque eâdem militante ratione.

1283 Inde adducunt & Minutii Felicis dicta in Octavio, deridentis, quòd Pagani publicè colerent Idola, ab ipſis animalibus variis in modis conſpurcata; dùm ait: „ Quanta verò de Diis veſtris animalia muta „ naturaliter judicant, mures, hirundines, „ milui? Non ſentire eos ſciunt, norunt, „ inculcant, inſident, ac niſi abigatis, in ipſo „ Dei veſtro ore nidificant. Araneæ verò fa„ciem ejus intexunt; & de ipſo capite ſua „ fila ſuſpendunt. Vos tergitis, mundatis, „ eraditis, & illos, quos facitis, protegitis, „ & timetis. *Hæc Minutius*. Quæ omnia in Sanctorum Imagines detorquent, quibus & ſimilia accidere comprobant ipsâ quotidianâ experientiâ.

1284 Porrò, pro eodem argumento verba Lactantii lib. 2. Divin. Inſtitut. cap. 2. adducunt, dicentis; *Quid ſibi Templa, quid aræ volunt? Quid denique ipſa ſimulacra, quæ aut mortuorum, aut abſentium ſimulacra ſunt?* Imagines quoq; & ſanctorum Virorum ſimulacra, & mortuorum, & abſentium, inquiunt, monumenta ſunt; eadem ergò eſt ratio. Pergit Lactantius: *Nec intelligunt*, inquit, *homines ineptiſſimi, quòd ſi ſentire ſimulacra, & moveri poſſent, ultrò adoratura homines fuiſſent, à quibus ſunt expoſita*. Et item: *Adorant ergò inſenſibilia qui ſentiunt, irrationabilia qui ſapiunt, ex anima qui vivunt, terrena qui oriuntur à Cœlo*. Et paucis interjectis, ſubjungit: *Nempe ideò timetis, quòd eos eſſe in Cœlo arbitremini*. Cui reſponſioni occurrens Lactantius, ait: *Cùr igitur oculos in Cœlum non tollitis? Cùr ad parietes & ligna & lapides potiſſimùm, quàm illò ſpectatis, ubi eos eſſe creditis?* Quod argumentum validè urgere fatentur etiam Sanctorum Imaginum cultores, quos & eâdem reprehenſione dignos cenſent, quam idem Lactantius cap. 17. ejuſdem libri ſubnectit, dùm ait: *Perverſum eſſe & incongruens, ut ſimulacrum hominis à ſimulacro Dei colatur. Colit enim quod eſt deterius & imbecillius*. Ac poſteà: *Inexpiabile facinus eſſe*, ſubjungit, *deſerere viventem, ut defunctorum monimentis ſervias, qui nec vitam, nec lucem dare cuiquam poſſunt, quæ ipſi carent*.

1285 Inſuper & utriſque, Idolorum ſcilicèt, & Imaginum cultoribus, convenire fatentur quæ adversùs Idololatras profert S. Athanaſius in oratione contra Gentes, inquiens: „ Deinde ſupplices ante ligna pro„ cumbere, nè videre interim res ſimiles ac „ prorsùs ejuſdem generis ſuis ſeſe pedibus „ calcare, & pro fomentis ignium uſurpare, „ cùm tamen partes earum rerum Numina „ appellent. Et quæ paulò ante in uſu com„ muni habuere, ea per vecordiam (cùm „ exſculpata ſunt) colenda arbitrantur, nihil „ omninò neque oculis, neque mente uten„ tes, quippè qui non Deos, ſed artem Cæ„ latoris adorent. Quamdiù enim impolitus „ eſt lapis, & rudis materia, tamdiù iſtiuſ„ modi res pedibus calcant, iiſque ad mini„ ſteria ſua, & ſubindè viliſſima, abutuntur. „ Cæterùm, ubi artifex ſuæ ſcientiæ modulos „ proportioneſque impreſſit, & in ſpeciem vel „ viri, vel mulieris effiguraverit, aguntur „ gratię artifici, ac jam deinde pro Numini„ bus adorant, quos pretio à ſculptore rede„ merunt. *Hactenus Athanaſius*, qui & alia ſubnectit, quæ in ſacrarum Imaginum cultores retorquent Iconomachi, referentes quoque & aliorum Sanctorum ſententias conſimiles adversùs paganos pronunciatas, quas & catholicos in colendis Imaginibus urgere quoque prætendunt.

1286 Sed errant ſanè, longè diſtant catholici ſacras venerantes Imagines à Paganis Idola colentibus, non enim eadem eſt utrorumque ratio & ſententia, in modo quoque, & in fine, & in ipſa credulitate valdè diſcriminantur: undè quod rectè Sancti Patres in Paganis reprehendebant, nullo pacto retorqueri poteſt in catholicos ſacrarum cultores Imaginum. Ethnici namque ſuorum Deorum ſimulacra ex vili materia compacta, licèt inſenſibilia eſſent & irrationalia, licèt de iis mures, hirundines, milui, & araneæ judicarent, & cætera hujuſmodi à Sanctis Patribus recitata, nihilominùs ab eis inſtar Numinum habebantur, & colebantur; undè & divinos honores tribuebant. Putabant, quinimmò credebant ea eſſe vera Numina, ſivè ſimplici ſubſtantiæ commutatione, ut indicare videtur S. Athanaſius loco mox laudato, quæ opinio fortè apud rudiores invaluerat, ſivè quadam divinitatis in ipſa infuſione, alligatione, & ſubſtantiali præſentia, quaſi fatum conſecratione mutarent, prout ibi loquitur Tertullianus. Id quod fortaſsè ſentiebant eruditi; & quidèm Hermes apud B. Auguſtinum lib. 8. de Civit. cap. 24. refert illud in hominibus, quòd artem invenerint efficiendi Deos: *Quoniam ergò*, inquit Hermes, *proavi multum errabant circa Deorum rationem increduli, & non animadvertentes ad cultum religionemque divinam, invenerunt artem, qua efficerent Deos*. Poſteà ſubjungit, quomodò ut animata redderent ſimulacra, Dæmones eis alligarent: *Cui inventæ*, ait, *adjunxerunt virtutem de mundi natura convenientem; eamque miſcentes, quoniam animas facere non poterant, evocantes animas Dæmonum, vel Angelorum, eas indiderunt Imaginibus ſanctis diviniſque myſteriis, per quas Idola & benefaciendi, & malè, vires habere poſſunt*. Et hanc fuiſſe quoque Mercurii opinionem, idem S. Auguſtinus eodem lib. cap. 23. innuit, dum de Triſmegiſto illo Mercurio loquens, ſcribit: *At ille viſibilia & contrectabilia ſimulacra, velut corpora Deorum eſſe aſſerit: Ineſſe autem his quoſdam ſpiritus invita-*

tatos, qui valeant aliquid, ſivè ad nocendum, ſivè ad deſideria nonnulla eorum complenda, à quibus eis divini honores & cultus obſequia deferuntur. Deinde hanc magis explicans opinionem, ſubjungit: *Hos ergò ſpiritus inviſibiles per artem quandam viſibilibus rebus corporalis materiæ copulare, ut ſint quaſi animata corpora, illis ſpiritibus dicata & ſubdita ſimulacra; Hoc eſſe dicit Deos facere, eamque magnam & mirabilem Deos faciendi accepiſſe homines poteſtatem*. Hæc S. Auguſtinus.

1287 Deinde, Ethnici in præfatis ſuis ſimulacris ſpem omnem ponebant, ac in eis confidebant, juxtà illud Pſal. 113. *Simulacra gentium argentum & aurum opera manuum hominum*. Et poſtea: *Similes illis fiant, qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis*. Certè Chriſtiani catholici ſacras colentes Imagines multùm diſtant ab Ethnicis ſimulacrorum cultoribus; quoniam nec ut Numina Imagines venerantur, nec pro Numinibus Imagines habent, nec credunt in iis aliquam ineſſe divinitatem aut virtutem, neque in eis fiduciam aut ſpem ponunt, prout ſacra Tridentina Synodus ſeſſ. 25. in Decreto de ſacris Imaginibus, definit, inquiens: „ Imagines porrò Chriſti, Deiparæ Virginis, & aliorum Sanctorum in Templis præſertim habendas, & retinendas, eiſque debitum honorem & venerationem impertiendam, non quòd credatur ineſſe aliqua in iis divinitas, vel virtus, propter quam ſint colendæ; vel quòd ab eis ſit aliquid petendum, vel quòd fiducia in Imaginibus ſit figenda, veluti olim fiebat à gentibus, quæ in Idolis ſpem ſuam collocabant; ſed quoniam honos, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illæ repræſentant, itaut per Imagines, quas oſculamur, & coràm quibus caput aperimus & procumbimus, Chriſtum adoremus, & Sanctos, quorum illæ ſimilitudinem gerunt, veneremur. *Hactenus Tridentina Synodus*.

1288 Sed inſtant adverſarii; Doctiores inter Ethnicos neutiquàm credidiſſe ipſa ſimulacra Deos eſſe, ſolùmuè aſſeruiſſe in ipſis ſimulacris, vel per ipſa ſimulacra Deos coli; licèt nonnulli de plebe rudes putaverint ſimulacra illa Deos eſſe, & pro Diis ſimulacra adoraverint. Hoc pacto, inquiunt, ſe habent Imaginum cultores; nam licèt Theologi & Doctiores non ipſas Imagines colant, ſed Sanctos per Imagines repræſentatos, nec credant eſſe in ipſis Imaginibus aliquid divinitatis, aut Sanctos in eis latère: complures tamen de plebe rudes aliter credunt, exiſtimantes ſub eis latère Sanctos, aut ipſis eſſe conjunctos Imaginibus, ac proindè cum Paganis credere videntur.

1289 Deinde doctiores inter Ethnicos neutiquàm credidiſſe, ſimulacra Deos eſſe, ſed Deos in ſimulacris repræſentatos coli, probant ex pluribus Patribus, & præcipuè ex Arnobio lib. 6. adverſùs Gentes, ubi Paganum & Ethnicum hominem ſic loquentem introducit: „ Sed erras & laberis; nam neque nos æra, neque auri argentique materias, neque alias, quibus ſigna conficiunt, eas eſſe per ſe Deos, & religioſa decernimus Numina; ſed eos in his colimus, eoſque veneramur, quos dedicatio infert ſacra, & fabrilibus efficit inhabitare ſimulacris. *Et poſt alia ſubjungit*: In parte hac eadem illud etiam dicere ſimulacrorum aſſertores ſolent, non ignoraſſe, antiquos nihil habere Numinis ſigna, neque ullum omninò ineſſe his ſenſum, ſed propter indomitum atque imperitum vulgus, quæ pars in Populo atque in Civitatibus maxima eſt, ſalubriter ea, conſilioque formaſſe, ut velut quadam ſpecie objecta his Numinum, abjicerent aſperitatem metu; arbitratique præſentibus ſeſe ſub Diis agere, factaque impia deponerent, & ad humana officia morum immutatione tranſirent. *Hæc Arnobius*. Sed & Lactantius lib. 2. Divinar. Inſtit. cap. 2. eoſdem Ethnicos ſic loquentes introducit: *Non ipſa timemus ſimulacra, ſed eos, ad quorum imaginem ficta, & quorum nominibus conſecrata ſunt*. Conſimilia habentur apud Athenagoram in legatione pro Chriſtianis, apud Origenem lib. 7. contra Celſum, & apud alios antiquos Eccleſiaſticos Doctores.

1290 At nos ſacrarum Imaginum cultores à ſacra edocti Scriptura reſpondemus, Paganos omnes doctrinam ſuorum ſequentes Pontificum & Sacerdotum ſenſiſſe, ſimulacra eſſe Deos ſivè immutatione ſubſtantiæ, ſivè infuſione quadam & incorporatione Deorum in ipſa, vi conſecrationis; adeòque ipſa ut Numina coluiſſe, ſpem in his ſuam poſuiſſe, ipſiſque ſupplicaſſe ac ſerviſſe; Qua enim de cauſa Deus Exodi cap. 20. mandavit filiis Iſrael: *Non facietis Deos argenteos, nec Deos aureos facietis vobis*. Levitici cap. 19. *Nolite converti ad Idola, nec Deos conflatiles faciatis vobis. Ego Dominus Deus veſter*. Certè non alia, niſi nè imitarentur Ethnicos, Deos aureos & argenteos & conflatiles colentes, tanquàm Deos vivos, ac ſi ſenſus & vitam haberent, cùm poſteà eos deridens Propheta in Pſal. 113. dicat: *Simulacra Gentium argentum & aurum opera manuum hominum. Os habent, & non loquentur; oculos habent, & non videbunt; aures habent, & non audient; nares habent, & non odorabunt; manus habent, & non palpabunt; pedes habent, & non ambulabunt; non clamabunt in gutture ſuo*. Si ergò apud Ethnicos ſimulacra pro Diis vivis habita nequaquàm forent, hujuſmodi ſacræ Scripturæ reprehenſio vana foret & inutilis.

1291 Porrò apertiſſimè hoc idem liquet ex iis, quæ Iſaias Propheta de Idolis Gentium ſcribit cap. 44. à verſ. 10. & ſeq. „ Quis formavit Deum, *inquit*, & ſculptile conflavit ad nihil utile? Ecce omnes participes ejus con-

,, confundentur; fabri enim ſunt ex homini-
,, bus; convenient omnes, ſtabunt & pave-
,, bunt, & confundentur ſimùl. Faber fer-
,, rarius limâ operatus eſt; in prunis & in
,, malleis formavit illud, & operatus eſt in
,, brachio fortitudinis ſuæ; eſuriet & defi-
,, ciet; non bibet aquam, & laſſeſcet. Arti-
,, fex lignarius extendit normam, formavit
,, illud in runcina; fecit illud in angularibus,
,, & in circino tornavit illud, & fecit ima-
,, ginem viri quaſi ſpecioſum hominem habi-
,, tantem in domo. Succidit cedros, tulit
,, ilicem, & quercum, quæ ſteterat inter li-
,, gna ſaltus; plantavit pinum, quam pluvia
,, nutrivit; & facta eſt hominibus in focum:
,, ſumpſit ex eis, & calefactus eſt, & ſuccen-
,, dit & coxit panes: de reliquo autem ope-
,, ratus eſt Deum, & adoravit; fecit ſculpti-
,, le, & curvatus eſt ante illud. Medium ejus
,, combuſſit igni, & de medio ejus carnes co-
,, medit; coxit pulmentum & ſaturatus eſt,
,, & calefactus eſt, & dixit: Vah, calefactus
,, ſum, vidi focum; reliquum autem ejus
,, Deum fecit, & ſculptile ſibi; curvatur ante
,, illud, & adorat illud & obſecrat, dicens:
,, *Libera me, quia Deus meus es tu*. Neſcie-
,, runt neque intellexerunt, obliti enim ſunt,
,, nè videant oculi eorum, & nè intelligant
,, corde ſuo. *Hæc Iſaias*, clariſſimè oſtendens, ſimulacrorum adoratores pro Diis vivis habuiſſe ſimulacra, atque in eis ſpem ſuam poſuiſſe.

1292 Jeremias pariter cap. 2. Iſrael ad Idola prævaricatum reprehendens, ait: ,, Quo-
,, modò confunditur fur, quandò deprehen-
,, ditur, ſic confuſi ſunt domus Iſrael, ipſi &
,, Reges eorum, Principes & Sacerdotes, &
,, Prophetæ eorum, dicentes ligno: *Pater*
,, *meus es tu*; & lapidi: *Tu me genuiſti*; ver-
,, terunt ad me tergum, & non faciem; & in
,, tempore afflictionis ſuæ dicent: *Surge, &*
,, *libera nos*. Ubi ſunt Dii, quos feciſti tibi,
,, ſurgant, & liberent te in tempore afflictio-
,, nis tuæ. Secundùm quippè numerum Ci-
,, vitatum tuarum erant Dii tui, Juda.

1293 Prætereà in libro Sapientiæ diſertè ſcriptum eſt, Idololatras ſpem ſuam in Idolis, tanquàm in Deos vivos, poſuiſſe, quoniàm cap. 13. deſcriptâ priùs fabricatione Imaginis Idololatricæ, ſivè Idoli, ſub num. 18., ait: *Non erubeſcit loqui cum illo, qui ſinè anima eſt, & pro ſanitate quidèm infirmum deprecatur, & pro vita rogat mortuum, & in adjutorium inutilem invocat, & pro itinere petit ab eo, qui ambulare non poteſt; & de acquirendo, & de operando, & de omnium rerum eventu petit ab eo, qui in omnibus eſt inutilis*. Sed & cap. 14. agens de Idololatriæ prima origine verſ. 15., ait: ,, Acerbo enim luctu dolens pater, citò
,, ſibi rapti filii fecit imaginem; & illum, qui
,, tunc quaſi homo mortuus fuerat, nunc tan-
,, quàm Deum colere cœpit, & conſtituit in-
,, ter ſervos ſuos ſacra & ſacrificia. Deindè,
,, interveniente tempore, convaleſcente ini-
,, quâ conſuetudine, hic error tanquàm lex
,, cuſtoditus eſt, & tyrannorum imperio co-
,, lebantur figmenta. Et hos, quos in palàm
,, homines honorare non poterant, propter
,, hoc, quòd longè eſſent, è longinquo figurâ
,, eorum allatâ, evidentem imaginem Regis,
,, quem honorare volebant, fecerunt, ut il-
,, lum, qui aberat, tanquàm præſentem cole-
,, rent ſuâ ſolicitudine. Provexit autem ad
,, horum culturam & hos, qui ignorabant,
,, artificis eximia diligentia: Ille enim vo-
,, lens placere illi, qui ſe aſſumpſit; elabo-
,, ravit arte ſuâ, ut ſimilitudinem in melius
,, figuraret. Multitudo autem hominum ab-
,, ducta per ſpeciem operis, eum, qui ante
,, tempus tanquàm homo honoratus fuerat,
,, nunc Deum æſtimaverunt. Et hæc fuit vi-
,, tæ humanę deceptio, quoniam aut affectui,
,, aut Regibus deſervientes homines incom-
,, municabile nomen lapidibus & lignis im-
,, poſuerunt. *Hactenus ibi*.

1294 De iiſdem porrò Idolis, illorumque cultoribus plura habentur in cap. 15., ſed pro noſtro argumento ſola recenſemus quæ leguntur ſub num. 14. & ſequen. ubi dicitur: ,, Om-
,, nes enim inſipientes, & infœlices ſuprà mo-
,, dum animæ ſuperbi, ſunt inimici populi
,, tui, & imperantes illi, quoniam omnia
,, Idola nationum Deos æſtimaverunt, qui-
,, bus neque oculorum uſus eſt ad videndum,
,, neque nares ad percipiendum ſpiritum, ne-
,, que aures ad audiendum, neque digiti ma-
,, nuum ad tractandum, ſed & pedes eorum
,, pigri ad ambulandum: Homo enim fecit
,, illos, & qui ſpiritum mutuatus eſt, is fin-
,, xit illos. Nemo enim ſibi ſimilem homo
,, poterit Deum fingere. Cùm enim ſit mor-
,, talis, mortuum fingit manibus iniquis.
,, Melior enim eſt ipſe his quos colit, quia ip-
,, ſe quidèm vixit, cùm eſſet mortalis, illi
,, autem nunquàm. *Hæc ibi, & alia*. Sed & plura ejuſdem argumenti legi poſſunt apud Prophetam Baruch cap. 6. ubi de Babyloniorum Diis plura refert, monens populum, qui captivus ducendus erat, ut caveret ab iis, & ab omni Gentium illarum Idololatria. Et ita apertis ſanctarum ſcripturarum teſtimoniis conſtat, Gentium ſimulacra pro Diis univerſaliter fuiſſe ſemper habita.

1295 Et hanc fuiſſe vetuſtiorum Patrum opinionem, quòd nimirum Ethnici pro Diis ſimulacra habuiſſent, liquet ex Tertulliano in Apologetico cap. 12., Arnobio lib. 1. adverſùs gentes, Cypriano lib. 3. Teſtimoniorum adverſùs Judæos, S. Athanaſio orat. contrà Gentes, Theodoreto Dialog. 1.; & ex Chryſoſtom., aliiſque pluribus. Hinc Minutius Felix in Octavio de Idolo, quod fabricatur, loquens, ait: *Funditur, fabricatur, ſcalpitur, nondùm Deus eſt. Ecce plumbatur, conſtruitur, erigitur, nec adhùc Deus eſt. Ecce ornatur, conſecratur, oratur, tunc poſtremò Deus eſt,*

cùm homo illum voluit & dedicavit.

1296 Cæterùm ex Ethnicis quoſdam fuiſſe, licèt paucos, qui aſſerebant, ſimulacra illa Deos non eſſe, ſed in eis latentes Deos coli, tradit S. Auguſtinus ipſe lib. 8. de Civit. cap. 23., ubi ſcribit & hanc fuiſſe ſententiam Mercurii Triſmegiſti, de quo ait: „ At ille „ viſibilia & contrectabilia ſimulacra, velut „ corpora Deorum eſſe aſſerit; ineſſe autem „ his quoſdam ſpiritus invitatos, qui valeant „ aliquid, ſivè ad nocendum, ſivè ad deſideria „ eorum nonnulla complenda, à quibus eis „ divini honores, & cultus obſequia deferuntur. *Hæc ibi*. Et in Pſal. 113. refutat eos, qui dicunt: *Non hoc viſibile colo, ſed Numen, quod illic inviſibiliter habitat*. Et in Pſal. 96. introducit Ethnicum diſputatorem, ſic loquentem: *Non ego illum lapidem colo, nec illud ſimulacrum, quod eſt ſinè ſenſu: non enim Propheta veſter potuit nō noſſe, quia oculos habent & non vident, & ego ſcio, quia illud ſimulacrum nec animam habet, nec videt oculis, nec audit auribus: non ergò illud colo, ſed adoro quod video, & ſervio ei, quem non video. Quis eſt iſte? Numen quoddam*, inquit, *inviſibile quod præſidet illi ſimulacro*. Et ita ejuſdem ſententiæ fuiſſe quendam Olympium Ethnicum Philoſophum, innuere videntur Nicephorus lib. 12. Hiſt. cap. 25., & Sozomenus lib. 7. cap. 15., de quo referunt, quòd cùm ob everſa ſimulacra Idolorum conſpiceret ſuos eſſe conſternatos, hortabatur, ne à religione ſua deficerent, aſſerens, Imagines ac ſtatuas nihil aliud eſſe, quàm materiam corruptibilem, ac proinde ad nihilum potuiſſe redigi, inhabitaſſe autem his virtutes quaſdam, & eas jam in Cœlum avolaſſe.

1297 Hos tamen ſic reſpondentes impugnat S. Auguſtinus, ex eo quòd virtutes, quas inhabitare ſimulacris fatebantur hujuſmodi Ethnici, Dæmones fuerint, juxtà illud Pſalm. 95. *Quoniàm Dii Gentium Dæmonia*. Et Paulus 1. ad Corinthios cap. 10. *Non quòd Idolum ſit aliquid, ſed quoniàm quæ immolant gentes, Dæmoniis immolant, & non Deo: & nolo vos ſocios fieri Dæmoniorum*. Undè in Pſalm. 96. ait Beatus Auguſtinus: „ Non ergò hinc ſe excuſent, quia quaſi Idolis inſenſatis dediti non ſunt, Dæmoniis magis „ dediti ſunt, quod eſt periculoſius; nam ſi „ tantùm Idola colerent, ſicut eos non adjuvarent, ita illis nihil nocerent: Si autem „ adores & ſervias Dæmonibus, erunt Domini tui. Et qui erunt Domini tui? Invidi tui, libertati tuæ neceſſe eſt ſemper invideant, ſemperque te velint poſſidere, ſemper talem facere, qualem poſſint ſecùm „ trahere. Et paulò infrà. *Cùm enim dixiſſet, ſubjungit: Confundantur omnes qui adorant ſculptilia*, addidit, *& qui gloriantur in ſimulacris ſuis*; nè exiſterent quaſi „ reddentes rationem de ſimulacris, & dicerent: *non lapides*, ſed *Numina colimus*.

„ Quæ Numina colis? Dic mihi, Dæmonia „ colis, an ſpiritus bonos, quales ſunt Angeli? Sunt etiam Angeli Sancti, & ſunt „ Spiritus maligni, qui ſibi exigunt ſuperbè ſacrificium, & volunt ſe coli tanquàm „ Deos.

1298 Proindè cùm apud priſcos Romanos, maximè invaluerit ſuperſtitioſa colendi in ſimulacris Dæmones religio, non abnuit Leo Papa Romam erroris appellare magiſtram, ut quæ omnium gentium ſerviret erroribus; & Tertullianus in lib. de Spectaculis lib. 7. vocat Urbem, in qua Dæmoniorum conventus conſedit, & cap. 12. appellat Romanum Capitolium omniū Dæmonum Templum. Ab ejuſmodi Dæmonibus in ſimulacris veneratis omnia turpia ad corrumpendos mores inventa, immò & ut ſacra, præcepta leguntur: Ab ipſis ſcœnici ludi tùm apud Græcos, tùm Romanos, in quibus falſorum Numinū repræſentabantur turpitudines, adulteria ſcilicèt, ſtupra, inceſta, & cujuſvis generis libidinis turpiſſima geſta, Romanis demandati fuere, ut Sanctus Auguſtinus lib. 2. de Civit. cap. 8. ait, inquiens: „ Nolo dicere illa myſtica, quàm iſta thetrica eſſe turpiora; hoc dico, quòd negantes convincit hiſtoria, eoſdem illos ludos, in quibus „ regnant figmenta Poetarum, non per imperitum obſequium ſacris Deorum ſuorum „ intuliſſe Romanos, ſed ipſos Deos, ut ſibi „ ſolemniter ederentur, & honori ſuo conſecrarentur, acerbè imperando, & quodammodò extorquendo feciſſe. *Hactenus Sanctus Auguſtinus*. A' Diabolo itàque in ſimulacris latente ludi ſcœnici, atque theatrica omnia, ad corrumpendos honeſtorum hominum mores & inventa & præcepta ſunt; quoniàm dùm ſtupra, adulteria, & Deorum ſuorum inceſtus in theatris repræſentata cernerent ſpectatores, ad eos in ejuſmodi turpitudinibus imitandos animum adjiciebant.

1299 Hinc Julius Firmicus in lib. de erroribus profanæ Relig. cap. 12. „ Quicumque, *inquit*, hæc ſacra Deorum devotâ „ mente venerantur, cuicumque placet ſuperſtitionis iſtius metuenda contagio aut „ malis ſuis ſolatium quærit, aut facinora „ eorum tacitâ collaudat cogitatione, hoc „ optans, hoc quærens, hoc utique magnoperè deſiderans, ut & ſibi liceat quod Diis „ ſuis licuit, & ut ſe ad conſortium talis vitæ morum ſimilitudo perducat. *Et poſt aliqua*. Semina planè omnium ſcelerum, *ait*, „ à Diis ſuis peccantium turba collegit, & „ ut perditus animus impunè facinus poſſet „ admittere, ex præcedentibus facinorum „ exemplis majori ſe auctoritate defendi. *Hæc, & alia Julius Firmicus*; ſed non diſſimilia tradit Gregorius Nazianzenus Orat. in Sancta Lumina, ubi graviſſimum hoc eſſe docet: „ Quòd flagitioſos Deos, & vitiorum „ Patronos affinxerunt, ut peccatum non

mo-

„ modò crimine careat, ſed præclarum etiam „ ac Divinum cenſeatur, ad ea videlicèt, quę „ pro Djis adorantur, defenſionis cauſâ confu- „ giens, quis tandem illis perſuaſerit ut placi- „ di & moderati ſunt cùm Deos perturbatio- „ num duces, & patronos habeant, ubi vi- „ tium non modò turpe, ſed honorificum „ etiam exiſtimatur, utpotè Deorum ali- „ quem protendens, cujus iſta perturbatio „ ſit, utque aris & ſacrificiis ornatur. *Hæc Gregorius*. Exagerat quoque adversùs hujuſ-modi flagitia D. Cyprianus in Epiſt. ad Donat. dum ait: „ Exprimunt impudicam Ve- „ nerem, adulterum Martem, Jovem illum „ ſuum non magis regno quàm vitiis princi- „ pem, in terrenos amores cum ipſis ſuis ful- „ minibus ardentem. *Cyrillus lib*, 7. *contrà* „ *Julianum*: Apud illos invenio Deos ab ab- „ ſurdis non abhorrentes, & ad obſcænas vo- „ luptates omnes ſe conferentes.

1300 Ad hæc D. Ambroſius lib. 1. de Virginibus: „ Quid, inquit, de Sacris Phry- „ giis loquar, in quibus impudicitia diſci- „ plina eſt, atque utinam ſexus fragilioris, „ quid de orgiis Liberi, ubi Religionis My- „ ſterium eſt incentivum libidinis, qualis er- „ go ibi poteſt eſſe vita Sacerdotum, ubi co- „ litur ſtuprum Deorum? *Et D. Athanaſius* „ *orat. contra Gentes*. Hinc mala in homines, „ inquit, ingenti numero incubuerunt, cùm „ enim viderent Deos ſuos iſtiuſmodi rebus „ oblectari, ſtatim eos jiſdem delictis æmu- „ lati ſunt, egregium facinus arbitrati, niſi „ exempla eorum, quos ſummos cenſebant, „ imitarentur, atque inde factum eſt, ut ſce- „ leribus homicidiorum, parricidiorum, om- „ niumque libidinum ſuccubuerint, nam pro- „ pemodum omnes ætates omnibus libidini- „ bus ſcatent, ob immanitatem morum, „ quam in Diis conſpiciunt. *Hæc Athanaſius*.

1301 Itaque ex hactenus deductis palàm fit quanta ſit inter Ethnicos ſimulacrorum cultores differentia & pios Chriſtianos Sacras venerantes Imagines; illi aut ipſa ſimulacra lapidea, aurea, & argentea, ut Deos colebant, aut certè Dœmones ſub eis latentes: Chriſtiani verò non materiales Imagines, aut ſculptas illas materiales venerantur figuras, ſed Sanctos Dei, qui ipſi placuerunt, per Imagines repræſentatos colunt: Ethnici ſuis ſimulacris & Dœmonibus honores exhibebant Divinos: Chriſtiani ſoli uni Deo & Trino Divinum exhibent honorem, Sacris verò Imaginibus, cultum quendam exhibent civilem & religioſum longè inferioris ordinis ab eo!, qui debetur Deo: Pagani denique totam ſpem & fiduciam tanquam in objecto finali, in præfatis ſimulacris, imò Dœmonibus repoſitam habebant, à quibus ſe à malis liberari, in neceſſitatibus ſubveniri, bonaque obtinere credebant, hinc diverſa genera Sacrificiorum, hinc Ludi, & diverſa alia diabolica inventa ad eorum vel placandam iram, vel promerendam gratiam, vel implorandum auxilium, publicâ, aut Sacerdotum, & Pontificum, aut Magiſtratuum & Principum lege, præcepta erant: At fideles & pii Chriſtiani in ſolo Deo velut in objecto finali ſperant, ab eo tantùm adjuvari ſe poſſe, à malis liberari, bonaque cuncta obtinere credunt, unde & in eo ſolùm ſpem ſuam reponunt, non in ipſis Imaginibus, aut in Sanctis per eas repræſentatis, quos tantùm ut Dei amicos colunt, & ut mediatores & apud Deum interceſſores invocant, prout Sacroſancta tradunt & docent Eccleſiæ Catholicæ Concilia.

1302 Arguunt denique Imaginum Sanctarum contemptores ex Canone XXXVII. Concilii Illiberitani celebrati ineunte ſæculo IV. videlicèt anno Domini CCCV. ubi ſtatuitur ne picturæ retineantur in Eccleſiis, ne id colitur, in parietibus pingatur: *Placuit*, inquit, *picturas in Eccleſia eſſe non debere, ne quod colitur & adoratur, in parietibus depingatur*. Addunt porrò, quòd primi quinque ſæculorum Patres nullam vel minimam de uſu retinendi, aut Sacras venerandi Imagines, mentionem faciant, quando de aliis Chriſtianorum ritibus, plura ſcribunt.

1303 Ad hoc argumentum depromptum ex Canone allegato Concilii Illiberitani diverſæ à Sacris Scriptoribus ſolent afferri reſponſiones, quarum prima eſt, eo Canone non quamcumque Imaginem prohiberi in parietibus pingi, & in Eccleſiis retineri, ſed tantùm Dei, & Divinarum perſonarum, illarumque naturam repræſentantes Imagines interdici. Quæ quidem reſponſio impugnatur à Bellarmino lib. 2. de Imaginibus Cap. 9. in reſponſione ad primum argumentum: quoniam, inquit, Concilium loquitur in genere de picturis: & quia non erat in uſu eo tempore, imò nec unquam fuerunt in Eccleſia tales Imagines, quæ ſunt vera Idola: natura enim Divina nec pingi, nec effigiari poteſt: Concilium verò loquitur de eo quod fieri ſolebat, & interdicit ne deinceps fiat.

1304 Alanus Copus lib. 5. Cap. 16. vult hìc prohiberi Imagines, quia ab illis Chriſtianis adorari cœperant tanquam Dii, & hunc eſſe Canonis ſenſum: *Placuit in Eccleſia non eſſe picturas, ne aliquid in parietibus exiſtens adoretur & colatur ut Deus*: Sed hanc expoſitionem, licèt ſit etiam Juonis in 3. par. Decreti Cap. 40. non quadrare verò ſenſui Canonis exiſtimat idem Bellarminus, quoniam, inquit debuiſſet dici potius, *ne id quod pingitur adoretur: quàm, ne id quod adoratur pingatur*.

1305 Nicolaus Sanderus lib. 2. de cultu Imaginum, Cap. 4. ait Concilium Illiberitanum eo Canone prohibuiſſe Imagines in Templis, quia tempus & locus id requirebat: Tunc enim periculum erat, ne Gentiles exiſtimarent, noſtros adorare ligna & lapides: ac denique ad vitandum periculum, ne ſe-

vientibus perſecutionibus ab ipſis perſecutoribus Imagines fuiſſent contumeliâ affectæ. Et licèt aliqui in ea ſint opinione, ut Concilium Eliberitanum celebratum fuerit poſt Nicænam primam Synodum, & jam ceſſatis in Eccleſia perſecutionibus, vera tamen ſententia eſt, celebratum ante Synodum Nicænam, & eo anno ſupra recenſito, ad quem annum etiam Baronius eandem Synodum conſignat, & probat Pagius in ſua critica in Annales Baronii ſub anno CCCV. num. v. ſæviente tunc perſecutione Conſtantii & Galerii Maximiani: Et quòd quidèm ſæviret perſecutio, liquet ex Canone xxv. ubi agitur de jis qui afferebant literas à Confeſſoribus. *Omnis qui attulerit literas confeſſionis, ſublato nomine Confeſſoris (eò quòd omnes ſub hac nominis gloria partim concutiant ſimplices) communicatoriæ ei dandæ ſunt literæ.* Et hanc Sanderi expoſitionem Canonis approbant Bellarminus & Turrianus, ille loc. cit. Hic verò lib. 1. de Hierar. ord. Cap.23. ſequitur eandem & Svarez tom.1. diſput. Theologic. diſp. 53. ſect. 1. Binius quoque in eundem Canonem, idem ſentit.

1306 Gabriel Albaſpineus in notis ad hunc Canonem, quem ipſe numerat xxxvi. ait Patres ejus Canonis conditores loqui de picturis & tabulis: & de picturis, non quibus Sancti & Martyres, ſed quibus Deus ipſe, ipſaque Trinitas repræſentaretur: illi ſiquidem, ait, non adorantur. Subjungit poſtea; „ Vetant igitur Deum in parietibus depingi, ne ſcilicèt, quem Gentilibus & Cathecumenis immenſum, omnipotentem, inviſibilem, æternum incomprehenſibilem, ſpiritualem, corporis & materiæ expertem & immunem prædicarent, cùm ipſi Gentiles & Cathecumeni in ipſorum Eccleſiis, lineis & coloribus circumſcriptum & comprehenſum cernerent. Ne igitur Divini Numinis Majeſtas minuiretur, & aliud de Deo depingeretur quàm prædicarent, & quem ſupra homines extollerent, humana ſpecie depictum oculis objicerent; vetant ne in Eccleſiis Dei Imagines ſuſpendantur: hæc ad Sanctorum Imagines nullatenus pertinent. „ *Hæc ille*. Cui ſe ſubſcribit Scheleſtratius in Diſſertatione de diſciplina Arcani Cap. 6. art. 3. ubi ait prælibatum Canonem ſtatutum fuiſſe potiùs pro Cathecumenis & Gentilibus, quàm pro fidelibus & Catholicis: Nam hi ſcientes Deum ſub variis olim figuris apparuiſſe, ex Imaginibus Deum ſub illis formis repræſentantibus nullam falſam opinionem concepiſſent. Secus verò Cathecumeni & Gentiles, quibus Deus inviſibilis & incorporeus & incircumſcriptus prædicabatur.

1307 In eandem ſententiam deſcendere videtur Ferdinandus Mendoza lib. 3. de confirmando Concilio Illiberitano, in notis ad eundem Canonem; ubi in primis ait, eo Canone interdictas eſſe ejus tantùm Imagines, *qui coli & adorari* debet, propter verba ibi ſubjuncta: *Ne quod colitur & adoratur, in parietibus depingatur*, ideſt, ut ipſe explicat, ne vel Patris, vel Verbi, vel Spiritus Sancti forma ab ipſis aliquando ſuſcepta ad eum repræſentandum hominibus in parietibus depingatur. Portò duas ejus Conſtitutionis affert rationes, quarum primam talem eſſe ſcribit: Quia cùm omnes naſcentis Eccleſiæ Imagines picturis, non ſtatuis frequentiùs efformarentur, ad conſervandam Divini Numinis Majeſtatem, illud Epiſcopi Hiſpani excogitaſſe videntur, ne in parietibus Eccleſiæ, Chriſti Imagines vel Divinarum perſonarum pingerentur, ut intelligerent Chriſtiani omnes, tam docti, quàm ſimpliciores, & honoratiori loco, & auguſtiori veneratione Divinas perſonas, quàm humanas Sanctorum diſcerni, diſtinguique oportere. Alteram porrò quam conſignat rationem, ne Chriſti humanitas, aut Divinarum perſonarum aſſumptæ formæ pingerentur, in eo ſtat, quod tunc nefas putarent, abſtruſiora Trinitatis Myſteria publicari, ut nunc fit paſſim, in his præſertim provinciis, ait, in quibus veterum illa religio in promendis Myſteriis irreverenter ſublata eſt.

1308 Cæterùm vult per præfatum Canonem non eſſe penitùs interdictum uſum retinendi in Eccleſiis Divinarum perſonarum Imagines, eas in aſſumptis formis repræſentantes, ſed interdictum tantùm ait, ne in parietibus pingerentur Eccleſiarum, unde & in Altaribus hoc non obſtante Canone, eas retinere, & retentas fuiſſe aſſerit: unde ſubjungit: „ Sed ſapienter & religioſè voluerunt, eas in Altaribus ex tabulis compactis depingi, ut commodè velis obductis, ut hodie, tegi poſſent, & ad cultum ſtatutis temporibus à Chriſtianis exhibendum reverenter detegi. Summâ enim curâ cavebant Epiſcopi, ne religionis noſtræ Myſteria ludibrio cum Auctore haberentur, & irriderentur à Gentibus. Sciebant quippe hujus Concilii tempore, quo major populi pars erat Ethnicorum, nomen Chriſti averſis auribus Gentes excipere; quinimmo memoriam ejus, moleſto & iniquo ferre animo, nefandoque & ſacrilego errore, aut extremâ potius dementiâ irridere & damnare Chriſtianos, quòd audirent, illos hominem quemdam (ut ajebant) pœnæ causâ affixum Cruci, colere & adorare, ut Arnobius & Minutius Felix pluribus teſtantur. *Hæc Mendoza*.

1309 Et huic reſponſioni adhæret Bellarminus, dum ait: „ Alii ergo dicunt, tantùm prohiberi ne Imagines depingantur in parietibus Eccleſiæ, non autem ne depictæ in tabellis, aut velis in Eccleſia habeantur: & rationem eſſe volunt, propter honorem Imaginum, quia in parietibus facillimè corrumpuntur, vel humore parietum, vel ſitu, vel alia ratione: qua ratione fuit olim prohibitum etiam ne crux in pavimentis

ſcul-

„ ſculperetur ; ne videlicèt conculcaretur:
„ & tum hic erit ſenſus. *Placuit picturas in*
„ *Eccleſia*, ideſt: in ipſa fabrica, ſivè muris
„ Eccleſiæ, *eſſe non debere*, *ne id quod ado-*
„ *ratur & colitur*, *in parietibus depingatur*,
„ ideſt, ne contingat rem ſacram & venera-
„ bilem, quales ſunt Sanctæ Imagines, in
„ parietibus eſſe, ubi facillimè corrumpan-
„ tur. Huic expoſitioni aptiſſimè convenit
„ ratio Canonis. *Hactenus Bellarminus*.

1310 Licèt autem ejuſmodi Bellarmini ratio optima ſit, non tamen contemnenda mihi videtur & altera ratio allegata à Mendoza, nempè, interdictum fuiſſe uſum pingendi Sacras Imagines repræſentantes Dominum Noſtrum Jeſum Chriſtum in forma humana, aliaſque Divinas perſonas in formis aſſumptis, in parietibus Eccleſiarum, propter Cathecumenos & Gentiles, ne ſcilicèt ab illis conſpici potuiſſent: quoniam, ſicut eis non aperiebantur omnia Myſteria, ſicque conveniens non erat, ut ea Myſteria in picturis oculis conſpicerent, quæ auribus audire non licebat: *Quod legentibus Scriptura, hoc idiotis pictura præſtat cernentibus*, ait D. Gregorius libro Epiſt. 9. ad Serenum Epiſcopum Maſſilienſem: *quia in ipſa ignorantes vident quid ſequi debeant, in ipſa legunt qui literas neſciunt: unde & præcipuè Gentibus pro lectione pictura eſt*. Unde ſi formam quam Dei Verbum aſſumere dignatum eſt, & in qua Divinæ aliæ perſonæ apparuerunt, verbis narrare poſſumus], hac ratione & pingere poterimus: Et è converſo: ea Myſteria quæ verbis explicare non poſſumus, neque in picturis poterimus exprimere, & ita Myſteria illa quæ verbis, aliquibus celantur, iiſdem non licebit neque in picturis, neque in Imaginibus demonſtrare.

1311 Et quidem nefas erat in primitiva Eccleſia Divina Myſteria coram Gentilibus peragere aut Cathecumenis, etſi utriſque permiſſum fuerit audire Dei Verbum, ut antiqui Canones demonſtrant: Et S. Ambroſius Epiſtolâ 33. docet neque Symbolum omnibus Cathecumenis ſtatim conſueviſſe tradere: *poſt lectiones, inquit, & tractatum dimiſſis Cathecumenis Symbolum aliquibus competentibus in baptiſteriis tradebam*. Et D. Cyrillus Hieroſolymitanus in initio ſui operis adjurat, ne quis infidelibus & Cathecumenis ſuas tradat catecheſes: unde alloquens Cathecumenum, ait: *Fueras tu aliquando Cathecumenus, nec tamen propoſita tibi Myſteria enarrabantur*. Plura de Divinis Myſteriis non omnibus palàm faciendis tradit D. Dionyſius Areopagita in lib. de Eccleſ. Hierarchia par. 1. Cap. 12. & par. 3. Cap. 3. Chryſoſtomus quoque homil. 2. in Epiſt. 2. ad Corinth. Baſilius de Spiritu Sancto Cap. 27. S. Auguſtinus tract. 11. & 16. in Joannem, Iſidor. lib. 6. Etymol. ſimilia docent. Et hanc conſuetudinem accepiſſe Eccleſiam ab ipſis Apoſtolis perſpicuum fit, cum ipſe Paulus in priori ad Corinthios Cap. 3. ſumptâ metaphorâ ab infantibus qui lacte veſcuntur: ait: *Lac vobis potum dedi non eſcam. Nondum enim poteratis, ſed nec nunc quidem poteſtis*: Ubi ſacri expoſitores per lac, humiliorem ac ſimpliciorem intelligunt doctrinam, quam quidam dùm Chriſto nomen dant, ab initio capere poſſunt: per cibum verò ſolidum, ſivè eſcam, ſublimiorem exponunt doctrinam quæ tantùm perfectorum eſt, ut idem Apoſtolus ſcribit in Epiſtola ad Hebræos Capitulo 5. per illa verba: *perfectorum eſt ſolidus cibus*: Et hac de cauſa Cathecumeni arcebantur nedum à Sacramentis, verùm, ut habetur in Can. 4. Concilii Auruſicani, ab ipſo Sacroſancti & Spiritualis lavacri aſpectu. Non ergo mirum erit, ſi ea omnia Divina Myſteria à quibus arcebantur, pingi noluerint Patres Illiberitani in parietibus Eccleſiæ, ubi ab ipſis Cathecumenis conſpici potuiſſent: Cùm ſatis fuiſſet eas Imagines pictas retinere in tabulis ſuper Altaribus, obvelatas tamen, ut dictum eſt: hinc ut ait idem Mendoza, conſtat Hiſpanos Epiſcopos, non ſimplice tantùm, ſed gemina pietatis laude decorandos: alterâ quòd Imagines Sacras Eccleſiæ depinxerint: alterâ quòd pari poſtea animi probitate, ſimul cultu, & eadem Religione, ad evitanda incommoda ſupra allegata, pingendas in Eccleſiarum parietibus interdixerint.

1312 Deinde ad ea quæ in argumento ſuperaddunt Sacrarum contemptores Imaginum, quòd nempe Patres priorum quinque ſæculorum nullam vel minimam fecerint mentionem de cultu & veneratione Sacrarum Imaginum, dicimus utique; quòd non adeò frequentiùs tunc vigebat uſus eas in Eccleſiis retinendi, non tamen quia fuiſſet aliqua lege prohibitus, ſed quia ante Conſtantinum Magnum non licuit Chriſtianis publica habere templa, ſed parva tantùm habebant oratoria, ubi conveniebant ad divinas lectiones, ad Verbum Dei audiendum, & ad Sacram recipiendam Euchariſtiam, ſinè aris, ſinè ſimulacris, ſinè Imaginibus, ne à Gentibus ut ſacra loca dignoſcerentur, & profanarentur, & ſi quas habuiſſent Imagines, ab iiſdem aut deriderentur, aut polluerentur, unde apud Arnobium lib. 6. contrà Gentes in initio, introducuntur Gentiles objicientes Chriſtianis, quòd nec templa, nec Sacras ædes, nec ſimulacra, nec aras, nec altaria haberent: quoniam Chriſtiani loca eorum Sacris deſtinata permaximè occultabant ne Gentilibus innoteſcerent, ſuperallegatis de cauſis.

1313 Cæterùm licèt non adeò frequenter perſecutionum tempore viguerit apud Chriſtianos uſus ſacras colendi ac retinendi Imagines, viguit tamen, & poſt redditam Eccleſiæ pacem ſub Magno Conſtantino, auctus eſt: Et quidem præter ſuperiùs allegata Patrum teſtimonia pro retinendo cultu Sacrarum Imaginum in primis quinque Eccleſiæ ſeculis, addo in primis Decretum Sanctorum

Apo-

Apoſtolorum in Antiochena Synodo ab ipſis Apoſtolis ad ſedandas quaſdam illic exortas controverſias celebratâ, quo ſcilicèt Decreto, ut Canone VIII. ejuſdem Synodi legitur, ità ſancitum fuit. *Ne decipiantur ſalvati ob Idola, ſed pingant ex oppoſito Divinam, humanamque manufactam, impermixtam effigiem Dei veri ac Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, ipſiuſque Servorum, contrà Idola & Judæos. Neque errent in Idolis, neque ſimiles fiant Judæis.* Hujus Synodi meminit Innocentius I. in Epiſtola 18. data ad Alexandrum Epiſcopum Antiochenum, ubi de Eccleſia agens Antiochena ait: *Ubi nomen accepit religio Chriſtiana, & quæ Conventum Apoſtolorum apud ſe celeberrimum meruit.* Sed & in ea editos Canones, auctoritate Pamphili Martyris, eos in Bibliotheca Origenis repertos, probat Turrianus lib. 1. Cap. 25. adverſ. Magdeburgenſes. Et hunc porrò Canonem citatum legimus pro Sanctarum Imaginum cultu à Gregorio Epiſcopo Piſuntino, Act. 1. Synodi Nicænæ II. his verbis: „ In Synodo Sanctorum Apoſtolorum, quæ apud Antiochiam congregata dicitur: Et ne ultra errent hi qui ſalvi fiunt, circa Idola, ſed pro eis Imaginentur Deivirilem ſtatuam Domini Noſtri Jeſu Chriſti.

1314 Porrò quantus auctus fuerit Imaginum cultus & veneratio tempore Conſtantini & deinceps poſt redditam Eccleſiæ pacem, & poſt baptizatum præfatum Principem, primò conſtare poteſt ex libello de munificentia Conſtantini, quem Anaſtaſius Bibliothecarius ex Archiviis Sanctæ Romanæ Eccleſiæ in lucem edidit: In eo namque inter plura munificentiſſimè conſtructa ædificia ab eodem Principe, ut Anaſtaſius in vita Sylveſtri refert, dicitur: „ Hujus temporibus fecit Conſtantinus Auguſtus Baſilicas iſtas, quas & ornavit: Baſilicam Conſtantinianam, ubi poſuit dona iſta: Faſtigium argenteum, habens in fronte Salvatorem ſedentem in Sella quinque pedum penſantem libras CXX. & duodecim Apoſtolos, habentes ſingulos quinos pedes, penſantes libras XC. cum coronis ex argento puriſſimo. Item à tergo reſpicientem in abſide Salvatorem, ſedentem in throno in pedibus quinque ex argento puriſſimo penſantem libras CXL. Et Angelos quatuor ex argento in quinis pedibus, qui penſant ſinguli CXV. cum gemmis Alabandenis. *Hæc ibi.* Ubi & mentio habetur de aurea Cruce quam erexit ſupra Corpus Sancti Petri penſante libras CL. & de altera pariter aurea erecta ſupra Corpus Sancti Pauli ejuſdem ponderis.

1315 Sed quoniam Iconomachi poſſunt de ſuppoſitione, licèt gratis, præfatum arguere libellum, videamus quid ipſe Euſebius ſcribit in Conſtantini vita de veneratis ab eo Principe Imaginibus: lib. enim 3. Cap. 3. vetuſtioris editionis, ait: „ Quin etiam in tabula depicta, quam in ſublimi ante Palatii veſtibulum ſuſpenderat, ſe omnium oculis contemplandum propoſuit, ſalutareque paſſionis inſigne ſupra caput ipſius locatum in pictura exprimendum: inimicam autem illam & hoſtilem belluam, quæ Eccleſiam Dei impiorum tyrannide oppugnaſſet, in altum demerſam, Draconis ſpecie & figurà deſcribendam curavit. Sacra enim oracula in Dei Prophetarum libris eam Draconem & tortuoſum ſerpentem nuncuparunt. Et propterea Imperator, qui occultum humani generis hoſtem Diabolum (quem ipſius Salvatoris trophei capiti ejus imminentis virtute ad extremum exitium prolapſum ſignificavit) tum ſub ſuis, tum ſuorum pedibus conculcatum perſpicuè indicaret, Draconem medio ventre transfixum, & in profundos Maris fluctus præcipitatum ſubtili & artificioſâ picturâ ſub omnium aſpectu contemplandum ſubjecit. Atque iſtæ quidem res in Imagine ſcitè depictæ variis quibuſdam floſculis ſignificabantur. *Hæc Euſebius.*

1316 De Crucis effigie & in labaro, & in numiſmatibus à Magno Conſtantino ſculpi juſſa, eò quòd præcipuè ſibi de Cælo apparuerit, cum ea inſcriptione: *In hoc vince*, ut refert Euſebius in vita Conſtantini libro 1. præter hiſtoricos, antiquiſſima teſtantur monumenta. Unde & Prudentius lib. 1. adverſùs Symmachum, tradit in ſuo exercitu voluiſſe Conſtantinum ut non ſolùm in Labaro, verùm & in militum ſcutis atque galeis imprimeretur Chriſti nomen & ſalutiferum Crucis effigiaretur ſignum. Et Euſebius loco mox cit. de eodem agens ſigno Crucis à Conſtantino uſitato, ait: *Iſto igitur ſalutari ſigno Imperator, tanquam hoſtilis cujuſque & infeſtæ violentiæ propugnaculo ſemper uſus eſt, cujus expreſſæ ſimilitudines mandavit ut univerſum exercitum perpetuò antecederent.* Et Sozomenus libro 1. Cap. 8. in fine de eodem agens Conſtantino ait: *Poſtremò ſupplicium Crucis à Romanis olim decretum maleficis lege ſuſtulit: Quin etiam ſuam Imaginem Conſtantinus, ſeu in nummis expreſſam, ſeu depictam in tabulis, juſſit ſemper hoc quoque Divino ſigno inſcribi, conſignarique, cujus rei adhuc teſtimonio ſunt Imagines ejus hac figura deſcriptæ.* Hinc eſt quòd data lege ſancivit, ne ſua Imago in Idolorum Templis erigeretur, indignum putans ut Crucis effigies ſuæ Imagini adjecta in Dæmonum elevaretur Templis.

1317 Item ex eodem Euſebio lib. 3. de vita Conſtantini diſcimus, quòd per eundem Principem expurgato Sacratiſſimi Sepulchri Domini Noſtri Jeſu Chriſti loco olim à Gentium perfidia repleto & profanato, ac extructo nobiliſſimo Templo, juſſerit propè ipſum monumentum Salvatoris reſurgentis effigiem ſculpi: „ Simul atque verò, inquit, ſolum terræ oppletum ſordibus egeſtum

fuit,

„ fuit, & aliud ſolum, ideſt, locus ille mo-
„ numenti, ex abditis terræ ſedibus emine-
„ bat, ipſum etiam venerandum & ſacroſan-
„ ctum ſalutaris Chriſti reſurrectionis mo-
„ numentum, preter omnium ſpem unà emer-
„ ſit & ſepulchrum, quod meritò ſanctiſſi-
„ mum appelletur, Reſurrectionis Salvato-
„ ris aptè propterea expreſſit effigiem, quod
„ ex tenebrarum caligine, quibus quaſi ſe-
„ pultum jacuiſſet, in lucem denuò prodiit,
„ & illuſtrem ſanè miraculorum ibi editorum
„ viſum (qui reverà omni voce clariùs Sal-
„ vatoris Reſurrectionem teſtificatus eſt) ſub
„ aſpectu eorum, qui ad illud ipſum contem-
„ plandum veniebant, ſubjecit. *Hæc ille*.

1318 Ad hæc, ex Lactantio in carmine de Paſſione Domini mentio fit de quadam Crucifixi Domini noſtri Jeſu Chriſti imagine, cui hi verſus ſubſcripti legebantur:

Quiſquis ades, mediique ſubis ad limina Templi,
Siſte parùm, inſontemque tuo pro crimine paſſum,
Reſpice me, conde animo, me in pectore ſerva,
Ille ego, qui caſus hominum miſeratus acerbos,
Hùc veni ——

Paulinus inſuper Epiſcopus Nolanus, qui ætate claruit Conſtantini Magni, in Epiſtola 12. ad Severum Sulpitium datâ, Sanctiſſimæ Trinitatis effigiem muſivo opere deſcriptam in Baſilica, quam in honorem Sancti Felicis Nolæ extruxerat, his verſibus commendavit:

Pleno coruſcat Trinitas myſterio:
Stat Chriſtus agno: vox Patris Cœlo tonat,
Et per Columbam Spiritus Sanctus fluit.
Crucem corona lucido cingit globo;
Cui coronæ, ſunt corona Apoſtoli,
Quorum figura eſt in Columbarum choro.

Deindè in Natali 9. ejuſdem Sancti Felicis ſcribit, ſe in Baſilicæ porticibus, veteris ac novi Teſtamenti hiſtorias pingendas curaſſe, ut ingens ruſticorum & imperitorum turba, quæ ad celebrandum Sancti Felicis diem feſtum confluebat, pictis iſtis figuris, inſtar librorum erudiretur, inquiens:

Dùm fallit pictura famem, ſanctaſque legenti
Hiſtorias, caſtorum operum ſubrepit honeſtas
Exemplis inducta piis ——

Porrò, cùm Sulpitius Paulini imaginem unà cum Sancti Martini effigie in Eccleſia pingi curaſſet, conqueſtus Paulinus, ad eum ſcripſit, rogans, ut ſaltèm hos verſus ſubter ſcribi demandaret, videlicèt.

Adſtat Martinus perfectæ regula vitæ:
Paulinus veniam, quo mereare docet.
Hunc peccatores, illum ſpectate Beati,
Exemplar Sanctis ille ſit, iſte reis.

Item in eadem 12. Epiſtola ad Severum, agit de Cruce picta ſuper ingreſſum ejuſdem Sancti Felicis Baſilicæ, inquiens;

Cerne coronatã Domini ſuper atria Chriſti
Stare Crucem, duro ſplendentem celſa labori
Præmia. Tolle Crucem qui vis auferre coronam.

Inde refert Epigramma inſcriptum Crucibus depictis in frontibus & dexteræ, levæque porticus Templi, ſcilicèt;

Ardua floriſera Crux cingitur orbe coronæ,
Et Domini fuſo tincta cruore rubet.
Quæque ſuper ſignum reſident cæleſte Columbæ
Simplicibus produnt Regna patère Dei.

Agit quoque de picturis effigiatis in apſide Baſilicæ Fundanæ in his carminibus.

Sanctorum labor, & merces ſibi ritè coherent:
Ardua Crux, pretiumque Crucis ſublime coronæ
Ipſe Deum nobis particeps Crucis atque coronæ,
Inter floriferi cæleſte nemus Paradiſi,
Sub Cruce ſanguinea niveo ſtat Chriſtus in agno,
Agnus ut innocua injuſto datus hoſtia letho:
Alite quem placida ſanctus perfundit Hiantem
Spiritus, & rutila Genitor de nube coronat,
Et quia præcelſa, quaſi Judex, rupe ſuperſtat,
Bis geminæ pecudis, diſcors agnis genus, hædi
Circumſtant ſolium: lævos avertitur hædos
Paſtor, & emeritos dextrà complectitur agnos.

Hæc omnia Paulinus; aliaque plura videri poſſunt in nono & decimo Natali S. Felicis, ut conſtet quàm frequentiùs eâ ætate invaluit uſus retinendi atque ſacras effigiandi, venerandique Imagines.

1319 Id quod confirmat Prudentius; qui pariter eodem ſæculo claruit, nam in Caſſiano ita ſcribit:

Erexi ad Cœlum faciem: ſtetit obvia contra
Fucis colorum picta imago Martyris,
Plagas mille gerens, totos lacerata per artus
Ruptam minutis præferens punctis cutem
Innumeri circùm pueri (miſerabile viſu)
Confoſſa parvis membra figebant ſtylis.

Sic pariter & ſimilia tradit in Hyppolito, inquiens:

Exemplar ſceleris paries habet illitus, in quo
Multicolor fucus digerit omne nefas.

Pi-

Picta ſuper tumulum ſpecies liquidis viget umbris,
Effigians tracti membra cruenta viri.

En ergò aperta contemptorum ſacrarum Imaginū falſitas, qui dùm aſſerere audent in prioribus quinque ſæculis, nondùm uſum invaluiſſe in ſanctis Dei Eccleſiis pingendi illas, nec Patres vel minimam mentionem feciſſe, ex allegatis teſtimoniis convincuntur de mendacio.

1320 Adſunt quoque & quinti Sæculi Scriptores, qui meminerunt ejuſdem piiſſimæ conſuetudinis. Et quidem Prudentius lib. 4. vitæ Sancti Martini non ſolùm oſtendit ſuâ ætate laudabilem uſum Sanctorum Imagines in Eccleſiis effigiandi ſivè pingendi, verùm & morem eas colendi incenſarum lampadum lumine, ita canens:

Hic paries retinet Sancti ſub imagine formam,
Amplectenda ipſo dulci pictura colore:
Sub pedibus juſti paries habet arctè feneſtram;
Lychnus adeſt, cujus vitrea natat ignis in urna.
Hùc ego dùm propero, valido torquente dolore,
Diffugiente gemens, oculorum luce feneſtris:
Quo procùl ut tetigi benedicto lumen olivo
Igneus ille vapor marcenti fronte receſſit.

Teſtatur etiam S. Joannes Damaſcenus de Imaginibus Orat. 1., Sanctùm Joannem Chryſoſtomum, qui claruit Sæculo v. retinuiſſe Sancti Pauli Apoſtoli Imaginem apud ſe, quam permaximè in honorem habuiſſe, & dùm Epiſtolas illius expoſitioni demandaret, eam ſemper ante oculos habuiſſe: „ Habebat autem, *inquit*, effigiem Apoſtoli „ Pauli in imagine, in loco, ubi propter corporis imbecillitatem parumper quieſcebat; erat enim ſuprà quam natura patiatur vigilans. In hanc ille effigiem, quandò „ perlegebat illius Epiſtolas, oculorum aciem „ intendebat, in eaque non ſecùs ac ſi Paulus ipſe vivus eſſet, obtutu defixo inhærebat, Beatum ipſum appellans, totamque „ animi cogitationem ad illum dirigens, & „ cum eo verſans, & loquens contemplando. *Hæc Damaſcenus*. De Cœleſtino Papa, qui pariter claruit Sæculo v., ſcribit Hadrianus Papa in Epiſtola ad Carolum Magnum: *Iterùm de ſancto tertio Concilio Sanctus Cœleſtinus Papa proprium ſuum Cœmeterium picturis declaravit*, indicans per hæc verba, hiſtoriam Synodi III., ideſt Epheſinæ, pingi feciſſe in ſuum Cœmeterium, quam picturam extitiſſe ad Hadriani Pontificis uſque tempora credi neceſſe eſt.

1321 Deinde idem Hadrianus oculatus teſtis in eadem Epiſtola de Cœleſtini ſucceſſore ſcribit: *Magis autem ſucceſſor Cœleſtini Sixtus Papa fecit Baſilicam Sanctæ Dei Genitricis Mariæ, cognomento, Majorem, quæ & ad Preſepe dicitur; ſimili modo & ipſe in metallis aureis, quanquàm in diverſis hiſtoriis, ſacris decoravit Imaginibus*. Pergit, poſteà Hadrianus: *Sed & per rogatum ejus Valentinianus Auguſtus fecit Imaginem auream cum duodecim portis, & Salvatore, gemmis pretioſis ornatam, quam voti gratià ſuper Confeſſionem Beati Petri Apoſtoli poſuit, & à tunc uſque hactenus apud nos ab omnibus veneratur*. Plura alia ex antiquitate deprompta omitto teſtimonia, cùm ſatis hæc ſint ad comprobandum antiquiſſimum in Eccleſia ſacrarum Imaginum cultum.

CAPUT XXVI.

De nova ſeceſſione Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ à Romana, & iterùm impugnato ſacrarum Imaginum cultu.

1322 Reaſſumendo modò hiſtoriæ ordinem, biennio poſt abſolutam VII. Synodum, Anno ſcilicèt Domini DCCXC., Hadriani Pontificat. Anno XIX. currente Indictione XIII. Conſtantinus Imperator, militibus Armeniæ propter matris imperium tumultuantibus, eâ pulsâ, ſolus regnare cœpit; Et quamvis ſequenti anno ejuſdem matris & Optimatum rogatu, fuerit iterùm Imperatrix acclamata, iiſdem tamen contradicentibus Armeniæ militibus, coacta eſt ſe à regimine abſtinere, ut Theophanes ſcribit; quò nimirum à Pancratio Aſtronomo, aliiſque Pſeudoprophetis ſeductus Imperator, expeditionem fecit adversùs Bulgaros, ſub ſpe certæ victoriæ à præfatis repromiſſæ Ariolis, cùmque ei malè ceſſiſſet, turpi fugâ coactus eſt Conſtantinopolim redire, compluribus ex primoribus Magiſtratibus deſideratis, occiſo quoquè Pancratio Aſtronomo & Pſeudopropheta. Cujus rei causâ militares ordines factâ in Urbe ſeditione, ùt ait idem Theophanes, Nicephorum Conſtantini ſenioris filium & Cæſarem & Imperatorem renunciarunt. Quo comperto, Conſtantinus tùm ad Nicephorum, tùm ad alios ejus fratres, Nicetâ ſcilicèt, Anhtimum, & Eudoxium, capiendos, ſatellites, militeſque ſuos miſit; captos verò ad Templum S. Mammantis, ducere juſſit, ubi Nicephorus privatur oculis, cæteri verò fratres linguâ.

1323 Anno porrò Domini DCCXCV., & VII. à tempore quo ſine matre regnare cœperat Conſtantinus, currente Indictione III. Romæ ex hac vita migravit ad Dominum Hadrianus Papa, ubi ſediſſet Annos XXIII. & dies XVII., obiit enim VII. Kalendas Januarias ejuſdem labentis anni, ut legitur ad calcem epitaphii à Carolo Magno editi in ipſius Hadriani laudem; quarè videtur mendoſus

Bi-

Binii codex in notis ad vitam Leonis apud Labæum, ubi dicitur, Hadrianum deceſſiſſe die XXVI. Januarii, cùm legendum ſit die XXVI. Decembris. Eodem porrò die obitus Hadriani conſignatur ſucceſſoris electio, nimirum Leonis hujus nomini III., qui fuit Romanus natione, ex patre Azuppio in Eccleſiaſtica à juventute benè inſtitutus diſciplina, omnique exornatus virtute, ut ſcribit Anaſtaſius.

1324. Et hoc eodem anno Conſtantinus ſine matre regnans, ut præfati ſumus, ardore ſuccenſus libidinis, juvenili temeritate permotus, repudiatâ Mariâ legitimâ uxore ſuâ; Theodoram cubiculariam duxit uxorem, quam menſe Auguſto per manus Joſephi œconomi coronavit Auguſtam, celebratis priùs ritu ſolemni nuptiis in Palatio Sancti Mennæ: Contradicentibus Sancto Platone Monacho, ſuiſque Monachis, & compluribus aliis, fuere omnes in varias Orientis partes in exilium amandati; Sed Anno Domini DCCXCVII., Indictione V., parante Irene filio ſuo Conſtantino inſidias, oculis privatus eſt, ſicque orbatus, eodem anno vitam finivit, ab eadem Irene reaſſumpto Imperio, quæ ſtatim ſanctiſſimos illos Monachos, quos, ut antefati ſumus, Conſtantinus relegaverat, reſtituit, ut habetur in Actis Sancti Platonis. Imperavit uſq; ad Annum Domini DCCCII., quo tùm Carolus Magnus, tùm Leo Papa Legatos ad eandem miſerant pro pace & perpetua ineunda concordia: Sed ipſis ſpectantibus, factâ ſeditione, Nicephorus pridie Kalendas Novembris, favore complurium de Ordine Senatorio Imperium invaſit, in ordinem redactâ Irene, quam pauló poſt in Inſulam Lesbum exulem atque in arctam cuſtodiam relegavit, ubi & ultimum clauſit diem, aſportato ejus corpore in Inſulam Principis ad Monaſterium ab ea conditum.

1325. Peſſimus hic Princeps fuit, potiùs tyrannus, quàm Imperator, qui nec ad tempus impietatem in corde retentam occultare eſt paſſus: *Nicephorus vorax*, ait Theophanes, *cùm rerum imperio potitus eſſet, nec ſaltem partim valuit hypocriſim tegere; ſed quaſi reſciſſurus juſtitiam, nequam in Magnaura & injuſtum fore conſtituit judicium. Intentio namque Tyranno inerat, ut res ipſę oſtenderunt, non pauperibus jura tribuendi, ſed per hoc omnes qui magni erant inhonorandi, & captivandi, & ad ſe, quæ cunctorum erant, transferendi.* De eodem porrò ex Theophane compendioſè ad hunc annum, ſub num. 6. hæc tradit Baronius: „ Catholicus licèt haberetur, tamen „ ter impius ſemper apparuit, diverſis de cau„ ſis, quòd ſcilicèt faveret Iconoclaſtis hære„ ticis, probaret Manichæorum hæreſim, & „ pro ea ſtabilienda Synodum congregavit, „ quòdque ſtuderet Manichæorum incanta„ tionibus, quòd inſuper, ut adverſarius „ Evangelii deridebat colentes divina man„ data; quòd etiam ſacra cuncta ut profa„ na habebat; quòd omnem Eccleſiaſticam „ Immunitatem peſſum dedit, jubens Præ„ fectos ſuos, ut Epiſcopis & Clericis veluti „ mancipiis uterentur; quòd itidèm ſanctas „ Eccleſias, & ſacra Hoſpitalia, omneſque „ religioſas domos tributo redigeret; diras „ ab eis exactiones extorquens: hoc enim ſui „ Imperii primo anno facere aggreſſus eſt, ut „ ex Theophane ſenties. *Hæc Baronius.* Neque porrò ſuæ electionis ex more ad Romanum Pontificem literas fecit, nec ſuę fidei profeſſionem mittere curavit, parvipendens illius communionem, permanens, non communicans uſque ad infœlicem ſuæ vitæ exitum; quin nec Nicephoro noviter electo in Patriarcham poſt Tharaſium permiſit, juxtà Eccleſiaſticam conſuetudinem, Synodicam ad eundem Romanum Pontificem mittere, ut ipſemet Patriarcha teſtatur in ea Synodica, quam, defuncto Imperatore, poſteà fecit.

1326. Sub hoc ergò tyranno atque ſceleſtiſſimo Principe, Anno ſui Imperii V., Leonis III., Pontificatus Anno XI., Domini verò DCCCVI., currente Indictione XIV., die XXV. menſis Februarii, obiit Conſtantinopoli Tharaſius Patriarcha, ut Ignatius Monachus in ejus vita adnotat. Poſt cujus obitum, ut Imperator ſpeciem pietatis ſaltèm exteriùs, qua interiùs prorsùs carebat, præſeferret, conſuluit de ſucceſſore deligendo Theodorum Studitam ſpectatę Sanctitatis virum, & inde Sanctum Platonem virtute clariſſimum; ac denique ad Thronum Patriarchalem evectus eſt Nicephorus, nobili genere natus, adhuc Laicus; qui dudùm in aula Imperatoria à ſecretis fuerat, de quo Ignatius in Tharaſio, agens de iis, qui ſeptimæ Synodo interfuerant, ait: *Inter quos fuit Nicephorus, qui erat à ſecretis Imperatoris, qui cùm vixiſſet in Sanctitate, & eſſet ornatus divinis virtutibus, & doctrinâ, ac dicendi ſcientiâ, Bizantii Sedem Patriarchalem ſuſcepit poſt Tharaſii ſanctam conſummationem.*

1327. Hic itaque divinis rebus delectatus; abdicatis civilibus curis, relictâ Regiâ & Urbe, ſolitudinem ſelegerat; licèt nondùm Monachus factus, & receſſum quemdam, aſperamque rupem circà Propontidem regionem pro habitatione ſibi quæſierat, ubi & uſque ad extremum vitæ ſuæ ſpiritum degere conſtituerat, prout ipſe teſtatur in ſua ad Leonem Papam data Synodica poſt extinctum Tyrannum, ut antefati ſumus, ubi & hæc alia de ſua electione ſubjungit: „ Accedit hoc ipſum, nempè, ut animi propoſitique mei ſpe „ fruſtrarer, & mihi quoque. Etenim à gra„ ta illa amicaque ſolitudine, neſcio quo ju„ dicio (Deus qui permiſit, aut ita etiam „ ordinavit, novit) ad Regium Palatium „ abſtractus, certè illorum voluntate, qui „ per id tempus Regni ſolia obtinebant, com„ munique totius Cleri, ac Senatus, inexcu-

„ ſabile quoddam inevitabile facinus machi-
„ nantium, ſuffragio (quòd Regiæ Civita-
„ tis Præſul vitâ exceſſiſſet, & ut homo debi-
„ tum exſolviſſet) ad hanc Epiſcopalem Se-
„ dem, invitus, multùmque reclamans (te-
„ ſtis eſt mihi Deus) provectus, & tyranni-
„ dè potiùs, quàm conſultò, aut nullâ om-
„ ninò perſuaſione, aliis gubernandis præfe-
„ ctus ſum. *Hæc ille.*

1328. Firmato ſic in ſolio Patriarchali Nicephoro, cœpit Imperator cum eo agere, ut Joſeph magnæ Eccleſiæ Presbyter & œconomus, qui dudùm à Tharaſio propter ab eo copulatas inceſtas Conſtantini cum Theodorâ nuptias, & eam in Imperatricem coronatam, legitimâ adhùc vivēte Conſtantini uxore Mariâ Armenâ, ut præfati ſumus, fuerat à gradu depoſitus, & à communione fidelium ſegregatus, in communionem reciperetur, ac in priſtinum gradum reſtitueretur & honorem. Præmeruerat Joſeph ſibi Imperatoris gratiam, quoniàm excitatam adversùs eum à Turco Patritio & Duce ſeditionem, ægrè ferente, ut redactâ in ordinem Irene, quam ambiebat, ipſe Regnum occupaſſet, abſque ſanguinis effuſione ſedavit, ſuâque mediatione compeſcuit, ut habetur in Libello Synodico. Sed reluctante Patriarchâ, cogitavit Imperator de Synodo congreganda, ut in ea, diſcuſſâ causâ, ex pluralitate ſuffragiorum fieret definitio: Conſenſum indè præbens Patriarcha, coacta eſt paucorum Epiſcoporum Synodus, ſeù magis conventus malignantium, in Regia Urbe, & factâ cauſæ diſcuſſione, in gratiam Imperatoris, licèt adversùs omnia Eccleſiaſtica jura, nullâ à Joſepho peractâ pœnitentiâ, aut exhibitâ Eccleſiæ ſatisfactione, receptus eſt in communionem, atque in gradum ſuum & honorem reſtitutus, approbante & ſubſcribente Patriarchâ.

1329. De qua Synodo in Libello Synodico hæc habentur: „ Cùm autem Chriſti aman-
„ tiſſimus Nicephorus Irenæ piiſſimæ in Im-
„ perio ſucceſſiſſet, Turcus dux & patritius,
„ qui Irenem Imperatricem ambiret, Impe-
„ ratori ſe manifeſtò oppoſuit; ſed abſque
„ ſanguine Deus impetum ejus confregit,
„ Joſepho Presbytero & œconomo magnæ
„ Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ medium ſe
„ ſe interponente, quam ob cauſam beatiſſi-
„ mus Nicephorus, qui ſancto Tharaſio ſuc-
„ ceſſerat, divinam & ſanctam particularem
„ Synodum de conſenſu Imperatoris Bizantii
„ congregavit, & per diſpenſationem Joſe-
„ phum, quem defunctus Tharaſius, prop-
„ ter conciliatas inceſtas nuptias Conſtanti-
„ ni Imperatoris filii Irenes depoſuerat, in
„ Presbyterum recepit, unde quidam, quia
„ Chriſti Eccleſia per ſimplicitatem abrupti
„ fuerant, rurſus ſunt uniti. *Hæc ibi*. Sed
errat auctor, quoniàm hæc Synodus non unionem, ſed ſchiſma peperit.

1335. Ejuſmodi Synodali decreto reſtiterunt ſanctiſſimi viri Theodorus Studita, Sanctus Plato, illorum diſcipuli & Monachi, necnon Studitæ frater, Joſeph ſcilicèt Theſſalonicenſis Epiſcopus, qui nullo pacto adduci potuerunt, ut communicarent cum Joſepho; imò etiam à Patriarchæ communione, qui cum Joſepho communicabat, ſe pariter abſtinuerunt. Ipſe porrò Studita alterâ die à Synodo congregata ſcripſit ad Nicephorum Patriarcham, ſtudens avocare eum ab iis, quæ ſtatuta eſſent de receptione damnati, ſe ſimùl excuſans, ſi illius communicationi minimè admiſceri velit, ad hunc modum.

1330 „ Neceſſe non erat literis indicare
„ Angelo beatitudinis tuæ, quæ ore ipſo
„ jam ſignificata ſunt, quamvis per humiles
„ nos ambos non fuiſſe. Attamen nè qui he-
„ ſterno die, juſſu tuo, conventus habitus eſt
„ Epiſcoporum, diverſum aliquid docens ab
„ iis, quæ cum illo dicta à nobis ſunt, ſa-
„ cras aures veſtras conturbet, conſentaneum
„ duximus, ſummatim referre totam Apolo-
„ giæ noſtræ rationem.

1331. „ Nos igitur, Beatiſſime, Ortho-
„ doxi ſumus in omnibus, omnem hæreſim
„ reiicientes, omnemque œcumenicam & lo-
„ calem Synodum approbatam recipientes,
„ necnon editas ab eis ſacras & canonicas
„ conſtitutiones arctè complectimur; neque
„ enim veritatem prorsùs tenet is, qui rectam
„ fidem ſe habere exiſtimans, divinis cano-
„ nibus non regatur. Ad hæc; legitimas à
„ Sanctis pro tempore uſurpatas diſpenſatio-
„ nes admittimus, quandò & nos humiles
„ Sanctitatem tuam per œconomi ejectionem
„ amplecti, non exactum jus ſectantium eſt,
„ ſed admodùm diſpenſantium & conſpiran-
„ tium: Et prædeceſſorem Sanctitatis tuæ
„ Patriarcham eâdem ratione ſuſcepimus in
„ hoc ipſo negotio, quandò reverſi ab exilio
„ ſumus, diſrupto adulterino conjugio, &
„ œconomo Sacerdotii munere dejecto. Non
„ enim (ajebamus) nobis pars tecum, neque
„ hic, neque in futuro ſæculo, propterea
„ quòd adulter promiſcuè à Sanctitate tua
„ participarit. Illo verò contradicente, di-
„ ſpenſatione uſus ſum, ut etiam impartirem
„ ad tempus. Deindè hæc ſubiiciente, ma-
„ nus meæ abſciſſæ fuerunt in adulterina co-
„ ronatione. Numquid ego ullâ ratione co-
„ ronavi?

1332 „ Poſt hæc communicavimus uſq;
„ ad obitum ejus, & Sanctitatem tuam ſu-
„ ſcepimus ad dignitatem Archiepiſcopatus,
„ quemadmodùm & mentionem quotidiè fa-
„ cimus in ſacrificio; nec alia re diſcrepa-
„ mus, quàm propter œconomum per ſacros
„ Canones depoſitum multis modis, ac præ-
„ cipuè quòd poſt novem annorum excom-
„ municationem, iterùm ſacris operetur, ne-
„ que id in abdito (ferendum enim id eſſet,
„ nobis ejus rei minimè conſciis) ſed in ipſo

fon-

„ fonte Sacerdotii noſtri, hoc eſt, cùm ſyn-
„ cera converſatione tua aſſiduè pergens ad
„ ſacrificandum. Æquum igitur & ſanctum,
„ ac ſinè ſcandalo populo Dei fuerat, in pri-
„ miſque ordini noſtro ejici & privari Sa-
„ cerdotio, qui indignè proſilfit, nobis San-
„ ctitati tuæ memoriam ſervantibus, & ab
„ omni Epiſcopo & Sacerdote, qui manife-
„ ſtò reprobus non ſit, communicantibus
„ juxtà Theologum. Quòd ſi hoc nullâ ra-
„ tione factum propter peccata noſtra, nùm
„ ut aliquid (non ex metu ſermo, ſed com-
„ miſeratione communi) in humilitatem no-
„ ſtram à Sanctitate tua illicitum fiat & con-
„ trà Canones? quoniàm perferemus nos
„ quidèm, Dei virtute, atque utinam nobis
„ contingat ejus conceſſu.

1333 „ Verùm, teſtor Sanctitati tuę co-
„ ram Chriſto & Sanctis Angelis audienti-
„ bus, magnum à te ſchiſma conflari in Ec-
„ cleſia noſtra, quòd ſi poteſtati ſubjicimus
„ ut homines, atque ſub ſacrorum & divino-
„ rum Canonum poteſtate velimus, nolimus,
„ regimur, & obſequemur. Cæterùm ora-
„ mus Sanctitatem tuam: flecte aurem tuam,
„ & audi vocem noſtram, ut peritus Medi-
„ cus, ut Paſtor bonus ovem unam prohibe
„ à ſacrificio, & omnes à ſcandalo redime,
„ nè unius ſcabie tota Eccleſia noſtra inficia-
„ tur, quam acquiſivit Dominus & Deus no-
„ ſter ſanguine ſuo. De nugis enim nugen-
„ tur qui volunt, & calumnientur Sycophan-
„ tæ, parati ſumus ad omnem defenſionem,
„ refutationemque accuſatoriæ objectionis.
„ Amici & laudatores tui ſumus, in primiſ-
„ que piiſſimorum & triumphatorum Domi-
„ norum noſtrorum. Cumque tales ſimus,
„ quamobrèm turbatio? Qua de cauſa eve-
„ nient, quæ eventura ſunt, ſi quidèm con-
„ traria Dei præceptis? Tribue nobis ſacras
„ preces tuas. *Hactenus Theodorus*.

1334 Sed fruſtrà hæc omnia, in ſententia permanente Nicephoro Patriarcha, qui nec reſponſum dedit, ut videtur indicare idem Theodorus in Epiſtola, quam ſcripſit ad Simeonem, per illa verba: *De Patriarcha enim quid attinet loqui? qui nec reſponſa dare vult, nec admittere qui verba faciat, qui in omnibus Cæſari inſervit*. Timore Principis ei annuit Patriarcha, & quaſi invitus, & fortè ad majora Eccleſiæ vitanda mala, illatura certè per Tyrannum, ſi contradictorem habuiſſet Patriarcham, prout innuit Michael Monachus in vita Studitæ, cujus erat diſcipulus, ubi de Imperatore agens, hæc ſubjungit: „ Quo-
„ rum ille nihil prorsùs recogitans, Patriar-
„ cham vi aggreditur (Nicephorus is erat
„ Tharaſii ſucceſſor) omnibus eum machinis
„ oppugnans, ut vel invitus voluntati ſuæ
„ obſequeretur, & Sacerdotio redderet Jo-
„ ſepho; quòd ille ſanè vi tandèm ægrè ad-
„ ductus præſtitit, veritùs, opinor, vir Dei,
„ nè atrociùs quippiam inſanus ille molire-
„ tur, Eccleſiamque vehementer vehemen-
„ tiùs exagitaret. ſi quod tantoperè concu-
„ pierat, non obtineret. *Hæc ille*.

1335 Cæterùm beatiſſimi illi Monachi paulatim receſſerunt à Patriarchæ communione, eò quòd communicaret cum Joſepho œconomo, permitteretque Sacerdotio fungi, ut aſſerit Studita in Epiſtola data ad Nicolaum Chartolarium, his ſcilicèt verbis:
„ Nulla nobis eſt cum Patriarcha de com-
„ munione dubitatio, præterquàm œconomi
„ cauſâ, eò quòd depoſitus ſit per ſacros Ca-
„ nones. Et quandò prohibebitur à ſacro
„ miniſterio, ſicut antè Dei beneplacito &
„ Sanctiſſimi Patriarchæ, piorumque Domi-
„ norum noſtrorum, nimirùm quia œcono-
„ mus eſt, & honorem gerit, tùm protinùs
„ & ſimùl ſacrificabimus & communicabi-
„ mus, & manus porrigemus, nihil inqui-
„ rentes de triennio hoc, quo cum eo ſacris
„ operatus eſt, pacis ſtudio; neque id metu
„ aliquo, ſed communis utilitatis & ſalutis
„ gratiâ. *Hæc Theodorus Studita*. Cùmque Imperator ægrè tuliſſet, hos ſanctos Viros receſſiſſe à Patriarchæ communione, & decretum prioris Synodi de œconomi receptione palàm contempſiſſe, & poſtquàm comperiſſet nullo pacto ſe eos abducere potuiſſe, ut cum Patriarcha communicarent, decretumq; Synodale ratum haberent, irâ percitus & ſcandens, eoſdem exilio aliiſque pœnis mulctare cogitavit; & nè videretur ſolâ ipſius auctoritate talia peragere, aliam Synodum habendam eſſe voluit, quam in eadem Regia Urbe, ipſo mediante Patriarcha, indicendam juſſit, triennio poſt primam, & poſt receptum œconomum.

1336 Celebrata eſt prima illa Synodus Anno Domini DCCCVI., Pontificatus Leonis Anno XI., Imperii Nicephori Anno V., à coronato Romæ Carolo Magno Anno VI., currente Indictione XIV., ab inceſtis Conſtantini nuptiis ferè Anno XI., & à damnato Joſepho œconomo Anno circiter IX., ut indicat Studita in Epiſtola ſuprà recitata, datâ ad Nicephorum Patriarcham, ex qua apparet, non ſtatim à copulatis nuptiis & coronatâ Mariâ, Joſephum œconomum ejectum fuiſſe à Tharaſio, ſed ferè biennio poſt extincto ſcilicèt Conſtantino, dùm Irenes iterùm habenas reaſſumpſit Imperii Anno Domini DCCXCVII., Indictione XV., ut ſuprà adnotavimus. Porrò ſecunda hæc alia Synodus, magis ſatanica conventio, celebrata eſt Anno Domini DCCCIX., Imperii Nicephori XVIII., Leonis III., Pontificatùs XIV., à coronato Carolo Magno Anno IX., poſt primam illam Synodum, ut præfati ſumus, Anno III., currente Indictione II. Hinc Theophanes de hac Synodo hæc ſcripto mandavit: *Tunc Nicephorus Imperator occaſione perceptâ, cùm Epiſcopos & Eugumenos congregaſſet, Synodum adversùs illos celebrari præcepit, per*

quam à Monaſterio & Urbe dejecti, exilio ſunt deſtinati, menſe Januario, Indictione ſecunda. Hæc Theophanes menſem conſignans & annum.

1337 Sed quid in hac Synodo, ſivè ſatanico conventu actum ſit, decretumvè, turpe eſt loqui. In primis ſancitum eſt, ut conjugium Conſtantini cum Theodora adhùc vivente legitima uxore, quam vi in Monaſterium detruſerat, ex diſpenſatione dici deberet legitimum. Deindè decretum eſt, divinas leges non obſtringere Reges & Principes, ab eis namque eſſe ſolutos, ſivè non teneri ad illarum obſervantiam. Tertiò definitum fuit, Epiſcopos omnes poteſtatem habere diſpenſandi in ſacros Canones; ac deniquè pronunciata eſt anathematis ſententia in eos, qui ejuſmodi adverſarentur decretis, vigore cujus exilio, aliiſque pœnis mulctati ſunt Synodali ſententiâ Theodorus Studita, Plato, Joſeph Epiſcopus Theſſalonicenſis, cæterique eis adhærentes, qui decretis præfatis adverſabantur. Quæ omnia recenſet idem Theodorus Studita in Epiſtola jam in exilio poſitus, datâ ad Leonem III. Papam, tenoris videlicèt ſequentis.

Sanctiſſimo & Summo Patri Patrum Leoni Domino meo Papæ Apoſtolico, Theodorus minimus Presbyter & Præpoſitus Studenſis.

1338 „ Quandoquidèm Petro magno „ Chriſtus Deus poſt claves Regni Cœlorum „ paſtoralis etiam Principatus contulit di„ gnitatem, ad Petrum utique, vel ejus ſuc„ ceſſorem, quidquid Eccleſia Catholica per „ eos innovatur, qui aberrant à veritate, ne„ ceſſe eſt referri; quod nos quoquè humi„ les & minimi à Sanctis olim Patribus no„ ſtris edocti, poſtquàm in Eccleſia noſtra „ novitas quædam nuper exorta eſt, & priùs „ quidèm per Religioſiſſimum Archimandri„ tam fratrem & conſervum noſtrum Epipha„ nium, & nunc per ſimplices literas no„ ſtras ad ſupremæ Beatitudinis tuæ Ange„ lum de ea re referre nos debere, arbitrati „ ſumus.

1339 „ Factus eſt, ò Diviniſſimorum „ omnium Capitum Caput, juxtà Hiere„ miam Prophetam, cœtus reverà prævari„ catorum, & Concilium adulterantium: „ Quod enim ibi propter Idolorum fornica„ tionem dictum eſt, hìc per adulterinæ co„ pulç confirmationem patefactum eſt. Utri„ que Dominum ſpreverunt illi per leges, hi „ per Evangelii tranſgreſſionem. Nec verò „ ſatis illi fuit, quòd per priorem conven„ tum in ejus, qui mœchos copularat rece„ ptione, ſacrorumque cum eo communione „ Paraſynagog (ut divinus loquitur Baſilius) „ facti ſunt; Sed ut hæreſis abſolutæ nomen „ adipiſcerentur, in altera publica Synodo, „ eos, qui pravo ipſorum errori non adhæ„ ſerant, aut univerſam potiùs Eccleſiam „ Catholicam anathemati ſubjecerunt; Et „ quotquot hactenus in cōſpectum venerunt, „ partim longinquis exiliis mulctantes, par„ tim carceribus includentes, priſtinam, „ uſitato hìc more, perſecutionem renova„ runt.

1340 „ Cauſam ſuam improbâ defenſio„ ne prætexunt, & juſtificatio ipſis nefariis „ ſermonis uſurpatio. Adulterini ſiquidèm „ conjugii conjunctionem, diſpenſationem „ eſſe decernunt: In Regibus nihil poſſe divi„ nas leges definiunt: Eos, qui pro veritate „ ac juſtitia uſque ad ſanguinem reſtiterunt, „ ut Præcurſorem & Chryſoſtomum imitari „ vetant. Epiſcopum unumquemque in ſa„ cros Canones, prçter ea, quæ in illis ſtatu„ ta ſint, poteſtatem habere pronunciant, „ Quarè, ſi quem fortè ſacris initiatus contin„ gat, clàm, palàmvè Canonum, per quos de„ poſitio irrogatur, reum teneri, hunc ſolâ „ volentis auctoritate, depoſitionis exortem „ manere. Quorum omnium teſtis eſt is, qui „ variis Canonibus cum aliis obſtrictus tene„ tur, adulteri copulator, unà cum ipſis pu„ blicè miniſtrans. Teſtes ii, qui dùm ini„ quitates tanquàm diſpenſationes faciunt, „ in eo ipſo, tùm alios, tùm ipſos ſanctos vo„ cant, & eos, qui illas non admittunt, ve„ lut à Deo alienos anathemate feriunt. Te„ ſtis demùm hìc nata perſecutio.

1341 „ Quid igitur ad hæc, ò Beate, di„ cendum eſt, niſi Apoſtolicum illud: *nunc* „ *Antichriſti multi facti ſunt*, ſi divinis legi„ bus & Canonibus omnes homines ſubditi „ non ſumus? His ergò à ſimplicitate noſtra „ ſinè fuco expoſitis, vocem nunc illam, quam „ Coriphæus cum reliquis Apoſtolis Chriſti „ emiſit, cùm Maris fluctus excitarentur, „ apud Chriſti imitatricem beatitudinem tuā „ adhibemus: *Salva nos Archipaſtor Eccleſiæ,* „ *quæ ſub Cœlo eſt, perimus.* Imitare magi„ ſtrum Chriſtum, manumque Eccleſiæ no„ ſtræ porrige, ſicut ille Petro; niſi quòd „ ille incipienti in mare mergi: tu autem jam „ merſæ in hæreſis profundo. Æmulare, „ precamur, cognominem tibi Papam, atque „ ut ille, pullulante tùm hæreſi Eutychianâ, „ Leoninum in morē ſpiritu experrectus eſt, „ ut omnes norunt, dogmaticis ſuis Epiſtolis: „ Sic & tu (dicere audeo) juxtà nomen, quod „ geris, irrugi divinitùs, vel potiùs into„ na contrà præſentem hanc hæreſim, ut „ decet.

1342 „ Si enim iſti, arrogatâ ſibi auctoritate, hæreticam Synodum cogere veriti „ non ſunt, qui nè orthodoxam quidèm abſ„ que cognitione veſtra (ut antiquitùs mos „ obtinet) cogere potuerunt, quantò æquiùs „ adeò neceſſarium fuerit (cum timore ſugge„ rimus) à divino tuo Principatu legitimam „ Synodum convocari, ut orthodoxorum

Ec-

„ Eccleſiæ dogma hæreticum excluderes: Et „ neque ſuprema dignitas cum orthodoxis „ omnibus anathemate notetur à novis nugatoribus, neque iniquitatis porrò claſſicum „ adulterinam hanc Synodum nacti, quibus id placet, in peccatum facilè prolabantur.

1343 „ Hæc, ſicut parvitati noſtræ conveniebat, ut minima Eccleſiæ membra repręſentantes,& divino paſtorali veſtro principatui parentes, obſecramus de cætero „ ſanctam animam veſtram, ut nos ceù proprias oves reputet, & ſacris precibus ſuis „ eminùs illuſtret, atque confirmet; quòd ſi „ etiam documentis, tuæ id fuerit divinę benignitatis, quemadmodùm & Chriſtus ad „ Agabarum ſcripſit, & multi etiam de ſubditis digni habiti ſunt, qui ab Apoſtolis, „ Sanctiſque acciperent literas. A' me autem ſolo peccatore, & in carcere detento, „ mittitur hæc Epiſtola, propterea quòd pater, Plato ſcilicèt, & conſervus meus incluſus, & Theſſalonicæ Archiepiſcopus „ germanus noſter in aliis Inſulis pariter cuſtodiuntur: Ipſi nihilominùs per me & mecum eadem dicunt, & ſacris Beatitudinis „ tuæ veſtigiis advolvuntur. *Hactenus Theodori Epiſtola*.

1344 Non renuit Leo Beatiſſimus Pontifex his receptis literis reſponſum dare, ſacriſque apicibus ſuis ſolatium aliquod Dei Servis, pro juſtitia perſecutionem patientibus, præſtare: Quæ literæ, licèt non extent, indicantur tamen in poſterioribus nomine Platonis & ejuſdem Theodori, per Epiphanium Monachum ad eundem Leonem redditis, quarum initium eſt: *Magnum reverà nobis humilibus & ſummi voti opus fuit, quòd digni habiti ſumus, qui ab Apoſtolica Beatitudine veſtra ſalutationis allocutionem, & ſacrarum ejus, qui à ſpiritu moventur ſermonum, ſignificationem acciperemus*. In qua quidèm Epiſtola de eadem Synodo hæc habentur: „ Synodus, ò „ Beatiſſime, apud nos publica celebrata eſt, „ iis etiam, qui Magiſtratus gerunt unà conſidentibus,& Synodus ad condemnationem „ Evangelii Chriſti, cujus tu claves ab ipſomet accepiſti per intermedium Principem „ Apoſtolorum, & ſucceſſores, uſque ad eum, „ qui ſanctiſſimum Caput tuum anteceſſit. *Hæc ibi*. Porrò eadem impia dogmata eodem in conventu definita recenſentur, & contrà Evangelium, Deique legem eſſe probantur.

1345 Deindè quàm dira & quàm ſæva fuerit illa excitata in ſanctos Dei Monachos, renuentes ejuſmodi impiis parere decretis ab ipſo ſceleſtiſſimo Principe, perſecutio, ex iis, quæ ſcribit idem Studita in Platonis vita, perſpicua ſunt, ubi hæc habet: „ Sed ut quę „ in medio ſunt, ea velut ludicra quædam „ prætermittam (illa enim hiſtoriæ modum „ implere poſſunt) exilium jam decretum „ fuit, & Pater ipſe circumſcriptus eſt in una „ quadam Inſula ex his, quæ ante Urbem „ ſunt, quemadmodùm & frater noſter Joſeph Archiepiſcopus Theſſalonicæ in alia „ quadam valdè aſpera, & munito quodam „ carcere ad exilium accedente. Oh rerum „ mutationem! Monachis ipſis humaniores „ extiterunt hi, qui communi vità utuntur, „ & privati homines veriti non ſunt, juſtum „ ferre judicium, quod Judices debuiſſent. „ Manifeſtum enim erat iniquum illud facinus. Miſſum facio balneum illud, in quo „ Imperator ipſe militari acie omnium fratris ſocietatem invadens, cùm ex Monaſterio illo ſingulos ſuæ voluntati ſubjicere „ conatus eſſet, ſpe deceptus, ſuo enim imperio fortiores illos eſſe cognovit, qui divinâ lege nitebantur. Miſſos facio carceres in Monaſteriis conſtitutos, & Monaſteriorum præfectos carceris duces factos, „ hiſque, quos clauſos tenebant, plura quàm „ juſſi fuerant, tormenta inferentes. Prætereo quæ poſteà conſecuta ſunt, quo tempore multi adducti, & in alium locum „ tranſlati, perſecutiones, inquiſitiones, disjunctiones, atque exterminationes pertulerunt, quo tempore multæ & ingentes „ minæ, iræ, interrogationes, & reſponſa, „ multaque per omnes Urbes inveſtigatio facta eſt, nec ubi aliquis fratrum lateret, „ adeòut nonnulli prę timore perſequętium, „ in terræ foraminibus ſeſe abdiderint, ut „ ſervari poſſent. *Hæc, & alia Theodorus*.

1346 Poſt hæc itaque, aliaque tyrrannicè in univerſum populum quoque geſta, ut accuratè narrat Theophanes, ſceleribus cumulatus, factâ expeditione adversùs Scythas Anno Domini DCCCXI., ſui Imperii Anno X., Leonis III. Pontificatus Anno XVI., à coronato Carolo Magno Anno XI., biennio poſt celebratum hæreticum antefatum Concilium, & excitatam in Sanctos perſecutionem, currente Indictione IV. menſe Februario, primo Jejuniorum Sabbato, ut notat Theophanes, captus ab inimicis Imperator, miſerrimè interfectus eſt, & trucidatus, cujus reciſum caput Crunus Scytharum Princeps ſuſpendit in ligno diebus multis, in oſtentationem ad ſe venientium Nationum, & Gręcorum omnium confuſionem. Poſt cujus obitum Stauratius ejus filius, adhùc vivente Patre, Cæſar factus & Imperii Socius, à pluribus renunciatus eſt Imperator. Sed menſe Octobri immediatè ſequenti, inchoatâ Indictione v., octo elapſis à patris nece menſibus, ab univerſo Senatu atque ordinibus conclamatus eſt Imperator Michael Curopalata, vir mitiſſimus, ut de eo ſcribit Theophanes, Stauratio ſuâ ſe ſpontè abdicante, tonſo, atque ad Monaſterium confugiente.

1347 „ Anno Domini DCCCIV., *ait* „ *Theophanes ſecundùm Græcam ſupputationem*, Indictione v., tertio nonas Octobris, Mi-

„ Michael Curapalata mitiſſimus appellatus „ eſt Imperator Romanus in Hippodromo à „ toto Senatu atque ordinibus, qui impera- „ vit annos duos. Stauratius autem acclama- „ tione hujus audita, ſtatim comam totondit, „ & Monachicis indutus eſt veſtimentis, & „ per Simeonem Monachum cognatum ſuum „ valdè Patriarcham implorant. Qui veniens „ in Palatio unà cum Imperatore Michaele, „ hoc Stauratium rogabat nè triſtaretur ſuper „ quòd factum eſt: non enim per invidiam, „ ſed deſperatione vitę ipſius id geſtum aſſe- „ verans. At ille nequitiæ paternæ rabie fu- „ rens, non acquievit, dicens ad eum: ami- „ cum meliorem me non habebis. Horâ verò „ quartâ coronatus eſt Michael à Nicephoro „ Patriarcha in ambone magnæ Eccleſiæ, in „ quo magna exultatio facta eſt. *Hæc Theophanes.*

1348 Exegiſſe Nicephorum à Michaele ante illius coronationem ſcriptum propria manu de recta fide, & ut ſinè ſanguine manus à Chriſtianis ſervaret, ac de ſacris hominibus, ſeu Monachis de toto Eccleſiaſtico Catalogo, ne percuteretur ab illo, auctor eſt idem Theophanes, qui etiam refert coronatam Procopiam Michaelis uxorem in Triclinio Auguſtali IV. Idus Octobris. Ab exordio ſui regiminis, cùm orthodoxus eſſet animum adjecit ad pacem Eccleſiæ reddendam: „ Super multos præterea optimos mores ſuos, *ſubjungit Theophanes*, cùm piiſſimus & „ Orthodoxus eſſet, triſtabatur ſuper his, „ qui à Sancta ſcindebantur Eccleſia, qua- „ cumque occaſione, ſivè ratione, multùm- „ que Sanctiſſimum Patriarcham, ac eos qui „ poterant pro communi pace concurrere, ro- „ gans, non acquieſcebat; inter quos & Theo- „ dorum Eugumenum ſtudii & Platonem, at- „ que Joſeph Archiepiſcopum Theſſalonicen- „ ſem fratrem Theodori in ſtudiis detentos „ amaris unà cum Principibus Monaſterii ſa- „ tagebat unire, quod & fecit. *Hæc ille.*

1349 Sed & de reddita Eccleſiæ pace in exordio Imperii Michaelis ſcribunt Theodorus Studita in vita Platonis, & Michael Studita in vita Theodori: Ille enim ſic: „ Illum „ Nicephorum ſcilicèt, diutiùs arrogantem, „ & temeritate ſuſpenſum cùm fortis Dei „ manus ad Scythas exterminaſſet, illic cum „ toto exercitu perdidit, ut poſteris narra- „ tio quædam terribilis, & dictu horrenda, „ Deique judiciorum quæ comprehendi non „ poſſunt, ejuſdemque ſapientiſſimæ provi- „ dentiæ exemplum relinqueretur. Eum ve- „ rò, Platonem videlicèt, qui antea nobiſ- „ cum unà clauſus tenebatur, cùm eorum, „ qui nunc Imperio potiebantur Michaele & „ Procopia & piè ſe gerebant, gratiâ, pro- „ prio gregi reſtituiſſet, Confeſſorem illum „ ſe ipſum eſſe probavit: idque quomodo fa- „ ctum ſit dicemus: neque enim hoc præte- „ rire conſentaneum eſt. Eorum cura, qui „ res noſtràs benevolo potiùs, quàm inimi- „ co animo diſponebant, de medio ſublatum „ fuit ſcandalum, quo remoto & diſſidium, „ quod illi cum Epiſcopo interceſſerat, ſubla- „ tum fuit; cùm Principes ipſi hoc eis per- „ ſuaſiſſent. Itaque Sanctiſſimus Patriarcha „ ſe purgavit, quòd quæcumque acciderant, „ Imperatoris violentiâ facta fuiſſent. Tunc „ igitur unà convenerunt, & viciſſim ſibi ſa- „ tisfecêrunt (quandoquidem ipſi Deo nihil „ ita carum eſt, ut pax & concordia, modò „ concordia non ſit fidei diſſenſio, atque Di- „ vini Præcepti violatio, non denique Ca- „ nonis alicujus reprobatio, quemadmodùm „ pręſens conjunctio ſe habuit) quantùm ad „ nos pertinebat; ea, quæ interea facta fue- „ runt prætermittentes ut illis ſimilia, quæ „ Divinorum Patrum memoriâ facta, & ſimi- „ liter diſpenſatione quadam neglecta fue- „ rant, imò verò perfectâ earum rerum exa- „ minatione in futuro illo ſæculo illi juſto at- „ que incorrupto judici reſervata. *Hæc Theodorus.*

1350 Michael verò clariùs ſe explicans, tradit, Joſephum œconomum ejectum fuiſſe atque Sacerdotio depoſitum, ac inde initam concordiam, confirmante omnia Romano Pontifice: „ Michael qui Curopalata, in- „ quit, dignitatem tum gerebat, ſceptra ſu- „ ſcepit, vir Imperio planè dignus, & in eâ „ adminiſtratione æquiſſimus. Cui ante om- „ nia res patris curæ fuerant, ut ab exilio „ eum revocaret, & honori omni reducem „ cumularet. Quin etiam diſſidentia mem- „ bra mox aptiſſimè copulavit, pulchrum „ Eccleſiæ corpus in unum iterum con- „ nectens, & priſtinam Sacerdotibus ac „ Monachis concordiam reddens, Joſepho ni- „ mirum, qui ejectus ab Eccleſia antea fue- „ rat, ab eadem nunc tanquam inutili mem- „ bro apertiùs reciſo & excluſo, qui in lo- „ cum ejus fuerat intruſus. Placuit hoc in „ primis Romano Antiſtiti, qui per literas, „ nuntioſque ſuos ſententiam confirmavit; „ nam & illum ſequeſtrem pacis & concilia- „ torem ad devincendum Patrum animos, pius „ Imperator adhibuerat. *Hæc Michael in vita Theodori Studitæ.*

1351 Poſt ejuſmodi initam concordiam Nicephorus Patriarcha ſynodicam cum ſuæ fidei profeſſione, quam vivente, & regnaute Nicephoro Imperatore, illo repugnante, & prohibente, ad Romanum Pontificem mittere detrectaret, abſque cunctatione miſit, cujus initium eſt. *Magnus revera, omnique laude & admiratione dignus eſt.* In ea namque ſe excuſat, purgatque à crimine tarditatis, propter antefatam cauſam, inquiens: „ Quod „ autem iſto ſeriùs per ea quæ hactenus ex- „ poſuimus, occurrimus, id nemo miretur, „ neque noſtram ob id exiſtimationem, in ac- „ cuſationem adducat: quin potiùs Deo di- „ lecta veſtra fraternitas certò ſibi perſuaſum

ha-

„ habeat, Sacerdotalem conſuetudinem ne-
„ quaquam hîc exoleviſſe, aut per contem-
„ ptum, vel ignaviam quippiam eorum, quę
„ Eccleſiaſticis viris conveniunt, neglectu
„ habuiſſe, verùm duram, implacabilemque
„ præpotentis poteſtatis ſententiam, quo-
„ minus decretis uteremur, obſtitiſſe. Igno-
„ ſcat proinde Beata veſtra Anima, ſi quam
„ noxam cunctatione mea promerui, cogi-
„ tetque haudquaquam facilè eſſe potentibus
„ propria voluntate elatis, & quodcumquę
„ animo libitum fuerit, adimplere ſatagenti-
„ bus ſeſe opponere. Etenim rati cauſam ad-
„ modum plauſibilem, qua nos jam tùm Sa-
„ cerdotio initiatos, ab officio præpedirent,
„ ſeſe nactos, ſtomachosè nobis objectabant,
„ paſſimque invulgabant, vos à Conſtanti-
„ nopolitana Eccleſia alienos eſſe, temerè-
„ que ab ea vos divulſiſſe. Cùm ergo hæc,
„ ſivè vis, ſivè injuria ad vos quoque atti-
„ nuerit, veniâ eos dignabimini, qui præ-
„ ter voluntatem pari neceſſitate conſtricti
„ fuerunt. At cùm præſentem Eccleſiæ, lo-
„ cique hujus ſtatum jam nunc ad ſanctita-
„ tem tuam perſcripſerimus, & ſuo deinceps
„ opportuno tempore, quæ hîc fient perſcri-
„ bere certò decreverimus, non erit opus
„ prolixiore, ut arbitror, nunc purgatione.
„ Siquidem repagulum, quod impediebat,
„ jam eſt perruptum, apertum eſt oſtium,
„ lapides offenſionis è medio ſublati, via latâ,
„ plana, ſcopuliſque libera, & exæquata
„ teritur, triſtia procul ab oculis evanue-
„ runt, ſcandala ſeditioneſque conquieve-
„ runt, omnia denique impedimenta amota,
„ luminaque priſtina Eccleſiæ reſtituta ſunt;
„ quare quæ charitatis, Sacerdotaliſque con-
„ ſuetudinis propria ſunt, locum ſuum de-
„ nuò adepta, nullo impoſterum negotio
„ perfici, obſervarique poterunt. *Hæc Pa-*
„ *triarcha*.

1352 Hujus porrò ſynodicæ meminit Theophanes ità, inquiens: *Nicephorus quoque Sanctiſſimus Patriarcha tranſmiſit ſynodicas literas ad Leonem Sanctum Papam Romanum; ante quippe hoc faciendi prohibebatur à Nicephoro Imperatore*. Michael quoque Imperator Legatos miſit ad Leonem Pontificem unà cum ſuæ Catholicæ fidei profeſſione, reaſſumpto antiquo more, à quo datæ ſunt jiſdem Legatis in Baſilica Sancti Petri literæ communicatoriæ; perfuncti ſunt hac Legatione Michael Epiſcopus Arſaphius & Theognoſtus Protoſpatarii, qui primùm miſſi fuerant ad Carolum Magnum pro ineunda & confirmanda pace, ſed hac lege ut revertentes Romam cum præfatis literis Leonem Papam adirent, prout ex vetuſtis Francorum annalibus tradunt Baronius & Spondanus ad annum Domini DCCCXII.

1353 Cùmque Conſtantinopoli ſub Imperio Nicephori complures hæreſes invaluerint, & maximè Manichæorum, qui & Paulaciani, & Atingani dicebantur, & quibus addictus fuerat Nicephorus, promovente illam Sergio quodam à Diabolo inſtructo, ut Lucas Siculus ſcribit, piiſſimus Imperator Michael, Nicephoro, aliiſque piis viris ſuggerentibus, capitali lege omnes proſcribere curavit: „ Multo ſanè Divino Zelo, *ait Theo-*
„ *phanes*, Imperator piiſſimus motus contra
„ Manichæos, qui nunc Paulaciani dicun-
„ tur, & Atinganos in Phrygia & Lycaonia
„ degentes capitalem animadverſionem, Ni-
„ cephori Sanctiſſimi Patriarchæ & aliorum
„ piorum prædicamentis, promulgavit. *Et*
„ *Lucas Siculus*: Videns ergo Michael, in-
„ quit, Pater piiſſimus Imperator & qui poſt
„ eum Regnum tenuit Leo, variis & indi-
„ gnis modis infeſtari ab hæreſi Chriſtianos,
„ miſſis in omnes Romani Imperii partes li-
„ teris, omnes nefariæ ſectæ participes neca-
„ ri juſſerunt. *Hæc ille*. Revixerant quoque & Iconoclaſtæ, quos pari lege feriendos decreverat, exequutâ adversùm quemdam impium Eremitam Iconoclaſtam, de quo Theophanes hæc ſubjungit: „ Unum ex ſupradi-
„ ctis Seductoribus falſum Eremitam, qui
„ Icona Sanctiſſimæ Dei Genitricis depoſue-
„ rat, linguâ reciſâ mulctavit, qui & mor-
„ tvus eſt corpore & anima. Collegam verò
„ ſuum Nicolaum, promittentem ſe pœni-
„ tentiam acturum, omnibus publicavit, &
„ confitentem ſua ipſius mala, tradidit illum
„ in Monaſterio cuſtodiendum, ne libera con-
„ verſatione habitu proprio abuteretur.

1354 Sed non diù paſſus eſt imperare tam pius Princeps, ſic exigentibus peccatis populi; etenim poſt biennium anno Domini DCCCXIII. Pontificatus Leonis III. anno XVIII. à Coronato Carolo Magno anno XIII. currente Indictione VI. propter receptam à Bulgaris cædem, exutus eſt Imperio, ſivè ſe ſua ſponte abdicante, ut vult Cedrenus, ſivè coactè, ut innuere videtur Theophanes, & ejus loco VI. Idus Julii renunciatus eſt Imperator Leo Armenus, coronatus à Nicephoro Patriarcha, de quo hæc Cedrenus ſcribit: „ Multò ante Nicephorus Patriarcha
„ Leonis perverſitatem præſenſerat, ab eo
„ res Eccleſiæ agitatum, turbatùmque iri.
„ Nam quo tempore Diadema capiti ejus im-
„ poſuit, viſum ſibi fuerat ſpinis ac tribulis
„ manum pungi, idque omen malorum, quæ
„ poſtea eſſent eventura, interpretatus fue-
„ rat. *Hæc Cedrenus*. Michael porrò & Procopia ejus uxor tonſis capitibus ad Monaſterium Phari perrexerunt, ubi & Monaſticis induti ſunt veſtimentis: quos tamen ibi degere non eſt paſſus Leo, relegavitque eos in Inſulam Protam, ſivè Principem, caſtratis duobus illorum filiis Theophilacto ſcilicèt jam in ſui Imperii exordio coronato Imperatore, & Ignatio natu minimo.

1355 Sub hoc ergo Imperatore renovata eſt hæreſis Iconoclaſtarum in Oriente, ipſo

Prin-

Principe eam promovente, ſuggerente quodam Sabbatio Monacho Iconoclaſta Abbate Monaſterii Philomelienſis, prout Cedrenus ſcribit: quia, ait, à quodam Monacho illius Monaſterii Abbate, Leoni Imperium prænunciatum fuiſſe, Leonem verò & adepto ac ſuperatis Bulgaris, ſui Prophetæ recordatum, munera ad eum miſiſſe, ſed reperto illo jam vitâ functo, Sabbatio qui ei ſucceſſerat, ab Imperatoris Legato eadem donaria oblata fuiſſe, reſpuiſſe illa Sabbatium ait, velut miſſa à Principe Idololatria qui ſtatuas adorabat: ac inſuper & minatum Principi de brevitate Imperii, niſi Imagines ſacras de medio ſuſtuliſſet: „ Verùm is Monachus, *ait Cedrenus*, „ jam tum vitam cum morte commutarat, „ ſucceſſeratque ei Sabbatius quidam totus „ impiæ Iconoclaſtæ hæreſi immerſus. Ad eum „ cùm veniſſet Legatus Imperatoris, hortatus eſt, ut munera præceptori ſuo miſſa „ perciperet, literiſque ac precibus Imperatorem remuneraretur. At Sabbatius munera reſpuere, ipſum retrò abire jubere, „ adeoque Imperatorem dignatione iſta indignum dicere, ſimulacrorum cultui deditum, „ & Irenæ Imperatricis, Tharaſiique Patriarchæ ſtatutis obtemperantem. Irenem impuriſſimus homo Pardalim & Bacham, Tharaſium verò nobilem in Patriarcharum numero, Tharaxium, quaſi perturbatorem „ nominabat. Celerem quoque Imperii, & „ vitæ amiſſionem Leoni minari, niſi quamprimùm ſibi parens ſacras dejiceret Imagi- „ nes. *Hactenus Cedrenus*.

1356. Factâ per Legatum horum omnium ipſi Imperatori relatione, & relectis etiam ejuſdem argumenti quas Sabbatius fecerat literis, perturbatus Princeps rem cum Theodoto Melliſeno interne Iconoclaſta communicat, conſiliumque ab eo petit: ſed ille perfidiam ſuam occultare nitens, nihil deliberare voluit, ſed conſuluit adeundum eſſe ad quendam Monachum in Degiſtienſi Monaſterio degentem, ſpectatæ vitæ inquiebat, & mirabilium Patratorem, ac cum eo rem communicandam, illiuſque ſententiæ adhæreſcendum: „ Hæc cum Leone locutus, *proſequitur Cedrenus*, ſtatim ab hoc ad Monachum „ cum ſe contulit, indicatque Imperatorem „ vili habitu ad ipſum proxima nocte venturum, & de religione conſulturum, aliiſ- „ que graviſſimis negotiis. Proinde meminiſſe, ei præſentem Imperii, vitæque amiſſionem denuntiare, niſi ultrò Leonis Iſauri „ Imperatoris decretum amplectens, Idola, „ (ſic Sacras Imagines appellabat) Divinis „ ædibus exturbaret. Si hoc feciſſet, fore „ dominationem, vitamque diuturnam at- „ que fœlicem. Hoc modo ſubornato Monacho, & quæ cum Imperatore loqui debe- „ ret inſtructo, abiit.

1357. „ Paulò poſt, *ſubjungit Cedrenus*, „ noctu Imperatorem vili habitu velatum ad „ Monachum adducit. Ibi jam inito colloquio, „ Monachus proximè ad Imperatorem aſſiſtens, veluti qui Divino inſtinctu Imperatoriam Majeſtatem adeſſe ſentiret: Non rectè, inquit, abs te factum eſt, Imperator, „ quòd nos privato habitu decepiſti, intus „ occultans tuam perſonam. Sed quanquam „ tu hoc agis, nos tamen gratia Divini Spiritus, non diutiùs eſt paſſa à te falli. Hoc „ ut audivit Imperator, ſeque fruſtra conatum vili habitu Imperatoriam dignitatem „ celare putavit, animo perculſus eſt, ut „ par erat, iſtius machinationis ignarus: Monachumque Divinum hominem eſſe faſſus, „ imperata ab eo obedienter & ſine mora ſe „ facturum promittit, atque venerabilium „ Imaginum ab eo mandatam dejectionem ſuo „ ſuffragio probat. *Hactenus Cedrenus*.

1358 Ut porrò conceptum ſcelus executioni demandare poſſet, curavit primùm peſſimus Princeps ſibi eos conciliare, quos propter uſurpatam tyrannidem contrarios habere dignoverat: indeque peſſimos viros & à veritate prorſùs alienos, impietatem & Iconoclaſtarum, aliorumque hæreticorum hæreſim ſectantes, Socios adſcivit, quorum Coriphæus Joannes ille fuit cognomento Lecanomantis, falſis deditus vaticiniis, & incantationibus, procax ad loquendum, & ad omne perpetrandum ſcelus promptus & paratus. Ex ordine Senatorio invenit coadiutorem Joannem cognomento Spectam hæreticum Eutychianum; alterum porrò Joannem cognomento Grammaticum dedit ei Diabolus adjutorem. Acceſſerunt quoque ad illum ex jis, qui infra ſolium regale erant, Antonius Syleus, & ex ordine Monaſtico Leontius quidam & Zoſimus. Ita hæc omnia accuratè adnotat Michael Monachus in vita Theodori Studitæ.

1359. His ergo Diaboli Satellitibus ſtipatus Imperator, audacior factus, blanditiis primùm, inde minis in ſententiam trahere conatus eſt Nicephorum Patriarcham, ſed fruſtra: Cujus rei causâ juſſit omnem Monachorum multitudinem cum Epiſcopis & Metropolitis convenire ad ipſum Patriarcham, ut coram ipſis quaſi ſynodicè res tractaretur: quibus convenientibus in Eccleſiam Sanctæ Sophiæ, integram noctem in orationibus & precibus tranſegerunt: & mane facto, ad ſe acceſſiri eos juſſit, Nicephorum priùs, deinde cæteros, quibus Imperator verba faciens, dixit: „ Scitote Patres, me idem ſentire quod „ vos, ſimulque effigiem quandam, quam in „ ſinu geſtabat extulit, & per ſimulationem „ illam adorans, ſentio, inquit, quòd vos, „ ut videtis, neque à vobis diſſideo. Verùm „ quidam ſurrexere: qui aliter dicentes, eam „ viam rectam eſſe dicunt, quam ipſi tenent. „ Prodeant igitur coram vobis, & materia „ hæc inter vos inquiratur. Et ſi quidem vobis perſuaſerint, quod ipſi rectè dicant, „ neque vos quod bonum eſt impediatis; Si

verò

„ verò ipſi à vobis perſuaſi fuerint, quòd res „ novas doceant: deſiſtant à prava doctrina, „ & recti dogmatis ſententia vigeat ut antea. „ Nam ſi de alia aliqua re minoris momenti „ ad me relatum eſſet, neque ita deceret, „ me eam tacitam præterire: quomodo de „ Eccleſiaſtica quæſtione tacuerim? *Hæc* „ *apud Theoſteriſtum in Nicæta*.

1360 Cùmque Æmilianus Cyrici Epiſcopus, Michael Sinnaculorum, Theophilactus Nicomediæ, Petrus Nicææ, & Euthymius Sardenſis Epiſcopi, nonnulla orthodoxè interlocuti eſſent, Theodorus Studita liberiori voce, ſic affatus eſt: „ Ne tentes nunc, Imperator, Eccleſiaſticum ſtatum diſſolvere, „ ait enim Apoſtolus. *Quoſdam quidem po-* „ *ſuit Deus in Eccleſia primùm Apoſtolos, dein-* „ *de Prophetas, tertiò paſtores ad perfectionem* „ *Sanctorum*. Non dixit Reges. Tibi qui- „ dem, ò Imperator, Civilis ſtatus, & exer- „ citus commiſſus eſt. Hæc igitur cura. „ Eccleſiam autem Paſtoribus & Doctoribus, „ ut ait Apoſtolus, derelinque. At ſi non vis „ hæc facere. Si quis pervertendæ fidei no- „ ſtræ causâ de Cœlo nobis aliquid annuncia- „ verit: ipſum non audiemus: tantùm abeſt „ ut te audituri ſumus. *Hæc Studita*. Quibus auditis, Imperator furore nimio exardeſcens, velut quoddam injurioſum dictum eſſet, omnes ejecit.

1361 Complura in eo Conventu ejuſdem argumenti à Sanctis Patribus dicta copioſè recenſet Michael Studita in vita Theodori, ubi poſt liberam allocutionem ab ipſo Theodoro habitam, de Imperatore hæc ſubjungit: „ Ad „ hæc Tyrannus quod dicere non habens, cum „ clamore, animique perturbatione à conſpe- „ ctu ſuo depulit, ne propiùs accederent, „ nève ampliùs loquerentur, magna voce, „ miniſque interdicens: quod nec unum rectè, „ diroque animo ſuo congruenter facere no- „ rat. Egreſſi verò Beati omnes unà cum Pa- „ triarcha magnum ambiunt Theodorum, „ hominem labiis ſimul atque animis deoſcu- „ lantes, ejuſque in dicendo libertatem pari- „ ter & gratiam collaudantes, quòd tyran- „ num tam fortiter, tantoque pudore affe- „ ciſſet. *Hæc Michael*. Subjungens poſtea de lege lata ab Imperatore, ac univerſis illis Patribus intimatâ, ne quidquam loqui hac de quæſtione auderent, aut de fide cum aliis tractare, aut ad invicem conferre. *Cæterùm*, inquit, *vix domum quiſque redierat, cùm aſferuntur ad ſingulos Præfecti Urbis edicta, quibus continere ſe jubet unumquemque, nihilque prorsùs cum aliis tractare nec inter ſe conferre, aut docere, aut de fide prorsùs loqui*.

1362 Cui decreto contradixit omnium primus Theodorus, qui jis ad eum illud intimandum miſſis, hæc verba fecit: „ Æquum „ ne ſit, vobis, an Deo parere; vos ipſi rem „ ratione æſtimantes, dicite: Nobis verò „ ſcitote certum eſſe, linguis potius ampu- „ tatis carere, quàm ut fidei noſtro teſtimo- „ nio deſimus, nec illam, qua poſſumus verborum ope propugnemus. Quæ enim ratio „ eſt, ut deteriora defendere conari, & nos „ in multo meliori cauſa ſilentio uti? Qnare „ non committemus, ut vel ad horam ſermo- „ nem abditùm teneamus, & populum præ- „ ſenti ejus utilitate fraudemus. *Hæc Theodorus*. Qui poſtmodum videns Monachorum Præfectos ſilentio victos, atque edicto illo proſtratos, ut proſequitur Michael Studita, ſciens ejuſmodi factum haud mediocrem cæteris Monachis, imò & Orthodoxis omnibus afferre ruvinam, mox ex adverſo conſurgens, ad tanta Eccleſiæ illata damna reparanda feſtinans, exacuit ſtylum ad pugnam, literas in facti deteſtationem conſcribens, ſic ſe habentes.

Monaſticam vitam agentibus.

1363 „ In hoc temporis articulo, cùm „ perſecutionem in Imagine ſua Chriſtus pa- „ teretur: non ſolùm qui dignitate & ſcientia „ præceſſit, certare is debet, rectæ fidei do- „ ctrinam proferens, & cæteris tradens; Sed „ & Diſcipulus quoque ipſe fiduciam ſume- „ re, & veritatem intrepida ac libera voce pro- „ fiteri. Non mea ſunt hæc verba, qui pec- „ cator ſum, ſed Divini Chryſoſtomi, qui- „ nimmò & aliorum Patrum. Quod verò Do- „ mini Præpoſiti ab Imperatore detenti hoc „ minimè præſtiterunt, quamvis dignitatis „ gradu & doctrinâ omnibus hujus horæ Præ- „ poſitis anteirent, at contra potiùs conti- „ cuerunt: neque id ſolùm, quod re ipſa gra- „ ve eſt, ſed Chirographo etiam ſuo, ſe ne- „ que congreſſuros mutuò, neque docturos „ confirmarunt; id verò eſt prodere verita- „ tem, & præfecturam abnegare, & ſubdi- „ tos ſibi atque adeò æquales & Socios ſub- „ vertere: Apoſtoli enim, cùm à Judæis de- „ nunciatum illis eſſet, ne docerent in nomi- „ ne Chriſti, ſic verbis reſponderunt: *Judi-* „ *cate ſi juſtum eſt in conſpectu Dei, vos po-* „ *tius audire quàm Deum. Et obedire oportet* „ *magis Deo, quàm hominibus*. Hæc & ſimilia illos dicere oportebat, ut per eos glorificaretur Deus & ædificarent Orthodoxos, ut Monaſteria confirmarent, & confortarent eos, qui in exiliis patiuntur.

1364 „ Sed quid, quòd pluris facimus „ Monaſteria quàm Deum? Pluris commoda „ quæ inde capimus, quàm mala quæ boni „ causâ ſuſtinemus? Ubinam eſt illud: *Lo-* „ *quebar in conſpectu regum & non confunde-* „ *bar?* Et illud: *Labia mea non prohibebo*, „ *Domine tu ſciſti*. Ubi gloria & fortitudo „ ordinis noſtri? Quonam pacto Sabas & „ Theodoſius, cùm impiam hæreſim tunc „ temporis Imperator Anaſtaſius amplecteretur, inſurrexerunt, pro fide acriter pu- „ gnantes, tum eos qui perperam in Eccleſia

„ ſentiebant excommunicando, tum ad Im-
„ peratorem ipſum ſcribendo, ſe mortem po-
„ tiùs oppetere paratos, quàm ut de conſti-
„ tutis aliquid immutarent? Et dicunt, ut
„ fama eſt, Domini Præpoſiti, *Quinam ſu-*
„ *mus nos?* Primùm Chriſtiani, qui nunc
„ prorsùs loqui debeant; Deinde Monachi,
„ quos re nulla abduci, nec abripi par ſit,
„ tanquam Mundo minimè adſtrictos, mini-
„ mèque obnoxios: denique Præpoſiti, qui &
„ aliorum ſcandala tollunt,& in nullo dare of-
„ fendiculum debent, ne vituperetur, inquit
„ Apoſtolus, miniſterium noſtrum.

1365 „ Cujuſmodi verò ſcandalum & vi-
„ tuperationem, ſeu potiùs condeſcenſum
„ Chirographo ſuo præbuerint, quid attinet
„ loqui? Nam ſi conſenſui par eſt ſilentium:
„ illum ipſum ſcripto in totius Eccleſiæ ocu-
„ lis firmare, quantò eſt nefas? At occultè
„ (dicitis) ſacrificans Nicephorus, clam of-
„ fert, & Patricii omnes (ut cæteros omit-
„ tam) ſunt Orthodoxi. Verùm quid ait
„ Chriſtus? *Si quis confitebitur me coram ho-*
„ *minibus, confitebor & ego eum coram Patre*
„ *meo qui in Cœlis eſt*, & è contra de abnega-
„ tione. Quanquam enim hoc ſolùm Chiro-
„ grapho ſuo pacti ſint, ſe mutuò non con-
„ greſſuros, idem planè eſt. Quomodo enim
„ obſervabunt quod ait: *Eum qui venit ad*
„ *me non ejiciam foras*. Veniat quiſpiam per-
„ contans, & diſcere cupiens veritatem, ſeu
„ præpoſitus ille ſit, ſeu quis alius: quid re-
„ ſpondebit ei Præpoſitus? Mandatum nem-
„ pe accepi, ne loquar: atque utinam id ſo-
„ lùm ſed ut te nec Monaſterio ipſo excipiam;
„ nec tecum veſcar. Chriſtus dicit: *Suſcipe*
„ *& doce*. Quid ſi ſubtraxerit ſe, inquit,
„ non placebit animæ meæ, At hi ſcripto fi-
„ dem obſtrinxerunt, ut Imperatoris decreto
„ contrà Chriſtum obedirent. Hæc ſunt, fra-
„ tres, ac Patres, quæ ab eis geſta, pro cer-
„ to comperi. Quæ quoniam dicere me,quod
„ ſcirem, voluiſti, coram Deo teſte, nun-
„ tiavi. *Hactenus Epiſtola Theodori*.

1366 Poſt hæc Imperator ut rem ad opta-
tum finem perducere poſſet, non valens Ni-
cephori Patriarchæ conſtantiam flectere, exi-
lium ei decrevit, ſuffecto in ejus locum peſſi-
mo illo Iconoclaſta Theodoto Melliſſeno. Sic
Cedrenus: *Relegato Nicephoro*, inquit, *ſo-*
lium Archiepiſcopale indignè conſcendit ipſa
Reſurrectionis Dominicæ die Theodotus Melliſ-
ſenus quem & Caſſiteram dictum, ſupra monui-
mus. Michael verò Studita in vita Theodori,
Haud multò poſt, inquit, *eiicitur à Sede ſua*
ab impiis Patriarcha, pulſus itidem ab Urbe
ob veritatis defenſionem. De modo porrò quo
ejectus fuit ſcribit Theocteriſtus in Niceta,
inquiens: „ Leo Tyrannus Sanctiſſimo Viro
„ Nicephoro Patriarchæ ſcribens: *Deſcende*,
„ inquit, *Tu de Sede iſta, quoniam Eccleſia*
„ *te non indiget*. At ille honeſtiſſimis ſuis li-
„ teris ad eum reſcripſit. *Non ita Imperator*,
„ *ego temerè deſcendam, non enim cauſa ali-*
„ *qua in me eſt, cur deponi debeam. At ſi re-*
„ *ctæ fidei gratià, & propter pietatem tyranni-*
„ *dem patior, ſive per te ipſum, ſive per ali-*
„ *quem regium tuum hominem, mihi ſignifices*
„ *& deſcendam*. Tùm Imperator miſit unum
„ ex optimatibus ſuis, qui tyrannico more
„ ipſum depoſuit: ille verò cum magnam de-
„ ſcendiſſet Eccleſiam, & cereas faces accen-
„ diſſet, thuraque & preces adhibuiſſet, cùm
„ populus ipſe illius peregrinationem lamen-
„ taretur, hanc habuit orationem. *Filii*,
„ *Chriſtianos vos inveni, Chriſtianos vos re-*
„ *linquo*. Cùmque ad Acropolim deſcendiſ-
„ ſet, navigium conſcendit, & venit in eum
„ locum, in quem exul ducebatur. Illic au-
„ tem in jejuniis ac precibus, ſilentio, tole-
„ rantia, & multa patientia uſque ad eum
„ diem permanſit, quo ad Dominum ſuum
„ migravit. *Hæc ille*.

1367 In hæreticorum Synodo, ſive Con-
ciliabolo depoſitum, & damnatum Nicepho-
rum Patriarcham innuit Libellus ſynodicus,
ubi dicitur: „ Mortuo verò in Bello Bulga-
„ riorum Nicephoro, filius ejus Stauratius in
„ Imperio ſucceſſit. Quem quidem Michael
„ Rangabe, ſororis ejus Procopiæ maritus,
„ ſibi aſcivit: & Leo coronatus à Nicephoro
„ Patriarcha. Eo imperante erat Confeſſor
„ Theodorus Studites, cui Siramelio nomen
„ erat; Imperium arripuit, & Judaicæ ac
„ Manichaicæ ſuperſtitioni receptum præbuit:
„ Imperio enim injuſtè arrepto, profanam &
„ impiam, Chriſtianorumque accuſatricem
„ in magna Chriſti Eccleſia Conſtantinopoli
„ congregavit Synodum; Depoſitoque San-
„ cto Nicephoro, & exilii causâ in Monaſte-
„ rium ſuum relegato, Theodotum in ipſius
„ locum ſubrogavit, qui Caſſiteras & Flavia-
„ nus cognominabatur: Sacriſque Imagini-
„ bus everſis, adoratores earum anathemati
„ ſubjecit, & proſcriptionibus, exiliis, fa-
„ me, carceribus, variiſque mortis generi-
„ bus eos abſumpſit, pedibus trahens & cer-
„ vices calcans impius. *Hæc ibi*.

1368 Verùm hanc Synodum celebratam
eſſe poſt depoſitum Nicephorum, ſub novo
Patriarcha Melliſſeno, ex Michaele Studita in
vita Theodori palàm evincitur: ubi ait Mo-
nachos vocatos fuiſſe ad Patriarchium ubi
Iconomachi convenerant, ad effectum eos in
publico Conventu trahendi in ipſorum ſenten-
tiam, qui conſulentes Theodorum, accede-
re renuerunt, Theodorum verò ad hæreticos
congregatos ſequentem dediſſe Epiſtolam no-
mine ſuorum Monachorum per duos ex eis fe-
rendam.

1369 „ Nos legibus Divinis, Eccleſia-
„ ſticiſque Canonibus obſequentes, qui ma-
„ nifeſtè ſic ſanciunt, nihil præter Epiſcopi
„ ſui ſententiam dicere, aut agere oportere,
„ aut de his quæ ad fidei dogma, vel ad aliam
„ quempiam Divinam controverſiam ſpectent,

inve-

„ inveſtigare aut penitùs inquirere: nec ve-
„ nire abſente Patriarcha poſſumus, nec vo-
„ cantibus vobis parere, ne reos nos ipſi fa-
„ ciamus, violatæque legis culpam ſuſtinea-
„ mus. Eſt enim talium vindex Deus mini-
„ mè inultos ſinens eos, qui ejus mandata
„ deſpiciunt. Quare ignoſcite nobis, quòd
„ adventum refugimus, quem noxium nobis
„ fore ſcimus. Quid enim reſpondère vobis,
„ aut omninò loqui poſſumus, proprio capite
„ deſtituti, cui tanquam membra copulati
„ omnes ſumus, & ſine quo reliquum Cor-
„ pus operari non poteſt? Parvus enim pari-
„ ter & magnus, in univerſum omnes ac ſin-
„ guli privatim Patriarchæ noſtro colligati
„ ſumus, ab eoque pendemus, & pendebi-
„ mus perpetuò. *Hactenus Epiſtola.*

1370 Liquet ergo Auctorem Libelli ſynodici confundere ejectionem Patriarchæ cum Actis hujus pſeudoſynodi. Theocteríctus quoque in Nicæta diſertis verbis adnotat hanc pſeudoſynodum celebratam ſub pſeudopatriarcha Theodoto, ejecto jam Nicephoro: in ea tamen adversùs cæteros Orthodoxos decreta eſſe exilia, & carceres, aliaſve pœnas, refert: „ Poſtea, inquit, ubi ſcilicèt pſeudo-
„ epiſcopus Conſtantinopolitanus in locum
„ Nicephori Confeſſoris creatus eſt, Judai-
„ cum quoddam Concilium iidem in magna
„ Eccleſia coegerunt, & ſub anathemate San-
„ ctos Patres ejecerunt. *Hæc ille.* Theodorus verò in Epiſtola data ad Patriarcham Antiochenum, compendiosè Concilii hujus malignantium geſta recenſens, ait: *Synodus facta eſt, veterem illam impiam confirmans*, illam ſcilicèt ſub Copronymo ab Iconomachis habitam, *& orthodoxam*, *Nicænam ſcilicèt anathemate damnans.* Quo inde impio abſoluto Conventu, Sanctiſſimos Monachos, atque univerſos orthodoxos, variis pœnis mulctatos, refert idem Theocteríctus, qui primùm, ait Nicætam Sanctiſſimum Virum in ſordido carcere fuiſſe incluſum, & poſt annum in exilium amandatum, Theodorum quoque Studitam pari exilii pœna mulctatum. Tunc porrò eveniſſe, quæ Michael in Theodoro ſcribit poſt Nicephori exilium, inquiens: „ Vi-
„ deres tum impios ea patrantes, quæ ſola
„ ipſorum excogitaret, & caperet improbi-
„ tas. Sacras enim, proh dolor! & Sanctas
„ Imagines, impuris manibus rapientes
„ (quam fuiſſe dicam tuam, Chriſte mi,
„ tum temporis longanimitatem?) Solo im-
„ pudenter allidebant, & frangebant, alias
„ flammis dabant, alias luto & ſordibus ob-
„ liniebant, nihil denique omittebant, quod
„ ipſorum ſimiles facere conveniret.

1371 Scripſit Theodorus Studita ante ſuum exilium conſolatoriam Epiſtolam ad Nicephorum Patriarcham jam in exilio conſtitutum, cujus initium eſt: *Cum ſæpè numero.* Poſt ſuum porrò exilium, dogmaticam Epiſtolam fecit ad univerſos diſperſos fratres incip. *Gratia vobis & pax*, illos confortans, & ut in fide recta conſtantes permaneant, hortatur, & alteram denique fecit ad Naucratium Monachum ejus Diſcipulum, hortans illum ad patienter pro Chriſto tolerandas paſſiones, quæ incipit. *Nuntius ſupra Nuntium.* Hæc denique omnia acta ſunt anno primo Leonis Armeni Leonis Papæ anno XIX. Domini anno DCCCXIV. Indictione VII. à coronato Carolo Magno anno XIV. & ultimo; eo namque anno ineunte v. kalendas Februarias, obiit Carolus Magnus ſeptuageſimo & ſecundo ætatis ſuæ anno, cui in Imperio Occidentali ſucceſſit Ludovicus ejus filius.

1372 Anno poſtea ſequenti DCCCXV. Imperator omnes exules ad ſe revocare juſſit, ut ſi poſſet eos à propoſito removere, atque in ſuam trahere ſententiam, & ſic revocatos in deterrimos recluſit carceres, exquiſitis paratis, ſibi contradicentibus, tormentis. Sic Theocteríctus in Nicæta: „ Cùmque hyemis
„ tempus, inquit, & Sanctorum Jejuniorum
„ dies tranſiiſſent, poſt Sanctum Paſcha ma-
„ lorum inventori Joanni eos tradidit, ut
„ qua vellet ratione ipſos affligeret. Cùm igi-
„ tur eos apprehendiſſet in diverſos carceres
„ miſit, & talibus tormentis ſubjecit atque
„ compreſſit, qualibus neque Gentiles olim
„ Martyres ipſos afflixerant. *Hæc ille.* Compertâ porrò illorum conſtantiâ, & quòd parati eſſent malle mori, quàm veritatem prodere, ad decipiendos animum adjecerunt, dicentes nihil aliud velle ab eis, niſi ut ſemel ſaltem cum Theodoro Patriarcha communicarent, neque quidpiam aliud facerent, & inde poſſe ad ſua regredi Monaſteria cum ea fide & ſententia quam haberent. Sic decepti Monachi communicarunt cum Patriarcha & ad ſua reverſi Monaſteria. Quo audito Theodorus Studita, qui adhuc in exilio degebat, ſummo affectus dolore, ſcripſit primùm ad Joſephum fratrem Epiſcopum Theſſalonicenſem dolens tantorum virorum caſum. Cujus Epiſtolæ initium eſt: *Semper mihi optabile*, deinde & aliam ejuſdem argumenti Epiſtolam fecit ad Naucratium Monachum, quæ incipit. *Peſſimus Nuntius literarum tuarum, ò fili:*

1373 Cùmque delatum eſſet Imperatori, Theodorum per literas Monachos alloqui, eoſque ad orthodoxam retinendam fidem excitare, ira repletus, ut Michael Monachus ſcribit, juſſit è loco ubi degebat extrahi, ac longiùs amandari, in duriori, atque arctiori carcere detrudi, & verberibus cædi. Id quod factum eſt. Creſcente poſtea in dies perſecutione, complures Sanctiſſimi Viri paſſi ſunt exilia, carceres, verbera aliaque hujus generis tormenta, impio præcipiente Principe. Maria quoque Regina olim Conſtantini uxor in Monaſterium detruſa poſt inceſtas ejuſdem Conſtantini nuptias cum Theodora, ut antefati ſumus, ob veritatem, & rectæ fidei confeſſionem, in exilium eſt amandata, ad quam

Conſolatoriam Epiſtolam ſcripſit è loco ſui exilii prælibatus Theodorus Studita, cujus initium eſt. *Quales nos & quinam abjecti ſumus, quos occurrentibus moleſtiis defendere.* Eodem tempore idem Sanctiſſimus Vir, licèt incluſus, licèt catenis vinctus, licèt arctiſſimè cuſtoditus, diverſas fecit literas, alias hortatorias ad Martyrium, alias catecheticas ad inſtructionem, alias dogmaticas adversùs hæreticorum objectiones, alias conſolatorias ad concaptivos, alias luctuoſas ad lapſos, alias denique canonicas ad reſipiſcentes ex præſcripto Canonum remedia continentes, quæ in tomo ſuorum operum, & Epiſtolarum legi poſſunt.

1374 Dum hæc agerentur in Oriente, Romæ Leo III. Pontifex migravit ad Domiminum, pridie Idus Junii, currente anno Domini DCCCXVI. Imperii Leonis Armeni III. Et Ludovici Occidentis Imperatoris anno pariter III. Indictione IX. ubi ſediſſet annos XX. menſes V. Dies vero XVII. ut Anaſtaſius conſignat: Die porrò XXII. ejuſdem menſis Junii renunciatus eſt Romanus Pontifex, univerſo ſuffragante Clero, Stephanus hujus nominis quintus, dictus tamen quartus, natione Romanus, ex Patre Marino, vir in Sacris Canonibus, & Eccleſiaſticis diſciplinis apprimè verſatus; qui ſtatim profectus eſt in Galliam ad Ludovicum pium Imperatorem pro confirmanda pace & unitate Sanctæ Dei Eccleſiæ; ubi honorificè ab Imperatore ſuſceptus eſt: rebus poſtea compoſitis Romam reverſus paulò poſt exceſſit è vita, VIII. Kalendas Februarias anni Domini DCCCXVI. Imperii Ludovici pii IV. ſimiliter & IV. Imperii Leonis Armeni, currente Indictione X. ubi ſediſſet, non annos ſeptem, ut corruptè legitur apud Anaſtaſium, ſed menſes VII. & dies III. Ut enim ſcribit Aimonius, duobus à ſua ordinatione elapſis menſibus profectus eſt in Galliam, tertio inde menſe poſt ejus reditum nondum exacto, ultimum diem clauſit: Ejus verba ſunt: *Stephanus non duobus poſt conſecrationem ſuam exactis menſibus, quàm maximis itineribus ad Imperatorem venire contendit.* Et infra. *Tertio poſtquam Romam venerat menſe nondum exacto circiter octavum Kalendas Februarii diem obiit.* Et idem colligitur ex Thegano Chorepiſcopo Trevirenſi in Libello de geſtis Ludovici. At biduo poſt Stephani obitum nimirum V. Kalendas Februarii, miro totius populi & Cleri conſenſu invitus & nolens electus eſt Paſchalis, natione pariter Romanus ex Patre Bonoſo, vir caſtus, ſanctus, pius, innocens, magnanimus, loquela devotus, pudicitia plenus, & nimis hilariter, jucundèque in Eleemoſynis pauperum cuncta quæ habebat opportunè diſtribuens, ut in terminis ſcribit Anaſtaſius.

1375 Perlatâ in Orientem notitiâ de Paſchalis electione, Theodorus pſeudopatriarcha Conſtantinopolitanus, ut Eccleſiaſticam Communionem ab eo ſubripere poſſet, Romam Apocriſarios pro Eccleſiaſticis reſponſis ad eundem Pontificem direxit, quos Paſchalis nec recipere voluit, nec in Urbem accedere permiſit, ut ex ſecunda Theodori Epiſtola inferiùs recitanda liquet. Sed & Theodorus ipſe Studita unà cum aliis Monachorum Præfectis in exilio degentibus, miſſo ad Paſchalem Papam Dionyſio Monachio Theodori Diſcipulo, ſequentem fecerunt Epiſtolam.

In omnibus ſumma virtute prædito Lumini magno Principi Sacerdotum primo, Domino noſtro Apoſtolico Papæ Paſchali.
Joannes, Theodoſius, Athanaſius, Joannes, Theodorus minimi Presbyteri, & Præſides eorum, qui Catharo, Pielidii, Paulopetrii, Euceria & Studiani.

1376 „ Jam ferè audita ſunt omninò ſupremæ veſtræ Beatitudini ea, quæ propter peccata noſtra in noſtram Eccleſiam invaſere. Etenim facti ſumus in parabolam & proverbium omnibus gentibus, ut ſecundùm Scripturam loquar: non tamen par eſt renuntiatio, quæ ſit exiliter, & per Epiſtolas. Quare nos minimi, etſi membrum corporis Chriſti ultimum ſumus, tamen capite noſtro comprehenſo, atque iis, qui fraternitate excellunt, huc atque illuc diſſipatis, potuimus quodammodo ex eo quòd prope ſimus, & per mutuam ſignificationem in unum fieri & ſpiritum & verbum, ſcribentes hæc, tametſi confidenter.

1377 „ Audi, Apoſtolicum caput, à Deo præpoſite Paſtor ovium Chriſti, janitor regni Cœlorum, Petra fidei, ſuper quam ædificata eſt Catholica Eccleſia. Petrus tu Petri ſedem exornans, & gubernans. Lupi graves irruperunt in caulam Domini, portæ inferi, ut olim, ruptæ ſunt in ipſam. Quid hoc? Perſecutionem patitur Chriſtus cum Matre & Miniſtris. Siquidem contrà Imaginem incurſus, prototypi eſt perſecutio. Hinc detentio Patriarchalis capitis, & exilia, & relegationes Archiepiſcoporum & Sacerdotum, & Monachorum, Monacharumque compedes & vincula ferrea, tormentaque, & ad extremum mors. O' horribilem auditionem, veneranda Imago Salvatoris noſtri Dei, quam & Dæmones perhorreſcunt, contumeliis affecta, & ludibrio habita eſt, non ſolùm in Regia Urbe, verùm etiam in omni regione, & oppido Altaria deleta ſunt, Templa deſtructa, ſacra profanata, effuſus eſt ſanguis, & effunditur eorum qui retinent Evangelium. Perſecutiones & exilia eorum qui adhuc reliqui ſunt. Conticuit omne pium os metus mortis; aperta eſt adverſaria & blaſphema lingua, commota eſt omnis caro in ambiguitate verſans.

1378 „ Ei mihi, inquit Propheta, quia facti

„ facti ſumus, ut qui colligit calamum in
„ meſſe, & racemum in vindemia, cùm non
„ ſit botrus. In nos, ò Beate, hæc omnia
„ facta ſunt. Quæ quis non ægrè tulerit in
„ ſe ipſo proximi damna conſiderans? Quis
„ autem non ratiocinatus fuerit, eſſe adven-
„ tus Antichriſti præludia, tantùm diffe-
„ rentia, quantùm ab exemplari Imago, in
„ quam etiam inſanitur? Huc igitur ab Oc-
„ cidente, ò Chriſti imitator, reſurge & nè
„ repellas in finem. Tibi dixit Chriſtus Deus
„ noſter: *Et tu aliquandò converſus confirma*
„ *fratres tuos*. Ecce tempus, ecce locus,
„ opitulare nobis, qui & à Deo ad hoc ordi-
„ natus, porrige manum quantùm fieri po-
„ teſt; habes poteſtatem à Deo, eò quòd om-
„ nium princeps es, in quo poſitus es. Ter-
„ reto, ſupplicamus, hæreticas feras calamo
„ Divini verbi tui. Paſtor bone, pone ani-
„ mam pro ovibus, ſupplicamus.

1379 „ Audiat Eccleſia, quæ ſub Cœlo
„ eſt, quòd à vobis anathematizantur per
„ Synodum, qui hæc auſi, & jam Sanctos
„ Patres noſtros anathematizant: Hoc fue-
„ rit acceptum Angelis, & Sanctis gaudium,
„ & concuſſis firmamentum, fundatis ſtabi-
„ limen, lapſis reſurrectio, omni ortho-
„ doxorum Eccleſiæ exultatio, & tuæ certè
„ Celſitudini, ſecundùm eos, qui antiquitùs
„ præceſſerunt, æternum monumentum. Qui
„ ſimilibus temporibus cùm fecerint ea, quæ
„ à nobis peccatoribus nunc petuntur, Spi-
„ ritus Sancti afflati, & commemorantur, &
„ beati habiti ſunt. Prorsùs autem credimus
„ & confidimus, quòd miſericordiâ miſera-
„ tionum flexus, noſtram tenuem ſcripturam
„ accipies, Chriſtum imitatus, qui Deus
„ omnium non recuſavit ab Abgaro Epiſto-
„ lam accipere, & acceptatâ, reſcribere. *Ha-
ctenus Epiſtola*.

1380 Scripſit Theodorus eodem tempo-
re ad Orientis quoque Patriarchas, ut Mi-
chael Studita in ejus vita recenſet, inquiens:
„ Miſit etiam Vir egregius quatuor Patriar-
„ chis Epiſtolas, prudenter admodùm atque
„ opportunè, antiquiori dico Romæ, & Hie-
„ roſolymorum, Antiochiæ, & Alexandriæ,
„ quæ ſingulæ commemorabant, quemadmo-
„ dùm Chriſti imago contumelioſè à perſe-
„ cutoribus tractata eſſet, & Orthodoxi om-
„ nes in carcerem, & in exilium miſſi, tùm
„ deinde unumquemque excitabat ad defen-
„ ſionem, opemque ferendam periclitanti
„ fidei ac veritati, quam falſitas ſic opprime-
„ ret. *Hactenus Michael*. Et quidèm in ea,
quam ſcripſit ad Patriarcham Alexandrinum
de Imaginum ſacrarum irriſione, hæc habet:
„ Cùm ergò pictas in tabulis Imagines è ſa-
„ cris donariis ſublatas, & libros, qui men-
„ tionem earum continent, proſcindit, irri-
„ det, ſubſannat tanquàm abominanda à Deo
„ inviſa pajacula, quæ Deo accepta ſunt, &
„ Mundo ſalutaria. Heù quis lacrymas te-
„ neat? quis gemitus ex imo pectore non
„ edat? *Viæ Sion lugent, eò quòd non ſint qui*
„ *piè ambulent in eis*. Et verè, *omnes decli-*
„ *naverunt, ſimul inutiles facti ſunt*. Agit
poſteà de eorum lapſu, qui metu tormento-
rum imperiali impietati aſſenſum præbue-
runt, & ſubdit: „ Qui Epiſcopi videban-
„ tur & Sacerdotes, Monachi & ſæcula-
„ res, ac omnis ſexus & omnis ætas; alii
„ quidèm circà fidem naufragium paſſi ſunt;
„ alii ſi minùs mente & cogitatione demerſi,
„ & hæreticâ ſaltèm communione mortis me-
„ tu contractâ, eâdem ex parte periculo in-
„ voluti.

1381 Deniquè agens de ſæva illa perſe-
cutione excitatâ adversùs Orthodoxos, ſic
ſubjungit: „ Relicti tamen ſunt qui non cur-
„ vaverunt genua ante Baal, ſiquidèm tot
„ numero, quot numerati ſunt à Deo. Ante
„ omnes, qui primus eſt inter nos ſacrum
„ Caput noſtrum: & ejuſdem tecum dignita-
„ tis Epiſcopi & Sacerdotes Domini, Mo-
„ nachi & Monachæ, quorum ludibriis &
„ verberibus tentati fuerunt, illi vinculis &
„ carceribus pane modico & aquâ vitam tra-
„ hentes, alii exiliis relegati, alii in deſerto
„ & montibus, in ſpeluncis & cavernis terræ
„ verſantes: quidam inſuper flagellis cæſi,
„ Martires ad Dominum migraverunt. Sunt
„ qui ſacco incluſi mare demerſi noctu fue-
„ runt, ut ab iis, qui viderunt, relatum eſt.
„ Quid cætera? Anathemate feriuntur San-
„ cti Patres noſtri; prædicantur qui impii
„ fuerunt; Infantes impietatis dogmata, tra-
„ dito Magiſtro tomo, docentur; non eſt uſ-
„ quàm ſalutis profugium inter mortales;
„ pium verbum proferre non licet; mox in-
„ ſtant inſidiæ, itaut vir à conjuge ſua caveat.
Hæc ille. Similia pariter ſcribit in Epiſtola
data ad Patriarcham Antiochenum, ſed & ad
Patriarcham Hieroſolymitanum, licèt aliqua-
liter diverſam ſcripſerit Epiſtolam, ejuſdem
tamen argumenti fuit.

1382 Cùmque Patriarchæ, maximè An-
tiochenus & Alexandrinus, per eas literas in-
terpellati, ut periclitanti Eccleſiæ manus da-
rent, hoc præſtare detrectaverint, dolet ſan-
ctiſſimus Vir, qui ſcribens ad Sabbam Abba-
tem Monaſterii Lauræ, & ad Sanctum Cha-
ritonem, conqueritur de antefatorum Pa-
triarcharum ſegnitie, & in re tanti momenti
negligentia, inquiens: „ Quid hoc rei eſt,
„ quòd fervente hæreſis perſecutione, con-
„ veniebat ſublimium Sedium Antiſtites,
„ tanquàm ſpiritus adjutores, & Apoſtolici
„ conſilii plenos, fraterno animo commove-
„ ri, manumq; pro veritate certantibus com-
„ patiendo porrigere; *& ſi quid patitur*, in-
„ quit, *unum membrum compatiantur alia*
„ *membra*; quia nimirum Caput eſt totius
„ Eccleſiaſtici corporis Chriſtus verus Do-
„ minus & Deus noſter. Quid ſanè Occi-
„ dentis Apoſtolicus cùm præſtitiſſet quan-
tum

„ tum profuerit, quid opus eſt loqui? Par-
„ tim quidèm reſiſtentium mentes ſummope-
„ rè confirmans (vel exiguum quippè mo-
„ mentum vim ac robur feſſis ac laborantibus
„ addere ſolet) partim impiorum inſolentiam
„ à ſpiritu profectâ reprehenſione profligans.
„ Quò quid eſſe potuit ſalutarius? At verò
„ qui idem facere poſſent, minimè præſtite-
„ runt; Sed contrarium, dicere miſer ne-
„ queo. Beatitudinis veſtræ, Angeli reveren-
„ tiâ, quanta illis debeatur reprehenſio. *Hæc Theodorus*, qui iterùm ad Apoſtolicam Sedem confugiens, alias fecit ad Paſchalem Papam literas, quas per Epiphanium Monachum ferendas & contradendas curavit, quæ ſic ſe habent.

Per omnia religioſiſſimo Patri, ſupremo Lumini univerſali Domino noſtro Apoſtolico Papæ, Joannes, Theodoſius, Athanaſius, Theodorus minimi Presbyteri & Præpoſiti Catharorum, Pieridii, Paulopetrii, & Studiani.

1383 „ *Reſpexit nos oriens ex alto* Chri-
„ ſtus Deus noſter, tuam in Occidente Bea-
„ titudinem, tanquàm facem quandam divi-
„ nitùs lucentem ad Eccleſiæ, quæ ſub Cœ-
„ lo eſt, illuminationem, in Apoſtolica
„ prima Sede. Etenim ſpirituale lumen per-
„ cepimus, qui in tenebris & in umbra mor-
„ tis improbæ hæreſeos tenebamur, & triſti-
„ tiæ nebulam depoſuimus, atque in ſpem
„ optimam emerſimus, cùm didiciſſemus ex
„ fratribus & conſervis noſtris, quos miſi-
„ mus, qualia & quanta egerit & dixerit ſan-
„ cta Celſitudo veſtra. Quandò hæreticos
„ quidèm Apocriſarios, velut fures, nè in ſa-
„ crum quidèm conſpectum admiſit; ſed cùm
„ procùl adhùc eſſent, meritò rejecit: No-
„ ſtris verò calamitatibus ex literarum audi-
„ tione & Miſſorum relatione compatiens,
„ indoluit atque ingemuit Dei exemplo tan-
„ quàm propriis membris. Ac re ipsâ cogno-
„ vimus, manifeſtum Apoſtolorum Principis
„ ſucceſſorem Romanæ Eccleſiæ præſidere,
„ certoque nobis perſuaſimus, Dominum
„ Eccleſiam noſtram minimè deſeruiſſe, cui
„ unum ſolumque à vobis auxilium hacte-
„ nus, atque ab ipſo exordio in occurrenti-
„ bus moleſtiis, Dei providentiâ conceſſum
„ eſt.

1384 „ Vos igitur illimus ac ſyncerus ab
„ initio fons orthodoxæ veritatis; Vos ad-
„ versùs omnem hæreticam procellam tran-
„ quillus ſepoſitus portus Eccleſiæ univerſæ;
„ Vos à Deo electa Civitas refugii ſalutis:
„ Sed quoniàm temerarium eſt à nobis miſe-
„ ris ac indignis encomia congeri divino no-
„ mini veſtro, quod divinæ olim linguæ bea-
„ tum prædicarunt, præſtat, ut ad ærumnas
„ noſtras veniamus.

1385 „ Impii ergò conſueta ſibi omni
„ conatu ac veſania facere non ceſſant, om-
„ nes qui mortis metu franguntur, in hæreſis
„ baratrum trahentes & abripientes. Neceſ-
„ sè ſiquidèm eſt, eum qui credere nolit, ver-
„ berum, aliorumque ſuppliciorum pœnis,
„ ſubjici, itaut diffluant ſenſim aliqui (quod
„ eſt miſerrimum) etiam ex iis, qui certa-
„ men anteà ſuſtinuerunt. Nos verò iterùm
„ humiles & in membris poſtremi, tàm pro
„ ſacro proprio Capite, quàm pro reliquis
„ præſentibus partibus, & fratribus auden-
„ tes legatione fungimur & obſecramus, ut
„ conſoletur nos ſancta & Apoſtolica anima
„ tua. Primùm quidèm (quòd & facere il-
„ lam credimus) nè ſuas pro ſtabilitate &
„ ſalute omnium Deum flectentes preces in-
„ termittat, ita obteſtamur ſacratiſſima vi-
„ ſcera; Deindè ut quæ Spiritus Sancti in-
„ ſtinctu pro humilitatis noſtræ utilitate, ac
„ perpetuâ virtutis tuæ laude deliberavit &
„ ſtatuit, ad exitum, Deo adjuvante, per-
„ ducat. *Hactenus Epiſtola*, quam miſit ad Epiphanium Monachum, ut antefati ſumus, à ſe delectum, Romam ferendam, & Paſchali contradendam, cui & has alias adjunxit literas.

Epiphanio filio.

1386 „ En dilecte mi, ſicut alacri animo
„ inſtituiſti, ſolve in Occidentem, literas
„ iſtas laturus, quas dictavi. Miſi Epiſtolas
„ ad Apoſtolicum & Dominum Methodium,
„ Frater enim Dionyſius Dei nutu & inco-
„ lumis eouſquè pervaſit, ſpem optimam re-
„ portavit. Ad quam iteratas litteras addere
„ operæ pretium duxi. Scripſi autem, non
„ tanquàm à me ſolùm, ſed ſicut antea, ex
„ perſona utrorumque Præpoſitorum, quos
„ indicat Epiſtola, præterquàm Euceriæ. Is
„ enim, ut accepi, ſecundùm peccata mea
„ lapſus eſt. Ex communi ergò ſententia &
„ ſcientia tùm per occultam ſignificationem,
„ tùm per Epiſtolæ ipſius lectionem tunc
„ ſcripſimus, ut Epiſtola miſſa declarabat;
„ Nunc verò etſi propter arctam cuſtodiam
„ id facere non potui, attamen veluti jam
„ conſentientibus utriſque, eorum etiam eſt
„ hæc Epiſtola. Fortaſsè autem poſteà con-
„ tinget, ut & ipſi certiores fiant.

1387 „ Vade igitur, egregie Epiphane,
„ *Epiphanon* ideſt, appare Occidenti nuntius
„ fidelis, prudens, jam olim probatus, redde
„ Epiſtolam, & juxtà ea, quæ divino inſtin-
„ ctu impreſſa ſunt in ſancta Apoſtolica ſug-
„ geſtione, verbiſque Sancti Methodii Epi-
„ ſcopi, ſimùl intercede & ipſe, & ora, ut
„ ad finem hæc perducantur Dei voluntate,
„ qui poteſt & ſalvum te ſervare & ſiſtere ſa-
„ cro ac beato vertici. Nè formides, multa
„ tibi merces & magnum certamen; Domi-
„ nus tecum; ſaluta Sanctos omnes, & ma-

„ ximè eos, qui notiſſimi ſunt, præcipuè
„ Sanctum Patrem meum Carthophylacem,
„ cujus charitas eſt in humili corde meo.
„ *Hactenus Theodorus ad Epiphanium.*

1388 Cùm porrò Epiphanius hiſce cum literis Romam advenisset, fuit à Paſchali honorificè ſuſceptus, commiſeranſque ſtatum periclitantis Eccleſiæ Orientalis, ac orthodoxorum calamitates, legationem decrevit ad Leonem Imperatorem & Eccleſiam Conſtantinopolitanam, datis literis, quibus de Iconoclaſtarum hæreſi reprehenderat ſacrarum Imaginum contemptores, eoſque eſſe extrà Catholicam Eccleſiæ communionem, extrà Chriſti ovile, immò à Chriſto vero Eccleſiæ Capite, prorsùs alienos & diſciſſos, pronunciaverat, prout colligitur ex iis, quæ habet Theodorus Studita in Epiſtola Catechetica adversùs Iconomachos datâ, ut ex lib.2. Epiſtol.66., in qua hæc leguntur: „ Non igitur
„ effugerunt, quin à ſupremo Eccleſiæ Thro-
„ no arguerentur, ſicut factum eſt, & ipſi
„ ſcitis. Et nobis quidèm tuta & ſyncera
„ erant omnia etiam ante Occidentalium
„ adventum, plurimùm verò etiam inde ac-
„ ceſſit, ut cognoſcamus conſentaneè ſæcu-
„ lis ſuperioribus noſtrum hoc Deo curę eſſe,
„ & ob oculos ſtatuiſſe teſtimonium, quod
„ ab eo alieni ſunt qui imaginem negant;
„ utique & à Chriſto, qui caput eſt prædi-
„ ctorum; & lugere illorum cauſâ & mœre-
„ re convenit, noſtri verò lętari ſupra mo-
„ dum. *Hæc ille.* Et clariùs eadem repetit in Epiſtola data ad Naucratium infrà recitanda.

1389 Etenim advenientibus in Regiam Urbem Apoſtolicis Legatis, atque Paſchalis publicatis literis, commota eſt univerſa Civitas, gaudent Orthodoxi, debiles confirmantur, lapſi reſurgunt, & palinodiam recantant, ultròque Tyrannis ſe offerunt, anhelantes martyrium; Sed & hæretici augent perſecutionem, & in Sanctos crudeliſſimè ſæviunt, ut ex diverſis Theodori Epiſtolis, præcipuèque ex datis ad Gregoram Laicum, quarum initium eſt: *Salve Confeſſor Chriſti*; & ex aliis datis ad fratres Studianos incip. *Salvete in Domino, fratres ac Patres*, conjicere licebit. Ejuſdem perſecutionis occaſione, ſcripſit ad ubique diſperſos fratres binas literas, quarum prima incipit: *Gaudete fratres*; altera verò: *Nuper à vobis*: Fecit quoque & alteram ad Naucratium, incipientem: *Non ſatiatur auris mea.* Invaluit indè magis ac magis perſecutio, quoniàm numerus Confeſſorum excreverat, id quod tyrannum Principem in furorem vertebat, & intantum, ut etiam mortis ſententiam ſcripto pronunciaret in ſanctum ipſum Theodorum Studitam, etſi executioni minimè demandata fuerit, ut idem Studita in Epiſtola tradit, quam fecit ad Naucratium, cujus initium eſt: *Seriùs ad te ſcripſimus.*

CAPUT XXVII.

De Leonis Armeni nece, Michaelis Balbi imperio, atque ſub eo continuato ſchiſmate, eàdem Iconomachorum hæreſi perſeverante.

1390 ANno VII. Imperii Leonis Armeni, qui & VII. erat Imperii Ludovici Pii, Paſchalis Papæ IV., Domini verò DCCCXX., currente Indict. XIII., quo totis viribus peſſimus Tyrannus conabatur Orthodoxos perdere univerſos, ipſe perditus fuit; proditione namque priùs machinatâ à Michaele Balbo, ſed detectâ, indè palàm factâ ſeditione, à conjuratis in Palatio interficitur, ejus cadavere ab occiſoribus in circum tracto, ac ludibrio expoſito, atque eodem Michaele in Imperatorem ſalutato, ut ſcribit Cedrenus, & narrat Ignatius Monachus in vita Tharaſii, qui cùm adhùc in carcere vinctus propter antefatam proditionem detineretur, extractus, & ſolutis compedibus, in Thronum conſcendit, indèque in magno Sancti Stephani Templo à Patriarcha coronatus eſt. Ut porrò ſibi conſolidaret Imperium, detruſâ in Monaſterium Dominorum Leonis uxore, quatuor illius filios, Sabbatium ſcilicèt jam Imperatorem deſignatum, Baſilium, Gregorium, & Theodoſium, in Inſulam Protam relegavit, ubi & caſtrari juſſerat.

1391 De Michaelis genere, ejuſque religione & moribus, idem, qui ſuprà, Ignatius hæc ſcribit: „ Fuit hic Michael Amorii na-
„ tus ſuperioris Phrygiæ Urbe, in qua ab an-
„ tiquis temporibus Judæorum, Athingano-
„ rum, aliorumque impiorum multitudo ha-
„ bitabat, & quædam ibi hæreſis ex iſtorum
„ diuturnâ atque continenti inter ſe conflatâ
„ conſuetudine, enata erat prorsùs nova, &
„ inuſitatis conſtans opinionibus; à qua &
„ ipſe erat Imperator traditæ à majoribus ſu-
„ perſtitioni inhærens. Ea hæreſis ſuos ad
„ divinum ac ſalutare Baptiſmum admittit
„ quidèm, in reliquis autem omnibus, dem-
„ ptâ circumciſione, Moſaycam legem tenet.
„ Erat Michael Præceptor, qui eum iis ſacris
„ initiaverat, & quaſi præfectus Hebræus
„ quidam (ſicut is fœmina potiùs Hebraica
„ fuit) quem domi fovebat, ab eoque non
„ ad religionem modò, ſed ad rem domeſti-
„ cam pertinentibus rebus inſtituebatur. Ab
„ eo præoccupatus, nihil integrum ſervave-
„ rat, ſed erat pravæ religionis in eo quaſi
„ colluvio quædam, cùm chriſtiana decreta
„ adulteraret, & Judaicam religionem ſpu-
„ riis opinionibus pollueret; Fuitque omni-
„ nò quod pietatis profeſſionem attinet, talis
„ in eo varietas & confuſio, quaſi fertur Li-
„ bycarum eſſe beſtiarum natura, quæ ex di-
ver-

„ verſis animalibus ob aquæ defectum congreſſis naſcuntur. *Hactenus Ignatius.*

1392 Perlatâ itaque occiſi Leonis Orthodoxorum perſecutoris per univerſum Orientem notitiâ, qui in exilio relegati degebant, qui in ergaſtulis & carceribus vincti adhùc detinebantur Orthodoxi, vel in montibus, in ſylvis & latebris latitabant, aut profugi in varias diſperſi vagabantur partes, animum reaſſumpſerunt, ſperantes ſub novo Principe, cujus mores & religio ignota erat, rem Catholicorum in melius convertendam; proindè ubiquè Deo debitæ à piis reddebantur gratiæ. Sed præcipuè Theodorus Studita, acceptis à Naucratio, qui in carcere Conſtantinopolitano adhùc detinebatur, de extincto Tyranno & Imperio Michaelis, literis, ſequentem ad eum mox reſcripſit Epiſtolam.

Naucratio filio.

1393 „ Sacrarum literarum verba ſunt: *Vox in Rama audita eſt; ploratus & ululatus multus, Rachel plorans filios ſuos, & noluit conſolari.* Ego verò infœlix voce commutatâ, jure illud dixerim: Gaudii fauſta nuntia nobis audita ſunt ex reverentia tua, quorum gratiâ exultet non Civitas hæc, aut illa, ſed quæ ſub Cœlo ſunt ferè univerſæ, quia ſuſtulit Dominus, non *Seon Regem Amorrhæorum*, neque *Og Regem Baſan*, Reges parvos, ſed nuper exortum magnum draconem, & magnam Orbis partem populantem, tortuoſum ſerpentem, & blaſphema ſibilantem, abominationem deſolationis, vas iræ, filium Tabeel, nè dicam Caballini nepotem, Achab, Juliani exemplar, complemẽtum mali, contumelioſum in Chriſtum, Deiparæ hoſtem, adverſarium Sanctorum omnium; quorum enim ſacro-characteres perſecutus eſt, & è medio ſuſtulit, eorum proculdubiò hoſtis penitùs & perſecutor fuit. Lætentur Cœli, & exultet terra, fluant montes dulcedinem, & colles juſtitiam. Cecidit hoſtis, contritus eſt qui nos cædebat; obſtructum eſt os loquens iniqua, repreſsa manus Abeſſalom, periit durus corde Pharao, & nondùm mihi tempus & locus, ut auditu digna eloquar de peſſimo dracone.

1394 „ Hoc verò adjiciam ad ea, quæ dixi, oportuiſſe Apoſtatam eo quo ſcripſiſti modo, vitam abrumpere; oportebat noctu tenebrarum filium occumbere; oportebat eum, qui divina Templa devaſtarat, in Dei Templo nudatos in ſe gladios cernere; oportebat ad divinum Altare confugientem non ſalvari, qui Altare ipſum deſtruxerat; in eam manum, quæ extenſa in ſancta fuerat, ſectionem inferri; in fauces, quæ impia eructarant, gladium diſtringi; in humerum ejus, qui contumelioſè Chriſto inſultabat, oportunum vulnus infligi; pro juſti ſanguinis effuſione injuſtum ſanguinem ſpargi; pro ſectione & dilaniatione membrorum atque tergorum inviſa Deo membra concidi; pro morte ſancta impiam mortem exhiberi; & pro purpura panniculis indui ſemen inglorium.

1395 „ Nec verò de caſu gaudens impii, quin gemens & lugens mortis genus fugillo, ſed quia *malus malè peribit*, ut veritatis eſt ſententia, & omnis, qui contrà Deum juveniliter inſurgit, condigna factis capiet etiam hìc, necdùm enim dico futurum extremum ignem, quo exterminabuntur omnes impii & injuſti. Quid verò poſt hæc? Novo Joſia opus eſt, vel Sylvis, Joviano quopiam, vel alio ex ſimilibus, qui Domini zelo ardens, dejecta erigere ſtudeat, divulſa coaptare, Deo reddere quæ Dei ſunt (ut dicitur) reſtituere imaginem Chriſti & Deiparæ, ac Sancti cujuſque, non quòd conciderit unquàm Chriſti imago, abſit, ſed ut nos, qui per impietatem cecidimus, ſuſcitemur. Talis ut ſit, optamus peccatores, videaturque piiſſimus Imperator à Deo promotus, & ſi quidèm ita ſit, optimum & in perpetuum laudabile. Sin per peccata mea non ita; attamen nos in Chriſti confeſſione, non ſpernentes ſacrum ejus carcerem, nec quicquam pro Deo formidantes, ut Deus ipſe hortatur. Hæc oſtende Confeſſoribus tuis, quos & ex nobis ſaluta. Frater tuus Nicolaus impenſè ſalutat. *Hæc Theodorus.*

1396 Intereà Imperator, non zelo Religionis Catholicæ, ſed magis deceſſoris invidiâ, aut alio humano fine, publicato edicto, exules omnes & quotquot aut carceribus detinebantur, aut profugi pro orthodoxa fide abibant, in priſtinam libertatem revocavit, ſinens eos in cauſa Religionis pro libito agere, ut Michael Studita ſcribit in vita Theodori, inquiens: „ Poſtquàm verò qui adverſarios aufert Deus, ſicut ait Propheta: *recordatus eſt gemitus ſervorum ſuorum*, & à ſuperbo & arrogante Apoſtata pœnas exegit, impio iiſdem in locis, in quibus imaginem Domini deſpexerat, in viſceribus percuſſo, tùm Imperium quidèm, qui eum necaverat, Michael ſtatim corripuit: Patrum verò calamitates finem illicò acceperunt, Imperatoris edicto reditum omnibus indulgente, etſi enim hæreticarum partium is erat; haudquaquàm tamen impudentiâ ſimilis priori, nec moleſtus ulli erat, quòd ei obſequi nollent, quæ vellet agere ſinens unumquemque. *Hactenus Michael.* Quo edicto publicato, reverſus Theodorus ab exilio, & magnâ omnium Monachorum & orthodoxorum gratulatione ubique receptus, exiſtimans Imperatorem reverà orthodoxum, dedit ad eum literas, quibus maximè laudibus & præconiis eum ex-

extulit. Literæ verò ad hunc modum ſe habent.

Michaeli Imperatori.

1397 „ Æquum eſt quàm maximè hoc „ tempore ex ore omnium, qui perſecutio- „ nem paſſi ſunt, parari laudem, primùm „ quidèm Chriſto univerſorum Regi, dein- „ dè veſtro à Deo cuſtodito Imperio, per „ quod adepti ſumus relaxationem vincti, „ dimiſſionem carcerati, conſolationem af- „ flicti, libertatem condemnati, reditum exu- „ les. Et quidèm rectè videor exiſtimare, imi- „ tationem Chriſti imperium veſtrum futu- „ rum, ut ſimile ſimili reddens, dicat & ip- „ ſum iis, *qui vincti ſunt*, *exite*; *& iis*, *qui* „ *in tenebris*, *revelamini*. *Et benedixit Domi-* „ *nus Deus Iſrael*, *quoniam erexit cornu ſalu-* „ *tis noſtræ*, novum David, alterum Joſiam, „ pacifici Imperii Regem, qui faciens, fa- „ ciet quæ placita ſunt Deo, qui lapſa reſti- „ tuet, diſſecta conjunget; percutiet, & ſa- „ nabit, & tertiâ die (ut propheticè loquar) „ reſurget.

1398 „ Quoniam autem Chriſti, æmule „ Imperator, quos in hæreſi mors occupavit, „ ii in perditionis partem abierunt, Chriſtum „ negantes, dùm ejùs Imaginem negarunt, „ quamvis Chriſtiani appellarentur; credere „ enim in Chriſtum, nihil aliud eſt, quàm „ quòd Filius Dei & Patris perfectus homo „ factus, Imagine exprimitur ſecundùm ſimi- „ litudinem noſtrùm; ut non ſit aliud quip- „ piam, quàm ſumus nos, manens idem in- „ circumſcriptus cum Patre & Spiritu, qua- „ tenùs eſt verus Deus. Sic itaque intelli- „ gatur mediator Dei & hominum, tanquàm „ utriuſque utraque habens, & in utrovis „ nullâ parte deſtitutus, ſicut omnis Sancto- „ rum Patrum chorus vociferatur. Et ſicut „ in Imperio veſtro, expreſſæ Imaginis ſuſce- „ ptio confeſſio eſt Imperii veſtri, & contrà, „ ita & in Chriſto Rege univerſæ terræ idem „ ſumere licet, ac multò magis, *quia Regni* „ *ejus non erit finis*.

1399 „ Si ergò negatione imaginis Chri- „ ſti, negare ipſum Chriſtum omni veritate „ demonſtratum eſt, perſpicuum eſt, & in „ adorationis ejus improbatione, Chriſti „ quoque ipſius adorationem abrogari; at- „ que ideò univerſa, quæ ſub Cœlo eſt, Ec- „ cleſia, ab ipſa Apoſtolica prædicatione, ut „ teſtatur & aſpectus per picturam, & audi- „ tus per ſcripta monumenta, ſanctam Ima- „ ginem Chriſti, Deiparæ, Angelorum (quan- „ doquidèm cum corpore pinguntur, & iſti „ divino mandato, licèt ſint incorporei) & „ Sanctorum, qui diverſis temporibus fue- „ runt, in divinis Templis, ſacriſque vaſis „ gerit & adorat; quamvis nuper Eccleſia „ noſtra à quatuor Patriarchis divulſa, ne- „ quicquam prævaricata eſt: Sed *nunc tem-* „ *pus acceptabile*, *nunc dies ſalutis*, ut recon- „ ciliemur nos Chriſto, auſpice & probante „ pacato Imperio tuo. Ut uniamur nos ve- „ ritati Eccleſiarum Dei Romæ, & per eam „ tribus Patriarchis: ut unanimiter uno ore „ *glorificemus Deum & Patrem Domini no-* „ *ſtri Jeſu Chriſti cum Filio & Spiritu Sancto*, „ magnificantes veſtrum piiſſimum & opta- „ bile Imperium. *Hactenus Theodorus ad Mi-* *chaelem Imperatorem*.

1400 Poſt hæc Imperator juſſit, univerſos Epiſcopos congregari in unum, Catholicos ſcilicèt & Iconomachos ſimùl, ut de dogmatibus fidei tractationem haberent, eo prætextu, ut hac via Eccleſiarum pax conſtabiliretur. At catholici & orthodoxi Epiſcopi convenientes inter ſe, habitâ ſuper Principis juſſione diligenti diſcuſſione, uno communi calculo dixerunt, ſibi non licere cum hæreticis convenire, vetantibus Eccleſiaſticis Regulis. Supplicandum eſſe Imperatorem, ut dignaretur ſe velle audire, exhibitâ excuſatione, quòd non liceret eis cum hæreticis convenire, immò nec cum eis loqui, niſi fortè ad correptionem; proindèque nomine omnium Epiſcoporum & Præpoſitorum ſequentem fecerunt ad Michaelem Imperatorem Epiſtolam.

Epiſtola ex perſona omnium Epiſcoporum & Præpoſitorum ad Michaelem Imperatorem.

1401 „ Nos qui veſtri à Deo coronati „ Imperii juſſu in unum convenimus minimi „ Epiſcopi ac Præpoſiti, primam hanc vocem „ ſub divinitùs conſtituto regno veſtro edi- „ mus, actiones gratiarum & laudes; quòd „ revocati ſimus, qui fueramus ejecti; quòd „ miſericordiam experti qui ærumnis preſſi; „ quòd refocillati fuerimus, qui deficieba- „ mus, ab hyeme ad ver, à tempeſtate ad tran- „ quillitatem, à mœrore ad lætitiam, nova „ quædam & incredibilia cernentes. Tale „ enim eſt juſtum Imperium veſtrum, lætum, „ jucundum, optabile, pacatum, juſti amans, „ multis aliis appellationibus dignum. Quod „ ad Chriſti veri Dei exemplum diſſidentia „ coaptat, ægra ſanat, triſtia exhilarat. Exi- „ mium quoddam reverà Imperium, & iis „ quæ beata quondàm prædicata fuerunt, par. „ Quod laudibus exornare hominis lingua „ haud facilè poſſit. Sed quandoquidèm ita „ ſe habent, oramus & obteſtamur indigni, „ ut ſacro ipſo conſpectu veſtro frui nobis li- „ ceat, & ſuaviſſimam vocem audire vene- „ randi ac ſapientiſſimi oris veſtri, ut quæ „ auribus accipimus oculis intuentes, animo „ exultemus, quaſi lugubrem quandam ve- „ ſtem noſtrùm hilaritate permutantes.

1402 „ Et quoniàm alterum nobis lo- „ quendi argumentum de ſyncera & inviolata „ Chriſtianorum fide noſtra eſt, illud cùm re-

„ vere ntia referre audemus: Quòd ſi huma-
„ num quippiam eſſet, de quo ſermo eſt, &
„ vel in Sanctiſſimi noſtri Patriarchæ poteſta-
„ te ſitum, vel in noſtra, non ſolùm parùm
„ aliquid, ſed totum ipſum credere oporteret,
„ ita jubente mandato; cùm autèm de Deo
„ ſermo ſit, & in Deum, cui ſerviunt omnia,
„ non modò hic aut ille, ſed neque ſi Petrus
„ & Paulus, neque ſi Angelorum quiſpiam
„ foret, demutare quippiam vel minimum
„ auderet, tanquàm univerſo eâ ratione Evan-
„ gelio inverſo. Jam verò ſermonem refel-
„ lendi causâ cum Hethærodoxis conferre,
„ Apoſtolico mandato repugnat, minimèque
„ convenit, niſi ad correptionem tantummo-
„ dò. Propterea indigni nos Imperii veſtri
„ famuli, nè hiſcere quidèm contra præce-
„ ptum audemus.

1403 „ Quòd ſi quid eſt hujuſmodi, de
„ quo ambigat, aut diffideat divina magnifi-
„ centia veſtra, à Patriarcha diſſolvi poſſe,
„ jubeat magna ipſius & à Deo confirmata
„ manus ad communem utilitatem à vetere
„ Roma ſuſcipi declarationem, prout olim &
„ ab initio paternâ traditione trâſmiſſus mos
„ fuit: Hæc enim, Chriſti æmule Imperator,
„ ſuprema eſt Eccleſiarum Dei, in qua Petrus
„ Sedem primus tenuit, ad quem Dominus
„ dixit: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram*
„ *ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi*
„ *non prævalebunt adversùs eam*. Hæc noſtra
„ eſt indignorum famulorum poſtulatio, hæc
„ cum Deo humiliatorum exhortatio. Va-
„ lida ergò Dei manus ſervet te mundo deſi-
„ derabilem, piumque Imperatorem Chri-
„ ſtianorum ad multos annos ſuperſtitem, &
„ ad filios filiorum Imperium tranſmittentem
„ cum proſperis ſucceſſibus, hoſtiumque &
„ inimicorum victoriis. Fiat fiat. *Hæc Epi-*
ſcopi ad Michaelem Imperatorem.

1404 Cùmque Imperator ejuſmodi lite-
ras accepiſſet, annuit poſtulatis, noluitque
eos cogere, ut cum Epiſcopis Iconomachis
convenirent; unde ſpe conceptâ de melioran-
do Eccleſiæ Orientalis ſtatu, inito cum Pa-
triarcha Nicephoro conſilio, novas preces
Imperatori obtulerunt, poſtulantes nimirum,
ut Catholici Epiſcopi ſub Leone Armeno è
ſedibus ſuis causâ fidei injuſtè ejecti, reſti-
tuerentur; verùm, ut ait Michael Studita in
vita Theodori, non annuit Imperator, ſtul-
tè, atque abſurdiſſimè reſpondens: „ Tametſi
„ egregia & honeſta ſunt quæ dixiſtis, at
„ mihi nequaquàm amplectenda, qui hacte-
„ nus Imaginem nullam colui vel adoravi.
„ Quocircà & me æquum eſt eum manere,
„ qui fui, & vos pariter priſtinum ſtatum re-
„ tinere, opinioneſque veſtras ſequi. Per me
„ enim licebit, nec cuipiam obſiſtam, niſi
„ quòd Imagines in Regia Urbe à vobis erigi
„ prorsùs nolo, ſed extrà eam procùl, & ubi-
„ cumque volueritis. *Hæc Imperatoris re-*
ſponſio. Poſtulante inde & Sancto Patriarchâ
Nicephoro, ut ſcribit Cedrenus, per Epiſto-
lam eidem miſſam Imperatori, ſacrarum Ima-
ginum reſtaurationem, ſimilia reſpondit, in-
quiens: „ Se nullum Decretum de fide con-
„ vellere ſtatuiſſe, neque quicquam eorum,
„ quæ tradita jam, & conceſſa haberentur,
„ damnaturum vel mutaturum. Quis ſecurè
„ id ſequeretur atque ageret, quod ſibi pro-
„ baretur atque liceret.

1405 Intereà Thomas quidam Tyrannus,
collectis copiis, adversùs Imperatorem ſe ere-
xit, quo tempore, nè qui extra Urbem dege-
bant, in Tyranni manus inciderent, ingreſſi
ſunt Conſtantinopolim, quo tempore Pa-
triarcha quoque ingreſſus eſt, & Theodorus
Studita, qui captâ occaſione ab hac ſeditio-
ne, ratione cujus Imperator intentus rebus
bellicis, orthodoxos in pace ſinebat, nihil
prætermiſit & loquendo, & ſcribendo quod
conducere poſſet ad augmentum & profectum
Catholicæ fidei: quarè ſcripſit Epiſtolam Ca-
techeticam ad ſuos Monachos adhùc, hùc, &
illùc diſperſos, præcipuè Laurentio, Simeo-
ni, Dionyſio, Pameno, & Litorio, quos no-
minatim deſignavit in Epiſtolæ inſcriptione,
cujus initium eſt: *Gaudere ſemper licet*; ſcripſit
alteram literam Euſtraſio olim præpoſito, ſed
lapſo, qua ad pœnitentiam ipſum revocare co-
nabatur; cujus Epiſtolæ initium eſt: *Gavi-*
ſus ſum. Et cùm eodem tempore idem Theo-
dorus literas gratulatorias accepiſſet à Tho-
ma Patriarcha Hieroſolymitano, propter
exilii ſolutionem, & Eccleſiæ pacem, reſcri-
pſit eidem Epiſtolam incipientem: *Quantà*
humiles.

1406 Porrò elapſo anno, auxilio Michae-
lis Regis Bulgarorum coactus eſt Thomas
tyrannus obſidionem Regiæ Urbis ſolvere,
alióque migrare; quo tempore Michael Impe-
rator, nondùm planè civili bello abſoluto,
veritus nè acceſſione orthodoxorum partes
Thomæ vim reaſſumerent, atque in immen-
ſum excreſcerent, aſtuto conſilio conciliare
in Eccleſia pacem magnò ſtudio videri voluit
laborare; cujus rei gratiâ inter ſe mutuò de
his agere orthodoxos & hæreticos unà con-
venientes, ſuadere conatus eſt. At iterùm
renuerunt Catholici, aſſerentes, ſibi non lice-
re cum hæreticis convenire, ſacris prohiben-
tibus regulis. Hinc & Apologeticam fece-
runt ad Imperatorem Epiſtolam ſatis proli-
xam, cujus initium eſt: *Proſpectum eſt iis*
qui præditi ſunt ratione. Nè tamèn videren-
tur omninò pacem contemnere, modum ine-
undæ pacis Theodorus Studita propoſuit in
Epiſtola data ad Leonem Sacellarium, cujus
initium eſt: *Ingenti gratiarum*. In ea nam-
que hæc habet: „ Fieri nullâ ratione poteſt,
„ Domine, ut ſæculari judicio divinum judi-
„ cium comparetur, aut ut coaleſcat hæc
„ Eccleſia, non conſentientibus quinque Pa-
„ triarchis. Quòd ſi roget quiſpiam, quo pa-
„ cto fieri id poſſit, ſi excedant, inquam,

„ Eccleſiis Dei Hætherodoxi, & propriam Se-
„ dem recipiat Nicephorus ſacer Patriarcha.
„ Qui coacto eorum conventu cum quibus
„ certamen ſuſtinuit, ſi fieri non poſſit, ut
„ ab aliis Patriarchis, adſint Vicarii (quod
„ certè fieri poteſt, ſi velit Imperator, Oc-
„ cidentalem intereſſe, cui & poteſtas ſum-
„ ma defertur Synodi Oecumenicæ) attamen
„ pacem conficiet, & conjunctionem, Sy-
„ nodicas ſuas ad primæ ſedis Præſulem mit-
„ tendo. Quòd ſi hoc maximè probet Impe-
„ rator, deflexitque (ut ipſe ait) à veritate
„ Nicephorus Antiſtes, mittenda eſt ad Ro-
„ manum ab utraque parte legatio, & indè
„ fidei accipienda certitudo. Etenim ſic res
„ ſe habet, ut ſi aberret unus è Patriarchis,
„ à cæteris ejuſdem ordinis (quemadmodùm
„ Divinus Dionyſius tradit) correctionem
„ admittat, non ab Imperatoribus judicetur,
„ exurgant, licèt omnes quotquot unquàm
„ fuerunt Imperatores orthodoxi. *Hæc Studita*.

1407 Inter hæc verò contigit, ut Theodora, ſivè Theodoſia Auguſta, quondàm uxor Leonis Armeni, in Monaſterium Dominorùm recluſa, & Euſtathius, ſivè Baſilius ejus filius in Inſulam Protam relegatus, ut antefati ſumus, abjuratâ Iconoclaſtarum hæreſi, Catholicam fidem & cultum receperint ſacrarum Imaginum, prout teſtatur Theodorus Studita in Epiſtola ad eos data, cujus eſt initium: *Cùm ex variis fide dignis*, ubi inter plura, hæc etiam habet: „ Poſtquàm autem divina vos
„ gratia (ſicuti dixi) amplexa eſt per egre-
„ giam confeſſionem, quam Patribus profeſſi
„ eſtis, nos quoque humiles, iſtâ nimirum
„ confeſſionis fiduciâ freti, ſimùl etiam do-
„ minam cum cæteris inclytis ramis ſuſcipi-
„ mus, & orthodoxæ fidei Patribus, ſeù po-
„ tiùs Dei Eccleſiæ accenſemus, venienteſ-
„ que ad humilitatem noſtram vos venera-
„ mur, & vobiſcum communicamus, gratias
„ agentes Deo, qui magna & inveſtigabilia
„ facit. *Hæc ille*. Ex miraculo receptæ deperditæ in caſtratione loquelæ & vocis, intercedente S. Gregorio Nazianzeno, ante cujus Imaginem preces fuderat, permotum Baſilium, fidem de cultu ſanctarum Imaginum recepiſſe, auctor eſt Cedrenus ex Curopalata, ita ſcribens: „ Uxorem Leonis in Monaſte-
„ rio, quod Dominorum dicitur, incluſit,
„ filios mares in Prota Inſula; Qui cùm ibi
„ caſtrarentur, Theodorus in fata conceſſit;
„ Euſtathius verò, qui aliò nomine Baſilius
„ dicitur, vocis uſu ab exſectione virilium
„ privatus, ejus reſtitutionem cùm Deum
„ flagitavit, tùm Gregorium Theologiæ no-
„ mine illuſtrem, cùm ibi fortè quædam ſta-
„ tua erat: Exaudivit eum Sanctus ille, viſ-
„ ſaque eſt ei imago ſacra, manu jubens char-
„ tam, quam porrigebat, legere. Ac Baſilius
„ fidem dicto habens, ingreſſus Eccleſiam,
„ clarâ & puriſſima voce recitavit hæc: *Rur-*
„ *ſùs Jeſus meus (quod eſt exordium oratio-*
„ *nis Gregorii in ſancta lumina.)* Voce ita-
„ que receptâ, traditam à patre ſibi, impie-
„ tatem abominatus, gratum ſe ergà ſacras
„ Imagines præbuit. *Hactenus Cedrenus*.

1408 Circà eadem tempora obiit Romæ Paſchalis Papa, currente nimìrum Anno Domini DCCCXXIV., Imperii Michaelis IV., Ludovici Pii XI., Indictione II., pridie Idus Majas, ubi ſediſſet Annos VII., menſes III., dies verò XVI., ſivè XVII., ut notat Anaſtaſius: In ejus verò locum ſuffectus eſt Eugenius, hujus nominis Secundus, creatus XIV. Kalendas Junias, poſt dies quatuor vacantis Sedis, qui, ut Anaſtaſius ſcribit, fuit natione Romanus, ex patre Boemundo, vir præclarus, atque magnæ ſimplicitatis & humilitatis, doctus ſcientiâ, ſermone præcipuus, formâ pulchrior, largus petentibus, Mundum reſpuens, ſolavè, quæ Chriſto erant plàcita, diù noctùque cogitans. In ſchiſmate electum fuiſſe indicat Auctor de rebus geſtis Ludovici Pii, licèt major & ſanior pars pro Eugenio ſtetiſſet: Ait namque præfatus Auctor:
„ Legati Romani Pontificis Paſchalis Ro-
„ mam regreſſi, eundem validâ infirmitate
„ detentum, & morti jam proximum inve-
„ nerunt, qui etiam paucis poſt adventum
„ eorum diebus vitâ deceſſit; in cujus locum,
„ cùm duo per contentionem populi fuiſſent
„ electi, Eugenius tamen Archipreſbyter
„ Tituli Sanctæ Sabinæ, vincente Nobilium
„ parte, ſubrogatus & ordinatus eſt. *Hæc ille*. Sublatum porrò ſchiſma per Lotharium filium Ludovici Pii Romam miſſum à patre, ad hujuſmodi Romanorum componendas diſſenſiones, ex ipſius Ludovici geſtis evinci poteſt, qui denique præcavens, nè in futurum in Pontificis electione ſimiles ſuborirentur diſſenſiones, editâ Conſtitutione, ſub exilii pœnâ juſſit, nè quiſpiam, præter eos, quorum ex recepta Eccleſiæ conſuetudine jus erat eligendi Romanum Pontificem, auderet ſe in ejuſmodi electione intromittere: „ Vo-
„ lumus, *inquit in ea Conſtitutione*, ut ad ele-
„ ctionem Pontificis nemo audeat venire, ne-
„ que liber, neque ſervus, qui aliquod impe-
„ dimentum inferat, exceptis illis tantùm
„ Romanis, quibus antiqua fuit conſuetudo
„ conceſſa per Conſtitutionem Sanctorum
„ Patrum eligendi Pontificem. Quòd ſi quis
„ contra noſtram juſſionem facere auſus fue-
„ rit, exilio afficiatur.

1409 Hoc itaq; Pontifice Romanam Eccleſiam moderante, eodemque primo ſui Pontificatus Anno Michael Imperator extincto atque occiſo Thoma tyranno, & à civili liberatus bello, decrevit Legationem mittere ad Ludovicum Pium Occidentis Imperatorem, eâque occaſione & ad ipſum Eugenium Papam, ut ita catholicus appareret, qui aliundè peſſimus erat hæreticus, & Iconomachus; & ut magis pietatem oſtentare poſſet,

donaria quoque miſit ad Sanctum Petrum, librum ſcilicèt Evangeliorum, Calicem & patenam ex auro, univerſa lapidibus pretioſis ornata. Scripſit poſteà prolixas ad Ludovicum Pium literas, quarum initium: *Notum eſſe non ambigimus*, quæ in conventu Pariſienſi relectæ fuerunt, extantque; quas verò ſcripſit ad Eugenium, minimè extant: In eis namque, quas fecit ad Ludovicum Pium, inter plura de ſacris Imaginibus ſequentia multis referta mendaciis inſeruit.

1410 ,, Sed & hoc, *inquit*, veſtræ Chri-
,, ſto amabili dilectioni manifeſtamus, quia
,, multi de Eccleſiaſticis, ſeu & laicis Viris,
,, alieni de Apoſtolicis traditionibus facti, &
,, neque paternos terminos cuſtodientes, fa-
,, cti ſunt inventores malarum rerum. Pri-
,, mùm quidèm honorificas & vivificas Cru-
,, ces de ſacris Templis expellebant, & ad
,, eadem loca Imagines ſtatuebant, pone-
,, bantque lucernas coràm eis, ſimùl & in-
,, cenſum adolebant, atque eas in tali hono-
,, re habebant, ſicut honorificum & vivificum
,, lignum, in quo Chriſtus verus Deus noſter
,, crucifigi dignatus eſt propter noſtram ſa-
,, lutem. Pſallebant & adorabant, atque ab
,, iiſdem Imaginibus auxilium petebant; ple-
,, rique autem linteaminibus eaſdem Imagi-
,, nes circumdabant, & filiorum ſuorum de
,, Baptiſmatis fonte ſuſceptrices faciebant:
,, Alii verò religioſum Habitum Monaſti-
,, cum ſumere volentes, religioſiores perſo-
,, nas poſtponebant, qui priùs comam capi-
,, tis eorum ſuſcipere ſolebant, adhibitis
,, Imaginibus, quaſi in ſinum earum decide-
,, re capillos illorum ſinebant: Quidam verò
,, Sacerdotum & Clericorum colores de Ima-
,, ginibus radentes immiſcuerunt oblationi-
,, bus & vino, & ex hac oblatione poſt Miſ-
,, ſarum celebrationem dabant communicare
,, volentibus: Alii autem corpus Domini in
,, manus Imaginum ponebant, undè commu-
,, nicare volentes accipere fecerunt: Non-
,, nulli verò ſpretâ Eccleſiâ, in communibus
,, domibus tabulis Imaginum pro Altaribus
,, utebantur, & ſuper eas ſacrum myſterium
,, celebrabant, & alia multa his ſimilia illi-
,, cita & noſtræ Religioni contraria in Ec-
,, cleſiis fiebant, quæ à Doctoribus, & ſa-
,, pientioribus Viris ſatis indigna eſſe vide-
,, bantur.

1411 ,, Propterea ſtatuerunt orthodoxi
,, Imperatores & doctiſſimi Sacerdotes loca-
,, le adunare Concilium, ad inquiſitionem
,, ſuper his habendam, qui in idipſum conve-
,, nerunt, Sancto Spiritu inſpirante. Talia
,, ubique communi conſilio fieri prohibue-
,, runt, & Imagines de humilioribus locis ef-
,, ferri fecerunt, & eas, quæ in ſublimioribus
,, locis poſitæ erant, ut ipſa pictura pro ſcri-
,, ptura haberetur, in ſuis locis conſiſtere per-
,, miſerunt, nè ab indoctioribus & infirmiori-
,, bus adorarentur, neq. eis lucernas accende-
,, rent, neque incenſum adolerent, prohibue-
,, runt. Quemadmodùm & nos nunc ſenti-
,, mus, & tenemus, abiicientes de Eccleſia
,, Chriſti eos, qui hujuſmodi malignis inven-
,, tionibus ſtudent.

1412 Propterea quidam illorum, qui no-
,, luerunt ſuſcipere Concilia localia, & à ve-
,, ritate redargui, fugerunt hinc, & venerunt
,, ad antiquam Romam à Deo conſervatam,
,, injuriam ac calumnias Eccleſiæ inferentes,
,, & veræ Religioni detrahentes, quorum peſ-
,, ſima verba & blaſphemiis plena, poſtponen-
,, tes noſtra potiùs orthodoxa, gloriæ tuæ
,, manifeſta facimus, quia nos Symbolum
,, ſanctarum univerſalium ſex Synodorum,
,, quod ab omnibus orthodoxis Chriſtianis
,, tenetur, non tantùm prædicamus, ſed etiam
,, inviolabiliter corde tenemus.

1413 ,, Trinitatem in tribus Perſonis di-
,, viſam colimus, unitatem unius divinitatis
,, naturam confitentes, ex Virgine tempora-
,, lem Verbi nativitatem prædicamus, divi-
,, nitatis & humanitatis duas voluntates, &
,, operationes glorificamus: Poſtulantes in-
,, terceſſiones & interpellationes inviolatæ
,, dominatricis noſtræ Dei Genitricis ſemper
,, Virginis Mariæ, & omnium Sanctorum;
,, Glorioſas autem & ſanctas reliquias eorum
,, cum fide veneramur, & quidquid aliud à
,, Beatiſſimis Apoſtolis traditum, & à Sanctis
,, Patribus in eiſdem ſex Synodis conſtitu-
,, tum eſt, & confitemur & tenemus.

1414 ,, Undè honorem Eccleſiæ Chriſti
,, quærentes, facimus literas ad Sanctiſſimum
,, Papam antiquæ Romæ, & eas miſimus per
,, prædictos Miſſos noſtros ad eum, dantes eis
,, Evangelium aureum ex lapidibus pretioſis
,, ornatum, ſimiliter & patenam auream, &
,, ipſam ex lapidibus pretioſis ornatam, &
,, calicem ſimili modo ornatum, ambobus in-
,, ſcripta Imperii noſtri nomina, ut, Deo ju-
,, bente, illùc pervenientes, offerant ea ad
,, Templum Sanctiſſimi ac Beatiſſimi Apoſto-
,, lorum Principis Petri, qui intercedat pro
,, nobis & vobis.

1415 ,, De cætero ordinet veſtra ſpirita-
,, lis dilectio, ut cum omni honore & illæſio-
,, ne ad eum veniant, auxilium eis ferentes
,, in his, quæ Deo placeant, & ad honorem
,, ejus pertineant in ſatisfactionem charita-
,, tis, quæ inter nos eſt, jubentes ei, ut ſi
,, amodò manifeſti fuerint quidam ſeducto-
,, res, & pſeudochriſtiani, Eccleſiæ calum-
,, niatores, illùc eos expellere, ut quod ſcri-
,, ptum eſt, de his adimpleatur: dicit enim
,, ſcriptura: *Eiicite malum de medio veſtri*,
,, ut non tantùm in Republica ad invicem
,, concordemus, ſed etiam & de magna re,
,, quæ ad ſalutem animæ pertinet, ideſt, Ec-
,, cleſiaſticâ, & Deo amabili conſentiamus.
Hæc ille.

1416 Hiſce literis per Michaelis Legatos receptis, Ludovicus Pius propter ea, quæ ad cul-

cultum ſanctarum Imaginum pertinebant, legationem miſit ad Eugenium Papam, licentiam petens colligendi viros doctos, ad effectum inquirendi, ac eâ de re pertractandi in privato conventu, non tamen ſynodaliter. Functi ſunt ejuſmodi Legatione Freulphus Epiſcopus, & Adegarius. Annuit poſtulatis Pontifex, & ut privatum Conventum per viros doctiores haberet, conceſſit, nequaquam tamen ut ea res in Synodo tractaretur, permiſit: Res enim in Generali Synodo jam definita, non erat iterum in Provinciali Concilio in judicium revocanda. Qua facultate acceptâ, delecti ſunt viri, qui teſtimonia Sanctorum Patrum ad cultum Sacrarum Imaginum pertinentia colligerent: & collecta ſunt quædam, ex quibus viſum eſt eis, Sacras Imagines neque eſſe frangendas, aut contumeliâ afficiendas, tamen neque eſſe adorandas, & ita definiviſſe fortè aut ex Michaelis literis, aut ex non rectè intellectis Sanctorum Patrum teſtimoniis in collecta Pariſienſi Synodo, produnt nonnulli. Cæterùm prælibata Patrum teſtimonia miſſa fuiſſe à Ludovico ad Eugenium Papam per Jeremiam Epiſcopum Senonenſem, & Jonam Aurelianenſem, ad effectum, ut attentè ab eodem Pontifice examinatis, ſententiam ſuam diceret, teſtantur literæ ejuſdem Ludovici Pii ad eum datæ; in quibus & eorum omnium, quæ ſupra recenſuimus mentio habetur. Literę porrò ſunt ejuſmodi.

Sanctiſſimo ac Reverendiſſimo Domino, & in Chriſto patri Eugenio Summo Pontifici & univerſali Papæ Hiludovicus, & Hlotarius divina ordinante providentia Imperatores Auguſti, ſpiritales filii veſtri, ſempiternam in Domino Noſtro Jeſu Chriſto ſalutem.

1417 „ Quia veraciter nos debitores eſſe „ cognovimus, ut his quibus regimen Ec„ cleſiarum, & ovium Dominicarum cura „ commiſſa eſt, in omnibus cauſis ad Divi„ num cultum pertinentibus, opem atque au„ xilium pro qualitate virium noſtrarum, & „ intellectus noſtri capacitate feramus; Id„ circò prætermittere nequivimus, quin „ tunc, quando Legati Græcorum nobis ma„ nifeſtaverunt, qualem ad vos deberent per„ ferre Legationem, ſummâ curâ ac ſollici„ tudine tractaremus, quale vobis adjuto„ rium in hoc negotio cum Dei auxilio exhi„ bere potuiſſemus. Et ob hoc à veſtra San„ ctitate petivimus, ut Sacerdotibus noſtris „ liceret de libris Sanctorum Patrum ſenten„ tias quærere atque colligere, quæ ad ean„ dem rem, pro qua iidem Legati vos con„ ſulturi erant, veraciter definiendam con„ venire potuiſſent.

1418 „ Quas cùm illi juxta conceſſam „ etiam à vobis licentiam ſolerter inquirerent, „ & Divinâ opitulante gratiâ, quidquid in„ venire tàm brevi temporis ſpatio potuerunt, „ collegiſſent, nobis ea perlegenda direxe„ runt. Quibus perlectis, ea veſtræ Sancti„ tati legenda atque examinanda per hos Le„ gatos noſtros, Jeremiam ſcilicèt & Jonam „ venerabiles Epiſcopos, mittere curavimus. „ Cum quibus, ſi veſtra Paternitas dignum „ duxerit, de eadem Legatione, quæ in Gręciam à vobis mittenda eſt, non inutilem, „ ſed potiùs proficuam collationem habere „ poteſtis; quia & in ſacris ſunt literis ad„ modum eruditi, & rationibus diſputato„ riis non minimùm exercitati.

1419 „ Quos non ob hoc ad veſtræ almi„ tatis præſentiam, cùm memoratis ſenten„ tiarum collectionibus miſimus, ut hìc ali„ quo veluti magiſterii officio fungerentur, „ aut huc docendi gratiâ directi putarentur: „ quia ſicut jam commemorati ſumus nos de„ bitores exiſtere, ut huic Sacratiſſimæ Sedi „ in quibuſcumque negotiis auxilium ferre „ debeamus, ideo & hos Miſſos, & quas de„ ferunt literas, ſi quid vobis adjutorii con„ ferre potuiſſent, mittere dignum duximus. „ Hos veſtræ Sanctitati commendamus, ut „ benignam apud vos receptionem, & fa„ miliariter vobiſcum loquendi locum in„ veniant.

1420 „ Novit quippe Sanctitas veſtra, „ qualiter populus Græcorum in hac Imagi„ num veneratione diviſus ſit. Ideò rogamus, „ ut almitas veſtra curam & diligentiam ad„ hibere dignetur: quomodo per veſtram ſa„ luberrimam doctrinam, atque admonitio„ nem, magis ad concordiam & unitatem re„ vocetur, quàm propter hoc ad majorem „ diſcordiam & diſſenſionem impellatur. Et „ ideò cautiſſimè conſiderare debetis, ut le„ gatio veſtra, quam illuc dirigere diſponi„ tis, tanta prudentia, tantoque moderami„ ne ſuffulta ſit, ut à nemine Græco neque „ Romano juſtè valeat reprehendi: ſed talis „ ſit, qualem ſemper decet in omnibus cau„ ſis ab iſta Sacratiſſima Sede proficiſci. Et ſi „ veſtræ Sanctitati placet, ut pro hac ipſa „ legatione Miſſi noſtri ſimul cum veſtris illas „ in partes dirigantur, & hoc nos tempore „ congruo ſcire permittite. Et non ſolùm „ hoc, ſed etiam ſi ituri ſunt, ubi & quan„ do cum veſtris Miſſis jungere ſe debeant.

1421 „ Non ideò tamen de noſtris Miſſis „ illuc dirigendis interrogamus, quaſi neceſ„ ſarium nobis videatur, aut nos veſtros miſ„ ſos hanc legationem per ſe perficere dubite„ mus: ſed potiùs propter hoc eos vobis of„ ferimus, ut ſciatis nos in omnibus eſſe pa„ ratos, quæ hujus Sacratiſſimæ Sedis neceſ„ ſitas, aut voluntas poſtulaverit. Optamus „ ſanctam & venerabilem ac piam paternita„ tem veſtram ſemper in Chriſto benè valere, „ & noſtri ac noſtrorum omnium in ſacroſan-

ctis

„ ctis orationibus meminiſſe, Sanctiſſime ac
„ Beatiſſime Pater. *Hactenus Ludovici literæ.*
Qui ſimul & alias fecit literas ad ſuos deſignatos Legatos, data in eis inſtructione, qualiter in eo legationis munere ſe gerere cum Romano Pontifice oportuiſſet, quæ literæ ſic ſe habent.

Jeremiæ & Jonæ Venerabilibus Epiſcopis in Domino ſalutem.

1432 „ Venerunt ad præſentiam noſtram
„ Halitgarius, & Amalarius Epiſcopi VIII.
„ Idus Decembris, deferentes collectiones
„ de libris Sanctorum Patrum, quas in Con-
„ ventu apud Pariſios habito ſimul poſiti col-
„ legiſtis, quas etiam coram nobis perlegi
„ fecimus. Et quia placuerunt, & ad id pro-
„ pter quod collectæ ſunt neceſſariæ atque
„ utiles à nobis judicantur, ſub omni celeri-
„ tate cenſuimus dirigendas. Idcircò admo-
„ nendo præcipimus ſolertiæ veſtræ, ut priuſ-
„ quam de his aliquid Domno Apoſtolico in-
„ dicetis, diligenti cura eadem vos recenſe-
„ re curetis, & ea quæ meliùs & aptiùs præ-
„ ſenti negotio convenire inveneritis excer-
„ pere atque deſcribere, illique ad legendum
„ offerre ſtudeatis.

1423 „ Quia enim, ut noſtis, nos ab eo
„ petere voluimus licentiam, quatenus has
„ collectiones à Sacerdotibus noſtris fieri per-
„ mitteret; ideò non poterit prætermitti,
„ quin oſtendatur, quod ex ipſius permiſſio-
„ ne collectum eſt. Illud tamen ſummopere
„ prævidete, ut ea de his oſtendatis, quæ ra-
„ tioni de Imaginibus habendæ per omnia
„ conveniant, & quod ipſe, vel ſui rejicere
„ minimè valeant.

1424 „ Sed & vos ipſi tàm patienter ac
„ modeſtè cum eo de hac cauſa piſputationem
„ habeatis, ut ſummopere caveatis, ne ni-
„ mis, ei reſiſtendo eum in aliquam irrevo-
„ cabilem pertinaciam incidere compellatis:
„ ſed paulatim verbis ejus quaſi obſequendo
„ magis, quàm apertè reſiſtendo ad menſu-
„ ram, quæ in habendis Imaginibus retinen-
„ da eſt deducere eum valeatis. Et ideò po-
„ tiùs efficere contendatis, ut negotium, de
„ quo agitur, ad meliorem quàm ad pejorem
„ ſtatum cum Dei adjutorio perducatur.

1425 „ Poſtquam verò hanc rationem de
„ earundem Imaginum cauſa conſummave-
„ ritis, ſi tamen hoc ad nihilum Romana per-
„ tinacia permiſerit, ut ratio inter vos habi-
„ ta aliquo bono & convenienti fine clauda-
„ tur, & ille vobis indicaverit, quòd Lega-
„ tos ſuos ob eandem cauſam in Græciam mit-
„ tere velit, volumus, ut eum interrogetis,
„ ſi ei placeat, ut noſtri Legati pariter cum
„ ſuis in Græciam pergant. Et ſi hoc ei me-
„ liùs viſum fuerit, ſeque hoc omninò velle
„ reſponderit, tunc volumus, ut ſub omni
„ feſtinatione literis veſtris à vobis ad nos di-
„ rectis, nos inde certos faciatis, ſimulque
„ & de veſtro adventu ad nos, ut eo tempore,
„ quo vos ad noſtram veneritis præſentiam,
„ Halitgarium & Amalarium nobiſcum inve-
„ niatis. Vos autem cum Domno Apoſtolico
„ conſiderate, ubi ille vel quando velit, ut
„ ſui ac noſtri Legati ad naves conſcenden-
„ das ſe jungere debeant, & hoc nobis per
„ voſmetipſos, cùm Deo volente, veneri-
„ tis, annuntiare poteſtis. *Hactenus Ludo-*
„ *vicus ad ſuos Legatos.*

1426 Sed deceptus Ludovicus, primùm à Michaelis literis, inde à peſſimis conſiliariis, talia molitus eſt. Putabat piiſſimus Princeps, Michaelem Imperatorem Orientis fuiſſe verè Catholicum, & ſolo Divini honoris ac Religionis Zelo talia ſcripſiſſe, credidit porrò vera omnia fuiſſe quæ de ſuperadditis ſuperſtitionibus in cultu Sanctarum Imaginum in eis literis impius Michael retulerat. Conſiliarii ejus poſtea, aut non benè affecti præfato Imaginum Sacrarum cultui, aut ipſi quoque ex jiſdem Michaelis literis perſuaſi, in eam partem conati ſunt trahere Ludovicum, conſilium dantes, ut ageret, quæ egit tum cum Romano Pontifice, tùm cum Michaele. Nam literæ ipſæ nomine Synodi Pariſienſis miſſæ ad Ludovicum Pium & Lotharium ejus filium præfata omnia declarant, quæ cum ſatis prolixæ ſint, recenſere omitto: habentur enim in Actis Synodi Pariſienſis, & tranſcriptæ apud Baronium ad annum Domini DCCCXXIV. ſub numero 5. incipientes: *Nos ſervi & fideliſſimi Oratores veſtri.* In quibus idem Baronius plura adnotat mendacia, & impudenter dicta.

1427 Cæterùm ex ejuſmodi recitatis Ludovici Pii literis Eugenius nihil à majorum ſuorum ſententia, & à definitis in ſecunda Nicæna Synodo mutatus, nec Legatis, nec Ludovico aſſenſum præbuit: quoniam nulla extat memoria: unde nec Legationem ad Græcos miſit, quemadmodùm Ludovicus optaverat; An verò Ludovicus Legationem ſuam direxerit ad Michaelem incertum, & in obſcuro manet, tomum tamen, ſivè libellum geſtorum in Synodo Pariſienſi in Orientem directum fuiſſe, ſatis probabile eſt, cum ex literis Theodori Studitæ colligi poſſit: Nam ſcribens ad Nicætam, fatetur ſe recepiſſe à Metropolitano librum continentem ea, quæ circa cultum Sanctarum Imaginum nomine Synodi Pariſienſis ſcripta fuerant ad Ludovicum Pium in præcitata litera: ait namque Theodorus: „ Quem Sanctitas veſtra per re-
„ ligioſiſſimum Metropolitam ad nos librum
„ miſit, legimus. Et profectò qui hunc ſcri-
„ pſit, in venerandarum Imaginum dogmate
„ non rectè ſentit: Hæc enim ait: Ineffabi-
„ lem, & incomprehenſam Dei erga nos hu-
„ manitatem, & Sacros Sanctorum agones
„ in literis quidem ſacris laudari ſancimus,
„ nullo figmento, quantùm in nobis eſt, vel
pictu-

„ pictura quaſi latentes: permittimus autem „ ſimplicioribus, cum imperfectiores illi ſint, „ ex congenita illorum perſuaſione, etiam „ aſpectu ejus commenſurato, talia introdu- „ ctionis ergò cognoſcere: Quid ergo ad hęc „ dicemus? *Hæc ille*. Qui poſtea proſequitur hujuſmodi refellens opinionem. Ex quibus etiam palàm fit Orthodoxos Orientales, nihil immutaſſe de recepta cultus Sacrarum Imaginum fide, hiſce non obſtantibus divulgatis libellis, & ſcriptis.

1428 Non tamen omiſit Eugenius Legationem dirigere ad Ludovicum Pium: Conſtat enim ex rebus geſtis Ludovici Pii, circa Kalendas Junias anni DCCCXXV. conventum habuiſſe in loco dicto Ingelheim, præſentibus Apoſtolicæ Sedis Legatis Leone centumcellenſi Epiſcopo, & Theophylacto Nomenclatore: ſic enim ſcribit Auctor: *Inter Legationes, præcipua, cæteriſque eminens erat Legatio Romani Pontificis qua ſungebatur Leo Centumcellenſis Epiſcopus, & Theophylactus Nomenclator*. Item in eadem Ludovici Pii vita hæc alia leguntur. *Imperator verò Kalendis Junii menſis ad Ingelheim venit, ibidemque illi conventus populi ſui ſecundùm quod præceperat occurrit. In eodem placito ſecundùm morem ſuum multa quæ Eccleſiæ eſſent utilia admonuit, ſtatuit, ac definivit, Legationeſque tam à Sancta Sede Romana, quàm à Monte Oliveti per Dominicum Abbatem perlatas ſuſcepit, audivit, abſolvit*. Miſſam fuiſſe ejuſmodi Legationem, ut ab aſſertis circa cultum Sacrarum Imaginum erroribus Eccleſia Gallicana, imò & ipſe Imperator revocaretur, probabile eſt, licèt nihil in Actis proditum habeatur: Et quidem acquieviſſe Romani Pontifiis ſententiæ, ſatis evinci poteſt ex ipſius Jonæ Aurelianenſis ſcriptis adversùs Claudium Taurinenſem Iconomachum: Qui enim Jonas functus fuerat Legatione ad Eugenium in prælibata cauſa, ut memorati ſumus, calamum acuit pro Sanctarum imaginum defenſione adversùs antefatum Claudium, treſque libros edidit: unde perſpicuum fit non diù in mala concepta illa opinione, Gallicanos à Michaelis literis deceptos ſtetiſſe.

1429 Sed quoniam Iconomachi recentiores plurimùm magnifaciunt hujus Synodi Pariſienſis geſta adversùs cultum Sacrarum Imaginum, ideò pauliſper ab hiſtoria deflectendo, pauca adnotare curavi. Et primò Synodum hanc Pariſienſem nullam Synodi auctoritatem præſeferre, nec illi qui ad eam convenerant ſibi hoc arrogant: quoniam in Epiſtola Ludovici confecta in eo conventu dirigenda ad Eugenium, ut produnt Acta ipſa, hæc habentur: „ Nos tamen, non Synodum congregando, ſed quemadmodùm à vobis poſtulavimus, licentiamque agendi percepimus, unà cum familiaribus filiis noſtris, „ quantùm pro multiplicibus ſollicitudinibus „ Regni diverſis occupati per intervalla potuimus conſiderare, ſtuduimus quid almitati veſtræ de tanta neceſſitate ſignificare „ potuiſſemus, qualiter idem populus à Deo „ per veſtram conſervandam orthodoxam „ Sanctitatem ad veram concordiam revocari „ potuiſſet. *Hæc ibi*. Et ferè ſimilia habentur in ſuprarecitata Imperatorum ad eundem Eugenium Epiſtola.

1430 Secundò ſi quæ geſta fuerant in eo Conventu præcipuè in cauſa Sacrarum Imaginum, per eoſdem Gallicanos Præſules ſubjecta fuere judicio Romani Pontificis cui collecta teſtimonia Patrum quibus nitebantur, examinanda atque interpretanda eidem Eugenio per duos Epiſcopos direxerunt, ut expreſsè legitur in prærecenſita Imperatorum ad Pontificem miſſa: & cum ipſe non approbaverit, ideò paulò poſt in ſententiam ejuſdem deſcenderunt, propriâ & non rectè conceptâ dimiſſâ opinione.

1431 Tertiò, mentem præcipuam Præſulum Gallicanorum in eo conventu non aliam fuiſſe, niſi ſuperfluum & ſuperſtitioſum Sanctarum Imaginum cultum auferre, non qualemcumque, & pium illum & religioſum eis debitum, multipliciter oſtendi poteſt: erant namque præoccupati ex Michaelis literis, quòd variæ ſuperſtitiones inoleviſſent in cultu Sanctarum imaginum, ut ſupra ex recitatis præfatis literis oſtenſum eſt, proindeque ad eas tollendas animum adjecerunt, quandam mediam viam excogitantes, ut & debitus honor ſervaretur illis, & omnis ſuperſtitionis ſuſpicio auferretur. Unde ſcribentes ad Ludovicum Pium, & recenſentes ea quæ ſibi viſa erant: inquiunt: „ Quòd Imagines Sanctorum ſtulta præſumptione non ſunt confringendæ, & ad injuriam Sanctorum abolendæ, & penitùs deſpiciendæ: nec aſſertione „ ſuperſtitioſa colendæ aut adorandæ: ſed „ potiùs hujuſcemodi ſuperſtitione remota, „ juxta veram Religionem, memoriæ & amoris cauſâ, ob recordationem eorum, quorum Imagines, habendæ, ſicut à Beatiſſimo Gregorio ſatis Catholicè perſpicuèque „ dictum declaratur. *Hæc ibi*. Et ſimilia habentur ſubnexa: necnon & in Epiſtola nomine Romani Pontificis conſcribenda ad Michaelem Imperatorem, eadem eſt legi: unde videtur perſpicuum eos aciem ſtruxiſſe adversùs cultum ſuperſtitioſum, licèt non ſit ambigendum quædam habuiſſe pro ſuperſtitioſis, quæ talia non erant, imò piè ab Orthodoxis hactenus fuere recepta: cujus rei causâ improbari meruerunt ab Apoſtolica Sede, & Romano Pontifice. Denique per ea quæ ſpectant ad hanc Synodum Pariſienſem legendus eſt Bellarminus in Appendice de cultu Imaginum, ubi ex profeſſo refutat quendam libellum inſcriptum. *Synodus Pariſienſis de Imaginibus*. Francfurti editum anno 1596.

1432 Sed ad res geſtas Michaelis redeundo, currente anno Domini DCCCXXVI. quo

quo magnus ille Theodorus Studita ad ſuperos migravit, ipſe Imperator, defunƐta uxore, Virginem in Monaſterio ab infantia educatam, ac Chriſto antiquo Eccleſiæ ritu deſponſatam, nomine Euphroſinam, Conſtantini quondam Imperatoris filiam, ſibi matrimonio copulavit, Theophilo ipſo illius filio deteſtante ſcelus: Cujus exemplo, proximo anno Euphemius Dux Siciliæ aliam raptam Virginem ſibi copulavit: qui quæſitus ad pœnam aufugit, & inito cum Sarracenis fœdere, factus Imperatori rebellis, in Inſulam Siciliæ eos introduxit, licèt non longè poſt truncatus capite meritas pœnas luerit, ut ſcribit & adnotat Cedrenus.

1433 Anno porrò Domini DCCCXXVII. Imperii Michaelis VII. Ludovici Pii XIV. labente Indictione V. die XI. menſis Auguſti Eugenius Papa Romæ ultimum clauſit diem: ubi ſediſſet annos III. Menſes II. dies verò XXIII. licèt in textu Anaſtaſii mendosè legatur ſediſſe annos quatuor, quoniam Scriptores qui res Francorum ſcribunt, & ejuſdem ævi, hoc prælibato anno Auguſti menſe deceſſiſſe teſtantur. In ejus locum ſuffectus eſt Valentinus natione Romanus ex Patre Petro de Regione Via lata, vir magnæ Sanctitatis, magnæque Beatitudinis, ut ait Anaſtaſius, quem ſediſſe tradit dies dumtaxat quadraginta: Aimoinus verò lib. 4. Cap. 115. vix menſem attigiſſe fatetur: quo defuncto, communi omnium ſuffragio, miroque Cleri & Populi Romani conſenſu, die XXIV. Septembris ejuſdem anni, renunciatus eſt Romanus Pontifex Gregorius hujus nominis IV. Hinc Aimoinus loco mox cit. hæc ſcribit: *Eugenius Papa menſe Auguſto deceſſit, in ejus locum Valentinus Diaconus à Romanis electus & ordinatus, vix in Pontificatu menſem unum complevit, quo defuncto, Gregorius Presbyter tituli Sanctæ Mariæ electus eſt*. De hoc porrò Gregorio ſic ſcribit Anaſtaſius: „ Gregorius IV. natione Romanus, ex Patre Joanne, ſedit annos ſexdecim. Vir ſtrenus, ac benigniſſimus, ſanctitate atque pietate repletus, ornatus ſcientia, verbo jucundus, modeſtus præ omnibus ſermone, firmiſſimus fide Catholica, juſtus operibus, & literarum Divinarum ſolertiſſimus inquiſitor, Eccleſiarum quoque Sanctarum infatigabilis viſitator, pater pauperum, & alitor omnium viduarum. Terrenum nil appetens, mundana hujus vitæ præſentis lucra deſerens, æterna præmia in Cœlis dignis ſibi meritis acquiſivit. Hic à Deo Beatiſſimus Pontifex, genere clarus, ſed magis clarior ſanctitate, forma pulcher, fide pulchior. Quæ ſcilicèt univerſa laudum præconia non ſolùm Pontificatus ſui tempore claruerunt, ſed etiam cùm adhuc juvenilibus annis polleret, talia peragere indeficiens ſatagebat. *Hæc & alia in laudem hujus Pontificis, ſcribit Anaſtaſius*.

1434 Sub hoc Pontifice, & primo ſui Pontificatus anno, Nicephorus ille egregius Confeſſor agens jam in exilio annum decimumquartum, meritis cumulatus ad Dominum migravit, de quo Theophanes in oratione de ejus exilio commiſerans ſtatum Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, hæc ait: „ Iſta quidem mali damnatio graviſſimas calamitates invexit, & cuncta permiſcuit atque turbavit, non exiguo aut brevi temporis intervallo Imperatoris robore munita, ſed triginta prope annorum ſpatio, quorum cùm quatuordecim in exilio, Divinus Pater Nicephorus tranſegiſſet, ab hac mortali vita migravit ad immortalem, & ſepultus eſt juxta templum Sancti Martyris Theodori, in Monaſterio, quod ipſe à fundamentis conſtruxerat.. In hoc enim cum eſſet mutatus exilio, piam & ſanctam vitam traduxit, & virtutum ſtudio mentem ſuam excoluit, atque expurgavit, ſeque purum Dei, rerumque Divinarum exemplum exhibuit, cùm ſimilis eſſet Angelorum, & ſimul tum Monaſticæ, tùm Pontificiæ vitæ dignitatem virtutibus ſuis exornavit. *Hæc ille*.

CAPUT XXVIII.

De Theophyli Imperio ejuſque geſtis adverſùs Imaginum cultores, ſedato per ejus mortem ſchiſmate, atque pace Eccleſiarum conciliata ſub Michaele III. & Gregorio IV.

1435 POſt tot Michaelis ſcelera debitas atque æternas luiturus pœnam dyſenteriæ morbo confectus ex hac vitâ receſſit in ipſis Kalendis Octobris, anno Domini DCCCXXIX. Gregorii IV. Pontificatus anno ſecundo, Ludovici Pii Imperii anno XVI. incunte VIII. Indictione à menſe Septembris inchoata, ubi imperaſſet annos VIII. menſes IX. & dies VII. Cui in Imperio ſucceſſit Theophylus ejus filius, jam provectæ ætatis dudum Imperator creatus: „ Poſt Michaelis mortem, ait *Curopalata*, filius ejus Theophylus, qui ad virilem jam pervenerat ætatem, patrium excepit Imperium, Octobri menſe Indictione VIII., verbis, juſtitiæ vehemens amotor vocari ſtudens, legumque Civilium perfectus obſervator; ſed reverâ ſeipſum ab externis qui eum nollent cuſtodiens, ne fortè qui facinus in ſe aliquod auderet.. *Hæc ille*. Qui proſequitur enarrans illius primordia, traditque quomodo quotquot cum Patre ſuo Michaele conſpiràverant in necem Leonis Armeni, de medio ſuſtulerit, afficiendo illos parricidorum pœnis. Addit porrò de illius

no-

verca Euphroſina quam iterum in Monaſte-
rium recluſit, inquiens: ,, Theophilus au-
,, tem novercam quoque ſuam à regia Domo
,, ejectam in Monaſterium coegit redire, ubi
,, primùm capillos depoſuerat, cùm nihil ei
,, jusjurandum profuiſſet, ad quod Tenatum
,, Michael adegerat. *Hæc Curopalata*.

1436 Cùmque paternam ſecum traxiſſet
perfidiam eodem primo anno ſui Imperii, no-
vam ac diram in Orthodoxos & Imaginum
cultores excitavit perſecutionem, datis edictis
& miſſis per univerſum Imperium Miniſtris &
Satellitibus ad inquirendos Orthodoxos ac
quæſtionibus ſubiiciendos: unde in Actis San-
cti Joannicii Anachoritæ, hæc de ejuſmodi
perſecutione memoriæ prodita ſunt: ,, Sce-
,, ptra quidem Romanorum tenebat Theo-
,, phylus. Ille autem congerendo auro totus
,, inhiabat, & ab eo ſuperabatur, & alioqui
,, non ferens eſſe Chriſtianus, & ſe impiè ge-
,, rens in Divinas Imagines, & quomodo po-
,, teſtate, ita etiam Iconomachorum dogma-
,, te alios ſuperans, talem laqueum abſcon-
,, dit omnibus Chriſtianis. Scribis & exa-
,, ctoribus omnem ſimul vicum occupat, vo-
,, lens facere duo, quæ ſunt peſſima, nempe
,, & avaro ſuo gratificare animo tributorum
,, exactionibus, & ſibi fieri manifeſtum unum-
,, quemque qui doctrinam ſequebatur Ortho-
,, doxam, ut eos vi caperet, & efficeret, ut
,, vel invitè adjungerentur hæreſi Iconoma-
,, chorum. *Hæc prælibata Acta*. Ubi & glo-
rioſum ejuſdem Joannicii pro cultu Sacrarum
Imaginum, certamen accuratè recenſetur.

1437 De eadem porrò perſecutione, Acta
Sanctorum Confeſſorum Theodori & Theo-
phani fratrum, qui in ea certamen inhierunt,
hæc produnt: ,, Poſtquam deceſſit impius Im-
,, perator Michael, magis impio filio ſuo
,, Theophilo reliquit Imperium. Qui malum
,, dogma ſic eſt amplexatus, & iis qui pieta-
,, tem magis accuratè tenebant extitit tàm
,, gravis, & omnes qui fuerunt antea malæ
,, opinionis, frigidos ac molles redderet im-
,, pietate. Hinc rursùs in pios perſecutiones,
,, & ſacrarum rursùs Imaginum everſiones, &
,, rursùs tormenta, & judicia, & carceres,
,, & omne genus injuſtitiæ commotum impie-
,, tate. *Hæc ibi*.

1438 Porrò Curopalata diffuſiùs geſta
Theophyli adversùs Orthodoxos, Sacrarum-
que Imaginum cultores, & contra eaſdem Sa-
cras Imagines recenſens: ait: ,, In eos, qui
,, Sanctas & Immaculatas colunt Imagines
,, admodum ſævus fuit & auſterus, quippe
,, qui Superiores omnes crudelitate vincere
,, contendebat: Superiores enim fuerunt Leo,
,, & Michael Balbus iſtius pater, quorum al-
,, ter edicto ſanxit, ut in nulla pictarum Ima-
,, ginum, ubicumque pictæ eſſent, hæc vox,
,, *Sanctus*, imprimeretur, quaſi non alii hæc
,, vox, quàm Deo conveniret, haud rectè
,, conjurans. Cùm enim Deus hanc vocem,
,, *Deus*, hominibus impertitus ſit, quæ mul-
,, tò excellentior eſt hac voce adjectiva, *San-*
,, *ctus*, (nam longè humilior eſt, Sanctus)
,, non utique ipſa nobis interdixiſſet. Verùm
,, hoc ille, ut dixi, lege ſanxit. At Leo,
,, qui ante ipſum regnavit, nequaquam ipſa
,, coli conſenſit. Verùm Theophilus ne colo-
,, ribus quidem formari voluit, abjectum
,, enim & humile talibus affici dicens: Sed
,, ſolam veritatem contemplari. Igitur de-
,, trahebantur eo tempore ab omni Templo
,, Sacræ Imagines, pro quibus feræ & aves
,, inſculpebantur, qui illius immanem, ſer-
,, vilemque dementiam coarguerent. Hinc
,, Sacroſanctæ opes repoſitæ, in forum pro-
,, jectæ contumelioſè illudebantur, hinc Car-
,, ceres facinoroſorum iis complebantur, qui
,, in honore Sacras Imagines haberent, Mo-
,, nachis, Epiſcopis, Paſtoribus, & his qui
,, eas depinxiſſent: pleni jam montes erant,
,, & ſpeluncæ iis, qui ut fures & ſcelerum pa-
,, tratores fame & ſiti interfecti fuerunt.

1439 ,, Nàm cùm Monachis juſſiſſet ad
,, Urbes aditus intercludi, eoſque omninò
,, expelli edictoſanxiſſet, effecit ut Monaſte-
,, ria & ſolitaria loca multis atque perſpicuis
,, hominibus complerentur. Quippe cum Sa-
,, cri Viri virtutem prodere & ſacrum nollent
,, indumentum, imò mallent fame & calami-
,, tatibus oppreſſi vitam finire. Aliqui negli-
,, gentes habitum, idcircò perirent: plures
,, autem ex iis, qui per deſidiam vitam age-
,, rent remiſſam, ac diſſolutam vitam ample-
,, xati eſſent à ſacris hymnis & cantionibus,
,, & ab ipſo habitu penitùs abſtinentes. Ete-
,, nim ne hos quidem Conventus peragi Ty-
,, rannus conceſſit, qui perſæpè vel ſoli poſ-
,, ſunt ſervare, & veluti frænum quoddam
,, eſſe iis, qui cupiditatibus dediti temerè la-
,, buntur. *Hæc Curopalata*. Qui enarratio-
nem proſequutus, recenſet, quomodo peſſi-
mus hic Tyrannus, nedum Orthodoxos Viros,
Sanctiſſimos Monachos, poſt varia tormenta
& verbera in exilium amandaverat, verùm
etiam quòd & pictores omnes perdere curavit,
niſi Imagines expungerent, inter quos & La-
zarum Monachum celeberrimum tunc in arte
pingendi, comprehenſum, atque in carcerem
detruſum, deinde quæſtionibus ſubjectum,
variis tormentorum tentatum generibus, per-
dere in totum conabatur, & perdidiſſet ſanè
niſi Regina pro eo interpellante, è carcere li-
ber evaſiſſet. Alia plura crudeliora geſta ha-
bentur in Actis antefatis Theodori, & Theo-
phani fratrum.

1440 Inter eos, qui maximè eâ clarebant
ætate, unus fuit Methodius multiplicibus il-
luſtris coronis: Hunc ad certamen vocavit
Imperator, pepercit tamèn ei, veritus ejus
inſignis Sanctitatis nomen, & quod ejus ope-
râ, ob egregiam quæ ſciebatur in viro eſſe
prudentiam, in negotiis opus erat. Sed pe-
percit ad tempus; nàm poſt expeditionē, quam

Rrr ha-

habuit adverſùs Sarracenos, in qua univerſus ejus Exercitus profligatus fuit, & vix ipſe liber evaſit, iratus & furibundus, quaſi non adjutus, Methodii precibus, ut victoriam de inimicis reportaret, juſſit eum comprehendi; comprehenſum verò, unà cum duobus latronibus, in quoddam Sepulchrum recludi mandavit, datâ cuidam piſcatori curâ, ut ei tantum cibi ſubminiſtraret, quantum ad vitam in miſeriis illis trahendam ſuppeteret: ubi & manſit uſque ad Imperium Michaelis III. pane reverà tribulationis ſuſtentatus.

1441 Intereà verò peſſimus ille Theodorus Melliſſenus Pſeudopatriarcha Conſtantinopolitanus, & impius Iconoclaſta vivere deſiit, currente Anno Domini DCCCXXXV., Imperii Theophyli Anno VI., Ludovici Pii XXII. Gregorii verò Pontificatus Anno VIII. Indictione XIII., cui à ſceleſtiſſimo Principe par illi impius datus eſt ſucceſſor, Joannes quidam ejuſdem Imperatoris Pedagogus, ſextus hujus nominis inter eos, qui Cathedram Conſtantinopolitanam tenuere; unde Curopalata ait: *Cùm Theodorus Melliſſenus diutiùs Conſtantinopolitanum Thronum obtinuiſſet, ac vità functus nuper eſſet, Joannes Theophyli Pedagogus illius excipit thronum, accepto Sacerdotio, velut impietatis ac perfidiæ præmio.*

1442 Cùmque in Oriente ſub hoc Patriarcha, & Theophilo magis ac magis in dies ſæviret adverſùs orthodoxos perſecutio, contigit in Occidente piiſſimi Imperatoris Ludovici obitus, currente Anno Domini DCCCXL., ſui Imperii XXVII., Theophili XI., Gregorii Papę, XIII. Indictione III., cui ſucceſſit Lotharius ejus filius. Sed nec diù poſt ſupervixit tyrãnus Theophylus in Oriente, Deo miſerante ſervorum ſuorum; cujus obitus divinitùs fuerat priùs Beato revelatus Joannicio, ad quem Euſthatius Præfectus Monaſterii Agaurorum accedens, cum lacrymis, poſtulavit & gemitibus, inquiens: *Quouſque res Eccleſiarum non redduntur Eccleſiis? Quouſque augebuntur res perſecutorum, & immanes nos lacerabunt beſtiæ?* Cui venerabilis Joannicius, divino aflatu edoctus, reſpondit, prout ejus acta produnt: „ Parùm ſuſtine, frater, & intelliges Dei potentiam. Erit enim quidam Methodius, qui tenebit ejus clavum, & eam Divino Spiritu gubernabit, qui tollit quidèm diviſionem & diſſenſionem divinitatis, decretis autem fidem conſtituet orthodoxam, & ad ſummam pacem & concordiam rediget ſeditionem, & in eos qui reſtiterant, dextera Domini ſubjunget. *Hæc ille.*

1443 Theophylus porrò quaſi mortis ſuæ præſagus, mulierem quandam Agarenam divinatricem conſulit, petens quinam poſt eum eſſet imperaturus, & quouſque Imperium in ſucceſſore ſit permanſurum. Cui mulier, ut tradit Curopalata, reſpondit: *Tuus, Imperator, filius ſuccedet cum matre ſua, ſed poſt hos Martiniciorum genus Imperium diutiùs adminiſtrabit.* Quo audito Imperator, Martinicium, licèt ſibi dilectum, detondendum & Monachum inſtituendum curavit, ejuſque domum Monachorum fecit hoſpitium: Cùmque fatidica illa mulier alia multa ei prænunciaſſet, inter quę, quod futurum erat, ut Joannes Patriarcha ſede ſuâ excederet, & venerabiles Imagines debitum honorem, cultumque conſequerentur; dolens: *Theophylus*, ait Curopalatà, *ſæpè numero Reginam hortabatur, & Dromi Logothetam Thectiſtum, & jurejurando maximè formidabili obſtringebat, nè poſt ſuum obitum Joannem Patriarcham dignitate abdicarent, nevè Idolorum (ſic enim ſacroſanctas Imagines appellabat) cultum permitterent.*

1444 Poſt hæc verò paulatìm deficiens Theophylus, in læthalem incidit morbum, & commendatis univerſo Senatui, quem, ubi decumbebat, ad ſe venire fecerat, uxore & filio, exactâque promiſſione de fide eis ſervandâ, fato ceſſit Anno Domini DCCCXLII., Imperii Lotharii Anno ſecundo, Pontificatus Gregorii IV. Anno XV., Indictione V., quem antè obitum pœnituiſſe, ex antiquis monumentis refert Gennadius in expoſitione pro Concilio Florentino, ſeſſione quinta. Poſt cujus obitum Theodora Auguſta cum filio ejus Michaele hujus nominis III. Imperio potita eſt, ſed ſub tutela Emanuelis Magiſtri atque domeſtici Scholarum, & Theoctiſti Patritii ac Logothetæ Dromi, quos Tutores Michaelis quaſi teſtamento Theophylus conſtituerat.

1445 Ab initio itaque ſui Imperii cœpit Auguſta Theodora agere de reſtituendis ſacris Imagnibus, Iconomachorum hæreſi abolendâ, adhibito ad hoc piorum virorum conſilio, aſſentiente Theoctiſto, licèt aliqualiter nutante Emanuele, metuente Senatum & Joannem Patriarcham Iconomachum. Sic Curopalata inquiens: „ Igitur Theodora Imperio cum filio potita, ſtatim & ab initio, piorum virorum monitis, quę ad Iconomachorum ſectam extirpandam pertinebant, explorabat, quæ quidèm à Leonis ex Armeniis Imperio uſque ad eundem Theophyli obitum omnem Romanorum ditionem pervaſerat. Aſſentiebatur ejus demolitioni Theoctiſtus quoque, ſed Emanuel ad quoddam tempus ambiguus fuit. Verùm nemo apertè ac liberè loqui de ipſa eruenda audebat, cum maxima cœtus pars, & Senatus, atque adeò ipſe Patriarcha hac hæreſi imbuti eſſent. Solus autèm Emanuel, divinâ vi impulſus, id auſus eſt; Nàm priùs (ut dictum eſt) animi dubius erat in ſacroſanctarum Imaginum cultu, quem poſtea tali de cauſa amplexus eſt.

1446 Proſequitur indè, enarrans undè ſententiam mutaverit Emanuel, & qua de cauſa aſſenſum de ſacris reſtituendis Imaginibus præbuerit, aitque hoc eveniſſe, quoniàm divinitùs à lethali morbo, in quem inciderat, fue-

rat

rat liberatus, factâ priùs Sanctiſſimis quibuſ-
dam Monachis eum ad id hortantibus, de ſa-
cris reſtituendis Imaginibus, ſi convaluiſſet,
promiſſione. Convaleſcente poſteà, quod pro-
miſerat, executioni demandare curavit: Ac-
ceſſit ad Theodoram Reginam, & in ſenten-
tiam traxit, indeque convocatâ piorum viro-
rum Synodo, dogma propoſitum eſt, ut ſacræ
reſtituerentur Imagines, & mutatâ malâ opi-
nione multorum tùm ex Senatorio ordine,
tùm ex Eccleſiaſtico, decretum eſt, fore re-
ſtituendas, renuentibus exilio mulctatis, &
per vim depoſito Joanne Patriarchâ peſſimo
contradictore, ſuffecto in illius locum San-
cto Methodio; „ In cujus dejecti locum,
„ *ait Curopalata*, Regina Patriarchâ Eccleſiæ
„ ſacrum ac divinum virum Methodium
„ ſufficit, qui adhùc martyrii puncta ob con-
„ feſſionem in carne ſuâ geſtabat, omnibus
„ piis Sacerdotibus & Laicis, & Monachis,
„ & illis item, qui ſeſe in montibus exerce-
„ bant, multo gaudio illius declarationem
„ approbantibus. Qui confeſtim ad Reginam
„ profecti, unanimes æterno anathemate hæ-
„ reſim illam condemnarunt. *Hacille*.

1447 Hujus Synodi mentio fit in Libel-
lo Synodico, ubi hæc leguntur: „ Cùm igi-
„ tur Theophylus vitam blaſphemè finiiſſet,
„ Michael filius ejus unà cum matre Theo-
„ dora Imperium ſuſcepit; qui zelo Dei in-
„ flammati, eos, qui in exiliis erant, ſanctos
„ Patres revocarunt; & Synodo divinâ ac
„ ſacrâ locali in Canicleo convocatâ, Joan-
„ nem quidèm impuriſſimum Throno deje-
„ cerunt, Sanctum verò Methodium Con-
„ ſtantinopolitanum Patriarcham conſtitue-
„ runt, ſanctaſque ſeptem œcumenicas Sy-
„ nodos approbantes, ſacras Imagines ad
„ eam venerationem, quæ eis olim debeba-
„ tur, reduxerunt. *Hactenus Libellus Sy-
nodicus*.

1448 Verùm hujus Synodi geſta diffuſiùs
recenſentur à Theophane Presbytero in Ora-
tione, quam dixit in Sanctum Nicephorum
Patriarcham, ubi ait: „ Poſtquàm defuncto
„ Theophylo Imperium ad ejus uxorē Theo-
„ doram, & filium eorum Michaelem admo-
„ dùm adoleſcentem delatum eſt, in pietatis
„ ſtudium, curamque maximè incubuit fœ-
„ mina, verè Dei munere (ut nomen ejus
„ indicat) data, ex omnibus præclaris & ma-
„ gnis facinoribus, quibus Principes proba-
„ ri ſolent, nullum præſtantius exiſtimans,
„ quò tutiùs ſibi Imperium confirmaret, aut
„ virilem in fœmina perſona fortitudinem
„ exerceret, quàm ſi pietatis & religionis
„ cultu Deum ſibi propitium redderet. Id
„ autem nullo pacto faciliùs aut commodiùs
„ poſſe contingere, quàm ſi perturbationem
„ in Eccleſia jam diù excitatam ſedaret, &
„ partem in illa morbo laborantem reduce-
„ ret ad ſanitatem; & qui inter ſe animi eſ-
„ ſent alienati, conciliarentur, atque idem
„ omninò ſentirent. Sic igitur fore, ut cùm
„ una eſſet omnium ſententia, atque idem
„ ſenſus, vera, ſynceraque fides Apoſtolo-
„ rum, Patrumque Inſtitutis, tanquàm ſoli-
„ dis fundamentis inſiſtens, firma atque im-
„ mobilis conſervaretur, & ſibi deinceps
„ Imperii gubernatio facilis & tolerabilis
„ permaneret.

1449 „ Hæc igitur cùm illa verè animo
„ excellens & mente fortis Regina ingenio
„ ſuo excogitaſſet, & providentiâ conſide-
„ raſſet, & cum illis, qui erant in Magiſtra-
„ tu & dignitate conſtituti communicatâ,
„ acceſſit cum ipſis eos, qui inter Monachos
„ præſtabant, & de Imaginum reſtauratione
„ quæſtionem proponit. Cùmque idem om-
„ nes conſentientes comperiſſent, diuturno-
„ que rei deſiderio teneri, atque animo ex-
„ cruciari propter Religionis in ea re muta-
„ tionem, poſtulavit, ut ſe etiam Patrum
„ auctoritatibus ad veritatem confirmarent,
„ quas variis in libris inveniſſent. Manda-
„ vitque quo in loco Palatii præfinito cœtus
„ Eccleſiaſticus univerſus cogeretur, & ad
„ populum eâ de re quàm apertiſſimè verba
„ faceret. Tanta autem multitudo conflu-
„ xit, ut numerus comprehendi non poſſet:
„ Convenerunt enim non ſolùm illi, qui
„ mentem ſanam impietatis temporibus con-
„ ſervarant, verùm etiam complures ex iis,
„ qui cum pietatis hoſtibus conſenſerant,
„ quique Sacerdotiis & Eccleſiis regendis ab
„ ipſis electi fuerant; è veſtigioque mutatâ
„ ſententiâ, eos, qui ſanctas Imaginis oppu-
„ gnaverant, anathemati ſubjecerunt.

1450 „ Quæ quidèm celeri & inſperatâ
„ rerum mutatione, Joannes, qui tàm impiè
„ munus Pontificium adminiſtrabat, ſtupore
„ & mentis caligine captus, parùm abfuit,
„ quin ipſi ſibi manus inferret, mortemque
„ conſciſceret. Hic enim ſceleris caput, &
„ ſumma fuerat, qui cùm impiè ſentiret, &
„ apud Imperatores auctoritate poſſet antea
„ plurimùm, eos mendaciis & dolis impru-
„ denter, inconſideratèque confectis, in im-
„ pietatis barathrum impellebat. Eò igitur
„ propter ea flagitia, quæ in Deum admiſe-
„ rat, uno omnium conſenſu, & cunctis tùm
„ magnorum Imperatorum, tùm univerſi cœ-
„ tus Eccleſiaſtici ſuffragiis, à ſacra Sede
„ cum ignominia ejectus, Methodius vir &
„ vitâ & doctrinâ valdè probatus, qui pro ve-
„ ritate & religione multa certamina, & lon-
„ gum exilium pertulerat, atque inde plagis
„ & carcere diù cruciatus redierat, omnibus
„ in dignitate conſtitutis approbantibus, ele-
„ ctus eſt, qui ſacram Reginæ Urbium Ci-
„ vitatis Sedem obtineret.

1451 „ Tunc Niceæ ſecundum divinitùs
„ electum ſanctum œcumenicum Concilium
„ quod Irænæ Imperatricis verum ab ipſa pa-
„ ce nomen habentis, & Tharaſii maximi,
„ beatiſſimiq; Patriarchæ ſtudio celebratum

„ eſt, meritò firmam obtinuit auctoritatem ac robur, cùm omnes, quæ, Deo aſpirante, in ipſo decreta fuerant, comprobarent; Tunc omnes Eccleſiæ ſuum ubique decus receperunt, & venerabilium Imaginum ſplendore fuerunt illuſtratæ; Ejectiſque illis, qui eas nefariè inſectabantur, Sacerdotes in eis ac duces recti dogmatis ſunt conſtituti. *Hactenus Theophanes de hujus Synodi geſtis.*

1452 His peractis, abolitâ hæreſi, ac reſtitutâ in integrum catholicâ fide in Eccleſia Orientali, Methodius Patriarcha ad revocandos in Eccleſiam lapſos, plurimùm ac mirificè laboravit: Cùmque ex ejuſmodi lapſis variæ eſſent ætatis & conditionis, nè vileſceret Eccleſiaſtica diſciplina, eoſdem omnes diverſo modo Eccleſiaſticæ cenſuræ voluit eſſe ſubjectos, infraſcipto publicato Edicto, cujus titulus eſt: *Methodii ſanctiſſimi Patriarchæ Conſtantinopolitani, de iis, qui abnegarunt per diverſos modos & ætates*; Verba porrò Edicti ſunt.

1453 „ Si puer quidèm comprehenſus fuerit, & abnegaverit ſeù metu, ſeù ignorantiâ & inſcitiâ, is propitiationis preces ſeptem diebus accipiat, & octavo die lavetur, & à lavacro, linteo accinctus, chriſmate inungatur, ut ſolent inungi qui baptizantur, & ferant veſtes novas, ſecundùm ordinem eorum, qui illuminantur.

1454 „ Si autem ſint adoleſcentes, vel ſenes, ſeniovè confecti, ſi quidèm per tormenta negaverunt, clementer ac benignè cum eis agatur, ſed duas Quadrageſimas jejunent, vacantes orationibus & genuflexiones, aſſiduèque preces peragentes. Duarum autem Quadrageſimarum fine appropinquante, octo diebus propitiatorias preces ſuſcipiant, & ſub omnibus qui inveniuntur cum Sacerdote, qui pro eis Deum placat, eas faciant, & dicant intensâ voce, Kyrie eleiſon centies; Et ſicut ſuperiùs ſtatuimus, laventur & ungantur ſecundùm priorem conſtitutionem; & celebrato ſacrificio, ſacroſanctis Myſteriis digni habeantur, vacantes Eccleſiæ, & ſacrorum celebrationi, octo diebus.

1455 „ Si qui autem ſuâ ſponte ad negandum transfugerunt, ii quidèm habent Canonem terribilem; ſed propter commiſerationem duos annos jejunent, à carnium & ovorum eſu, & à vino abſtinentes, genuum inflexiones facientes; ſi ſint quidèm Juvenes & robuſti, quotidiè centum diebus ducenties dicentes Kyrie eleiſon: Duobus autem annis expletis, ante octo dies preces propitiatorias accipiant, & quæ ſequuntur, ut priùs ſtatutum eſt, in ipſis fiant, ſivè ſint viri, ſivè mulieres, modò ſint perfecti ætate. *Hactenus decretum Methodii pro lapſis.*

1456 Acta ſunt hæc omnia, ut præfati ſumus, Anno I. Michaelis III. Imperatoris Orientis, Lotharii verò Imperatoris Occidentis Anno II., Gregorii IV. Pontificatus Anno XV., qui erat Annus Dñi DCCCXLII., Indictione v. Et cùm ergà primam Dominicã Quadrageſimæ Imagines in Eccleſia Orientali reſtitutæ fuiſſent, ac Eccleſiarum ſanctarum pax firmata eſſet, ideò ipſa Orientalis feſtum ſolemne hujus reſtitutionis celebrare voluit die Dominicę primæ Quadrageſimæ tunc proximæ, nè hoc ſolùm contenta, juſſit, ut perpetuis futuris temporibus in tanti beneficii memoriam quotannis in eâdem prima Dominica Quadrageſimæ idem celebraretur feſtum. Et hæc ſatis de ſchiſmate & ſeceſſione Orientalis Eccleſiæ occaſione hæreſis Iconomachorum, ſatiſque pro ſecunda parte operis de Græcorum Schiſmate, abſolutâ, Divinâ aſſiſtente gratiâ, auxilioq; Deiparę ſemper immaculatę, ac Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli, Hieroſolymis in Conventu Sancti Salvatoris, Anno MDCCXI., die XXVIII. menſis Junii, in pervigilio feſtivitatis eorundem Sanctorum Apoſtolorum, Civitate ipsâ Hieroſolymitanâ morbo epidemico laborante.

FINIS.

IN-

INDEX RERUM,

Quæ continentur in hoc Tomo.

A

ABilius, aliàs S.Anianus ſucceſſor Divi Marci Evangeliſtæ in Eccleſia Alexandrina, *pag*.4.

Abſimarus Imperator acclamatur, 361. Tempus, quo imperavit, *ibid.* Occiditur à Juſtiniano juniore, *ibid.*

Acacius ſucceſſor Gennadii in Epiſcopatu Conſtantinopopolitano, 7. Ejus ſuperbia & malitia, *ibid.* Curat primatum ſuæ Eccleſiæ, 8. Eidem non placet electio Calendionis Epiſcopi, & quare, 9. Agit cum Imperatore, ut Calendionem è Sede exturbet, & quonam falſo accuſationis prætextu, *ibid.* Curat reſtitui in Eccleſia Antiochena Petrum Fullonem damnatum & proſcriptum hæreticum, *ibid.* Curat apud Imperatorem exturbare Joannem Talajam à Sede Alexandrina, & quonam prætextu, 10. & 12. Suadet Imperatori edere decretum unitivum, quod & Ennoticon, ſervandum ab univerſis Epiſcopis, 10. In caſtris hæreticorum militat, 10. Se excuſat apud Simplicium Papam, 12. Petri Fullonis errores ſynodaliter damnat, 13. Ejuſdem Petri errores ex additione in Triſagio facta deducit, 15. Ejus fraudes & blanditiæ ergà Apoſtolicos Legatos, 15. Communicat in ſacris cum Petro Fullone contra mandatum Felicis Papæ, 16. Communi omnium Epiſcoporum ſuffragio judicatur hæreticorum participatione pollutus in Synodo Romana ſub Felice Papa, in qua & alia ejus crimina proferuntur, *ibidem*. Non recipit ſuæ damnationis litteras, 19. Eas ſuſpendit ad ejus pallium quidam catholicus Monachus, *ibid.* Eradit è ſacris Dypticis nomen Felicis Papæ, *ibid.* Ejus miſerrimus obitus, 20. Ejus nomen, & eorum Epiſcoporum, qui cum eo in ſacris communicaverant, è ſacris Dypticis eraduntur; & quo tempore. 102. Ejus Sectatores ſchiſmatici renuunt conſentire ejuſdem damnationi; & quarè, 103. Acacianorum ſchiſma ſedatum; & quo tempore, 146.

Adeodatus Romanus Pontifex ſucceſſor Vitaliani, 295. Ejus patria, genus, & egregiæ dotes, *ibidem*. Nulla habetur mentio, quid egerit in cauſa Monothelitarum, *ibid.* Obiit in Domino, *ibid.* Duæ opiniones, quanto tempore rexerit Eccleſiam, & probabilior eligitur, *ibid.*

Agapitus Romanus Pontifex creatus, 147. Ejus patria, genus, & eruditio, *ibid.* Conſtantinopolim veniens, Anthimi præſentiam vitat, 148. Habet concertationem de Religione; & rogatur à Principibus recipere Anthimum in ſuam communionem, *ibid.* Quid exegerit pro admiſſione in ſuam communionem, *ibid.* Contemnit munera, & minas Theodoræ Auguſtæ faventis Anthimo, 149. Damnat quoſdàm hæreticos, inter quos Anthimum: Pelagium conſtituit Apocriſiarium, *ibid.* Ejus obitus, *ibid.*

Agatho Romanus Pontifex creatus, 297. Ejus patria, & egregiæ dotes, *ibid.* Accipit literas miſſas ab Imperatore ad Donum Papam jam defunctum, pro concordia Eccleſiarum, 297. Ipſe non ſucceſſit immediatè Martino I., 300. Scribit ad Imperatorem Conſtantinum Pagonatum *ibid.* In Epiſtola confitetur duas voluntates & operationes in Chriſto, & damnat oppoſitum afferentes, 301. Ultrà Synodicam ad Imperatorem aliam privatam mittit, exponens & probans duas in Chriſto voluntates & operationes, *ibid. & ſeq.* & 305. Ejus ſuggeſtiones ſuſcipiuntur ab Orthodoxis Conſtantinopoli degentibus, ut à Spiritu Sancto dictatæ, 308. Ejus & Romanæ Synodi Epiſtolæ in Synodo œcumenica Conſtantinopolitana receptæ, 311. Accipit litteras Synodi Conſtantinopolitanæ per ſuos Legatos miſſas ad confirmanda Acta ejuſdem Synodi, 314. Ejus obitus, & quandò, *ibid.* Poſt ejus obitum quantùm Sedes Apoſtolica vacaverit, certant inter ſe eruditi, *ibid.* & 315. Quanto tempore ſedit in Petri Cathedra, 360.

Agathonis Legati quomodò ſuſcepti à Conſtantino Pagonato Imperatore, 305. Quandò Conſtantinopolim ingreſſi; error Anaſtaſii; & quænam probabilis opinio, *ibid.* & 306. Incœptâ Synodo proponunt damnandam hæreſim Monothelitarum, 306. Probant malam illationem Macarii Monothelitæ; & ex Epiſtola S.Leonis Magni demonſtrant duas in Chriſto operationes & voluntates, *ibid.* Defendunt Vigilium Papam à labe Monothelitica, 307. Afferunt codicem teſtimoniorũ Sanctorum Patrum, quibus duæ in Chriſto operationes aſſeruntur, *ibid.* Loca Patrum ab ipſis adducta reperiuntur conſona cum authenticis eorundem teſtimoniis, 308.

Alexandrina Sedes eſt ſecunda poſt Romanam ex Anacleto, Gregorio, Leone, Nicolao I., & Gelaſio Summis Pontificibus, 4.

Alexandrinus, & Antiochenus Epiſcopi ſcribentes ad Sanctum Gregorium Papam, nomen Epiſcopi œcumenici ſibi uſurpatum ab Epiſcopo Conſtantinopolitano eſſe levis momenti, reprehenduntur à Sancto Pontifice, 225. & ſeq.

Alexandrini Conciliaboli ſub Cyro novem Capitula, lecta in Synodo generali Conſtantinopolitana, & plures Epiſtolæ conſcriptæ ab hæreticis igni traduntur, 312.

Amator Epiſcopus Auguſtudonenſis mittit quædam munuſcula ad Sylverium Papam in exilium amandatum tempore Juſtiniani Imperatoris, ad ſublevandam ejus inopiam, 151. Eum conſolatur per Epiſtolam, ibid.

Anaſtaſius Romanus Pontifex creatur, 39. De tempore, quo fuit creatus; error Marcellini, & vera opinio refertur, ibid. Legationem mittit ad Anaſtaſium Imperatorem, occurrere periclitanti Eccleſiæ Orientali, 39. Admonet taceri in Eccleſia Acacii nomen, & hortatur Imperatorem revocare Alexandrinos ad veram fidem, ibid. Ejus Epiſtola ad Imperatorem, 40. Ejuſdem Summi Pontificis obitus, 45.

Anaſtaſius Epidamneus Imperator coronatur; ejus genus, & officium, quod anteà exercebat, 25. Hæreticorum patronus & fautor, ac Orthodoxorum perſecutor, ibid. Habet Euphemium Patriarcham Conſtantinopolitanum ſibi adverſantem, ibidem. Quem mittit in exilium, & quo prætextu, 38. Non valet flecti à Gelaſio Papa, removere obicem ad concordiam Eccleſiarum, 34. Apertè ſe declarat hæreticum. & hæreticorum fautorem, 36. Cogitat inducere Anaſtaſium Papam ad ſubſcribendum Enoticon Zenonis, 42. Curat perficere ſuum intentum, 44. Monita Symmachi contemnit, & adversùs catholicos bellum movet, 46. Ejus juſſu multi catholici vulnerati, & alii necati, 47. Excommunicatur à Romana Synodo ſub Symmacho, ibid. Sciens ſe excommunicatum, adversùs Symmachum edit libellum multis calumniis refertum, 48. Pietatem ſimulans, quandam legem edit, & vim facit, ut Macedonius Epiſcopus proſcribat Synodum Chalcedonenſem, 51. Sæviùs perſequitur orthodoxos, contra quos aliam edit legem, quæ alioquin fuiſſet juſtiſſima adversùs hæreticos, 51. & 52. Cogitat in exilium amandare Euphemium Epiſcopum orthodoxum, ibid. Et exequitur intentum, 53. Acta originalia Chalcedonenſis Synodi furtim aufert, & igni tradit, 54. Latitare cogitur ob ſeditionem populi: injuriis afficitur ab Ariadna: ſedato tumultu efficitur pejor, & inſequitur catholicos, 54. Iram ſimulat adversùs Theodoſium Monachum catholicum, ad quem & ſcribit, ſed poſteà furorem detegit, 55. & 56. Eſt in periculo mortis; conjuratis promittit adhærere; ſed pravitatem reaſſumit, 56. Ejus promiſſa Vitaliano facta ad ineundam pacem cum ipſo, qui zelo Religionis adversùs Imperatorem ſurrexerat, & in extremum diſcrimen redegerat; ejus promiſſa fraudolenta, 63. Retinet apud ſe Apoſtolicos Legatos, eos alens ſpe concordiæ Eccleſiarum; remittit ſub eadem ſpe, ſed ſemper ſimulatè, 69. Ejus donaria facta Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, ibid. Decernit peculiarem Legationem ad Hormiſdam Papam, ſed ut orthodoxos deciperet: ejuſdem Epiſtola, ibid. & ſequ. Ejuſdem fidei profeſſio ad Hormiſdam, ut eum deciperet, 70. & ſeq. Ejuſdem Epiſtola ad Senatum Romanum, ibidem. Excuſſo Vitaliani timore ob conciliatum ſibi populum, denuò orthodoxos perſequitur: jubet quibuſdam Epiſcopis communicare cum Timotheo Conſtantinopolitano, 72. Tumultuante populo, remittit quoſdam Epiſcopos ad ſuas Eccleſias, 73. Spoliat Vitalianum Præfecturâ: Legatos Apoſtolicos minùs honorificè recipit: curat eos pecuniâ corrumpere, ſed reſpuentes, turpiter ejicit, in periculoſa navi impoſitos, 80. Scribit ad Hormiſdam ſe velle jubere, non juberi, 81. Contrà eum ſeditio & inſidiæ, 84. Complures necari juſſit, ibid. Monetur in ſomnis abſtinere à cæde quorundam, & videt quendam Virum terribilem delentem vitæ ejus quatuordecim annos propter ſuam impietatem, 85. Aliud ſomnium indicativum mortis ipſius & Amantii Præfecti: cœleſti fulmine tactus, miſerrimè interiit: Ejus mors nunciata in viſione quibuſdam ſanctis Viris, 85. & ſeq.

Anaſtaſius diſcipulus S. Maximi ob catholicam fidem multa patitur tormenta, 291. Adversùs eum crimina pronunciantur in judicio, ſed infames accuſatores confundit, 292. Interrogatus, reſpondet, anathematizaſſe Typum Conſtantis Imperatoris hæretici: traditur flagellandus; linguâ ei præciſâ, miraculosè loquitur, ibid. Alia tormenta ſubit: in exilium amandatur, 293.

Anaſtaſius Pſeudopatriarcha Conſtantinopolitanus ſufficitur loco S. Germani ejecti, 384. Audet ſcribere Synodicam ad Gregorium II. Romanum Pontificem, ſed rejicitur, ibid. Publicè verberatur, & infamiter tractatur, & quarè, 388. & ſeq. Ejus interitus, 390.

Anatolius Patriarcha Conſtantinopolitanus uſurpare præſumens Eccleſiæ primatum, reprehenditur à S. Leone Papa, 5. Ejus audacia, 6. Uſurpatum primatum dimittit, 7. Ejuſdem concordia cum Romano Pontifice; & tandem obitus, ibid.

Angelis apparentibus in formis corporeis cultus adhibitus à Patribus antiquis, 443.

Quo-

Quomodò, & quarè eis exhiberi poteſt cultus ſacer, *ibidem*, & 444. Eos non pingunt Chriſtiani in ea forma, quam ſubſtantialiter habent, ſed in qua apparuerunt, 454. Quarè alati pinguntur, & ad quid ſignificandum, *ibid.*

Anglicana Synodus ſub Theodoro Epiſcopo adverſùs Monothelitas; & ubi celebrata eſt, 299. Expoſitio fidei in ea facta, & tranſmiſſa ad Imperatorem, 299. & *ſeq.*

Anthimus Eutychianus ſubſtituitur Patriarcha Conſtantinopolitanus, & cujus ope; ejus perfidia & mala opera, 147. & 148. Studuit apparere catholicus, *ibid.* Contemnitur à Romano Pontifice, 149.

Antiochena Eccleſia petit à Juſtino Imperatore remedium adversùs turpes Pauli Epiſcopi mores, 145.

Antiochena Synodus celebrata ab Apoſtolis, 470. Hujus Synodi meminit Innocent. I., *ibid.* Alia Antiochena eligit Calendionem catholicũ Epiſcopum illius Eccleſiæ; cujus & confirmationem obtinet à Rom. Pont., 9.

Appellatio Joannis Talajç ad Romanum Pontificem, 13.

Apocriſiarii ad Imperatores Orientis pro Romanis Põtificibus ut plurimùm electi erant Summi Pontifices, eis decedentibus ex hac vita; & quarè, 232.

Ariadna Auguſta, uxor Zenonis, 24. Curat, Anaſtaſium Epidamneum coronari Imperatorem; & quarè, 25.

Artabaſdus cogit Conſtantinum Copronymum ad fugam, & acclamatur Imperator, 288. Carceribus mancipat filios Conſtantini, *ibid.* Capitur à Conſtantino Copronymo, & occiditur, 288.

Artemius ſuccedit impio Philippico in Imperio; qui & mutato nomine, vocatur Anaſtaſius, 363. In ejus coronatione fuit acclamata VI. Synodus, priùs projectâ à Philippico, *ibid.* Mittit ſacram ad Romanum Pontificem cum catholicæ fidei profeſſione, 364. Recipitur in catholicam communionem, adnumeratus inter orthodoxos Imperatores, *ibid.* Cogitur cedere Imperium Theodoſio IV., 368. & *ſeq.* Pulſus ab Imperio, fit Monachus, & in Monaſterium relegatur à ſucceſſore, 369.

Aſterius evehitur ad Alexandrinam Sedem, & quo tempore, 145. Ad eum ſcripſit Iuſtinus Imperator, incitare Regem Æthiopum ad bellum adversùs Homeritas, 146. De eo ubi fiat mentio, *ibid.*

Athanaſius Jacobitarum Patriarcha, & ejus malæ qualitates, 238. Simulatè ſuſcipit Chalcedonenſem Synodum, illectus ab Heraclio, *ibid.* Imperatorem decipit, ac in hæreſim trahit, 239.

Athanaſius, cognomento Hernioſus, ſubſtituitur ab Hæreticis in Eccleſia Alexandrina pro Petro Moggo, 24. Ipſe & hæreticus, *ibid.* Obiit in ſua hæreſi, 44.

B

Baptiſmus collatus à malo Miniſtro, pervenit illibatus ad percipientem, 41.

Baſilius filius Theodoræ Auguſtæ ex Iconoclaſta fit orthodoxus, permotus per quoddam miraculũ ex Imagine S. Gregorii Nazianzeni, 491.

Belliſarius annuens mandatis alterius Theodoræ Auguſtæ, adhibet falſos teſtes adversùs Sylverium Papam, ut eum amandet in exilium, 150. In exilium mittit, *ibid.*

Beneficia Dei per impium adminiſtrata, detrimentum non patiuntur, 41.

Benedictus hujus nominis I. Romanus Pontifex, ejuſdem genus, patria, & tempus, quo creatus fuit Pontifex, 206. Ejus obitus, & quandò, *ibid.*

Benedictus hujus nominis II. Romanus Pontifex, ejus patria, genus, & tempus, quo electus fuit, 315. Secundùm Labæum ſucceſſit Leoni II., *ibid.* Secundùm verò Anaſtaſium, Agathoni, 360. Suo tempore fuit ab Imperatore reſtituta libertas Eccleſiæ Romanç ordinandi electũ Pontificem 315., & 360. Ejus obitus, *ibid.*

Bizantium patitur obſidionem à Saracenis, & liberatur Dei Genitricis ope, 295. Quo tempore, & quantùm duravit obſidio, *ibid.* Aliam patitur, imperante Michaele Balbo, & quomodò liberatur, 490. Multas patitur calamitates à Deo, ob contemptum ſacrarum Imaginum ſub Copronymo, 389. Ibi indicitur ſeptima Synodus pro cultu ſacrarum Imaginum, ſed impedita, alibi congregatur, 420.

Bonifacius hujus nominis II. Romanus Pontifex, & ejus patria, & genus, 147.

Bonifacius hujus nominis III. ejus patria, & genus, 232. Hic fuit Apocriſiarius Gregorii Papæ; & cùr electus Romanus Pontifex à Clero Romano, *ibid.* Interpellat Phocam Imperatorem comprimere ſuperbiam Cyriaci ſibi uſurpantis nomen Epiſcopi œcumenici; & quanam occaſione, 232. Ejus obitus, 237.

Bonifacius IV. Romanus Pontifex, ejus patria, genus, obitus, 238.

Bonifacius V. Romanus Pontifex creatur; ejus patria, & genus, 238. Migrat ad Dominum, *ibid.*

C

Callinicus evectus ad Sedem Conſtantinopolitanam loco cujuſdam Pauli, 361. Ejus auctoritate coactam quandam Pſeudoſynodum Conſtantinopolitanam, opinio cujuſdam, *ibid.* Eiicitur ab Epiſcopatu, ac

ac oculis orbatus, vinctus mittitur Romam in exilium, *ibid.*

Canon quidam de Primatu Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, inſertus à Græcis in I. Synodo Conſtantinopolitana; qui nec editus à plenario Concilio, 1. & 2. Alius conditus à Græcis pro eodem Primatu in Synodo Chalcedonenſi, abſentibus Sedis Apoſtolicæ Legatis; qui & falſis innititur fundamentis, 2. Canon Trullanus in VI. Synodo conditus à Græcis pro Patriarchatu Conſtantinopolitano, 153. Alius ab eiſdem conditus in VIII. Synodo pro eadem Eccleſia, *ibid.* Canones Synodi Romanæ ſub Martino I. in quibus damnantur Monothelitæ, 278. *& ſequ.* Alterius Synodi Romanæ pro cultu ſacrarum Imaginum, 386. Lateranenſis Synodi de duabus in Chriſto operationibus, 326. *& ſequ.* Synodi Francfordienſis, in qua aliqui dicunt damnari ſeptimam Synodum, 428. Canon Concilii Senonenſis, ex quo arguitur, in Concilio Francfordienſi fuiſſe potiùs receptam VII. Synodum, 429. Canon quidam Concilii Illiberitani, qui videtur adverſari cultui ſacrarum Imaginum; de quo diverſimodè ſentiunt Auctores, 467. *& ſequ.* Alius Canon ejuſdem, de Confeſſoribus, 468. Canon Chalcedonenſis Synodi adversùs Presbyterum, vel Diaconum, qui ſuum contemnunt Epiſcopum, relatus à Vigilio Papa in litteris ſententiæ damnationis Ruſtici, & Sebaſtiani, 166. Canon Romanæ Synodi ſub Stephano III., in quo definitur pius ac religioſus cultus ſacrarum Imaginum, 432. Canon Concilii Arauſicani de arcendis cathecumenis ab aſpectu etiam ſacri lavacri, & quarè, 469. Canon Antiochenæ Synodi ab Apoſtolis celebratæ de uſu ſacrarum Imaginum, 470. Hic Canon legitur citatus in Synodo Nicæna ſecunda, 470. Canones quidam Pſeudoſynodi Conſtantinopolitanæ ſub Conſtantino Copronymo Imperatore, & Conſtantino Patriarcha, 392.

Canones prohibent, in Synodis ſolùm ob cauſam fidei convocatis, aliud decerni præter ea, quę ad fidem ſpectant, 347. Prohibent, orthodoxos Epiſcopos convenire cum hæreticis, imò & cum eis loqui, niſi ad correptionem, 489. Canones editi in Synodo Conſtantinopolitana prima, qui fidem non concernunt, non ſunt recepti ab Eccleſia Romana, 345. Canones volunt, appellationes Eccleſiarum ad Sedis Apoſtolicæ examen eſſe deferendas ex Gelaſio Papa, 30. Canonum paternorum ſeries firmat Sedis Apoſtolicæ auctoritatem, ex Gelaſio, 33. Canones quid requirant ad legitimam Synodum, 265. Canonis Nicænæ Synodi ſenſus de Romanæ Eccleſiæ Primatu propoſitus à Nicolao I., 3. In Canonum Arabicorum collectione quid habeatur de excommunicatione mortuorum, 182. Canones prohibent, aliquem ex Laico ſtatu tranſire ad Epiſcopalem dignitatem, ex Epiſtola Hadriani Papæ, 412. *uſque ad* 419. Canon terribilis adversùs eos, qui ſpontè decidunt à fide; ſed ob commiſerationem mitigatus à Methodio Patriarcha Conſtantinopolitano erga quoſdam lapſos tempore Theophyli Imperatoris Iconoclaſtæ, 500.

Carolus Magnus non favit Iconomachis, ſed potiùs cultui ſacrarum Imaginum, 433. Laudat Hadrianum Papam, eique conjunctiſſimus fuit: ejus prudentia, & in Græca ac Latina lingua peritia, *ibid.* Ejus obitus, tempus quo mortuus èſt, & ætas quam habebat, 483. Quinam ei ſucceſſerit in Occidentis Imperio, *ibid.*

Carolini libri adverſantes ſeptimæ Synodo, 429. *& ſequ.* In eis ſunt plura mendacia, *ibid.* Non eſſe Caroli Magni, ſed ab aliquo hæretico confictos dicunt quidam, 431. & 432. Probant nonnulli, 433. Alii oppoſitum tenent, & probant, *ibid.* Opinio Auctoris eſt, quòd reverà non fuerint editi à Carolo Magno, 437. Eorum Auctor librorum cùr ſit adverſatus Nicęnę Synodo præfatæ, 435. Quædam in eis redargutiones impropriæ adversùs Nicænam Synodum, Orientis Imperatores, & Thaſium Patriarcham Conſtantinopolitanum, 436. An libri Carolini omnem cultum & adorationem ſacrarum Imaginum improbent, controverſia eſt inter eruditos, *ibid.* Capitulare adversùs præfatam Synodum à Carolo Magno editum quidam probant, 433. Sed eorum rationes non ſunt efficaces, 434. *& ſequ.*

Chalcedonenſis Synodi Patres reprehenduntur à S. Leone Papa propter decretum ab eis editum de Primatu Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, eò quia in ea Synodo ſola fidei cauſa tractanda erat, 347.

Chalcedonenſis Synodi geſta in cauſa Primatus Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ ad Sanctum Leonem Papam relata, & ab eodem reprobata, 5.

Chalcedonenſis Synodi decretum in favorem Ibæ Epiſcopi Edeſſeni, 155. Ejus Decreti causâ Acephali calumniantur hanc ſanctam Synodum, *ibid.* Et quaſi ſcripta Theodoreti approbaſſet, 157. Quandò cognita in hac Synodo, quæ ad fidem non ſpectabant, 204.

Chriſtus habet non unam, ſed duas voluntates & operationes, 316. Probatur adversùs Monothelitas auctoritatibus ſcripturæ, & Sanctorum Patrum, *ibidem & ſequ. uſque ad* 318. Probatur etiam rationibus, 319. Argumenta adverſa hæreticorum, 320. Ad ea reſpondet S. Maximus, *ibidem*, & 321. & 322. Argumentum Sergii ex quadam falſata & corrupta S. Dionyſii auctoritate, 322. Oſtenditur, corruptam fuiſſe Dionyſii auctoritatem, *ibid.* Inſtantia adverſario-

rio-

riorum: ad quam reſpondetur; & demonſtratur, Dionyſium duas in Chriſto admiſiſſe voluntates, & operationes, *ibid.* Alia Monothelitarum argumenta ex aliis Sanctorum Patrum Teſtimoniis afferuntur; ſed oſtenduntur detruncata, vel falſata ab ipſis hæreticis, 324. Probatur, Sanctos Patres, quos Monothelitæ pro ſeipſis citant, admiſiſſe duas in Chriſto operationes, *ibid. & ſequ.* In quo ſenſu S. Athanaſius dixerit, Chriſtum ſolùm Deitatis voluntate conſtitutum, 333.

Chriſti Domini ſtatua ab emorrhoiſſa erecta, ad cujus pedes quædam ignota planta naſcebatur, 444. Erat præcipuum remedium contra morbos, *ibid.* De hujuſmodi hiſtoria quidam dubitant, & quare; ſed refelluntur rationes dubitandi, *ibid. &* 445. Comprobatur hiſtoria, & aliæ rationes adverſæ diluuntur, 445. Ex erectione illius ſtatuæ quidam dicunt, non probari licitum eſſe cultum ſacrarum Imaginum: Sed probatur poſſe concludi, *ibid. &* 446. Fuit dejecta à Juliano Apoſtata, & in ejus baſi poſita fuimet ſtatua, quæ igne cœleſti dirupta fuit, *ibid.* Chriſtus, quarè aliquandò pingatur ſub forma Ovis, vel Agni, 454.

Columbus Epiſcopus in Numidia cogit Synodum adversùs Monothelitas, 269. De eo fit mentio in quodam libello, *ibid.* Impeditur ejus Legatio ad Paulum Conſtantinopolitanum Epiſcopum, & à quonam, *ibid.* Hoc comperto, ſcribit ad Theodorum Papam, 270. Quo anno hæc acta ſint, 271.

Conon Pontifex Romanus creatur, 360. Ejus patria, ubi educatus, ejuſdem boni mores, *ibidem.* Ejus gravis infirmitas imminentem mortem ſignificans; & tandèm ad Dominum migrat, *ibid.* In eligendo ejus ſucceſſore magna contentio, *ibid.*

Conſtans nepos Heraclii creatur Imperator, 256. Indicit ſilentium de una, vel duabus in Chriſto operationibus, 273. Ejus Typus hæreticus, in quo diverſas pœnas comminatur eum non obſervantibus, *ibid. & ſeq.* Ad enunciandum Chriſtum abſque omni operatione & natura eum edidit, 274. Mittit ad S.Martinum Papam ſubſcribere ſuum Typum; ſi ſecùs, jubet eum teneri, vel interfici, 279. Noſcens per Olympium Exarchum nihil actum contra S. Pontificem, ſuumque Typum damnatum, cogitat novam ultionem, 282. Tres molitur calumnias adversùs Sanctum Pontificem; & mittit in Italiam Theodorum Calliopam Exarchum, ut eum vinctum, Conſtantinopolim perducat, *ibid.* Ejus impia verba, quæ habuit ad Sanctum Pontificem coràm ſe Conſtantinopolim perductum, 285. Eum amandat in exilium, 286. Humaniter recipit Reſponſales Vitaliani Papæ; & donaria ad Eccleſiam Sancti Petri mittit, 289. Id egit, ut Romanum Populum conciliaret, & videretur communicare cum Eccleſia catholica, 290. Præſumitur tranſmiſiſſe externam fidei confeſſionem, & quare, *ibid.* In corde manens hæreticus, curat Sanctum Maximum inducere in ſuam ſententiam, & revocat ab exilio, 290. Occidi jubet Theodoſium Diaconum germanum ſuum, 293. Romam venit viſitaturus limina SS. Apoſtolorum, & quomodò ſuſceptus à Vitaliano Papa, *ibid.* Cauſa hujus peregrinationis fuit nocturna apparitio fratris ſui interfecti, 294. Hujus viſionis acerbitate in Siciliam abit, ſed fruſtrà, *ibidem.* Poſtquàm fuit Romæ, non ampliùs infeſtavit Eccleſiam; ſed ob ſuam tyrannidem tandèm occiditur; ubi, & quomodò, 294.

Conſtantinus Romanus Pontifex creatur; ejus genus, & mititas, 361. Vocatus ab Imperatore, petit Conſtantinopolim, & honorificè excipitur, *ibid.* Romam redit, 362. Lætatur cum Clero & Populo Romano ob electionem Artemii, ſeu Anaſtaſii orthodoxi Imperatoris, 364. Ejus obitus in Domino, & quandò, 368. Quinam fuerit ſuus apud Imperatorem Apocriſiarius, *ibid.*

Conſtantinus Magnus plures Baſilicas conſtrui fecit, & ornavit, 470. Ejus pretioſa dona, ex quibus antiquus ſacrarum Imaginum uſus conjicitur, *ibid.* Crucis imaginem in Labaro & Numiſmatibus inſculpi juſſit, & quarè; ſicut in ſcutis militum impreſſum voluit Chriſti nomen, & Crucis ſignum, *ibid.*

Conſtantinus alius ſuffectus Imperator loco Heraclii, 256. Veneno moritur, *ibid.*

Conſtantinus Pagonatus filius Conſtãtis ſuccedit in Imperio Imperatori Mezentio, ſeù Metio occiſo in prælio, 295. Eſt orthodoxus, & orthodoxam fidem ſtabilire curat in Oriente; pacem init cum Saracenis; reſiſtit audaciæ Theodori, & Macarii Epiſcoporum, nolentium in ſacris Dypticis recitari nomina Romanorũ Pontificum; Theodorum reſiſtentem ejecit è ſua Sede Conſtantinopolitana, 295. Scribit ad Donum Papam pro pace Eccleſiarum, *ibid.* Curat cogi generalem Synodum, 297. Adhortatur per ſuam Sacram Patriarcham Conſtantinopolitanum pacificè ſe gerere in generali Synodo ibi cogenda, & convocare Epiſcopos ſibi competentes, 305. Adhortatur pariter Sedis Apoſtolicæ Legatos, qui jam Conſtantinopolim pervenerant, pacificè & ſinè diſſenſione res agere, *ibid.* Intereſt Synodo generali, 306. Reſtituit libertatem Eccleſiæ Romanæ ordinandi Pontificem electum, quam quidam Imperatores ſibi injuſtè uſurpaverant, 360. Hujus orthodoxi Principis obitus, & tempus, quo obiit, & quinam ei ſucceſſit in Imperio, 361.

Conſtantinus Copronymus Imperator acclamatur loco Leonis Patris ſui, 387. Ejus mali, ac ſordidi mores, ibid. Dum baptizatur emittit ſtercus in Sacrum Lavacrum, ex quo eventu S. Germanus prædicit damna quę per eum Eccleſia Dei paſſura erat, 388. Inſtaurat bellum adversùs Sacras Imagines, *ibid.* Expulsus obſidet Conſtantinopolim, ubi multas cædes efficit, *ibid.* Humaniter agit cum Legatis Zachariæ Papæ, & quare, 389. Flagellis pluribus punitus à Deo perſeverat in perfidia adversùs Sacras Imagines, 390. Cum Conſtantino Patriarcha Conſtantinopolitano cogit Pſeudoſynodum, in qua damnatur Sacrarum Imaginum cultus, *ibid.* Reiicit literas Pauli Papæ I. Eum adhortantis reſtituere cultum Sacrarum Imaginum, 393. Augetur ejus perſecutio adversùs cultores Orthodoxos Sacrarum Imaginum, 394., & 395. Petit à Pipino Galliæ Rege Filiam ſibi nuptui tradendam; & quid ob id agat in cauſa cultus Sacrarum Imaginum, 395. Alias immanes continuat perſecutiones adversùs Orthodoxos, pag. 397. Ejus infæliciſſimus obitus, 400. Morti proximus dicebat ſe adhuc viventem igni inextinguibili traditum, & præcipuè propter quid, 400.

Conſtantinus Filius Irenæ Imperator eligitur, & imperat ſimul cum Matre ſua, 401. Scribit ad Hadrianum Papam pro cogenda univerſali Synodo in cauſa cultus Sacrarum Imaginum 410. Tollit impedimentum celebrandi Synodum, quod erat poſitum ab Iconoclaſtis; & qua arte, 420. Ejus & Irenæ Sacra ad Generalem Synodum Nicænam, II. pro cultu Sacrarum Imaginum, pag. 421., & ſeq. Eorum tempore incipitur & abſolvitur, à pag. 421. uſque ad 426. Ipſe ſolus imperare cœpit, & quare, 472. Bellum inſens contra Bulgaros cogitur fugere, & redire Conſtantinopolim, *ibid.* Rigorosè punit quoſdam ſuos Fratres, & quarè, *ibid.* repudiat legitimam uxorem, & aliam ducit, 473. Contradicentes amandat in exilium, *ibid.* Ejus obitus, 473.

Conſtantinus Epiſcopus Conſtantinopolitanus creatus loco Joannis, & munus quod antea habebat, 294. Probabile eſt fuiſſe Catholicum, *ibid.* Quantum, & quo tempore vixit, 294.

Conſtantinus quidam electus Patriarcha Conſtantinopolitanus voluntate Conſtantini Copronymi, 390. Ejus mali mores, & impietas in Sacras Imagines, *ibid.* Deo permittente amandatur in exilium, 395. Tandem vocatus crudeliter & opprobriosè per ſententiam ipſius Copronymi interficitur, pag. 397.

Conſtantinus quidam Presbyter Apamëæ Monothelita veniens ad Synodum generalem Conſtantinopolitanam, dicit ſe veniſſe ad eam docendam, & ad ineundam concordiam inter Monothelitas & Catholicos, 313. Ejus error, *ibid.* Anathematizatur à generali Synodo, 313.

Conſtantinopolitana Eccleſia evecta in Sedem Patriarchalem ex ſæcularis Principis decreto adversùs univerſos Canones, 152. Illud privilegium habitum per Principem ſæcularem curarunt Græci ſynodali decreto confirmare, ſed id non probat quòd non fuerit evecta ad Patriarchatum per auctoritatem Principis ſæcularis; & quare, *ibid.* *& ſequ.* Hujus Eccleſiæ Patriarchatus permiſſus à Summis Romanis Pontificibus ad vitanda ſchiſmata, licèt fruſtra, 153. Conſtantinopolitana Eccleſia penitùs ab Eccleſia Romana ſeparata, quando, & cujus causâ, 19.

Conſtantinopolitani Epiſcopi quare ſatagebant ſibi uſurpare nomen Epiſcopi œcumenici, 236. Conſtantinopolitanis quibuſdam Epiſcopis œcumenici nomen attributum ante reclamationem Romanorum Pontificum, 210. Sed à poſterioribus Græcis eis impoſitum fuiſſe convincitur, 210. & 211.

Conſtantinopolitani Populi diviſio & ſeditio adversùs Anaſtaſium Imperatorem hæreticum, 54. In ea contingunt multæ cædes, ac Domorum incendia, *ibid.* Tumultus ſedatur, 54. Alia ejuſdem Populi ſeditio, & qua occaſione; In qua Anaſtaſii ſtatuas & Imagines in terram projiciunt, & alium Imperatorem acclamant, 56.

Conſtantinopolitana Synodus coacta à Vigilio Papa Conſtantinopoli morante, in cauſa de trium Capitulorum damnatione facta à Juſtiniano, 162. In ea altercantibus Epiſcopis, jubet Summus Pontifex ut quiſq; ſuam ſententiam rationibus firmatam in ſcriptis proferat; quibus exactis de quæſtione tacendum uſque ad generalem Synodum, & interea cum tria Capitula damnantibus communicandum, *ibid.*

Conſtantinopolitana II. Synodus œcumenica quæ eſt v. inter generales, quando quomodo, & à quo incœpit promoveri, 175. Prima hujus Synodi collatio fuit facta abſente Vigilio, 175. Qui renuit etiam adeſſe aliis collationibus propter conditiones non ſervatas de quibus convenit cum Imperatore Juſtiniano, 176. Non canonicè congregata cenſebatur à Vigilio, & quare, *ibidem.* Diverſæ collationes habitæ ſunt in ea de tribus Capitulis, & damnatus eſt Theodorus Mopſueſtenus cum ſcriptis Theodoreti, & Epiſtola Ibæ, 177. Acta hujus Synodi, notant Eruditi, alibi mendoſa eſſe, alibi commentitiis ſcriptis aucta, ac in pluribus locis mutilata, 178. In actione ſeptima hujus Synodi inveniuntur conſcriptę duę Epiſtolæ nomine Vigilii Papæ, in quibus aſſeritur in Chriſto una tantùm operatio, ſed evidenter convincitur, fuiſſe confictas ab aliquo Monothelita, & adſcriptas Sanctiſſimo

mo

mo Pontifici, *ibid.* In ea Patres ampleċtuntur quatuor Sanċtas Synodos, & denuo anathema dicunt Theodoro Mopſueſteno, & ſuis ſcriptis, ac ſcriptis Theodoreti, & Ibæ Epiſtolæ, 178. & 179. Hæc Synodus fuit recepta & confirmata à Vigilio Papa, pag. 183. *& ſeq.* Decretum quo illam confirmavit, fuit aliquando ignaratum à Latinis, & quare, 184. Cur in eo decreto non fiat mentio de damnatione errorum Origenis, qui alioquin damnati ſunt in hac v. Synodo, 186. Tempus quo prædiċta Synodus à Vigilio confirmata fuit, 187. Eſſe confirmatam Sedis Apoſtolicæ auċtoritate, & ſic œcumenicæ Synodi auċtoritatem recepiſſe, omnes Scriptores fatentur, 181. Rejeċtio cujuſdam conſtituti Vigilii Papæ faċta in tali Synodo non derogat Pontificiæ auċtoritati, & quare, 180. per totum. In hac Synodo aċtum eſſe etiam de erroribus Origenis, eoſque damnatos eſſe in eadem, teſtantur Græci omnes, 186. Mutilationem verò Aċtorum ejuſdem faċtam fuiſſe ab Origeniſtis, Eruditi communiter ſentiunt, *ibidem*.

Conſtantinopolitana 111. Synodus œcumenica, quæ eſt vi. inter Synodos œcumenicas; coaċta adversùs Monothelitas, gubernante Eccleſiam Catholicam Agathone Papa, & imperante Conſtantino Pagonato, 306. Patres qui aderant cum Sedis Apoſtolicæ Legatis, *ibid.* Synodi aċtiones, & quid in eis aċtum ſit, *ibid.* & 307. Producitur quædam Epiſtola nomine Vigilii Papæ in qua una tantùm in Chriſto operatio aſſerebatur; ſed diligenti faċta inquiſitione deprehenſa fuit faċta à Monothelitis in v. Synodo, 306. Quædam hujus Synodi Aċta mutilata fuiſſe, autumant Eruditi, 307. In ea fiunt acclamationes ad Agathonem Papam, ad Imperatorem, & ad alios Orthodoxos, 308. Inſtant Patres, ut Macarius, & Epiſcopi Syriæ ſuam fidem edicant, *ibid.* Hæreticum proclamant Macarium Monothelitam, & deponunt ab Epiſcopatu, pag. 311. In ea fertur ſententia condemnationis adversùs quoſdam hæreticos nominatim, ubi & reperitur condemnata Perſona Honorii Papæ, ſed hæc fuit inſerta ab Interpollatore Aċtorum, 312. Acclamato Imperatore, anathema iterum dicitur hæreticis, 314. Eduntur literæ ſynodicæ ad Agathonem Papam, quas univerſi Patres ſubſcripſerunt; ac mittuntur per ipſiusmet Legatos, *ibid.*

Conſtantinopolitana quædam Synodus in exordio Imperii Juſtini, 86. In ea fuit oblatus libellus continens quinque petitiones Orthodoxorum; quibus & annuitur, *ibidem*. Hujuſmodi Synodi Aċtis tranſmiſſis ad Orientales, & ab eiſdem receptis, diverſa Concilia Provincialia in Oriente celebrata ſunt, 86.

Conſtantinopolitana Synodus ſub Menna Epiſcopo, mortuo Agapito, 149. In ea damnati fuerunt Anthimus, & alii hæretici, annuente etiam Juſtiniano Imperatore, *ibidem*. Quando, & quot ſeſſiones in ea habitæ fuerunt, *ibid.*

Conſtantinopolitana quædam Synodus ſub Nicephoro Patriarcha in cauſa Joſeph Presbyteri excommunicati, 474. Schiſma peperit, *ibid.* Ejus decreto quo abſolvebatur ab excommunicatione etiam ſine publica pœnitentia reſtiterunt quidam Sanċti Viri, *ibid.* Alia ſub eodem; quæ potius fuit Satanica Conventio, & quare, 475. In ea fuerunt iniqua & turpia ſancita, ac definita, 476.

Conſtantinopolitana Pſeudoſynodus ſub impio Conſtantino Copronymo, & ejuſdem farinæ Conſtantino Patriarcha adversùs cultum Sacrarum Imaginum, 390. Quid in ea aċtum ſit, 391. In eadem non fuit abolita interceſſio Sanċtorum, ſed cultus, 392. & 393.

Conſtantinopolitana Pſeudoſynodus ſub Theodoto Melliſeno Pſeudopatriarcha pro depoſitione Nicephori Patriarchæ, 482. Quædam opiniones de tempore quo celebrata fuit, 482. & 483. Impia ejuſdem aċta, 484.

Conſtitutiones quædam Juſtiniani Imperatoris editæ ad commodum & utilitatem Occidentalium, 188. aliæ de menſuris & ponderibus, *ibid.*

Conſulum deſignatio tempore quo Felix Papa ſcripſit ad Talaſium, 22. Error in ea deſignatione, & proponuntur duæ opiniones, *ibid.*

Corruptibilium, & Incorruptibilium hæreſes, 245. Earum auċtores quinam fuerint, *ibid.* Ea Incorruptibilium à Juſtiniano per ediċtum confirmata, *ibid.*

Cyriacus creatur Epiſcopus Conſtantinopolitanus, 224. Petit catholicam communionem à Romano Pontifice, *ibid.* Sæpè monitus à Magno Gregorio ſe abſtinere à vocabulo Epiſcopi œcumenici, nullatenus deſtitit, 232. Tandem mœrore confeċtus obiit, pag. 237.

S. Cyrillus Epiſcopus Alexandrinus monet Neſtorium ſe retraċtare à blaſphemia contra B. Virginem, quàm negabat Matrem Dei, 155. Ejuſdem Anathematiſmi contra hæreſes Neſtorii, *ibid. &* 156. Decepti quidam Epiſcopi putant eſſe prolapſum in Apollinarii hæreſim, 156. Se oſtendit alienum ab hæreſi Apollinarii, 157. Depoſitus in conciliabolo quodam Epheſino ſub Joanne Antiocheno, in œcumenica Synodo poſtulat ſuam cauſam examinari, & fuit reſtitutus in ſua Sede, 157. Ejus Epiſtola ad Neſtorium cum duodecim anathematiſmis approbata fuit ut orthodoxa ab Epheſina Synodo, 191. Adversùs hæreticos vocatur pugio bis acutus; & à quo ſic vocatus, 275.

Cyrus ductus in hæreſim à Sergio Epiſcopo Conſtantinopolitano, 239. Scribit ad eundem, poſtulans edoceri de ſua ſententia, qua aſſerebat unam tantùm in Chriſto operationem, 239. Synodum Alexandriæ congregat, 240. In ea confirmat hæreſim Monothelitarum, obſcuris verbis ſuam hæreſim exprimens, *ibid.* Certiorem reddit Sergium Conſtantinopolitanum de actis in ſua Synodo *ibid.* Scribit literas adulationc plenas, quæ recitatæ fuerunt in VI. Synodo, *ibid.* & 241.

Cyrus quidam Monachus ſubſtituitur Epiſcopus Conſtantinopolitanus, ejecto Callinico à Juſtiniano Juniore Imperatore, 361. Hic prædixerat Juſtiniano Imperii recuperationem, *ibid.* Fuit ejectus è throno à Philippico Imperatore, & non ſine ſpecioſo prætextu, nempe quòd contra omnia Eccleſiaſtica jura Cathedram Patriarchalem conſcendiſſet, 362. Miſſus eſt in exilium; eique ſuffectus fuit ab hæretico Principe alius hæreticus, *ibid.* Incluſus fuit ab eodem in quodam Monaſterio, 362.

D

DArdaniæ Epiſcopi certiorem reddunt Gelaſium Papam ante ſuam juſſionem vitaſſe conſortium, Euthichetis, Schiſmatici Acacii, aliorumque hæreticorum, 35. In turbulento ſtatu Eccleſiæ Orientalis tenaciter parebant Apoſtolicæ Sedi, & Euphemii communionem vitabant, 36.

Deuſdedit creatur Romanus Pontifex; ejus natio, patria, genus, & officium, quod antea exercebat, 238. Sanctiſſimè Eccleſiam Dei gubernavit, & ad Dominum migrat, *ibid.* De tempore quo vixit in Pontificatu diverſæ opiniones, *ibid.*

Deum non poſſe pingi ut eſt, nullumque habere ſibi ſimile, etiam quidam ſapientes Ethnici dixerunt, 456. Deridentur quidam, qui dixerunt Deum eſſe figuræ rotundæ, *ibid.* In quo ſenſu Imagines Dei prohibentur, & in quo ſenſu, non, 456. Dei Imaginem non eſſe admittendam neque pingendam, etiam quidam Catholici dixerunt; & quidam ait non eſſe de fide, ſicut de fide eſt Chriſti Imaginem eſſe pingendam, & quare, 452. Fortè in primitiva Eccleſia non invaluit uſus pingendi Imaginem Trinitatis, vel Dei Patris, & quare, 453. Deum eſſe corporeum, error quorundam, *ibid.* Quare modò invaluit in Eccleſia uſus pingendi Imaginem Dei Patris, ac Sanctiſſimæ Trinitatis, 453. Quo pacto, & in quo ſenſu efformantur Imagines Dei; & Spiritus Sanctus pingatur in ſpecie Columbæ, 453. & 454. Dei Imagines confingere ad ſignificandam ejus naturam nefas eſt Idololatricum, 455. Dei naturam eſſe ignotam aliqui Philoſophi gentiles à quonam didicerunt, 456. Cujuſdam hæretici ſcelus adversùs Imaginem Dei Spiritus Sancti in forma Columbæ, 454.

Divina Myſteria non eſſe peragenda coram omnibus, plures Sancti Patres docuerunt, pag. 469. Talis etiam fuit conſuetudo inter Apoſtolos, *ibid.*

Donus, ſeu Domnus Romanus Pontifex creatur, vitâ functo Adeodato; ejus patria & genus, 295. Accipit literas Conſtantini Pagonati Imperatoris pro Concordia Eccleſiarum, 297. Ad Dominum migrat, *ibid.* Diverſæ opiniones de tempore quo ſedit in Petri Cathedra, & probabilior eligitur, pag. 297.

Dorotheus Eccleſiæ Theſſalonicenſis Epiſcopus ſcribens ad Hormiſdam Papam, eum præcipuis laudibus exaltat de cura ardenter ſuſcepta pro Eccleſiarum unione, 65. Ejuſdem pietas, ac ſtudium oſtenſum in Apoſtolicam Sedem commendantur ab Hormiſda, *ibid.* Ejus malitiâ eveniunt Theſſalonicæ homicidia, 124. Ei jubet Juſtinus Imperator accerſiri Conſtantinopolim cauſam coràm Judicibus dicere, *ibidem.* Vocatur hæreticus ab Hormiſda in quadam ſua Epiſtola, *ibid.* Pecuniâ corrupit Judices, & ob id cum eo mitiſſimè agitur. 125. Theſſalonicam reverſus ſcribit ad Hormiſdam, innocentem ſe dicens, 126. Accipit reſponſum à Pontifice, ſed quid ab eo actum ſit in ſua cauſa non apparet, *ibid.* Jubente Juſtino Imperatore legationem ſuam direxit ad Romanum Pontificem, 141. Ob quem finem ejus legatio directa ad Hormiſdam, *ibidem.*

E

ECcleſia in damnandis hæreticis quoad Perſonas poſt eorum obitum, nondum in vita damnatis, conſuevit id agere poſt grave examen, 348. Hoc idem probatur quibuſdam exemplis, *ibid.* & 349.

Eccleſiæ Primatus non pendet ab Imperiali Sede, vel ſæculari Principatu, 3. Neque Eccleſiarum Privilegia, *ibid.* Vide in verbo. Romana Eccleſia.

Eccleſiæ Catholicæ ſtatus periculoſus tempore Vigilii Papæ, 163. Eccleſiarum concordia. Vide in verbo. Schiſma deletum.

S. Elias Patriarcha Hieroſolymitanus in viſione aſpiciebat fulmina quæ è Cœlo immittebantur adversùs Anaſtaſium Imperatorem, 85. Sibi mortem prædicit ad agendam ſuam cauſam ante divinum Tribunal adversùs Imperatorem Anaſtaſium jam mortuum, *ibid.* Ejus vitæ auſteritas, pagina, 85.

Em-

Emmanuel in Aula Theophyli Imperatoris domeſticus, & Magiſter Scholarum, 498. Fuit conſtitutus Tutor Michaelis Imperatoris, *ibid.* Divina vi impulſus incipit palàm loqui de abolenda Iconoclaſtarum hæreſi, 498. Cùm eſſet Iconoclaſta, dicit ſe ſententiam mutaſſe, quia à læthali morbo liberatus per interceſſionem Sanctorum ſub promiſſione curandi reſtituere cultum Sacrarum Imaginum, 499. Trahit Theodoram Imperatricem executioni mandare intentum de reſtituendo cultu Sacrarum Imaginum, *ibid.*

Epheſina Synodus ſancta & œcumenica, 157. In ea Neſtorius ter citatus, & accedere renuens damnatus fuit, 195. Ejus ſententiâ adversùs tenentes Symbolum Theodori Mopſueſteni, 190. Examinatis ſcriptis S. Cyrilli Alexandrini, ea approbat ut fidei conformia, 191.

Epiphanius quondam Syncellus ſuccedit Joanni Epiſcopo in Sede Conſtantinopolitana, 128. Promittit ſe ſervaturum regulas Patrum, & concordiam initam cum Eccleſia Romana, *ibid.* & 129. Certiorem reddit Romanum Pontificem de ſua Electione, licèt tardiùs quàm par fuerat, & mittit ad eundem fidei profeſſionem, *ibidem* & 130. Cogit Synodum Conſtantinopoli, in qua decernitur legatio ad Romanum Pontificem, 131. Ejus obitus, 147.

Epiſcopi quando ſunt expellendi ab Epiſcopatu debet intervenire Canonica Sententia, & ſine illa non poſſunt expelli etiamſi ſint rei, ex litteris Theodori Papæ ad Paulum Epiſcopum, 261. Epiſcopi quidam Orientis vexati ab Anaſtaſio Imperatore, & quare, 36.

Epiſtolæ Hormiſdæ Papæ ad Anaſtaſium Imperatorem, & ad quoſdam Epiſcopos Orientis vel pro concordia Eccleſiarum, vel ad reſipiſcendum ab hæreſibus. Vid. in verbo Hormiſda. Aliæ ejuſdem ad Juſtinum Imperatorem, & ad alios illuſtres viros in cauſa unionis Eccleſiarum. Vid. *ibid.* Aliæ ejuſdem ad Juſtinum, Joannem Epiſcopum Conſtantinopolitanun, & ad alios viros, ac mulieres illuſtres; in quibus omnes commendat propter initam concordiam Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ cum Romano Catholica, 108. & *ſeq.* Eos hortatur ut idem faciant pro concordia Eccleſiarum Alexandrinæ, & Antiochenæ, 108. & *ſeq.* Ejuſdem ad Juſtinianum reſponſivæ; in una aſſerit retineri Romæ quoſdam Scythas Monachos uſque ad adventum Legatorum in Urbem, 115. In alia, ut Romam mittatur Victor Diaconus infamatus de hæreſi à Monachis Scythis, *ibid.* & *ſeq.* Ejuſdem ad Poſſeſſorem Epiſcopum, in qua narrat peſſima geſta Schytharum Monachorum, dum Romæ morabantur, 117. & *ſeq.* Ejuſdem ad Epiphanium Epiſcopum, in qua conqueritur, quòd non deſtinaverit Legatos ad Apoſtolicam Sedem pro ſua Electione, 129. Ejuſdem ad ſuos Legatos, in qua petit rationem ſuæ moræ, 131. & *ſeq.*

Epiſtolæ Juſtini ad Hormiſdam de inita concordia Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, 103. Ejuſdem, de conciliandis aliis Eccleſiis Orientis, 127. In ea dicit ad concordiam ſufficere ſi ſolùm deleatur nomen Acacii, & cur, 128. Ejuſdem, Euphemiæ Auguſtæ, Julianæ Nobilis fœminæ, & Celeri Viri illuſtris ad Hormiſdam per ſuos Legatos Romam redeuntes, in quibus exprimitur ſollicita cura pro unione Eccleſiarum, 132. & 133. Alias ejuſdem Juſtini vid. in verbo Juſtinus.

Epiſtolæ Juſtiniani Comitis ad Hormiſdam, in quarum una petit ut remittantur quidam Monachi Scythæ, 114. In alia, an debeat prædicari unum de Trinitate Crucifixum, 115. Ejuſdem de conciliandis Eccleſiis Orientis, 127. Et quid ſufficiat ad talem concordiam, 128. Ejuſdem, in qua exponit difficultatem quorundam Epiſcoporum in delendis nominibus aliquorum Epiſcoporum orthodoxorum præter nomen Acacii, & controverſiam de uno de Trinitate Crucifixo, 130. Alias ejuſdem Epiſtolas vid. in verbo Juſtinianus.

Epiſtola Epiphanii Epiſcopi Conſtantinopolitani ad Hormiſdam, in qua oſtendit Imperatoris, Conjugis, & ſuam animi alacritatem pro pace reddita Eccleſiis; indicat in unionem recipiendos Sacerdotes Orientis nomina ſuorum Epiſcoporum damnare volentes; ubi & quædam munera ad Papam tranſmiſſa connumerat, 135. & *ſeq.* Aliam vide in verbo Epiphanius.

Epiſtola Amatoris Epiſcopi ad S. Sylverium Papam, in qua certior fieri petit de ſuo exilio, 151.

Epiſtola ſub nomine Ibæ, in qua ſcripta Sancti Cyrilli reprobantur, & Theodorus Mopſueſtenus hæreticus laudatur, 153.

Epiſtola Pontiani Africani Epiſcopi ad Juſtinianum Imperatorem in cauſa damnationis Theodori, & Scriptorum Theodoreti ac Epiſtolæ Ibæ, 159

Epiſtola Vigilii nondum Papæ ad Theodoram Auguſtam, in qua ſignificat ſe eſſe ejuſdem ſectæ cum ſua, 151. Eſt dubium an hæc Epiſtola fuerit ſua, *ibid.* Ejuſdem jam Papæ in cauſa trium Capitulorum, 160. Ejuſdem ad Aurelianum Epiſcopum, in qua ſignificat nil attentaſſe adversùs Concilium Chalcedonenſe, 161. Ejuſdem, in qua damnat Ruſticum & Sebaſtianum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Diaconos, 163. Ejuſdem ad univerſos Chriſti fideles, ne quidquam calumnioſum à ſchiſmaticis evulgatum adversùs eum mentes fidelium præoccuparet, pag. 170. Ejuſdem ad Eutychium Epiſcopum Conſtantinopolitanum rectè de fide ſen-

ſentientem ; in qua commendat ejus fidem, & annuit poſtulatis de cogenda Synodo, pag. 174. Ejuſdem ad Eutychium, in qua anathematizat Theodorum Mopſueſtenum, & tria Capitula. 183.

Epiſtola Eutychii Epiſcopi Conſtantinopolitani ad Vigilium Papam, in qua ſuam ordinationem ſignificat, & fidei profeſſionem, 173.

Epiſtola Theodoreti Epiſcopi Cyri ad Joannem Epiſcopum Antiochenum, in qua calumniatur S. Cyrillum, 191. Ejuſdem ad Monaſteria contra S. Cyrillum, 193. Ejuſdem ad Andream Epiſcopum Samoſatenſem adversùs Epheſinam Synodum, *ibidem.* Ejuſdem ad Neſtorium, in qua improbat ejus condemnationem ut malè latam, 194. Ejuſdem ad Joannem Antiochenum adversùs Anathematiſmos S. Cyrilli, *ibid.*

Epiſtola S. Leonis Magni, in qua ait, circa definita in Conciliis generalibus non eſſe ampliùs controvertendum, 197.

Epiſtola Pelagii Papæ ad quandam Conſtantinopolitanam Synodum, annullantis ejus geſta, in quibus Joannes Patriarcha ſibi nomen Epiſcopi œcumenici temerè uſurpabat, 207.

Epiſtola S. Gregorii Magni ad Mauritium Imperatorem in cauſa quarundam legum ab eo editarum contra Eccleſiaſticam libertatem, 211. Ejuſdem ad Theodorum Medicum Imperatoris ut cum eo agat pro eadem cauſa, 212. Ejuſdem ad plures Epiſcopos pro eadem cauſa, 213. Ejuſdem ad Severum Exarchum pro pace ineunda cum Rege Longobardorum, 214. Ejuſdem ad præfatum Mauritium, in qua ſe purgat de quibus Imperator conquerebatur, *ibidem.* Ejuſdem ad Joannem Epiſcopum Conſtantinopolitanum, in qua monet non ſibi uſurpare nomen Epiſcopi œcumenici, 216. Ejuſdem ad Sabinianum Diaconum, & iterum ad Mauritium in cauſa nominis Epiſcopi œcumenici uſurpati à Patriarcha Conſtantinopolitano, 219. Ejuſdem ad Conſtantinam Auguſtam, 221. Ejuſdem ad quoſdam Epiſcopos pro eadem cauſa, pagina, 222., 225., & 226. Ejuſdem ad Phocam Imperatorem, in qua gaudet de ſua aſſumptione ad Imperiale faſtigium, 230. Ejuſdem ad Leontiam Auguſtam, cui gratulatur, 231. Ejuſdem ad Cyriacum Epiſcopum Conſtantinopolitanum, in qua monet abſtinere à nomine Epiſcopi œcumenici, 231.

Epiſtola Phocæ Imperatoris ad S. Gregorium Papam, in qua petit aliquem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Apocriſiarium, 230.

Epiſtola Cyri Phaſidis Epiſcopi ad Sergium Epiſcopum Conſtantinopolitanum, in qua tribuit ei nomen Epiſcopi œcumenici, & petit edoceri de ſententia circa unam in Chriſto operationem, 239. Alia ejuſdem ſatis adulatoria, 240. Ejuſdem ad Sergium de una in Chriſto operatione, 254.

Epiſtola Sergii Conſtantinopolitani ad Honorium Papam, in qua agit de una in Chriſto operatione, 241. Ejuſdem ad Cyrum Alexandrinum, in qua eum commendat quòd afferat unam in Chriſto operationem, 277.

Epiſtola Honorii Papæ ad Sergium in cauſa de una in Chriſto operatione, 246. Alia ejuſdem in eadem cauſa, 250.

Epiſtola Theodori Papæ ad Paulum Epiſcopum Conſtantinopolitanum, in qua eum redarguit, quòd Ecthesim Heraclii ſuſceperit, & Sedem occupaverit, ſuperſtite Pyrro & non adhuc damnato, 260.

Epiſtola Pauli Epiſcopi Conſtantinopolitani ad Theodorum Papam, in qua cooperit ſuam hæreſim, 271.

Epiſtola Sergii Epiſcopi Cypri ad Theodorum Papam adversùs Monothelitas, 263.

Epiſtolæ Epiſcoporum Concilii Bizaceni ad Conſtantinum Auguſtum adversùs Paulum Epiſcopum Monothelitam, 266. Et Epiſcoporum Concilii Provinciæ Proconſularis ad Paulum ut reſipiſcat ab hæreſi Monothelitica, 267.

Epiſtolæ Victoris Epiſcopi Carthaginenſis ad Theodorum Papam de ſua conſecratione, & Synodo coacta adversùs Monothelitas, 268. Et Columbi Epiſcopi ad eundem Pontificem adversùs Monothelitas, 270.

Epiſtola Sancti Martini Papæ ad Conſtantem Imperatorem, in qua eum monet reiicere hæreſim Monothelitarum, 280. Aliæ ejuſdem ad quoſdam in quibus recenſet ſuam carcerationem, ærumnas, & exilium, 282., 283., & 287.

Epiſtola Conſtantini Pagonati Imperatoris ad Donum Papam pro componenda pace Eccleſiarum, 295. Et Agathonis Papæ ad Conſtantinum pro Synodo generali cogenda, & condemnanda Monothelitarum hæreſi, 300. Et ejuſdem Pontificis ad S. Edictum Epiſcopum Viennenſem, in qua eum certiorem facit de condemnatione Antiocheni Epiſcopi, 314.

Epiſtola Joannis Patriarchæ Conſtantinopolitani ad Conſtantinum Papam, in qua veniam petit de ſua hæreſi quam relinquit, 364.

Epiſtola Gregorii Papæ II. ad S. Germanum Patriarcham Conſtantinopolitanum pro cultu Sacrarum Imaginum, 372. Ejuſdem ad Leonem Iſaurum Imperatorem, in qua eum monet reſipiſcere ab impietate adversùs Sacras Imagines, 374. Et alia ad eundem in eadem cauſa, 379.

Epiſtola proditoria Leonis Iſauri ad Principem Saracenorum adversùs Joannem Damaſcenum, 383.

Epiſtola Hadriani Papæ ad Tharaſium Patriarcham

cham Conſtantinopolitanum, in qua gratulatur de Evectione ad Sedem Patriarchalem, & pia affectione quam habet erga Sacras Imagines, 404. Ejuſdem ad Conſtantinum & Irenem Imperatores, in qua laudat eorum Zelum, & annuit pro cogenda Synodo in cauſa cultus Sacrarum Imaginum, 412.

Epiſtola Tharaſii ad Epiſcopos Antiochiæ, Alexandriæ, & Hieruſalem, in qua eos certiores facit de ſua ordinatione, & de zelo erga cultum Sacrarum Imaginum, pagina, 406. Eorundem Epiſcoporum reſponſiva, quæ eſt gratulatoria, & in qua agunt de cogenda generali Synodo in cauſa præfati cultus, 408.

Epiſtola Conſtantini & Irenæ Imperatorum ad Hadrianum Papam pro cogenda generali Synodo in cauſa cultus Sacrarum Imaginum, 410.

Epiſtola Synodica Patrum Nicænæ II. Synodi ad Hadrianum Papam, 426.

Epiſtola B. Simeonis Stylitæ ad Juſtinum Juniorem Imperatorem, in qua eum rogat punire Samaritas ob impietatem quam exercuerunt adversùs Sacras Imagines, 440.

Epiſtola Synodica Nicephori Conſtantinopolitani Patriarchæ ad Romanum Pontificem, in qua ſe excuſat de cunctatione ad eum ſcribendi, 478.

Epiſtola Theodori Studitę ad Nicephorum Patriarcham, in qua curat eum revocare à receptione cujuſdam Presbyteri in ſuam communionem, 474. Ejuſdem ad Leonem Papam, quem certiorem reddit de quadam Synodo Conſtantinopolitana ſub Nicephoro, & de iniquè in ea ſancitis, 476. Ejuſdem ad Monachos, in qua eos hortatur eſſe ſtabiles in fide catholica, 481. Ejuſdem ad hæreticos, in qua propriam oſtendit in fide ſtabilitatem, 482. Ejuſdem, in qua conſolatur Nicephorum Patriarcham in exilio amandatum ob cultum Sacrarum Imaginum, 483. Ubi & aliæ ejuſdem adnotantur Epiſtolæ. Ejuſdem ad Paſchalem Romanum Pontificem, in qua eum certiorem facit de contemptu Sacrarum Imaginum, & perſecutionibus Orthodoxorum; ac ſe cæteroſque orthodoxos ei commendat, 484. Ejuſdem ad eundem Pontificem, in qua ei gratias agit, quòd confirmaverit Ortho doxos Orientales in eiiciendo Apocriſiarios cujuſdam PſeudoPatriarchæ Conſtantinopolitani, 486. Ejuſdem ad Epiphanium de Epiſtola præfata Romam mittenda, *ibid.* Ejuſdem ad Naucratium, in qua gaudet Leonis Armeni morte ob reſpirationem quam ſperat orthodoxorum, 488. Ejuſdem ad Michaelem Balbum, in qua putans eum eſſe Orthodoxum gaudet de ſua ad Imperium evectione, eique commendat cultum Sacrarum Imaginum, & Orthodoxos cultores, 489.

Epiſtola Orthodoxorum Epiſcoporum ad Michaelem Balbum, in qua ſe excuſant non poſſe cum hæreticis convenire, 489.

Epiſtola Michaelis Balbi Imperatoris Orientis ad Ludovicum Pium Imperatorem Occidentis, in qua plura inſerit de Sacris Imaginibus mendaciis referta, 492.

Epiſtola Ludovici Pii ad Eugenium Papam de legatione ad Græcos mittenda in cauſa cultus Sacrarum Imaginum, 493. Ejuſdem ad ſuos deſignatos Legatos, in qua eos inſtruit quomodo ſe gerere debeant cum Romano Pontifice in ſua Legatione, 494.

Eugenius qui poſtea fuit hujus nominis Papa I. ſubſtituitur loco Martini Papæ in exilium amandato, ad gerendam ejus vicariam poteſtatem in Eccleſia Dei, 288. Ejus genus, patria, & egregiæ virtutes, *ibid.* Accipit quandam Epiſtolam Petri Patriarchæ Conſtantinopolitani noviter electi, qua petebat recipi in ſuam communionem; ſed eam reiicit, quia erat ſatis perplexa & ambagibus plena, nihil aſſerens de duabus in Chriſto operationibus, 288. Mortuo Sancto Martino, accedente novo Romani Cleri conſenſu Pontifex Romanus creatur, 289. Ejus obitus; & diverſæ opiniones de tempore quo obiit, *ibid.*

Eugenius hujus nominis II. creatur Romanus Pontifex loco Paſchalis; ejus patria, genus, ac ſancti mores, 491. Diſſenſio in ejus electione, ſed ſedatur, majori parte ſtante pro ipſo, *ib.* Permittit Ludovico Pio tractare in privato Conventu Pariſienſi quæ ſpectant ad cultum Sacrarum Imaginum, non tamen ſynodaliter; & quare non ſynodaliter, 493. Non aſſentitur Ludovico Pio, nec ſuis Legatis, circa ea quæ in prædicto Conventu deciſa fuerunt de retinendis, non verò adorandis Sacris Imaginibus, non diſcedens à definitione Nicænæ II. Synodi, 494. Mittit Legationem ad Ludovicum Pium eum revocans à ſententia illius Pariſienſis Conventus, 495. Ejus obitus, 496.

Euphemius Dux Siciliæ raptam Virginem ſibi matrimonio copulat, & cujuſnam motus exemplo, 496. Quæſitus ad pœnam fugit, init fœdus cum Saracenis, & introducit in Siciliam, *ibidem*. Capite plectitur, pagina, 496.

Euphemius Patriarcha Conſtantinopolitanus ſuffectus loco Flavitæ, ejus conditio, & patria, 22. Recipit literas Petri Alexandrini pro mutua communione, ſed eaſcontemnit, & quare, *ibid.* Expungit è Sacris Dypticis nomen Petri Moggi, & reponit nomen Felicis Papæ, ad quem etiam ſcribit, *ibid.* Ejus fides eſt recepta, 23. Scribit ad Gelaſium Papam ſucceſſorem Felicis, 25. Reſcribit ad eundem flectendum recipere ſe in ejuſdem communionem catholicam; & conqueritur cum eodem Pontifice

tifice renuente eum recipere, 26. Reſiſtit monitis paternalibus Gelaſii Papę, 29. Animum vertit ad inferenda convicia adversùs Pontificem; & duo falſa propalat ad defenſionem ſchiſmatici Acacii, *ibid.* Præſumit Romanum Pontificem non potuiſſe ex ſe ſolo damnare Acacium, *ibid.* Sed refutatur à Gelaſio, 30. Dicit ſe poſtulaſſe veniam, ſed injuſtè à Romano Pontifice denegatam, 29. Et ad id occurritur, 31. Blanditiis & fraudibus in ſuas partes adducere plures conatur, 34. Sed ejus blanditiæ contemnuntur à pluribus Orientalibus Epiſcopis, *ibid.* Secernit à ſua communione eos qui Apoſtolicæ Sedi communicabant, & proclamat, Acacium fuiſſe injuſtè damnatum, 36. Imperatoris juſſu è Patriarchali Sede ejicitur, & in exilium mittitur, 38. Id ex una parte injuſtè paſſus eſt ab Imperatore, ſed non ſinè juſto Dei judicio, 39.

Euphemia Juſtini Imperatoris uxor, quæ anteà Lupicina, cùr nomen mutaverit, 96. Erat fœmina pietate inſignis, *ibid.*

Eutychius Monachus creatur Epiſcopus Conſtantinopolitanus loco Mennæ, 173. Exhibet profeſſionem Fidei Vigilio Papæ, *ibid.* Exilium paſſus ſub Juſtiniano Imperatore, 206. Ejus obitus, *ibid.*

F

FElix hujus nominis III. creatus Romanus Pontifex, ejus genus, & patria, 12. Proſcripſit impii Zenonis Ennoticon, & alia plura præclarè ab hoc Pontifice geſta connumerantur, *ibid.* Cogit Romæ Synodum ex Epiſcopis Italiæ, & quarè, 13. Scribit ad Petrum Fullonem, ut reſipiſcat, *ibid.* Nunciat Zenoni Imperatori damnationem Petri Fullonis, & hortatur, ut eum depoſitum ab Antiochena Eccleſia expellat, 15. Legatis Bizantium miſſis adjungit Felicem fidei defenſorem, qui non progreditur iter infirmitate detentus, 13. Ejus edictum, in quo publicatur Acacii damnatio, 17. Conqueritur cum Zenone de violatis ab eo Legatis, & eum hortatur ut damnationi Acacii, & Petri acquieſcat, 18. Ejus adhortatio tranſmiſſa ad Clerum & Populum Conſtantinopolitanum, nè conturbentur ob Legatorum ſuorum prævaricationem, *ibid.* Certiores reddit Monachos Cõſtantinopolitanos, & Bithyniæ de Tuti damnatione, 19. Tribuit eis regulam agendi cum Monachis lapſis, qui reſipiſcebant, 20. Conatur damnatum Acacium ad pœnitentiam revocare, *ibid.* Inſtat Flavitam Acacii ſucceſſorem eradere è ſacris Dypticis nomina Petri, & Acacii, 21. Scribit ad Talaſium, nè ipſe, vel ſui Monachi communicent cum Eccleſia Conſtantinopolitana, *ibid.* Non recipit Euphemium in ſuam communionem, & quare, 22. Dedit tamen ad illum literas non quidèm communicatorias, ſed comminatorias, *ibid.* Scribit iterùm ad Zenonem Imperatorem, hortans, nè permittat publicè recitari nomen Acacii, qui deceſſit extrà catholicam communionem, 22. Rationem reddit, cùr non admiſerit in ſuam communionem Legatos Cleri Conſtantinopolitani, *ibid.* & *ſequ.* Certior fit fraudum Flavitæ Epiſcopi Conſtantinopolitani, 21. Eum monens abſcindere è ſacris Dypticis damnatorum nomina, ejicit ſuos Legatos Romam miſſos, 21. Accipit notitiam de electione Anaſtaſii Imperatoris, & lætatur, & quarè, 25. Migrat ad Dominum, *ibid.*

Felix hujus nominis IV. Romanus Pontifex creatus, ejus patria, & genus, 147. Ejus obitus, *ibid.*

Felix Gillitanus, & Lampridius Conſtantinopolim veniunt, & quarè, 162. Vigilio Papæ ſe rebellant, & ejus vitant communionem, *ibid.* Doloſè ſecernunt quoſdam Clericos Eccleſiæ Romanæ à Summo Pontifice, 163.

Ferrandus Epiſcopus Africanus rejicit edictum Juſtiniani Imperatoris in cauſa de tribus Capitulis, 159.

Fidei rebus definitis jam à generalibus Conciliis nihil eſt augendum, vel minuendum, 262. *in num. marg.* 508. & 512. Anathema his, qui demunt, vel augent, *ibid.* Ex Epiſtola Theodori Papæ, *num. marg.* 512.

Flavianus junior ſuffectus Epiſcopus in Antiochena Eccleſia loco Palladii, 39. Fuit orthodoxus; ab initio adversùs Imperatorem Anaſtaſium, cæteroſque hæreticos decertavit, *ibid.* Ab Imperatore mittitur in exilium, 56. Ejus obitus, *ibid.*

Flavita ſuccedit Acacio in Epiſcopatu Conſtantinopolitano, 20. Fuit hæreticus & hæreticorum fautor; ſed affectavit dici catholicus, & ſcripſit ad Felicem Papam, *ibid.* Scribens ad Petrum Moggum, conteſtatur ſe communioni Felicis Papæ adverſari, 21. Ejus repentinus obitus, & antequàm Felicis Papæ literas reciperet, *ibid.* Ejus fraus Imperatori detecta, *ibid.*

Fœminæ quædam conſtantiores Viris perſiſtunt in catholica Religione tempore Anaſtaſii impii Imperatoris, 99. Inter has Anaſtaſia & Palmaria genere nobiliſſimæ, *ibid.* Ad has ſcripſit Hormiſda Papa tempore Juſtini, *ibid.*

Francfordiêſe Concilium damnaſſe ſeptimam Synodum, opinio aliquorum, 429. Erraſſe errore facti, non juris, 430. Non damnaſſe ſeptimam Synodum, opinio aliorum, 432. Hæc ſecunda opinio concluditur, & tenetur ab Auctore, 437. Referuntur Scriptores, qui dixerunt, præfatam Synodum fuiſſe ibi damnatam, 439. Obſervatione dignum,

gnum, neminem eorum vocare eam Nicænam, ſed Conſtantinopoli celebratam, ex quo ſuſpicio advenit, ſermonem eſſe de Synodo Græcorum hæreticorum ſub Copronymo, *ibid.*

G

GAllicana Synodus adversùs Monothelitas, 300. Ab ea miſſi ſunt Legati ad Concilium generale, *ibid.* Ejus tamen Acta non extant, *ibid.*

Gallicani Præſules in quodam conventu Pariſienſi non damnarunt cultum debitum ac proportionatum ſacris Imaginibus, ſed indebitum; & quarè, 495. Quædam tamen exiſtimarunt ſuperſtitioſa quæ reverà non erant, ideò reprehenſi fuerunt ab Apoſtolica Sede, *ibid.*

Gelaſius Papa creatur, ejus patria, & genus, 25. Negat communionem catholicam Euphemio Conſtantinopolitano Epiſcopo, & quarè, 26. Scribens ad Euphemium ejus objecta, & Acacii defenſionem refutat, ſuam humilitatem etiam oſtendens, *ibid.* Agit cum Fauſto Officiorum Magiſtro in Aula Theodorici Regis, ut Conſtantinopolim pergens, conciliator accedat Eccleſiæ Orientalis cum Occidentali, 29. Sed nihil agit, 30. Ejus commonitorium, quo proclamat Græcorum obſtinationem, dans etiam rationem, cùr Græcis veniam poſtulantibus, venia denegetur, *ibidem*. Ubi & oſtendit falſitatem calumniæ objectæ ab Euphemio, *ibid.* Hortatur Anaſtaſium Imperatorem obtemperare Apoſtolicæ Sedi, & Eccleſiarum pacem curare, 32. Certiores facit Orientis Epiſcopos de damnatione Theſſalonicenſis Epiſcopi; eos admonet, nè ſuaderi ſinant, Acacio fuiſſe laxatum crimen ſuæ prævaricationis; nec circumveniri à ſchiſmaticis, dùm dicerent, non de Religione, ſed de moribus eſſe quæſtionem, 35. Videns ſe nihil proficere cum Anaſtaſio & Euphemio, indicit Romæ Synodum, in qua & plura Eccleſiæ utilia decreta ſunt, 36. Oſtendit Acacium juſtè fuiſſe damnatum; & quòd damnata per Synodum hæreſi, damnantur etiam ſectatores, & communicantes cum illis, 37. Ejus obitus, 39.

Gennadius Anatolii ſucceſſor in Conſtantinopolitano Epiſcopatu; & ejus bonæ qualitates, 7. Ejus obitus, *ibid.*

Generalium Synodorum geſta non ſubjiciuntur examini Synodorum Provincialium, & quarè, 438.

Georgius Patriarcha Conſtantinopolitanus tempore, quo ibi indicta fuit Synodus generalis, imperante Conſtantino Pagonato, 305. Eo præſente, incœpta fuit Synodus, 306. Petit legi literas Agathonis Papæ, 307. Et in eadem Synodo proferri Codices Sanctorum Patrum, quibus duæ voluntates in Chriſto aſſeruntur, ut conferantur cum Codicibus Patriarchii, *ibid.* Catholicam profeſſionem emittit coràm Concilio, duaſque voluntates in Chriſto confitetur, *ibidem*. Petit, ut nomen Vitaliani Papæ à Theodoro Conſtantinopolitano, & Macario è ſacris Dypticis expunctum, iterùm reſtituatur, 308. Rogat, ut nominatim non anathematizentur quidam Epiſcopi ſui deceſſores hæretici; ſed fruſtrà, 313. Ejus obitus, & quis ei ſucceſſerit, 315. De tempore, quo ſedit in Cathedra Conſtantinopolitana, diverſæ opiniones, 355., 356. & 361.

Germanus ſanctitate clarus ſufficitur Patriarcha Cõſtantinopolitanus loco Joannis Monothelitæ è Throno ejecti, 368. Eunuchus factus à Conſtantino Pagonato in odium ſui genitoris ab ipſo occiſi, *ibidem*. Habuit prophetiæ donum, *ibid.* Coronat Leonem Iſaurum Imperatorem, 370. Conſilium præſtat Theodoſio omittere Imperium, 369. Monet Leonem Iſaurum reſipiſcere ab hæreſi Iconoclaſtarum, 371. Admonet Romanum Pontificem de hæreſi hujus Imperatoris, 372. Defendit ſacrarum Imaginum cultum, *ibid.* Ejicitur è Sede Conſtantinopolitana ob cultum ſacrarum Imaginum, & ſecundùm aliquos, in exilium mittitur, 384.

Græci curant primatum Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, 2. Eorum ſuperbia & ambitio eſt cauſa ſchiſmatis, 1. Eccleſiaſticum Principatum non à Chriſto, vel à Petro originem trahere ſibi ſuadent, ſed ab Imperatore, *ibidem*. Eorum ſimulatio & malitia, 72. Sedem Apoſtolicam medicinalia eis ſuggerentem ſuperbam & arrogantem vocant, ex Epiſtola Gelaſii, 34. Non intelligunt Canones, quos opponunt Gelaſio Papæ, 30. Utplurimùm ſunt averſi Romanis Pontificibus, 348. Exhibent Acta ſextæ Synodi adversùs Honorium Papam, 347.

S. Gregorius Magnus Papa hujus nominis I. ejus genus & patria, 211. Anteà fuit S.R.E. Diaconus Apocriſiarius apud Imperatorem, 178. Graves concertationes habuit cum Mauritio Imperatore, 211. Circà quę concertationem habuit, *ibid.*, 212. & *ſequ. uſque ad* 222. Plures Epiſtolas ſcripſit, ad Mauritium ſcilicèt, ad Conſtantinam Auguſtam, & alios. *Vide verbum Epiſtola S. Gregorii*. Vindicatur à quibuſdam, quæ ei objiciuntur, nempè quòd ſatis abjectè ſcripſiſſe videatur ad Mauritium; quòd videatur aſſerere Sacerdotes Imperiali poteſtati ſubjectos; & quòd publicaverit edictum Imperatoris, nè miles Monachus efficiatur, nondùm completâ militiâ, 212. & 213. Adverſatur Joanni Epiſcopo Con-

ſtantinopolitano ſibi nomen Epiſcopi œcumenici uſurpantis, 219., 220., 221., & 222. Suſcipit Legatos Cyriaci Conſtantinopolitani Epiſcopi ſucceſſoris præfati Joannis; & ejus fidei profeſſionem, 224. Eum monet abſtinere à nomine Epiſcopi œcumenici, & prohibet Sabiniano Diacono Apocriſiario habere communionem cum eodem, 225. Mittit ad Phocam Imperatorem Bonifacium Diaconum S.R.E. Apocriſiarium, 230. Certiorem reddit Imperatorem de miſerando ſtatu Eccleſiæ Romanæ, *ibid.* Hortatur etiam Leontiam Auguſtam fovere Romanã Eccleſiam, 231. In Domino obiit, & quo anno, 232.

Gregorius hujus nominis Papa II., ejus patria & genus, 368. Recipit in ſuam communionem Leonem Iſaurum Imperatorem eam petentem, 370. Scribit ad Germanum Conſtantinopolitanum Patriarcham, commendans ejus fortitudinem adversùs Leonem Iſaurum Iconoclaſtam detectum, 372. Graviter redarguit Leonem Iſaurum de errore Iconoclaſtarum, & impiâ everſione ſacrarum Imaginum, 374. *uſque ad* 377. Ei exponit, qua ratione, & quomodò ſunt adorandæ ſacræ Imagines, 375. & 376. Eum increpat, quòd non ſervàverit fidem, quam in initio profeſſus fuerat, & cujus profeſſionem manu propria conſcripſerat, *ibidem.* Increpat, quòd minaretur adducere ipſum Conſtantinopolim vinctum, 377. Iterùm eum redarguit de impietate adversùs ſacras Imagines, & deprecatur reſipiſcere, 379. & *ſeq.* Cogit Romæ Synodum, anathematizat Imperatorem, & prohibet ei vectigalia ſolvi, 381. Reſiſtit eidem Imperatori curanti aboleri ſacras Imagines etiam in Occidente, 382. Ejus obitus in Domino, 385.

Gregorius hujus nominis III. Romanus Pontifex creatus, ejus natio, genus, & optimi mores, 385. Scribit ad Leonem Iſaurum, adhortans reſipiſcere ab errore Iconoclaſtarum, *ibidem.* Tentat deponere Gregorium quendam Presbyterum, quem Legatum miſerat ad Imperatorem, eò quia ob metum ei literas non contradiderit, *ibid.* Ejus obitus, 388.

Gregorius hujus nominis IV. Romanus Pontifex, ejus patria, genus, eruditio, & egregii mores, 496. Quanto tempore ſedit in Petri Cathedra, *ibid.*

Gregorius Antiochenus Epiſcopus calumnias patitur à primoribus, & Plebe; & quo[illegible], 206. Se purgat à calumniis, *ibid.* Ejus ſola cauſa deciſa in Synodo Conſtantinopolitana ſub Joanne Jejunatore ratificata fuit, 207. & 210.

Gregorius quidam Presbyter pœnitentiâ affectus ob non contraditas literas Gregorii III. Leoni Imperatori, 385. Iterùm mittitur ad Imperatorem Iconoclaſtam, 386. Detinetur exul in Sicilia juſſu Imperatoris, *ibid.*

Guloſus Primas Provinciæ Proconſularis cogit Synodum adversùs Monothelitas, 267. Conqueruntur ipſe, & ſui Epiſcopi ſubjecti cum Paulo Epiſcopo Conſtantinopolitano, quòd permiſerit Monothelitarum hæreſim, 267. & *ſeq.*

H

Hadrianus Papa hujus nominis I., ejus illuſtre genus, patria, & dignitas, qua antecedenter potiebatur, 399. Laudat Tharaſii Patriarchæ fidem, & ſacrarum Imaginum cultum, 404. Reprehendit tamen eum ex laico ſtatu ad Patriarchalem dignitatem electum contrà ſacros Canones, & quòd nomine univerſalis Patriarchæ utatùr in Epiſtola ad Irenem & Conſtantinum Imperatores, *à* 412. *uſque ad* 419. Ejus in Domino obitus, 472.

Hæretici falſant quandam Epiſtolam Sancti Leonis Magni, ut videretur receptor Neſtoriani erroris, & ad ſimplices decipiendos, 44. Eorum fraus, in quo apparuit, *ibid.* Patrocinante Anaſtaſio Imperatore, adversùs orthodoxos inſiliunt, & Eccleſias diripiunt, 81. Aliqui eorum aſſerentes, Chriſtum eſſe Deum, negant eſſe unum de Trinitate, 141. Confutantur autem ab Hormiſda Papa, 140. Ipſi & ſchiſmatici poſſunt poſt mortem excommunicari, vel denunciari ſegregatos obiiſſe, ſi dùm viverent, eorum hæreſis fuit ignota Eccleſiæ, 201. Quinam fuerint, qui ante Monothelitas vulgò dictos, negarunt duas in Chriſto voluntates & operationes, 316. Eorum erroribus damnatis damnari eorum ſectatores, & cum eis communicatores, probatur pluribus exemplis à Gelaſio Papa, 37.

Hempedocles reprehendit Homerum, & Heſiodum, eò quòd Diis ſpeciem hominis confinxerunt, 457.

Heracleon Imperator ſuffectus loco cujuſdam Conſtantini, 256. Paulò poſt deponitur, & in exilium amandatur cum matre ſua, *ibid.*

Heraclius conclamatur Imperator, 238. Favet Monothelitarum hæreſi, *ibid.* & 239. A' quonam tractus in hæreſim Monothelitarum, *ibid.* Ejus Ectheſis, in qua adſtruit unam tantùm in Chriſto operationem, 252. Damnatur ab Epiſcopis Africæ, 255. Proclamatur hæreticus in univerſo Occidente, 256. Ut conſulat ſuo honori, promulgat Ectheſim non eſſe ſuam, *ibid.* Morti proximus commendat Pyrrho uxorem & filios, 265. Confectus putridis morbis, ultimum claudit diem, 256.

Hieroſolymitanus Epiſcopus ſemper ſubjectus Metropolitano, 4. Quidam acriter re-

reprehenſus à S. Leone Papa, quia præſumebat Eccleſiæ ſuæ Primatum, 5. Ejus tamen Eccleſiæ aliquem honorem tribuerunt particularem Nicæni Patres ob reverentiam B. Jacobi Apoſtoli, 4.

Hilarius Sardus Romanus Pontifex creatur, 7. Ejus obitus, *ibid.*

Honorius Romanus Pontifex, ejus natio, & genus, 238. Quædam ejus Epiſtola ad Sergium pluribus fuit lapis offenſionis, 247. Fuit alienus ab hæreſi Monothelitarum, & in quo ſenſu unam in Chriſto operationem admiſit, explicatur, 248. *& ſequ.* Curat frænare Cyri petulantiam, præcipientis aſſeri unam tantùm in Chriſto operationem, 250. Oſtenditur, duas admiſiſſe in Chriſto operationes, & quarè ſilentium indixerit de hac controverſia, 251. Ejus obitus, *ibid.* In Eccleſiæ Catholicæ communione defunctum eſſe, certiſſimum eſt; & quid ex hoc ſequatur in defenſionem ejus ab hæreſi Monothelitica, 357.

Honorius, an convenerit cum Monothelitis, & aſſeruerit unam tantùm in Chriſto operationem, magna controverſia, 327. Ei adverſantes, ex duplici capite arguunt non habuiſſe rectam fidem de Chriſto, nempè vel quia unam in eo admiſit tantùm operationem, vel quia dixit, eſſe abſtinendum à voce unius, vel geminæ operationis, 327., 328., & 329. Ut privatam perſonam erraſſe, opinio cujuſdam; ſed nullatenùs in hæreſim lapſum, opinio communior, licèt diverſimodè defendatur ab Auctoribus, 330. Defenditur eâ viâ, qua eum defenderũt Joannes Papa, & S. Maximus, 331. Negavit duas voluntates contrarias, non verò divinam, & humanam, quod & probatur, 332., & 333. Sic intellexiſſe fatetur quidam, qui fuit ei à ſecretis, *ibid.* Sic defenditur à Sancto Maximo, cujus defenſiones ab Anaſtaſio approbantur, 333. & 334. Epiſtola Honorii videtur etiam falſata à Græcis; cujus & meminit Joannes Papa in ſua Apologetica, 335. Ex quo ſilentium indixerit de voce unius, vel geminæ operationis, non convincitur de errore, *ibid.* & 336. Ex quo Sophronius non eſt arguendus de heræſi, neq; Honorius, *ibid.* Quarè fuit damnandum ſilentium præſcriptum in Ecthaſi Heraclii, & Typo Conſtantis de gemina in Chriſto operatione, non verò indictum ab Honorio, 337. *& ſequ.* Eum latuit mens hæreticorum procurantiũ hujuſmodi ſilentium, 343. Damnatus legitur in actis ſextæ Synodi, quæ modò extant, in ſermone acclamatorio ab univerſali Concilio ad Imperatorem, in Epiſtola Synodica ad Agathonem, in edicto Imperatoris, in quibuſdam aliis epiſtolis, & in ſeptima Synodo, 339. 340. 341. Et in allocutione Hadriani Papæ, 342. Ex quibus teſtimoniis preſſi Doctores, diverſa dicunt, & quæ, *à* 343. *uſque ad* 347. Opinio probabilior eligitur, 347. *& ſequ.* Honorius non potuit damnari à ſexta Synodo, niſi hæc cum Agathonis Epiſtola pugnaret, 350. Ejus indictum ſilentium commendatur ab Agathone Papa, ſicut commendantur alii Pontifices, qui hæreticos damnarunt, *ibid.* In Epiſtolis quarundam Synodorum, quæ celebratæ ſunt paulò poſt ejus mortem, & in quibus Monothelitæ damnantur nominatim, nulla fit mentio de Honorio, 352. Defenditur ulterius Honorius ab impoſtura, 354. *& ſequ.* Acta ſextæ Synodi, quæ modò extãt, in quibus nominatur Honorius damnatus, corrupta fuerunt, 355. A' quo corrupta, *ibid.* & 356. Et quandò, 359. Ex his corruptis actis, cæteri qui poſtea ſcripſerunt, fuerunt decepti, 359.

Hormiſda creatur Romanus Pontifex, ejus genus & patria, ac labor ad ineundam concordiam cum Eccleſia Orientali, 63. Accipiens Epiſtolam Anaſtaſii, laudat quòd Eccleſiæ paci ſtuduerit, 64. Quærit ejus intentionem celebrandi quandam Synodum, 65. Inſtruit ſuos Legatos de modo ſe gerendi cum quibuſdam Epiſcopis Orientalibus, qui erant exrrà communionem catholicam, & cum Anaſtaſio Imperatore, *ibid.* & 66. Ejus capitula & conditiones propoſitæ Imperatori, 67. *& ſequ.* Decipitur ab Imperatore ſimulatè ſe gerente, 71. *& ſequ.* Sed detegit ejus fraudẽ, 72. Cùm detegiſſet malitiam etiam ſuorũ Legatorum, alios mittit, 73. Nullum ex Romanæ Eccleſiæ Clericis eligit Legatum, ut res omni careret invidiâ, *ibid.* Hortatur Timotheum Epiſcopum Conſtãtinopolitanum reſipiſcere, 74. Scribit ad Epiſcopos hæreticos Orientis, 75. Et ad alios Orthodoxos, quorum commendat in fide conſtantiam, 76. Conſolatur per Epiſtolam Poſſeſſorem Epiſcopum, cujus agnoſcit rectum vitæ tramitem, 77. Nova mandata tradit ſuis Legatis ob perſecutionem adversùs Orthodoxos excitatam à Dorothæo Theſſalonicenſi Epiſcopo, 78. Et commonitorium ad eundem ſcribit, *ibid.* Inſtruit ſuos Legatos de modo ſe gerendi cum hoc Epiſcopo, & cum illis, qui non communicant cum Apoſtolica Sede, 79. Hortatur Orthodoxos Conſtantinopolitanos abſtinere ab hæreticorum conſortio, 80. Mœrens, compatitur miſeriam ſuarum Ovium ſecundæ Syriæ Provinciæ, 82. Confortatorias literas mittit ad Orthodoxos Orientis, eos animans ad perſeverandum in fide, *ibid. & ſequ.* Lætatur de evectione Juſtini ad Imperialem Thronum, 90. Et ad eum ſcribit, *ibid.* Approbat omnia, quæ in Conſtantinopolitana Synodo decreta fuerant pro firmitate Synodi Chalcedonenſis, & contrà Eutychianos, reprobans tamen geſta in favorem Macedonii & Euphemii, quorum nomina erant reſtituta in ſa-

ſacris Dypticis, 91. Commendat Juſtino ſtudium pro ineunda pace Eccleſiarum, *ibid.* & *ſequ.* Scribit reſponſivam ad Joannem Epiſcopum Conſtantinopolitanum, ſpondens eum recipere in Eccleſiæ catholicæ communionem, ſi nomen ſchiſmatici Acacii è ſacris Tabulis deleret, 92. Cùr prætereat nomina Euphemii & Macedonii, *ibid.* Synodum congregat, in qua agitur de pace cum Orientalibus, 93. Scribit ad Juſtinianum Comitem, hortans eum ad ſtudium pro conciliandis Eccleſiis, & ad removenda impedimenta, 94. Ad Juſtinum Imperatorem, commendans ejus zelum pro catholica Religione, & Eccleſiarum unione, 95. Ad Euphemiam Auguſtam, cui commendat zelum Religionis, quem in vita privata tenuerat, 96. Ad Joannem Epiſcopum Conſtantinopolitanum, monens, quòd ſi imitaretur ſuos prædeceſſores, non poſſet perveniri ad Eccleſiarum concordiam, 97. Ad eundem pro pacis ſtudio, *ibid.* Ejuſdem ſedulitas ad pacem curandam Eccleſiarum, 98. Tandèm ſuâ curâ & labore pacificantur Eccleſiæ, 103., 104. & 105. Sed ignorans adhùc pacem Eccleſiarum initam eſſe, ſcribit ad ſuos Legatos, petens relationem de eorum geſtis, 107. Certior fit de optata pace tùm ab Imperatore, tùm ab aliis, 108. Ejùs Epiſtolæ reſponſivæ, *ibid.* Renuit locutionem de uno ex Trinitate crucifixo, 111. In quo ſenſu, & cùr hujuſmodi locutionem renuerit, 120. Varias ſeſſiones habuit ſuper controverſis Capitulis, & quæ retardabant perfectam Eccleſiarum unionem, 139. Eorum definitio, *ibid.* Laudat Principum, & Præſulum Orientalium ſolertiam in componendis rebus catholicæ Religionis, 139. Ad recipiendos lapſos Epiphanium Epiſcopum Conſtantinopolitanum delegat, *ibidem*, & *ſequ.* Scribit ad Juſtinum Imperatorem de nihil innovando ad evitandam diſcordiam, 141. Exponit myſteria Trinitatis & Incarnationis ſecundùm rectam fidem, *ibid.* & 143. & *ſeq.* Ejus in Domino obitus, & quo anno, 147.

Hypoſtaſes tres in Divinis tacēdas dixit Sanctus Hieronymus in Epiſtola ad Damaſum Papam; & quarè; & in quo ſenſu hoc dicebat, 338.

I

IBa Epiſcopus Edeſſenus in Pſeudoſynodo Epheſina velut hæreticus depoſitus, 155. Accùſatus de pluribus à ſuis Clericis, & damnatus ab Eutychete, conqueritur coràm Patribus Concilii Chalcedonenſis, quòd inauditus damnatus ſit, 203. Poſtulat ſuam cauſam cognoſci in generali Synodo, 155. Profitetur ſe recipere Epheſinam generalem Synodum, & anathematizat Neſtorium, 204. Synodali decreto orthodoxus judicatur, 155. & 203. Epiſtola ejus nomine ſcripta, an rectè damnata à Vigilio Papa, 195. Quid in ea contineatur, à 195. *uſque ad* 197. *Vide etiam* 154. Non evincitur, hujuſmodi Epiſtolam fuiſſe approbatam à Sedis Apoſtolicæ Legatis, 203. Et multò minùs à Chalcedonenſi Synodo, 204.

Iconoclaſtarum hæreſis initia, 370. Quandò incæpit, *ibid.* & 371. Introducitur à quodam Hebræo præſtigiatore in quoddam Regnū per ejus Principem, *ibid.* Hujus hæreſis augumentum, & damna, quæ ex ea in Eccleſiis evenerunt, 371. Depreſſa ſub Michaele Curopalata Imperatore, 479. Renovatur ſub Leone Armeno, *ibid.* Abjurata à quibuſdam Iconoclaſtis Epiſcopis in ſecunda Synodo Nicæna, 422. Qui poſtulantes veniam recipiuntur in catholicam communionem, 423.

Imaginum ſacrarum cultores graves perſecutiones patiuntur ſub Leone Iſauro, 372., 378., 385. & *ſeq.* Pariter ſub Leone Armeno, 483. & 485. Gaudent ad adventum Legatorum Sedis Apoſtolicæ, & in fide confirmantur, 487. In carceribus detruſi, vel in exilium amandati, in priſtinam libertatem revocantur mortuo Leone Armeno, 488. Perſecutiones graves paſſi ſunt ſub Copronymo, 394. & *ſeq.*

Imaginum ſacrarum cultus ablatus à Leone Iſauro, & Leone Armeno, & Conſtantino Copronymo, ſub Michaele hujus nominis Tertio Imperatore, & Theodora Auguſta in integrum reſtituitur, 500. Exilio mulctantur, qui ſacrum hujuſmodi cultum ut licitum denegant, 499.

Imaginum ſacrarum cultus eſt licitus ac religioſus, ex Eccleſiæ antiqua traditione, 444. Ex Patrum teſtimoniis, 447. Ex traditione Apoſtolica 448. Validis rationibus comprobatur, 450. Eum probat Hadrianus Papa in ſuis literis directis ad Synodum Nicænam ſecundam, 412. Ex ſacræ ſcripturæ teſtimoniis in eadem Synodo adductis, 423. Ex quadam hiſtoria de Imagine Crucifixi Beriti in Syria, 424. & 450. Ex definitione Synodi Nicænæ ſecundæ, 426. In Synodo Romana ſub Stephano III., 432. Non adverſatur legi Dei, à 441. *uſque ad* 444. Argumenta Iconomachorum adversùs cultum ſacrarum Imaginum, & reſponſiones ad ea, 451. 454. 457. 458. 461. 462. 463. 464. Concilii Tridentini decretum de ſacris Imaginibus, 464. Earum uſus, licèt non viguerit in primitiva Eccleſia, non tamen erat prohibitus, & quarè non viguerit, 469. Viguit poſt redditam Eccleſiæ pacem, 470. Uſus colendi eas etiam accenſis luminibus eſt antiquiſſimus, 472.

Joannes hujus nominis I. Romanus Pontifex creatur; ejus patria & genus, 147. Poſitus in carcere juſſu Theodorici Regis,ærumnis confectus, obiit in Domino, *ibid*,

Joannes hujus nominis II. Romanus Pontifex, ejus patria & genus, 147. Hic approbavit locutionem ut catholicam de uno ex Trinitate paſſo, quam antecedenter reprobaverat Hormiſda, ſed in diverſo ſenſu, 119. 120. & 121. Ejus obitus, 147.

Joannes hujus nominis III. ejus patria, & genus, & quandò creatus Romanus Pontifex, 206. Ejus obitus, *ibid*.

Joannes hujus nominis IV. Romanus Pontifex, ejus natio, & genus, 255. Proſcripſit ecthaſim Heraclii, *ibid*. Defendit Honorium, 256. Ejus obitus, 259.

Joannes hujus nominis V. ejus patria & genus, 360. Fuit primus qui ordinatus fuit non expectatâ Imperatoris confirmatione, poſt abuſum introductum, *ibid*. Ejus obitus,& tempus quo vixit in Pontificatu,*ibid*. Gravis contentio in eligendo ejus ſucceſſore, *ibid*.

Joannes hujus nominis VI. Romanus Pontifex, 360. Ejus natio, obitus in Domino, & quanto tempore vixit in Pontificatu, *ibid*.

Joannes hujus nominis VII. ejus natio, genus, eruditio, tempus quo ſedit in Cathedra Petri, & ejus obitus, 360.

Joannes Damaſcenus propugnator cultus ſacrarum Imaginum, 382. Proditur ab Imperatore apud Principem Saracenorum, ſub cuius ditione erat, 383. Ejus dextera abſcinditur, *ibid*. Sed miraculosè reſtituitur, 384.

Joannes Talajas Epiſcopus Alexandrinus loco Timothei catholici, 10. Eiicitur à Zenone Imperatore,*ibid*. Ejus acceſſus ad almam Urbem; & libellum querelarum Papæ Felici tradit, 13.

Joannes Paltenſis miſſus in exilium ob catholicam fidem, 56.

Joannes Cappadox Orthodoxæ fidei cultor ſuccedit Timotheo ſceleſtiſſimo in Cathedra Conſtantinopolitana, 84. Poſt mortem Anaſtaſii ſtrenuè laboravit pro catholica fide, & Eccleſiarum unione, *ibid*. Annuit clamoribus populi Orthodoxi, electo Juſtino Imperatore, 86. Convocat Synodum, in qua Orthodoxorum petitionibus annuitur; & mittit acta Synodalia ad Epiſcopum Hieroſolymitanum, & ad alios Epiſcopos, *ibid*. Scribit ad Hormiſdam Epiſtolam Synodicam, 90. Aliam, in qua inſerit fidei confeſſionem, 91. In ea induſtriosè omittit nomina Euphemii & Macedonii; & quare, 92. Subſcribit libellum oblatum à Sedis Apoſtolicæ Legatis, in quo anathematizabantur Acacius,& cum eo communicatores, 103. Scribit aliam Epiſtolam ad Hormiſdam,in qua lætus oſtenditur de inita pace, & deleto ſchiſmate, 104. Commendatur ab Hormiſda ob ſubſcriptionem libelli & damnationem Acacii, & aliorum qui cum eo communicarunt, 109. Ejus obitus, 128.

Joannes Abbas ſcriptor Honorii Papæ, 335. Interrogatus de ſenſu Honorii Papæ circà unam in Chriſto operationem, quid reſponderit, *ibid*. Hic eſt quem citat S. Maximus in defenſione Honorii, 333.

Ioannes creatus Epiſcopus Conſtantinopolitanus loco Thomæ; dicitur catholicus in Actis ſextæ Synodi, ſed aliter loquitur Baronius, 293. Ejus obitus, 294.

Joannes Mela ſucceſſor hæretici Athanaſii in Alexandrina Sede, 44. Subſcripſit Enoticon Zenonis, *ibid*.

Joannes Jejunator Epiſcopus Conſtantinopolitanus, 206. Ex Agno Lupus apparuit, ſchiſma ſuſcitat, & ſibi uſurpat nomen Epiſcopi œcumenici, *ibid*. Synodum congregat, *ibid*. Arguitur à Pelagio Papa ob ſibi uſurpatum nomē Epiſcopi œcumenici, 207. Territus minis Pelagii, deſiſtit à ſua præſumptione, 210. Denuò nomen Epiſcopi œcumenici ſibi uſurpat tempore S. Gregorii Magni, 215. Arguitur à S. Pontifice, *à* 216. *uſque ad* 218. Agit cum Mauritio Imperatore, ut ſuâ auctoritate ſibi confirmet nomen uſurpatum, 218. Ejus obitus, 224. Exemplo Mauritii Græci venerantur ut Sanctum, qui deceſſit extra catholicam communionem, *ibid*.

Joannes Pedagogus Theophyli Imperatoris Iconoclaſta creatur Patriarcha Conſtantinopolitanus, 498. Deponitur à Patriarchatu, 499. Cernens reſtitui cultum ſacrarum Imaginum ſedulâ curâ Imperatricis volebat ſeipſum propriis manibus occidere, *ibid*.

Joannes Monothelita ſuffectus Conſtantinopolitanus Epiſcopus voluntate Philippici Imperatoris, 362. Depoſito Philippico, & ſuffecto Artemio Orthodoxo Principe, oſtendit ſe pœnitentem, & Apologeticam ſcribit ad Romanum Pontificem pro ſua, & ſuorum defenſione, 364. Ejus Apologetica, *à* 364. *uſque ad* 367. His non obſtantibus, cùm dubitaretur de ejus fide, eiicitur de Throno, & ſufficitur Germanus ſanctiſſimus, 368. De tempore ſuæ ejectionis diverſæ opiniones, *ibid*.

Joannicii Anacoritæ glorioſum pro ſacrarum Imaginum cultu certamen, 497.

Joſeph quidam Presbyter excommunicatus à Tharaſio; & quarè, 474. Auxiliatur Nicephoro Imperatori,ut quietè obtineat Imperium, *ibid*. Recipitur in communionem contra jura Eccleſiæ, *ibid*. Quandò ejectus ab Eccleſia, 475. Iterùm eiicitur ſub alio Imperatore, 478.

Irenes Auguſta uxor Conſtantini Copronymi, 388. Cujus fuerit filia, *ibid*. Suſcipit Imperii gubernacula cum filio ſuo Conſtan-

ſtantino, 401. Adverſùs ipſam & Filium conjuriatio, & quomodo ſedata, *ibid.* Scribit ad Hadrianum Papam pro generali cogenda Synodo in cauſa cultus Sacrarum Imaginum, 410. Zelat cultum Sacrarum Imaginum, 420. Pellitur ab Imperio, 472. Denuò recuperat Imperium, 473. Denuò privatur, & in exilium mittitur in quo ultimum claudit diem, *ibid.*

Judæi fuerunt primi adverſantes cultui Sacrarum Imaginum, 439. Judæus diſputans cum Chriſtiano adversùs cultum Sacrarum Imaginum, *ibid.* Ipſi ſollicitarunt Leonem Iſaurum evertere Sacras Imagines, 441. Adverſùs ipſos defenſio pro cultu Sacrarum Imaginum, 450. Ægrè ferebant, quòd Herodes collocaſſet Aquilam auream ſupra portam Templi, 461. Contradicebant Pilato quòd Imagines Cæſaris in Urbem ſuam introduxiſſet; & quare, *ibid.* Quidam ex eis arguunt Salomonem violatę legis, quòd areas Bovum Baſi Maris, & Leones in Throno poſuerit, *ibid.* Habebant interdictas Imagines quaſcumque etiam non ordinatas ad Idololatriam, non quidem lege Decalogi, ſed præcepto Sinagogæ, 462.

Juſtinus Thrax Imperator loco impii Anaſtaſii, 85. Genere fuit obſcurus, ſed virtute & Religione clarus, *ibid.* Modus quo fuit acclamatus Imperator, 86. Invitus ſuſcepit Imperium, *ibid.* Eo electo populus clamat, ut excommunicatis hæreticis Eutychianis & eorum Defenſoribus Synodus Chalcedonenſis recipiatur, cum Epiſtolis S. Leonis Magni; ac ejuſdem Sancti Pontificis, ſed & Euphemii, & Macedonii nomina in Sacris Dypticis reſtituantur, 86. Eodem etiam annuente coacta eſt Conſtantinopolitana Synodus, 40. Epiſcoporum, in qua id factum eſt, *ibid.* Præcipit ut omnes exules facti ob fidem catholicam ſub Anaſtaſio, ad propria redeant; hærttici ſubrogati expellantur, ac pœnis afficiantur; & alia piè mandavit, 89. Edictum prodducit contra Severianos, & alios Eccleſiæ Catholicæ hoſtes, *ibid.* Ejuſdem aliud Edictum contra Manichæos, & alios, *ibid.* Certiorem reddit Hormiſdam de ſua electione, 89. Ex ejus Epiſtola ad Hormiſdam coniicitur ipſum invitum fuiſſe electum Imperatorem, contra opinionem Evagrii, 90. Commendatur ab Hormiſda ob curam pro pace Eccleſiarum, 108. Contendit conciliare alias Orientis Eccleſias cum Eccleſia Romana, 111: Jubet Conſtantinopolim perduci Severum hæreticum Eccleſiæ Antiochenæ Invaſorem, *ibid.* Curat ultra Eccleſiam Conſtantinopolitanam, etiam alias Orientis Eccleſias in communionem recipi cum Romana, 127. Exponit Hormiſdæ capita quæ retardabant perfectam Eccleſiarum unionem, 132., & 138. Scribit ad Aſterium incitare Regem Æthiopum ad bellum contrà Homeritas Neſtorianos, 146. Morbo & ſenio confectus reſignat Imperium Juſtiniano, 147.

Juſtinus Junior Imperator, 206. ejus obitus, *ibid.*

Juſtinianus qui priùs Comes, Imperator eligitur, 206. Antequam eligeretur Imperator ſedulam curam oſtendebat de pace Eccleſiæ, & ſchiſmate auferendo. ac plures ſcripſit Epiſtolas ad Hormiſdam, 93., 105. & *ſeq.* & 138. & *ſeq.* Imperator factus concertat cum Agapito Papa de Religione; quem vult vel ut ſibi conſentiat, vel in exilium petat, 148. Se humiliat Sedi Apoſtolicæ, 149. Rogat ut loco Anthimi hæretici conſacret Mennam Catholicum, *ibid.* Ab auguſta Theodora conjuge ſollicitatus, Eccleſiam Conſtantinopolitanam per quoddam ſuum decretum declarat eſſe ſupra omnes Eccleſias Orientis, 152. Edit decretum derogativum Synodo Chalcedonenſi, 158. Curat ut Epiſcopi illud ſubſcribant, *ibid.* Vocat Conſtantinopolim Vigilium Papam, ut etiam ipſum inducat ſubſcribere ſuum Edictum, *ibid.* Ejus Edicto adverſatur tota Occidentalis Eccleſia, 159. Indicit Synodum Mopſueſtiæ, 167. Adverſùs tria Capitula appendi jubet Edictum, 168. Jubet ut Satellites injiciant manus in Vigilium Papam adverſantem ſuo Edicto, *ibid.* Facti pœnitens curat revocare Vigilium, qui jam fugerat in Civitatem Chalcedonis, 170. Tactus timore Dei tollit edicta, & omnia reſervat agitanda in generali Synodo, 172. Urget ut citò celebretur generalis Synodus in cauſa trium Capitulorum, 175. Cogit Synodum contra Conventionem habitam cum Vigilio, *ibid.* Iniquè ſibi arogat auctoritatem confirmandi Romanum Pontificem electum, 187. Ejus obitus, 206.

Juſtinianus Junior Imperator, 360., & 361. Ægrè fert quòd libertas reſtituta fuerit Eccleſiæ Romanæ ordinandi Pontificem electum non expectato ſuo conſenſu, *ibidem* Mandat ut non creetur Romanus Pontifex ſine conſenſu ſui Exarchi, 360. Amittit Imperium, ſed poſtea denuò recuperat, 361. Ejicit Callinicum è Sede Conſtantinopolitana, *ibid.* Hic non extitit rectæ Fidei Imperator, ſub ejus imperio fuit celebratum Concilium quinſextum; quod, & laboravit ſatis, confirmari à Romano Pontifice, licèt fruſtra, *ibid.* Reſtitutus in Imperio occidit Leontium & Tiberium, qui Imperium occupaverant, *ibidem*. Advocat Conſtantinopolim Conſtantinum Papam, quod & obtinet, *ibid.* Occiditur cum ſuo Filio, 362.

K

KAlendion Antiochenus Epiſcopus electus ab Antiochena Synodo, & confirmatus à Ro-

à Romano Pontifice, vir catholicus, 9. Electus loco Stephani Junioris defuncti; ejus tamen electio non placuit Acacio, & quare, *ibid.* Ejecit ab Eccleſia quendam Xenajam, qui non adhuc baptizatus ſe dicebat Clericum initiatum, 440. Quomodo, & ex quibuſnam ſignis id conjecerit, *ibid.*

L

LAurentius Romanus in concertatione de Papatu cum Symmacho, 45. Ordinatur Epiſcopus Civitatis Nucerinæ, *ibid.*

Legati Felicis Papæ ad Zenonem Imperatorem, Acacium, & Clerum Conſtantinopolitanum, ſtudio Acacii, & juſſu Zenonis in primo ingreſſu ſunt capti, & in carcerem truſi, 15. Communicant cum Petro Fullone hæretico contra mandatum Papæ, *ibid.* Romam reverſi coguntur reddere rationem ſuæ Legationis, & reperti non ſervaſſe ea quæ ſibi demandata fuerunt, à tota Synodo condemnantur, 16.

Legati Anaſtaſii Papæ ad Anaſtaſium Imperatorem benè ab eodem ſuſcipiuntur, ſed detinentur pluſquam par erat, & quare, 42. Eis profertur libellus Confeſſionis fidei ab Apocriſiariis Eccl. Alexandrinæ, *ibid. & ſeq.*

Legati Hormiſdæ Papæ, Senatus Romani, & Theodorici Regis ad Anaſtaſium Imperatorem, benignè ab eodem ſuſcepti, 69. Ei proferunt ſingula capita ſuę Legationis, *ibid.* Ejiciuntur ab eodem, 81. Ejuſdem Hormiſdæ Legati Epiſtolas fidei per manus Orthodoxorum Monachorum exponunt per omnes Civitates; quas poſtea Epiſcopi Anaſtaſii complices ad eundem direxerunt, *ibid.* Ejuſdem Legati ad Juſtinum, Juſtinianum, & Joannem Conſtantinopolitanum, inſtruuntur ad eodem quomodo ſe gerere debeant, 93. & 94. Eorum diſceſſus, 99. Eorum ſuggeſtio, in qua narrant quomodo ſuſcepti fuerint Scampis; quomodo Lichnidi, & de geſtis Theſſalonicæ, 100. Eorum aliæ ſuggeſtiones ad Hormiſdam; in quarum una conqueruntur de quibuſdam Monachis Scythis Romam profectis pro confirmatione quorundam capitum, 111. & 112. In alia de malis geſtis eorum, *ibid.* Alii ejuſdem ad Juſtinum Imperatorem, & quomodo Conſtantinopoli recepti, 101. Eorum relatio ad Hormiſdam de ibi geſtis, *ibid. & ſeq.* Aliæ eorum ſuggeſtiones, in quarum una petunt quaſdam Reliquias Sanctorum, 114. In alia refutant quæ Monachi Scythæ detulerant contra unum Legatum, 116. In alia ſignificant diſſenſiones, & cædes Theſſalonicæ factas, 123. & ſeq. In alia quid actum ſit in cauſa Dorothei Epiſcopi Theſſalonicenſis, 125. In alia ſucceſſio Epiphanii in Sede Conſtantinopolitana, & ejus promiſſa, 129. Unus ex eis dirigit Conſtantinopolim indiculum in quo recenſet crimina Dorothei Epiſcopi, 125.

Legati Gregorii II. malè tractati à Leone Iſauro, 380., & 386.

Legati Hadriani Papæ Conſtantinopolim directi, & propter quid, 419. Expectant in Sicilia, 420. Vocantur denuò Conſtantinopolim, & præſunt Synodo ſecundæ Nicænæ in cauſa cultus Sacrarum Imaginum, 420.

Leges Valentiniani, & Theodoſii adversùs Neſtorianos, 201. Theodoſii Junioris conſimilis lex, 202. Alia lex Valentiniani & Marciani, quæ favet Perſonæ Theodoreti, non verò ejus ſcriptis, 202., & 203.

S. Leo Magnus ſcribit ad Anatolium, eum increpans quo ſibi primatum uſurpare præſumeret; ei minatur excommunicationem; & monet non eſſe derogandum Eccleſiæ Alexandrinæ & Antiochenæ, 5. Hortatur Marcianum Auguſtum agere cum Anatolio ut dimittat uſurpatum contra Canones Primatum, 6. Ejuſdem S. Pontificis in Domino obitus, 7.

Leo hujus nominis II. Romanus Pontifex creatur, 315. Quanto tempore vixit, *ibid.* Poſt aliquod tempus conſenſit conſecrari, & quare, *ibid.* Longa Eclypſis Lunæ ſuo tempore, *ibid.* Confirmavit Synodum Conſtantinopolitanam; miſit ejus acta in Hiſpaniam; ſuarum Epiſtolarum lectio prorogata, *ibid.* Accepit litteras à Conſtantino Pagonato, in quibus ait tranſmiſiſſe ad eum acta VI. Synodi, 357. Hujuſmodi litteræ, & ejus ad Imperatorem probantur ab alio confictæ, *ibid.*

Leo hujus nominis III. Romanus Pontifex, ejus natio, & optimæ animi dotes, 473. Conſolatur Theodorum Studitam in exilium amandatum propter juſtitiam, 477. Ejus in Domino obitus, & quo tempore, 484.

Leo Tribunitius creatur Imperator, 7. ejus obitus, 8.

Leo Iſaurus cogitat Imperio potiri ope Præfecti Orientis, & promittit nuptui dare Filiam ſuam, inſurgit adversùs Theodoſium Imperatorem & Imperio potitur, 369. In principio Imperii ſui ſe Orthodoxum oſtendit, 370. Jurat Germano Patriarchæ Conſtantinopolitano illibatam ſervare fidem, *ibid.* Certiorem reddit Gregorium Papam de ſua electione; ejus Imago Romæ ſuſcipitur, cogit Judæos & Montanos baptizari, & perſequitur Manichæos, 370. Adhæret hæreſi Iconoclaſtarum, *ibidem.* Quando cœpit apparere hæreticus, 371. Promulgat edictum de Sacrarum Imaginum everſione, *ibid.* Punit qui non deponunt Sacras Imagines, 371. Jubet occidi quaſdam mulieres, quæ zelaverunt cultum Sacrarum Imaginum, 378. Contemnit Epiſtolas Gregorii II. increpantis ejus impie-

pietatem, & ſuos Legatos mori cogit in carcere, 380. Diram movet perſecutionem adversùs Orthodoxos, & curat occidi Romanum Pontificem, 381. & ſeq. Mittit Edictum publicandum etiam in Occidente adversùs Sacras Imagines, 382. Machinatur Mortem Germano Patriarchæ, & Joanni Damaſceno, 383. Primum ejicit de Throno; de modo verò quo ejecerit, diverſæ opiniones, 384. Impedientes tolli Sacras Imagines necat, aliosque plures Sanctos Viros, 384. & ſeq. mittit exercitum in Italiam contra Italos & Romanos qui à ſua obedientia receſſerunt, 385. Ejus tamen exercitus perit in Mari Adriatico, 386. Conſtringit duos Legatos Gregorii III., unum in Sicilia, alium in Carcere, quem poſtea contumelioſè dimittit, ibid. Simili modo agit adversùs alios Legatos miſſos à Generalitate Italiæ, 386. Punitur à Deo, 387. Ejus infelix interitus, *ibid.*

Leo Armenus Imperator, 479. Omen de malis quæ per eum paſſura erat Eccleſia, *ibid.* Renovatur in ejus exordio hæreſis Iconoclaſtarum; decipitur à quodam Monacho Iconoclaſta, *ibid.* & 480. Socios aſſumit hereticos ad evertendum Sacrarum Imaginum cultum; curat trahere in ſuum errorem Nicephorum Patriarcham, *ibid.* Reprehenſus à Studita, eum ejicit, alioſque Epiſcopos præſentes, 481. Ejus decretum adversùs Orthodoxos, *ibid.* Excitat gravem perſecutionem, à 482. uſq; ad 487. Interfectus obiit, 487.

Leo Imperator hujus nominis IV. Filius Conſtantini Copronymi; in principio ſe oſtendit pium, & liberalem, ſed poſtea impium Sacrarum Imaginum oppugnatorem, 400. Non diu vixit, *ibid.* & *ſeq.*

Leontius Imperator loco Juſtiniani Junioris, 361. Juſtinianum in exilium mittit, præciſis ejus naribus, *ibid.* Occiditur, *ibid.*

Libellus miſſus ab Hormiſda ad Epiſcopum Conſtantinopolitanum, imperante Juſtino erat idem cum illo quem miſit imperante impio Anaſtaſio. 94. Libellus ſupplex Clericorum & Abbatum Eccleſiæ Hieroſolymitanæ, Antiochenæ, & ſecundæ Syriæ ad Juſtinum Imperatorem, 136. Traditur Joanni Epiſcopo contradendus Romano Pontifici à quo expectanda erat ſententia, 137.

Lotharius ſucceſſor Ludovici Pii in Imperio Occidentis, 498. Anno ſecundo Imperii ſui reſtitutus fuit in Oriente cultus Sacrarum Imaginum, 500.

Lucentius Legatus Apoſtolicæ Sedis in Chalcedonenſi Synodo, 4. Proclamat Ibam Epiſcopum innoxium ab hæreſi, 203, Ejus proteſtatio facta in Chalcedonenſi Synodo, 2. Ejus contradictio de primatu Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ fuit à Patribus recepta, 3.

Ludovicus Pius Filius Caroli Magni & ejus ſucceſſor in Imperio Occidentis, 483. Ejus Conſtitutio adversùs eos, qui non habentes jus eligendi Romanum Pontificem, ſe intromittebant in ejus electione, 491. Mittit legationem ad Eugenium Papam ad effectum inquirendi in privato Conventu quæ pertinebant ad cultum Sacrarum Imaginum, 493. Agit cum Eugenio Papa de legatione ad Græcos mittenda in cauſa cultus Sacrarum Imaginum, *ibid.* Inſtruit proprios deſtinatos Legatos quomodo ſe gerant cum Pontifice, & ad eum inducendum confirmare quod viſum fuit Pariſienſi Conventui, 494. Deceptus ex literis Michaelis Imperatoris Orientis, vel à Conſiliariis, & quare, *ibid.* An direxerit Legationem ad Michaelem, incertum eſt; eſt tamen probabile tranſmiſiſſe libellum Conventus Pariſienſis, 495. Acquieſcit Romani Pontificis ſententiæ pro cultu Sacrarum Imaginum, *ibid.* Ejus obitus, 498.

Ludus Scœnicus adinventus à Dœmone in ſimulacris latente ad corrumpendos homines, 466. Adversùs hujuſmodi ludos ſatis clamant Sancti Patres, 467.

M

Macarius Epiſcopus Antiochenus contradicit Sedis Apoſtolicæ Legatis, qui proponunt damnandam hæreſim Monothelitarum, 306. Convictus ex Epiſtola Sancti Leonis confugit ad auctoritatem Divi Dionyſii ad probandam unam tantùm in Chriſto operationem, *ibid.* Alia Patrum teſtimonia affert; ſed detruncata inveniuntur; & convincitur de hæreſi, 307. Renuit confiteri rectam fidem, & ſuſcipere ſuggeſtiones Agathonis Papæ, 308. Ejus expoſitio fidei recitata coràm Synodo, *ibid.* & 309. Interrogatus à Principe negat duas in Chriſto operationes; hæreticus declaratur à Synodo, & deponitur, & cum eo anathematizatur quidam Stephanus ſuus Diſcipulus; quorum ſcripta blaſphemiis plena ad majorem confuſionem coràm Synodo leguntur, & denuò proſcribuntur, 311. & 312. Denuò anathematizatur à Synodo, & ejus loco alius ſubſtituitur in Epiſcopatu Antiocheno, 312.

Macedonius Epiſcopus Conſtantinopolitanus loco Euphemii; ejus officium, quod antea gerebat, 38. An ſubſcripſerit Ennoticon Zenonis, duæ opiniones, 39. Fuiſſe virum pium, ſententia Theodori, 39. Apparet propenſior erga Romanam Eccleſiam, 44. Adverſatur Anaſtaſio Imperatori hæretico, 51. Mittitur in exilium, 53. Ejus exilium mœrore afficit Conſtantinopolitanos, *ibid.* Reſtituitur in ſua Sede, 62. Decreta Chalcedonenſia confirmavit; ſed Ennoticon Zenonis ſilentio præteriit metu Anaſtaſii, *ibid.*

Mar-

Marcianus Imperator ſcribens ad Palladium Præfectum Prætorium jubet Nicænæ Synodi decreta ſervari, & adverſa irritari, 6. Laudat S. Leonis conſtantiam, qui non eſt paſſus præfatæ Synodi Canones violari, *ibid.* Ejus obitus, 7.

S. Marcus Evangeliſta ſuſcepit S. Petri nomine Alexandrinam Eccleſiam gubernandam, 4.

S. Martinus Romanus Pontifex creatur loco Theodori vitâ functi; hic fuit I. hujus nominis, 375. Ejus patria, virtutes, & tempus quo fuit creatus Pontifex, *ibid.* Noluit ſubſcribere Typum hæreticum Conſtantis Imperatoris, & adversùs eum Synodum coegit, 276. Damnat omnes Monothelitas, 278. Acta ſynodalia, in quibus damnati fuerunt Monothelitæ, Ecthesis Heraclii, & Typus Conſtantis, mittit ad univerſos Epiſcopos, 279. Monet Imperatorem Conſtantem damnare hœreſim jam in Synodo Romana damnatam, 280. Capitur à Theodoro Colliopa, & impoſitus in Navi ducitur Conſtantinopolim; & quæ paſſus eſt in itinere, 281. & *ſeq.* Annus quo captus eſt, 284. Conſtantinopolitanus Populus eum irridet; ducitur in Cuſtodiam, in qua multas ærumnas patitur, 285. Ducitur ad judicium, falſis accuſationibus impetitur, injurioſè exuitur, & ſatis malè tractatur, *ibid.* Ad novum examen vocatur in cauſa Pyrri, ad eum interrogationes, & ejuſdem Reſponſiones, 286. Relegatur in Inſulam Cherſonam, ubi ærumnis confectus ad Dominum migravit, à pag. 287., uſq; ad 289. Ejus Sanctitas poſt mortem pluribus miraculis confirmata, & Romanum Imperium diverſas clades patitur, 289.

Mauritius Imperator, 206. Legem tulit ne quis miles non expletâ militiâ Monachus fieret, 211. Deridet S. Gregorium Papam, & quare, 214. Utitur Lecto Joannis Jejunatoris ſchiſmatici, quem ut Sanctum habebat, 224. Reprehendit S. Gregorium ut indiſcretum adversùs Cyriacum Patriarcham, cui favebat, 226. Occiditur cum Filiis ſuis, 227. Periit juſto Dei judicio, 228. per varia prodigia prænunciatur ejus caſus, *ibid.* & *ſeq.* Conterritus ad ſe revertitur, & orationibus plurium ſe commendat, ne in alia vita in æternum puniatur; & in ſua morte crudeliter illata fortem ſe oſtendit, 229.

S. Maximus diſputat cum Pyrro contra errorem Monothelitarum, eique obiicit apologiam Joannis Papæ in defenſionem Honorii, 259. Eius reſponſiones ad Pyrrum adverſantem, *ibid.* Ejus patria, ſancti mores, ac eximiæ animi dotes, *ibid.* Morans in Imperiali Aula, diſcedit advertens ibi Monothelitarum hæreſim, Monaſterium ingreditur; Romam adit acturus cum Pontifice ut damnaretur hæreſis, *ibid.* Occurrit Pyrro in Africa commoranti, & diſputans circa duas in Chriſto operationes, eum vincit; & quando, 264. & *ſeq.* Ejus geſta ubi inveniantur edita, 259. Suadet S. Martino Synodum cogere, & extirpare hæreſim Monothelitarum, 275. A Conſtante pœnas, & exilia patitur, 284. Ductus Conſtantinopolim, plures calumnias patitur, ſed ab eis ſe purgat, 288. Diſputat cum quibuſdam, & eos convincit, 290. Ad novum producitur certamen, & reſiſtens adverſariis, duas oſtendit in Chriſto operationes, *ibid.* & 291. Hæretici eum privant rebus quas habebat, minantur graves pœnas, ducitur in Salambriam ubi & diffamatur, & transfertur ad locum novi exilii, *ibid.* Iterum ducitur Conſtantinopolim, ubi ad aliud certamen provocatur, falſis accuſationibus impetitur, à quibus ſe defendit; ejus diſcipulus verberatur defendens Præceptorem, *ibid.* Interrogatus de ſermonibus habitis cum Pyrro, reſpondet adducens rationes, quibus probavit duas in Chriſto operationes &c. 292. Novum ejus examen, coram Senatu, & Patriarcha, poſt quod traditur flagellandus, & ſequenti die alia graviora tormenta ſubit, *ibid.* & 293. Iterum in exilium amandatur, in quo ad Dominum migrat, 293. Ejus defenſiones pro Honorio vide à pag. 331. uſque ad 338.

Mediolanenſis Synodus ſub Modeſto Epiſcopo in cauſa Monothelitarum, 298. Expoſitio fidei ab illis Patribus facta, ad Conſtantinum Pagonatum tranſmiſſa, *ibidem* & *ſequen.*

Menna Catholicus conſecratus ab Agapito Papa Epiſcopus Conſtantinopolitanus, 149. Ejus genus & officium quod antea gerebat, *ibid.* Poſt obitum Agapiti accepit Vicariam poteſtatem, & unà cum Legatis Apoſtolicæ Sedis agit de celebranda Synodo, *ibid.* Subſcripſit quoddam decretum Juſtini, quod derogabat Synodo Chalcedonenſi, ſed cum hac conditione, ſi firmaretur à Romano Pontifice, 158. Redarguitur à Vigilio ob ſubſcriptionem decreti, 162. veniam petit, 172. Abſolvitur à cenſuris, 173. Ejus obitus, *ibid.*

Metius qui & Mezentius creatus Imperator loco Conſtantis, 294. Occiditur in prælio à Conſtantino Filio Conſtantis, 295.

Methodius pluribus Coronis illuſtris ad certamen vocatus ab impio Theophylo in cauſa cultus Sacrarum Imaginum, 497. Ob ſacri cultus propugnationem recluditur ab impio Principe in quodam ſepulcro ſuſtentatus pane tribulationis, 498. Poſt obitum Theophyli conſtituitur Patriarcha Conſtantinopolitanus, ejecto Joanne Iconoclaſta, 499. Martirii ſigna gerit, *ibid.* Curat revocare lapſos, quos redeuntes, cùm eſſent diverſæ ætatis, ac ſtatus, diverſo modo Eccleſiaſticis cenſuris ſubjicit, 500. Ejus edi-

ctum, in quo decernuntur pœnitentiæ, *ibid.*

Michael Curopalata Imperator, vir mitiſſimus, 477. Ab exordio curat pacem Eccleſiæ, 478. Legatos mittit ad Romanum Pontificem unà cum fidei profeſſione, 479. Proſcribit ſub pœna capitali quoſdam hæreticos, & quendam Iconoclaſtam punit; ſed privatur Imperio, ſic exigentibus populi peccatis, & relegatur in Inſulam Principem, caſtratis duobus Filiis, 479.

Michael Balbus Imperator, ejus genus, ſecta, & mores, 487. & *ſeq.* Jubet Epiſcopos tùm Orthodoxos tùm hæreticos ſimul congregari ad agendum de dogmatibus fidei, 489. Orthodoxos id recuſantes non cogit, 490. Renuit colere Sacras Imagines, prohibetque erigi in Regia Civitate, ſed extra permittit; ſe parat ad pugnam adversùs quendam Tyrannum; curat pacem Eccleſiæ ſed ob humanum finem, 490. Cùm eſſet Iconomachus mittit legationem ad Ludovicum Pium, & ad Romanum Pontificem, ut appareret Catholicus, 491. Pretioſa donaria mittit ad Templum S. Petri Romæ, 492. Defunctâ uxore ſibi in matrimonium copulat quandam Virginem, juxta antiquum ritum Chriſto deſponſatam in Monaſterio, 496. Ejus obitus, *ibid.*

Michael hujus nominis III. Imperator in Oriente, cùm eſſet adoleſcens eſt ſub tutela poſitus, 498. Reſtituit cultum Sacrarum Imaginum, 499.

Monachi Catholici tumultuant adversùs Anaſtaſium Imperatorem, vocantes eum Manichæum, & Imperio indignum, 53. Adverſantur Timotheo hæretico Patriarchæ, & populum commovent adversùs eum, 54. Alii ſecundæ Syriæ certiorem reddunt Hormiſdam de perſecutionibus quas ab hæreticis patiuntur, 81. & *ſeq.* Alii Eccleſiæ Antiochenæ preſſi à Severo hæretico ſupplicationem mittunt ad Joannem Conſtantinopolitanum, imperante Juſtino, narrantes mala geſta, & blaſphemias Severi, 87. & *ſeq.* Ab hæreticis accuſantur apud Imperatorem velut Neſtoriani; ſed libellum ſcribunt quo Catholicam fidem profitentur, 88. & *ſeq.* Monachi plures martyrio affecti ſub Copronymo ob cultum Sacrarum Imaginum, 394.

Monachi hæretici inſurgunt adversùs Macedonium orthodoxum; qui & excommunicantur ab eodem 52. Alii quidam Scythæ impediunt concordiam Eccleſiæ Antiochenæ, 112. & 113. Accuſant quoſdam Epiſcopos tanquam Neſtorianos apud Juſtinum, ſed jis repertis innocentibus, indignantur, & fugiunt, *ibid.* Romam petunt, ſed territi ne convincerentur hæretici, fugam arripiunt, 118.

Monachus Alexandrinus Catholicus librum edit in defenſionem Synodi Chalcedonenſis, & in exilium mittitur ab Anaſtaſio Imperatore, 52. Alius hæreticus Monothelita aſtronomicis inſpectionibus auguratur Philippico Imperium, 362. Prædicit etiam longum Imperium, ſi proſcriberet VI. Synodum, ſed oppoſitum evenit, 363.

Monothelitarum hæreſis unde orta, quando, & quomodo, 238. Ejus initia in quem annum refundat S. Maximus, 239. Ejus initia clariùs elucidantur, & à quonam ortum habuerit, 245. Damnata à Theodoro Papa, 263. Et à pluribus Conciliis, 266. & 267.

Monothelitæ lætantur de electione Philippici Imperatoris, 362. Eorum dejectio in depoſitione prædicti Principis, 364. Eorum vafricies in adſtruenda una tantùm in Chriſto operatione, 241.

Montani nolunt baptizari, Leone Imper. præcipiente, ſed potiùs ſe incendunt, 370.

Mortuos poſſe excommunicari, ſententia SS. Auguſtini, & Cyrilli, 200. Explicantur Teſtimonia S. Leonis, & Gelaſii Papæ qui oppoſitum videntur aſſerere, *ibidem*, & 201.

Mulieres occidunt quendam virum ex cohorte Imperatoris Leonis, & quare, 377. Occiduntur à Satellitibus ejuſdem, *ibid.* & *ſequen.*

N

NEſtorius anathematizatus à S. Cyrillo reſcripſit adversùs eum anathematiſmos, 156. In Epheſina Synodo non fuit damnatus inquiſitione non facta, ſed maturè, & prudenter, ac dejectus ab Epiſcopatu, 195. adversùs ejus blaſphemias contra unitatem Perſonæ in Chriſto fuit in Chalcedonenſi Concilio ſufficienter proviſum, 120.

Nicæna ſecunda Synodus indicta, & coacta contra Iconoclaſtas; & quot Epiſcopi in ea interfuerint, 420. Interſunt etiam Apoſtolicæ Sedis Legati; & adeſſe jubentur Epiſcopi Iconoclaſtæ, coram quibus legitur ſacra Imperatorum Conſtantini, & Irenæ, 421. Examinatur cauſa quorundam Epiſcoporum Iconoclaſtarum, 422. Recitantur literæ Hadriani Papæ, & magnis præconiis extolluntur à Legatis Patriarcharum Orientis; leguntur etiam quorundam Patriarcharum literæ; & quid actum ſit in quarta Actione in cauſa cultus Sacrarum Imaginum, 423. Anathematizantur Iconoclaſtæ; & proſcribitur quædam definitio hæretica adversùs cultum Sacrarum Imaginum, edita in Pſeudoſynodo Conſtantinopolitana ſub Copronymo, 424. Definitio Nicænæ Synodi, quæ & Symbolum Nicænum, 424. & 425. Ejus ultima actio fuit celebrata Conſtantinopoli; & quot in ea canones editi, 426. Hanc fuiſſe impeditam

tam à Scholariis, legitur in libello Synodico; ſed loquitur de illa indicta Conſtantinopoli, 427. Per hanc Synodum reſtitutus eſt cultus ſacrarum Imaginum, 428. Huic Synodo plures adverſati ſunt, *ibid.* & *ſequ.* An verò reprobata fuerit à Concilio Francfordienſi ſunt plures opiniones, *à* 429. *uſque ad* 431. In ea non fuit definitum, ſacras Imagines eſſe colendas eo cultu, quo colitur Sanctiſſima Trinitas, 430. & 432. Falſum eſt, fuiſſe celebratam ſine auctoritate Apoſtol. Sedis, ut in quodam opuſculo Hincmaro adſcripto dicitur, 438.

Nicephorus Imperator, & ejus tyrannides, 473. Favet Iconoclaſtis & Manichæis, ac deridet Catholicos; plura mala committit, & de ſua electione non reddit certiorem Romanum Pontificem, 473. Parvipendit Sedis Apoſtolicæ communionem, & prohibet Patriarchæ Conſtantinopolitano mittere Synodicam ad Romanum Pontificem, *ibid.* Agit cum Nicephoro Patriarcha recipere in ſuam communionem quendam Presbyterum excommunicatum à Tharaſio, 474. Ægrè fert, & cogitat punire quoſdam Sanctos Viros, qui receſſerant à communione Nicephori Patriarchæ, 475. Ejus perſecutio in ſanctos Viros, 477. Pugnat adversùs Scythas, ab eis capitur, & interficitur, *ibid.*

Nicephorus Patriarcha Conſtantinopolitanus; ejus bonæ qualitates; antecedenter ſibi ſolitudinem elegerat; mittit Synodicam ſuæ electionis, & quandò, 473. Denegat communionem cuidam Presbytero excommunicato, ſed tandèm recipit, 474. Id fecit timore Principis, & non audit monitiones Theodori Studitæ, 475. Tentatur à Leone Armeno fieri Iconoclaſta, ſed fruſtrà, 480. Ei adverſans, in exilium amandatur, in quo ad Dominum migrat, 482. Sub quo Pontifice, & quo anno, 496. Ejus vita & mors in exilio, collaudata à quodam Scriptore, *ibid.*

Nicetas ſufficitur Patriarcha Conſtantinopolitanus ſolius Copronymi decreto, & loco cujuſnam, 397. Ejus vilis ſtatus, *ibid.* Ejus obitus, 400.

Nicolai I. Epiſtola ad conſulta Bulgarorum, in qua numerat Sedes Patriarchales, 4.

Novitas non eſt eadem ac unitas, 323. Probatur auctoritate Apoſtoli, *ibid.* Ideò nova Deivirilis operatio non eſt eadem ac una; & probatur auctoritate Divi Dionyſii contra Monothelitas, qui innituntur auctoritati ejuſdem S. Doctoris, 322.

O

OCcidentales quidam Epiſcopi recedunt à communione Apoſtolicæ Sedis poſt defunctum Vigilium, 196. Aſſerebant, per decretum Vigilii, quo damnata fuerunt tria capitula, derogatum fuiſſe auctoritati Chalcedonenſis Synodi; & adverſabantur Pelagio Papæ I., *ibid.* Conantur oſtendere, non licuiſſe illa tria capitula damnare, 197. Teſtimonia, quibus id evincere conantur; ſed ſolvuntur, 198. Occidentales Epiſcopi tempore Conſtantini Pagonati, cognoſcentes ejus mentem de cogenda generali Synodo in cauſa Monothelitarum, curant, ut coactis Provincialibus Synodis, damnetur eorum hæreſis, & mittatur damnationis ſententia ad generalē Synodum, 297. & 298. Quædam Synodi ab eiſdem Epiſcopis coactæ, ac fidei expoſitiones factæ in ipſis, ac tranſmiſſæ ad Imperatorem, *à* 298. *uſque ad* 300.

OEcumenici nomen juſtè, ac verè convenit Romano Pontifici, 233. Hoc nomen ſibi uſurparunt quidam Conſtantinopolitani Epiſcopi, 206. *Et per alios ſequentes*. Probat Pelagius in ſua Epiſtola non poſſe hujuſmodi Epiſcopos hoc nomen ſibi juſtè aſſumere, 207. & *ſequ.* Probat etiam Divus Gregorius in ſua Epiſtola, 216. & *alibi*. *Vide in verbo*, Romanus Pontifex.

Olympius hæreticus in Italia conſtitutus Exarchus à Conſtante loco Platonis, agit cum Pyrrho, ut ſententiā contra fidem reaſſumat, juxtà mandatum Imperatoris, 265. Curans interimere S. Martinum Rom. Pontificem, non poteſt intentum exequi, excæcato ejus armigero Divinâ virtute, 279. Videns ſe nihil poſſe agere contra Martinum, pergit in Siciliam, ibique moritur, *ibid.*

Omouſion non rectè intelligitur à Paulo Samoſateno, 338. Quomodò intelligatur à Patribus, *ibid.*

Operationes in Chriſto ſunt triplicis generis; quædam purè divinæ, quædam humanæ; & quædam veluti mixtæ, 323.

Ordines ſacri collati per ſchiſmaticum Acacium erant validè ſuſcepti, ex definitione Anaſtaſii Papæ, 41.

Orientales Epiſcopi majori ex parte tenaciter adhęrebant Gelaſio Papæ, contemnentes blandos ſermones Euphemii; & laudantur à Gęlaſio, 34. Ab eodem monentur, ut ab euthychiana peſte ſe ſervent, ſuamque Epiſtolam commonitoriam patefaciant vicinis Provinciis, 35. Quidam Orientales Epiſcopi, imperante Juſtino, acta Synodalia ad Hormiſdam miſerunt pro cōfirmatione, 90. Et petunt à Juſtino agere cum Pontifice, ut Legatos mittat ad reſtituendam Eccleſiæ pacem, 90. Orientales Patriarchæ gratulantur Tharaſio Patriarchæ Conſtantinopolitano de Patriarchali dignitate; laudant ejus fidem, & annuunt de congreganda generali Synodo, *à* 408. *uſq. ad* 410.

Orientalis Synodus ſub tribus Patriarchis pro cultu ſanctarum Imaginum, in qua anathematizati fuerunt Iconoclaſtæ, 396.

ea dirigitur Synodica ad Paulum I. Romanum Pontificem, *ibid.*

Orientis tres primariæ Sedes à tribus Monothelitis Epiſcopis gubernatæ, & quænam, 239. Earum Epiſcopi omnia ſubdolè agebant; & quinam, *ibid.*

Orientales quædam Eccleſiæ perſeverantes in recta fide, non obſtante Copronymi perſecutione, perſiſtebant in cultu ſacrarum Imaginum, 394. Cultum ſolemniter prædicabant, & anathematizabant oppugnatores, *ibid.* Orientalium quarundam Eccleſiarum concordia à quo pendebat aliquandò, 68.

Oriētales orthodoxi petunt à Symmacho Papa recipi in Apoſtolicæ Sedis communionem, 58. Extra eam erant, quia è ſacris Tabulis non deleverant nomen Acacii, 61. An poſtea fuerint in cõmunionem recepti, non conſtat, 62.

Orthodoxi Epiſcopi Romam ſe conferunt ad evitandas Monothelitarum inſidias, 263. Eorum alii amplectentes Theodori Papæ decretum, Synodos cogunt, in quibus Monothelitarum hæreſim damnant, *ibid.*

Orthodoxi tumultuant contra Petrum Moggum, 12. Orthodoxi Monachi offenſi geſtis Acacii ſcribunt ad Felicem Papam; referunt etiam communionem ejus Legatorum cum Petro Fullone, 16. Orthodoxorum plurium nomina, qui Martyrium paſſi ſunt ſub Copronymo ob cultum ſacrarum Imaginum, 389., 394., 395., 397.

Orthodoxi quinam dicebantur ab Anaſtaſio Imperatore, 51.

P

PAgani ferebant in annulis inſculptas Imagines Deorum ſuorum; & ubi ſatis hæc conſuetudo inolevit, 456. Quomodò intelligebant Imagines & Statuas eſſe Deos ſuos, 457. & ſequ. Tertulliani dicta adversùs eoſdem, ſuoſque Deos, 458. & ſequ. In ſimulacris omnem ſpem ponebant, 464. Ut animata redderent eorum Idola, dœmones eis alligabant, 463. Quare eorum Majores Idolorum cultum invenerint, & Deos adeſſe prædicaverint, 464. Eorum doctiores non aſſeverabant Simulacra eſſe Deos, ſed in ſimulacris Deos coli, *ibid.* Apud Paganos ſimulacra fuiſſe Deos, opinio antiquorum Patrum, & probatur ita fuiſſe apud ipſos, 465. & ſequ. Apud aliquos verò non fuiſſe Deos, ſed in eis latentes Deos, opinio Divi Auguſtini, 466.

Palladius hæreticus ſuffectus in Eccleſia Antiochena pro Petro Fullone, 24. Ejus obitus, 39.

Pariſienſis conventus tempore Ludovicii Pii decrevit ſacras Imagines retinendas, non adorandas, 493. Huic contradixit Eugenius Papa, 494. Nullius eſt auctoritatis, nec illi, qui in eo convenerunt, hanc ſibi arrogarunt, 495. Hujus conventus Libellum fuiſſe in Orientem tranſmiſſum, conjicitur ex quadam Epiſtola Theodori Studitæ, *ibid.*

Paſchalis Romanus Pontifex, ejus natio, genus, ac optimi mores, 484. Reiicit Apocriſiarios Theodoti Melliſeni PſeudoPatriarchæ Conſtantinop., *ibid.* Honorificè recipit Epiphanium ſibi afferentem Epiſtolã Theodori Studitæ, 487. Scribens ad Leonem Armenum objurgat ſacrarum Imaginum everſóres, & eos proclamat ab Eccleſia diſciſſos, *ibid.* Ejus obitus, 491.

Paſchalis Archidiaconus Papæ Cononis agit cum Imperatoris Exarcho, ut poſt obitum Pontificis ipſe creetur Pontifex, 360. Creatur Pontifex, & quandò, *ibid.* Sanctiſſimè gubernavit Eccleſiam; obiit in Domino, & ubi ſepultus, *ibid.*

Paulus hujus nominis I. Romanus Pontifex, ejus genus, & Patria, ac miſericordia in pauperes, 393. Scribit ad Conſtantinum Copronymum pro reſtituendo cultu ſacrarum Imaginum, *ibid.* Ejus obitus, 396.

Paulus Epiſcopus Antiochenus ordinatus loco impii Severi, 111. Ejus turpes mores, 145. Accuſatus apud Juſtinum, ſpontè ſe abdicat ab Epiſcopatu, *ibid.* Ejus obitus, *ibid.*

Paulus Epiſcopus Conſtantinopolitanus loco Pyrrhi, 260. Severianæ factionis præcipuus fautor, *ibid.* Ejus meminit Sergius in Epiſtola ad Honorium Papam, 242. Scribit de ſua ordinatione ad Theodorum Papam, 260. Simulat in exordio profiteri fidem catholicam, ſe tamen ſuſpectum reddit Romano Pontifici; & quare, 262. Ejus Epiſtola ad Theodorum, in qua tegere conatur ſuam hæreſim, 273. Agnoſcens, Romanum Pontificem, & Africanam Eccleſiam adverſari ſuæ hæreſi, agit cum Conſtante ſilentium indici in controverſia de una, vel duabus in Chriſto operationibus, *ibid.* Synodali judicio deponitur, & excommunicatur à Theodoro, 274. Negavit in Chriſto omnem operationem, & naturam, 275. Suadet Conſtanti, ut faciat ſubſcribere ſuum Typum à S. Martino Papa, 276. Suggerit Conſtanti læſam eſſe Majeſtatem per Martinum Papam, qui Typum condemnavit, 282. Dum Conſtantinopoli malè tractaretur S. Martinus, juſto Dei Judicio impius Paulus graviter infirmatur, & paulò poſt malè moritur, 286.

Paulus, alius Conſtantinopolitanus Epiſcopus ſuffectus loco Theodori Monothelitæ, 361. Ejus tempore eſt opinio fuiſſe celebratum Conciliabolum Quinſextum, *ibid.*

Paulus Epiſcopus Conſtantinopolitanus loco Nicetæ, 400. Externè ſe oſtendebat Iconoclaſtam, ſed internè retinebat rectam fidem, *ibid.*

ibid. Relinquit Sedem Patriarchalem, & fit Monachus, 401. Ex verbis, quæ dixit ante obitum, cœpit haberi tractatio de reſtituendo cultu ſacrarum Imaginum, 402. Ejus obitus, 401.

Pelagius hujus nominis I. Romanus Pontifex, ejus patria, 197. Habet adverſarios Occidentales Epiſcopos, & non inveniuntur qui eum ordinent; & quare, *ibid.* Scribit ad Epiſcopos Iſtriæ, & ad Childebertum Regem, extra materiam fidei eſſe quæ de tribus Capitulis mota erant in Chalcedonenſi Synodo, in Quinta, & à Vigilio, à quibus aliter ſancitum eſt, 198. *& ſequ.* Ejus obitus, 206.

Pelagius hujus nominis II. ejus patria & genus, 206. Annullat Synodum coactam à Joanne Conſtantinopolitano Epiſcopo, in qua ſibi nomen Epiſcopi œcumenici uſurpaverat, 207. Scribit ad Epiſcopos, qui in ea Synodo convenerant, *ibid. & ſeq.* Ejus obitus, 211.

Perduellio in jure civili eſt atrociſſimum crimen, ſicut in jure canonico hæreſis & ſchiſma, 201.

Petrus Moggus hæreticus reſtitutus in Sede Alexandrina juſſu Zenonis Imperatoris, & impulſu Acacii, 10. Subſcripſit impium decretum Zenonis, 12. Ejus obitus, & quinam ei ſucceſſit in Epiſcopatu, 24.

Petrus Fullo, aliàs Cnaphæus diverſarum hæreſum innovator, 14. Examinatâ ejus cauſâ in Romana Synodo, reperitur incidiſſe in plures errores, 13. Monetur reſipiſcere, 13. Iterùm monetur; ſed perſiſtens in ſuis erroribus, damnatur à Felice Papa, 15. Ejus obitus, 24.

Petrus Hieroſolymorum Epiſcopus Synodum cogit, in qua damnat Anthimum & alios hæreticos, 149.

Petrus Epiſcopus Conſtantinopolitanus ſucceſſor Pyrrhi eſt hæreticus, & ab hæreticis electus, 288. Monitus à Vitaliano Papa amplecti veram fidem, reſpondet, ſe profiteri ea, quæ Patres docuerunt, 289. Adducit Patrum teſtimonia à ſe deflorata, 290. De ejus obitu & tempore, quo Conſtantinopolitanam Eccleſiam gubernavit, opinio Nicephori, *ibid.*

Petrus Nicomediæ Epiſcopus profitetur in Conſtãtinopolitana Synodo duas in Chriſto operationes, & adverſantes anathematizat, 311.

Philippicus Imperator loco Juſtiniani junioris, eſt Monothelita; adverſatur ſextæ Synodo; ejicit è Sede Conſtantinopolitana Cyrum; ſufficit Joannem Monothelitam, & quo prætextu 362. Sub ejus Imperio ſolùm Monothelitæ ad Epiſcopatus vacantes promovebantur; proſterni jubet Imaginem ſextæ Synodi, & ab ea anathematizatos recitari in ſacris Dypticis, *ibid.* Cremare facit ejuſdem Synodi Acta, & Orthodoxos perſequitur, 363. Mittit ad Conſtantinum Papam profeſſionem ſuæ fidei hæreticam; & tandèm oculis orbatùs eiicitur ab Imperio, & cogitur in exilio ducere miſeram vitam, *ibid.*

Phocas acclamatur Imperator, 227. Icones ſuimet & uxoris Romã mittit, 229. Acclamatur etiam à Romano Senatu, Clero & Populo, *ibid. & ſeq.* Conqueritur cum Divo Gregorio Papa, quòd nullum S. Romanæ Eccleſiæ Apocriſiarium invenerit Conſtantinopoli, 230. Exacerbatur adversùs Cyriacum Epiſcopum Conſtantinopolitanum; & quarè, 232. Decernit ſolum Romanum Pontificem appellandum Epiſcopum œcumenicum, *ibid. &* 237. Occiditur à Plebe, ſed diverſis modis deſcribitur ejus occiſio, 238.

Pictoriæ artis laudes ex Patribus ſeptimæ Synodi, & ex aliis, 456. Inventa fuit ad inſtruendos eos, qui legere neſciunt, ut in Imaginibus aſpicientes præclara geſta Virorum, eos imitarentur, *ibid.* In quo ſenſu damnata à Tertulliano, 460. & 461. In ſe bona eſt, & in quo ſenſu eſt inventum diabolicum, 455.

Pipinus Rex Galliæ agit, ut in ſuo Regno celebretur Synodus in cauſa cultus ſacrarum Imaginum, 396. Ejus operâ Eccleſia Gallicana, & aliæ Occidentis Eccleſiæ, factum eſt, ut concordarent cum Romana in ordine pſallendi, 433.

Polycronius Presbyter Monachus ſectator Macarii Monothelitæ, 313. Ejus cauſa fuit examinata in Synodo Conſtantinopolitana à Domitio Epiſcopo Pruſidiano, *ibidem.* Multos decipiebat, ſuam fidem contendebat oſtendere in opere mortui; ejus ſtulta viſio, quam prætendebat; promittens mortuum ſuſcitare, ſed non potens, anathematizatur à Populo, & à Synodo, *ibid.*

Pontianus Epiſcopus Africanus monet Juſtinianum Imperatorem retractare ſuum decretum derogatorium Chalcedonenſis Synodi, 159.

Poſſeſſor Epiſcopus detinetur Conſtantinopoli loco exilii ob fidei confeſſionem, 77.

Pyrrhus unam tantùm in Chriſto admittit operationem, & defendit Cyrum Monothelitam, 241. Mortuo Sergio ſuccedit in Epiſcopatu Conſtãtinopolitano, 255. Convocat Synodum, in qua confirmari & ſubſcribi curat Ecthesim Heraclii, quam curat etiam confirmari à Romano Pontifice, ſed fruſtrà, *ibid.* Agit, ut Heracleon coronetur Imperator, 256. Timens laqueum, dimiſsâ Eccleſiâ, in Africam fugit; & quarè, 260. Diſputans cum S. Maximo, convincitur, coactus abjurare ſuam hæreſim, 264. Romam accedit ad Theodorum Papam, cui exhibens orthodoxum libellum, in communionem recipitur, 265. In hæreſim relabitur, *ibid.* & 266. Ejus fidei confeſſionem

Romæ factam, vi extortam dicunt hæretici, *ibid.* Mortuo Paulo, iterùm contendit in Sedem Conſtantinopolitanam conſcendere, ſed ei contradicitur, 286. Tandem eam obtinet, ſed paulò poſt moritur, 288.

Q

Quarta Perſona addita Trinitati à quibuſdam hæreticis, qui aſſerebant Chriſtum Deum eſſe, ſed non unum de Trinitate, 141. Hujuſmodi error confutatur ab Hormiſda Papa in Epiſtola ad Epiphanium, 139. & *ſequ.* Et in alia ad Juſtinum Auguſtum, in qua exponit Trinitatis myſterium ſecundùm rectam fidem, 141. & *ſeq.*

Quinſextum Concilium à Conſtantinopolitano Epiſcopo celebratum, 361. Diverſæ opiniones, ſub quo Epiſcopo, *ibid.* Sub quo Imperatore, *ibid.* Quid in eo actum fuerit, 361. Reprobatum ab Apoſtolica Sede, *ibid.*

Quinta Synodus, & ejus collationes; quandò indicta, 175. Ejus Acta fuerunt lecta in ſexta Synodo, 312. In ea damnatum iterùm fuit quoddam Symbolum Theodori Mopſueſteni, in quo Chriſtus purus homo aſſeritur, 190. *Alia vide in verbo*, Conſtantinopolitana II. Synodus.

S. Quintiani Anathematiſmi adversùs ſingulos errores Petri Fullonis, 13. & *ſeq.* Cum eo alii Epiſcopi refutarunt hujuſmodi errores, *ibid.*

R

Regula Fidei, cui ſubſcribere tenebatur qui probandus erat catholicus; data Orientalibus ab Hormiſda Papa, 77. & *ſeq.* Eadem Regula fuerat antecedenter data ad Epiſcopos Epiri veteris, 78. Duæ Regulæ Fidei; una, quandò aliqua mutari minimè poſſunt; alia quandò aliqua poſſunt mutari, vel emendari etiamſi conſtituta in generalibus Conciliis, 197. Alia Regula: Infallibilitas Summorum Pontificum, ac generalium Synodorum ſe extendit circà res fidei & morum univerſam Eccleſiam reſpicientium; ſecùs circà materias, quæ tangunt puram diſciplinam, 205.

Reliquiæ Sanctorum in contemptum habitæ in Pſeudoſynodo Conſtantinopolitana ſub Copronymo, 391.

Roma premitur multis calamitatibus tempore S. Gregorii Papæ, 213. Et tempore etiam Sabiniani, 232 Ibidem multæ cædes & rapinæ occaſione cujuſdam ſchiſmatis, 45. Sedatis diſcordiis ortis ex ſchiſmate, novæ excitantur adversùs Symmachum Papam, 46.

Romani diviſi in eligendo Pontifice, mortuo Stephano III. 393. Iterùm ſchiſma inter ipſos poſt obitum Pauli I., invadente manu armatâ Pontificatum Conſtantino quodam, 396. In duas partes diviſi, duos Pontifices creant, 45. Romani Senatores curant apud Regem Theodoricum dare viſitatorem Sedi Apoſtolicæ contra ſacros Canones, 46. Romani gaudent de concordia Eccleſiarum & deleto ſchiſmate in Eccleſia Conſtantinopolitana, 108.

Romani Pontifices ex privilegio divinitùs Petro conceſſo, ejuſque ſucceſſoribus, nunquam à tramite rectæ fidei declinarunt, ſed fidem, quam ab Apoſtolis acceperunt, ſemper integram & illibatam conſervarunt, 339. & 349. Omnes reſtiterunt hæreticorum conatibus, nec blanditiis, nec periculis commoti, 350. Eorum fides laudata à Martino I. 353. His duntaxat juſtè & rectè convenit nomen Epiſcopi univerſalis; eiſque hujuſmodi nomen fuit in uſu ante tempora Pelagii, & Gregorii Magni, *ibid.* & 234. Afferuntur teſtimonia Gregorii Papæ, & Pelagii in oppoſitum, ſed explicantur quomodò ſunt intelligenda, 234. Et explicationes confirmantur, 236. Oſtenditur etiam Divum Gregorium non derogaſſe primatui Rom. Eccleſiæ, 236. & *ſequ.* Aſſignatur duplex ſenſus, quo accipi poteſt nomen Epiſcopi univerſalis, aut œcumenici, 235. Noviter electorum fidei profeſſio, 344.

Romani Gentiles pluribus annis coluerunt Deos ſinè ſimulacris, 451. Prohibitum eis erat à Numa Dei Imagines facere, & à quo id acceptum fuit, *ibid.* Eorum error tantò magis augebatur, quantò magis multiplicabantur Dii, 455. Feliciores vixerunt, quandò pauciores Deos coluerunt, & quarè, *ibid.*

Rom. Sedes eſt omniū prima, 4. Semper Primatum habuit, 3. Non à Patribus privilegia Primatus obtinuit, ſed à Chriſto, *ibid.* In ſexto Canone Nicænæ Synodi non confertur ipſi privilegium Primatus, ſed potiùs ſupponitur, *ibid.* Nec obtinuit Primatum à Phoca Principe, ſed ab eo jus defenſum fuit, 237. Ratione ſui Primatus habet jus judicandi in quibuſvis cauſis, 37. Habetque jus abſolvendi quos particulares Synodi injuſtè damnant, *ibid.* Et qui per Sedem Apoſtolicam ligatur, nonniſi per eam legitimè ſolvitur, ex Epiſtola Felicis Papæ, 231.

Romana Synodus ſub Felice III., in qua fit Legatio ad Zenonem Imperatorem; & decernuntur querelæ ad ipſum de proditione catholicæ fidei; literæ ad Acacium, quod fidem non defenderet, & de conniventia cum hæreticis; & aliæ etiam ad Petrum Fullonem, in quibus monetur, ut reſipiſceret à ſuis erroribus, 13. Alia ſub eodem Pontifice coacta ad damnandos ſuos Legatos proditores, qui communicaverunt cum Petro Fullone; & ad damnandos pariter eorum

rum Impulſores, 16. Decernuntur etiam literæ ad Clericos & Monachos Orientales de Acacii damnatione, 18.

Romana Synodus celebrata ſub Symmacho Papa, in qua condita ſunt decreta ſcitu valde utilia, & adnotantur in, 45. & *ſeq.* Alia ſub eodem Pontifice, præſente Theodorico Rege, in qua Symmachus ab objectis criminibus defenditur, 46. Alia ſub eodem Symmacho, jubente Theodorico Rege, 47. Alia ſub eodem Pontifice, in qua ſchiſma repullulans deletur, & adversùs Anaſtaſium Imperatorem excommunicationis ſententia pronunciatur, *ibid.*

Romana Synodus ſub Gelaſio, in qua editur decretum de libris canonicis Sacræ Scripturæ; Romanæ Eccleſiæ Primatus declaratur, & quænam poſt ipſum ſint Secunda, & Tertia Sedes, 36.

Romana Synodus ſub Hormiſda, in qua decernitur pax cum Orientalibus ſi ultra nomen Acacii deleantur è Sacris Dypticis nomina etiam Euphemii & Macedonii eodem ſchiſmate reſperſorum, licèt ob Catholicam fidem exilium & alia mala perpeſſi fuerint, 93.

Romana Synodus ſub Martino I., in qua damnantur Sergius, Cyrus, Pyrrus, Paulus, & alii hæretici Monothelitæ; ac duæ voluntates & operationes in Chriſto definiuntur, 276. In ea lecta fuit Epiſtola Sergii ad Cyrum; in qua aſſeritur una in Chriſto operatio, 277. In eadem recitatur ſeptimum Capitulum Alexandrinæ Pſeudoſynodi, 278. Ibi detegitur falsatum ab hæreticis quoddam Teſtimonium D. Dionyſii Areopagitæ, *ibid.* In eadem recitantur Epiſtola Themiſtii pariter Monothelitæ, Ectheſis Sergii nomine Heraclii promulgata, quæ impugnatur validis rationibus ab eodem Martino in quarta ſeſſione, & Typus Conſtantis, quæ omnia damnantur, *ibid.* Et tandem in 18. Canone damnantur cum aliis hæreticis Theodorus Epiſcopus Phanitanus, alii jam præfati, & eorum ſcripta, 278. & 279.

Romana Synodus ſub Agathone in cauſa Monothelitarum, 300. Hujus Synodi Epiſtola non fuit miſſa ad Leonem Imperatorem, ſed ad Conſtantinum Pagonatum, *ibid.* Quo tempore coacta fuerit, *ibid.* In ha, damnatâ hæreſi Monothelitarum decreta eſt legatio ad Imperatorem, & ad Synodum generalem, *ibid.*

Romana Synodus ſub Gregorio II. adversùs Iconoclaſtes, 381. Alia ſub Gregorio III. ad eundem effectum, 386. Alia ſub Stephano III. pariter contra Iconoclaſtas, & quæ in ea ſancita ſint, & quid definitum circa cultum Sacrarum Imaginum, 398. Hæc Synodus ſatis laudata eſt ab Hadriano Papa, *ibid.*

Ruſticus & Sebaſtianus Romanæ Eccleſiæ Diaconi ſcribunt ad diverſos Epiſcopos Orientis adversùs Vigilium Papam, 163. Inſpectâ eorum auctoritate plures commoti recedunt à Pontifice; ſed alii prudentiores ſcribunt ad eundem, *ibid.* Fuerunt ab eodem Pontifice excommunicati, 166.

S

SAbinianus creatur Romanus Pontifex, defuncto Magno Gregorio; ſed cum tumultu, 232. Hic adverſatus fuit ſuo deceſſori, *ibid.* In ejus Pontificatu nihil actum eſt in cauſa Cyri, & quare, *ibid.* Ejus obitus, *ibid.*

Sacerdotibus quanta reverentia habenda ex D. Gregorio, 215. Exemplo Paganorum, qui Sacerdotes Idolorum ſatis venerabantur, *ibid.*

Samaritæ invexerunt hæreſim adversùs cultum Sacrarum Imaginum, 440. Eorum impietates & ſcelera adversùs Sacras Imagines, *ibid.*

Schiſmatici jactant inter Gelaſium & ſeipſos non eſſe quæſtionem talem, qua communio catholica ſolvatur; utpotè quòd altercatio non de fide, ſed de moribus ſit, 34. Sed mentiuntur, *ibid.*

Schiſma Græcorum ſedatum nonniſi Imperatorum auctoritate, 233. Conſtat in toto decurſu hujus operis, uſque ad Michaelem hujus nominis III. 499. & 500.

Septima Synodus, *Vide verbum, Nicana ſecunda Synodus.*

Sergius Epiſcopus Conſtantinopolitanus loco Thomæ, ejus patria, & genus; in principio bonus Epiſcopus oſtenditur, ſed poſtea Monothelita, ac Monothelitarum Patronus, 238. Suam ſententiam curat defendere apud Romanum Pontificem, 241. Trahit Cyrum in ſuam ſententiam, 244. & *ſeq.* Contemnit juſſiones Honorii Papæ ſilentium præcipientis de una, vel duabus in Chriſto operationibus, 250. Convocat Synodum, in qua comprobat Ectheſim Heraclii, 253. Addit decretum de recipienda Ectheſi, *ibid.* Curat tranſmittere exemplaria ad Epiſcopos Orientis, & etiam approbari à Romano Pontifice, ſcilicèt fruſtra, 254. Ejus obitus, 255.

Sergius Epiſcopus Cypri Orthodoxus convocat Synodum adversùs Monothelitas, 263. Scribens ad Theodorum Papam, eum certiorem reddit de anathemate dicto adversùs Monothelitas, 264.

Sergius Romanus Pontifex, 361. Recuſat confirmare Concilium Quiniſextum; & ob id Imperator curat ut capiatur Conſtantinopolim ducendus, ſed id non evenit, 361.

Severinus Romanus Pontifex creatur, 251. Ejus patria, & genus, *ibid.* Reprobat & anathematizat Ectheſim Heraclii, 254. Patitur calamitates, *ibid.* Mœrore confectus

obiit in Domino, 355. Defenditur à Martino I. à labe hæreſis Monotheliticæ, 353. Heretici convincuntur de temeritate, quòd habuerint aliquam ſuſpicionem de hujuſmodi Orthodoxo Pontifice, 354.

Severus Sedem Antiochenam invadit favore Anaſtaſii, 62. Ejus ſcelera, ac peſſimi mores, *ibid.* Imperante Juſtino, jubetur Conſtantinopolim adduci, ſed fugit, Alexandriam pergens, 111.

Sexta Synodus. *Vid. in verbo Conſtantinopolitana III. Synodus.*

Silentium quando præjudicat veritati, & adverſatur fidei, 338.

Simplicius Romanus Pontifex, ejus genus & patria, 7. Rogat Zenonem Imperatorem cohibere Timotheum Elurum Alexandrinæ Eccleſiæ invaſorem, & hæreſum fautorem, 8. Scribit ad Acacium ut obſiſtat Timotheo, 8. Ad eundem denuò ſcribit, 10. Reprehendit Acacium quòd Petrum Moggum in communionem receperit, 12, Ejus obitus, 12.

Siſinius Romanus Pontifex, ejus genus, & tempus quo ſedit in Petri Cathedra, 360. Eius obitus, *ibid. & ſeq.*

Sophronius Epiſcopus Hieroſolymitanus loco Modeſti Sanctiſſimi Epiſcopi, 241. Adverſatur cuidam Synodo Alexandrinæ; in qua fit mentio de una in Chriſto operatione; & proclamat quoddam D. Dionyſii Areopagitæ teſtimonium falſatum ab hæreticis ut ex eo probarent unâ tantùm in Chriſto operationem, *ibid.* Scribit ad Honorium Papam adverſùs Cyrum, 249.

Stauratius Imperator Filius Nicephori Imperatoris, 477. Parùm tenet Imperium, *ibid.* Ad Monaſterium aufugit, *ibid.*

Stephani Epiſcopi Hieroſolymitani atteſtatio ad Honorium Papam adverſùs Monotheliitas, 249. *& ſeq.*

Stephanus Primas Provinciæ Bizacenæ cogit Synodum adverſùs Pyrrum, Sergium, & Cyrum, in qua anathematizat eorum hæreſim, 266. Ipſe, & ſui Epiſcopi ſynodaliter congregati per Epiſtolam hortantur Conſtantem Imperatorem auferre ſcandalum adverſùs fidem attentatum, *ibidem & ſequen.*

Stephanus Monachus graves calamitates perpeſſus pro cultu Sacrarum Imaginum, ac tandem interfectus ſub Conſtantino Copronymo, 394. & 395.

Stephanus creatur Romanus Pontifex, unâ tantùm die ſedit, 390. Non commemoratur in ſerie Summorum Pontificum ab aliquibus, & quare, *ibid.*

Stephanus hujus nominis II. Romanus Pontifex, eius patria, genus, & officium quod antea gerebat, ac boni mores, 390. Eius in Domino obitus, 393.

Stephanus huius nominis III. vel IV. Eius natio, genus, eruditio, ac aliæ optimæ qualitates, 397. Eius Zelus pro cultu Sacrarum Imaginum, 398. Eius obitus in Domino, 399.

Stephanus huius nominis V. Romanus Pontifex, 484. Eius iter in Galliam; ac tandem obitus, *ibid.* Hic dicitur IV. huius nominis, *ibid.*

Sylverius creatur Romanus Pontifex à Clero Romano, cogente Theodato Gothorum Rege; eius patria, genus, & cur electus à Clero, 149. Falsò dicitur propoſitus à Theodato, quia ei pecuniam dederit, 150. In exilium mittitur, *ibid.* Anathematis ſententiam pronunciat in Vigilium Antipapam, *ibid.* In exilio plures ærumnas patitur, 151. Ærumnis confectus obiit in Domino, 152. Ad eius ſepulcrum patrata miracula, *ibid.*

Symmachus firmatur in Petri Cathedra poſt decertationem, 45. Sedare curat turbines Eccleſiarum Orientis, 46. Comminatur Anaſtaſio Imperatori, *ibid.* Eius libellus Apologeticus adversùs eundem Imperatorem, 48. Hortatur Orientis Orthodoxos fortiter certare pro fide Catholica, & in ea eos confirmat, 56. *& ſeq.* Vocatur Manichæus ab Anaſtaſio, ſed à calumnia ſe defendit, 48. Eius obitus, 63.

T

TErræmotus magni tempore impii Leonis Iconoclaſtæ Imperatoris, 387. Multa ædificia proſternuntur, ac plures occiſi remanent, 387. Alii tempore Conſtantini Copronymi, 389. Alii eodem tempore, 390.

Tertulliani reprehenſiones adversùs quoſdam Chriſtianos qui tunc temporis idola conficiebant, licèt ea non colerent, 460.

Tharaſius Patriarcha Conſtantinopolitanus, ejus eruditio, ac recta fides, 402. Renuit Patriarchalem Sedem, ejuſque apologetica, in qua ſe excuſat, *ibid. & ſeq.* Petit cogi generalem Synodum pro cultu Sacrarum Imaginum, & acceptâ ſponſione Synodi cogendæ annuit conſecrari, 403. Scribit ſynodicam ad Hadrianum Papam, & unde hoc colligatur, *ibid.* Accipit reſponſivam à Pontifice, in qua commendatur ejus fides, 404. *& ſeq.* Ejus fidei profeſſio, 406. Ejus impulſu coacta fuit Synodus Nicæna ſecunda, & in ea examinat quendam Epiſcopum Iconoclaſtam pœnitentem, de vera pœnitentia, 423. Anathematizat Iconoclaſtas, 424. Ejus obitus, 473.

Theodatus Rex Gothorum minatur cædes Romæ, niſi Papa & Senatus agant cum Imperatore removere exercitum de Italia, 148. Mortuo Agapito, non permittit Clero Romano ut eligat Papam quem vellet, ſed proponit eligendum Sylverium Filium Hormiſdæ quondam Papæ, 149.

Theo-

Theodoretus ſcribit contra Capitula S. Cyrilli, & cum eo alii Orientales, 156. Damnatur in ſecunda Epheſina Synodo, 157. In Synodo Chalcedonenſi profeſſus veram fidem, abſolvitur, & reſtituitur in propria Sede, *ibid.* Ejus ſcripta damnata à Vigilio Papa, 191. In quadam ejus Epiſtola continentur plures calumniæ contra S. Cyrillum, & plures errores contra fidem, *ibid.* Alia ejus Epiſtola ad Monaſteria adversùs S. Cyrillum, 193. Alia ejuſdem ad Epiſcopum Samoſatenſem adversùs Epheſinam Synodum, *ibid.*

Theodoricus Rex decernit quinam eſſet agnoſcendus Romanus Pontifex ex duobus electis, 45. Ejus ſententia expectabatur præter Sacros Canones, neceſſitate cogente, *ibid.* Romam revertitur ad occurrendum malis quæ fiebant ex novo orto ſchiſmate, 47. Ejus legatio commiſſa Agapito viro clariſſimo ad Anaſtaſium Imperatorem, 69.

Theodorus Romanus Pontifex ſucceſſor Joannis IV., 260. Ejus patria, & genus, *ibid.* Redarguit Paulum Epiſcopum Conſtantinopolitanum, & quare, *ibid. & ſeq.* Mittit Apocriſiarios ad Imperatorem; & ſcribit ad Epiſcopos qui ordinaverunt Paulum, adhuc ſuperſtite Pyrro, 262. Fatetur, Pyrrum poſſe canonicè deponi, ſed tamen conqueritur cum Epiſcopis de ordinatione Pauli, & quare, *ibid.* Anathematizat Pyrrum, & ſua Acta; cujus Anathematis decretum tranſmittit ad Eccleſias Orientis, & ultramarinas, 263. Excommunicatum Pyrrum deponit, ſcribens depoſitionem ſanguine Chriſti ex calice accepto, 265. & 266. Conatur revocare Paulum Epiſcopum Conſtantinopolitanum terrore pœnæ ab hæreſi Monothelitarum, 271. Cognoſcens non proficere cum Paulo, eum excommunicat; & deponit, 274. Ad ſuperos evocatur, 275.

Theodorus Studita monet Nicephorum Patriarcham, ne communicet cum quodam Presbytero, 474. Renuente, recedit à ſua communione ipſe cum aliis Monachis, 475. In exilium amandatur cum aliis pluribus, & quare, 476. Redarguit liberâ voce Leonem Armenum; & hortatur Monachos perſeverare in fide, 481. *& ſeq.* Redarguit per Epiſtolam Iconomachos, 482. Longiùs in exilium mittitur ob cultum Sacrarum Imaginum; & quare, 483. Scribit ad Paſchalem Papam, & quid, 484 Conqueritur de quibuſdam Patriarchis, & quare, 485. Revocatur ab exilio, 488. Reverſus ab exilio orthodoxos confirmat, & revocat lapſos per Epiſtolas, vel per verba, 490. Aſſerit, quoſdam Gallicanos qui miſerunt Libellum Pariſienſis Conventus, non bene ſentire de Sacris Imaginibus, 494. Ad Dominum migrat, & quo anno, 495. & 496.

Theodorus Cæſareæ Cappadociæ Epiſcopus hæreticorum fautor, 153. Controverſiam de tribus Capitulis movet ad Eccleſiæ pacem perturbandam, *ibid.* Sectâ Acephalus molitur damnationem in Theodorum Mopſueſtenum, quia ſcripſit contra Origenem, 158. Dolo ducit Juſtinianum ad quorundam Capitulorum damnationem, quæ derogabat Synodo Chalcedonenſi, *ibidem.* Arrogantior factus exturbat è Sede Zoilum Patriarcham Alexandrinum, 168. Excommunicatur à Vigilio, *ibid.* Pœnitens malorum offert Vigilio Papæ libellum profeſſionis fidei, & veniam petit, 172.

Theodorus Mopſueſtenus Epiſcopus vir ſceleſtiſſimus, ac Neſtorianæ hæreſis primarius Auctor habitus, 155. In quodam ſuo Symbolo admittit in Chriſto duas Perſonas 190. Ejus ſcripta damnata in Synodis generalibus, & etiam quoad Perſonam à v. Synodo; antecedenter ab Eccleſia Mopſueſtena; & denique etiam à Vigilio Papa, 190. & 191. Ejus memoria non fuit in minimum reperta in Sacris Dypticis, & quare, 167.

Theodorus Calliopas Exarchus duxit S. Martinum Papam Conſtantinopolim vinctum, 282. Egit ut Martino in exilium amandato alius Pontifex crearetur, ſed non ita contigit, 288. Duxit etiam S. Maximum vinctum, *ibid.*

Theodorus Epiſcopus Conſtantinopolitanus creatus loco Conſtantini, 294. Hæreticus Monothelita ſuam hæreſim toto conatu promovebat, *ibid.* Creato Dono Papa, pro Epiſtola ſynodica aliã mittit, qua eum hortabatur ponere concordiam inter Eccleſiam Occidentalem & Orientalem, 295. Cum Macario Antiocheno reſiſtebat Imperatori pacem curanti; contendit in Sacris Dypticis non recitare nomina Romanorum Pontificum excepto Honorii nomine, quem Monothelitam falsò ſupponebat; ſed cogitur à Principe ea recitare. & non adimplens promiſſa, ab Imperatore eiicitur è ſua Sede, 295. Denuò potitur Sede Conſtantinopolitanâ, 315. Simulatè profitetur catholicam fidem, in corde retinens hæreſim, *ibid.* & 361. Fuit acerrimus hoſtis Romanorum Pontificum, ſtudebat adulterare acta ſextæ Synodi, & ob id ſatagebat retineri Legatos Sedis Apoſtolicæ, 315. Ipſum corrupiſſe acta ſextæ Synodi, in quibus damnatus legitur Honorius; opinio ſatis probabilis, 355. Oppoſitum tamen quidam dicunt; ſed impugnantur eorum rationes, 356. *& ſeq.* Ejus obitus, & quando, 361.

Theodorus Epiſcopus Melitenus, in generali Conſtantinopolitana Synodo offert libellum, quem acceperat à Stephano Diſcipulo Macarii, in quo una tantùm in Chriſto operatio aſſerebatur, de duobus verò tacendum, 308. Adversùs eum quidam Diſci-

ſcipuli Macarii inſurgunt, dicentes profiteri catholicam fidem, *ibid.*

Theodora Auguſta Juſtiniani uxor, impiiſſima fœmina Eutychiana, agit ut Anthimus Eutychianus obtineat Conſtantinopolitanam Sedem, 147. Exhibet munera Agapito Papæ, ut foveat Anthimum, alliàs minatur, 149. Agit, ut Anthimus & alii hæretici reſtituantur, 150. Agit cum Vigilio, ut erectur Papa, & communicet cum hæreticis, 160. Anathemate ligatur à Vigilio jam Papa creato, *ibid.* Paulò poſt moritur, *ibid.*

Theodoſius hujus nominis IV. Imperator loco Artemii, 368. Quanam occaſione fuerit creatus Imperator, 369. Coactus, accepit Principatum, *ibid.* Hic utpote catholicus reſtituit proprio loco Imaginem ſextæ Synodi projectam à Philippico; eo imperante reſtituta eſt pax in Oriente; æmulo ſuo renunciat Imperium; & factus Clericus, vitam tranſegit in quiete, *ibid.*

Theodoſius Monachorum Paleſtinæ Coriphæus vir ſpectatæ Sanctitatis, & omninò oppoſitus alteri Theodoſio hæretico, 54. Tentatur ab Anaſtaſio hæreſim amplecti, ſed deludit Imperatorem, *ibid. & ſequ.* Excitat Monachos ad certamen pro fide catholica, 55. Confutat rationes hæreticorum, *ibid.* Non timet iram Anaſtaſii, 56. Dicit anathema non ſuſcipientibus quatuor ſanctas Synodos, & mittit Monachos ad alias civitates prædicare contra hæreſim Eutychetis, & aliorum *ibid.* Orthodoxorum propugnator, 63.

Theodoſia, ſeù Theodora Auguſta, quondam uxor Leonis Armeni, abjurat hæreſim Iconoclaſtarum, 491. Imperio potitur cum filio ejus Michaele III. mortuo Theophylo Imperatore, 498. Cogitat, & agit reſtituere cultum ſacrarum Imaginum, *ibid.* Suum Intentum perficit, reſtituendo ſacrum cultum, 499.

Theodotus Melliſſenus Pſeudopatriarcha Cõſtantinopolitanus ſuffectus voluntate Leonis Armeni, 482. Mittit Apocriſiarios ad Romanum Pontificem, cum eo communionem recipiendi gratiâ; 484. Ejus obitus, 498.

Theophanius Epiſcopus Antiochenus loco Macarii Monothelitæ, 312. Hic fuit Abbas Monaſterii Bajæ Inſulæ Sicilienſis, 311.

Theophylus Imperator è medio ſuſtulit quotquot conſpiraverant in necem Leonis Armeni, 496. Euphroſinam novercam in Monaſterio recludit, 497. Paternam perfidiam ſecum trahit adversùs ſacras Imagines; & excitat diram perſecutionem adversùs orthodoxos cultores, *ibid.* Ejus Exercitus profligatur à Saracenis, 498. Magis ſævit adversùs orthodoxos, *ibid.* Prædicitur ſua mors à quodam ſancto Viro; conſulit mulierem Agarenam, quinam imperaturus eſſet poſt eum, *ibid.* Ejus obitus, *ibid.*

Thomas Patriarcha Conſtantinopolitanus loco Cyriaci, 237. Benè exercuit munus Epiſcopale, 238. Ejus obitus, *ibid.*

Thomas Epiſcopus Conſtantinopolitanus loco Petri, 290. Decantatur catholicus in Actis depravatis ſextæ Synodi, ſed ejus geſta potiùs oppoſitum oſtenderunt, *ibid.* Ejus obitus, 293.

Thomas quidam tyrannus inſurgit contra Michaelem Balbum, obſidet Conſtantinopolim, ſed cogitur ſolvere obſidionem, 490. Occiditur à Michaele Balbo, 491.

Tiberius genere Thrax Imperator, 206. Ejus obitus, *ibid.*

Tiberius Abſimarus. *Vide verbum*, Abſimarus.

Timotheus Elurus Alexandrinæ Eccleſiæ invaſor, 8.

Timotheus alius catholicus Alexandrinæ Eccleſiæ Epiſcopus, 10. Ejuſdem obitus, *ibid.*

Timotheus Calon hæreticorum fex, 54. In principio ſui Epiſcopatus aggreditur renovare hæreſim Petri Fullonis, *ibid.* Moritur morte inopinatâ, 84. Hic ſubſtitutus fuit in Conſtantinopolitana Sede loco Macedonii orthodoxi, ſed noluit Eccleſiam ingredi, niſi priùs detractis Imaginibus ſui deceſſoris, quem in multis redarguit, 53.

Timotheus Theſſalonicenſis Epiſcopus communicat cum Timotheo Epiſcopo Conſtantinopolitano metu Anaſtaſii, 73. Ob id Epiſcopi Illyrici recedunt ab ejus communione, *ibidem*. Tempore Juſtini monetur à Legatis Hormiſdæ profiteri catholicam fidem, & libellum fidei ſubſcribere, 100. Sed diſtulit id agere, & quarè, *ibid.*

Tria Capitula, de quibus controverſiam excitavit Theodorus Epiſcopus Cæſareæ, Cappadociæ, 153. Eorum controverſia promota à Juſtiniano, 160. Quidam adverſantur; quidam defendunt, *ibidem*. Adversùs eam edictum Imperatoris, 168. Illius controverſiæ tria Capitula aliter intellecta à quodam erudito, 157. Sed impugnatur opinio, *ibid.* Agitata in Chalcedonenſi Concilio nullo modo fidem tangebat, ſed ſolùm perſonas, ideò ſinè præjudicio Synodi potuit poſteà retractari, 198. Eorum damnationi non obſtat, quòd Vigilius aliter decreverit priùs, quàm poſteà, 205. Nec per ejus decretum fuit aliquid derogatũ Chalcedonenſi Synodo, *ibid.*

Triſagium, undè & quomodò originem duxerit, 15.

Tuti Eccleſiæ defenſoris lapſus, 19.

V

Valentinus creatur Romanus Pontifex loco Eugenii defuncti, ejus patria, genus, & Sanctitas, 496. Parùm ſedit in Petri Cathedra, *ibid.*

Venia nonniſi ſe corrigentibus conceditur, 30. n. 140.

Ver-

Verbum Divinum eſſe Patri conſubſtantiale, fuit definitium in Concilio Nicæno, 337. Quarè non licuit uti hac voce *Conſubſtantialis* in Antiochena Synodo; & poſtea hæreticus habebatur qui hujuſmodi voce non utebatur poſt Nicænam Synodum, *ibid.* Vox hęc *Conſubſtantialis* damnata fuit ſecundùm vitioſum intellectum Pauli Samoſatenſis, recepta verò ſecundùm ſanam intelligentiam Nicænæ Synodi, 338.

Victor Epiſcopus Carthaginenſis cogit Synodum contrà Monothelitas, 268. Eos anathematizat; & mittit legationem ad Theodorum Papam, monetque obviare adverſariis catholicæ fidei, *ibid. & ſequ.*

Vigilius Agapiti Papæ Diaconus Romam proficiſcitur, ut ope Theodoræ Auguſtæ Papa crearetur, eo mortuo, 150. Creato Sylverio, Ravennam pergit ad Belliſarium, ut ejecto legitimo Pontifice, ipſe eligeretur, *ibid.* Reprobat Chalcedonenſem Synodum ad petitionem Theodoræ Auguſtæ, & communicat cum hæreticis, 151. Excommunicatur à Sylverio, 150.

Vigilius præfatus, defuncto Sylverio, creatur Romanus Pontifex à Romano Clero ad vitandum ſchiſma, 152. Electus Pontifex, contra expectationem Theodoræ Auguſtæ anathema dicit Anthimo & aliis hæreticis, *ibid.* Non reſiſtit cuidam Sanctioni Juſtiniani, qua evexit Conſtantinopolitanam Sedem ſupra omnes Eccleſias Occidentis, ad vitandum ſchiſma, 152. Pergit Conſtantinopolim non vi coactus, ſed vocatus à Juſtiniano, 158. Quo tempore Conſtantinopolim ingreſſus, 159. Benignè ab Imperatore ſuſcipitur, *ibid.* Renuit conſentire, ut Anthimus Patriarcha reſtituatur ſuæ Sedi, 159. & 160. Anathema dicit Theodoræ Auguſtæ, 160. Operâ adverſariorum vitatur à pluribus; & quare, *ibid.* Redarguit Epiſcopos, qui ſubſcripſerunt damnationẽ trium capitulorum factã à Juſtjniano, 162. Monet Valentinum Epiſcopum de Tomis, ne attendat ad dicta Ruſtici & Sebaſtiani contra ipſum; quos & excommunicat, commemorans eorum ingratitudinem adversùs Sanctam Sedem, 163. & 164. Sperat, in generali Synodo ſedandam commotam tempeſtatem, 163. Excommunicat Theodorum Cæſarienſem Epiſcopum, 168. Sed noluit ſtatim proferre ſententiam, & quare, *ibid.* & 170. Fugit è domo ad Eccleſiam, & quare, 168. Nec ibi videns ſe tutum, fugit Chalcedonem, & non conſentit Imperatori eum vocanti, 170. Rediens poſtea, ſollicitat generalis Synodi celebrationem, & conſentit Imperatori, ut celebretur Conſtantinopoli cum quadam conditione; Sed hac non ſervata, non vult præeſſe Synodo, 175. & 176. Aliter pronunciat, quàm in Synodo pronunciatum erat, 179. & 181. Ob hoc mittitur in exilium à Juſtiniano, 181. Adhæret prædictæ Synodo per literas, recipit Synodum & confirmat, 182. & 183. Decretum, quo Synodum confirmavit, fuit ignoratum apud Latinos, & quare, 184. Cùr in eo decreto nulla vel levis mentio fiat de damnatione errorum Origenis, 186. & *ſequ.* Recepto ejus confirmationis decreto, ſolvitur ab exilio, & alia etiam aſſignatur cauſa, 187. Romam petiturus, obtinet ab Imperatore quædam Privilegia pro Senatu, & Populo Romano *ibid.* Ejus obitus, ubi, quo morbo, & quo tempore, 188. A calumnia defenditur jam defunctus, 307.

Vitalianus Summus Pontifex creatur loco Eugenii; ejus patria & genus, 289. Certiorem facit Conſtantem Imperatorem de ſua ordinatione, & hortatur Petrum Patriarcham amplecti catholicam fidem, *ibid.* Imperatorem Conſtantem Romam accedentem benignè & honorificè recipit; & quarè, non obſtante quòd eſſet hæreticus, & propter impia geſta adversùs S.Martinũ, 294. Ad Deum migrat, & quo anno, 295.

Vitalianus Scytha inſurgit adversùs Imperatorem Anaſtaſium zelo orthodoxæ Religionis, & ob injuſtam Macedonii expulſionem, 63. Multas Urbes obtinet, & Cyrillum Thraciæ Præfectum, *ibid.* Rogatus ab Anaſtaſio, ut deſiſtat, renuit; eum inſequitur, & Imperium invadit, 64. Sub quibuſdam tandèm conditionibus reconciliatur, & remittit Hipatium, quem catenatum habebat, *ibidem*. Conſpirans adversùs Imperatorem Juſtinum, interfectus eſt in Imperiali Palatio, 127.

X

Xenajas vili genere ortus, ejus natio; eligitur Epiſcopus Hierapolis nondùm baptizatus; à quonam, & quo tempore, 440. Adverſatus fuit cultui ſacrarum Imaginum, *ibid.* Ejectus ab Eccleſia, & à quonam, *ibid.* Ejus error circà Angelos, 441.

Xenophanes Colophonius quid ſenſerit de Deo, 457.

Xenophons Athenienſis, quàm mirabiliter ſenſit de Deo, 457.

Xiſtus Papa ſucceſſor Cœleſtini fieri fecit Baſilicam S.Mariæ Majoris, ſeù ad Præſepe, quam ſacris Imaginibus decoravit, 472.

Z

Zacharias creatur Romanus Pontifex; ejus patria, genus, & optimi mores, 388. Mittit Synodicam ad Eccleſiam Conſtantinopolitanam, & Suggeſtionem ad Conſtantinum Copronymum, quem tamen Legati Conſtantinopoli non inveniunt, *ibid.* Ejus in Domino obitus, 390.

Zeno Princeps Stoicorum nec Templa, nec Deo-

Deorum imagines habere voluit; & quarè, 457.

Zeno Imperator ſuccedit Leoni Auguſto; eſt catholicæ fidei adverſarius, & favet ſchiſmatico Acacio, 8. Impulſu Acacii adverſatur electioni Joannis Epiſcopi Eccleſiæ Alexandrinæ, 10. Quoſdam Epiſcopos hæreticos à Leone Auguſto relegatos reſtituit, 8. Se ſimulat defenſorem Concilii Chalcedonenſis; & quarè, 12. Non patitur ad Epiſcopatus aſcendere eos, qui ſuum non recipiebant Ennoticon, 24. Ejus decretum, quo innovare intendebat Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ primatum, 8. Ejus Ennoticon, in quo proſcribebat Chalcedonenſem Synodum, 11. Proſcriptum à Felice Papa, 12. Jubet teneri Sedis Apoſtolicæ Legatos,& in carcerem trudi; & quarè, 15. Ejus favore creatur quidam Epiſcopus hæreticus in Eccleſia Antiochena, 24. Ejus infœlix obitus, *ibid.* Diverſimodè deſcribitur ab Hiſtoricis; verum tamen eſt, quòd in ejus obitu juſtum Dei judicium effulſit, *ibid.* Ejus nomen ſicut & Anaſtaſii ab Altaris recitatione ſubmotum fuit tempore Juſtini Imperatoris, 102.

Zoilus Epiſcopus occurrens Vigilio Papæ, redarguitur ab ipſo, quia ſubſcripſit decretum Juſtiniani Imperatoris contra tria Capitula, 162. Recipitur tamen in ſuam communionem uſque ad Synodum generalem, in qua de illis Capitulis agendum erat, *ibid.*

Finis Indicis Rerum.

Errata	*Corrige*	*pag.*	*num. marg.*	*verſic.*
Obtumeſcant	obmuteſcant	90	428	26
recepiſſe	reſcidiſſe	210	265	4
405	412	260	501	27
Maximus	Martinus	275	573	27
incorrupta	corrupta	289	641	13
Athanaſius	Anaſtaſius	334	817	2
unquam	nunquam	350	867	2
ſanctorum Synod.	ſanctarum Synod.	296	668	14
Apocriſarii	Apocriſiarii	pluribus in locis.		

Alia, ſi quæ ſint ex Typographia quidem prolapſa, corrigat officioſus ac prudens Lector.